Digitized by Google

7
7 L
11

# METAPHYSICÆ VNIVERSALISSIMÆ.

## TOMVS PRIMVS.

AVCTORE

R.$^{MO}$ P. D. MATTHÆO TERRALAVORO

Abbate, & Vicario Generali Cęlestinorum, Ordinis Sancti Benedicti.

---

NEAPOLI. M. DC. LXXII.

Apud Hieronymum Fasulo.

---

SVPERIORVM LICENTIA.

Ex Libris Monrij S. Pudent.s

# METAPHISICA
## VNIVERSALISSIMA

In qua
Tum Philosophica, tum Theologica
radicitus pertractantur.

AVCTORE

D. Matthæo Terralauoro Neapolitano
totius Congregationis Cælestinorũ ord.is S. Benedicti
olim Abbate Generali;
Nunc Monasterij SS. Petri, et Catharinæ,
ad Magellam de Neap: Abbate, ac
eiusdem Congregationis Vicario Generali

BIBL. S. PVDEN DE VRBE

Franciscus Bedeschinus Aquilanus In. Peschæ Sculp.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

# CLEMENTI X.
# PONTIFICI
## OPTIMO MAXIMO.



Pportunè dictum à Philostrato memini, BEATISSIME PATER, ijs potissimum Numina oblectari, qui Philosophiæ dediti vestigandæ veritati totam operam nauant. Hinc ego audaciæ notam facilè vitare crediderim, si Metaphysicam hanc Vniuersalissimam noua methodo Theologica, & Philosophica omnia enucleantem, Meque ipsum BEATITVDINIS TVÆ pedibus obsequij reus supponerem. Piaculũ duxi, vel ingenij, vel obseruantiæ, vt aliquid è COELESTINÆ FAMILIÆ porticu in litterariam lucem prodiret, & COELESTI SIDERVM luce non coruscaret; Cęlestem quippè lucem redolebit hoc opus, & faustitatem sapiet, cui siderum fulgor dum in lucem prodit benignus arridet. Licet enim non è fęcundo Iouis capite mea Pallas vitam hauserit, BEATITVDINIS TVÆ pedibus prouoluta, poetica Pallade maior assurget. Extimuissem, fateor ad TANTAE MAIESTATIS solium accedere litterario puluere sordidus, nisi TE duplici Nominis, & rei titulo CLEMENTISSIMVM Orbis agnosceret; Is enim semper fuisti in Infulis, in Purpura, & quod miraculum est, in Suprema Thiarà, vt Diuina prorsus humanitate, omnium TIBI animos deuincires, captares obsequia. Parem morum facilitatem in EMINENTISSIMO FRATRE TVO exaggeratè munificam olim sum admiratus, & (liceat hoc ambitiosè fateri) obseruantiæ meæ habui muneratricem. Exiguum sanè tributum tantis nominibus rependo. At quid magnum offeram MAXIMO? Imperatori js, ac Pontifici js benefici js nõ aliud præstantius addicti animi monumentum, quam noua beneficij causa potuit exhiberi; Non alie-

alienum quippè existimaui à SVMMO HIERARCHA patrocinium efflagitare Metaphysicis hisce sudoribus, qui Theologicam scientiam, quo altius, eo radicitus rimantur, & purgatas omni materiæ fęce rerum entitates cognoscendæ Diuinorum naturæ, abstractissima quadam speculandi ratione sanctè, integrèque traducunt. Videbis hic vni antiquorum Accademias Euangelio militare, ac veram sapientiam, non mercede, sed miraculo coli. Siderum est Orbem ducere, aiebat Seneca, Tuorum siderum sit doctrinarum circulum, tum nominis auspicio illustrare, tum Numinis maiestate fulcire. Votum superest vt Vrbis Stellas in splendido veritatis lumine radiantes diù Cęlum Orbis fęlicitati seruet incolumes. Meridies erit vbi elaboratis sapientium noctibus illæ præluxerint. Senario nexu senium supra Nestoreum SANCTITATI TVÆ prorogent, vt ad Reipublicæ Christianæ solatium, & Religionis decus non minus Mundi, quam Fidei articulos diutissimè regas.

Sanctitatis Tuæ

Addictissimus seruus
D. Matthęus Terradauoro Vic. Gen. Cęlestinorum.

LECTO-

# LECTORI HVMANISSIMO.

OBstupesces, Amice Lector, ac in ipso tituli limine admiraberis Me ætate grandęuum, ęconomicisquè distractum curis iterum alto scholasticæ disciplinæ pelago vela committere, quæ ante annos quadraginta collegeram. Debuisset me ab incepto terrere (dices) scholasticorum Argonautarum fęlix ingenium, quod veluti emenso vastissimo scientiarum freto, iam non plus vltrà difficultatum Philosophiæ, ac Theologiæ, Herculeas veluti columnas imposuit, ita vt Scholasticæ Mineruæ Numen adorandum nobis, non amplius inuestigandum reliquerit. Aristoteles ipse si ab inferis rediuiuus emergeret desertum magis, quam disertum Lyceum suum cerneret, cuius limen vix ab exiguis Peripateticorum reliquijs nunc teritur. Exoleta est Principis Philosophorum doctrina, quæ nec triuio digna huic videtur ætati. Hinc Neotherici cuiusdam Doctoris imago cernitur ære expressa libros Aristotelis veluti antiquatas doctrinas pedibus conculcans, & quem sagacissimum Naturæ indagatorem proprioque vocabulo Gręci Dęmonem appellarunt huius æui Magistri arcana Philosophiæ misteria, nec summis labijs attingentem nuncupare non dubitant.

Vera loqueris, humane Lector, & si absque stomacho nequeant audiri, at vna mihi occurrit excusatio, quod non spontè hoc opus typis dandum curauerim, sed Amicorum benignis æquè, ac importunis precibus indulgens iusserim imprimendum. Cognoueram sanè meas has elucubrationes non fuisse elaboratas ad Cleanthis Lucernam, vnde illas cimmerijs adiudicaueram tenebris ne fulgidas præli caligines nanciscerentur. Non enim ignorabam, quæ pericula subeat, quas Criticorum aculeatas linguas patiatur, qui proprij fętus ingenij publicam edit in lucem. Amandandi otij hæc fuit occasio. Post Generalatus enim cessionem, ad quem me gradum summa Dei benignitas euexerat, mihi viuendi opportunitatem nactus, reliquum vitæ in euoluendis libris, compilandisque doctrinis insumere decreueram. Mihi igitur parabatur hoc opus, & mihi vni propria Minerua partas speculationes adnotaueram, quas cum in lucem Amicorum sedulitas impulerit, ijs piaculum hoc adscribe non mihi.

Quod autem seriem, methodumque doctrinæ speculatiuæ à Doctoribus traditam, & receptam non fuerim secutus, data opera feci, tum quia selectas has mihi congesseram speculationes; tum quia ferè omnes bibliothecæ plenæ cum sint voluminibus communi methodo incedentibus, gratum tibi forè existimaui subtiliores ex Philosophicis, & Theologicis tradere quæstiones aliqua nouitate donatas, quod eo libentius feci, quia hic prouectioribus tantùm apponitur cibus, quorum palato non iniucundior erit, si rationum rigorosissimè cohærentium sapiditatem degustare voluerint. Videbis hic varios, implicatosquè difficultatum nodos vna semper ad prima principia inconcussa reuocatione dissolui. Certè si ab ijs omnibus, qui in aliorum libris euoluendis insudant, æqua lance pensaretur, an conclusiones ad præmissa prima principia reducantur, non adeo, sæpè vbi laudem merebantur Auctores animosè nimis despicerentur.

Vnum

Vnum tamen Te rogo, sapientissime Lector, librum à capite ad calcem vsque euoluas: Festina lente, noli curiosius percurrens articulum, nedum quæstionem omittere, ita enim inter se omnes firmè cohærent, vt vna prætermissa nexum intelligentiæ disrumpas membratimque scissa volumina, non aliter, ac pulcra corpora, partium symmetriam, & membrorum aptitudinem, hoc est pulcritudinis sedem facilè perdant. Hoc autem quis nou videt exactius in metaphisicis esse obseruandum, vbi formalitates quælibet, numerorum ad instar nisi accuratè notentur vel omnimodam pariant diuersitatem sensuum, vel infirmè diluant obiecta.

METAPHISICAE VNIVERSALISSIMAE nomine appellandum, hoc opus censui. Titulum nè despicias, neque illum superbiæ nota sugilles: Metaphisices præcipuas continet quæstiones, & per prima principia procedendo Metaphisicam methodum seruat; hæc illi causa nominis: quod si adhuc nimiæ tumiditatis damnes, titulũ aptiorem inscribas, lubens Tibi permitto. Congestis auctoritatibus, Doctorumque catalogis libentius rationum pondera substitui, quæ validius doctrinas firmant. Omnes veneror, & sapientissimos duco, sufficit tamen Angelicum Doctorem, Aristotelem, Scotumuè citasse. Hos mihi vnos infrà Aeternam Sapientiam statui Magistros; his Præceptoribus debeo quæ didici, quæ typis mando. Verum si alicubi tanto magisterio doctrinam imparem proferam, nec ad intimas vsque fibras discussam, non mea, sed senectutis est culpa, rarum quippè est propè octogenarium senem à proposito calle aliquando non claudicare. Tu interim benigne, quæ occurrerint menda corrigere non dedigneris, Typorum enim insitum vitium est, vt nusquam satis prodeant castigati, & si læta fronte Primum hunc susceperis Tomum, secundum, & tertium, Deo dante, suscipies. Vale.

IN

IVſu Reuerendiſsimi Patris D. Ludouici Bellora Abbatis Generalis totius Congregationis Cęleſtinorum Ordinis Sancti Benedicti, nos infraſcripti accuratè perlegimus Tomum Primum Metaphyſicæ Vniuerſaliſsimæ, Auctore Reuerendiſsimo Patre D. Matthęo Terralauoro eiuſdem Congregationis Abbate, ac Vicario Generali, in eoque, ſumma cum animi noſtri oblectatione, inuenimus profundiſsima totius ſapientiæ fundamenta detecta, difficilia, obſcuraque omnia ſubtili facilitate, ac felicitate explorata, Theologica philoſophicis inſueto fędere mirabiliter inſita, totamque ſcholaſticæ ſcientiæ arborem, ad fructus omnes inconcuſsæ doctrinæ dandos, in hac Terra noſtra laboris ex ſuis radicibus pullulaſse. Quapropter non minus laude, quam luce digniſsimum Opus hoc exiſtimamus, vtque ad Religionis noſtræ decorem, ad Auctoris gloriam, & ad veritatis incolumitatem, æternitati donetur. Dat. Neap. in noſtro Venerabili Monaſterio SS. Petri, & Catharinæ ad Magellam die 24. Octobris 1670.

*D. Cæleſtinus Guicciardinus Abbas Mantuæ.*
*D. Bernardus de Rojas Lector Theologus S. Petri ad Magellam de Neap.*

## D. Ludouicus Bellora Abbas S. Spiritus de Murrone, ac Præſidens Generalis totius Congregationis Cęleſtinorum Ordinis Sancti Benedicti.

CVm Tomum Primum Metaphyſicæ à Reuerendiſsimo Patre D. Matthęo à Neapoli noſtro Vicario Generali compoſitum, duo eiuſdem noſtræ Congregationis Theologi recognouerint,& in lucem edi poſse probauerint: facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi ita ad quos ſpectat, videbitur. Datum in noſtra Venerabili Abbatia S. Spiritus de Murrone die 1. Nouembris 1670.

D. Ludouicus Bellora Abbas Generalis Cęleſtinorum.
*D. Philippus de Capitaneis Secretarius.*

reg. fol. 29.

IN Congregetione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub 14. Nouembris 1670. fuit dictum, quod Reu. Pater Acerbus Soc. Iesu reuideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

Metellus Talpa Vic. Gen.

*Franciscus Guarinus Soc. Iesu Congreg. Indicis Secr.*

LIbrum hunc inscriptum (*Metaphysica Vniuersalissima, Authore Matthao Terralauoro*) accurate recognoui, cumque, vtpotè clarioris profundæque doctrinæ in lucem edi posse censeo.

*Franciscus Acerbus Soc. Iesu.*

In Congregatione habita coram Eminentissimo Domino Cardinali Caracciolo Archiepiscopo Neapolitano sub die 23. Decembris 1670. fuit dictum, quod stante supradicta relatione P. Francisci Acerbi reuisoris, Imprimatur. Metellus Talpa Vic. Gen.

*Franciscus Guarinus Soc. Iesu Congr. Indicis Secr.*

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

GEronimo Fasulo Stampatore supplicando fà intender à V. E. come hauendo da stampare vn'Opera intitolata, Metaphisica Vniuersalissima, del Reuerendissimo Padre Abbate D Matteo Terralauoro dell'Ordine di S. Benedetto de Padri Celestini. Per tanto l priega concedergli le solite licenze, che l'hauerà à gratia vt Deus.

Mag. Iulius Caponus videat, & in scriptis referat.

Galeota R. Carillo R. Capiblancus R. Ortiz Cortes R. Valerò R.

Prouisum per S. E. Neap. die 5. Nouemb. 1670.

*Preti.*

EXcellentissimæ Domine vidi librum mihi ab E. T. commissum, continentem Philosophiam, siuè Metaphisicam Vniuersalem Reuerendissimi P. Abbatis Terrælaboris Ordinis Cęlestinorum, et librum aureum, ac doctissimum existimo, ex quo de suo ingenio fæcundissimè, ac profundissimè loquitur, nouum in stylo, quia cęteri libri conficiuntur ex alijs libris, & liber librum aperit, ac facit, noster verò Pater Reuerēdissimus totus ex sua mēte loquitur res nouas, & quia nihil contra Iurisdictionem potentissimi nostri Regis continet, censeo posse imprimi, si E. T. videbitur. Domi sub die 19. Ianuarij 1672.

Exc. Tuæ Humillimus Seruus Iulius Caponus.

Visa Relatione, imprimatur, verum tempore publicationis seruetur Regia Pragmatica.

Galeota Reg. Capiblancus Reg. Ortiz Cortes Reg. Valero Reg.

Prouisum per S. E. Neapoli die 16. Martij 1672.

*Sebastianus.*

IN-

# INDEX
# QVÆSTIONVM,
## ET ARTICVLORVM.

Primus numerus paginam designat, secundus verò columnas.

AR-

AR-

Vtrum

QVAE-

# QVÆSTIO PRIMA, DE METHAPHYSICA VNIVERSALISSIMA.

Omine methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ ſignificatur ſciẽtia, ſiuè habitualis, ſiuè actualis de ente, ſiuè de ſcibili reali vniuerſaliſſimo: intelligitur enim hic ſciẽtia vniuerſaliſsima, non in prædicando, vt eſt ſcientia, quę prędicatur de omnibus ſciẽtijs inferioribus; ſed in cognoſcendo ſcientificè: hæc autem eſt ſcientia de ente, vel de ſcibili reali vniuerſaliſsimo, quod ſcilicet non eſt reſolubile in aliud ſcibile reale ſuperius. Triplex poteſt excogitari methaphyſica vniuerſaliſsima in ſciendo.

Prima eſt de ente, ſiuè de ſcibili naturali, abſtrahente in recto ab omni ente naturali poſitiuo, & ab omni ente naturali negatiuo; quoniam datur duplex ens reale, vt fusè probabitur *q.2.* aliud oppoſitum nihilo impoſsibili, & aliud oppoſitũ nihilo poſſibili, ſeù reali: hoc eſt, ens poſitiuũ formaliter; illud verò eſt ens reale, abſtrahẽs ab ente reali poſitiuo, & ab ente reali negatiuo.

Secunda methaphyſica realis vniuerſaliſsima, eſt de ente, ſiuè de ſcibili reali, quatenus formaliter abſtrahit, non ſolum ab omni ente, ſiuè ſcibili reali naturali, tam poſitiuo, quàm negatiuo; verum etiam ab omni ente, vel ſcibili, reali ſupernaturali: & huiuſmodi methaphyſica, ſi dabilis eſſet conſideraret materialiter, nimirùm vt obiectum materiale, omne ens naturale, & omne ens ſupernaturale; ſuppoſita tamen diuina reuelatione de entibus ſupernaturalibus; conſideraret enim prædicta omnia entia, quatenus formaliter ſunt ens reale vt ſic; ſiuè quatenus in eis reperitur in recto ratio entis realis.

Tertia methaphyſica vniuerſaliſsima, quæ excogitari poteſt, ſi dabilis eſſet, foret ſcientia de omni ente reali, & de omni ente rationali puro, tàm naturali, quàm ſupernaturali, ſub ratione formali obiectiua; quia ſunt ens vt ſic, abſtrahens eo modo, quo poteſt, in recto ab omni ente reali, & ab omni ente rationali puro.

Nè videamur autem in re difficillima verbis ludere; quia poteſt aliquis dicere, non eſse dabilem, niſi vnam methaphyſicã vniuerſaliſsimam in ſciendo; eo quod metaphyſica vniuerſaliſſima in ſciendo eſse debet formaliter de ente, ſiuè de ſcibili reali vniuerſaliſsimo; hæc autem non poteſt eſſe niſi vna; quia diuiſio formalis ſcientię, eſt ex diuiſione formali obiecti, ſiuè ſcibilis formalis; ſed obiectum formale methaphyſicæ vniuerſaliſsimæ realis non eſt diuiſibile in plura ſcibilia formalia vniuerſaliſſima; quia ſcibile reale vniuerſaliſsimum, non eſt reſolubile in aliud vniuerſalius; hoc autẽ eſt vnum tantũ in tota latitudine ſcibilis, quia loquimur de ſcibili reali. Huius triplicis methaphyſicę vniuerſaliſsimę realis aſſignatur ratio hæc: quoniam methaphyſica vniuerſaliſſima duplex poteſt eſſe; alia quidem in vno tantum genere; & alia ſimpliciter: tùm quia methaphyſica vniuer-

uerſaliſſima, eſt formaliter ſapientia intellectualis, cum ſit de altiſſima, & vniuerſaliſſima cauſa; ſapientia autem intellectualis, vt docet Angelicus Doctor 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 6. *in corpore*, alia eſt in vno tantùm genere, vt ſapientia architectonica; & alia eſt ſapientia ſimpliciter, & huiuſmodi eſt methaphyſica vniuerſaliſsima: tùm quia methaphyſica vniuerſaliſſima abſtrahit ab vniuerſaliſſima in vno tantùm genere, & à methaphyſica ſimpliciter; vbi autem eſt abſtractio ab inferioribus formaliter, poteſt eſſe diuiſio per oppoſitas differentias formales in diuerſas ſpecies; ergo poſsibilis eſt diuiſio methaphyſicæ vniuerſaliſsimæ realis in ſciendo, in metaphyſicam vniuerſaliſsimam in vno genere: & in methaphyſicam vniuerſaliſsimam ſimpliciter; hæc non eſt, niſi vna tantùm; methaphyſica verò in vno determinato genere poteſt eſſe multiplex; quia plura poſſunt eſſe genera generaliſsima realia, ſicut plura ſunt prima genera prædicamentalia, quæ adhùc dicuntur generaliſſima. Methaphyſica vniuerſaliſsima realis ſimpliciter, eſt ſcientia de ente reali, ſecundum abſolutam rationem entis realis: & hæc, vna tantùm eſt; methaphyſicæ verò vniuerſaliſſimę in vno tantùm genere ſcibilis, ſcientificè tractant de ſcibili reali vniuerſaliſſimo, in vno tantùm genere ſcibilis; ſicut eſt quodlibet genus primum prædicamentale: & huius conditionis ſunt, methaphyſica de ente naturali, ſiuè de ſcibili naturali; quatenùs in rectò prædicabile eſt de omni ſcibili poſitiuo naturali, & de omni ſcibili naturali negatiuo: & etiam methaphyſica, quæ eſt ſcientificè tractat de omnibus entibus naturalibus, & ſupernanaturalibus, ſub ratione formali obiectiua; quia ſunt ens reale vt ſic; ſuppoſita tamen diuina reuelatione, vt conditione neceſſaria, manifeſtante veritates ſupernaturales. In hac quæſtione diſputabimus de poſsibilitate harum trium methaphyſicarum vniuerſaliſsimarum; non autem de earum actuali exiſtentia; nō enim hucvſque legi methaphyſicum, qui ſcientificè diſpoſuerit omnia entia realia, & rationalia, tàm naturalis ordinis, quàm ſupernaturalis; ſuppoſita tamen fide diuina de ſupernaturalibus, vt conditione: & tàm poſitiua entia, quàm negatiua, ſub vna ratione vniuerſaliſsima entis realis, niſi Berard. Mirand. *lib.* 13. *euerſ. ſingul. certam. ſect.* 6. & 7. aſſerentem poſſe dari vnam ſcientiam rerum omnium realium ordinis naturalis, ſub ratione formali obiectiua; quia ſunt ens reale naturale vt ſic.

## ARTICVLVS PRIMVS.

### An ſit poſſibilis methaphyſica vniuerſaliſſima de ſcibili reali naturali formaliter, abſtrahente in recto ab ente reali naturali poſitiuo, & negatiuo, diſtincta ſpecie eſſentiali à phyſica, mathematica, & à methaphyſica Ariſtotelis.

IN explicandis methaphyſicis vniuerſaliſſimis, initium ſumo à methaphyſica vniuerſaliſſima in genere ſcibilis realis naturalis, quæ eſt ſcientia de omnibus entibus realibus naturalibus; tàm poſitiuis, quàm negatiuis, ſub ratione formali obiectiua; quia ſunt ens reale, ſiue ſcibile reale naturale: quoniam hæc eſt faciliorіs explicationis, & prima cæterarum in aſcendendo, cum ſit immediatior methaphyſicæ vniuerſali, quæ eſt ſcientia de ente naturali poſitiuo formaliter, qualis eſt methaphyſica Ariſtotelis; vel eſt methaphyſica ſcientificè diſponens totam methaphyſicā materiam in ordine ad ſubſtantiam, abſtrahentem à creata, & increata, vt eſt methaphyſica Scoti, vel cuiuslibet alterius Auctoris; & quidem in hoc primo articulo duo proponimus examinanda: primum eſt; an ſit poſſibilis methaphyſica vniuerſaliſſima, in genere ſcibilis realis naturalis: ſecundum, an hęc methaphyſica ſi daretur, eſſet ſcientia ſpecie diſtincta à cęteris ſcientijs inferioribus, quæ ſunt methaphyſica vniuerſalis, ſiuè Ariſtotelis, ſiuè alterius Auctoris, mathematica, & phyſica, ac denique etiam ſcientiæ morales: & de vtroque quæſito duæ ſunt celebres ſententiæ; vna eſt ferè omnium recentiorum, negantium poſſe dari hanc methaphyſicam vniuerſaliſsimam conſiderantem materialiter non ſolum obiecta materialia; ſed etiam obiecta formalia, cæterarum ſcientiarum inferiorum, quàm ſatis doctè explicat, & ſequitur Suarez 1. *tomo ſuæ meth.* initio, eamque multis rationibus probat, quas infra examinabimus; mihi autem in fauorem huius ſententiæ ſequentes occurrunt rationes.

Prima eſt: ens reale naturale vt ſic, eſt obiectum formale connaturale intellectus creati; at implicat obiectum formale, connaturale intellectus, eſſe obiectum formale connaturale methaphyſicę vniuerſaliſ-

lissimæ: ergò implicat ens reale naturale, vt sic, esse obiectum formale, connaturale methaphysicæ vniuersalissimæ; ergò implicat esse methaphysicam vniuersalissimam scientificè tractantem de ente reali naturali vt sic; quia implicat dari scientiam sine suo obiecto formali.

Minor principalis argumenti probatur; quia intellectus creatus, vt cognitiuus viribus naturalibus, & methaphysica vniuersalissima naturalis distinguntur inter se specie essentiali; distinctio autem specifica potentiæ cognitiuæ, & scientiæ, sumitur ex distinctione formali obiecti formalis; hoc autem posito implicat obiectum formale intellectus creati, esse obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ naturalis; esset enim intellectus creatus, intellectus, & non intellectus: & è contra methaphysica esset methaphysica, & non methaphysica secundum idem. Maior principalis argumenti probatur; quia obiectum formale connaturale intellectus creati, est intelligibile naturale; sed vnumquodque est intelligibile ex eo causaliter, quia est ens ergò, &c.

Quod si dicas, ens reale naturale, esse obiectum formale in genere entis intellectus creati; non autem in genere cognoscibilis, & ex his obiectum formale in genere entis posse esse obiectum formale, adhùc in genere entis methaphysicæ naturalis; quia non est obiectum, à quo specificatur intellectus; intellectus enim sicut, & scientia specificatur ab obiecto formali in genere intelligibilis; sicut, & scientia ab obiecto formali in genere scibilis.

Contra est; quia obiectum formale in genere scibilis; vel intelligibilis, est gradus abstractionis formalis ab omni materia; sed idem est gradus abstractionis formalis ab omni materia obiecti formalis intellectus, & obiecti formalis methaphysicæ vniuersalissimæ; quia obiectum formale vtriusque in genere scibilis, in eodem gradu abstractionis formalis abstrahit ab omni materia, & ratio huius clara est; quia obiectum formale vtriusque est scibile vniuersalissimum naturale.

Secunda ratio est: si esset possibilis methaphysica naturalis vniuersalissima; posset dari vna species intelligibilis creata vniuersalissima omnium entium naturalium creatorum, & creabilium ordinis naturalis; Sed hic excessus repugnat creaturę; omnis enim creatura est determinata ad genus, speciem, & indiuiduum, & ob hanc rationem Angelus quantumquumque superior intelligit per speciem vniuersaliorem; sed tamen semper per plures species intelligibiles: solius enim Dei est intelligere omnia extra se per vnam tantum speciem; quia Deus solus est prima causa omnium entium extra se, & in esse naturali, & in esse intelligibili; prima autem causa simpliciter vna est: sequela maioris probatur; quia methaphysica vniuersalissima si daretur, posset considerari vnico actu simplicis cognitionis omnia obiecta methaphysicæ, mathematicæ, & physicæ Aristotelis; quia vnitas, vel pluralitas actus sciendi est ex vnitate; diuersitas verò, & pluralitas eiusdem est ex diuisione formali sui obiecti formalis; at vnum esset obiectū formale methaphysicæ vniuersalissimæ, tum in genere entis, tum in genere scibilis, si daretur: ergo, &c. sed vnicus actus sciendi, est actus vnius speciei intelligibilis, ergo, &c.

Quod si dicas, hoc argumentum, si vim haberet, ostenderet etiam non posse dari vnum intellectum creatum, qui posset esse intellectiuus omnium entium extra Deum naturalium; quia hic excessus cognoscendi repugnat creaturæ intellectiuæ.

Statim dici potest ab opponente, quod est diuersa ratio de intellectu, & de specie intelligibili, quoniam species intelligibilis est ipsum intelligibile immediatum actu, in esse repræsentatiuo; implicat autem dari vnam speciem intelligibilem, quæ sit in esse repræsentatiuo formaliter omnia intelligibilia creata formalia actu; hæc autem necessitas, vel ratio non reperitur in potentia intellectiua creata.

Tertia ratio est, quia scientia non solum, vt cognitio; sed etiam, vt scientia formaliter, est expressio sui obiecti immediati, & formalis; sed implicat scientiam realem in ratione scientiæ esse expræssionem entis realis naturalis præscindentis à positiuo, & à negatiuo. Primò: quia scientia realis est expressio formaliter positiua; hæc autem essentialiter non potest esse expressio entis realis, præscindentis a positiuo, & negatiuo; sed solum entis realis positiui; quia expressio, siuè similitudo in cognoscendo, est in genere causæ formalis. Secundò: quia scientia specificatur à suo obiecto immediato, & primario; sed specificatio positiua requirit specificatiuum positiuum, complet enim specificabile in suo genere, & specie; implicat autem positiuum compleri in sua specie à formali obiecto non positiuo.

Secunda sententia affirmatiua est Ant.

Berar. Miran. *lib.* 13. *Exer. singul. cert. sect.* 6. *&* 7. asserentis posse dari vnam scientiam rerum omnium realium ordinis naturalis, sub ratione formali obiectiua; quia sunt ens reale naturale vt sic, eamque esse specie specialissima distinctá à methaphysica Aristotelis, & a cæteris scientijs inferioribus, quam sententiam, vt refert Suar. *loco sup. cit. in* 1. *methaphysica q* 2. docuit etiam Ægidius, eaque mihi semper placuit, quantum ad vtramque partem.

Prima conclusio, possibilis est methaphysica vniuersalissima de omni ente reali naturali, quæ considerat scientificè omnia obiecta materialia, & formalia cæterarum scientiarum inferiorum, secũdum omnium eorum prædicata, sub ratione formali obiectiua; quia sunt ens reale naturale vt sic, abstrahens nimirum, à positiuo, & negatiuo ente in recto.

Sunt qui contendunt hanc methaphysicam vniuersalissimam docuisse Aristotilem; ac proindè eam esse non solum possibilem, sed etiam de facto; idque probant auctoritate eiusdem Aristotelis, *nam primò methaphysice cap.* 2. dicit methaphysicam esse vniuersalem scientiam, quia de omnibus rebus disputat, & *lib.* 4. *in princ.* ait hanc scientiam, scilicet methaphysicam vniuersaliter disputare de ente, & in fine Textus secundi addit: sicut est vnus sensus, vnius obiecti, & eorum, quæ sub ipso continentur; ita hæc methaphysica est vna scientia, quæ speculatur ens inquantum ens, & species eius, & species specierum.

Sed quantum video his locis Aristoteles solum contendit ostendere methaphysicam vniuersalem, quam nobis reliquit, considerare directè, & formaliter omnia entia realia positiua ordinis naturalis, à primo gradu vsque ad vltimum, sub ratione formali obiectiua; quia sunt ens reale positiuum naturale, quod non tollit, quin methaphysica hæc consideret etiam non entia positiua, quatenus scilicet sunt entia realia in obliquo, vel quatenus sunt opposita entibus realibus positiuis, eo modo, quo intellectus, præter verum cognoscit etiam falsum, Quod hæc sit mens Aristotelis, est certum, quia Aristotiles 2. *poster.* apertè docet, non entis non esse scientiam, & loquitur de non ente, vt non ens formaliter; quia sic non est per se cognoscibile: at nos hic contendimus possibilem esse methaphysicam vniuersalissimam, quæ considerat omnia entia realia ordinis naturalis, tàm positiua, quàm negatiua; quatenus scilicet sunt intrinsecè ens reale naturale vt sic in recto, quod præscindit à positiuo, & negatiuo. Sine dubio hæc sententia Mirandulani conformis est principijs Aristotelis, si formaliter ea considerentur, nimirum si considerentur abstrahendo ab ente reali positiuo, sicut Angelicus Doctor vtens principijs Aristotelis formaliter, multa doctè demonstrauit in entibus supernaturalibus, quæ à nobis non sunt cognoscibilia in hoc statu, nisi diuina reuelatione. Docet enim Aristotiles præsertim *lib.* 4. *Methaphys.* omnem rationem sani analogam habere vnicam considerabilitatem scientificam: quia quicquid sanum est reducitur ad vnum primum sanum; ità etiam de ente docet, quia quicquid est, ad vnam rationẽ essendi simpliciter reducitur, quod potest intelligi tàm de ente, quatenus est analogũ attributionis extrinsecè, quam de analogo attributionis intrinsecè; lege si placet *lib.* 2. *textum* 41. vbi apparet in fine illius textus, quod hæc Mirandulani sententia sit conformis principijs Aristotelis; sic enim concludit, quare entis, quotquot species sunt, & species specierum, speculari vnius scientiæ generis est; & *lib.* 2. *meth. cap.* 2. docet methaphysicam esse vniuersalem scientiam; quia de omnibus rebus tractat, & *lib.* 6. *cap.* 1. idem repetit. Denique celeberrimus locus est *lib.* 1. *poste. cap.* 13. *eiusdem*, inquit, *scientiæ est, considerare totum, & partes totius*: & loquitur de toto, & partibus in vniuersum, prout compræhendunt totum vniuersale, & eius partes subiectiuas, & totum actuale, & eius partes actuales; quibus auctoritatibus clare ostenditur, totam materiam methaphysicam, posse scientificè disponi, & considerari sub diuersis obiectis formalibus, quibus conueniunt principia, quæ docet Aristotiles esse necessaria, vt sint obiectum adęquatum vnius generis scientiæ; & quidem obiectum scientiæ, non totum potest esse obiectum adęquatum attributionis; sed etiam potest esse obiectum adęquatum prędicationis in recto. Aristoteli placuit scientificè disponere, & considerare totam materiam methaphysicam sub ratione entis positiui naturalis, vel in ordine ad ens reale positiuum naturale; sed secundum se, & absolutè non repugnat considerare scientificè, & disponere omnia entia realia naturalia, sub ratione entis realis naturalis vt sic, quod prædicatur in recto, tam de entibus positiuis, quam negatiuis realibus; quia, vt dixi, obiectum potest esse adęquatum, & commune omnibus tractatis in scientia, siuè per prædicationem, siuè per at-

attributionem; sicut S. Thomas in summa tractauit omnia, quæ pertinent ad doctrinam sacram viatorum scientificè in ordine ad Deum, vel quia sunt Deus; nam tractauit S. Thomas de natura diuina, & de diuinis personis inquirens quidditatem Dei, & personarum,& veluti passiones eiusdem, & de cæteris tractauit in ordine ad Deum, tamquam ad principium creaturarum, & finem earum; in Prologo autem in 1. *sent. art.* 4. totam materiam theologiæ sacræ viatorum scientificè disposuit, & considerauit sub ratione entis diuini, nimirum cognoscibilis luminæ diuinæ reuelationis, quod commune est omnibus tractatis in theologia per prædicationem; non solùm enim Deus est cognoscibilis lumine diuinę reuelationis, sed omne ens creatum.

Conclusio hæc recipi debet ab omnibus, qui dicunt vnius generis scientiam secundum se posse habere plura obiecta formalia,quando tota materia, quæ tractatur in scientia potest scientificè tractari, & disponi sub diuersis obiectis formalibus;quãdoquidem scientia secundum se, siuè ea sit physica, siuè methaphysica, non est vnius speciei athomæ; sed vnius generis obiecti, siuè subiecti, idque ostenditur; quia diuersitas specifica, siuè diuisio specifica scientię est ex diuisione formali obiecti formalis;sed plura possunt esse obiecta formalia methaphysicæ, ergò methaphysica secundum se diuisibilis est diuisione generis in diuersas species: ergò secundum se versatur circa subiectum vnius generis, & non vnius speciei athomæ.

Quod si dicas; diuersitas, siuè diuisio scientiæ formalis est ex diuisione formali abstractionis formalis à materia; sed non datur nisi vnica abstractio methaphysica à materia, siuè tota methaphysica materia scientificè disponatur, & consideretur, sub vna ratione formali obiectiua, siuè sub alia: & ratio est; quia diuisio rationis formalis obiectiuæ intra eandem abstractionem à materia, est diuisio materialis, non autem diuisio formalis.

Facilis est responsio: est intra eandem abstractionem formalem methaphysicam secundum speciem,& nego: intra eandem secundum genus, & concedo: & probatur; nam abstractio formalis ab omni materia est diuisibilis in vniuersaliorem, vsque ad vniuersalissimam realem; diuisio autem per gradum formalem superiorem, & inferiorem est diuisio formalis; non autem materialis; quia fit per gradus, diuidentes intra latitudinem formalem diuisi, vt videre est in diuisione generis generalissimi in vnoquoque prædicamento, quæ fit per gradus, siuè per differentias essentiales. Fundatur doctrina hæc in eo, tamquam in primo principio; quia ratio obiectiua formalis quo est vniuersalior, eo est immaterialior; quia est in maiori gradu independentiæ à materia, quæ est ratio contractiua formæ. Sine dubio semper abstractio est ab eadem materia; sed non est in eodem gradu formali abstractionis; quia sunt diuersi gradus, abstrahentes à materia, quorum vnus est vniuersalior alio: quò enim est vniuersalior; eò magis est remotus, & consequenter independens à materia; explicatur euidenter hæc diuersitas gradus abstractionis maioris à materia in formis substantialibus, quarum vna ex eo quod est immaterialior alia, est superior alia essentialiter, & perfectior, v. g. anima rationalis est in supremo gradu abstractionis à materia formæ informantis; quia est independens à materia, non solum in esse essentiali, sed etiam in esse quantitatiuo in fieri, & in operari; forma autem animalium perfectorum est adhùc immaterialis; sed in gradu inferiori, quia est independens à materia quanta, sed non est independens à materia in esse, & fieri, vt suo loco fusè probabitur. His remanet explicata conclusio, quæ probatur.

Primò,omnia entia naturalia,siuè positiua, siuè negatiua possunt scientificè disponi, & considerari sub ratione entis realis vt sic; sed hoc satis est, vt sit possibilis vna scientia vniuersalissima omnium entium realium, tám positiuorum, quám negatiuorum,quam nos vocamus methaphysicam vniuersalissimam in genere scibilis naturalis, quæ directè est de omnibus entibus realibus quocunque modo; sed materialiter, nimirum, vt obiectis materialibus. Maior probatur, quia omnia entia realia, tám positiua,quàm negatiua habent supra se rationem genericam entis realis vt sic; quia omnia etiam negatiua sunt intrinsecè ens, quod opponitur impossibili; hæc autem possunt scientificè disponi, & considerari sub ratione entis vt sic; quia, sicut in re adunantur sub ratione entis; ità possunt scientificè disponi, & tractari sub ratione entis realis, vt sic; ob hanc enim rationem, omnia entia positiua naturalia disponuntur, & considerantur scientificè ab Aristotele sub ratione entis realis positiui formaliter. Minor verò principalis argumenti ostenditur; quia, vt plura entia considerentur ab vna scientia, satis est, vt pos-

possint adunari sub vna ratione formali scibilis; sed hoc totum habent omnia entia realia naturalia, tàm positiua, quàm negatiua, quia aduhantur sub ratione entis realis naturalis vt sic; quia ens reale naturale vt sic, sicut est prima ratio, vt cætera sint entia realia; ità est prima ratio intrinseca, vt cætera entia infra se sint scibilia ab vnica scientia; exemplum habemus in potentijs cognitiuis: e. g. omnia sensibilia per sensus exteriores, quia conueniunt in ratione sensibilis, possunt esse obiecta materialia vnius sensus communis; sed sub ratione sensibilis vt sic: pariter dicendum de omnibus entibus realibus naturalibus, tàm positiuis, quàm negatiuis.

Secundò probatur, quia vna scientia est vniuersalior alia, quæ habet obiectum suum vniuersalius obiecto formali alterius: hac ratione sensus communis, est superior, quam sensus, visus, vel auditus; quia obiectum formale sensus communis est sensibile vt sic, quod est vniuersalius visibili, quod est obiectum formale visus; & audibili, quod est obiectum formale auditus; sed dabile est vnum obiectum formale vniuersalius, quam sit obiectum formale vniuersalis methaphysicæ de facto, mathematicæ, & physicæ: ergò dabilis est vna scientia vniuersalior, & superior, quam sint mathematica, physica, & methaphysica, & hanc appellamus methaphysicam vniuersalissimam in genere entis naturalis: minor est certa, quia datur ens reale vt sic, quod est scibile vniuersalius, quam sit obiectum formale methaphysicæ, quod est ens reale naturale positiuum; sed ens reale vt sic, potest esse obiectum formale vnius scientiæ; quia non solum de eo possunt demonstrari à priori passiones; sed etiam est prima causa intrinseca sciendi cætera inferiora, quia est causa non solum, vt cætera sint entia realia, cum sit primum in omni genere entis; sed etiam, vt cætera entia sint scibilia.

Maior principalis argumenti probatur etiam à priori, quandoquidem scientia specificatur à suo obiecto formali, ex eo autem, quod specificatur à suo obiecto formali, commensuratur illi, & hoc est, quod docet S. Thomas, cum probat potentiam creatiuam, quia est potentia prima, & vniuersalissima, esse ad ens ex nihilo vniuersalissimum formalitèr.

Neque dicas, obiectum formale scientiæ debet esse vniuocum; quia scientia est vna vnitate vniuoca, quia reperitur in suis inferioribus cum omnimoda similitudine; sed ens reale vt sic non est vniuocum: tùm quia est vniuersalissimum: tùm quia dicitur de creaturis, & de Deo, quæ nullo pacto possunt vniuocari.

Respondent primò aliqui obiectum formale scientiæ vniuocæ, non necessariò esse vniuocum; sed sufficit, vt sit analogum analogia, vel proportionis, vt in creatis; vel attributionis, vt est ens, quod dicitur de Deo, & de creaturis; nam vniuocatio scientiæ non sumitur ex vniuocatione sui obiecti formalis; sed ex eo quia vniuocè reperitur in suis inferioribus: species quidem scientię sumitur à suo obiecto formali, quia species est à forma; obiectum autem formale est forma obiectiua; vniuocatio verò habetur; quia participatur à suis inferioribus, secundum eandem omninò rationem; saltem per omnimodam similitudinem.

Respondent Thomistæ: obiectum formale in genere scibilis formaliter esse vniuocum; obiectum verò formale in genere entis, non necessariò esse vniuocum: est autem in horum opinione, obiectum formale in genere scibilis abstractio à materia, & huius hanc assignant rationem; quia specificatio scientiæ est ab vltima differentia obiecti; hæc autem est abstractio à materia, quæ eiusdem rationis est in omni considerato ab vna scientia: sed hanc opinionem infra fusè examinabimus.

Conclusio secunda, si daretur hæc methaphysica vniuersalissima, sine dubio esset vna scientia specie specialissima distincta à methaphysica Aristotelis, quæ est de ente reali positiuo naturali: non minus, ac methaphysica Aristotelis specie specialissima essentiali distinguitur à mathematica, & à physica, vt scientia superior ab inferiori.

Conclusio hæc controuersa est, saltem ex eo capite: quia non datur abstractio formalis à materia, vniuersalior abstractione methaphysica, qua abstrahit methaphysica Aristotelis à materia, quia nimirum abstractio huius methaphysicæ est ab omni materia, qua abstractione non datur alia maior. Notanter diximus methaphysicam vniuersalissimam distingui specie essentiali à methaphysica Aristotelis, vt scientiam superiorem à scientia inferiore; quia dupliciter potest vna scientia specie distingui ab alia: vno modo, quia sunt duæ scientiæ specie diuersæ immediatè sub vno communi genere, vt v. g. homo, & equus sub genere animalis: vel vt theologia sacra viatorum, quatenus est scientia de Deo: & theologia viatorum, quatenus est de ente diuino; nempè de ente cognoscibili mediandian-

diante diuina reuelatione: vel, vt sunt methaphysica, quæ scientificè tractat de ente reali naturali positiuo: vel de substantia vt sic, vt obiectum adæquatum attributionis: alio modo, vt scientia superior essentialiter distinguitur à scientia inferiore, sicut methaphysica Aristotelis distinguitur à mathematica, vel physica eiusdem. Methaphysica vniuersalissima distinguitur à methaphysica Aristotelis, & à cæteris scientijs specifica distinctione essentiali, qua distinguitur scientia superior à scientia inferiore.

Ratio fundamentalis est; quia distinctio specifica, & superioritas scientiæ, sunt ex distinctione formali, & superioritate obiecti vniuersalioris essentialiter; sed obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ, est diuersum formaliter ab obiecto methaphysicæ Aristotelis, & est eo essentialiter superius, & vniuersalius: tum in genere entis: tum in genere scibilis formalis, quod est per abstractionem formalem à materia; ergò, &c. Maior probatur primò paritate; quoniam methaphysica Aristotelis distinguitur specie essentiali à physica, & à mathematica eiusdem, vt scientia superior à scientijs inferioribus, ob eam solum rationem; quia obiectum formale methaphysicę Aristotelis, non solum est formaliter diuersum ab obiectis physicæ, & methaphysicæ formalibus; sed etiam est formaliter superius illis: similiter sensus communis est potentia sensitiua, specie essentiali distincta à cæteris potentijs sensitiuis exterioribus, & est illis superior; quia eius obiectum formale, quod est sensibile, est essentialiter diuersum ab obiectis formalibus sensuum exteriorum, vt v. g. visibile, audibile, tangibile, &c. estque illis superius: similiter intellectus est superior potentia sensitiua, quàm intellectus communis; quia eius obiectum formale est intelligibile, quod est essentialiter diuersum à quocunque sensibili, & illo superius.

Secundò, probatur à priori; nam scientia commensuratur suo obiecto immediato, & formali; sed scientia vniuersalissima in sciendo non commensuratur, nisi scibili vniuersalissimo, quia eo specificatur. Ergò scientia ex eo est superior; quia eius obiectum formale est superius, & vniuersalius, & ex eo est vna scientia distincta ab alia essentialiter; quia eius obiectum formale est essentialiter diuersum.

Minor principalis argumenti; probatur; quia obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ, est ens reale naturale vt sic, abstrahens ab omni materia, tàm positiua, quàm negatiua; quia ens reale naturale vt sic, abstrahit ab omni ente reali positiuo, & ab omni ente reali negatiuo; sed huiusmodi ens, non solum est essentialiter diuersum ab ente reali positiuo: sed etiam est vniuersalius abstractione formali vniuersaliore; quoniam obiectum formale methaphysicæ Aristotelis est ens positiuum naturale; hoc autem tantumodo abstrahit ab omni materia positiua; verum obiectum methaphysicæ vniuersalissimę abstrahit ab omni materia, tùm positiua, tùm negatiua. Ex his tres rationes supra positæ pro contraria sententia facile soluuntur distinctione.

Ad primam enim, qua dicitur, ens reale naturale vt sic, est obiectum formale connaturale intellectus creati; implicat autem obiectum formale intellectus esse obiectum formale methaphysicæ, &c.

Respondeo, distinguo maiorem, ens reale naturale, vt cognoscibile, sine promptitudine, & facilitate est obiectum formale intellectus creati, & concedo: vt cognoscibile faciliter, & promptè, & nego: in re nostra obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ est ens reale naturale, vt cognoscibile cum promptitudine, & facilitate; non autem simpliciter, & absolutè sine promptitudine, & facilitate; hæc enim sunt duo obiecta diuersa formaliter: tunc argumentum vim haberet; quando diceretur ens reale naturale, vt cognoscibile simpliciter, & absolutè, nimirum sine facilitate, & promptitudine esse obiectum formale methaphysicæ: confunderetur enim intellectus, qui est principium intelligendi simpliciter, & absolutè cum methaphysica vniuersalissima naturali. Hæc responsio in term. est S.Thomæ in *3.dist. 33. quæst. 1. art. 1. quæst. 1.* his verbis: *Aliqua diuersitas sufficit ad distinguendum habitus, quę non sufficit ad distinguendum potentiam; quia potentia alio modo comparatur ad actum, quam habitus: vnde secundum alteram, & alteram rationem obiectum vtrique respondet; potentia enim est principium agendi absolutè; sed habitus est principium agendi promptè, & faciliter; & ideo obiectum secundum illam rationem, qua se habet ad actum simpliciter respondet potentiæ, sed secundum quod, se habet ad facilitatem actus, respondet habitui: & ideò diuersitas materiæ, vel obiecti, in ordine ad ea quæ faciunt facilitatem in actu, facit diuersitatem habitus, & non potentię: & inde est, quod in speculatiuis diuersitas materiæ, secundum quod est determinabilis per diuersa media,*

*dia, & principia, ex quibus est facilitas considerationis, facit diuersas scientias*. Hæc S. Thomas: & doctrina fundatur in essentia, vel in natura habitus acquisiti, vel infusi, cuius est facilitare potentiam ad actum sciendi, & cognoscendi.

Quod si dicas, quod hæc diuersitas cognoscendi simpliciter, & cognoscendi cum promptitudine, & facilitate est ex parte scientis, non autem ex parte obiecti; at difficultas soluenda, & explicanda est de diuersitate ex parte obiecti, qua intellectus diuersificatur à methaphysica vniuersalissima; non enim potest esse diuersitas formalis scientiæ, quatenus est scibilis scientia, nisi ex differentia præexistente in obiecto, & distinguente illud ab obiecto formali intellectus.

Respondeo, præter diuersitatem intellectus, & methaphysicæ vniuersalissimæ ex parte scientis, reperiri etiam diuersitatem obiectiuam in obiecto vtriusque, idque docet S. Thomas verbis modo supra citatis, dicens, quod *secundum alteram, & alteram rationem, obiectum vtrique respondet*, nimirum, secundum quod obiectum se habet ad actum simpliciter, respondet potentiæ: sed secundum quod se habet ad facilitatem actus, respondet habitui; & vt hoc intelligi debeat etiam de diuersitate obiectiua, siuè ex parte obiecti, subiungit; & *ideò diuersitas materiæ, vel obiecti in ordine ad ea, quæ faciunt facilitatem in actu, facit diuersitatem habitus, & non potentiæ*; hæc autem, quæ faciunt ad facilitatem in actu, quæ est diuersitas obiectiua habitus, & non potentiæ, sunt media, & principia diuersa, quæ sunt causa cõclusionum ex principijs, & est facillitas considerationis.

Ad instantiam, qua impugnatur responsio, nimirum ratio, siuè differentia diuersificans obiectum scibile, non est nisi abstractio formalis à materia, quandoquidem scientia est vniuersalis in sciendo: vniuersalitas autem scibilis habetur per abstractionem formalem à materia; sed eadem abstractio reperitur, tàm in obiecto formali intellectus, quàm in obiecto methaphysicæ vniuersalissimæ, vtriusque enim obiectum abstrahit ab omni materia.

Respõdeo primo, iuxta primã opinionem, distinguendo maiorem: in obiecto intellectus, & methaphysicæ vniuersalis reperitur eadem abstractio secundum genus ab omni materia, & concedo; reperitur eadem abstractio secundum speciem, & nego; diuerso enim modo reperitur abstractio in obiecto formali intellectus, & in obiecto formali methaphysicæ vniuersalissimæ: nam in obiecto intellectus reperitur abstrahibilitas simpliciter, & absolutè, sine promptitudine nimirum, & facilitate; in obiecto vero methaphysicæ vniuersalissimæ naturalis reperitur cum promptitudine, & facilitate, & probatur; nam in ente quatenus scibili formaliter, & absolutè, non est gradus cognoscibilis cum promptitudine, & facilitate: in obiecto vero formali methaphysicæ vniuersalissimæ est gradus cognoscibilis cum promptitudine, & facilitate, idque est intrinsecè ex parte ipsius obiecti cognoscibilis; sicut enim implicat cognitiuum sine suo cognoscibili formali; ita implicat esse cognitiuum simpliciter, & absolutè sine suo cognoscibili absolutè: & cognitiuum cum facilitate, sine cognoscibili sibi correspondente, quod scilicet habet in se vnde sit cognoscibile promptè, & faciliter.

Respondeo secundò, in genere abstractionis à materia, aliam esse abstractionem intellectus creati à materia, & aliam esse abstractionem formalẽ methaphysicæ vniuersalissimæ, ex alio etiam capite; quia nimirum abstractio intellectus creati à materia essentialiter est vniuersalior, quam sit abstractio methaphysicæ vniuersalissimæ: sicut gradus viuentis est vniuersalior gradu sensitiuo in prædicamento substantiæ; idque demonstratur; quia abstractio intellectus creati à materia, est ex abstractione formali sui obiecti formalis, quod est intelligibile reale; abstractio verò methaphysicæ vniuersalissimæ est ex abstractione scibilis realis, quod est eius obiectum formale; sed vniuersalior, & prior est simpliciter abstractio intelligibilis naturalis à materia, quam sit abstractio scibilis naturalis; intelligibile enim absolutè, & simpliciter est vniuersalius, & prius, quam sit scibile, quia ratio intelligibilis consequitur immediatè ens absolutè consideratum, vt ens est; scibile verò consequitur ens, secundum quod est aliquo modo determinatum, nimirum cognoscibile per medium, quo demonstratur prædicatum inesse subiecto; vniuersalius autem formaliter est ens simpliciter, & absolutum, quam sit ens aliquo modo determinatum, ad quod consequitur esse scibile, sicut ostendit S. Thomas 1. *par. quæst. 16. art. 4. in corpore*; verum absolutè, & simpliciter est prius, quam bonum, licèt vtrumque conuertãtur cum ente; nam verum respicit ipsum esse simpliciter, & immediatè; ratio autem boni consequi-

quitur esse, secundum quod est aliquo modo perfectum, sic enim appetibile est: pariter dicendum est de intelligibili, & de scibili vniuersalissimo. Nomine intelligibilis hic significatur ens, secundum quod est repræsentabile nostro intellectui per formam intelligibilem; nomine verò scibilis intelligitur idem ens, quatenus est cognoscibile per medium, quo demonstratur prædicatum inesse suo subiecto in conclusione. Quod si dicas, tàm intelligibile, quàm scibile esse cognoscibile formaliter; sed ratio cognoscibilis in genere non est, nisi vna. responsio in promptu est. Scibile, & intelligibile secundum rationem genericam esse cognoscibile formaliter, non autem secundum rationem specificam; alia enim est ratio formalis intelligibilis; & alia est ratio formalis, siuè definitio scibilis, vt modo diximus.

Dicet fortè aduersarius intelligibile naturale absolutè, & simpliciter est etiam quoddam scibile methaphysicum: & è conuerso, scibile methaphysicum est quoddam intelligibile; quoniam intelligibile absolutè, & simplicitèr scitur à methaphysica vniuersalissima: & è conuerso, scibile methaphysicum intelligitur ab intellectu creato; sed hæc mutua subordinatio, non potest esse ex alio capite, nisi quia obiectū formale intellectus est obiectum methaphysicæ vniuersalissimæ, & è conuerso obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ est obiectum intellectus creati; sed implicat idem esse obiectum formale intellectus, & methaphysicæ vniuersalissimæ; quia intellectus creatus, & methaphysica vniuersalissima specie essentiali distinguũtur: ergò implicat dari hanc methaphysicam vniuersalissimam: quia non esset specie essentiali distincta ab intellectu; implicat enim dari scientiam specie distinctam, sine suo obiecto formali specie essentiali diuerso; id quod dici non potest de methaphysica Aristotelis; quoniam obiectum formale huius methaphysicæ, est minus vniuersale, quam obiectum formale connaturale intellectus creati, cuius ratio est, quia obiectum formale methaphysicæ Aristotelis est ens reale positiuum naturale; obiectum verò formale connaturale intellectus creati, est ens reale naturale, abstrahens in recto à positiuo, & negatiuo.

Respondeo obiectum formale connaturale intellectus creati, esse obiectum materiale methaphysicæ vniuersalissimæ; & è contra obiectum formale methaphysicę vniuersalissimæ, esse obiectum materiale intellectus creati; quia methaphysica vniuersalissima, & intellectus creatus subordinantur inuicem sub diuersa consideratione formali; nimirum scibile promptè, & faciliter continetur materialiter sub intelligibili simpliciter, & absolutè, & hoc materialiter continetur sub ratione scibilis promptè, & faciliter; quia vnum est prius alio in diuerso ordine, ad eum modum, v.g. quo in diuerso ordine bonum est prius, & vniuersalius vero: & è conuerso verum est prius, & vniuersaliùs quod bonum, vt docet S. Thomas 1. *par. quæst.* 16. *art.* 4. *in corpore, & in resp. ad argumenta*, nimirum, sicut bonum in ratione appetibilis est vniuersalius, & prius vero; & è conuerso verum in ratione intelligibilis, est prius, & vniuersalius quā bonum: ità scibile promptè, & faciliter vt sic, est vniuersalius, & prius scibili sine promptitudine, & facilitate; quia vnumquodque est prius in suo ordine; at simpliciter prius est, & vniuersalius intelligibile vt sic sine promptitudine, & facilitate, quam scibile cum promptitudine, & facilitate: idq; probatur duplici ratione. Prima est quia intelligibile vt sic, absolutè sine prōptitudine, & facilitate, est propinquius, & immediatius enti, quod est primum in quodlibet ordine, & genere, quam scibile promptè, & faciliter; etenim intelligibile sine prōptitudine, & facilitate, consequitur ens absolutè, & simpliciter: scibile verò promptè, & faciliter, pertinet ad ens, secundum quod habet media, & principia, ex quibus, vt docet S. Thomas *loco sup. cit.* est facilitas considerationis, seù scientię. Secunda ratio est, quia intelligibile absolutè, & simpliciter pertinet ad intellectum, secundum quod est potentia cognitiua simpliciter; scibile verò promptè, & faciliter pertinet ad intellectum, vt perfectum est habitu scientiæ: at prior simpliciter est intellectus, quam intellectus, vt perfectus habitu scientiæ, ergò, &c. consimilibus rationibus Angelicus Doctor *loco supr. citat. quæst.* 16. 1. *par. art.* 4. probat, quod simpliciter, & absolutè prius est verum, quam bonum, scilicet in diuerso ordine vnum sit prius alio: & è conuerso; Primò quidem ex hoc quod verum propinquius se habet ad ens, quod est prius, quam bonum; nam verum respicit ipsum ens simplicitèr, & immediatè; bonum autem consequitur ens secundum quod est aliquo modo perfectum, sic enim appetibile est. Secundò, quia verum pertinet ad intellectum, vt intellectum formaliter; bonum vero ad voluntatem; at intellectus, præcedit voluntatem: quia volun-

tia, & ſcientiam ab intellectu, quod Sanctiſſimus Doctor Angelicus clariſſimè explicat dicens: quod in ſpeculatiuis, ratio obiectiua, determinans ad facilitatem, & promptitudinem actus, ſunt media, & principia; quibus eſt demonſtrabilis paſſio de ſubiecto ſcientiæ: diuerſa enim media, & principia faciunt diuerſas ſcientias; ratio verò obiectiua determinans potentiam intellectiuam ad actum ſimpliciter, eſt principium formale intelligibile (hoc autem in principijs S. Thomæ non eſt, niſi forma intelligibilis, qua intellectus fit intelligibile actu; vndè ens vt intelligibile, non aliud ſignificat, niſi ens, quatenus eſt cognoſcibile ab intellectu, media ſpecie intelligibili) quod principium, quando eſt generale, determinat potentiam ad actum communem, & genericum; quando verò eſt ſpeciale, determinat potentiam ad actum ſimpliciter in ſpecie: quæ doctrina eſt luce clarior; intellectus verò facilitatur, & redditur promptior ad ſcientificè diſcurrendum de obiecto ſcientiæ, medijs, & regulis ſyllogiſticis, ſine quibus, non ita facilè, & promptè, & delectabiliter intellectus diſcurrit, & demonſtrat paſſiones de obiecto ſcientiæ, quod eſt ſcibile per demonſtrationem.

Ad ſecundam rationem, qua probatur, data methaphyſica vniuerſaliſſima naturali, neceſſario ſequi, dandam eſſe ſpeciem intelligibilem vniuerſaliſſimam rerum omnium naturalium.

Communiter ſcolaſtici aſſignant diſparitatem inter ſcientiam, & ſpeciem intelligibilem; quoniam ſpecies intelligibilis, cum ſit ſimilitudo repræſentatiua ſui obiecti, in genere cauſæ formalis; vel in genere cauſæ effectiuæ, iuxtà varias ſcholaſticorum opiniones, debet eſſe ſuum obiectum immediatum, & primarium in repręſentando intrà intellectum; at implicat dari vnam ſpeciem intelligibilem creatam, quæ ſit in repræſentando omnia entia naturalia, & etiam ſpeciem abſtractiuam Dei: hæc autem ratio nō militat in methaphyſica vniuerſaliſſima, neque in cognitione intellectus creati, quia neque ſcientia, neque intellectio eſt ſimilitudo obiecti; ſed eſt tantum ſimilitudo potentiæ, vt acutè docet S Thomas 1. *par. quæſt.* 12. *art.* 2.

Hæc diſparitas eſt quidem vera; ſed non ad rem; etenim ratio ſecunda ſuprà explicata, ſolum cōtendit methaphyſicam vniuerſaliſſimam naturalem, ſiue habitualem, ſiue actualem, neceſſario præſupponere in intellectu ſpeciem vniuerſaliſſimā rerum omnium naturalium: & ratio huius manifeſta eſt; non enim poteſt intellectus ſimpliciter, vel ſcientificè intelligere, niſi in priori naturæ ſit ipſum intelligibile, vel formaliter, nimirum per ſimilitudinem formalem, vel per identitatem formalem, vt ſuo loco demonſtrabitur cum Ariſtotile, & Sancto Thoma: quoniam non poteſt intellectus intelligere, niſi ſit in actu; eſt autem actu per formam, ſed hæc non eſt alia, niſi forma intelligibilis, ſiuè obiectiua; ſed ſpecies intelligibilis omnium entium naturalium eſt impoſſibilis, vt ſupra probatum eſt; ergo implicat etiam methaphyſica vniuerſaliſſima; implicat enim ratio poſterior implicante priore; remoto enim primo, neceſſe eſt remoueatur ſecundum.

Reſpondeo equidem, quod duplex excogitari poteſt ſpecies intelligibilis rerum omnium naturalium (idem dico de ſpecie intellecta, ſiuè expreſſa); vna quæ eſt repræſentatiua rerum omnium formaliter, & in actu; vt eſt ſpecies intelligibilis in Angelis, quæ repræſentat plura formaliter, & in actu; & ideò dicitur ſpecies intelligibilis vniuerſalis in actu, vt ſuo loco oſtendetur: & alia quæ eſt repræſentatiua rerum omnium naturalium materialiter, ſicut ſpecies intelligibilis, e. g. naturæ humanæ repræſentat immediatè, & formaliter naturam humanam; materialiter verò indiuidua naturæ humanæ: & ſpecies intelligibilis animalis immediatè, & formaliter repræſentat animal; materialiter verò ſpecies animalis, vt hominem, & brutum, modò hæc ſpecies ſit repræſentatiua animalis, non quidem ſecundum ſe; ſed in quantum eſt primus gradus, ſeù prima cauſa, vt cætera ſint intrà rationem viuentis; ſicut ſcientia percipit principia prima, vt ſunt prima ratio percipiendi, ſeù deducendi concluſiones ad differentiam habitus principiorum, qui percipit principia ſecundum ſe, & abſolutè, vt docet S. Thomas 1. 2. *quæſt.* 57. *art.* 2. *ad* 2. apertè, & ratio huius doctrinæ eſt: quia ens reale naturale vt ſic vniuerſaliſſimum, eſt obiectum formale methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ; obiectum autem formale eſt primum principiū formale cognoſcendi materialiter omnia, quæ tractantur in ſcientia.

Prima ſpecies intelligibilis vniuerſaliſſima in actu, quæ ſcilicet eſt repræſentatiua in actu omnium entium naturalium, vſque ad vltimum prædicatum eorum ſub ratione formali obiectiua; quia ſunt in recto ens naturale vt ſic, eſt impoſſibilis in creatis; quia omnis ſpecies intelligibilis creata, ſicut, & intellecta, vel expreſſa eſt limi-

limitata ad genus, & speciem; secùs non distingueretur à specie intelligibili creata; implicat autem speciem limitatam ad genus, & ad speciem, esse similitudinem adhuc in esse repræsentatiuo entium omnium naturalium, secundum omnes gradus essentiales eorundem; quia esset, & non esset intrinsecè limitata ad genus, & ad speciem: esset, quia supponitur: non esset; quia poneretur rapere ad suam rationem formalem, perfectionem omnium rerum naturalium in esse repræsentatiuo formaliter, & in actu; de quo fusè disputabitur in quæstione de speciebus intelligibilibus Angelorum.

Secunda verò species; siuè intelligibilis, siuè intellecta, repræsentatiua omnium entium naturalium materialiter; quia repræsentat illa sub ratione formali, quatenus sunt ens naturale vt sic, abstrahens nimirum à positiuo, & negatiuo, est possibilis realiter: & ratio huius est; quia hæc species est repræsentatiua formaliter tantummodo gradus entis naturalis, inquantum est primum principium formale cognoscendi omnia entia naturalia, in quibus formaliter reperitur; quia est primum principium formale, vt cætera sint entia naturalia, & hæc est species vniuersalissima, quam supponit methaphysica vniuersalissima.

Hæc responsio, quæ verissima est, & soluit a priori rationem secundam, patitur difficilem instantiam, quæ necessariò discutienda est, & soluenda. Instantia est hæc: omnis species intelligibilis est positiua in genere intelligibilis; quia est principium formale actus intellectionis, qui est actus intelligendi positiuus, sicut omnis species expressa, siuè intellecta, est realitas positiua, quia est effectus intrinsecus intellectionis, quæ est productio positiua; sed hæc non potest esse repræsentatiua formaliter entis realis naturalis vt sic: quia ens naturale vt sic, abstrahit à positiuo, & negatiuo; species autem intelligibilis positiua in ratione intelligibilis habet vim repræsentandi obiectum immediatum, & formale positiuum.

Scholastici, qui putant speciem intelligibilem concurrere ad actum intelligendi, non in genere causæ efficientis intelligibilis; sed tantum in genere causæ formalis, determinãdo intellectum; putant etiam satisfacere huic instantiæ adhibita distinctione, nimirum quod species intelligibilis, etiam abstrahens a positiua, & negatiua in genere intelligibilis, potest esse principium actus positiui intelligendi; non quidem in genere causæ efficientis; sed in genere causæ formalis, sicut figura in ferro, & dentatura in serra, concurrit ad actum secandi, solum determinando ferrum: & ratio huius doctrinæ est; quia species intelligibilis determinat intellectum ad intelligendum per hoc præcisè; quia est similitudo sui obiecti immediati, & formalis; sed potest esse similitudo, non solum obiecti realis positiui, sed etiam obiecti immediati præscindentis à positiuo, & negatiuo.

Sine dubio hæc responsio est minus obuia obiectionibus, attamen patitur suam instantiam; nam potest dicere aduersarius primò: quod actus determinandi intellectum in genere intelligibilis, contradistinguitur à conditione intelligendi; sed conditio non influit, neque in effectum, neque in operationem agentis; ergo è conuersò actus formalis intelligibilis debet influere, vel influxu effectiuo, vel influxu formali; sed vterque influxus est positiuus; influxus autem positiuus, non est nisi principij formalis positiui; quia influxus est actus secundus complens actum primum in eodem genere.

Equidem olim respondebam huic difficili instantiæ doctrina Caetani, quem sequuntur cæteri Thomistæ in 1. *par. S. Thomæ quæst.* 2. *art.* 2. quod species intelligibilis est in duplici genere, & in genere entis, & in genere intelligibilis formaliter, siuè in genere respræsentatiui. In genere entis, inquit Caetanus, necessariò species intelligibilis est ens positiuum: in genere verò repræsentatiui, siuè intelligibilis formaliter, non necessariò est ens positiuum intelligibile; sed præscindit à positiuo, & negatiuo, & est vtrumque permissiuè: ad eum modum, quo species intelligibilis creata in esse entitatiuo naturali, seu materiali est accidens; in esse vero formali repræsentatiuo, & intelligibili neque est substantia, neque accidens; sed præscindit ab vtroque negatiuè, & est vtrumque permissiuè: est accidens, si eius obiectum formale, & immediatum sit accidens: & est substantia formaliter, si eius obiectum immediatum, & formaliter est substantia. Pariter dicebam in re nostra, quod species intelligibilis entis naturalis vt sic, abstrahentis a negatiuo, & positiuo; si ea consideretur in genere entis, siuè in genere rei, siuè quod idem est, in esse naturali, & materiali, est ens positiuum; quia est accidens inhærens intellectui: in genere verò repræsentatiui, siuè intelligibilis formaliter, est similitudo intelligibilis realis, præscindens ab ente

posi-

positiuo, & ab ente negatiuo reali; quia eius obiectum formale, & immediatum est ens reale naturale, præscindens à positiuo, & negatiuo: quoniam sicut in genere repræsentatiui, & intelligibilis formaliter, species intelligibilis præscindit à substantia, & ab accidente; ità in genere repræsentatiui præscindit ab ente reali positiuo, & ab ente reali negatiuo: & ratio huius a priori est; quia species intelligibilis inquantum huiusmodi, non est nisi similitudo sui obiecti immediati formaliter; at ens naturale vt sic, præscindens à positiuo, & negatiuo, est obiectum immediatum intellectus; ergo eius species intelligibilis in esse repræsentatiuo, adhuc esse debet species realis, præscindens à positiua, & negatiua in genere intelligibilis.

Hæc Caetani doctrina est acuta, & profunda; sed quantum nunc video, primò non assignat rationem conuincentem, cur species intelligibilis necessariò sit in duplici genere, & in genere scilicet entis naturalis, & in genere scibilis, siuè repræsentatiui, quod demonstrabitur suo loco. Secundò non soluit instantiam, nisi aliud addatur; instantia enim hæc est: species intelligibilis debet influere in actum intelligendi, qui est actus positiuus; sed species intelligibilis, si ponatur realitas intelligibilis præscindens à positiuo, & negatiuo, non potest esse principium influens in actum intelligendi positiuum, quia effectus positiuus non est nisi causæ positiuæ.

Respondeo ego, quantum nunc satis est, speciem intelligibilem entis realis naturalis vt sic, in intellectu creato, præscindere à specie positiua intelligibili, & à specie negatiua intelligibili, quæ scilicet est repræsentatiua entis realis negatiui materialiter; (suppono enim probandum in sequenti quæstione non ens reale posse cognosci ab intellectu nostro immediatè, & directè; sed materialiter, non formaliter); & ratio primi est; quia, vt diximus, species intelligibilis est similitudo formalis, vel per formalem similitudinem, vel per identitatem formalem sui obiecti immediati, quod fusè à priori demonstrabitur loco suo; sed obiectum immediatum, & primum, de quo est methaphysica vniuersalissima in genere scibilis naturalis abstrahit à positiuo, & à negatiuo; ergo, &c.

Doctrina hæc sumitur ab Aristotile 2. *de ani.* vbi docet commune esse omnibus sensibus esse receptiuum specierum sine materia; dicitur verò, inquit eodem loco, quod forma recipitur in patiente sine materia, inquantum patiens *assimilatur agenti secundum formam, & non secundum materiam: huius propositionis hic sensus est*, vt explicat *ibidem S. Thomas*, *sensus recipit à suo obiecto formam sine materia*, quia recipit à suo obiecto similitudinem formæ sine modo essendi naturali, quem habet in ipso obiecto extra sensum; in obiecto enim extrà animam forma habet esse naturale, quo scilicet existit in sua propria natura; in sensu verò habet esse in modo essendi intrà sensum, qui dicitur modus essendi intentionalis, præscindens à modo essendi naturali, quem habet extrà sensum. Exemplificat Aristoteles hanc doctrinam exemplo ceræ, quæ accipit figuram à sigillo aureo, vel argenteo, non inquantum figura est aurea, vel argentea; sed solum inquantum est figura formaliter, quæ præscindit à modo essendi quo est aurea, vel à modo essendi quo est argentea, vel ænea. Pariter discurrendum est de specie intelligibili, quam intellectus creatus accipit à rebus, quas intelligit; quia hæc species intelligibilis causatur à suo obiecto immediato, & primario, inquantum est obiectum formaliter; non autem inquantum est obiectum naturale, vel supernaturale, seù inquantum est obiectum materiale; quia vnumquodque est actiuum in potentijs passiuis inquantum est actu, non verò inquantum est potentia; vnumquodque autem est actu per formam, & non per materiam, siuè per potentiam. Quod si dicas hoc commune est omni agenti, nimirum esse actiuum inquantum est actu, & esse actu per formam; sed non causatur ab agente vniuersaliter simili[illegible] ipsius agentis in patiente sine modo essendi naturali, quem habet in agente; ergo, &c.

Respondeo, quod diuerso modo agens naturale perficit suum mobile, siuè patiens; ac mouens intelligibile: agens naturale agit per formam naturalem, nimirum per formam, vt contractam modo essendi naturali: agens verò, siuè mouens intelligibile mouet secundum quod est cognoscibile formaliter; est verò cognoscibile formaliter per suam essentiam negatiuè præscindentem à modo essendi naturali; quia per hanc quidditatem est cognoscibile formaliter; cognoscibile enim abstrahit à determinato obiecto, quia determinatum obiectum, est obiectum materiale; vel magis à priori, obiectum intelligibile formaliter aptum est esse in potentia intellectiua, siuè cognitiua formaliter; non potest autem esse formaliter in potentia cogniti-

ua

ua, nisi eius quidditas, & essentia denudetur à modo essendi naturali, quo contrahitur ad esse essentiam, seù quidditatem rei extra animam; non enim potest esse essentia in pluribus diuersis; nisi quatenus præscindit à modis, quibus determinatur in pluribus: hæc autem ratio non militat in agente naturali; quia agens naturale nõ debet esse formaliter in patiẽte sine modo naturali; patiens.n.naturale non debet esse cognitiuũ agentis naturalis formaliter, & ideò hoc non est in suo patiente, vt cognoscibile in cognoscente, vt latè demonstrabitur in quæst. de ente intelligibili formaliter. Ex his soluitur.

Primò instantia supra allata, nimirum quod species intelligibilis omnis debet esse principium formale actus intelligendi, qui est positiuus: sed hoc principium debet esse necessariò positiuum; soluitur hæc instantia distinctione: species intelligibilis entis realis naturalis vt sic, est principium actus intelligendi positiui, secundum quod est actus realis, præscindens à reali positiuo, & à reali negatiuo, & concedo (& loquor de præcisione actuali, non autem fundamentali): est principium formale actus intelligendi quatenus est actus positiuus formaliter, & nego. Explicatur distinctio exemplo luminis gloriæ, quod est principium visionis beatificæ, non inquantum est vitale; sed in quantum est supernaturale: intellectus verò creatus est principium visionis beatificæ, inquantum est actus vitalis; diuina verò essentia, vt sui forma intelligibilis est principium formale eiusdem visionis, inquantum hæc est esse intelligibile intellectus beati, prout scilicet est esse intellectus beati, constituti in actu in genere intelligibilis per diuinam essentiam, sibi vnitam in ratione formæ intelligibilis: & quia diuina essentia, vt forma intelligibilis, est positiua formaliter in ratione intelligibilis; est principium formale visionis beatificæ, inquantum est actus positiuus videndi Deum in seipso. Sensus huius doctrinæ non est, quod quodlibet ex his principijs seorsim producat perfectionem sibi correspondentem in visione beatifica; nam visio beatifica est vnus actus simplicissimus non distinctus in partem, & partem entitatis, qui est ab vna causa adequata, quæ est intellectus, prout est in actu lumine gloriæ, & diuina essentia, vt forma intelligibili; sed sensus est, quod visio beatifica est supernaturalis vitalis, & intelligibilis; quia principium effectiuum adequatum visionis beatificæ rapit in rationem vnius principij adæquati intellectum, qui est potentia vitalis; lumen gloriæ, quod est supernaturale; & diuinam essentiam in ratione formæ intelligibilis: pariter discurrendum est de methaphysica vniuersalissima, & de intellectu creato, quatenus est actu per formam intelligibilem entis naturalis vt sic.

Quod si dicas, ratio formalis entis naturalis vt sic, est ratio entis generica; sed ratio generica non potest realiter existere, neque in esse naturali, neque in esse intelligibili; quia esse, siue existentia, cum sit actus vltimus in genere entis, præsupponit essentiam completam, vsque ad vltimam differentiam etiam indiuidualem; ergo non potest esse in intellectu creato realiter sola species intelligibilis entis realis naturalis vt sic.

Respondeo, distinguo maiorem; species intelligibilis entis realis vt sic, respectu obiecti extra, est ratio generica, & concedo; quia non dicit aliud de obiecto extra, nisi rationem genericam: respectu obiecti intrà, est sola ratio generica, & nego; quia obiectum intra potentiam cognoscentem dicit rationem genericam obiecti extra, suis differentijs diuisam in genere intelligibilis; quodlibet enim genus entis diuiditur suis differentijs formalibus, nimirum genus entis naturalis diuiditur suis differentijs formalibus naturalibus; genus verò intelligibilis formaliter, diuiditur suis differentijs intra idem genus, quibus distinguuntur inter se species intelligibiles; vna enim species intelligibilis formaliter distinguitur ab alia, quando earum obiecta formalia sunt essentialiter diuersa: proculdubio doctrina hæc acutissima est, sed relinquimus illam explicandam clariori luce in quæ. de ente intelligibili formaliter, nunc satis est supponere intellectum creatum humanum intelligere per species abstractas à principijs indiuiduantibus, & à materia indiuiduali, quia intellectus, vt docet *Aristotiles lib. 2. de ani. tex.* 1. est vniuersalium formaliter; sensus verò particularium: v.g. intellectus cognoscit Petrum, non quia Petrus est, vel quia singularis formaliter; sed, vel quia homo, vel quia animal, vel quia denique ens reale; quia quælibet ex his rationibus formalibus, sicut est principium per se, vt sint cætera sua inferiora; ità est principium per se illa cognoscendi: sensus verò est particularium formaliter; quia sensus, v. g. visus cognoscit Petrum, qui est hic homo formaliter: & hoc exemplo non difficile intelligitur intellectum creatum co-

cognoscere posse omnia entia naturalia materialiter, per speciem intelligibilem entis realis vt sic; eadem enim paritas militat in specie intelligibili naturæ humanæ, qua intellectus cognoscit formaliter hominem; ac in specie intelligibili entis realis ad cognoscendum materialiter entia realia inferiora: præterea eadem paritas militat ad probandum speciem intelligibilem naturæ humanæ esse rationem specificam abstractam à principijs indiuiduantibus, & à materia indiuiduali; & tamen species intelligibilis naturæ humanæ non est singularis, & in omnium opinione non potest existere realiter, nisi quod singulare est: & ratio huius à priori est; quia, vt supra diximus, species intelligibilis naturæ humanæ in intellectu creato hominis, est vniuersalis per abstractionem à principijs indiuiduantibus obiecti extra, seù obiecti in suo esse naturali; non autem à principijs indiuiduantibus obiecti intrà, quod est obiectum intelligibile formaliter, siuè in genere intelligibilis; & ideò, vt dicetur suo loco, species intelligibilis humana est immaterialis per abstractionem, non autem per immaterialitatem essentiæ.

Ad tertiam rationem, qua probatur implicare methaphysicam realem vniuersalissimam; quia scientia realis est expressio, siuè similitudo in actu secundo positiua; hæc autem non potest esse, nisi obiecti positiui formaliter.

Respondeo ex supradictis cum distinctione, scientiam realem, siuè realem intellectionem, quatenus est esse, siuè similitudo in actu secundo, ex parte potentiæ intellectiuę creatæ, esse formaliter positiuam; non autem quatenus est similitudo in actu secundo, (quam docti Thomistæ appellant similitudinem secundum esse intelligibile) ex parte sui obiecti immediati, quod est ens reale naturale vt sic; & ratio est, quia similitudo obiectiua, siuè ex parte obiecti, est formaliter suum obiectum formale, & immediatum, vel per formalem similitudinem, vel per formalem identitatem, vt suo loco probabitur; sed obiectum formale, & immediatum methaphysicæ vniuersalissimæ naturalis, est reale præscindens; ergo etiam scientia vniuersalissima de ente reali naturali, vt est similitudo ex parte obiecti, debet esse præscindens: fundatur hæc doctrina in eo, tamquam primo principio; quia cognitio, siuè scientia est actus intellectus, vt informati per formam intelligibilem, per quam est in genere intelligibilis; sed intellectus, vt est intelligibile actu inuoluit, & rationem potentiæ intellectiuæ, quæ est ratio positiua: & rationem formalem obiecti, quod præscindit à positiuo, & negatiuo.

Obijcies primò ex Suarez *tom. 1. suæ methaph. disp. 1. sect. 2. nu. 7.* contra positas conclusiones, qui dicit quod tribus modis intelligi potest hanc methaphysicam vniuersalissimam de ente reali naturali, nimirum abstrahente ab ente reali negatiuo, & ab ente reali positiuo, considerare omnia entia realia materialiter, secundum omnia eorum prædicata vsque ad vltimam differentiam. Primò, vt non solum ipsa methaphysica vniuersalissima; sed etiam aliæ scientiæ distinctæ à methaphysica de eis speculentur, & hic modus declarandi hanc sententiam, inquit, falsus est.

Primò, quia supponit cæteras scientias subalternari methaphysicæ vniuersalissimæ, quod falsum est. Secundò, quia, supponit alias scientias distinctas à methaphysica, non habere sua prima principia, quæ sunt per se nota; quia haberet euidentiam suorum principiorum dependentem ab euidentia primorum principiorum methaphysicæ vniuersalissimæ, quod etiam falsum est; nam quælibet scientia procedit ex primis principijs essendi in suo genere; principia autem intrinseca essendi sunt principia per se euidentia, quod ex opposito probatur; quia theologia beatorum non est per se euidens; quia non procedit ex principijs, vt sunt principia essendi intrinseca; sed principijs notis diuina reuelatione, nimirum ex principijs notis, quia Deus illa reuelauit; reuelatio autem est medium extrinsecum cognoscendi.

Secundò, potest intelligi, quod methaphysica vniuersalissima tractet de omnibus entibus realibus, secundum omnium eorum prædicata; quia methaphysica vniuersalissima considerat omnia sub ratione formali vniuersalissima entis realis naturalis; quia scilicet sunt ens reale naturale; cæteræ verò scientiæ inferiores considerant aliquam partem entis realis naturalis sub ratione formali obiectiua minus vniuersali: sicut sensus particularis considerat aliquod sensibile, quod est pars subiectiua sensibilis vt sic, quod est obiectum formale terminatiuum sensus communis: sed hic modus explicandi nihil habet probabilitatis. Primò, quia nullus est possibilis modus naturalis demonstrandi passiones de proprio obiecto altior, & perfectior modo propriodemonstrandi vniuscuiusque scientiæ; secus superfluè, & sine causa poneretur

ca ens mobile motu physico; principia verò methaphysica concernunt ens reale naturale,in quantum ens:neque ex hoc sequitur, quod superfluè, & sine causa ponuntur scientiæ particulares distinctæ, si nimirum vna scientia vniuersalior descendat ad considerandum materialiter obiecta, etiam formalia scientiarum particularium:& primò retorquetur argumentum; nam si hæc ratio Suarez vim haberet,non daretur mathematica, & physica; quia methaphysica Aristotelis descendit ad cōsiderandum materialiter obiecta materialia mathematicę, & physicę; quia obiecta formalia harum scientiarum particularium sunt obiecta materialia methaphysicę Aristotelis.

Secundò, non sunt superfluæ scientiæ particulares, data hypothesi; quia in vniuerso, in quo sunt omnes gradus perfectionis, quilibet gradus debet esse completus in sua latitudine formali; at ista methaphysica vniuersalissima graduat formaliter gradum scientiæ; quia scientia vniuersalissima est specie distincta à scientia particulari, & scientia inferiori.

Ad aliam rationem,qua dicit Suarez, quod hæ scientiæ particulares, non sunt excogitandæ, vt facultates, seù vt potentię distinctæ; sed vt habitus eiusdem potentiæ ad producendos actus consimiles.

Respondeo, concedo antecedens; sed nego consequentiam, nimirum,quod scientia superior non acquireretur per actus nobiliores, quam sint actus, quos scientia inferior de ijsdem rebus exercere posset:& ratio negationis est; quia scientia vniuersalissima procedit per principia vniuersaliora, & altiora; actus autem ex principio altiori, & nobiliori, nobilior est.

Neque obstat,cum dicit Suarez, quod hic modus explicandi methaphysicam vniuersalissimam, est falsus;quia supponit cæteras scientias particulares subalternari methaphysicæ vniuersalissimæ: nam falsum est,scientias particulares non subalternari scientiæ superiori in sciendo, vt probabimus in hac quæstione, speciali articulo: nunc obiter dico, quod vna scientia potest dupliciter subalternari alteri; ex parte obiecti, & ex parte principiorum. Ex parte quidem obiecti; quando obiectum vnius scientiæ continetur sub obiecto alterius, sicut materiale sub formali, vt explicat S. Thomas 1. *poste. lec.* 25. *& Opus. de natura generis, cap.* 14. & hoc modo certum est, physicam, & mathematicam subalternari methaphysicæ Aristotelis, & hanc subalternari methaphysicæ vniuersalissimæ, de qua hic loquimur. Ex parte verò principiorum, vna scientia subordinatur alij; quando principia scientiæ inferioris, sunt demonstrabilia per principia scientiæ superioris, & hoc modo etiam puto methaphysicam Aristotelis subalternari methaphysicæ vniuersalissimæ:eo modo etiam, quo mathematica subalternatur methaphysicæ Aristotelis: & ratio est; quia axiomata prima mathematica, resoluuntur in principia methaphysica, tamquam priora, v. g. hoc principium, seù axioma mathematicum; omne totum quantum maius est sua parte quanta; resoluitur in rationem totius simpliciter, & in rationem partis simpliciter, & semper habent locum in omni scientia inferiori illa duo principia prima reducentia ad impossibile, scilicet impossibile est;idem secundum idem esse, & nō esse. Neque obstat,cum dicit Suarez, quod mathematica, & physica habent sua prima principia, hæc autem non sunt demonstrabilia per priora; quia non essent prima: nec dependent in euidentia ab alijs superioribus principijs,quia sunt per se nota.Nam facilis est responsio; habent enim prima principia secundum quid, vel secundum determinatam rationem entis; non autem simpliciter, & secundum absolutam rationem entis: principia autem secundum determinatam rationem entis, siuè in vno genere sunt posteriora principijs primis secundum absolutamrationem entis,vel simpliciter;hęc autem posterioritas dicit essentialem dependentiam à prioribus principijs: semper enim posterius est dependens à priori, & primo absolutè, vel in superiori genere.

Quod si dicas cum Suarez; mathematica habet completam euidentiam suorum principiorum intrà suam speciem.

Respondeo,distinguo antecedens, vt est subalternans, concedo: vt est subalternata, nego; quia principia mathematicæ sunt prima secundum determinatam rationem entis; hæc autem dependent essentialiter etiam in suo genere à principijs primis simpliciter; secundum enim in suo genere essentialiter, dependet à primo, quia est essentialiter subordinatum primo.

Obijcies secūdò ex alijs,quod esset magna confusio scientiarū,si daretur vna methaphysica vniuersalior, quæ consideraret materialiter obiecta formalia cęterarum scientiarum, quæ sunt de facto;quia omnes scientiæ confunderentur in vnam methaphysicam.

Respondetur cum distinctione, quod si

si scientia inferior non haberet suum obiectum formale, formaliter diuersum ab obiecto formali scientiæ superioris, vtique esset magna confusio scientiarum: sed hoc non est; quia ex eo quod scientia superior considerat materialiter obiectũ formale scientiæ inferioris, scientia inferior non perdit suam rationem formalem, neque scientia superior destruit obiectum formale scientiæ inferioris; proindè nullo pacto sequitur confusio scientiarum, sed potius sequitur magna distinctio vnius scientiæ ab alia; idque probari potest etiam argumento ad hominem; nam ex eo quod methaphysica Aristotelis considerat, vt obiectum materiale, obiectum formale mathematicæ, non confundit methaphysicam cum mathematica; quia ex eo quod obiectum formale mathematicæ sit obiectum materiale methaphysicæ, non perdit rationem formalem obiecti mathematici, ergo pariter dicendum in subiecta materia.

Dices inintelligibile est, quod tot diuersa scibilia formalia adunentur in vnam rationem scibilis formalis; quia per adunationem relinquũt distinctionem formalem vnius ab alio, sine qua distinctione formali obiectiua non possunt esse plures scientiæ specie essentiali distinctæ.

Respõdetur cũ distinctione, dupliciter intelligi posse tot diuersa scibilia, adunari in vnam rationem scibilis formalis: vno modo; quia plura obiecta formalia diuersarum scientiarum particularium fiunt obiecta materialia vnius superioris scientiæ: alio modo, quia plura obiecta formalia adunantur in vnum obiectum formale sublimius, relinquendo eorum distinctionem formalem. Primo modo, adunatio non tollit distinctionem scientiarum particularium: adunatio secundo modo tollit; quia distinctio formalis, & essentialis scientiæ est ex distinctione formali obiectorum formalium; hæc autem distinctio tollitur per adunationem formalem secundo modo; quia supponuntur obiecta formalia, adunari formaliter in vnum obiectum formale: adunatio primo modo non solum est possibilis; sed etiam de facto reperitur in scientijs particularibus, & etiam proportionaliter reperitur in obiectis formalibus potentiarum cognitiuarum, v. g. obiectum formale physicæ, & obiectum formale mathematicæ adunantur tanquam obiecta materialia sub obiecto formali methaphysicæ; & obiecta formalia sensuum particularium materialiter adunantur sub obiecto formali sensus communis; & obiectum formale huius subordinatur materialiter obiecto formali imaginatiuæ, &c.

Neque dicas per hanc subordinationem materialem obiecta formalia scientiarum particularium, non sciuntur secundum omnia prædicata; sed solum in generali, scilicet quantum ad prædicata communia in superiori scientia; sed per hunc modum considerandi, & sciendi cõfunduntur scientiæ particulares in vna scientia superiori, & vniuersaliori.

Plures opinantur hanc instantiam demonstratiuam esse; sed tamen solutio in promptu est ex duplici capite, & retorquẽdo vim argumenti, & soluendo directè; & quidem primò, retorqueo argumentum; si enim vim haberet, sequeretur potentiam intellectiuam, primò non intelligere entia in speciali; sed solum in generali secundum rationem entis, quod falsum est. Secundò sequeretur sensum communem, v. g. perdere suam rationem formalem sensus per hoc, quod intellectus intelligit sensibile materialiter, siuè per hoc, quod obiectum formale sensus sit obiectum materiale intellectus, quod falsum est.

Respondetur secundò directè, quod methaphysica superior, non considerat rationem entis realis vt sic absolutè, & materialiter, quatenus scilicet est res quædam; sed considerat rationem entis realis vt sic, tamquam rationem formalem primam, & vniuersalissimam essendi ens realiter; quia ens reale vt sic, sub ista reduplicatione consideratur, vt obiectum formale à methaphysica; non autem vt obiectum materiale, & hæc consideratio se extendit ad considerandum omnia entia realia in speciali, scilicet tamquam obiecta materialia, quandoquidem eadem consideratio cadit supra obiectum materiale, & obiectum formale.

Hæc responsio aliquibus duriuscula videtur, ea tamen omninò vera est; dicunt enim quod methaphysica vniuersalissima deberet explicare in speciali ratione quanti dimensiui, rationem materiæ sensibilis, rationem entis naturalis, motus, &c. sed hæc explicatio non est methaphysica; sed physica, quæ est scientia specialis, distincta à methaphysica.

Sed solutio facillima est, nam methaphysica vniuersalissima tractat de his omnibus in speciali, inquantum in eis reperiuntur rationes vniuersalissimæ, & trascendentes, siuè quia in eis reperitur obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ, v. g. agit de materia prima, quæ est subiectum primũ naturalis mutationis; sed ra-

ratio formalis obiectiua cur eam cōsiderat, est: tum quia in materia prima reperitur ratio entis vniuersalissimi; tum etiam quia in ea reperitur ratio potentiæ vt sic, quæ est vna ex primis differentijs entis: idem dico de cæteris; & hæc ratio ostendit, quod obiecta formalia scientiarum particularium possunt fieri obiecta materialia scientiæ superioris, & vniuersalioris.

Obijcies tertiò, vna scientia distinguitur ab alia, & est alia sublimior; quia eius obiectum formale, est magis abstractum à materia; sed non datur maior abstractio à materia, quam sit abstractio methaphysicæ vniuersalis Aristotelis, loquendo de abstractione entis realis naturalis, cognoscibilis secundum se lumine naturæ: ergò non est dabilis hæc methaphysica vniuersalissima de ente reali naturali in tota sua latitudine formali. Maior est Aristotelis 6. *meth. tex.* 2. & ratione probatur; quia superioritas scientiæ, est ex superioritate sui obiecti formalis, nimirum ex superioritate formali obiecti formalis; sed hæc superioritas formalis obiecti formalis, sumitur ex maiore abstractione à materia; quò enim obiectum est abstractius à materia formaliter, eò est immaterialius; at vnumquodque est intelligibile formaliter inquantum immateriale. Minor principalis argumenti probatur, quia triplex tantum est abstractio à materia physica. Prima est abstractio à materia sensibili in singulari, & hæc est abstractio obiecti formalis physici; quia intellectus est vniuersalium formaliter; sensus verò est singularium formaliter. Secunda est abstractio ab omni materia sensibili etiam in communi, & hæc est abstractio mathematica. Tertia est abstractio ab omni materia sensibili, & intelligibili, siuè imaginabili; & hæc est abstractio methaphysica, qua non est dabilis alia maior, & vniuersalior; quia est abstractio ab omni materia in singulari, & in vniuersali: at si daretur maior, & vniuersalis abstractio, non esset abstractio methaphysica ab omni materia; sed ab aliqua materia. Confirmatur discursus, quia per hanc methaphysicam abstractionem constituitur intelligibile vt sic, supra quod non datur aliud vniuersalius intelligibile, & scibile. Hoc argumentum torsit ingenium multorum, ex quibus.

Aliqui dicunt methaphysicam vniuersalissimam, quæ est de ente reali naturali vt sic, habere abstractionē maiorem, & excellentiorem, quam sit abstractio methaphysicæ Aristotelis; quoniam hæc abstrahit ab omni materia positiua: cuius ratio est; quia eius obiectum formale terminatiuum, est ens naturale terminatiuum in sua latitudine formali; methaphysica verò vniuersalissima abstrahit ab omni materia naturali, & positiua, & negatiua; quoniam est de obiecto naturali abstrahente à positiuo, & negatiuo naturali. Explicatur responsio, nam prædicatum, quò est vniuersalius, eò est abstractius.

Sed hęc responsio patitur instantiam, nam statim dicet aduersarius, methaphysicam Aristotelis, adhuc abstrahere à materia negatiua; quia tractat etiam de non ente reali in generali, nam 12. *methaphys. tex.* 11. diuidit non ens reale in non ens actu, & in non ens simpliciter, quod negat non ens actu, & non ens in potentia.

Neque satisfit, si respondeatur methaphysicam Aristotelis tractare de non ente reali, non quatenus est ens; sed quatenus est nō ens reale, eo modo quo eadem scientia, & potentia est oppositorum. Nam statim adhùc dicet aduersarius, quod methaphysica vniuersalissima tractat de non ente reali positiuo, quatenus est ens reale oppositum nihilo impossibili, quod est vniuersalius, & abstractius, quam sit ens reale positiuum naturale, de quo tractat methaphysica Aristotelis.

Respondeo, quod duplex est abstractio à materia: alia est à materia subiectiua, tàm physica, quàm methaphysica: & alia est abstractio à materia obiectiua (Appello materiam subiectiuam physicam, quę subijcitur formæ; methaphysicam verò, quę subijcitur existentiæ; appello verò materiam obiectiuam, obiectum material. scientiæ): obiectum methaphysicæ vniuersalissimæ habet maiorem, & vniuersaliorem abstractionem formalem; quia abstrahit non solum ab omni materia physica, & methaphysica; sed etiam abstrahit ab omni materia obiectiua naturali, quoniam abstrahit ab omnibus obiectis materialibus scientiarum particularium, nimirum scientiarū infrà se; quia scientiæ inferiores, quæ sunt physica, & methaphysica tractant de entibus naturalibus tantummodo, nimirum cognoscibilibus naturæ lumine, & per hanc abstractionem ab omni materia obiectiua naturali; nimirum per fundamētalem, non actualem distinguitur obiectum methaphysicæ vniuersalissimę ab obiecto methaphysicæ Aristotelis in ratione scibilis; quia per hanc abstractionem fundamentalem, obiectum methaphysicæ vniuersalissimæ, est formaliter vniuersalius, & abstractius; sed vt infrà dicam, abstractio à materia su-

biectiua est radix prima abstractionis à materia obiectiua.

Obijcies quartò, methaphysica vniuersalissima de ente reali naturali vt sic, abstrahente à positiuo, & à negatiuo, si detur, debet demonstrare omnes conclusiones methaphysicę Aristotelis; sed hoc nō est possibile: ergò neq; possibile est dari hanc methaphysicā vniuersalissimā. Sequela maioris est euidens; quia scientia vniuersalissima habet principia sciendi vniuersalissima, in quæ resoluuntur vltimò non solum omnes conclusiones; sed etiam omnia principia prima scientiæ inferioris. Minor verò principalis argumenti probatur; quia principia methaphysicæ Aristotelis, sunt prima simpliciter, & absolutè, quia concernunt ens reale inquantum ens: prima autem principia absolutè, & simplicitèr non sunt demonstrabilia per priora, secus non essent prima simpliciter absolutè, vt v. g. est hoc principium; implicat idem simul esse, & non esse.

Respondeo, quod principia methaphysicæ vniuersalissimæ sunt vniuersaliora, quam principia methaphysicæ Aristotelis, quatenus principia methaphysicæ vniuersalissimæ sunt in materia obiectiua vniuersaliori, quam sit materia obiectiua methaphysicæ Aristotelis; non autem sunt vniuersaliora formaliter, & secundum se, abstrahendo à materia obiectiua; v. g. hoc principium: idem secundum idem, non potest simul esse, & non esse; secundum se, & formaliter, est vniuersalissimum: quia veritatem habet in omni materia obiectiua; contractum verò in ente, seù in obiecto materiali, quod magis, vel minus est vniuersalius potest esse idem principium vniuersalius, & minus vniuersale, v. g. in ente reali, abstrahente ab ente reali positiuo, & ab ente reali negatiuo: hoc principium est vniuersalius ratione obiecti materialis vniuersalioris, quam sit existens in obiecto methaphysicæ Aristotelis; quia hoc est ens reale naturale positiuum, quod est inferius, quam ens reale naturale vt sic, & hæc maior abstractio obiecti materialis methaphysicæ vniuersalissimæ à methaphysica Aristotelis, satis est, vt principia sint vniuersaliora. Cum verò dicitur, principia methaphysicæ Aristotelis esse vniuersalissima, quia concernunt ens reale inquantum ens.

Respondeo esse vniuersalissima in latitudine entis realis naturalis positiui, non autem in latitudine entis realis naturalis vt sic, quod abstrahit à reali positiuo, & reali negatiuo: vtrum autem methaphysica vniuersalissima debeat probare conclusiones scientiæ inferioris dicam in hac quęstione in articulo; an methaphysica sit sapientia formaliter.

Obijcies quintò, methaphysica vniuersalissima, si daretur esset scientia etiam de obiectis scientiarum moralium; sed hic excessus, non est possibilis in scientia creata, ergò, &c.

Respondetur cum distinctione, quod esset scientia de obiecto scientiarum moralium materialiter, non formaliter, modo supra explicato; excessus. n. qui nō potest competere scientiæ creatæ est excessus formalis, quo distrahitur obiectum formale à ratione entis creati, non autem excessus materialis, quia hic est potentialis.

Obijcies sextò, hæc methaphysica de possibili si daretur, esset etiam scientia de ente per accidens; quia eius obiectum formale esset ens reale naturale vt sic, quod commune est tàm enti per se, quàm enti per accidens: at ens per accidens est extra obiectum scientiæ, vt ostendit Aristotelis.

Respondetur cum distinctione, methaphysica vniuersalissima esset scientia de ente per accidens materialiter, non formaliter.

---

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### An sit possibilis methaphysica vniuersalissima de omni ente reali naturali, & de omni ente supernaturali, supposita diuina reuelatione, manifestante veritatem rerum supernaturalium, quę sit sciētia superior, non solum methaphysica vniuersalissima de ente naturali vt sic; sed etiam theologia sacra viatorum secundum se.

IN præcedenti articulo, satis ostendimus possibilitatem methaphysicæ vniuersalissimę de omni ente naturali tantummodo sub ratione formali obiectiua; quia est ens reale naturale cognoscibile, scilicet solo naturæ lumine; in hoc autem secundo articulo vertitur in quæstionem; an sit possibilis alia methaphysica vniuersalior, tractans formaliter de ente reali, prout commune est, tam enti naturali cognoscibili solo naturæ lumine, quam enti supernaturali, cognoscibili lumine fidei diuinę reuelationis.

Et

Et ſenſus articuli reducitur ad hoc caput, an obiectum formale methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, quod eſt reale naturale vt ſic; & obiectum formale theologiæ ſacræ viatorum, quod eſt ens ſupernaturale cognoſcibile in ſtatu viæ lumine diuinæ reuelationis, poſſint eſſe obiecta materialia vnius ſcientiæ vniuerſalioris, quam appellamus methaphyſicam vniuerſaliſſimam de ente reali abſtrahente ab ente reali naturali, tàm poſitiuo, quàm negatiuo; & ab ente ſupernaturali cognoſcibili lumine fidei, non quidem in ſenſu formali, & reduplicatiuo; ſed in ſenſu materiali, & ſpecificatiuo, nimirum de ente ſupernaturali, quod in ſtatu viæ, eſt cognoſcibile diuina tantum reuelatione: & quidem hic articulus difficillior eſt, quam præcedens; quia ſunt rationes conſiderationis, & momenti pro vtraque parte.

Prima ratio pro parte negatiua eſt, quia hæc methaphyſica vniuerſaliſſima ſi eſſet poſſibilis, eſſet ſcientia per ſe euidens, euidentia actuali, & immediata; ſed implicat ſcientia actu euidens euidentia intrinſeca de entibus ſupernaturalibus in ſtatu viæ, cognoſcibilibus lumine fidei: ergo implicat methaphyſica vniuerſaliſſima de omni ente reali, etiam ſupernaturali cognoſcibili lumine fidei. Maior probatur primò: quia hæc methaphyſica eſſet ſcientia ſubalternans; eſſet enim ſcientia ſuperior, & vniuerſaliſſima; ſcientia autem ſubalternans eſt per ſe euidens euidētia actuali, & immediata; quia eſt ex principijs primis intrinſecis immediatis, cauſiſque concluſionis. Secundò, quia methaphyſica vniuerſaliſſima eſt demonſtratiua paſſionum de ſuo ſubiecto, vel obiecto, per cauſam intrinſecam in eſſendo virtualiter; oſtendit enim de ſuo ſubiecto, non ſolum paſſiones traſcendentales, quę ſunt vnum, verum, & bonum; ex eo quia ſuum ſubiectum eſt ens formaliter, quod eſt cauſa virtualis, vnitatis, veritatis, & bonitatis: ſed etiam oſtendit per medium intrinſecum in Deo eſſe proceſſionem perſonalem, ſine vlla intrinſeca naturę diuiſione; & proceſſionem Verbi à prima perſona eſſe formaliter generationem, ſuppoſita tamen diuina reuelatione. Primum oſtendit ex medio intrinſeco, quia Deus eſt actus puriſſimus. Secundò ex medio; quia productio Verbi à prima perſona ad intrà, eſt conſubſtantialis modo aſſimiliatiuo; ſed probatio ex medio intrinſeco, & primo eſt per ſe actu euidens: ergò, &c. Minor principalis argumenti probatur primò, quia ſcientia de rebus ſupernaturalibus in ſtatu viæ, eſt ex ſupernaturalibus reuelatis fide diuina; ſed fides non eſt compoſſibilis cum ſcientia actu euidenti de eodem obiecto materiali in eodem intellectu. Secundò, quia veritates reuelatæ per ſe ſunt articuli fidei; at articuli fidei non ſunt demonſtrabiles ex medio intrinſeco, quia ſunt inouidentes, & obſcuri; demonſtratio verò, & ſcientia ſunt de cognoſcibilibus euidenter.

Quod ſi dicas, fidem, & ſcientiam actu euidentem de eodem obiecto formali, eſſe incompoſſibiles in eodem intellectu, non autem de eodem obiecto materiali: quandoquidem incompoſſibilitas oritur ex contradictione; at contradictio aufertur per diuerſitatem obiecti formalis; contradictio enim eſt ſecundum idem formaliter; diuerſitas autem obiectiua formalis tollit identitatem formalem.

Statim dicent auctores contrariæ ſententiæ ſcientiam, & fidem, non opponi inter ſe contradictoriè ex parte obiecti formalis, vel ex parte medij; ſed ex parte eiuſdem ſubiecti, nimirum ex parte intellectus cognoſcentis; quia de ratione ſcientiæ eſt, vt intellectus videat euidenter, quod ſcit; de ratione verò fidei, eſt vt nō videat, quod credit: fides enim eſt de non apparentibus; at quæ implicant ex parte eiuſdem ſubiecti, non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu de eodem obiecto materiali; eſſet enim vnus, & idem intellectus actu videns, & non videns idem obiectum in eodem: neque hæc contradictio tollitur per diuerſitatem formalem obiectorum formalium, vel mediorum; quia contradictio fidei, & ſcientię eſt ſubiectiua non obiectiua; at ad tollendam contradictionem ſubiectiuam requiritur diuerſitas ſubiecti, vt ſuo loco fusè probabitur.

Secunda ratio eſt, quia hæc methaphyſica vniuerſaliſſima deberet eſſe diſtincta formaliter a theologia viatorum, ſi daretur; quia eſſet ſcientia vniuerſalior, & ſuperior, ſed hæc diſtinctio eſt impoſſibilis: ergo etiam impoſſibilis eſt methaphyſica vniuerſaliſſima vniuerſalior theologia viatorum: Minor probatur, quia ad diſtinctionem formalem ſcientiæ ſuperioris ab inferiori ſcientia requiritur, vt ſuperior ſcientificè tractet de pluribus, quam ſcientia inferior; prædicatum enim ſuperius pluribus conuenit, quam inferius: v.g. animal eſt vniuerſalius, quam homo; quia in pluribus inferioribus reperitur animal, quam homo; ſed methaphyſica, quam dicimus vniuerſaliſſimam, non poteſt tracta-

re

re scientificè de pluribus, quam theologia viatorum; sed tantum de ijs, de quibus tractat theologia viatorum: quandoquidem methaphysica vniuersalissima ponitur sciẽtia de omni ente naturali, & supernaturali, cognoscibili lumine diuinæ reuelationis; sed de his omnibus scientificè tractat etiam theologia sacra viatorum; considerat enim hæc Angelos, actus humanos, veritates supernaturales, quæ sunt articuli, & misteria fidei: ergo implicat methaphysicam vniuersalissimam distingui à theologia sacra viatorum; implicat enim distinctio sine causa distinctionis; daretur enim effectus sine causa.

Quod si dicas, ad diuersificandam sciẽtiam inferiorem à superiori satis est, vt obiectum formale in genere scibilis, sit superius, & vniuersalius obiecto scientiæ inferioris; non autem requiritur, vt obiectum materiale sit vniuersalius; in re verò nostra, obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ, est vniuersalius obiecto formali theologiæ sacræ viatorum: & probatur; quia obiectum formale theologiæ sacræ viatorum est ens, cognoscibile lumine diuinæ reuelationis: obiectum verò formale methaphysicę vniuersalissimę est ens cognoscibile lumine, abstrahente à lumine diuinæ reuelationis, & à lumine naturali: quoniam methaphysica vniuersalissima materialiter considerat, non solum obiecta formalia methaphysicæ vniuersalis, quæ est de ente naturali, cognoscibile solo naturæ lumine; sed etiam obiectum theologiæ sacræ viatorum; supposita tamen diuina reuelatione, vt conditione necessaria.

Statim dicent aduersarij; Primò, quod diuersitas formalis vnius scientiæ vniuersalioris ab alia inferiori, non potest esse in obiecto formali in genere scibilis, nisi ex diuersitate, & superioritate abstractionis formalis à materia; hæc enim est vltima differentia in ratione scibilis eleuans, & distinguens vnam scientiam ab alia; sed in obiecto formali theologiæ sacrę viatorum, & methaphysicæ vniuersalissimæ, est eadem abstractio formalis à materia; vtriusque enim obiectum abstrahit ab omni materia, saltem præcisiuè, nimirum à materia methaphysica, & methamatica, ergò, &c.

Tertia ratio est; quia theologia sacra viatorum, quæ est de facto, non est subordinabilis, nisi scientiæ, quæ est in beatis, cui secundum se est continuabilis in eodem intellectu in statu gloriæ: & huius ratio est; quia theologia sacra viatorum procedit ex principijs reuelatis, vt scitis in superiore scientia, quæ est scientia, & theologia beatorum: at si esset possibilis methaphysica vniuersalissima de ente, abstrahente à naturali, & supernaturali; theologia viatorum secundum se perderet hunc conceptum essentialem: non enim esset subordinabilis immediatè theologiæ beatorum; idque ostenditur; quia non esset ex principijs reuelatis, vt scitis in scientia beatorum; sed esset ex principijs reuelatis, vt scitis immediatè in hac methaphysica vniuersalissima, quæ dabilis est in intellectu viatorum; supposita tamen diuina reuelatione tamquam conditione; semper enim scientia inferior deducit suas conclusiones ex principijs scitis in scientia superiori, & vniuersaliori, quæ procedit ex principijs primis, & immediatis, non resolubilibus in principia vniuersaliora: vt v. g. mathematica procedit ex principijs resolubilibus in principia methaphysica, e. g. mathematica deducit conclusionem ex hoc principio: omne totum quantum est maius sua parte quanta: vt scito, seu scibili in superiori scientia, quę est methaphysica; quia hoc principium resoluitur in rationem totius simpliciter, & partis simpliciter, quod est principium methaphysicum, licet non primum; quia non concernit ens inquantum ens, quod abstrahit ab ente completo, & incompleto; sed concernit ens determinatum ad completum, & incompletum.

Quarta ratio: quælibet scientia in specie debet esse, vel naturalis, vel supernaturalis; quia scientia adæquatè diuiditur in naturalem, & supernaturalem; quia hæ duæ scientiæ reducuntur ad terminos contradictorios, inter quos nihil medium esse potest: sicut, quod est ens reale, & infra ens, nimirum in aliqua specie entis; necessariò debet esse, vel substantia, vel accidens; hæc enim diuidunt adæquatè ens: sed methaphysica vniuersalissima, si daretur, neque esset scientia naturalis, neque supernaturalis; quia esset de ente, abstrahente à naturali, & supernaturali; verum, si esset aliqua species scientiæ superioris, necessariò deberet esse, vel naturalis, vel supernaturalis determinatè.

Pro parte autem affirmatiua sunt efficaciores rationes, quæ non solum probant sententiam, & conclusionem affirmatiuam; sed etiam sufficienter soluunt omnes rationes assignatas, & assignabiles in oppositum, & meum conuincunt intellectum. Hanc sententiam explico, & probo sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio possibilis est in intellectu

lectu creato viatorum methaphysica vniuersalissima, scientificè considerans, non solum omnia obiecta methaphysicæ vniuersalissimæ de omni ente naturali; sed etiam obiecta theologiæ sacræ viatorum, tamquam obiecta materialia; supposita tamen fide diuina, vt conditione manifestante entia supernaturalia. Cõclusionem hanc scriptam non reperio; ea tamen veritatem continet, & fundatur in eo principio methaphysico, quod obiecta formalia diuersarum scientiarum, possunt esse obiecta materialia vnius scientiæ superioris, si eis communicetur vnitas formalis obiectiua superior; vel si sit possibilis vna ratio superior formalis, sub qua possint scientificè disponi, & considerari; fingamus, e. g. quod potentia visiua, videat substantiam materialem, & sensibilem; & potentia tangendi tangat accidens; ratio substantiæ materialis, & ratio accidentis materialis, erunt duæ rationes formales obiectiuæ formaliter diuersæ, quæ proinde diuersificabunt duas potentias specie diuersas; secundum quod vna ratio formalis obiectiua formaliter non est alia, nimirum per differentiam formalem; non autem materialem: quoniam verò substantia, & accidens communicant in ratione entis sensibilis, quæ est ratio vniuersalior, quam sit sola substantia materialis, & solum accidens materiale; poterit esse vna potentia superior, quæ versetur circà substantiam materialem, & accidens materiale; sed materialiter, scilicet tamquam obiectum materiale, quod sentitur; verum ratio formalis considerabilitatis, nimirum obiectiua, erit; quia substantia, & accidens sunt ens sensibile; hoc totum de facto reperitur in obiectis sensuum exteriorum, quæ ex diuerso modo formali mouendi sensum, sunt diuersa obiecta formalia, distinguentia formaliter diuersos sensus; quoniam verò omnia communicant in ratione sensibilis, datur vnus sensus communis, qui cognoscit omnia illa obiecta formalia, & materialia, materialiter nimirum, vt obiectum materiale, & quod: ratio verò formalis considerabilitatis est; quia illa omnia sunt sensibile: & quia communicant in ratione imaginabilis, quæ est ratio obiectiua superior; datur vna potentia imaginatiua superior, & vniuersalior in cognoscendo, quod se extendit ad ea; quia sunt ens imaginabile: quia denique communicant in ratione intelligibilis; datur potentia intellectiua, quæ est vniuersalissima in cognoscendo: pariter discurrendum est in re nostra, possibilis est vna scientia vniuersalissima, quæ considerat materialiter, non solum omnia obiecta materialia; sed etiam omnia obiecta formalia methaphysicæ de omni ente reali naturali, & theologiæ sacræ viatorum secundum se, quæ sunt scibilia in superiori scientia beatorum; supposita tamen diuina reuelatione, tanquam conditione necessaria, manifestante veritatem rerum supernaturalium. Ex his formatur.

Ratio fundamentalis huius veritatis, quæ est nostra conclusio, est: quia hæc omnia obiecta, & methaphysicæ vniuersalissimæ naturalis, & theologiæ sacræ viatorum secundum se, nimirum secundum sua prædicata essentialia, & per se, communicant in vna ratione obiectiua vniuersaliori, tùm in genere entis, tùm in genere scibilis formaliter; sed hoc satis est, vt sit possibilis vna methaphysica vniuersalior in sciendo, quam sunt methaphysica de omni ente naturali, & theologia sacra viatorum, secundum se, quæ est de ente supernaturali ex reuelatis, vt scitis in superiore scientia: ergo dabilis est hęc methaphysica vniuersalissima. Minor est certa: quandoquidem scientia ex eo est vniuersalior alia in cognoscendo; quia eius obiectum formale, tùm in genere entis, tùm in genere scibilis, est vniuersalius, & abstractius. Maior, in qua est difficultas, probatur: quoniam omnia prædicta obiecta sunt ens reale vt sic; hoc autem, est vniuersalius, quam sunt solum ens reale naturale, & solum ens reale supernaturale, cognoscibile ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia beatorum; & hoc est obiectum vniuersalius in genere entis. Insuper prædicta omnia obiecta communicant in vna abstractione formali abstractiori, & vniuersaliori; quia non solum communicant in ente, abstrahente à naturali, & supernaturali; sed etiam in abstractione formali entis realis vt sic, quę est abstractio formalis vniuersalior, quam sint abstractiones methaphysicę vniuersalissimę naturalis, & theologię sacrę viatorum secundum se: quoniam ens, abstrahens à naturali, & supernaturali, abstrahit non solum ab omni materia subiectiua; sed etiã ab omni materia obiectiua, tàm naturali, quàm superuaturali (appello materiam obiectiuam, obiectum materiale scientię, quę potest esse tàm materia, quàm forma: appello verò materiam subiectiuam, materiam receptiuam formę, & existentiæ): at hæc abstractio formalis est vniuersalior, & superior abstractionibus methaphysicę vniuersalissimæ naturalis, & theologiæ sacræ via-

viatorum secundum se; ergò, &c.

Quod si dicas; abstractio formalis obiectiua, non quidem actualis, sed fundamentalis, distinguens formaliter scientiam superiorem à scientia inferiori, debet esse abstractio à materia subiectiua, non autem à materia obiectiua: tum quia Aristotelis 6. *meth.* ex triplici abstractione a materia subiectiua, distinguit triplicem sciẽtiam, physicam, mathematicam, & methaphysicam; & non ex abstractione formali à materia obiectiua: tum etiam; quia ratio formalis scibilis, quæ est ratio formalis obiecti scientiæ, inquantum obiectum specificatiuum sciẽtiæ, est gradus immaterialitatis; vnumquodque enim est scibile inquantum est actu, vt docet Aristoteles 9. *meth.* actus autem, est ratio formæ, non ratio materiæ: obiectum autem materiale scientiæ, potest esse, tàm materia, quàm forma: ergo abstractio formalis obiectiua, distinguens vnam scientiam ab alia specie essentiali, debet esse abstractio à materia subiectiua, non à materia obiectiua.

Respondeo, concedo maiorem, quod abstractio formalis, distinguens, vt ratio prior inadæquata, vnam scientiam ab alia specie essentiali, debet esse abstractio à materia subiectiua: sed nego minorem; quippe abstractio fundamentalis ab omni materia potest esse vniuersalior, & vniuersalior formaliter vsque ad vltimam abstractionem formalem ab omni materia: & ratio huius est; quia possunt esse plures gradus, vnus vniuersalior alio essentialiter per abstractionem, sicut ab vna, & eadem materia; ità etiam ab omni materia subiectiua: quod probatur in subiecta materia, de qua loquimur; nam ens naturale, ens imaginabile, ens scibile naturale, ens scibile, abstrahens à naturali, & supernaturali, omnia abstrahunt à materia singulari, & vnum eorum est vniuersalius alio essentialiter, & quò est vniuersalius, eò est magis abstractum à materia singulari, & secundum diuersos gradus abstractionis distinguũt plures sciẽtias specie diuersas; methaphysica autem vniuersalissima, de qua nunc loquimur, est superior methaphysica vniuersalissima in genere scibilis naturalis; quia eius obiectum formale, quod est ens reale vt sic, est essentialiter abstractius à materia, quam ens, siue scibile naturale.

Respondeo secundò, nego secundam partem maioris; quia scientia humana est vniuersalium; sicut & intellectus humanus, qui in sciendo requirit immaterialitatem, & essentiæ, & abstractionis.

Quod si dicas: abstractio à materia, distinguens specie vnam scientiam ab alia, debet esse abstractio actus, non autem abstractio potentiæ: quia abstractio à materia est gradus immaterialitatis; quia est ratio scibilis formaliter: immaterialitas autem est prædicatum actus, non prædicatum materiæ; sed prædicatum quò est vniuersalius, eò est magis potentiale, vt videre est in recta linea prædicamentali, in qua prædicatum, quò est vniuersalius, eò est magis potentiale ad plures gradus formales: v. g. viuens est magis potentiale, quam sit animal; & substantia, quæ est genus primum, est magis potentialis; quia est magis vniuersalis, quam viuens: ergo non potest abstractio scibilis à materia esse ratio, distinguens specie essentiali vnam scientiam ab alia.

Soluitur hæc difficultas distinctione duplicis immaterialitatis; quam explicat S. Thomas 1. *par. quæst.* 14. *art.* 11. *ad primum*: alia scilicet est immaterialitas essentiæ: alia est immaterialitas per abstractionem à materia singulari; prima est immaterialitas actus; quia est gradus entis spiritualis; secunda verò est immaterialitas scibilis, quod est obiectum scientiæ creatæ humanæ: quia, vt docet Aristoteles 2. *de ani. tex.* 1. intellectus humanus est vniuersalium formaliter; sensus verò particularium, & hæc potest esse etiam entis potentialis, quia ens potentiale adhuc est abstrahibile à singularitate; sed de hoc alibi fusius.

Secunda conclusio, hæc methaphysica vniuersalissima est specie essentiali distincta, vt scientia superior, à methaphysica de omni ente naturali, & à theologia sacra viatorum secundum se. Ratio fundamentalis est; quia obiectum formale huius scientiæ, est vniuersalius formaliter, quam sit obiectum methaphysicæ de scibili naturali, tùm in genere entis, tùm in genere scibilis formaliter; quippe obiectum in genere entis, est abstrahens à naturali, & supernaturali: in genere verò scibilis, est scibile per abstractionem vniuersalissimam entis à materia singulari, vt modo probauimus; sed ex hoc capite sufficienter distinguitur vna scientia essentialiter ab alia, vt scientia superior à scientia inferiori.

Disputatio esse potest inter methaphysicos, an obiectum huius methaphysicę vniuersalissimæ, sit ens completum; an ens abstrahens à completo, & incompleto: hoc quæsitum controuertunt methaphysici de obiecto methaphysicæ Aristotelis.

Re-

Respondent ferè communiter, esse ens completum: & huius hanc assignant rationem: quia obiectum scientiæ, totum quid est; totum autem est ens completum.

Sed hæc responsio est æquiuoca, & indeterminata; multiplex enim est ens completum; Primo modo intelligitur ens completum, quod est completum in ratione causæ passionum, quæ sunt demonstrabiles de ente. Secundo, ens completum dicitur completum in specie, vt homo, equus, &c. Tertio, dicitur ens completum in ratione entis, vt ens actu existens; è conuerso verò ens incompletum in ratione causæ est causa incompleta: ens incompletum in specie est pars speciei, vt corpus, vel anima hominis: ens verò incompletum in genere entis est, vel sola essentia, vel sola existentia, nimirum, vel ens actu potens existere, vel actus, quo potens existere, fit actu existens. Ex his ens completum in ratione causæ passionum est ens formaliter, quod scilicet sua ratione formali est extrà nihilum, & hoc ens abstrahit à completo, & incompleto ente in specie, vel in ratione entis, & hoc est obiectum formale in genere entis, nimirum constitutiuum formale obiecti materialis methaphysicæ vniuersalissimæ.

Rationes pro parte negatiua suprapositæ, ex dictis non difficilem habent solutionem.

Respondeo ad primam, qua dicitur quod hæc methaphysica vniuersalissima, si esset possibilis, esset scientia per se euidens euidentia immediata, & actuali; tùm quia esset scientia subalternans; tùm quia est demonstratiua passionum de suo subiecto per causam intrinsecam immediatam, & necessariam: distinguo maiorem, duplex enim est scientia subalternans; alia media, siuè non vltima, & alia vltima; siuè alia mediata, & alia immediata. Prima est illatiua conclusionum ex principijs mediatis intrinsecis, & secundis, nimirum demonstrabilibus per alia priora, & immediata principia. Distinctio hæc duplicis scientiæ, seù demonstrationis, doctrina est Aristotelis, *l. 1. top. cap. 1.* vbi docet, quod demonstratio, quæ nimirum est causa scientiæ, est quando ex veris, & primis deducit conclusiones; vel ex talibus, quæ per aliqua prima demonstrari possunt. Prima demonstratio est ex principijs euidentibus intrinsecis euidentia actuali, & immediata; Secunda verò est ex principijs euidentibus potentia, siuè aptitudine, siuè euidentia mediata: quæ quidem doctrina valde notanda est, quia ex ea pendet dubitationis resolutio. Scientia.n. quæ est effectus primæ demonstrationis, est scientia subalternans immediata, & vltima, & hæc est per se actu euidens, quia est ex principijs actu, & immediatè euidentibus; scientia verò, quæ est effectus secundæ demonstrationis, est scientia subalternata, quæ potest esse adhuc subalternans, respectu scientiæ inferioris: & declarari hoc potest in tribus syllogismis, quorum vnus subsumitur ad alium; nam primus syllogismus procedit ex præmissis demonstrabilibus per secundum syllogismum; secundus verò est ex præmissis demonstrabilibus per tertium, & vltimum syllogismum. In re nostra, methaphysica hęc vniuersalissima est quidem scientia subalternans mediata, & non vltima; quia mediat inter methaphysicam de omni ente naturali, & theologiam sacram viatorum secundum se, & inter scientiam superiorem formaliter supernaturalem, quæ est in Beatis, cognoscentibus entia supernaturalia extra Deú in proprio genere, siuè in propria natura. Scientia verò subalternans, quæ est immediatè, & per se actu euidens, est scientia subalternans vltima in suo ordine, quia hæc propriè est ex primis, & immediatis, causisque conclusionis, nimirum ex primis, & immediatis causis intrinsecis in essendo, siuè realiter, siuè virtualiter; alterutra enim causa intrinseca in essendo est medium demonstrationis scientialis; scientia enim subalterna, vel prima, vel media, est solum euidens euidentia potentiali, siuè aptitudinali, & mediata. Ad minorem, qua dicitur, quod implicat scientia euidens euidentia intrinseca esse de entibus supernaturalibus in statu viæ, etiam supposita diuina reuelatione, tamquam conditione manifestante: distinguo de scientia euidente; alia enim est euidens euidentia mediata, & aptitudinali, & non vltima; alia est actu euidens euidentia immediata prima, & vltimata; hæc implicat, vt sit de entibus supernaturalibus in statu viæ cognoscibilibus lumine fidei; prima autem non implicat, vt sit de entibus supernaturalibus in statu viæ, in quo cognoscuntur lumine fidei; quia huiusmodi scientia, ex accidenti, in statu viæ est obscura, & ineuidens actu; solum autem est euidens aptitudine, quatenus scilicet est ex principijs, vt scitis, vel scibilibus in superiori scientia per se euidenti, & vltimata. Neque huic doctrinæ obstat, quod modo dixi, scientiam mediatam esse actu euidentem; nam sensus est, quod sit actu euidens euidencia aptitudinali, ad differentiam scien-

tiæ, quæ nec actuali euidentia, neque euidentia aptitudinali est euidens; ad eum modum, v. g. quo essentia creaturæ, vt distincta ab existentia, dicitur actu essentia, quia est actu potens existere, non quia seclusa existentia sit intrinsecè actu existens.

Cum secundò dicitur, quod methaphysica vniuersalissima est demonstratiua passionum per causam intrinsecam in essendo, saltem virtualiter; hæc autem est per se actu euidens euidentia completiua.

Respondeo cum distinctione, est demonstratiua passionum de suo subiecto, ex causa intrinseca, vt scibili in superiori sciẽtia, licet superioris ordinis, & concedo: ex causa, vt scita completè, & vltimatè intra ipsam scientiam, & nego: quia hæc methaphysica vniuersalissima, vt probabitur in hac quæstione, proprio articulo, subalternatur scientiæ per se infusæ in Beatis.

Cum vltimò dicitur, hanc methaphysicam vniuersalissimam in statu viæ esse simul cum fide diuina in eodem intellectu de eodem obiecto; sed implicat fidem, & scientiam de eodem esse simul.

Respondeo, fidem diuinam de eodem obiecto materiali esse incompossibilem cum scientia subalternante vltima, & immediata, & concedo; esse incompossibilem in eodem intellectu cum scientia, vt subalternata, & media, & nego: & rationem huius iam supra assignaui; quia scientia subalternata, & media ex accidenti in statu viæ est ineuidens, & obscura actu; ex quo non sequitur contradictio, quod idem intellectus, sit actu videns, & non videns idem obiectum. Cum S. Thomas dicit, incompossibilem esse scientiam cum fide in eodem intellectu de eodem obiecto, loquitur de scientia perfecta, & completa, quæ est ex primis immediatis, &c.

Neque dicas, quod scientia est actu euidens, quia est ex causa intrinseca in essendo, siuè ex medio intrinseco essendi; quia per hoc contradistinguitur à fide, quæ est ineuidens, quia est ex medio extrinseco mouente intellectum ad assensum; sed esse ex medio intrinseco essendi reperitur etiam in scientia subalternata; hæc enim etiam est ex medio intrinseco in essendo.

Respondeo enim, quod dupliciter potest esse scientia ex medio intrinseco, vel scilicet ex medio intrinseco primo, & immediato, & indemonstrabili per aliud prius & immediatius; vel ex medio intrinseco mediato, vt resolubile in aliud prius: siuè alijs verbis, dupliciter potest esse scientia ex medio intrinseco; vel scilicet ex medio intrinseco, vt scibili in superiori scientia completa, & vltimata; vel ex medio intrinseco completè, & vltimatè scito intra ipsam scientiam; illa est euidens tantum aptitudine, siuè mediatè; hæc autem est euidens actu, & immediatè: nisi fiat quæstio de nomine, intelligendo scientiam esse actu euidentem, illa, quæ est actu, & formaliter euidens euidentia aptitudinali, quæ est scientia subalternata, & ex accidenti potest esse obscura, ad differentiam scientiæ, prout abstrahit à scientia subalternante, & subalternata; hæc enim scientia in generali est euidens euidentia præscindente ab euidentia aptitudinali, & mediata; & ab euidentia actuali, & immediata: & fortè in hoc sensu loquutus est Caieta. cum dixit, scientiam in generali abstrahere a clara, & obscura, nimirum à claritate actuali, & ab obscuritate actuali.

Ad secundam rationem, qua dicitur quod hæc methaphysica vniuersalissima, si esset dabilis, deberet esse distincta specie à theologia viatorum secundum se; sed hæc distinctio est impossibilis, &c.

Respondeo, concedo maiorem, vt probatum est, & nego minorem. Ad probationem minoris, concedo maiorem, nempè ad distinctionem formalem scientiæ superioris ab inferiori scientia, requiri, vt superior scientificè tractet de pluribus, quam scientia inferior: sed nego minorem, quoniam methaphysica vniuersalissima scientificè considerat materialiter, non solum obiecta materialia methaphysicæ naturalis, & theologiæ sacræ viatorum; sed etiam considerat materialiter obiecta formalia vtriusque, supposita fide de supernaturalibus: at methaphysica naturalis considerat tantummodo sua obiecta naturalia, & theologia sacra viatorum considerat obiecta scibilia naturalia, & supernaturalia; ergò methaphysica vniuersalissima de pluribus obiectis scientificè tractat, quam methaphysica naturalis, & theologia sacra viatorum; quia obiecta formalia harum scientiarum sunt obiecta materialia methaphysicæ vniuersalissimæ, quæ est de ente reali formaliter, vt abstrahente ab ente, siuè scibili naturali, & ab ente, siuè scibili supernaturali, supposita tamen fide, manifestante supernaturalia.

Ad instantiam, qua dicitur, ad vniuersalitatem, & superioritatem scientiæ, requiri tantum vniuersaliorem abstractionem in ratione scibilis, nimirum, vt abstractio à materia sit vniuersalior, & superior in ratione scibilis, non autem in gene-

re

re entis; quia superioritas scientię est ex suo obiecto formali, non autem ex suo obiecto materiali; obiectum verò in genere entis est obiectum materiale; hæc autem abstractio vniuersalior à materia non est in ente reali vt sic, abstrahente à naturali, & supernaturali: quandoquidem materia est ratio potentialis; quia est ratio determinabilis, & complebilis; in ente verò supernaturali non datur ratio potentiæ; quia supernaturale ex suo genere est actus, cum sit ens supremum.

Respondeo; nego maiorem; abstractio enim formalis à materia, est abstractio fundamentalis obiecti in genere entis, quæ ex eo est vniuersalior alia; quia est prædicati vniuersalioris; ideò enim in ente, v. g. naturali est abstractio formalis à materia sensibili indiuiduali; quia ens naturale, quod est obiectum physicæ in genere entis, abstrahit secundum se à materia sensibili indiuiduali, quia materia indiuidualis, non ingreditur definitionem essentialem entis naturalis, vt probat S. Thomas 1. *par. quęst. 3. art. 3. in corpore*, dicens, quod in rebus compositis ex materia, & forma; essentia, vel natura comprehendit in se illa tantum, quæ cadunt in definitione speciei, sicut humanitas comprehendit in se ea, quę cadunt in definitione hominis; his enim homo est homo; materia autem indiuidualis cum omnibus accidentibus indiuiduantibus ipsam, non cadit in definitione speciei; non enim homo, vt homo est essentialiter Petrus, vel Paulus; idem dico de obiectis aliarum scientiarum: & in re nostra ideò in ente reali vt sic, est abstractio, siuè abstrahibilitas vniuersalior abstractione, quæ est in methaphysica naturali; & abstractione, quæ est in theologia sacra viatorum: quia ens reale vt sic, quod est obiectum formale in genere entis methaphysicæ vniuersalissimæ, est vniuersalius obiecto in genere entis methaphysicæ naturalis, & theologiæ sacræ viatorum, & hæc abstractio, vt supra explicauimus, est vniuersalissima: non solum, quia est abstractio ab omni materia physica, & methaphysica; verùm etiam ab obiectis, tùm materialibus, tùm formalibus scientiarum inferiorum, quæ sunt methaphysica vniuersalissima naturalis, & theologia sacra viatorum.

Ad tertiam rationem, qua dicitur; quod theologia sacra viatorum est immediatè subalternata scientiæ Dei, & Beatorum, vt probat S. Thomas 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. quia procedit ex reuelatis, vt scitis lumine superioris scientiæ, quæ est scilicet, scientia Dei, & Beatorum: sicut musica procedit ex principijs scitis in arithmetica; sed si esset possibilis methaphysica hæc vniuersalissima; theologia sacra viatorum, non esset immediatè subalternata scientiæ Dei, & Beatorum.

Respondeo, nego maiorem; solum enim theologia sacra viatorum est mediatè subalternata scientiæ, quæ est in Beatis, quę est in scientia per se infusa, & supernaturalis rerũ supernaturalium, extra Deum in proprio genere, nempè media methaphysica vniuersalissima, quæ, vt infra in proprio articulo, reperitur etiam in Beatis. Neque oppositum docet S. Thomas; solum enim docet theologiam sacram viatorum esse ex principijs, notis in superiore scientia, quę est in Beatis, intelligens theologiam sacram viatorum esse subalternatam eo ordine, & modo quo potest; quandoquidem prior est, & superior methaphysica vniuersalissima, quam theologia sacra viatorum secundum se, prioritate, & superioritate naturę, siuè essentię, & hęc est scientia media inter theologiam sacram viatorum, & sciẽtiam per se infusam, siuè supernaturalem, quę est vniuersalior methaphysica vniuersalissima, vt probabitur in alio articulo huius quęstionis.

Quod si dicas, hęc responsio supponit methaphysicã vniuersalissimã subalternari scientię per se infusę in Beatis: sed hoc est falsum; quia methaphysica vniuersalissima si subalternaretur scientiæ per se infusę in Beatis, procederet ex principijs, vt scitis scientia vniuersaliori, & per se infusa Beatorum; sed hoc est impossibile; quia si daretur, procederet ex principijs vniuersalioribus vniuersalissimis, & primis simpliciter extra Deum; quia procederet ex principijs, quę concernunt ens reale vt sic, quod sub se comprehendit etiam Deum, vt abstrahibilem, nimirum vt cognoscibilem à nobis ex creaturis.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem: Respondeo methaphysicam vniuersalissimam procedere ex principijs vniuersalissimis scientiæ illatiuæ per se acquisibilis, & concedo: procedit ex principijs vniuersalissimis in genere scientię illatiuę simpliciter, & nego: hoc enim est proprium scientiæ per se infusæ, quæ est vniuersalior methaphysica vniuersalissima; quia eius obiectum formale est propinquius primo intelligibili: tùm quia methaph. vniuersalissima tractat scientificè maiori ex parte de veritatibus reuelatis in sensu materiali, & specificatiuo; hę verò ve-

veritates sunt scibiles vltimatè, & completè in superiori scientia supernaturali, quæ est scientia per se infusa in Beatis: tùm etiã, quia est ex principijs, quæ sunt demonstrabilia etiam in scientia superiori supernaturali, & per se infusa ex prioribus. Neque huic responsioni obstat doctrina S. Thomę, dicentis theologiam sacram subalternari scientiæ Beatorum, quæ est scientia Dei, & Beatorum; nam S. Thomas eo loco primò locutus est de scientijs, quæ sunt de facto in viatoribus; nos autem loquimur hic de scientijs etiam de possibili, secundum gradus formales scientiarum, quarum vna est superior alia. Secundò, quia S. Thomas non dixit theologiam sacram viatorum, esse immediatè subalternatam scientię Beatorum in patria; sed solum dixit, quod theologia sacra viatorum est scientia procedens ex principijs, notis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, & Beatorum; at subalternatio potest esse tàm mediata, quam immediata, & ideò ex suo genere, non excludit vnam scientiam subalternari alij superiori mediatè: methaphysica enim vniuersalissima subalternatur immediatè scientiæ Beatorum, quæ est scientia supernaturalis, & per se infusa, vt in speciali articulo huius quæstionis probabitur; theologia verò sacra viatorum secundum se, quatenus scilicet est ex principijs, vt scitis in superiori scientia, subalternatur methaphysicæ vniuersalissimæ immediatè; media verò methaphysica vniuersalissima subalternatur scientiæ superiori Beatorum: quod clarè intelligitur exemplo trium demonstrationum, quarum vna subordinatur alteri. Fundatur hæc doctrina in eo principio methaphysico, quod duplex est scientia subalternans: alia vltima, & simpliciter: & alia intermedia, & non vltima in genere scientiæ; scientia enim subalternans vt sic, abstrahit a subalternante vltima, & à subalternante non vltima: sicut finis abstrahit, à fine vltimo, & à fine non vltimo; siue abstrahit à scientia subalternante in vno genere, & à scientia subalternante simpliciter.

Dicent fortè primò aduersarij, ex hac doctrina sequi, nullam dari scientiam in ordine naturali, quæ sit subalternans vltima, & simpliciter, quod est contra Aristotilem, & contra rationem: contra quidem Aristotelem, quia hic *lib.* 1. *top. cap.* 1. definit demonstrationem, quæ est causa scientiæ, vt dicitur 1. *poster. cap.* 2. syllogismum ex veris, & primis, vel ex talibus, quæ per aliqua prima, & vera suæ cognitionis, principium sumpserunt; & sensus definitionis est, quod demonstratio; alia est, quæ deducit conclusionem ex principijs primis, & immediatis; & alia quæ deducit conclusiones ex principijs mediatis, nimirum demonstrabilibus per alia principia priora, & immediata. Secundò, est contra rationem; quia esset in vniuerso ordo scientiæ incompletus, & imperfectus formaliter, quod repugnat perfectioni vniuersi, qui est perfectus, non solum, quia includit omnes gradus entis naturalis; sed etiam, quia quilibet gradus perfectionis, est perfectus in sua latitudine formali; secus posset dari vna species perfectior alia in vniuerso.

Respondeo, nego sequelam; nam datur duplex methaphysica; alia, quæ est tantum de rebus naturalibus, nimirum cognoscibilibus solo naturæ lumine; & alia, quæ est de rebus non solum naturalibus, sed etiã supernaturalibus materialiter; supposita tamen diuina reuelatione, tamquam conditione necessaria, quæ præbet occasionem intellectui ad inueniendum medium probandi à priori veritates supernaturales reuelatas. Prima est methaphysica Aristotelis, qui non agnouit nisi scientiam rerum naturalium, vel alterius Doctoris; & hæc methaphysica in ordine naturali, nimirum in ordine scientiæ, quæ acquiritur regulis naturalibus syllogisticis, est scientia subalternans vltima, quæ est immediatè euidens: alia verò methaphysica vniuersalissima, quæ tractat de obiecto tàm materiali, quàm formali methaphysicæ Aristotelis materialiter, non est subalternans vltima, & simpliciter; sed subordinabilis, siuè continuabilis superiori scientiæ (quæ est in Beatis in Patria) rerum extrà Deum in proprio genere; quia, vt probauimus, comprehendit sub se theologiam sacram Beatorum, quæ est ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia Beatorum.

Ad quartam rationem, qua dicitur, quod hæc methaphysica vniuersalissima neque esset scientia naturalis, neque supernaturalis; sed non est dabilis scientia in aliqua specie, quæ non sit, vel naturalis, vel supernaturalis.

Respondeo, nego maiorem; methaphysica enim vniuersalissima formaliter est scientia naturalis, quia est demonstratiua passionum de suo subiecto, medio inuento, & cognito regulis naturalis discursus; hæc autem est scientia formaliter naturalis per se acquisibilis, supposita tamen fide diuina, vt conditione necessaria manifestante veritates supernaturales: cum verò di-

dicitur, methaphyſica vniuerſaliſſima eſt de ente naturali, abſtrahente à naturali, & ſupernaturali; Diſtinguo, eſt de ente abſtrahente à naturali, & ſupernaturali, in genere entis, quod eſt obiectum materiale, & concedo: in genere ſcibilis, quod eſt obiectum formale, & nego; ſcientia enim eſt naturalis ex obiecto formali in genere ſcibilis naturalis, quod eſt ratio qua, vel ſub qua cognoſcitur obiectum materiale; & illud eſt naturale, non abſtrahens; non autē ex obiecto materiali; ens enim reale vt ſic, eſt quidē formale obiectū, ſed in genere entis, & cōſequēter eſt ratio formalis obiecti materialis.

Neque dicas, ratio qua, vel ſub qua obiecti in genere ſcibilis, vt ſupra diximus, eſt abſtractio obiecti à materia; ſed hæc in ente abſtrahente à naturali, & ſupernaturali, non poteſt eſſe naturalis, quia ens vt ens, cuius eſt abſtractio, abſtrahit à naturali, & ſupernaturali; abſtractio autem naturalis debet eſſe entis naturalis; nam.

Reſpondeo, quod dupliciter ens reale vt ſic, eſt abſtrahibile à materia; vno modo, quatenus eſt cognoſcibile lumine naturali; alio modo, quatenus eſt cognoſcibile, vel lumine ſupernaturali, vel lumine, abſtrahente à naturali, & ſupernaturali: ens reale vt ſic, quod eſt obiectum methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, eſt ens cognoſcibile lumine naturali, nimirum regulis, & medijs naturalis diſcurſus; & hæc abſtractio, vel ſcibilitas, eſt naturalis, & ideò methaphyſica vniuerſaliſſima, eſt ſcientia naturalis per ſe acquiſibilis: dico, cognoſcibilitas, vel abſtractio, nimirum fundamentales; quia hæc duo ſunt idem formaliter. Contra has concluſiones ſunt etiam omnia argumenta, contra concluſiones præcedentis Articuli, vbi ſufficienter ſoluta remanent.

---

## ARTICVLVS TERTIVS.

### Vtrum ſit poſſibilis alia methaphyſica vniuerſalior, quam methaphyſica de ente reali, abſtrahente à naturali, & ſupernaturali.

INtelligitur hic articulus, ſicut, & præcedens de methaphyſica vniuerſaliſſima in ſciendo, non autem in prædicando; quæ methaphyſica, ſi daretur poſſibilis, non poſſet eſſe alia, niſi ſcientia de ente vt ſic, abſtrahente ab ente reali, & ab ente rationis puro; quia ſcientia vniuerſaliſſima, eſt ex obiecto vniuerſaliſſimo, vel in eſſendo, vel in prædicando; at non datur aliud ens vniuerſaliſſimum ſupra ens reale vt ſic, niſi ens, abſtrahens ab ente reali, & ab ente rationis puro. Sine dubio, ſi daretur hoc ens, abſtrahens à reali, & à rationis puro, contrahibile à reali, & à rationali puro, quod aliqui excogitarunt; non eſſet difficile ſuſtinere dabilem eſſe hanc methaphyſicam vniuerſaliſſimam de ente vt ſic; quia implicat dari ſcibile ſine ſcientia: ſaltem de poſſibili ſunt, qui dicunt apud Suarez 1. *meth. diſp.* 1. poſſe dari hoc ens abſtrahens à reali, & à rationali puro, diuiſibile in vtrumque; quod poteſt hunc in modum probari. Primò, quia ens extra propoſitionem, & ſine vlla taleitate expreſſum, præſcindit ab omni modo diuidente, hoc autem eſt diuiſibile in plura inferiora, quæ non poſſunt eſſe, niſi ens reale, & ens rationis purum; Clariùs, ens non dicit aliud, niſi id quod eſt, vel eſſe poteſt; ſed hoc reperitur, tàm in ente reali, quàm in ente rationis puro; quia id quod eſt, nullum modum eſſendi dicit, neque realem, neque rationis; hoc autem, non repugnat reperiri in ente reali, & in ente rationis puro; ergo dabile eſt ens vt ſic, quod ſcilicet eſt poſſibile abſtrahendo à poſſibilitate reali, & à poſſibilitate obiectiua. Hac ratione moti, non defuerunt, qui dixerunt, non ſolum de poſſibili, ſed etiam de facto dari methaphyſicam hanc vniuerſaliſſimam, quæ ſcientificè tractat de omnibus entibus, tàm realibus, quàm rationis, ſub ratione formali, quia ſunt ens vt ſic, quam opinionem fusè explicat, & refert Suarez *tom.* 1. *ſuæ meth. diſp.* 1.

Secundò, quia ens vt ſic, eſt ratio vniuerſaliſſima eſſendi ens, quia reperitur in omni ente reali, ſiuè negatiuo, ſiuè poſitiuo; & in omni ente etiam rationis puro; ſed hæc eſt ſufficiens, vt ſit obiectum formale terminatiuum, vnius ſcientiæ vniuerſaliſſimæ, irreſolubilis in aliam vniuerſaliorem in ſciendo; ergo dabilis eſt methaphyſica vniuerſaliſſima ſimpliciter, quæ eſt vniuerſalior, quam methaphyſica de omni ente reali, tàm naturali, quàm ſupernaturali; tàm negatiuo, quàm poſitiuo. Maior eſt euidens ex terminis; quia ens vt ſic, non habet ſupra ſe aliud ens vniuerſalius, & communius; quia ens vt ſic, nullam includit taleitatem, ſiuè modum contrahentem. Minor verò probatur; Prima, & vniuerſaliſſima ratio eſſendi, eſt ratio formalis ſciendi: eadem enim ſunt principia intrinſeca eſſendi, & ſciendi; ſed hæc eſt obiectum for-

ma-

Digitized by Google

male terminatiuum intellectus saltem in genere entis, ergò, &c.

Quod si primò respondeas, methaphysicam vniuersalissimam esse scientiam realem; est enim habitus realis facilitans intellectum, ad probandas passiones de obiecto vniuersalissimo; at obiectum huius formale terminatiuum, non potest esse, nisi ens reale: tùm quia obiectum formale terminatiuum, est specificatiuum scientiæ; specificatiuum autem scientiæ realis necessariò debet esse reale; nihil enim reale potest specificari à non reali, quia simul esset reale & non reale: tùm quia obiectum formale terminatiuum, est prius natura, quam sit scientia, quam terminat; quia est causa specificatiua; & nihil potest esse prius scientia reali, nisi ens reale.

Aduersarius statim potest dicere primò, scientiam realem specificari ab obiecto reali motiuo, non autem ab obiecto formali terminatiuo; quoniam obiectum motiuũ, est quod influit cum intellectu in scientiam acquirendam; obiectum autem formale terminatiuum, solùm terminat sua ratione formali scientiam.

Secundò, potest dicere, quod ratio allata in responsione: nimirum quod ens abstrahens à reali, & non reali, non potest specificare scientiam realem; quia specificatiuum est prius suo specificato, hæc autem prioritas non potest competere non reali ex suo genere: non est ratio conuincens; quia obiectum specificatiuum scientiæ, satis est, vt præcedat scientiam in genere causæ finalis, vel formalis terminatiuæ; non autem requiritur, vt præcedat in genere causę efficientis, quod euidenter apparet in potentijs cognitiuis, & in scientijs, quæ faciunt sua obiecta; ista enim obiecta consequuntur eorum productionem in genere causæ efficientis; eam verò præcedunt in genere causæ formalis terminatiuæ; sed totum hoc potest habere ens vt sic, abstrahens nimirum à reali, & rationis, saltem in aliquo suo inferiori, quod sufficit, vt possit specificare scientiam: potest enim ens determinatum, quatenus ens formaliter, specificare scientiam, v.g. si daretur vnum tantum ens; hoc posset specificare, quatenus est ens, methaphysicam vniuersalissimam, quia quatenùs ens, est obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ.

Tertiò, potest dicere aduersarius scientiam realem specificari à modo tendendi in suum obiectum, siuè à modo sciendi suum obiectum formale terminatiuum; non autem à suo obiecto formali terminatiuo; specificatio enim est ab vltima differentia, & non à ratione generica; sed obiectum terminatiuum, est ratio generica; diuersus verò modus sciendi obiectum, est differentia: ergo scientia specificatur à modo sciendi, non autem ab obiecto terminante; at hoc posito parum cõducit ad scientiam realem, vt eius obiectum formale terminatiuum, sit reale, vel non reale; quia vtrumque potest realiter cognosci pluribus modis ab eadem scientia.

Quartò, potest dicere aduersarius, quod si quid impediret, quominus ens vt sic, non posset esse obiectum formale terminatiuum, hoc foret; quia scientia realis, est in aliqua specie vniuoca, hæc autem nõ potest specificari, nisi ab obiecto vniuoco: ens autem vt sic non potest esse vniuocum, etiam logicum, sicut est ens reale formaliter; sed hoc non conuincit.

Primò, quia satis est obiectum in genere entis, esse analogum, quia vniuocatio scientiæ, non est respectu obiecti, sed respectu inferiorum, in quibus multiplicatur cum omnimoda similitudine. Secundò, quia scientia realis specificatur, non ab obiecto formali terminatiuo in genere entis, sed ab obiecto formali terminatiuo in genere scibilis, quod formaliter habetur per abstractionem formalem à materia, nimirum per abstractionem fundamentalem, non actualem; est autem abstractio formalis fundamentalis, diffinibilitas, siuè considerabilitas entis sine omni materia: hæc autem est vniuoca, quia eodem modo, & sine vlla diuersitate reperitur in obiecto, & est participabilis cum omnimoda similitudine in suis inferioribus, de quibus est prædicabilis.

Hæc responsio, & doctrina solet impugnari hoc argumento; cognoscibilitas, siuè abstrahibilitas entis ab omni materia, est proprietas, siuè passio entis; sed ens vt sic dicitur analogicè de ente reali, & de ente rationis; ergo etiam abstrahibilitas entis ab omni materia est analoga; sed hæc non potest specificare scientiam vniuocam, quia effectus est passio formalis suæ causæ, sed causa est analoga; ergo etiam effectus, quæ est scientia.

Sed auctores contrariæ sententiæ facile se expediunt ab hoc argumento; dicunt enim cognoscibilitatem, siuè diffinibilitatem entis vt sic, sine omni materia, dupliciter posse considerari; vno modo, quatenus est effectus per se entis: alio modo, vt ratio formalis terminandi scientiam. Si consideretur primo modo, concedunt illam esse analogam, sicut & ens; at verò secun-

cundo modo non est analoga, sed vniuoca: & ratio disparitatis est, quia vt ratio formalis terminandi scientiam, eodem modo illam terminat, siuè ponatur in ente reali, siuè in ente rationis puro, & ideò vniuoca est, id quod non habet inquantum est effectus per se naturæ sui subiecti, quia sic est participatio formalis sui subiecti. Explicant hanc doctrinam exemplo simili potentiæ visiuæ hominis, & potentiæ visiuæ equi; istæ enim duæ potentiæ, si considerentur vt passiones, nimirum vt effectus per se in secundo modo, specie distinguuntur, propter diuersitatem specificam naturarum, quarum sunt proprietates; sed si considerentur in ratione specificabilis ab obiecto formali visus, sunt eiusdem speciei vniocę: & ratio diuersitatis est, quia hoc secũdo modo visiuæ, sunt effectus obiecti formalis, quod est eiusdem rationis; consideratæ verò primo modo, sunt effectus naturarum diuersarum specierum.

Secundò probatur sententia, ens vt sic abstrahens à reali, & à rationali puro, est obiectum formale terminatiuum intellectus creati in genere entis; sed quod est obiectum formale terminatiuum in genere entis intellectus creati, potest esse etiam obiectum scientiæ vniuersalissimę, licet alio modo; ergo ens vt sic, potest esse obiectum formale terminatiuũ in genere entis vnius scientiæ vniuersalissimæ; ergo possibilis est methaphysica vniuersalissima de ente, abstrahente à reali, & rationis puro. Maior probatur, quia intellectus creatus, cum sit immaterialis, non habet in se vndè limitetur in cognoscendo vniuersalia, at si intellectus non posset habere pro obiecto formali terminatiuo ens vt sic, haberet vndè limitaretur in cognoscendo vniuersalia, quod est falsum; nam dicitur ab Aristotele, intellectum esse vniuersalium; sensum verò particularium.

Explicatur vis argumenti, scientia eò est vniuersalior in cognoscendo, quò eius obiectum formale terminatiuum est vniuersalius, & abstractius à materia; sed datur obiectum scibile vniuersalissimum simpliciter, quod est ens vt sic, abstrahens à reali, & à rationali puro: ergo dabilis est etiam scientia vniuersalissima, quam vocamus methaphysicam vniuersalissimam, quæ est de omni ente, sub ratione formali obiectiua, quia sunt ens.

Quod si respondeas, obiectum formale terminatiuum in genere entis scientiæ realis vniuersalissimæ, sicut etiam, & intellectus creati debet esse prius, & vniuersalius vniuersalitate causæ, non autem prioritate, siuè vniuersalitate solius prædicationis; quia obiectum formale terminatiuũ, eti am in genere entis, saltem radicaliter, & mediatè est specificatiuum scientiæ, vel potentiæ cognitiuæ realis; at ens vt sic est prius, & vniuersalius in prædicando, quod non necessariò debet esse reale; sed non est prius, & necessarium in ratione causæ specificatiuę scietię realis, quia hoc obiectũ necessariò debet esse reale; ens verò vt sic nõ est reale.

Statim dicere possunt aduersarij; obiectum formale terminatiuum in genere entis, esse specificatiuum extrinsecum scientiæ, siuè potentiæ cognitiuæ, non autem intrinsecum; quia obiectum terminatiuum formale, etiam in genere entis, non constituit intrinsecè scientiam, sed tantum illam ad se terminat; neque influit in scientiam, aut in potentiam esse, sed tantum terminat ordinem scientiæ ad se; specificatiuum verò intrinsecum scientiæ, vel potentiæ realis, debet esse reale; non autem extrinsecum, quod præcisè terminat ad se ordinem intrinsecum scientiæ, vel potentiæ; est verò specificatiuum intrinsecum scientiæ, vel potentiæ cognitiuæ, intrinsecus ordo trascendentalis scientiæ, vel potentiæ cognitiuæ ad suum obiectum formale in genere entis. Obiectum hoc formale terminatiuũ, non necessariò debet esse prius prioritate causæ, quia, vt dixi, non est causa, sed purus terminus formalis in genere entis; sed solum necessariò debet esse prius prioritate vniuersalitatis, & prędicationis, quando scientia, siuè potentia cognitiua est vniuersalis in cognoscendo, & ideò ens vt sic, potest esse obiectum formale terminatiuum in genere entis scientiæ realis, siuè potentiæ realis cognitiuæ.

Et confirmatur responsio, nam posita hac vniuersalitate tantum in prædicando in obiecto formali terminatiuo in genere entis, & remota omni ratione causæ, habetur sufficienter obiectum formale terminatiuum in genere entis scientiæ realis vniuersalissimæ: ergo hoc tantum sufficit ad methaphysicam vniuersalissimam.

Tertiò probatur opinio; si qua alia esset ratio, cur ens vt sic, non posset esse ens formale terminatiuum in genere entis methaphysicę vniuersalissimę; ea esset, quia scientia est expressio formalis sui obiecti terminatiui; omnis enim cognitio fit per assimilationem, scientia autem vniuersalissima est quędam cognitio; sed methaphysica vniuersalissima, cum sit realis cognitio, non potest esse expressio formalis entis non rea-

realis, quale est ens vt sic, abstrahens à reali, & à rationis puro, sed hæc ratio nulla est, vt dicere possunt auctores contrariæ sententiæ; quia scientia, siuè cognitio habet duplicem terminum; vnum primarium intrà intellectum, qui est conceptus cognitione productus;& alium extrà intellectum, qui sunt res, de quibus est scientia: cognitio est formalis expressio termini primarij, qui est ad intrà;non autem termini secundarij, qui est extra intellectum.

Confirmatur opinio,quia nihil prohibet, vt realia, & obiectiua pura scientificè disponantur, & considerentur sub ratione formali obiectiua, quia sunt ens; sed hoc sufficit, vt de possibili detur methaphysica vniuersalissima simpliciter vniuersalior methaphysica, quæ est de omni ente reali, tàm naturali, quàm supernaturali materialiter.

Sententiam hanc eo sublimiori modo, quo potui explicaui, vt possem illam radicitùs impugnare, quoniam potius subtilis est, quam vera, vt doctè etiam probat Suarez 1. *tom. sua meth. disp.* 1. qui sequitur sententiam oppositam, quæ mihi semper placuit,eamque explicabo sequenti conclusione.

Vnica conclusio;implicat dari methaphysicam vniuersalissimam de omnibus entibus realibus, & obiectiuis puris sub ratione formali, quia sunt ens; vel sub alijs verbis,implicat methaphysicam vniuersalem de ente vt sic, abstrahente ab omni ente reali, & ab omni ente rationis puro. Conclusio controuersa est,quoniam contrarium tuentur, non solum omnes auctores primæ sententiæ, quos refert Suarez *loc. cit.* sed etiam ij, qui dicunt, ens rationis purum, cum fundamento tamen in re, posse esse obiectum formale terminatiuum in genere entis logicæ, quæ est quidem scientia rationalis,sed intrinsecè realis.Vt autem conclusio hæc explicetur suis primis principijs, affertur in medium distinctio scientiæ,præsertim actualis, quæ dupliciter sumi potest; vno modo, vt scientia actio; alio modo, vt scientia passio, quæ distinctio competit omni operationi causæ agentis; scientia autem, est quædam operatio causæ agentis actualis; doctrina est in terminis S. Thomæ *par. 2. quæst. 1. art. 3. in corpore*, & eam explicat exemplo calefactionis, quæ duplex est formaliter; alia est calefactio actio; & alia est calefactio passio: calefactio actio est motio à calore procedens; calefactio verò passio, est motio ad calorem. Pariter scientia, præsertim actualis, cum sit operatio scientis, sumi potest, vt scientia actio, & vt scientia passio; est quidem scientia actio quatenus procedit ab habitu cõclusionum vel ex principijs mouentibus intellectum ad inferendam cõclusionem; est verò scientia passio, quatenùs est motio scientifica ad scibile, nimirum quatenus est consideratio scientifica sui scibilis. Quatenus est scientia actio specificatur ab actu, qui est principium formale ipsius scientificæ operationis, quod est ipse habitus, qui vt scientia actio in radice specificatur a principijs, quibus scientificus mouetur ad inferendam conclusionem; quatenus verò est scientia passio specificatur a suo scibili formali, nimirum ab actu, qui est terminus formalis ipsius scientificæ operationis, sicut calefactio actio specificatur à calore, qui est in agente, quatenus verò calefactio passio specificatur à calore, qui est in passo: & huius hanc optimam rationem assignat S. Thomas *loco cit.* quia vnumquodque sortitur speciem a forma, non a potentia; sed actus, siuè forma operationis inquantum actio, est actus, qui est principium formale operandi in agente; actus verò operationis inquantum passio,est eius terminus formalis; forma enim est actus completiuus in specie. Hoc principium explicari potest euidenter ex eo, quia actus, quod est principium formale agendi, siuè operandi, ponitur vt differentia in definitione operationis,vt actio; in definitione verò operationis inquantum passio, ponitur eius terminus formalis, vt differentia; specificatio autem semper sumitur à differentia in omnium opinione: quod clarè intelligitur exemplo calefactionis, quæ vt calefactio actio, definitur motio procedens à calore; calefactio verò passio definitur motio ad calorem, in quibus definitionibus motio est genus; ly verò, à calore, & ad calorem, sunt differentiæ essentiales,quibus constituuntur diuersæ species.

Neque huic doctrinæ obstat,quod subiungit S. Thomas,dicens, actus humanos, siuè illi considerentur per modum actionum, siuè per modum passionum, speciem sortiri à fine: vtroque enim modo, inquit, possunt considerari actus humani; quia homo mouet seipsum, & mouetur à seipso; non inquam, hoc obstat; quoniam finis in diuerso modo essendi, siuè in diuerso ordine, est principium, & terminus actionis,nimirum vt mouens agens ad operandum,est principium in genere causæ finalis operationis, in ordine nimirum intentionis; in ordine verò executionis est terminus actionis agentis in genere causæ efficientis: hæc di-

distinctio aptatur etiam scientię habituali, quæ sumi potest, & vt principium scientiæ actualis, prout est actio; & vt principium scientiæ actualis, prout est passio; Primo modo, specificatur à principijs, ex quibus procedit scientia: vel ex medio formali intrinseco, mouente scientem ad assensum conclusionis. Secundo modo, specificatur ab obiecto formali terminatiuo scientiæ actualis, iuxta illud Aristotelis; potentiæ specificantur per actus, actus verò per sua obiecta formalia. In hac conclusione non loquimur de methaphysica vniuersalissima, prout scientia actio, vel prout est principium habituale scientiæ actualis, prout actio; sed de scientia, siuè methaphysica vniuersalissima, prout scientia passio; loquimur enim de scientia, vt est scibilis scientia.

Ratio prima cõclusionis est illa ipsa, quæ assignatur in responsione ad primam rationem pro parte contraria affirmatiua, nimirum, quia methaphysica vniuersalissima, est realis, non solum in genere entis; sed etiam in genere scientiæ: quia est determinata species, & entis, & scientiæ realis in generali, quæ est scientia realis; sed hæc essentialiter est scibilis realis; ergò non potest esse de scibili, vt formaliter non reali: sed ens, vt sic est non reale saltem negatiuè, siuè præcisiuè; dupliciter enim intelligi potest ens non reale, negatiuè, siuè præcisiuè; & positiuè, siuè contrariè: sicut, v. g. dupliciter intelligi potest animal, non esse rationale; negatiuè, & positiuè; animal seiunctum à rationali, dicitur rationale negatiuè, siuè præcisiuè; animal verò contractum ad brutale, dicitur non rationale positiuè, & contrariè: pariter ens inadęquatè conceptum cognitione abstractiua, est non reale negatiuè; contractum verò ad ens rationis purum, est non reale contrariè, & positiuè. In re autem nostra, obiectum formale terminatiuum scientiæ realis in ratione scientiæ, debet esse reale positiuè, & contrariè, nimirum contradistinctum, & contradiuisum ab ente rationali puro, quæ est minor huius rationis: & probatur clarè; quia scibile formale scientiæ realis in ratione scientiæ, complet illam intra suum genus formaliter; est enim differentia formalis terminatiua scientiæ realis in ratione scientiæ, nimirum prout est scientia passio: sed scientia, siuè methaphysica vniuersalissima, est realis in ratione scientiæ; ergo eius scibile formale debet esse reale in ratione scibilis.

Dicere possunt primò Auctores contrarię sententię, scientiam realem in ratione scientię specificari, siuè compleri in sua specie à suo obiecto formali motiuo, non autem à suo obiecto formali terminatiuo. Dicitur obiectum formale motiuum in re præsenti, medium formale intrinsecum connexionis prædicati cum subiecto, quatenus mouens intellectum ad assensum conclusionis; dicitur verò obiectum formale terminatiuum, quod seipso terminat scientiam, & hoc potest esse non reale, quia non non influit influxu, vel specificatiuo, vel effectiuo in scientiam.

Sed hæc distinctio non est ad rem; nam in hac conclusione non loquimur de scientia, prout actio; sed de scientia, prout passio, quatenus scilicet scientia est scibilis formaliter; illa autem specificatur ex doctrina S. Thomæ *loco sup. cit.* à scibili terminatiuo, scilicet ab actu, qui est terminus formalis, & primarius scientiæ, & non ab obiecto motiuo, quod est principium, vel effectiuum, vel formale scientiæ; cuius ratio est etiam, quia in definitione scientiæ, vt passio, ponitur scibile formale terminatiuum, non autem scibile formale motiuũ; terminatiuum verò scientiæ realis non potest esse formale scientiæ realis, nisi sit reale, quia complet scientiam in ratione scientiæ realis.

Secundò respondere possunt aduersarij, scientiam prout passio est, specificari à modo tendendi in suum obiectum, siuè à modo sciẽdi suum obiectum terminatiuum primarium; non autem à suo obiecto terminatiuo præcisè: & huius ratio esse potest, quia specificatio est ab vltima differentia, & non à ratione generica. Nudum obiectũ formale terminatiuum est ratio generica, quia est cognoscibile pluribus modis diuersis formaliter; hi verò modi sunt differentiæ, quibus distinguuntur inter se scientiæ, obiectum verò, quod terminat, etiam si sit genericum; quia est obiectum considerabile pluribus scientijs specie diuersis: & isti diuersi modi cognoscendi realiter possunt habere obiectum non reale, vt cum cognoscitur ens rationis non esse reale.

Sed hæc responsio laborat etiam vitio æquiuocationis, nam diuersi modi tendendi in idem obiectũ, vel sunt ex parte scientis, vel ex parte obiecti scibilis. Diuersi modi sciendi ex parte scientis, vt sunt cognoscere clarè, vel obscurè, sunt differentiæ diuersificantes specie scientias, quatenus sunt scientia actio; diuersi verò modi cognoscendi ex parte obiecti, qui sunt diuersæ formales scibilitates eiusdem obiecti debent esse

reales, quia diuersificant specie scientiam realem, proùt est scientia passio; aduersarij verò non distinguunt scientiam, proùt est actio; & scientiam, proùt est passio: neque distinguunt inter modum cognoscendi, & ex parte obiecti, & ex parte cognoscendi. Quod verò modi diuersi sciendi ex parte cognoscentis diuersificent scientiam, proùt actio est, ratio est in promptu; quia oriuntur ex diuersis medijs inferendi conclusiones necessariò, quibus mouetur intellectus ad inferendam conclusionem: hæc autem motio pertinet ad scientiam, vt actio est; diuersi verò modi cognoscendi ex parte obiecti, qui sunt diuersæ cognoscibilitates, diuersificant scientiam, vt passio; quia pertinent ad terminum formalem scientiæ; terminus autem formalis scientię specificat scientiam, proùt passio est, & si scientia est realis, terminus formalis debet esse realis, quia complet scientiam realem.

Tertiò respondere possunt aduersarij, negando obiectum formale terminatiuum methaphysicæ vniuersalissimæ, in ratione scientiæ realis esse ens reale vt sic: & huius hanc possunt assignare rationem; quia obiectum terminatiuum scientiæ vniuersalissimæ, debet esse scibile vniuersalissimum: at hoc non est ens reale, quia scibile vniuersalissimum, non est resolubile in aliud vniuersalius scibile; sed ens reale vt sic, est resolubile in aliud scibile vniuersalius, & communius, quod est ens vt sic, vel scibile vt sic: ergo scibile vniuersalissimum, quod est terminus formalis methaphysicæ vniuersalissimæ est ens vt sic, vel scibile vt sic.

Quod si respondeatur, terminum formalem methaphysicæ vniuersalissimæ, necessariò esse realem, quia est completiuus formaliter scientiæ realis ex suo genere; negant assumptum; quoniam terminus formalis scientiæ creatæ vniuersalissimæ realis non influit in scientiam realem, sed tantum terminat: & ratio à priori huius est, quia scientia vniuersalissima cum sit immaterialis, non habet in se vndè limitetur in cognoscendo; sed hæc est ad scibile vt sic, scilicet ad scibile abstrahens à reali, & non reali, secus scientia haberet in se vnde limitaretur.

Sed ratio allata non est conuincens; etenim scientia vniuersalissima realis in ratione scientiæ, sicut, & intellectus creatus, non habet in se vnde limitetur in cognoscendo, intra rationem scibilis realis formalis; sed habet in se vnde limitetur, ne se extendat ad terminum primarium formalem, & vniuersaliorem; tum quia scientia vniuersalissima, quæ est methaphysica vniuersalissima creata est realis realitate, & positiua, & abstrahente à positiua reali, & à negatiua reali; hæc autem formaliter adæquatur scibili formali reali. Si verò scientia vniuersalissima creata in ratione scientiæ, esset resolubilis in scientiam vniuersaliorem, sine dubio argumentum incontrarium conuinceret; sed hoc est impossibile, quia scientia vniuersalissima creata in ratione scientiæ, necessariò debet esse realis; quia est perfectio potentiæ intellectiuæ creatæ, in ratione potentię, non in ratione obiecti: hęc autem debet esse realis.

Quod si vltimò dicas, ens vt sic, vel scibile vt sic, abstrahens à scibili reali, & à scibili rationis puro, scientificè considerari à methaphysica vniuersalissima; de eo enim probantur scientificè passiones ex medio sciendi intrinseco; quia scilicet in sua definitione essentiali, nullam taleitatem determinantem includit. Responsio in promptu est, distinguendo scibile; quoddam enim est primarium, & formale; quoddam verò est secundarium, & materiale: methaphysica vniuersalissima scientificè considerat ens, siuè scibile vt sic, non vt scibile primarium, & formale; sed, vt scibile secundarium, & materiale: idque probatur primò, quia scibile vt sic, est cognoscibile dependenter ab ente reali vt sic; abstrahitur enim ab ente reali, & ab ente rationali puro, & à modis illud taleizantibus. Secundò, quia, vt probauimus, obiectum formale terminatiuum scientię vniuersalissimę realis, debet esse reale; hoc autem est non reale: ergo est extra obiectum formale scientię realis vniuersalissimę; at scibile extra scibile formale scientię vniuersalissimę, necessariò est materiale, quia scibile adęquatè diuiditur in scibile formale, & primarium; & in scibile secundarium, & materiale: quia hęc duo reducuntur ad terminos contradictorios, inter quos nullum potest esse medium; Sed scibile primarium, & formale, est scibile reale vt sic, abstrahens à positiuo, & negatiuo reali: ergo scibile non reale necessariò debet esse scibile secũdarium, & materiale.

Neq; dicas scibile vt sic, est prius quam scibile reale vt sic, quia est vniuersalius; sed obiectum formale scientię, vel potentię cognitiuę, ex eo quia formale, est primum scibile in scientia: ergo esse obiectum formale methaphysicę vniuersalissimę, potius competit scibili vt sic, quam scibili reali, nam.

Respondeo primò, ens vt sic, esse prius sci-

ſcibili reali in prædicando, quod non neceſſariò eſt reale, non autem in cauſando; obiectum verò formale terminatiuum ſcientiæ realis debet eſſe primum in cauſando, quod eſt medium, ſiuè cauſa cur prædicatum inſit ſuo ſubiecto in concluſione: diſtinctio hæc euidens eſt; quia aliud eſt prius in prædicando, aliud eſt prius in cauſaudo, v. g, materia in communi, eſt prior in prædicando, quam materia prima; è contra verò materia prima eſt prior in cauſando, quam materia in communi; motus in communi, eſt prior in prædicando motu primo; è contra verò, motus primus in cauſando eſt prior motu communi; pariter in re noſtra dicendum. Secùndò reſpondetur, ſcibile vt ſic eſſe prius in genere cauſæ materialis ſcibili reali vt ſic, non autem in genere cauſæ formalis obiectiuæ, nimirum ſcibile vt ſic, eſt prius ſcibili reali; quia illud pertinet ad obiectum materiale, quod eſt materia obiecti formalis; ſcibile verò reale vt ſic, eſt obiectum formale, quod eſt prius obiecto materiali in genere cauſæ formalis. Primum in genere cauſæ formalis ſcibilis, eſt obiectum formale ſciẽtiæ, non autem primum in genere cauſæ materialis; vnde ſcibile reale vt ſic, ſi conſideretur in genere entis, habet ſupra ſe ens, vt ſic; verùm ſi conſideretur in genere ſcibilis formalis, & primarij, non habet aliud ſcibile ſupra ſe formale vniuerſalius: ad eum modum, v. g. quo methaphyſica vniuerſaliſſima, ſiuè ſcientia vniuerſaliſſima in generali, ſi conſideretur in ratione entis, ſiuè rei, habet aliud ſupra ſe communius, quod eſt ens vt ſic; ſi verò conſideretur in ratione ſcientiæ, non habet aliam ſcientiá realem ſupra ſe vniuerſaliorem, quia hæc deberet eſſe realis; nam ſcientia in ratione ſcientiæ, debet eſſe realis, & hæc de obiecto formali reali; nec eſt excogitabilis alia ſcientia ſuperior, niſi ſcientia ficta.

Secunda ratio concluſionis eſt, quia ſcientia dicit repręſentationem formalem ſcientificam ſui obiecti immediati, & primarij, in genere repręſentationis, ſiuè expręſſionis realis; ſed hęc non poteſt eſſe niſi termini ſcibilis! primarij, qui eſt realis; ergò, &c. Maior eſt certa, quia obiectum, ſiuè ſcibile primarium, & formale, eſt menſura, ſiuè exemplar ſcientię: & explicatur, quia ſcientia eſt probatiua paſſionis de ſuo ſubiecto, quia in ſubiecto, eſt cauſa intrinſeca paſſionis; ergò ſcientia eſt expręſſio, ſiuè imago, ſaltem ſecundum eſſe, licet non ſecundum formam ſui obiecti primarij, & formalis. Minor verò probatur; quia expreſſio ſcibilis, eſt participatio formalis ſcibilis; ſed hęc, cum ſit realis in ratione repręſentatiui, neceſſariò debet eſſe expreſſio formalis ſcibilis realis; differt hęc ratio à prima; quandoquidem prima fundatur in eo, quod ſcientia realis in ratione ſcientię, non poteſt ſpecificari, niſi à termino primario, qui eſſe debet realis: ſecunda fundatur in ratione repręſentatiui, ſiuè imaginis realis, quę neceſſariò debet eſſe exemplaris, ſiuè prototypi realis; effectus enim realis neceſſariò debet eſſe cauſę realis; ſed ſcientia eſt expreſſio, & imago realis, ergo debet eſſe ſcibilis realis primarij. Confirmatur, quia ſcientia realis in ratione ſciẽtię, dicit ordinem traſcendentalem realem ad ſuum ſcibile primarium; ſed ordo traſcendentalis realis, non poteſt eſſe niſi immediatè, & primariò ſaltem ad terminum poſſibilem, quando nimirum eſt relatio traſcendentalis actus primi; verùm quando eſt relatio actus ſecundi, neceſſariò eſt ad terminum actualem exiſtentem, ſaltem in eodem inſtanti naturę, ergò, &c.

Dicet fortè primò aduerſarius, quod eadem cognitio intrinſecè immutata, mutatur de vera in falſam; at ſi cognitio diceret ordinem traſcendentalem realem ad ſuum obiectum primarium, vel eſſet expreſſio, & repręſentatio realis ſcibilis realis primarij, non poſſet mutari de vera in falſam, quia cognitio nunquam mutat conformitatem ſuam traſcẽdentalem cum ſuo obiecto primario, & immediato, quia mutaret ſuam eſſentiam, & conſequenter diſtraheretur à ratione ſcientię realis.

Reſpondeo, concedo maiorem, & nego minorem; & ratio eſt, quia cognitio mutatur de vera in falſam, non quia cognitio mutat conformitatem traſcendentalem cum ſuo obiecto primario, & immediato; ſed ſolum quia eius terminus materialis, pro quo ſupponit eius terminus primarius, mutatur. Explico; datur duplex terminus cognitionis verę, primarius, & ſecundarius: terminus primarius, eſt qui immediatè, & primò repręſentatur; terminus ſecundarius eſt terminus, pro quo ſupponit terminus primarius; Cogito, v. g. nunc, quod abſens Petrus ſedet, iſta cognitio ſemper vera eſt, quia ſemper repręſentat Petrũ ſedentem, eſt enim repręſentatio, & expreſſio vitalis Petris ſedentis, quem conceptum eſſentialem ſemper retinet; falſa autem eſt, quia non reſpondet ſemper ſeſſio Petri à p. r. ſecundum quod ſeſſio eſt repręſentatiua in cognitione: & reſpectu huius eadem numero cognitio, mutatur de vera in fal-

sam, & hunc terminum appello terminum secundarium, & materialem, pro quo supponit terminus primarius; neque ex mutatione huius termini secundarij, pro quo supponit primarius, cognitio mutat repræsentationem essentialem, siuè trascendentalem termini primarij, quia hic est terminus materialis; cognitio autem non mutatur, nisi ex suo termino formali, e. g. visio, qua videntur duo alba, si vnum album intrinsecè desinat, non mutatur intrinsecè visio, quia remanet idem obiectum formale, & primarium, à quo essentialiter dependet; idem exemplum est in relatione, qua v. g. vnum album refertur ad duo coalba, quorum, si vnum desinat intrinsecè, remanet relatio similitudinis intrinsecè, & formaliter, quia remanet eius terminus formalis in alio coalbo.

Vrgebit fortè aduersarius, cognitio, qua intellectus cognoscit, ens rationis habere tantum esse obiectiuè in ratione, est vera, & realis cognitio, & tamen obiectum primarium terminatiuum huius cognitionis non est reale, quia est intrinsecè ens rationis purum, quod opponitur enti reali; etenim obiectum, quod immediatè cognoscitur est ens, quod ex eo præcisè est, quia ipsum cognoscitur; ergò non semper terminus primarius cognitionis realis debet esse terminus realis primarius.

Responsio communis adhoc argumētū distinguit in cognitione, non solū productiua entis rationis, sed etiā in cognitione nō productiua, qua cognoscitur ens rationis iam productum, vel ab eodem cognoscente, quæ est cognitio reflexa, vel ab alio; duplicem terminum: vnum intra intellectum, & hunc vocant primarium: & alium extra, & hunc vocant terminum secundarium. Terminus primarius est conceptus intrinsecus, qui producitur intrinsecè cognitione, qua producitur ens rationis; terminus verò secundarius esse potest realis, & non realis; sed in cognitione productiua entis rationis est non realis: & huius hanc assignant rationem; quia terminus primarius est formalis, à quo specificatur cognitio; terminus autem secundarius, & extra intellectum, est materialis, à quo non specificatur, & hic terminus potest esse non realis, vel negatiuè, vel positiuè.

Sed hęc responsio non est adæquata, quia extra intellectum semper debet dari in qualibet cognitione vera duplex terminus, alius primarius, & alius secundarius, pro quo supponere potest terminus primarius: & ratio huius à priori est; quia non solum ipsa cognitio, quæ est productio conceptus expressi, sed etiam ipsemet cōceptus expressus cognitione, sicut calor producitur calefactione, dicit essentialem, & trascendentalem ordinem ad terminum primarium extra intellectum, quia essentialiter adhùc ipse conceptus formalis, est imago obiecti extra; at si non daretur duplex conceptus extra, primarius, & secundarius, non posset cognitio mutari de vera in falsam, sine vlla intrinseca sui mutatione, quod supra explicaui exemplo valdè apto, v. g. nunc cogito Petrum ambulare, & in re Petrus non ambulat, terminus primarius huius cognitionis extra intellectum est Petrus ambulans, qui quidem est extra intellectum in esse cogitato, & signato saltem, & respectu huius, hæc cognitio semper est vera; sed dicitur falsa, quia eius terminus secundarius, & materialis, pro quo supponit primarius, est Petrus nō ambulans à parte rei: pariter cognitio, qua intellectus creatus producit ens rationis, cognoscendo non ens vt ens, habet etiam duplicem terminum extra intellectum, primarium, & secundarium, pro quo supponit terminus primarius, quod proprium est solius cognitionis falsæ. Terminus primarius est ens reale, quatenus est ens contradistinctum ab impossibili, & respectu huius, cognitio productiua entis rationis est vera; terminus autem secundarius, pro quo supponit terminus primarius, est non ens reale positiuum; putat enim intellectus, non ens reale, esse ens reale positiuum, vt cum concipit tenebras esse nigredinem in aere; respectu huius cognitio est vera; respectu tenebrarum, quę sunt priuatio, est falsa; cum verò intellectus concipit, ens reale esse non ens, vt cum concipit, possibile realiter terminatiuum esse intrinsecè non ens, secundum quod est possibile extra Deum, terminus primarius, est possibile reale terminatiuum, quod est intrinsecè ens, sed in statu possibilitatis; quia vt dicemus *quæst. 3.* ens actuale, & possibile terminatiuum significant idem prorsus ens, sed in diuerso statu; terminus autem secundarius, pro quo supponit primarius, est non ens; similiter cum intellectus concipit hominem leonem, vel hircum ceruum, terminus primarius, qui est realis, est homo, & hircus; terminus autem secundarius, & materialis, pro quo supponit terminus primarius, est impossibile; quod est hominem esse leonem, vel hircum esse ceruum.

Hæc doctrina sine dubio duriuscula est sentientibus intellectum, producendo

ens

Digitized by Google

ens rationis, non habere extra intellectum aliud, nisi ens impossibile, & confictum, sed hæc duritia tollitur ratione demonstratiua; quandoquidem cum omnis cognitio, sit realis imago, & expressio sui scibilis, necessariò debet esse scibilis realis, saltem in esse cogitato, & signato extra intellectum, vel saltem in esse possibili, implicat enim expressionem realem esse scibilis non realis, siuè negatiuè, siuè positiuè, quia implicat effectum realem esse participationem formalem causæ non realis. Rationes in oppositum, pro parte nimirum affirmatiua possunt dupliciter solui, vel rigore primæ rationis, vel rigore secundæ rationis: vigore primæ rationis.

Respondeo ad primam rationem, qua dicitur, quod ens vt sic, est ratio vniuersalissima essendi ens, tàm reale, quàm rationis; distinguo maiorem ens vt sic, est ratio vniuersalissima essendi ens, in ratione obiecti materialis scientiæ vniuersalissimæ, vel intellectus creati, & concedo; quia obiectum materiale non necessariò debet esse reale, tàm intellectus, quàm methaphysicę vniuersalissimæ, sed potest esse ens reale, & non reale, siuè positiuè, siuè negatiuè: est ratio vniuersalissima essendi ens in ratione scibibilis primarij, & formalis methaphysicæ vniuersalissimæ realis, & nego: quia scibile primarium, & formale scientiæ realis in ratione scientiæ, debet esse scibile reale formaliter, quia est causa specificatiua scientiæ realis in ratione scientiæ; effectus autem realis, necessariò debet esse à causa reali, quia est participatio, siuè expressio formalis causæ realis, & sic nego minorem, nimirum quod ens vt sic, sit sufficiens ad esse formale terminatiuum scientiæ realis; quia ens vt sic est non reale intrinsecè, quia est abstractum ab ente ficto. Eadem distinctione respondetur ad alias probationes eiusdem rationis, vt cum dicitur, quod ens vt sic, est vniuersalius, & communius, quam ens reale, responsio in promptu est; nam est communius, & vniuersalius in prædicando quolibet obiecto materiali scientiæ vniuersalissimæ, vel intellectus, quod est ens reale, & ens rationis purum in ratione obiecti materialis, cõcedo: est vniuersalius, & cõmunius ente reali in ratione obiecti primarij, & formalis, & nego: quia ens vt sic habet nudã rationẽ obiecti materialis, nam est ens supponens ens fictum, quod est impossibile.

Quod si dicas, hic est sermo de obiecto formali terminatiuo, non autem de obiecto formali motiuo; at obiectum formale terminatiuum non specificat scientiam, ergò, &c.

Respondeo; cõcedo maiorem, & distinguo minorẽ: obiectum formale terminatiuũ non est causa specificans scientiam realem, prout actio, & concedo: nõ specificat scientiam realẽ, prout passio, & nego; quia obiectum formale terminatiuum, est mensurá scientiæ, proùt passio; mensura autem habet rationem causæ specificatiuæ.

Respondeo secundò ad eandem rationem vigore secundę probationis: ens vt sic, est vniuersalissima ratio essendi; distinguo, est vniuersalissima ratio essẽdi termini secũdarij, pro quo supponit terminus primarius, & concedo: est vniuersalissima ratio essendi termini primarij, & immediati scientiæ vniuersalissimæ, & nego; hic enim terminus, vt supra probauimus, scientiæ realis in ratione scientiæ, necessariò debet esse realis, tùm quia scientia realis in ratione scientiæ est imago, & participatio realis; hæc autem non potest esse nisi causæ realis formaliter, tùm quia scientia realis dicit ordinem trascendentalem realem ad scibile primarium; hæc autem non potest esse, nisi ad scibile reale primarium. Explicatur, cum intellectus methaphysica vniuersalissima perfectus, cognoscit ens vt sic, terminus primarius huius cognitionis, nõ est ens vt sic, negatiuè præscindens à reali, & à rationis puro; neque est ens reale inadæquatè conceptum, abstrahens à negatiuo, & positiuo, à naturali, & supernaturali; & ratio est; primò, quia cognitio in ratione repræsentationis est realis expressio, hæc autem non potest esse, nisi causæ primariæ realis; ens verò reale inadæquatè conceptũ, est ens fictum vt sic, quia ens vt sic, supponit ens rationis purum, saltem in esse possibili obiectiuo, à quo est abstrahibile, vel abstractum; vel dicendum, quod reale inadæquatè conceptum, nõ supponit ens rationis purũ, neq; in esse possibili, sed solũ dicit ens, quod est in ente reali, pro quo supponit ensrationis.

Hęc responsio potest pati instantiam; nam dicere potest aduersarius, quod ens reale conceptum inadæquatè, est ens conceptum, non concepta eius realitate, at hoc abstrahit à reali, & à rationali puro. Sed hæc instantia soluitur; abstractio enim entis vt sic, non est sine falsitate, quia abstractio habet locum, quando vnum non includitur in ratione alterius; non autem quando vnum includitur in ratione alterius; abstractio enim, cum sit cognitio quidditatiua, est repræsentatio sui obiecti, secundum omnia sua prædicata essentialia, v. g. non potest abstrahi homo à rationali, sed potest abstrahi animal à rationali, quia rationale

in-

Digitized by Google

includitur in ratione hominis, ſed non includitur in ratione animalis: pariter in ente reali, ens poteſt abſtrahi ſine falſitate à modo éſſendi realiter, quia modus eſſendi formaliter non eſt ens formaliter, ſed non poteſt abſtrahi ſine falſitate ens vt ſic, ab ente reali, & ab ente rationis; quia ens vt ſic eſt eſſentialiter rationis; ſupponit enim eſſentialiter ens rationis. Ad ſecundam rationem, qua dicitur, ens vt ſic, eſſe obiectum formale terminatiuum intellectus creati.

Reſpondeo, nego maiorem, quia obiectum formale terminatiuum in genere entis eſt completiuum ſcientiæ realis in ratione ſcientiæ realis, & eſt cauſa ſpecificatiua ſcientiæ realis; hæc autem prædicata non conueniunt enti vt ſic; quia ſunt prædicata realia; ens autem vt ſic, eſt non eſt reale, & ideò obiectum formale terminatiuum intellectus creati, & methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ eſt ſolum ens reale vt ſic.

Neque obſtat, ſi dicatur ens reale vt ſic, eſt obiectum genericum, non ſpecificum, quia commune eſt potentiæ intellectiuæ creatæ, & ſcientiæ methaphyſicæ, quæ differunt ſpecie eſſentiali; tum quia non poteſt obiectum ſpecificum eſſe reale, niſi ſit etiam reale ſecundum genus, quia differentia in genere ſcibilis realis, cum ſit differentia per ſe, debet eſſe intra latitudinem formalem ſui generis; tum quia ſcibile ſpecificatiuum reale debet eſſe reale ex genere, & differentia.

Neque ſecundò obſtat, ſi dicatur, quod intellectus, cum ſit immaterialis, debet eſſe ad ens vt ſic, tamquam ad obiectum formale, ſecus intellectus creatus in cognoſcendo, eſſet limitatus.

Nam reſpondeo, quod intellectus eſt non limitatus, vel illimitatus negatiuè in ratione potentiæ cognitiuæ realis; non autem in ratione potentiæ cognitiuæ abſtrahentis à reali, & obiectiua pura; potentia enim cognitiua realis in ratione potentiæ cognitiuæ, tendit formaliter ad obiectum primarium, & formale reale, vt ſatis oſtendimus; ens verò vt ſic, eſt obiectum tantũmodò materiale intellectus, quia non eſt cognoſcibile, niſi vt terminus ſecundarius, pro quo ſupponit primarius, vel non eſt cognoſcibile, niſi ad ſimilitudinem entis realis vt ſic, modo quo ſupra explicauimus; tunc autem intellectus creatus haberet vnde limitaretur, quando intellectus tenderet primariò, & adæquatè ad aliquod ens reale determinatum infra ens reale vt ſic.

Neque tertiò obſtat, cum dicitur ſciẽtiam, eò eſſe vniuerſaliorem in cognoſcendo, quò eius obiectum formale terminatiuũ eſt vniuerſalius; ſed datur ſcibile vniuerſaliſſimum ſimpliciter, quod eſt ens vt ſic.

Reſpondetur enim ſcientiam eò eſſe vniuerſaliorem, quò eius obiectum formale terminatiuum eſt vniuerſalius in latitudine entis realis, non autem in latitudine entis abſtrahentis à reali, & rationali puro, quia ſcientia eſt realis in ratione formalis ſcientiæ; obiectum autem ſcientiæ vniuerſaliſſimæ realis, eſt ens reale vt ſic.

Neque obſtat quartò, ſi dicatur obiectum formale terminatiuum ſcientiæ realis, non neceſſariò eſſe reale, neque in genere entis, neque in genere ſcibilis, quia obiectum complet ſcientiam in ratione ſcientiæ extrinſecè, non autem intrinſecè, nimirum eſt completiuum intrinſecum, nõ extrinſecum; completiuum autem extrinſecum, non neceſſariò eſt reale, quia poteſt eſſe, vel nihil, vel ens rationis purum; nam.

Reſpondetur obiectum formale, ſiuè in genere entis, ſiuè in genere ſcibilis eſſe extrinſecum, quia eſt extra entitatem ſcientiæ realis, non autem quia eſt extra latitunem formalem ſcientiæ realis; obiectum formale, tùm in genere entis, tùm in genere ſcibilis reale, ſatis eſt vt ſit intrinſecum, quia eſt intra latitudinem formalem ſcientiæ realis, & hoc probatur; quia ſcientia realis non poteſt eſſentialiter definiri, niſi in eius definitione eſſentiali ponatur eius obiectum formale terminatiuum reale, ſecus non eſſet intra latitudinem formalem, ſcientiæ realis completiuum.

Reſpondetur ad rationem tertiam, qua dicitur nullam eſſe rationem ad probandum ens vt ſic, non poſſe eſſe obiectum formale terminatiuum ſcientiæ realis, nego aſſumptum, & aſſignatur duplex ratio; prima eſt, quia ſcientia eſt expreſſio formalis ſui obiecti primarij terminatiui extra intellectũ, at ſcientia in ratione ſcientiæ eſt realis; Neque ſatis eſt, vt conceptus obiectiuus intra intellectum ſit realis. Primò, quia transfertur difficultas à cognitione ſcientifica reali ad conceptum expreſſum, ipſa cognitione ſcientifica productum, quia adhuc conceptus hic mentalis cum ſit realis, non poteſt eſse repræſentatiuus, niſi termini primarij realis; ergo transfertur difficultas à cognitione ad conceptum mentis, cum hac ſola differentia, quod conceptus mentis eſt ſimilitudo expreſsa ſecũdum formam ſui repræſentati primarij; ſcientia verò ſiuè cognitio eſt ſimilitudo ſecundum eſse, quandoquidem cognitio, ſiuè ſcientia eſt actus formæ intelligibilis, & formæ etiam in-

Digitized by Google

intellectæ. Secundò, quia conceptus mentis, est terminus primarius ad intra, præter autem terminum primarium ad intra, est necessarius etiam terminus primarius ad extra, quia scientia est de rebus in suo esse reali: ad differentiam logicæ, quæ est de regulis, & præceptis syllogisticis, quæ sunt intra intellectum, & sunt potius mensura, quam mensuratum. Secunda ratio est, quia scientia completur in sua latitudine formali à suo termino formali, sed in sua latitudine est realis.

Ad confirmationem, quadicitur, quod nihil prohibet, vt entia realia, & obiectiua pura scientificè disponantur, & considerentur sub ratione formali obiectiua entis vt sic; nam ratio entis vt sic, est vniuersalior, & communis, sub qua subordinantur realia, & obiectiua pura: quod probatur paritate; quia hac ratione substantia, & accidens scientificè possunt considerari, sub ratione entis realis vt sic, quia ens reale vt sic est vniuersalius, & comune substantiæ, & accidenti.

Respondeo nego maiorem, quia, vt probauimus, obiectum reale, tùm in genere entis, tùm in genero scibilis debet esse reale in scientia reali in ratione scientiæ; tùm etiam quia ens vt sic, non est terminus primarius, sed secundarius scientiæ realis; sed obiectum formale terminatiuum debet esse terminus primarius; hic autē terminus primarius debet esse realis, vt probatum est, quia cōplet scientiā in ratione cognitionis realis. Secundò, quia est imago, siuè expressio realis obiecti scibilis; non potest autem esse imago, & expressio realis, nisi scibilis realis; ens autem vt sic, est tantum terminus secundarius, & consequenter materialis, pro quo supponit terminus primarius realis; v. g. cum intellectus cognoscit ens vt sic; terminus primarius huius cognitionis, immutabiliter est terminus realis; ens autē reale, vt probabitur *q. 2. art. 1.* est reale essentialiter ex eo, quia in suis prædicatis essentialibus non includit contradictionem; ens verò vt sic, est terminus secundarius, & materialis, pro quo supponit hic terminus primarius: sicut cum cognosco Petrum currentem, terminus primarius huius cognitionis, est Petrus currens, quod si Petrus non currat, Petrus non currens, est terminus secundarius, & materialis, pro quo supponit terminus primarius. Doctrina hæc valdè notanda est, quia clarius, & intimius explicat hanc difficultatem de ente vt sic, quod aduersarij putant esse obiectum primarium terminatiuum intellectus, & vniuersalissimum, & etiam methaphysicæ vniuersalissimæ. Cum verò dicitur ab aduersarijs: obiectum methaphysicæ vniuersalissimæ, & intellectus, esse ens vniuersalissimum; hoc autem est ens vt sic: responsio supra est iam allata; quia est vniuersalissimum in rationa obiecti secundarij, & materialis; non autem in ratione obiecti primarij, quod vt ostendimus, necessariò debet esse reale, essentialiter.

Acuti viri putant terminum immediatum extra intellectum in cognitione, qua cognoscitur ens vt sic, negatiuè præscindere à reali essentialiter; sed falluntur, quia, vt probauimus, non potest cognitio realis esse imago, siuè expressio nisi entis realis essentialiter, & hic error corrigendus est ratione.

---

## ARTICVLVS QVARTVS.

### Vtrum methaphysica vniuersalissima simpliciter sit essentialiter euidens, euidentia nimirum intrinseca, abstrahendo ab euidentia mediata, & immediata.

HIC articulus proponitur in speciali de methaphysica vniuersalissima simpliciter; quoniam de hac est præcipuè difficultas, an sit essentialiter euidens euidentia intrinseca: idque iure optimo, quia methaphysica vniuersalissima simpliciter, est de scibili, abstrahente à naturali, & supernaturali; supposita tamen fide diuina manifestante, vt conditione veritates supernaturales: vt Deum esse trinum in personis, vnum in essentia; processionem secundę personæ à prima esse generationem, &c. hæc autem non potest esse euidens, nisi ponatur theologia viatorum secundum se euidens, sed de scientia rerum supernaturalium à Deo reuelatarum celebris controuersia est, an sit scientia essentialiter euidens, si ea consideretur secundum se. Ex duplici capite inquiri potest de methaphysica vniuersalissima, an sit essentialiter euidens euidentia intrinseca. Primo ex capite, quia est scientia in generali, contradistincta ab opinione, quæ est habitus illatiuus conclusionum ex probabilibus principijs. Secundò ex capite, quia est methaphysica vni-

vniuersalissima simpliciter; methaphysica enim vniuersalissima simpliciter duo habet; primò est scientia discursiua, cui scilicet vt sic competit discurrere formaliter; est autem discursus formalis, deductio conclusionum ex præmissis; ad differentiam intellectus, qui est habitus principiorum, cuius proprium est cognoscere principia, ex quibus deducuntur conclusiones, sed secundum se, & absolutè, vt sæpe repetiuimus cum S. Thoma; quippe principia cognoscuntur, non solum habitu intellectiuo, sed etiam scientia illatiua conclusionum ex principijs; ab habitu quidem principiorum cognoscuntur secundum se, & absolutè, quatenus scilicet sunt vera, & cognoscibilia sola explicatione propria suorum terminorum; à scientia verò discursiua, quatenus sunt principia, & causa conclusionum. Quæsitum sine dubio valdè controuersum est, præsertim apud theologos inter se contendentes, an theologia sacra viatorum secundum se sit essentialiter euidens, an ineuidens: præscindendo ab euidentia mediata, siuè aptitudinali; & ab euidentia immediata, siuè actuali, & vltimata.

Complures theologi, quos accuratè citat, & sequitur Pater Hieronymus Fasolus 1. *tom. in* 1. *par. S. Thomæ super quæst.* 1. *art.* 2. *dub.* 14. *à nu.* 75. vt defendant theologiam sacram viatorum secundum se, esse essentialiter euidentem in generali; contendunt scientiam, quæ contradistinguitur ab habitu opinatiuo, non esse essentialiter euidentem euidentia, abstrahente ab euidentia mediata, & immediata; siuè aptitudinali, & actuali; siuè non vltimata, & vltimata; idque probant pluribus rationibus, quas putant demonstratiuas, ad probandum, ad puram essentiam scientiæ, satis esse scientiam esse certam certitudine infallibili.

Prima est, quia scientia in generali, quæ opponitur opinioni illatiuæ, in hoc differt ab opinione per se primò; quia scientia infert conclusionem ex præmissis medio necessario concludente; opinio verò infert conclusionem ex præmissis, medio non necessariò concludente; sed ad inferendam necessariò conclusionem, nulla requiritur euidentia intrinseca, neque mediata, neque immediata; siuè neque aptitudinalis, & imperfecta, siuè actualis, & perfecta: nam satis est, vt præmissæ, ex quibus deducitur conclusio, sint certæ certitudine infallibili, & immutabili, qua scilicet numquam possint transire de veris in falsas; vel, vt alij dicunt, satis est, vt medium habeat infallibilem, & immutabilem connexionem, vt prædicatum insit subiecto in conclusione; sed præmissæ possunt esse certæ, & infallibiles, & necessariò inferre conclusiones sine vlla euidentia intrinseca, vt sunt præmissæ reuelatę à Deo, puta articuli fidei.

Confirmatur hæc ratio: posita certitudine, & infallibilitate in præmissis, ex quibus infertur conclusio, & remoto quocunque alio, ponitur medium in præmissis, necessariò inferens conclusionem; ex opposito verò, remota sola certitudine infallibili, & immutabili, & posito quocunque alio, non ponitur in præmissis medium necessariò concludens; sed scientia constituitur adæquatè in ratione scientiæ, per hoc, quod infert necessariò, & immutabiliter conclusionem ex principijs: nam per id cõstituitur formaliter scientia, per quod formaliter opinioni opponitur; sed opinio non necessariò infert conclusionem, qui est habitus formidolosus, & incertus; ergo scientia in esse scientiæ adæquatè, est per hoc quod deducit conclusiones ex medio, siuè ex præmissis, necessariò inferentibus conclusionem; sed hoc potest fieri sine vlla euidentia intrinseca in præmissis, vt patet in habitu illatiuo conclusionum ex reuelatis à Deo.

Confirmatur secundò, habitus illatiuus, siuè argumentatiuus conclusionum ex principijs, adæquatè diuiditur in opinionem, & in scientiam; sicut animal adæquatè diuiditur in hominem, & in brutum; & ens reale creatum in substantiam, & accidens, quia prædicta membra diuidentia reducuntur ad terminos contradictorios, inter quos nihil medij esse potest: probatur hoc; etenim opinio deducit conclusiones ex medio nõ necessariò concludente; scientia verò deducit conclusiones ex medio necessario concludente: sed diuisio membrorum adæquatè diuidentium, est per differentias constitutiuas adęquatas; ergò scientia contradistincta ab opinione, adæquatè constituitur in esse scientiæ, per hoc, quia est ex medio necessariò concludente.

Secunda ratio, formido, & incertitudo in habitu opinatiuo, quæ est vltima differentia, constituens opinionem in esse opinionis; non oritur ex eo, quod præmissæ, ex quibus discurrit opinio, sunt ineuidentes; sed oritur solum ex eo, quia connexio medij cum extremis in præmissis non est certa certitudine infallibili, & immutabili; ergo ex opposito necessitas inferendi conclusiones in habitu scientiæ, non oritur in scientia, quia præmissæ, ex quibus de-

du-

ducit conclusiones, sunt per se euidentes euidentia, vel abstrahente ab immediata, & mediata, vel aliqua euidentia determinata; sed solum ex eo, quia præmissæ sunt certæ, & infallibiles, & necessaria causa conclusionis; ergo scientia, vt est contradistincta ab opinione in esse scientiæ, nullam requirit euidentiam; ergo ad puram essentiam scientiæ satis est posse concludere conclusionem ex principijs medio necessariò concludente prædicatum inesse subiecto in conclusione.

Quod si respondeas, quod communiter respondent Thomistæ, scientiam discursiuam, siuè illatiuam conclusionum, secundum se, & in generali, non solum contradistingui ab opinione, sed etiam ab habitu illatiuo conclusionum ex principijs reuelatis à Deo; ad hanc autem contradistinctionem, non solum requiritur, vt scientia sit certa, & infallibilis, vel, vt inferat conclusionem ex medio necessariò concludente; verum etiam, requiritur euidentia, quia per certitudinem, & infallibilitatem contradistinguitur ab opinione, qua est formidolosa, & incerta: à fide autem diuina, non potest contradistingui per certitudinem; quia fides diuina est certissima, & præmissæ reuelatæ à Deo sunt infallibiles, eo modo, quo sunt reuelatæ, sed distinguitur per euidentiam aliquam intrinsecam, vel mediatam, vel immediatam; vel abstrahentem à mediata, & immediata; quia fides diuina, sicut, & propositiones reuelatæ à Deo sunt ineuidentes essentialiter, & obscuræ, cum fides sit non apparentium. Explicatur hæc doctrina, isti tres actus; scilicet scientia, fides diuina, & opinio, ità distinguuntur inter se; quia actus sciendi est certus, & euidẽns; actus credendi est certus, sed ineuidens; fides enim est credere, quod non vides, vt docet Augustinus; opinio autem est actus formidolosus, & incertus, scilicet ità est verus actus opinionis, vt possit esse falsus, quia opinio est ex probabilibus, nimirum ex medio non necessariò concludente.

Respondere possunt primò auctores contrariæ sententiæ, scientiam contradistingui ab opinione per differentiam formalem, seù essentialem, ab habitu verò deductiuo conclusionum ex reuelatis à Deo, formaliter contradistingui per differentiam materialem, siuè subiectiuam, quæ est extrà essentiam scientiæ. Probatur hoc assumptum; nam habitus illatiuus conclusionum, ex reuelatis à Deo est ineuidens, ex eo quia supponit in intellectu viatorum habitum fidei diuinæ, qui est ineuidens: scientia verò est euidens, ex eo quod scientià, quia supponit in intellectu habitum principiorum cognoscibilium euidenter; istæ autem differentiæ sunt differentiæ secundum materiam; non autem secundum formam; sunt enim differentiæ ex parte subiecti, in quo sunt scientiæ, & opinio: & hoc patet; quia scientia, & opinio opponuntur ex parte subiecti, vt suo loco probabitur; nos autem hic loquimur de euidentia, quæ est differentia per se constitutiua scientiæ in ratione scientiæ, quam differentiam non habet scientia in generali, sed solum quatenus est talis scientia; nimirum quatenus est in subiecto, perfecto habitu primorum principiorum, quæ sunt cognoscibilia sola propria explicatione suorum terminorum.

Secundò respõdere possunt, scientiam in generali; aliam esse de scibili naturali; & aliam esse de scibili supernaturali, quæ in viatoribus supponit fidem diuinam, vt conditionem manifestantem verum supernaturale; Prima est scientia de obiecto naturali in generali; Secunda est de obiecto supernaturali, adhùc in generali, & ex his scientia in generali naturalis, est essentialiter euidens; scientia verò de supernaturali vt sic, abstrahit à scientia essentialiter euidenti, & à scientia essentialiter ineuidenti; quia huiusmodi scientia præscindit à lumine supernaturali claro, & à lumine supernaturali obscuro; & ideò præscindit à scientia per se euidenti, & per se obscura: scientia autem in generali naturalis, est quæ præscindit ab euidentia mediata, & ab euidentia immediata, quia præscindit à scientia naturali subalternata, & à scientia supernaturali subalternante.

Opposita opinio est ferè omnium Thomistarum (quam sequar, & explicabo in sequentibus conclusionibus) asserentium scientiam in generali, contradistinctam ab opinione, esse essentialiter euidentem, sed euidentia abstrahente ab euidentia mediata, & ab euidentia immediata; & horum opinio supponit theologiam sacram viatorum secundum se, siuè secundum suam naturam, esse essentialiter euidentem euidentia mediata, siuè aptitudinali, quæ est imperfecta.

Prima conclusio; scientia argumentatiua, siuè illatiua conclusionum, contradistincta ab opinione est essentialiter euidens euidentia intrinseca, abstrahente ab euidentia mediata, & immediata. Est conclusio expressa sententia S. Thomæ 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. *in corp.* nam in hoc articulo expressè docet, theologiam sacram viato-

F rum

rum secundum se, esse essentialiter scientiam, quatenus procedit ex principijs, notis lumine superioris scientiæ; quæ scilicet est scientia Dei, & Beatorum: ex hoc autem necessario sequitur scientiam in generali, contradistinctam essentialiter ab opinione, esse essentialiter euidentem euidentia abstrahente ab euidentia mediata, & immediata.

Neque dici potest cum aduersarijs, ex hac sententia S. Thomæ potius sequi scientiam in generali, quæ dicitur de scientia, quæ est de obiecto scibili naturali, & de obiecto scibili supernaturali; abstrahere ab euidentia, & ineuidentia, quia scientia de scibili supernaturali in statu viæ, est obscura, & ineuidens: ex opposito verò scientia de scibili naturali, est euidens, & clara; at scientia communis abstrahit a scientijs inferioribus formaliter, in quas diuiditur; ergò abstrahit ab euidentia, & ineuidentia.

Respondetur enim facilè, quod scientia de scibili supernaturali in statu viæ est ex accidenti obscura, non autem secundum se; S. Thomas loquitur de theologia sacra viatorum secundum se, quia sumit illam, vt procedit ex principijs, notis lumine superioris scientiæ, quæ est scientia Dei, & Beatorum. Conclusionem hanc sequuntur omnes scholastici, qui defendũt theologiam sacram viatorum secundum se, esse scientiam euidentem euidentia mediata: contrarium verò defendunt omnes, qui contendunt theologiam sacram viatorum, etiam secundum se consideratam, esse essentialiter ineuidentem euidentia intrinseca: dico, euidentia intrinseca; quia nullus theologorum est, qui negat theologiæ sacræ viatorum euidentiam extrinsecam, quæ oritur nimirum, ex principijs euidentibus extrinsecis, vt est: omne reuelatum a Deo esse verum, & infallibile; quia Deus cum sit essentialiter prima veritas, nec falli, nec fallere potest in dicendo, seù reuelando. Tota difficultas est in hac materia, seù conclusione in assignanda ratione à priori, sine petitione principij; cur scilicet scientia in generali contradistincta ab opinione, sit essentialiter euidens euidentia abstrahente; quoniam difficillimũ est, & periculosum valdè apud eos, qui discurrunt per prima, & vniuersalia principia, & ostenditur; nam complures doctissimi theologi, probant hanc conclusionem, ex eo medio, seù principio; quia scientia in generali, prout contradistinguitur ab opinione, procedit ex medio necessario intrinseco; at ex hoc est scientia essentialiter euidens euidentia aliqua intrinseca, saltem abstrahente. Sed contrarij auctores statim respondent, maiorem esse manifestam petitionem principij; quia ad puram essentiam, & quidditatem scientiæ satis est, vt sit illatiua conclusionum ex principijs, medio necessariò concludente, quia scientia in generali opponitur opinioni; sed sufficienter opponitur opinioni per hoc quod est illatiua conclusionum medio necessario concludente, quia opinio est habitus illatiuus conclusionum ex medio non necessariò concludente: opinio enim in esse opinionis, est deductiua conclusionum ex medio probabili, quod contradistinguitur à medio demonstratiuo, à quo specificatur scientia; quia medium probabile non necessariò infert conclusionem, ex hoc enim oritur, vt a prima radice, quod opinio sit illatiua conclusionum cum formidine oppositi. Mihi ad probandam hanc conclusionem à priori duæ rationes occurrunt.

Prima est, scientia per se primò opponitur opinioni oppositione contraria in genere habitus discursiui, & illatiui; contrariorum autem contrariæ debent esse differentiæ formales; sed opinio est illatiua conclusionum, ex medio intrinseco, non necessariò concludente; ergo ex opposito scientia debet esse illatiua conclusionum ex medio intrinseco necessariò concludente; sed ex medio intrinseco necessariò concludente, scientia est essentialiter euidens euidentia in generali, abstrahente ab euidentia mediata, & ab euidentia immediata. Minor principalis argumenti probatur, primò, quia opinio strictè sumpta, si non esset ex medio intrinseco non necessariò concludente, id solum esset ob eam rationem; quia non est ex medio necessariò concludente; sed hoc non impedit, quin sit ex medio intrinseco, quia medium intrinsecum potest esse necessariò concludens, & non necessariò concludens; medium enim intrinsecum potest esse causa necessaria, & causa non necessaria. Secundò, quia medium probabile potest esse intrinsecum, & extrinsecum; sed opinio strictè sumpta non potest esse ex medio extrinseco, quia ex medio extrinseco est imperfecta opinio; opinio autem strictè sumpta est perfecta opinio; ergo opinio strictè sumpta debet esse ex medio intrinseco, non necessariò causante, sed fallibiliter. Minor verò subsumpta, nimirum quod ex medio intrinseco scientia est essentialiter euidens, probatur; primò ex opposito, quia ineuidentia oritur ex medio formali cognoscendi, etiam necessariò extrinseco; ergo ex opposito euidentia intrin-

seca.

seca, oritur ex medio necessariò intrinseco; discursus euidens est in fide diuina, quæ est infallibilis, & certa, sed essentialiter obscura, quia est ex medio formali, certo quidem, sed extrinseco; fides enim essentialiter est non apparentium. Neque hæc ratio potest impugnari, & reijci ab aduersarijs, cum dicunt scientiam contradistingui ab opinione directè, & adæquatè per solam certitudinem, & infallibilitatem; est enim opinio essentialiter, & adæquata, inquiunt aduersarij, habitus formidolosus; sed hæc formido, & mutabilitas, per quam potest transire de vero in falsum, opponitur certitudini infallibili; ergo scientia adæquatè directè contradistinguitur ab opinione per solam certitudinem infallibilem, & immutabilem; quandoquidem scientia distinguitur per certitudinem intrinsecam, non autem per certitudinem infallibilem extrinsecam; vel per certitudinem, abstrahentem ab intrinseca, & ab extrinseca: certitudo autem intrinseca inuoluit essentialiter euidentiam intrinsecam, vt infra fusè probabitur; dicit enim certitudinem vt sic, abstrahentem ab intrinseca, & ab extrinseca, vt genus; & euidentiam, vt differentiam; non quia euidentia sequitur certitudinem, vt rationem priorem adæquatam, sic enim esset proprietas, non differentia essentialis; sed vt rationem priorem inadæquatam: sicut, v.g. in homine, rationale consequitur animal, quam ob causam rationale est differentia essentialis; risibilitas verò est proprietas hominis: quia consequitur animal rationale, vt rationem priorem adæquatam.

Secunda ratio fundamentalis conclusionis mihi est hæc: scientia in generali, proùt distinguitur ab opinione adæquatè, & per se, & formaliter diuiditur in scientiam subalternantem, & in scientiam subalternatam; sed hæc diuisio necessariò est diuisio scientiæ essentialiter euidentis euidentia, abstrahente ab euidentia mediata, & ab euidentia immediata: ergo scientia in generali, proùt distinguitur ab opinione, est essentialiter euidens euidentia abstrahente. Maior probatur, quia scientia in generali, proùt distinguitur ab opinione illatiua, est formaliter ex scitis, abstrahendo à scitis intra ipsam scientiam, & ex principijs, vt scitis in superiore scientia: sed vbi est abstractio à differentijs diuidentibus, est diuisibilitas in plura, & diuersa inferiora formaliter; ergo scientia in generali, quæ distinguitur ab opinione illatiua, est diuisibilis formaliter in scientiam, quæ est ex principijs, vt scitis intra seipsam, & in scientiam, quæ est ex principijs, vt scitis in superiore scientia. Ex his prima est subalternans; secunda est subalternata, & hæc diuisio non est per differentias materiales, & subiectiuas, sed per differentias formales in ratione sciendi; nam est per diuersas differentias sciendi ex principijs intrinsecis veris. & infallibilibus; Minor verò principalis argumenti, in qua est difficultas probatur; quia differentiæ, quibus constituuntur, & distinguuntur inter se, scientia subalternans, & scientia subalternata, sunt differentiæ scientiales per se euidentes, quia constituunt formaliter duas species scientiæ per se euidentes; si autem scientia, quæ diuiditur formaliter in scientiam subalternantem, & subalternatam, præscinderet ab euidentia, & ineuidentia, deberet alterutra prædictarum scientiarum esse per se ineuidens; semper enim diuisio formalis est per oppositas, & contrarias differentias. Præterea differentiæ formales, & per se diuidentes, sunt intra latitudinem formalem diuisi, ad distinctionem differentiarum materialium, & subiectiuarum; sed differentiæ diuidentes scientiam in scientiam subalternantem, & in scientiam subalternatam, sunt per se, & formaliter determinatæ, & speciales euidentiæ: ergo debent esse per se diuidentes scientiæ per se euidentis, quæ est ex scitis intrinsecè, præscindentis à scitis intrinsecè vltimatè intra ipsam scientiam, & à scitis intrinsecè in superiore scientia. Doctrina hæc sumitur ab Aristotele 1. *top.* vbi definit syllogismum demonstratiuum, syllogismum ex veris primis, & immediatis, vel ex ijs, quæ originem ducunt ex primis, & immediatis principijs: scientia subalternans est effectus demonstrationis primæ, quæ est ex veris, primis, & immediatis; scientia verò subalternata est effectus demonstrationis secundæ, quæ procedit ex principijs, originem ducentibus ex primis, & immediatis. Scientiam, quæ est ex primis, & immediatis, certum est, esse primò per se euidentem, quia est ex per se, & primò notis; ergo etiam scientia, quæ est ex principijs, quæ sumpserunt originem ex primis, & immediatis, debet esse euidens, sed euidentia mediata, & dependente ab euidentia immediata.

Quod si primò respondeant aduersarij, hoc argumentum vim habere in scientia naturali, non autem in scientia supernaturali, supernaturalitate saltem obiectiua, & in genere entis, vt est theologia sacra viatorum; aut in scientia abstrahente à naturali, & supernaturali, qualis est me-

thaphysica vniuersalissima: & ratio huius diuersitatis est, quia aliqua scientia supernaturalis, non est ex principijs per se,& intrinsecè notis, sed tantum notis medio extrinseco, quod est diuina reuelatio; scientia autem per se euidens, est ex medio intrinseco necessariò concludente, & ex hoc necessariò sequitur, scientiam abstrahentem à naturali, & supernaturali,abstrahere etiam ab euidentia, & ineuidentia, quia est diuisibilis formaliter in scientiam euidentem,& in scientiam ineuidentem intrinsecè, & per se: verùm scientia naturalis, semper est per se euidens,euidentia abstrahente ab euidentia mediata, & immediata, quia est scientia scibilis per medium intrinsecum, siuè illud sit causa, siuè effectus per se, & proprius;ex medio autem intrinseco oritur, vt scientia sit per se euidens; medium enim formale sciendi est causa scientiæ, sed medium formale intrinsecum est per se euidens:ergo,& scientia adhùc debet esse per se euidens, licet euidentia intrinseca differenter reperiatur in scientia subalternante, & subalternata: subalternans enim habet medium euidens per se in seipsa; subalternata verò euidentiam perfectam, & vltimatam sui medij nō habet in se,sed illā expectat à sciētia superiori, nimirū subalternante, in qua tanquā in prima,& per se causa reperitur.

Contra est primò, quia scientia in generali, contradistincta ab opinione, habet sui intsinsecam euidentiam ex medio intrinseco, & necessariò concludente; sed hoc reperitur, tàm in scibili naturali, quàm in scibili supernaturali formaliter: tùm quia in quodlibet scibili, tam naturali, quàm supernaturali reperitur formaliter causa per se, & necessariò passionum, quæ de ipsa demonstrantur: tùm etiam, quia medium intrinsecum, & necessarium, quo demonstratur prædicatum inesse subiecto in conclusione, abstrahit à naturali,& supernaturali; sed huiusmodi medium reperitur formaliter, tàm in scibili naturali, quàm in scibili supernaturali.

Contra secundò: scientia, proùt contradistinguitur ab opinione formaliter, est euidens per se, & intrinsecè, ex eo quia procedit ex medio formali,contrariè opposito medio formali, quo procedit opinio; sed hoc est medium intrinsecum,non necessariò inferens conclusionem: ergo medium formale scientiæ ex opposito debet esse medium intrinsecum, vt necessariò concludens; sed medium intrinsecum, & necessariò concludens,præscindit à naturali, & supernaturali; quia reperitur formaliter in vtroque, quod si non præscinderet formaliter, neque posset in vtroque formaliter reperiri: vbi enim non est præcisio ex natura rei, nullo pacto potest esse contrahibilitas per oppositas differentias.

Quod si secundò respondeant aduersarij, euidentiam intrinsecam,tunc esse necessariam scientiæ,quando scientia non potest habere suam certitudinem, nisi ex medio sciendi intrinseco, & necessario; sed datur scientia contradistincta ab opinione, quæ habet certitudinem infallibilem ex medio extrinseco, vt est theologia sacra viatorum secundum se; ergo scientia in generali,contradistincta ab opinione non necessariò est ex medio intrinseco, & necessario; ergo rationes à nobis allatæ vim habent solum in scientia, quæ non potest habere certitudinem infallibilem, & immutabilem, nisi ex medio infallibili, & necessario: assumptum huius rationis probatur ab aduersarijs;quia ad rationem essentialem scientiæ,contradistinctæ ab opinione,requiritur solum certitudo infallibilis, & immutabilis.

Sed contra est, quia certitudo scientiæ debet esse certitudo intrinseca, vt probauimus; sed hæc non potest esse, nisi ex medio intrinseco necessariò concludente, & hæc certitudo intrinseca inuoluit semper essentialiter euidentiam,ad differentiam certitudinis extrinsecæ, quæ est certitudo fidei: nam certitudo fidei, est certitudo ex dicente, seù ex reuelante, qui nec falli potest,nec fallere in dicendo, & hæc certitudo est sine euidentia intrinseca rei dictę,& consequenter cum obscuritate illius; ex opposito verò certitudo intrinseca, quæ habetur per medium intrinsecum necessarium, siuè hoc sit causa passionis, siuè prædicati, quod scitur de subiecto, siuè sit effectus proprius: vnde in forma soluitur ratio aduersariorum, quod scilicet scientia, tunc est essentialiter euidens, quando eius certitudo non potest haberi, nisi ex medio intrinseco. Distinguo de certitudine, alia est intrinseca, & alia est extrinseca; extrinseca est ex dicente, seù reuelante, qui nec falli potest, nec fallere in dicendo; intrinseca verò est ex medio intrinseco, & necessario. Assumptum verum est de certitudine intrinseca, quia hæc est propria scientiæ; falsum verò de certitudine extrinseca, quia hæc est propria fidei,& hæc nullo pacto potest esse medium formale sciendi, quia fides est rei non apparentis; scientia verò est rei apparentis intrinsecè apparentia illatiua, & discursiua, & hæc non potest esse nisi ex medio intrinseco necessario, siuè hoc sit causa intrinse-

ca

ea connexionis prædicati cum subiecto in conclusione, siuè sit effectus proprius causę intrinsecæ, & necessariò existentis in scibili, seù in subiecto conclusionis.

Secunda conclusio: certitudo, quæ est genus scientiæ, contradistinctæ ab opinione in ratione habitus illatiui, est certitudo prouениens ex medio necessariò concludente, quæ abstrahit à certitudine obiectiua intrinseca, & à certitudine obiectiua extrinseca; euidentia autem, quæ est differentia essentialis constitutiua scientiæ in ratione specifica scientiæ est, quæ oritur in scientia ex medio necessario, vt contracto ad medium intrinsecum; in præcedente conclusione probauimus sufficienter duo esse necessaria ad essentiam, siuè quidditatem scientiæ, quæ contradistinguitur ab opinione, nimirum certitudinem, & euidentiam; in hac autem secunda conclusione explicamus, cuius conditionis sint, & naturę certitudo, & euidentia scientiales constituentes, vt genus,& differentia,scientiam in esse scientiæ illatiuæ contradistinctæ ab opinione: quandoquidem, tàm certitudo, quàm euidentia est in duplici differentia;& quidem primò certitudo in scientia in generali duplex est;alia est intrinseca; & hęc est ex medio sciẽdi intrinseco, & necessario; & alia extrinseca,& hęc est ex medio necessario,sed extrinseco:certitudo autẽ intrinseca in scientia subdiuiditur in certitudinem firmæ adhæsionis; & hæc oritur in scientia ex dispositione intellectus scientis, qui ità adhæret principijs scientiæ, vt aliter sentire non possit, & ob hanc rationem dicitur certitudo subiectiua, quia intellectus est subiectum scientiæ: & in certitudinem intrinsecam formalem, quæ oritur in scientia ex certitudine medij formalis sciendi intrinseci, nimirum existentis in scibili, quod est obiectum, vel subiectum scientiæ; & hæc dicitur formalis, quia est formaliter in scientia, ad differentiam certitudinis obiectiuæ, quæ est in obiecto, & non in scientia; sicut veritas formalis dicitur, quæ formaliter existit in intellectu cognoscente; veritas autem obiectiua, quæ est passio entis trascendentalis existit in ipso obiecto formaliter. Præterea euidentia, alia est intrinseca, & alia est extrinseca: euidentia extrinseca est euidentia ex dicente, seù ex reuelante, qui nec falli potest,nec fallere in dicendo: euidentia verò intrinseca, est euidentia, quæ oritur ex causa necessaria intrinseca existente in scibili; ex his certitudo, quæ est genus scientiæ contradistinctæ ab opinione, est certitudo,quæ oritur ex medio quidem necessario, sed abstrahente à medio intrinseco, & à medio extrinseco cognoscendi, quæ dicitur certitudo formalis, & essentialis, quia est ex obiecto formali scientiæ generico, à quo essentialiter dependet scientia; euidentia verò, quæ est differentia specifica, & essentialis, constituens, & distinguens scientiam ab opinione; est euidentia formalis, quæ oritur ex medio necessariò, quatenus est medium intrinsecum sciendi: cuius ratio est,& hoc est fundamentum conclusionis; quia certitudo ex medio necessariò latius patet, quam euidentia intrinseca, & formalis; etenim competit fidei diuinæ, quæ est certa, sed non euidens, cum fides sit de ijs,quæ non videntur; & etiam scientiæ: euidentia verò intrinseca competit scientiæ, & non fidei; sed ratio communis pluribus speciebus,est genus; ratio verò contractiua,& distinctiua,est differentia essentialis:ergo,&c.

Conclusio hęc non est sine controuersia; primò enim est contra eos, qui dicunt ad puram essentiam scientię satis esse solam certitudinem, seù immobilitatem assensus discursiui, quorum fundamentum est, quia scientia adęquatè, & directè contradistinguitur ab opinione per solã certitudinem; quippe opinio adęquatè constituitur, quia est habitus illatiuus formidolosus; formido autem adęquatè opponitur certitudini; sed adęquatũ distinctiuum, est formale constitutiuum: ergo, &c. secundò est contra eos, qui dicunt euidentiam intrinsecam scientię esse proprietatem, non differentiam essentialem scientię; idque probant, quia euidentia, siuè claritas in sciendo oritur ex certitudine intrinseca scientiæ;tunc enim euidenter, & clarè scimus aliquod, cum illud cognoscimus per causam intrinsecam: & valet hæc causalis; ideò cognosco clarè prædicatum inesse subiecto in conclusione; quia cognosco in subiecto esse causam necessariam, cur ei insit prædicatum,nimirum cognosco hominem esse risibilem, quia cognosco in homine esse causam necessariam, cur sit risibilis. Tertiò est contra eos, qui dicunt, certitudinem quæ reperitur in actu sciendi, siuè in scientia nasci ex euidentia, quæ illi actu inest: idque probant; nam valet hæc causalis; quia euidenter cognosco omne totum esse maius sua parte; firmiter, & sine vlla formidine, assentior huic propositiõni: totum quantum est maius sua parte quanta.

Rationes in oppositum supra positæ, facillimè ex modo dictis soluuntur.

Respódeo enim ad primam rationem co-

eorum, qui dicunt scientiam in generali, contradistinctam ab opinione, constitui adæquatè per certitudinem; distinguo assumptum, si intelligatur de certitudine intrinseca, quæ est ex medio necessariò intrinseco, & concedo; sed hæc certitudo inuoluit non solum certitudinem præscindentem ab intrinseca, & ab extrinseca, quę est genus commune scientiæ, & opinioni; sed etiam euidentiam intrinsecam, quæ est differentia essentialis contractiua certitudinis in generali, & constitutiua scientiæ in specie scientiæ: si verò intelligatur de certitudine, abstrahente ab intrinseca, & ab extrinseca, quæ est ex medio necessario, & infallibili præcisè, & nego: quia hæc certitudo est genus; genus verò est ratio inadæquata speciei; scientia autem contradistincta ab opinione, est species habitus illatiui; species verò adæquatè constituitur ex genere, & differentia. Genus in scientia, contradistincta ab opinione, est certitudo, quæ oritur ex medio demonstrandi passiones de subiecto, quatenus necessariò concludens præcisè; euidentia verò, quæ est differentia constitutiua essentialis scientiæ, & definitur claritas, siuè perspicuitas intrinseca scientiæ, quæ oritur ex medio infallibili, & certo, quatenus medium intrinsecum scibile, de quo demonstrãtur à scientia passiones. Tota hæc doctrina fundatur in eo, tamquam in primo principio; quia opinio, cui opponitur scientia est ex medio probabili, scilicet non concludente necessariò, quod potest esse, tùm intrinsecum, tùm extrinsecum; intrinsecum est causa inexistens opinabili; sed non necessariò concludens; causa enim intrinseca potest esse necessaria, & contingens, siuè fallibilis, & infallibilis; medium autem extrinsecum est fides humana plurium scholasticorum, asserentium veram esse aliquam propositionem; ergo ex opposito scientia debet esse ex medio, non solum necessariò concludente, sed etiam intrinseco; quandoquidem scientia contradistinguitur ab opinione in sua latitudine formali.

Communiter Thomistę probant scientiam, contradistinctam ab opinione, includere adhùc in sua ratione essentiali euidentiam intrinsecam, quia contradistinguitur intrinsecè etiam à fide, & à scientia, quæ est effectus fidei, qualis est theologia sacra viatorum ex reuelatis à Deo, quatenus reuelatis formaliter, à quibus non potest distingui per certitudinem; quia fides, & theologia sacra viatorum sunt habitus illatiui certi, & infallibiles; ergo distinguuntur per euidentiam.

Sed aduersarij facilè se expediunt ab ista ratione; nam primò dicunt scientiam in generali, abstrahere à scientia, quæ est de scibili naturali, & à scibili supernaturali, supposita fide diuina reuelante veritates supernaturales; fides autem diuina, & theologia, quæ est ex reuelatis à Deo, vt reuelatis formaliter, sunt de obiecto, siuè de cognoscibili supernaturali; species autem contradistinguitur ab alia specie sub eodem genere communi, non autem à specie specialissima, vt, v. g. vna species subalterna contradistinguitur ab alia subalterna positiuè, & contrariè, non autem à specie infima, & specialissima.

Secundo respõdere possunt, scientiam naturalem, quia hæc est intrinsecè euidens, contradistingui à fide, & ab habitu illatiuo ex reuelatis formaliter sub vno communi genere; non autem scientiam in generali abstrahentẽ à naturali, & supernaturali, quia huiusmodi scientia abstrahit à scientia euidente, & ineuidente: nos autem soluimus rationem aduersariorum distinctione duplicis certitudinis, & infallibilitatis, nimirum certitudinis intrinsecæ, & certitudinis extrinsecæ, & dicimus scientiam in ratione scientiæ constitui per certitudinem intrinsecam, quæ est ex medio necessario intrinseco; non autem per certitudinem abstrahentem ab intrinseca, & ab extrinseca, neque per certitudinem extrinsecam; quæ, alia est illatiua, & hæc est propria habitus illatiui conclusionum ex reuelatis à Deo, vt reuelatis formaliter; & alia est non illatiua, & huiusmodi est certitudo fidei diuinæ. Præterea dicimus in certitudine intrinseca, quæ est ex medio necessario intrinseco reperiri, tum certitudinem, quæ est genus; tum etiam euidentiã intrinsecam, & formalem, quæ est differentia essentialis constitutiua scientiæ, in specie scientiæ vt sic.

Hæc doctrina non est sine controuersia, vt supra innuimus, plures enim docti scholastici dicunt euidentiam, nõ esse differentiam essentialem scientiæ; sed esse, vel proprietatem scientiæ, vel esse rationem priorem inadæquatam in scientia, vt, v. g. animal in homine, & hanc sententiam dicunt esse in terminis S. Thomæ *quęst.* 14. *de veritate, art.* 9. Scotl *quęst.* 3. *prolo. in quæst.* 4. *laterali*, Duran. ibi, *quæst.* 1. *& aliorum*, idque probant: primò, quia valet hæc causalis; ideò euidenter cognosco, v. g. omne totum esse maius sua parte, quia ex medio certo infallibili cognosco omne totum

tum

tum eſſe maius ſua parte, quia ex medio certo infallibili cognoſco omne totum eſſe maius ſua parte; ergo certitudo eſt poſterior euidentia: ergo certitudo non poteſt eſſe genus in ſcientia. Secundò, quia certitudo in ſcientia, tunc datur, cum intellectus abſque vllo errãdi periculo obiecti veritatem aſſequitur: ſed intellectus hoc modo non poteſt veritatem aſſequi, niſi manifeſtè rem ità eſſe cognoſcat; quãdiù enim res, ſiuè veritas manifeſtè non apparet, non audet intellectus aſſerere, qualis ſit, nè obſcuritate deceptus eſſet; cuius ſignum eſt, quoniam qui aſſerunt aliquid eſſe verum, non aliud firmius teſtimonium afferunt, quam euidenter ſe cognouiſſe: & hinc, inquiunt, oritur quod Ariſtoteles in definitione ſcientiæ, ſolam poſuit certitudinem, quia certitudo eſt cauſa ſecundum Ariſtotelem, vt ſcientia ſit euidens. Sed iſtæ rationes ex dictis facillimè ſoluuntur diſtinctione duplicis certitudinis: alia enim eſt certitudo firmæ adhæſionis: alia eſt certitudo ſolius infallibilitatis, ſiuè neceſſitatis. Prior, quæ eſt certitudo firmæ adhęſionis, oritur ex euidentia intrinſeca in ſcientia, & hęc certitudo eſt proprietas ſcientię; quia neceſſariò ſequitur in ſcientia ex ratione priori adęquata; certitudo verò ſolius infallibilitatis non naſcitur ex euidentia, ſed ex medio neceſſario intrinſeco eſsendi, & ſciendi; & hęc certitudo eſt non ſolum certitudo, ſed etiam euidens modo, quo explicauimus. Hęc diſtinctio notanda eſt, quia radicitùs ſoluit rationes in oppoſitum; aduerſarij enim cum dicunt certitudinem, quæ reperitur in ſcientia, naſci ex euidentia, quę ſcientię adeſt, ſumunt certitudinem pro firma, & tenaci adhęſione, ſecundum quam aliter ſentire non poſsumus de obiecto ſic certo; non autem ſumunt certitudinem pro ſola infallibilitate ſcientię in cognoſcendo prędicatum ineſse ſubiecto in concluſione, quę infallibilitas adęquatè oritur ex medio cognoſcendi certo, & infallibili; hęc enim non eſt certitudo ſcientię propria, ſed communis, & generica ſcientię, & opinioni: propria verò certitudo, conſtituens adęquatè ſcientiam, eſt certitudo intrinſeca, non quidem obiectiua, ſed formalis: obiectiua enim eſt in obiecto ſcibili; formalis verò eſt in ſcientia: ſicut veritas obiectiua eſt in obiecto, veritas autem formalis eſt in intellectu; & de hac certitudine formali intrinſeca loquitur Ariſtoteles, cum in definitione ſcientię ſolam exprexit certitudinem, cum apud Ariſtotelem indubitatum ſit, euidentiam quoque exigi ad ſcientiam: quia certitudo formalis intrinſeca ſcientię inuoluit, & certitudinem quę eſt genus; & euidentiam, quę eſt differentia eſſentialis. Explicatur hęc diſtinctio certitudinis; datur enim certitudo obiectiua, quæ ſcilicet eſt in obiecto, & eſt immutabilis, & firma connexio prædicati cum ſubiecto in ſcibili; & certitudo formalis, quæ eſt in ſcientia, ſeù in actu ſciendi, & hæc eſt neceſſaria veritas in cognoſcendo ex medio neceſſario intrinſeco dependens, ſeù quæ eſt ipſa ſcientia, quatenus eſt de obiecto ſub ratione formali intrinſeca inuariabili; ſicut enim certitudo obiectiua dicit connexionem neceſſariam prædicati cum ſubiecto in obiecto ſcientiæ; ita ſcientia, ſiuè actus ſciendi eſt ita verus, & certus in cognoſcendo, vt non poſſit eſſe falſus, propter rationem formalem intrinſecam inuariabilem obiecti ſcibilis: & hæc euidentia intrinſeca eſt omninò inſeparabilis à ſcientia; quia eſt in ſcientia ex ſuo obiecto formali, à quo ſpecificatur: euidentia verò, quæ eſt in ſcientia, & nullo pacto in obiecto, vt eſt euidentia firmæ, & tenacis adhæſionis, ſecundum quam aliter ſentire non poſſumus de obiecto; non eſt euidentia formalis, & inſeparabilis, ſine qua non poſſit eſſe ſcientia, quia non oritur ex obiecto formali ſcientiæ; ſed ex diſpoſitione ſubiecti ſcientiæ, qui eſt intellectus, & ideò poteſt eſſe ſcientia eſſentialiter, ſine hac firma, & tenaci adhæſione.

Solet diſtingui à ſcholaſticis etiam euidentia in euidentiam obiecti, & in euidentiam ſcientiæ; illa definitur claritas, & perſpicuitas, qua obiectum ita ſcientiæ obijcitur, vt ab ea quaſi videatur: hæc vero definitur claritas, qua ſcientia ita adhæret connexioni prædicati cum ſubiecto in concluſione, vel connexioni extremorum cum medio in præmiſſis, vt aliter ſentire non poſſit; ſed hæc diſtinctio eadem eſt cum diſtinctione euidentię eſſentialis ſcientiæ, quæ diuiditur in obiectiuam, & formalem, & euidentiæ ſubiectiuæ, quæ oritur à diſpoſitione intellectus ſcientijs; & dicitur firma, & tenax adhæſio ſecundum quam ſciens aliter ſentire non poteſt de obiecto ſcibili: & fortè de hac euidentia loquuntur nonnulli antiqui theologi, cum negant in ſcientia neceſſariam eſſe euidentiam, cuiuſmodi ſunt Albertus Magnus, Canus, & alij, quos citant Conimbricenſes in 2. *poſter. quæſt.* 1. *art.* 2. ità proportionaliter diſcurrendum eſt de incertitudine, & ineuidentia opinionis proportionaliter.



Digitized by Google

Eadem distinctione soluuntur confirmationes prædictæ primę rationis; Ad primam enim, qua dicitur posita sola certitudine, & infallibilitate in præmissis, ex quibus infertur conclusio, remoto quocunque alio, ponitur scientia formaliter contradistincta ab opinione; & ex opposito, posito quocunque alio, & remota certitudine infallibili, non ponitur scientia. Respondeo cum distinctione posita certitudine intrinseca, & formali, quæ est ex médio necessario intrinseco, ponitur scientia formaliter, & concedo: posita certitudine formali extrinseca, vel abstrahente ab intrinseca, & ab extrinseca, & nego: quia hæc certitudo est sola ratio generica scientiæ; specifica verò essentia scientiæ est ex genere, & differentia.

Ad secundam confirmationem, cum dicitur ab aduersarijs, quia habitus illatiuus conclusionum, adæquatè diuiditur in opinatiuum, & in scientialem; sed hæc diuisio non est per differentias, quæ sunt euidentia, & ineuidentia essentiales, sed quæ sunt certitudo, & incertitudo; ergo scientia, contradistincta ab opinione, non exigit euidentiam, sed solam certitudinem.

Respondeo prædictam diuisionem fieri per certitudinem necessariam, & intrinsecam; & per incertitudinem, vel intrinsecam, sed non necessariam; vel per incertitudinem abstrahentem ab intrinseca, & ab extrinseca; hęc est differentia constituens essentialiter opinionem in generali; illa verò, quę est certitudo intrinseca per differentias, constituens essentialiter scientiam in generali, est communis omni scientię sub genere scientię; & hęc essentialiter inuoluit, & certitudinem, quę est genus; & euidentiam, quę est differentia essentialis.

Ad secundam rationem, qua dicunt aduersarij, quod formido, & incertitudo in habitu opinatiuo, quę est vltima differentia constituens opinionem, oritur solum ex eo, quia connexio medij cum extremis in pręmissa non est certa immutabiliter; ergo ex opposito, certitudo scientię oritur ex eo adęquatè, quia pręmissę sunt certę, & infallibiles causę conclusionis.

Respondeo eadem distinctione, quod incertitudo formalis opinionis oritur ex eo, quod medium inferens conclusionem opinabilem non est medium necessarium, siuè illud sit intrinsecum, siuè extrinsecum; non autem ex eo, quia medium inferens conclusionem non sit causa certa, & necessaria, inferens infallibiliter conclusionem; quia opinio, vt supra dixi, est ex medio non necessariò concludente; sed pręscindens ab intrinseco, & ab extrinseco; ex alterutro enim medio potest esse opinio: huic autem incertitudini opponitur certitudo ex medio necessario intrinseco, à quo scientia non solum est certa formaliter, sed etiam est euidens, non quidem euidentia firmę adhęsionis; sed euidentia certitudinis intrinseca.

Tertia conclusio: methaphysica vniuersalissima, quatenus est de veritatibus supernaturalibus, vt scitis in superiore scientia, quę est scientia Dei, & Beatorum, siue in scientia supernaturali formaliter, est scientia per se, & essentialiter euidens euidentia saltem mediata, & aptitudinali; quatenus verò est inadęquatè de veritatibus supernaturalibus, vt reuelatis formaliter fide diuina, non est essentialiter, & per se euidens euidentia, etiam immediata, siuè completa, siuè radicali; ac proindè methaphysica vniuersalissima, quę est propriè, & rigorosè scientia, est methaphysica de scibili naturali, & de scibili supernaturali ex principijs, vt scitis in scientia superiori. Prima pars huius conclusionis, probatur; quia tàm scientia de scibili naturali, quàm de scibili supernaturali ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia, est essentialiter, & per se euidens, euidentia subalternata, siuè mediata; at scientia, quę diuiditur in scientias inferiores euidentes, necessariò debet esse euidens euidentia in generali; quoniam euidentię scientiarum inferiorum, sunt speciales euidentię; sed speciales euidentię non diuidunt, nisi euidentiam in generali, & loquor de euidentia intrinseca; ergo, &c. secunda pars conclusionis probatur, quia scientia de scibili supernaturali ex principijs reuelatis à Deo, vt reuelatis formaliter, est essentialiter ineuidens: nam articuli fidei vt sic, non admittunt sui intrinsecam probationem, quia non essent fide diuina crediti; sed hoc posito implicat methaphysicam vniuersalissimam, quę ponitur inadęquatè scientia de reuelatis à Deo ex principijs fidei, vt fidei formaliter, non potest esse essentialiter euidens: quia euidentia superioris scientię communicabilis est scientijs inferioribus; sed scientia quę est de veritatibus supernaturalibus ex articulis fidei, vt fidei formaliter, non potest esse euidens euidentia, neque mediata, seù aptitudinali: quia articuli fidei, vt fidei formaliter, non possunt habere sui intrinsecam probationem; certam quidem possunt habere, sed non intrinsecam: cuius ratio est, quia demonstrabile ex medio intrinse-

eo,

co, est euidens aliqua euidentia intrinseca, vt sæpe demonstrauimus; articuli autem fidei, vt fidei formaliter, sunt essentialiter ineuidentes, quia sunt scibiles formaliter ex medio extrinseco, qui est Deus reuelans, sinè dicens; solū .n. possunt admittere extrinsecam probationem, quæ scilicet est ex principio extrinseco, quale est illud: quod est à Deo reuelatum vt sic, non potest non esse verum; hæc autem probatio non præiudicat fidei obscuritati, quia hæc duo non sunt opposita, aut contradictoria, cum sint ex diuersis medijs formalibus, & essentialibus: & quantumcunque articulus fidei probetur medio extrinseco; numquam tamen deuenitur ad probationem intrinsecam, quæ scilicet est ex medio intrinseco; nullum enim contradictoriorum potest transire in aliud.

## ARTICVLVS QVINTVS.

### Vtrum theologia sacra viatorum sit scientia per se euidens euidentia intrinseca, prout abstrahit ab euidentia subalternata, & ab euidentia subalternante.

Apud Theologos hæc duo sunt distincta quæsita; an theologia sacra viatorum sit scientia euidens euidentia subalternante, vel subalternata; & an sit scientia per se euidens euidentia intrinseca, prout abstrahit à scientia subalternante, & subalternata: notanter dicitur, an sit euidens euidentia intrinseca; quia euidentia, alia est intrinseca, & alia est extrinseca. Intrinseca est, quæ constituit scientiam in ratione scientiæ contradistinctæ ab opinione; non autem extrinseca: scientia enim est cognitio scibilis per sua intrinseca, siuè eā sint causæ, siuè sint effectus proprius. Cuius ratio est; quia prædicata intrinseca, alia sunt quæ conueniunt scibili in primo modo dicendi per se; & alia sunt, quæ conueniunt scibili in secundo modo dicendi per se: prędicata primi generis sunt genus, & differentia; prædicata secundi generis sunt proprietates quarto modo. In hoc articulo proponitur examinandum hoc secundum quæsitum; quoniam necessarium est ad plenè probandum methaphysicam vniuersalissimam simpliciter, quæ est de scibili naturali, & de scibili supernaturali, supposita tamen fide diuina de supernaturali, esse scientiam per se essentialiter euidentem euidentia intrinseca, abstrahendo, an ea sit subalternata superiori scientiæ, an non: & ratio huius est; quia quod non est per se in genere scientiæ essentialiter euidentis, neque potest esse in aliqua specie scientię euidentis per se; sicut quod non est in genere animalis, non potest esse neque homo, neque brutum.

Resolutio huius controuersi articuli, & quęsiti pēdet ex varijs diuisionibus theologiæ sacræ viatorum, quæ sunt hìc explicandæ, vt quæsitum sit capax scientificę resolutionis; hæc enim debet esse determinati prædicati de determinato subiecto; hoc autem non determinatur, nisi differentijs diuisiuis.

Prima diuisio theologiæ sacræ viatorum est, in theologiam secundum se; & in theologiā, proùt est in statu vię, siuè proùt componit cum statu vię: theologia viatorum secundum se, includit tantum illa prędicata, quę conueniunt ei ratione suę naturę, vel quidditatis: theologia verò, proùt est in statu vię, non solum includit prędicata illi conuenientia ratione suę naturę, sed etiam prędicata, quę illi conueniunt ratione status vię, in quo existit; sicut, natura humana, quę est in Petro, v. g. si consideretur secundum se, includit tantum prędicata, quæ conueniunt naturę humanę in primo, & in secundo modo dicendi per se, vt esse animal rationale, risibile, &c. humanitas verò, proùt existit in Petro, prȩter hęc, habet etiam secum iuncta, alia prędicata, quę illi competunt ratione suę existentię realis in Petro, vt sunt esse singularem, existere contingenter, &c. Pariter theologia sacra viatorum secundum se, est prȩcisè habitus illatiuus conclusionum ex principijs reuelatis in sensu materiali, & specificatiuo, vt scitis, siuè scibilibus in superiore scientia, quę est in Beatis; non enim potest esse habitus illatiuus conclusionum, nisi ex aliquo medio formali inferendi conclusionem: hoc autem medium est in theologia sacra viatorum secundum se, principia theologię esse scita in superiori scientia; scibile enim scientificum adęquatè diuiditur in scibile intra limites suę scientię; & in scibile in superiori scientia, cui continuabile est in eodem intellectu: Theologia verò viatorum, proùt existit in statu vię, est habitus illatiuus conclusionum, ex princi-

 pijs

pijs reuelatis, quatenus notis ex accidenti per reuelationem obscuram fidei, quippe status viæ est extrinsecus naturæ, & essentiæ theologiæ viatorum secundum se; esse autem obscuram conuenit theologiæ ratione status viæ. Ratio huius distinctionis à priori esse potest hæc; quia theologia viatorum saluatur essentialiter per hoc, quod est habitus illatiuus conclusionum ex reuelatis in statu viæ, prout scitis in scientia superiori, quæ est in Beatis; per hoc enim adæquatè contradistinguitur theologia sacra viatorum secundum se, à theologia superiori, quæ per se est in Beatis: theologiam verò viatorum esse ex reuelatis pro statu viæ, est prædicatum conueniens theologiæ sacræ viatorum ex accidenti, scilicet ab extrinseco; nam theologia sacra viatorum (vt dixi) essentialiter saluatur per hoc, quod est ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia Beatorum; huic autem conceptui extrinsecus est status viæ: & ratio est manifesta; quia status viæ, & omnia prædicata, quæ conueniunt theologiæ ratione status viæ, non includuntur in definitione essentiali theologiæ sacræ viatorum secundum se.

Secunda diuisio theologiæ sacræ viatorum est, in theologiam, quæ est ex reuelatis, vt scitis formaliter in superiori scientia, existente in Beatis; & in theologiam, quæ est ex reuelatis à Deo, vt cognitis formaliter, & vltimatè sola fide diuina. Differt hæc secunda diuisio theologiæ sacræ viatorũ à prima: quia prima est diuisio vnius, & eiusdem theologiæ secundum diuersos status, sicut est diuisio entis creati in ens possibile, & in ens actuale in ratione obiecti; ens enim possibile, & ens actuale in ratione obiecti, vt suo loco probabitur, significant idem prorsus ens, sed in diuerso statu: pariter theologia viatorum secundum se, & theologia viatorum in statu viæ, sunt vna, & eadem theologia, sed in diuerso statu, nimirum in statu naturæ, & in statu existentiæ in viatoribus; cæterum diuisio secunda in theologiam ex reuelatis, vt scitis formaliter in superiore scientia Beatorum; & in theologiam ex reuelatis, vt cognitis formaliter fide diuina, est diuisio theologię viatorum in theologias diuersas diuersitate essentiali specifica; sicut est diuisio entis realis creati, in ens possibile, & in ens actuale in ratione subiecti, scilicet in potentiam subiectiuam, & in actum subiectiuum: & huius ratio à priori est; quia est diuisio theologiæ sacræ viatorum per diuersitatem formalem medij, siuè obiecti formalis in genere scibilis; ex diuersitate autem formali obiecti formalis in genere scibilis, sunt diuersæ specie scientiæ, non autem vnius speciei in diuersos status eiusdem. Hæc doctrina sine dubio quibusdam duriuscula videtur; sed si termini proprij eius penetrentur, & considerentur, est de se manifesta: aliud enim est esse ex reuelatis ex accidenti in statu viæ, quia scilicet principia non cognoscuntur in statu viæ, nisi per fidem, quæ est habitus certò, sed obscurè cognoscitiuus; & aliud est esse ex principijs, vt reuelatis formaliter, & vltimatè fide diuina: & ostenditur; quia primum est prędicatum accidentale formaliter, & consequenter est medium accidentale inferendi conclusiones: esse verò ex reuelatis, vt reuelatis formaliter fide diuina, est medium primum, & formale in genere scibilis; theologia autem specie distinguitur ab alia, ex medio primo, & formali diuerso; non verò ex medio accidentali, quod est conditio, sine qua non, & ideò hęc duo media formaliter sunt diuersa, licet sint idem subiecto.

Tertia diuisio theologię sacrę viatorum est, in theologiam, quę est ex vtraque pręmissa reuelata, vt est theologia illatiua conclusionis ex his pręmissis; Christus est filius Dei; sed Christus redemit homines; ergo filius Dei redemit homines: & in theologiam, quę est ex vna reuelata, & ex alia nota lumine naturę, vt est theologia illatiua conclusionis ex his pręmissis; omnis homo est redemptus à Christo; sed Petrus est homo, ergo Petrus est redemptus à Christo. De qualibet theologia viatorum ex enumeratis, controuertitur apud theologos, an sit scientia per se, & essentialiter euidens euidentia nimirum intrinseca.

Prima sententia est eorum, qui dicunt theologiam sacram viatorum secundum se, & essentialiter, esse scientiam ineuidentem essentialiter: distinguunt enim scientiam, quę contradistinguitur ab opinione illatiua; in scientiam euidentem, quę est scientia naturalis; & in scientiam ineuidentem, quę est theologia viatorum, quia scientia est communis vtrique; omne autem commune, est diuisibile in sua inferiora differentijs essentialibus. Theologiam sacram viatorum secundum se, dicunt esse scientiam essentialiter ineuidentem; quia est ex medio essentiali ineuidenti, quod est esse per se cognoscibile lumine diuinæ reuelationis; esse verò cognoscibile est prędicatum intrinsecum obiecto scientiæ. Fundant isti opinionem hanc in duobus principijs.

Primum est, quia ad essentiam scien-

tiæ in generali, proùt distinguitur ab opinione, & cæteris habitibus intellectualibus; sufficit sola certitudo illatiua, nimirum vt sit illatiua conclusionum ex principijs medio necessariò concludente; quippè per certitudinem infallibilem illatiuam, primò, & adequatè contradistinguitur ab opinione, & cæteris habitibus; sed habitus illatiuus conclusionum ex medio necessariò concludente, præscindit ab habitu illatiuo per se euidenti, & ab habitu illatiuo per se ineuidenti; theologia sacra viatorum secundum se, non est per se euidens, quia theologia viatorum secundum se est ex medio cognoscibili lumine per se obscuro, quod est lumen fidei diuinæ: fides enim diuina essentialiter est rerum non apparentium; ergo debet esse essentialiter per se ineuidens; quia hæc diuisio scientiæ, in scientiam essentialiter euidentem, & in scientiam essentialiter ineuidentem, est adæquata; sicut diuisio entis creati in substantiam, & accidens; & sicut quod est infrà ens creatum, necessariò debet esse, vel substantia, vel accidens; ob eam rationem, quia reducuntur ad terminos contradictorios, inter quos nihil medium esse potest; ità quod est scientia, & infrà scientiam, debet esse, vel scientia per se euidens, vel scientia per se ineuidens; non est per se euidens: ergo necessariò est per se ineuidens.

Secundum principium est, quia theologia sacra viatorum essentialiter, siuè secundum se procedit, vel ex vtraque præmissa reuelata formaliter fide diuina; vel ex vna saltem reuelata fide diuina, & ex alia nota lumine naturæ; sed vtroque modo theologia est essentialiter ineuidens, idque probant; quia scientia est euidens, vel ineuidens essentialiter, ex medio formali, vel euidenti, vel ineuidenti; species enim scientiæ sumitur ab obiecto formali in genere scibilis; hoc autem est medium formale: non autem sumitur ab obiecto materiali, quia species est à forma, non à materia; materia enim est communis pluribus speciebus diuersis; sed in theologia sacra, quæ est habitus illatiuus conclusionum, siuè ex vtraque præmissa reuelata, siuè ex vna tantum reuelata, & ex alia nota lumine naturæ: mediū verò formale inferendi conclusionem, est ineuidens per se, siuè obscurum, quia est medium, vt cognitum scilicet, & cognoscibile reuelatione fidei diuinæ; huius autem cognoscibilitas est obscura cum sit per ordinem ad medium obscurum, quod non manifestat intrinsecè. Radix huius est: quia in vtraque theologia, tam quæ procedit ex vtraque reuelata, quàm ea quæ procedit ex vna tantum reuelata, medium formale est reuelatum fide diuina, quę cum sit rerum non apparentium, est per se obscura. Probatur assumptum; quia medium inferendi conclusionem, est per se reuelatum in propositione, seù præmissa reuelata, quia tota propositio est reuelata, & hoc ipsum medium in propositione, cognita lumine naturæ, adhùc est reuelatum in generali in propositione per se reuelata, vt videre est in hac demonstratione theologica: Christus redemit hominem, sed Petrus est homo, ergo Christus redemit Petrum; medius terminus est ly homo, qui in maiori est in particulari reuelatus; in minori verò assumitur, vt est reuelatus in maiori in generali, qui enim reuelat, v. g. omnem hominem esse redemptum à Christo, reuelat etiam in generali Petrum esse redemptum à Christo, quia Petrus est homo essētialiter.

Secunda sententia est ferè omnium Thomistarum, qui dicunt theologiam sacram viatorum secundum se, siuè secundum suam naturam, esse scientiam per se euidentem; hoc S. Thomas 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. probat ex eo, quia theologia sacra viatorum, procedit ex principijs notis lumine superioris scientiæ, quæ est in Beatis; hæc autem est scientia per se euidens in generali, quæ est euidens euidentia, abstrahente ab euidentia immediata, quæ est scientiæ subalternantis; & ab euidentia mediata, quæ est subalternatæ scientiæ, quia scientia ex principijs notis lumine superioris scientiæ, est scientia subalternata, quæ est vna ex speciebus, in quas diuiditur scientia in generali; de speciebus autem immediatè prædicatur genus. Maiorem S. Thomas præcitato articulo potius explicat, quam probat dicens; sicut musica credit principia tradita sibi ab arithmetico; ità theologia sacra viatorum credit principia reuelata sibi à Deo: sed etiam à priori probare possumus; primò, quia theologia sacra viatorum essentialiter saluatur per hoc, quod est habitus illatiuus conclusionum ex principijs reuelatis, vt scitis in sciētia formaliter supernaturali existente in Beatis; nam per hæc prædicata adęquatè contradistinguitur à theologia sacra Beatorum, quę est formaliter de scibili supernaturali in suo proprio genere; quia hæc est illatiua conclusionum ex principijs supernaturalibus, quæ in statu viæ de lege ordinaria, non cognoscuntur, nisi lumine fidei diuinæ, scilicet quia creduntur dicta esse à Deo, qui nec falli, nec fallere potest, prout

Proůt exigentibus tamen euidentiam, ex medio ſuperioris ſcientiæ, cui ſunt continuabilia in eodem intellectu, remoto ſtatu viæ; ſed huiuſmodi habitus eſt ex reuelatis, vt ſcibilibus in ſuperiori ſcientia; quoniam dependentia, quam habet à reuelatione fidei, conuenit ei ratione ſtatus viæ, ad quem ſubſequitur ſtatus patrię in eodem intellectu, qui eſt ſtatus euidentiæ.

Hanc articulum Recentiores explicant varijs dubitationibus, an ſcilicet theologia ſacra viatorum ſit certa, an ſit euidens, an neceſſariò debeat procedere ex vtraq; præmiſſa de fide, an poſſit eſſe in Beatis, &c. Equidem autem illum ſcientificè reſoluam diſtinctione duplicis theologiæ viatorum, quam initio huius articuli ex parte explicauimus; prima diuiſio, ſeù diſtinctio theologiæ viatorum eſt in theologiam, quæ eſt ex reuelatis à Deo in ſtatu viæ, ſed vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, quæ eſt in Beatis; & in theologiam, quæ eſt ex reuelatis fide diuina, vt reuelatis, & creditis fide diuina, ſed acceptis ſub lumine, & regulis naturalis diſcurſus, ſiuè ſub lumine ſyllogiſtico: & hæc ſecunda theologia diſtinguitur eſſentialiter ab habitu fidei diuinæ, qui eſt habitus principiorum theologiæ ſacræ viatorum, quia eſt ex diuerſis motiuis formalibus, ſiuè ex diuerſis obiectis formalibus, quibus intellectus mouetur ad aſſentiendum articulis fidei, & ad deducendam concluſionem ex articulis fidei; motiuum enim formale, quo intellectus aſſentitur articulis fidei eſt, quia Deus dixit, qui nec falli, nec fallere poteſt, & hic aſſenſus eſt actus fidei; motiuum autem formale, quo intellectus viatorum deducit concluſiones ex articulis fidei eſt, quia articuli fidei in diſcurſu theologico ſunt diſpoſiti in forma ſyllogiſtica, vel quia in articulis fidei medium eſt coniunctum cum extremis; vel quia in vno articulo fidei eſt coniunctum cum vno extremorum; in alio verò articulo eſt ſeparatum ab alio extremorum; vel, vt alij dicunt, motiuū formale habitus illatiui theologici eſt inferre concluſionem ex pręmiſſis reuelatis à Deo, tamquam effectus à cauſa, nimirum, quia pręmiſſę reuelatę continent cauſam, cur prædicatum inſit ſubiecto in concluſione: & hic eſt actus proprius theologiæ, quatenus eſt habitus illatiuus concluſionum ex reuelatis; quoniam præmiſſę reuelatæ in forma ſyllogiſtica diſpoſitę continent medium formale, quod eſt cauſa cur intellectus viatorum deducendo concluſionem ex dictis pręmiſſis, vniat duo extrema inuicem in concluſione, vel diuidat ea in concluſione, & hoc medium formale eſt, vel quia in præmiſſis eadem vniuit cum medio termino; vel quia in vna propoſitione medium ſeparauit ab vno extremorum, vt probant logici.

Cauſa à priori huius duplicis theologię eſt, quia diſtinctio, ac diuiſio eſſentialis vnius habitus illatiui ab alio, ſumitur ex diuiſione formali, non obiecti materialis, ſiuè in genere entis, ſed à diuiſione formali obiecti formalis in genere ſcibilis; ſed medium, quo theologia ſacra viatorum eſt deductiua concluſionum ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, eſt diuerſum formaliter in genere ſcibilis, à medio, quo theologia ſacra viatorum deducit ſuas concluſiones ex reuelatis fide diuina, ſub lumine tamen ſyllogiſtico; quandoquidem medium formale in prima eſt, quia pręmiſſę ſunt demonſtrabiles in ſuperiori ſcientia; medium verò formale in ſecunda theologia eſt, quia pręmiſſę ſunt cognoſcibiles fide diuina, in forma tamen ſyllogiſtica diſpoſitæ: & hinc ſumitur ratio, vt dentur iſtę duę theologiæ ſpecie eſſentiali diſtinctę, vel ſaltem ſint poſſibiles; quia nimirum diſtinctio formalis ſcientię eſt ex diſtinctione formali medij formalis, quo infertur concluſio; ſed datur duplex medium formale inferendi concluſionem theologicam ex reuelatis; primum eſt ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, quę eſt in Beatis; ſecundum eſt ex reuelatis, & creditis fide diuina, in forma tamen ſyllogiſtica diſpoſitis; ergo datur hęc duplex theologia ſacra viatorum. Quod ſi dicas vtroque modo pręmiſſę ſunt cauſa concluſionis neceſſaria; reſpondeo, quod ex diuerſo medio formali.

Ex his theologijs viatorum, theologia quæ eſt ex reuelatis à Deo acceptis, vt ſcitis in ſuperiore ſcientia, eadem eſt formaliter, quod theologia ſacra viatorum ſecundum ſe, ſiuè ſecundum ſuam naturam; theologia verò viatorum, quæ eſt ex reuelatis, & creditis fide diuina, quatenus ſub forma ſyllogiſtica ſunt cauſa neceſſaria concluſionum theologicarum ex medio, vt reuelato, non eſt eadem, quod theologia, quę eſt ex reuelatis à Deo in ſtatu viæ; quia, vt dixi initio huius articuli, hæc theologia, & theologia viatorum ſecundum ſe ſignificant eandem prorſus theologiam, ſed in diuerſo ſtatu; illa ipſa enim theologia, quę eſt ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia eſt obſcura, & euidens accidentaliter ratione ſtatus vię: ſicut illud ipſum ens, quod in priori naturę eſt poſſibile, ſcilicet non repugnans produci; in poſteriori naturę eſt

actu

actu, nimirum productum; & ratio huius à priori est, quia esse ex reuelatis ratione status viæ, non sumitur, vt medium formale diuersum inferendi conclusionem; sed solum, vt conditio sine qua non, separabilis à theologia, quæ est ex ijsdem reuelatis in statu viæ acceptis, vt scitis in superiore scientia, scilicet vt scibilibus demonstratiuis in superiori scientia.

Explicatur hoc: esse ex reuelatis in statu viç dupliciter potest sumi; vno modo sumendo esse in statu viæ, tanquam conditionem; alio modo sumendo esse ex reuelatis in statu viæ, tanquam medium, & motiuum formale ad inferendas conclusiones theologicas; Primo modo esse ex reuelatis, non causat theologiam specie diuersam à theologia sacra viatorum secundum se, quia in hoc differt conditio à ratione formali causandi; quia ratio formalis est principium formale influens in effectum; conditio verò sine qua non, nō est principium formale influens, & ideò theologia sacra secundum se in statu viæ est actu obscura accidentaliter, non autem essentialiter; at theologia, quæ est ex reuelatis fide diuina vltimatè sub lumine syllogistico, est essentialiter, siuè per se ineuidens.

Prima conclusio: theologia sacra viatorum, quæ est ex reuelatis, & creditis fide diuina formaliter, dispositis tamen in forma syllogistica, est essentialiter habitus illatiuus ineuidens, & per se obscurus. De hac theologia fortè loquuntur omnes theologi, qui dicunt habitum theologiæ sacræ viatorum, esse essentialiter ineuidentem, ac producere conclusiones essentialiter ineuidentes. Conclusionem hanc de theologia viatorum, contradistincta specie à theologia viatorum ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia, scriptam non reperio; sed ea tamen apertè sequitur ex probatis supra, & veritatem continet, eamque probant rationes auctorum asserentium theologiam sacram viatorum secundum se, & essentialiter esse ineuidentem; prædicti enim auctores non agnoscunt aliam theologiam viatorum, nisi eam, quæ est ex reuelatis à Deo vt creditis; quatenus vt sic sunt causa necessaria, & certa conclusionum ex medio, cognoscibili tantum fide diuina. Ratio ostensiua huius conclusionis mihi hæc est, motiuum formale, & causa determinans intellectum ad deducendam conclusionem ex reuelatis, est per se, & formaliter ineuidens, & obscurum; quia est cognoscibile tantum fide diuina, in forma tamen syllogistica, sed ex causa per se, & formaliter ineuidente, non oritur nisi effectus essentialiter ineuidens, & obscurus; ergo theologia sacra viatorum, quæ est effectus præmissarum in discursu theologico est essentialiter, & per se ineuidens. Discursus fundatur in eo: quia scientia illatiua conclusionum est effectus pręmissarum continentium causam conclusionum, sed causa per se mouens intellectum ad deducendam conclusionem ex reuelatis à Deo formaliter, est per se ineuidens, & obscura: ergo eius effectus, qui est theologia illatiua conclusionum necessariò est ineuidens per se, & obscura. Minor probatur, quia præmissæ, ex quibus theologia sacra theologicas deducit conclusiones, tamquam ex causa certa, & infallibili, sunt articuli fidei formaliter; sed ij sunt per se, & essentialiter ineuidentes, & obscuri; fides enim, qua creduntur præmissæ à Deo dictæ, seù reuelatæ, vt dicitur ad Hæbreos 10. est de non apparentibus, quæ autem non apparent vt sic, sunt formaliter, & per se obscura; in quo differt demonstratio theologica à demonstratione non theologica, quę est demonstratio naturalis; hæc enim facit apparere suis præmissis, nimirum facit euidenter cognoscere illas veritates, de quibus est; demonstratio autem theologica, non causat scientiam per se euidentem; quia infert suas conclusiones ex principijs, siuè articulis fidei formaliter; in forma tamen syllogistica dispositis.

Dices primò; habitus illatiuus conclusionum, est formaliter, & per se ineuidens ex medio formali per se ineuidenti, & obscuro, non autem ex medio materiali; sed præmissæ reuelatæ à Deo fide diuina, sunt ex medio ineuidente materialiter, non autem ex medio euidente formaliter, & in genere scibilis; theologia enim sacra viatorum deducit suas conclusiones ex articulis fidei, proùt dispositis in forma syllogistica; forma autem syllogistica est medium formale naturale; hoc autem est per se euidens, quia est ex regulis naturalis discursus; ergo theologia sacra viatorum essentialiter non est per se ineuidens. Hic discursus fundatur in eo tamquam in primo principio, quia habitus illatiuus sumit suam specificationem ex obiecto formali, non autem ex obiecto materiali conclusionis; species enim non est à materia, sed à forma; sed obiectum formale theologiæ sacræ illatiuæ, siuè discursiuæ, aut argumentatiuæ, est formaliter euidens, quia est naturale; ergo, &c.

Probatur discursus; ratio enim formalis, seù motiua, cur intellectus argumentando, duo extrema inuicem vniat, vel diuidat

in

in conclusione, est; quia in præmissis eadem vniuit cum medio termino, vel ab eo diuisit vnum illorum, vt in logica fusè probatur; sed totum hoc in demonstratione theologica est formaliter naturale; quia est ex regulis naturalis discursus; ergo, &c.

Respondeo: concedo scientiam illatiuam esse per se euidentem, vel ineuidentem, ex medio formali per se euidente, vel per se ineuidente, non autem ex medio materiali; sed nego medium formale, quo mouetur intellectus ad inferendam conclusionem theologicam ex præmissis reuelatis, in forma syllogistica dispositis, esse, quia præmissę reuelatæ sunt in forma syllogistica; sed est, quia medium in præmissis reuelatis, est cognoscibile lumine fidei diuinæ. Ad probationem autem; nego formam syllogisticam, siuè lumen naturalis discursus, esse motiuum formale deducendi conclusiones theologicas ex reuelatis; sed est tantum conditio necessaria, sine qua non; conditio autem inferendi conclusionem ex reuelatis non influit formaliter, neque in conclusionem, neque in scientiam illatiuam: scientia enim illatiua indiget regulis naturalis discursus, non tamquam medio formali, quod est causa connexionis prædicati cum subiecto in conclusione; sed solum tamquam cōditione necessaria, quæ est extra essentiam. Explicatur hoc exemplis manifestis: possum enim assētiri huic propositioni illatę; Christus est risibilis; in hac demonstratione, Christus est homo, vel rationalis; sed homo, vel rationale est risibile; ergo, &c. ex duplici capite; vel quia causaliter, & ex medio, quia Christus est rationalis; vel quia medium est dispositum in præmissis in forma syllogistica; vtique motiuum, quod est causa, vt Christus sit risibilis, est rationalitas, vel quia homo; dispositio autem huius medij in forma syllogistica, est conditio, non medium formale, quod est causa, vt Christus sit risibilis; dispositio verò syllogistica est tantum conditio, sine qua non intellectus potest inferre conclusionem; nisi enim medium prædictum esset dispositum in forma syllogistica in præmissis, non fieret huiusmodi illatio. Prætereà, quis potest assentiri huic propositioni de fide, Christus est Deus, & homo; quia Parochus hoc illi ritè proposuit: in hoc assensu Parochi propositio, est conditio tantum applicans assentienti obiectum de fide; sed motiuum formale assentiendi, non est propositio ritè facta à Parocho; sed est, quia Deus hoc dixit, nimirum, quod Verbum caro factum est; pariter discurrendum est in demonstratione theologica, quæ est ex articulis fidei.

Dices secundò: assentiri conclusioni theologicæ ex articulis fidei formaliter, vt fidei diuinæ; vel inferre conclusionem ex articulis fidei, quia sunt fide diuina crediti, est actus fidei diuinæ; sed theologia sacra viatorum, proùt est habitus illatiuus conclsionum, est contradistinctus ab habitu fidei; proprium enim fidei est assentiri ex motiuo formali, quia Deus dixit; proprium autem, & essentiale habitus illatiui, est inferre conclusionem ex reuelatis, in forma syllogistica dispositis, quod est motiuum formale diuersum à primo.

Respondeo cum distinctione; dupliciter enim possunt sumi propositiones reuelatæ à Deo, siuè articuli fidei: vno modo sub motiuo formali; quia Deus, qui nec falli, nec fallere potest, eas reuelauit, & dixit: alio modo sub motiuo formali; quia propositiones reuelatæ, siuè articuli fidei, in forma syllogistica dispositi, sunt causa necessaria, & infallibilis conclusionis, compositæ ex extremis præmissarum; Primo modo præmissæ reuelatæ à Deo, siuè articuli fidei, sunt obiectum fidei diuinæ; & assentiri illis ex motiuo formali, quia Deus dixit, est actus fidei. Secundo autem modo articuli fidei diuinæ, sunt obiectum theologiæ sacræ illatiuæ, cuius proprium est inferre conclusionem ex reuelatis à Deo: quia illa sunt causa necessaria, & infallibilis conclusionis theologicæ; & hic actus est proprius theologię, & non fidei: & istæ duæ rationes formales obiectiuæ reperiuntur in articulis fidei formaliter, quæ necessariò distinguēdę sunt in eis, ne confundantur habitus fidei, qui est habitus principiorum; & theologia sacra viatorum, proùt est habitus illatiuus conclusionum ex articulis fidei: aliud enim est formaliter articulos fidei esse veros, quia Deus illos dixit; & aliud est articulos fidei esse causam necessariam, & infalibilem connexionis prædicati cum subiecto in conclusione; neque inconuenit, vt idem articulus fidei diuinæ sit inadæquatè obiectum formale fidei diuinę, & obiectum formale theologiæ sacræ, quæ est habitus illatiuus conclusionum; quia hæc prædicata non sunt secundum idem, in quo consistit contradictio, vt sæpe repetiuimus.

Dices tertiò pro ijs, qui apud Herueum *quęst. 1. prolog.* & Argentinam *quęst. 2. art. 1.* contendunt theologiam sacram ex reuelatis formaliter fide diuina, esse scientiam per se euidentem in generali; quia est ex

eui-

euidentibus mediatè, & aptitudinaliter, etiam, vt articuli fidei ſunt formaliter; articuli enim fidei diuinæ, ex quibus theologia ſacra viatorum deducit concluſiones, adhùc vt articuli fidei diuinæ, ſunt demonſtrabiles ab intrinſeco per principia methaphyſicæ vniuerſalioris, quam nos appellamus methaphyſicā vniuerſaliſſimam; ſed propoſitio omnis, vt demonſtrabilis ab intrinſeco per principia vniuerſaliora, eſt euidens euidentia aptitudinali, & mediata; ergo theologia ſacra viatorum, quæ eſt ex articulis fidei diuinæ formaliter, & vt ſic, eſt eſſentialiter, & per ſe euidēs euidētia mediata, & aptitudinali. Maior, in qua eſt difficultas, probatur; primò, quia articuli fidei diuinæ vt ſic, ſunt obiectum materiale methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ; quia methaphyſica vniuerſaliſſima vt ſic, eſt abſtrahens à naturali, & ſupernaturali; ſed articuli fidei diuinæ vt ſic, formaliter ſunt infra rationem entis realis vt ſic; ergo ſunt obiectum materiale methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ: ſed hæc demonſtrat ab intrinſeco principia ſcientiarum inferiorum; quia procedit ex principijs intrinſecis vniuerſaliſſimis. Secundò, quia Deum eſſe, & Deum eſſe vnum, &c. ſunt articuli fidei, quandoquidem Deum eſſe, proponitur, vt veritas credibilis, iuxta illud; Deus tuus Iſrael vnus eſt; at illud quod ſub fidem cadit, fidei articulus eſt; ſed iſti articuli fidei ſunt demonſtrabiles ab intrinſeco, ergo, &c. Tertiò non repugnat, vt eadem veritas, vel eadem concluſio materialiter probetur medio probabili, & medio demonſtratiuo; ſed eadem ratio eſt, vt articulus fidei demonſtretur medio extrinſeco, & medio intrinſeco; ergo articulus fidei, vt fidei formaliter, adhùc eſt demonſtrabilis medio intrinſeco, ſaltem ſuperiori, & vniuerſaliori. Minor probatur, quia ſi qua eſſet ratio impoſſibilitans, vt eadem veritas, ſiuè concluſio, demonſtretur medio demonſtratiuo, & medio probabili ab eodem intellectu; ea eſſet, quia ſcientia, & opinio ſunt oppoſita ex parte eiuſdem ſubiecti; ſed hæc ipſa oppoſitio reperitur inter ſcientiam per ſe euidentem, quæ probat medio intrinſeco, & ſcientiam per ſe ineuidentem, quæ probat ſuas concluſiones medio extrinſeco ſub lumine ſyllogiſtico; ergo, &c.

Reſpondeo, nego maiorem; ad primā probationem, qua dicit opponens articulum fidei vt ſic, eſſe demonſtrabilem ab intrinſeco per principia vniuerſaliora; quia ſunt obiectum materiale methaphyſicę vniuerſaliſſimæ, articuli fidei diuinæ vt ſic; nego maiorem, & eius rationem: articuli enim fidei diuinæ vt ſic, non ſunt obiectum materiale methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ: & ratio eſt; quia obiectum materiale methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ eſt ſcibile ex principijs intrinſecis; verùm articuli fidei diuinæ vt ſic formaliter non ſunt ſcibiles intrinſecè, vt ſupra innuimus, cum diximus articulum fidei diuinæ vt ſic, non admittere ſui intrinſecam probationem; ſed tantum extrinſecam, quæ eſt ex hoc principio extrinſeco; omne reuelatum à Deo eſt verum, quæ probatio non præiudicat fidei obſcuritati, & quantumcumque probetur principio vniuerſaliori extrinſeco, numquam deuenitur, vt per intrinſecam probationem conſtet de veritate articuli fidei vt ſic. Cum denique dicitur, articulum fidei diuinæ vt ſic, contineri materialiter ſub obiecto formali methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, nimirum in genere entis; quia obiectum formale in genere entis vniuerſaliſſimæ methaphyſicæ, eſt ens reale vt ſic. Reſpondeo cum diſtinctione: obiectum formale in genere entis methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ eſt ens reale vt ſic, cognoſcibile medio intrinſeco, & concedo; eſt ens reale vt ſic, cognoſcibile medio, abſtrahente ab intrinſeco, & ab extrinſeco, & nego; quandoquidem methaphyſica vniuerſaliſſima, vt demonſtrauimus, eſt ſcientia illatiua, demonſtrans de ſuo obiecto paſſiones intrinſecas per cauſam intrinſecam virtualiter.

Neque dicas, ex hoc ſequi methaphyſicam vniuerſaliſſimam, eſſe vniuerſaliſſimam, & non eſſe vniuerſaliſſimam; vniuerſaliſſimam; quia ſupponitur: non vniuerſaliſſimam; quia non comprehendit omne ens reale ſub ſuo obiecto formali; nam.

Reſpōſio in promptu eſt; dicitur enim methaphyſica vniuerſaliſſima; quia eſt de ſcibili ab intrinſeco, non autem de ſcibili, abſtrahente à ſcibili ab intrinſeco, & à ſcibili ab extrinſeco; ſecùs methaphyſica vniuerſaliſſima comprehenderet ſub ſuo obiecto formali, etiam Deum, vt intuibilem, quod eſt falſum, & impoſſibile: comprehendit enim ſolùm Deum, vt cognoſcibilem tantùmodo cognitione abſtractiua. Quod ſi methaphyſica vniuerſaliſſima comprehendat veritates ſupernaturales reuelatas fide diuina; hoc non eſt, quia comprehendit omnes veritates ſupernaturales, vt creditas formaliter fide diuina; ſed quia eas comprehendit, quatenus ſunt obiectum theologiæ ſacræ viatorum, quæ procedit ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, nimirum, vt ſcibilibus ab eodem intellectu

cui-

Digitized by Google

euidenter in superiori scientia.

Ad secundam rationem, qua dicitur Deum esse,& Deum esse vnum,immensum, &c. esse articulos fidei, qui etiam sunt demonstrabiles ratione naturali intrinseca. Respondeo cum distinctione; dupliciter enim intelligi potest, quod articuli fidei sunt demonstrabiles medio intrinseco; vno modo in sensu materiali, & specificatiuo; alio modo in sensu formali, & reduplicatiuo; in primo sensu concedo; sed non in eodem intellectu, quia scientia, & fides sunt incompossibiles in eodem intellectu de eodem obiecto materiali, & in eadem scientia, ob eandem rationem: in secundo sensu, nego; quia, vt dixi, articulus fidei, vt fidei formaliter non admittit sui intrinsecam probationem; theologia autem sacra, de qua nos loquimur, non est theologia sacra, quæ est ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia; sed de theologia, quæ est ex reuelatis, vt creditis formaliter fide diuina, acceptis, vt causis certis,& infallibilibus conclusionum.

Ad tertiam rationem,cum dicit opponens, quod non repugnat, quod eadem conclusio demonstretur medio demonstratiuo, & medio probabili. Respondeo primò distinguendo maiorem;dupliciter enim intelligi potest, quod non repugnat demonstrare eandem conclusionem medio demonstratiuo, & medio probabili; vno modo,quia non repugnant simul esse subiectiuè in eodem intellectu, scientia, & opinio de eadem conclusione; alio modo, quia non repugnat simul ab eodem intellectu haberi obiectiuè eandem conclusionem,cognoscibilem medio demonstratiuo, & medio probabili; seorsim, & à diuersis intellectibus, & concedo: sed hoc non est contrarium nostræ doctrinę, neque probat esse simul formaliter, & subiectiuè in eodem intellectu scientiam, & opinionem de eodem obiecto materiali; quia ponit opinabile, & scibile, obiectiuè in intellectu, vt obiectum materiale: & vnus, & idem intellectus potest totum hoc cognoscere medio demonstratiuo; potest enim vnus,& idem intellectus medio demonstratiuo cognoscere,quãdo obiectum est demonstrabile, & quando est opinabile.

Dices quartò cum alijs, qui dicunt, quod de mente S. Thomæ theologia sacra viatorum etiam ex reuelatis, & creditis fide diuina formaliter, est euidens mediatè, nimirum quod procedit ex principijs euidentibus mediatè, quod satis est,vt theologia sacra viatorum ex reuelatis formaliter sit euidens euidẽtia scientiali; etenim theologia sacra viatorum ex reuelatis à Deo, formaliter procedit ex principijs, etiam quatenus sunt euidentia Deo reuelanti; quia Deus est verax reuelans; eo quod ipse habet euidentiam eorum, quæ reuelat; sed habitus illatiuus procedens ex principijs euidentibus,est essentialiter euidens euidentia scientiali, quia est effectus causæ,vt euidentis. Fundatur hæc ratio, quantum video, in eo principio, quia eadem principia in eo quod sunt reuelata a Deo, includunt etiam inadæquatè euidentiam obiectiuam, eo quod sunt euidentia Deo reuelanti, & hoc principium vim habet ex eo, quia non repugnat, vt eadem principia sint inadæquata, & obscura, & ineuidentia; nam inadequatè nulla est contradictio, quia non sunt prędicata secundum idem:& hoc principio eadem scientia potest esse inadequatè, & naturalis, & supernaturalis; subalternans, & subalternata.

Respondeo primò,distinguo maiorem; theologia sacra viatorũ ex reuelatis à Deo formaliter, procedit ex mediatè euidentibus,euidentia ipsis principijs intrinseca, & nego; euidentia extrinseca, & concedo: voco euidentiam intrinsecam,quę oritur intra ipsam scientiam ex medio intrinseco: voco verò euidentiam extrinsecam, euidentiam non deductam ex medio intrinseco scientię; sed quę est euidentia dicentis tantum veritatem; euidentia autem, quę est differentia essentialis scientię, contradistinctę ab opinione, debet esse intrinseca, quę scilicet oritur ex medio intrinseco connexionis prędicati cum subiecto; non autem euidentia extrinseca, quę est euidentia dicentis tantum veritatem;quod autem hęc euidentia extrinseca, non est differentia essentialis scientię contradistinctæ ab opinione,ostenditur etiam ab inconuenienti; quia sequeretur fidem,adhuc esse essentialiter euidentem mediatè, quod falsum est, & impossibile; quia fides essentialiter est rerum non apparentium: cuius ratio à priori est,quia innititur mediò extrinseco, nimirum innititur formaliter infallibilitati, pręcisè Dei dicentis, & reuelantis, quia Deus dixit.

Respondeo secundò, theologia sacra viatorum, quę est ex reuelatis à Deo formaliter, procedit etiam ex euidentia mediata, quę potest fieri euidentia intellectus creati discurrentis ex principijs de fide, & nego: ex euidentia, quę non potest fieri euidentia intellectus creati, & concedo; procedit enim ex euidentia Dei dicentis, & reuelantis; hęc autem euidentia Dei dicentis,

tis,

tis, & reuelantis; hęc autem euidentia Dei dicentis, non fit, nec fieri potest euidentia intellectus creati discurrentis ex principijs fidei: vt suo loco probabitur, cum sermo erit, an cognitio Dei possit fieri cognitio intellectus creati formaliter; at euidentia, quæ est differentia essentialis scientiæ, debet esse euidentia, quæ fit euidentia intellectus creati scientis. Hæc secunda responsio datur secundum opinionem illorum, qui dicunt theologiam sacram viatorum, quę est ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia, fieri actu euidentem per solam vnionem formalem cum euidentia scientiæ Dei, & Beatorum.

Dices quinto cum Francisco de Marchia, quem sequitur Carthusianus *quæst.* 1. *prolog. §. contra cuius, & in 3. dist.* 24. *quæst.* 1. *§. contra hoc;* articuli fidei diuinæ vt sic, sunt demonstrabiles principijs extrinsecis per se notis; sed hoc satis est, vt theologia sacra viatorum ex articulis fidei diuinæ formaliter fit euidens euidentia mediata, & aptitudinali; ergo, &c. Maior probatur ab auctoribus rationis; quia articuli fidei sunt probabiles, per hæc duo principia, sed per se nota. Primum est, omne reuelatum à Deo est verum: secundum; miracula facta ad confirmationem reuelati, ostendunt euidenter reuelatum à Deo esse verum. Equidem probo maiorem alio principio; methaphysica etiam Aristotelis est scientia per se euidens, & tamen hæc procedit ex principijs complexis extrinsecis, quæ sunt per se nota, vt v. g. est: idem secundum idem simul esse, & non esse, & alia huiusmodi; ergo potest esse scientia per se euidens mediata euidentia principij extrinseci.

Respondeo hanc rationem reduci ad præcedentem; quoniam scientia in ratione scientiæ, contradistinctæ ab opinione, debet esse euidens ab intrinseco, nimirum ex medio intrinseco, quod debet esse inclusum in principijs, ex quibus procedit scientia; at principia prima extrinseca, ex quibus procedit theologia sacra viatorum ex reuelatis à Deo formaliter, sunt tantum euidentia euidentia extrinseca, quæ est euidentia dicentis, quam vocant euidentiam in testificante, seu reuelante, & est illa, quam omnes vocant euidentiam credibilitatis; non autem euidentia scibilis, & hæc potest esse cum obscuritate fidei. Solet etiam hæc euidentia extrinseca dici euidentia credentis in hoc sensu, quatenus credenti euidens est, veritatem aliquam esse reuelatam à Deo, qui nec falli, nec fallere potest in dicendo, ex eo quia euidenter scimus, Deum esse primam veritatem, & primam veritatem non posse proponere ad credendum, vt verum id, quod est falsum; sed hæc euidentia, non est euidentia scientiæ, quia non est ex medio intrinseco, quo scientia demonstrat passiones de suo scibili.

Quod si obijcias; intellectus viatorum ex medio intrinseco cognoscit, Deum esse primam veritatem, & primam veritatem non posse proponere ad credendum, vt verum id, quod est falsum; sed hæc euidentia est scientialis, causans nimirum essentialiter scientiam euidentem.

Respondeo distinguo maiorem; intellectus viatorum cognoscit medio intrinseco, Deum esse primam veritatem, & primam veritatem, non posse proponere ad credendum, id quod est falsum, vt principium intrinsecum rei reuelatæ, & dictæ, & nego; vt principium extrinsecum, & concedo; euidentia, quæ est differentia essentialis scientiæ, debet esse ex medio intrinseco rei scitæ, non autem ex medio ei extrinseco, quia euidentia essentialis scientiæ est ex euidentia intrinseca scibilis, hæc autem non potest competere scibili, nisi ex medio intrinseco. Neque huic doctrinæ prędiudicat, vt principium extrinsecum rei scitę probetur aliquo medio intrinseco virtuali, quia euidentia principij extrinseci, nunquam fit euidentia intrinseca subiecti conclusionis scientię; euidentia enim intrinseca, oritur intra ipsum obiectum scientię; hoc autem non potest fieri, nisi principium fit intrinsecum obiecto scientię,

Fortè ex hoc fundamento aliqui apud *Erueum quęst.* 1. *prolog.* volunt theologiam sacram viatorum intrinsecè secundum se esse euidentem, quia veritates reuelatę possunt probari per principia euidenter nota; sed manifestè errant, quia principia euidentia debent esse intrinseca subiecto conclusionis, vt scientia fit essentialiter euidens; euidentia enim, quę est differentia essentialis scientię, vt ostendimus, est ex medio intrinseco subiecto conclusionis.

Neque vim habet, quod supra est oppositum, nimirum posse principium, ex quo procedit scientia, esse inadęquatè obscurum, & inadęquatè clarum; sicut potest eadem scientia esse inadęquatè subalternans, & inadęquatè subalternata, eo quod hęc prędicata non opponuntur secundum idem: nam hoc verum est, quando rationes formales possunt adunari materialiter sub vna ratione formali communi, vt sunt practicum, & speculatiuum in theologia sacra viatorum, quæ est materialiter inadæquate

tè practica, & inadæquatè speculatiua; quia adunantur in theologia sacra viatorum sub ratione scibilis lumine diuinæ reuelationis in statu viæ; & etiam veritates practicæ, & veritates speculatiuæ materialiter adunantur sub ratione credibilis, sub qua ratione formali pertinent ad fidem, quæ ob hanc rationem est etiam materialiter inadæquatè practica, & inadæquatè speculatiua; non autem est verum principium supradictum, quando rationes formales non possunt adunari materialiter sub vna ratione formali obiectiua communi: & huiusmodi sunt obscuritas essentialis, & euidentia essentialis; siuè obscuritas per se, & inuidentia, & euidentia per se; hæc enim duo sunt contradictoria prima, & formaliter; primis autem contradictorijs nihil potest esse commune, secus non essent prima contradictoria.

Neque oppositum docet Angelicus Doctor, cum *quæst.* 1. *prolog. art.* 3. *quæst.* 2. *ad* 2. *dicit*. *Ita doctrina sacra habet pro principijs primis articulos fidei, qui per lumen fidei infusum, per se noti sunt habenti fidem; sicut & principia naturaliter nobis insita per lumen intellectus agentis*; nam Sanctissimus Doctor appellat lumen fidei infusum lumen credibilitatis, non verò lumen scibilis formaliter; lumen autem credibilitatis idem est, quod euidentia ex medio extrinseco, quæ solum facit credere; sed non ostendit, aut videre facit veritatem intrinsecam, seù connexionem intrinsecam prædicati cum subiecto per causam intrinsecam. Neque obstat, cum præcitatis verbis Angelicus Doctor dicit, articulos fidei lumine fidei diuinæ infuso esse per se notos; nam per se notum appellat id, quod est immediatè cognitum per lumen fidei, & non per alium medium terminum; articulus enim fidei est, qui immediatè reuelatus est à Deo, & quo ad hanc immediationem, non quo ad euidentiam comparantur à S. Thoma articuli fidei cum primis principijs naturalibus immediatè cognitis per lumen intellectus agentis, & per ipsammet terminorum penetrationem: & ratio huius à priori esse potest; quia per se notum idem est, quod notum non per aliud medium; sed hoc potest competere, tàm principijs fidei diuinæ, quàm principijs scientiæ naturalis; ergo, &c.

Henricus 1. *par. summ. art.* 13. *quæst.* 6. & *quodlibeto* 12. *quæst.* 12. *ad* 2. ad explicandum quomodo articuli fidei sint per se noti, constituit aliud medium lumen diuinum infusum, & supernaturale, inter lumen fidei, & lumen scientiæ Beatorum in patria, quo euidenter cognoscuntur naturæ terminorum credibilium in statu viæ, v. g. Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti, quibus terminis penetratis, statim fertur iudicium euidens de rebus reuelatis, & fidei lumine anteà creditis, v.g. Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, & ex his fidei principijs prædicto lumine euidenter cognitis, inquit, infertur iudicium scientificum, quo intellectus viatorum assentitur conclusionibus theologicis. Sed hoc lumen medium inter lumen scientiæ, & lumen fidei est omninò cōfictum, vt acutè reijciunt complures theologi, quos refert Pater Hieronymus Fasolus *loco supra cit. num.* 59. & ratio huius à priori esse potest; quantum nunc video; quia lumen fidei diuinæ, & lumen scientificum reducuntur ad contradictoria, inter quæ nihil medij esse potest. Probatur assumptum, quia lumen fidei est per se obscurum; lumen scientiæ est per se clarum, & euidens, lumen fidei diuinæ est extrinsecum medium ad inferendam conclusionem ex principijs reuelatis; lumen verò scientiæ est lumen intrinsecum: quoniam lumen cognoscendi idem est, quod medium mouens, & determinans intellectum ad inferendam conclusionem ex præmissis; medium autem adæquatè diuiditur in medium intrinsecum, quod scilicet est, vel in primo modo, vel in secundo modo essendi intrà subiectum in conclusione; ergo hoc lumen medium, quod fingit Henricus inter lumen fidei diuinæ, quo credimus in statu viæ ea, quæ Deus reuelauit; & lumen clarum, & euidens scientiæ Beatorum, est omninò impossibile: & ob hanc eandem rationem, non datur media scientia theologica inter theologiam, quæ est ex reuelatis in statu viæ, proùt scitis in superiori scientia, existente in Beatis; & inter theologiam, quæ est ex reuelatis à Deo vt sic, in forma tamen syllogistica dispositis: quia theologia ex reuelatis à Deo, vt scibilibus in superiori scientia Beatorum est ex medio intrinseco; theologia verò sacra viatorum ex reuelatis, vt reuelatis formaliter, sed in forma syllogistica dispositis, est ex medio extrinseco; procedit enim formaliter, vt probauimus, ex reuelatis à Deo, vt reuelatis formaliter, sed in forma syllogistica; in his autem præmissis medium est cognitum sola fide diuina; fides autem diuina, sicut & cognoscibile fide diuina, est notum ex medio extrinseco: & hoc verum est, non solum

in

in theologia, quæ eſt ex vtraque præmiſſa reuelata; ſed etiam in theologia, quæ ex vna tantum præmiſſa reuelata, & ex alia nota naturæ lumine: nam medium in hac theologia, procedente ex vna tantum reuelata, eſt reuelatum in particulari, & explicitè; idem verò medium in propoſitione nota lumine naturæ eſt reuelatum, etiam in præmiſſa reuelata; ſed in generali, & implicitè, ad eum modum, quo vniuerſaliter concluſio, antequam deducatur, præcognoſcitur in præmiſſis in generali; qui enim cognoſcit clarè, & explicitè omnem hominem eſſe animal rationale, in hac propoſitione cognoſcit in generali, etiam Petrum eſſe animal rationale.

Neque hoc repugnat doctrinæ Ariſtotelis, quem omnes ſequuntur, dicentis demonſtrationem procedere ex notis ad ignotum; nam hac doctrina intelligitur, demonſtrationem procedere ex notis in particulari, & clarè ad concluſionem inferendam, quæ in præmiſſis, licet non cognoſcatur clarè, & in particulari, non tollit, quin concluſio antequam deducatur, ſit nota in generali, & confusè; & hoc ſatis eſt, vt medium in propoſitione, nota lumine naturæ, ſit adhùc reuelatum implicitè, & in generali.

Secunda concluſio. Theologia ſacra viatorum, quæ eſt ex reuelatis à Deo, ſed vt ſcitis in ſuperiori ſciẽtia, quæ eſt in Beatis, eſt habitus illatiuus concluſionum eſſentialiter, & per ſe euidens euidentia abſtrahente ab euidentia mediata, ſiuè aptitudinali, quæ conſtituit ſcientiam ſubalternatam; & ab euidentia immediata, & actuali, ſeù perfecta, & vltimata in ſua latitudine formali, quæ conſtituit ſcientiam eſſentialiter ſubalternantem. Explicatur concluſio; aliud eſt, theologiam ſacram viatorum ex reuelatis, vt ſcitis, eſſe ſcientiam per ſe euidentem; & aliud eſt, theologiam eſſe ſcientiam per ſe euidentem euidentia mediata, vel immediata: ſicut aliud eſt hominem eſſe animal; & aliud eſt hominem eſſe animal rationale. In hac concluſione ſolum contendimus, theologiam viatorum ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, eſſe habitum illatiuum, ſiuè ſcientiam illatiuam concluſionum per ſe euidentem, abſtrahendo ab euidentia mediata, & immediata; in ſequentibus verò articulis examinabimus, an theologia ſacra viatorum ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia ſit ſcientia ſubalternata, an ſubalternans; quod idem eſt, ac inquirere, an ſit euidens euidentia mediata, & aptitudinali, an euidentia immediata, & vltima in ſua latitudine formali. In multis locis ſcripturæ apertè dicitur, theologiam ſacram eſſe ſcientiam; nam primo ad Corinthios 12. dicitur: *alij datur ſermo ſapientię, alij ſermo ſcientię*. Ieremiæ 3. *dabo vobis paſtores, qui paſcent vos ſcientia, & doctrina*, quem locum S. Hieronymus intelligit de theologia ſacra viatorum. & Auguſtinus *lib. 14. de Trinit. cap. 1.* *hac*, inquit, *ſcientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipſa fide*. & Ambroſius, *ſcientiam*, inquit, *noſtram eſſe quidem imperfectam, ſicut, & noſtra vita*; ſed an in præcitatis locis ſcripturæ ſit ſermo de theologia ſacra viatorum, quæ eſt ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia; an de theologia ſacra viatorum ex reuelatis fide diuina vt ſic, doctioribus theologis diſcutiendum relinquo. Hanc concluſionem in terminis docet S. Thomas 1. *par. quæſt. 1. art. 2. in corpore*, vbi diſtinguit duplex ſcientiarum genus; *quædam enim*, inquit, *ſunt, quæ procedunt ex principijs notis lumine naturali intellectus, ſicut Arithmetica, Geometria, & huiuſmodi; quædam verò ſunt, quæ procedunt ex principijs notis lumine ſuperioris ſcientiæ, ſicut Perſpectiua procedit ex principijs notificatis per Geometriam; & Muſica ex principijs per Arithmeticã notis*: & inter has ſcientias ponit theologiam ſacram viatorum; & huius hanc optimam aſſignat rationem; *quia*, inquit, *procedit ex principijs notis lumine ſuperioris ſcientiæ, quæ ſcilicet eſt ſcientia Dei, & Beatorum*; verus autem ſenſus doctrinæ S. Thomæ eſt, theologiam ſacram viatorum ſecundum ſe, ſiuè ſecundum ſuam naturam, deducere ſuas concluſiones ex principijs, vt demonſtrabilibus principijs intrinſecis, & vniuerſalioribus ſcientiæ ſuperioris, & vniuerſalioris, exiſtentis in Beatis, & hæc eſt theologia viatorum, quam nos dicimus eſſe illatiuam concluſionum ex principijs, vt ſcitis lumine ſcientiæ ſuperioris in Beatis; etenim lumen ſuperioris ſcientiæ non eſt aliud, niſi medium intrinſecum, quo ſcientia ſuperior ſuas deducit, & probat concluſiones, quod mediũ ſibi mutuat ſcientia inferior à ſcientia ſuperiori, quando ſciens vult reſoluere concluſiones ſcientię inferioris in prima, & vltima principia, vt clariùs infrà oſtendetur.

Quidam putant Sanctum Thomam in hoc articulo non reſoluere directè quæſitum; in eo enim quærit, vtrum ſacra doctrina ſit ſcientia abſolutè ſine vlla limitatione; & reſpondet in corpore, eſſe ſcientiam, quæ procedit ex principijs notis lumine ſuperioris ſcientiæ, quæ eſt ſcientia

ſubalternata ſuperiori ſcientiæ Beatis; ſed decipiuntur: quoniam S. Thomas, dicens theologiam ſacram Beatorum procedere ex principijs notis lumine ſuperioris ſcientiæ, vtitur hac propoſitione, tanquam medio ad probandum, theologiam ſacram viatorum eſſe abſolutè, & ſimpliciter ſcientiam per ſe, & eſſentialiter euidentem, quæ eſt ſcientia in generali, contradiſtincta ab opinione illatiua; nam ſcientia procedens ex principijs, vt notis lumine ſuperioris ſcientiæ, procedit ex principijs demonſtrabilibus medio intrinſeco ſuperioris ſcientiæ; hæc autem eſt ſpecies ſcientiæ per ſe euidens; at ſcientia per ſe euidens in ſpecie continetur immediatè ſub ſcientia per ſe euidenti in generali; quippe differentiæ diuidentes ſciētiam, in ſcientiam ſubalternantem, & ſubalternatam, ſunt differentiæ per ſe, & formales ſcientiæ per ſe euidentis. Alij opinantur theologiam ſacram viatorum ſecundum ſe, ſiuè ſecundum ſuam naturam, non eſſe idem formaliter, quod theologia procedens ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia; dicit enim theologiam ſacram viatorum ſecundum ſuam prædicata eſſentialia; ſed hæc theologia communis eſt, tàm theologiæ ſacræ viatorum, quæ eſt ex reuelatis, vt ſcitis; quàm theologiæ ſacræ viatorum, quæ eſt ex reuelatis, vt reuelatis formaliter; quia etiam hæc theologia, vt ſupra oſtendimus, poteſt conſiderari ſecundum ſua prædicata eſſentialia, & cum conditione extrinſeca; ſed horum opinio oritur ex æquiuocatione theologiæ ſacræ ſecundum ſe; quia ea dupliciter ſumi poteſt, primò vt contradiſtinguitur à ſeipſa, vt componit cum ſtatu viæ, ratione cuius illi conuenit obſcuritas, & ineuidentia accidentaliter; alio modo, ſecundum quod dicit naturam, ſeù quidditatem theologiæ ſacræ viatorum, quæ communis eſt theologiæ ſacræ ex reuelatis, vt ſcitis; & theologiæ, quæ eſt ex reuelatis à Deo, vt reuelatis formaliter, tanquam cauſa neceſſaria, in forma ſyllogiſtica diſpoſitis. Theologia ſacra viatorum ſecundum ſe primo modo, eſt idem, quod theologia ex reuelatis, vt ſcitis lumine ſuperioris ſcientiæ; Verùm theologia ſacra ſecundum ſe poſteriori modo diſtinguitur à theologia ſacra ex reuelatis, vt ſcitis lumine ſuperioris ſcientiæ, vt genus à ſpecie, ſicut animal ab homine, & principium à cauſa.

Concluſio hæc directè eſt contra eos, qui mordicùs ſubſtinent, habitum theologiæ ſacræ viatorum abſolutè, & ſimpliciter eſſe eſſentialiter ineuidentem, & parere concluſiones eſſentialiter ineuidentes, quos refert, & ſequitur Pater Hieronymus Faſolus in *quæſt. 1. de ſacra doctrina, art. 2. à dubitat.* 11. idque probant à priori; quia, inquiunt, habitus illatiuus concluſionum, ſuam ſpecificam eſſentiam ſumit, non ab obiecto materiali, ideſt à re cognita; ſed ab obiecto formali, ideſt à medio, ſiuè à motiuo, quo ad cognoſcendum, & aſſentiendum inducitur; ſed hoc medium in theologia ſacra viatorum debent eſſe principia reuelata, vt reuelata formaliter, ſed quatenus ſunt cauſa neceſſaria concluſionum, quæ differentia non tollit à principijs reuelatis rationem formalem reuelati; & hoc probatur; quia demõſtratio theologica poſtulat principia formaliter theologica; principia autem reuelata, ſi non accipiantur formaliter quatenus reuelata, ſcilicet vt ſubſtant motiuo diuinæ reuelationis, ſeù reuelantis Dei, qui eſt prima, & ſumma veritas in dicendo, ſed ſub alio motiuo formali, non erunt principia formaliter theologica, theologia nimirum reuelata in ſtatu viæ; ſed tantum erunt principia theologica materialiter, à quibus non ſpecificatur theologia viatorum, neque vt ſcientia actio, neque vt ſcientia paſſio; hæc ratio ponitur in terminis à Faſolo *loco ſupra citato dubit. 7. num.* 39.

Fundamentum concluſionis à priori eſt; quia theologia ſacra viatorum ex ſcitis in ſuperiori ſcientia deducit ſuas concluſiones ex principijs, vt demonſtrabilibus principijs intrinſecis ſuperioris ſcientiæ, vt ſupra diximus; ſed ex hoc capite theologia ſacra viatorum eſt habitus illatiuus eſſentialiter euidens, etiam euidentia intrinſeca in generali; ergo theologia ſacra viatorum, quæ eſt ex reuelatis, vt ſcitis, eſt habitus illatiuus concluſionum eſſentialiter euidens, & parit concluſiones eſſentialiter euidentes. Minor eſt certa, quia habitus illatiuus eſt per ſe, & eſſentialiter euidens, quando procedit ex medio intrinſeco; habitus enim illatiuus, ſumit euidentiam ab euidentia formali, & intrinſeca, non ſui obiecti materialis, ſed ſui obiecti formalis, quod eſt medium cognoſcendi per ſe euidens, & hoc eſt medium intrinſecum, quod ſcilicet eſt cauſa connexionis prædicati cum ſubiecto in concluſione, ſi ſcientia eſt à priori; vel eſt effectus proprius, ſiuè proprietas, ſi ſcientia eſt à poſteriori. Totum hoc manifeſtum eſt ex oppoſito; fides enim diuina eſt per ſe, & eſſentialiter ineuidens; quia medium ad credendum eſt extrinſecum, nimirum eſt Deus dicens, & reuelans: ſimiliter habitus

illa-

illatiuus est per se ineuidens, quia procedit ex medio extrinseco, quatenus causa conclusionis; ratio enim causæ in medio extrinseco, non ponit in ipso medio euidentiam; quia adhùc in ratione causæ inferendi cōclusionem est causa extrinseca. Maior, in qua est difficultas probatur; quia si aliqua ratio esset in oppositum, ea esset; quia theologia sacra viatorum secundum se, vt theologia viatorum formaliter, essentialiter postulat esse ex reuelatis, quatenus ex reuelatis, idest vt substant motiuo diuinæ reuelationis; sed hæc ratio nulla est; quia datur duplex theologia sacra viatorum, vt supra ostendimus; alia est ex reuelatis, vt reuelatis formaliter, tamquam causa necessaria conclusionis; & alia est ex reuelatis à Deo vt scitis. Ratio allata ab opponente militat contra theologiam sacram viatorum, quæ est ex reuelatis, vt reuelatis formaliter, vt causa conclusionis; nos loquimur in conclusione de alia theologia sacra viatorum, quæ est ex reuelatis, vt scitis lumine, scilicet medio intrinseco superioris scientię, quæ est in Beatis: at aduersarij non agnoscunt aliam theologiam sacram viatorum, distinctam a theologia sacra Beatorum, nisi theologiam sacram, quæ est ex reuelatis fide diuina, vt reuelatis formaliter, tamquam causa conclusionis, idque probant vt supra.

Primò, quia theologia sacra viatorum essentialiter postulat principia essentialiter theologica, ad differentiam theologiæ naturalis, quæ est methaphysica; principia autem reuelata, inquiunt, si non accipiantur formaliter quatenus reuelata, idest vt substant motiuo formali diuinæ reuelationis, qui est Deus reuelans, seù dicens, non sunt principia formaliter theologica; sed tantum materialiter, quæ communia sunt, adhùc theologiæ sacræ Beatorum; specificatio autem scientiæ, siuè habitus illatiui sumitur, non ab obiecto materiali, sed ab obiecto formali, nimirum à medio, siuè motiuo formali, quo sciens mouetur ad inferendam conclusionem: ex hac enim diuersitate mediorum oritur, quod de eodem obiecto plures, & diuersæ scientiæ agant, v.g. de Deo Theologi, & Methaphysici: de quantitate Physici, & Mathematici, &c. hoc autem medium formale in theologia sacra viatorum necessariò debet esse reuelatum formaliter à Deo, vel in particulari, vel in generali; secus conclusio theologica deduceretur ex reuelatis tantum materialiter, à quibus non specificatur scientia, vt scientia actio; quia specificatio est ab obiecto formali, non ab obiecto materiali.

Secundò probant, quia theologia sacra viatorū distinguitur formaliter a theologia sacra Beatorum, quæ est per se infusa in Beatis formaliter; theologia enim sacra Beatorum est per se acquisibilis; hæc autem distinctio, non sumitur ab obiecto materiali, sed ab obiecto formali; sed hoc medium formale in theologia sacra viatorum non potest esse aliud, nisi motiuum Dei reuelantis, scilicet quia Deus dixit, seù reuelauit; quia per hoc formaliter contradistinguitur theologia viatorum à theologia Beatorum per se infusa, in qua medium formale est per se certum certitudine intrinseca, quæ est certitudo euidentiæ, quod vocant medium clarum, & euidens; quia est medium intrinsecum. Sed horum opinio cum suis fundamentis reijcitur sola distinctione duplicis theologiæ sacræ viatorum, nimirum in theologiam sacram, quæ est ex reuelatis, vt reuelatis assumptis vt causa necessaria conclusionis; & in theologiam sacram ex reuelatis in statu viæ, sed acceptis, vt scitis lumine superioris scientiæ, quæ est in Beatis; primam omnes theologi admittunt; secundam, apertissimè asserit S. Thomas 1. *par. quęst.* 1. *art.* 2. *in corp.* dicens, theologiam sacram viatorum esse scientiam, quæ procedit ex principijs reuelatis, vt scitis lumine superioris scientiæ, quæ scilicet est scientia Dei, & Beatorum, & hæc aurea S. Thomæ doctrina, probatur duplici ratione à priori. Prima est; quia tota materia theologiæ sacræ potest scientificè disponi, & considerari, non solum sub ratione formali scibilis ex reuelatis, vt reuelatis formaliter; sed etiam sub ratione scibilis ex reuelatis, vt demonstrabilibus in superiori scientia, quæ est in Beatis; nihil enim prohibet, vt eadem materia scientificè disponatur, & consideretur sub diuersis rationibus formalibus, in genere scibilis, quod in scientijs frequenter accidit; nam de eodem obiecto materiali tractant plures scientiæ, specie essentiali diuersæ, v. g. de Deo Theologi, & Methaphysici; de quantitate Physici, & Mathematici, &c. Secunda est, quia distinctio vnius scientiæ ab alia quando est formalis, sumitur non ab obiecto materiali, sed at obiecto formali in genere scibilis; hoc autem est medium, quo sciens ostendit prædicatum inesse subiecto in conclusione; sed hoc medium, in genere scibilis in obiecto materiali theologiæ sacræ viatorum, potest esse duplex formaliter; potest enim scibile theologicum esse cognoscibile ex præmissis reuelatis, vt scitis me-

medio ſuperioris ſcientiæ;& medio theologiæ inferioris, quæ eſt viatorum, quod eſt motiuum formale Dei reuelantis,ſeù dicentis; ergo, &c. Rationes autem in oppoſitum facillimè ſoluuntur.

Reſpondeo enim ad primam, qua dicunt theologiam ſacram viatorum neceſſariò poſtulare principia theologica formaliter; ſed reuelata principia non accipiuntur formaliter,niſi accipiantur formaliter,quatenus reuelata, concedo maiorem; & nego minorem:hæc enim principia poſſunt ſumi, proùt noſcuntur duplici medio theologico, vel ſcilicet medio theologico ſuperioris ſcientiæ, quæ eſt in Beatis, ſeù quod eſt medium intrinſecum, & conſequenter euidens; vel medio, ſiuè motiuo diuinæ reuelationis pro ſtatu viæ; vtrumque enim medium eſt theologicum, & ſacrum; ſed vnum eſt intrinſecum, & conſequenter per ſe euidens; aliud verò eſt extrinſecum, & conſequenter per ſe ineuidens,& obſcurum; ex diuerſitate autem formali horum mediorum in viatoribus conſtituitur duplex theologia ſacra; nimirum theologia ſacra, quæ eſt ex reuelatis, vt reuelatis formaliter in ſtatu viæ, ſumptis in ratione cauſæ concluſionis; & theologia, quæ eſt ex reuelatis à Deo, vt demonſtrabilibus in ſuperiori ſcientia, exiſtente in Beatis: prior eſt theologia per ſe ineuidens, & hæc nullo pacto poteſt coniungi cum ſcientia ſuperiori in eodem intellectu; ſicut in eodem intellectu ſunt ſcientiæ ſubalternatæ, v. g. Perſpectiua, & Geometria, Muſica,& Arithmetica: poſterior verò eſt euidens formaliter euidentia mediata, ſeù aptitudinali in ſtatu viæ; per accidens verò, nimirum, ex accidentali coniunctione cum fide in ſtatu viæ, eſt ineuidens, & obſcura, à qua obſcuritate, & ineuidentia eſt ſeparabilis:quia hæc ineuidentia, & obſcuritas eſt extrà definitionem eſſentialem in primo, & in ſecundo modo dicendi per ſe; theologia enim ſacra ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, ſumit ſuam eſſentiam ſpecificam ab obiecto formali in genere ſcibilis; hoc autem eſt medium intrinſecum ſuperioris ſcientiæ, quod theologia ſacra viatorum ex reuelatis, vt ſcitis, ſibi mutuat cum coniungitur ſuperiori in eodem intellectu.

Ad ſecundam: reſpondeo theologiam ſacram viatorum ex reuelatis, vt ſcitis, diſtingui eſſentialiter à theologia ſacra per ſe infuſa Beatis, adhùc ex diuerſitate formali ſui obiecti formalis in genere ſcibilis; quia medium formale theologię ſacrę viatorum ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia ſunt principia, vt demonſtrabilia in ſuperiori ſcientia; theologia autem ſacra Beatorum per ſe infuſa, eſt ex principijs, vt ſcitis intra ipſam ſcientiam, vel ſola penetratione propria terminorum, ſi ſint prima ſimpliciter; vel per medium vniuerſalius,& prius, ſi principia non ſint prima.

Fortè dices, theologia ſacra viatorum, etiam, quæ eſt ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia dependet eſſentialiter in ſtatu viæ à diuina reuelatione; quia theologia ſacra viatorum neceſſariò, vel eſt ex vtraque præmiſſa reuelata, vel ex vna tantum reuelata: ſed dependentia eſſentialis, & neceſſaria non poteſt eſſe, niſi ab obiecto formali, ſiuè eſſentiali; ergo theologia ſacra viatorum etiam, quæ eſt ex reuelatis,vt ſcitis, inuoluit in ratione obiecti formalis diuinam reuelationem. Ratio à priori eſt, quia ſcientia ſumit ſuam ſpecificam eſſentiam, non ab obiecto materiali,ſed ab obiecto formali in ratione ſcibilis; hoc autem eſt medium, ſiuè motiuum formale, quo probatur prædicatum ineſſe ſubiecto in concluſione.

Sed hæc ratio facilè ſoluitur; dupliciter enim theologia viatorum, quæ eſt ex reuelatis, vt ſcitis in ſtatu viæ, indiget neceſſariò medio reuelato in præmiſſis; vno modo, tamquam conditione neceſſaria, manifeſtante veritates ſupernaturales, & præbente etiam occaſionem intellectui viatorum ad inueniendum medium intrinſecum regulis ſyllogiſticis ad probandam cõcluſionem; alio modo theologia ſacra viatorum eſſentialiter indiget diuina reuelatione, vt medio, & motiuo formali determinante intellectum, vt cauſa neceſſaria concluſionis: theologia viatorum, quæ eſt ex principijs reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia dependet à reuelatione diuina, vel à fide diuina ſolùm, tamquam à conditione neceſſaria in ſtatu viæ;quia motiuum formale, ſiue medium formale, quo inducitur ad inferendam concluſionem, eſt, quia præmiſſæ ſunt intrinſecè demonſtrabiles lumine ſuperioris ſcientiæ, quæ eſt in Beatis; hoc autem motiuum formale eſſentialiter dicit ſolam indigentiam ſuperioris ſcientiæ; theologia verò,quæ eſt ex reuelatis, & creditis fide diuina formaliter, indiget fide diuina, vt medio formali aſſentiendi, quatenus eſt cauſa neceſſaria,ſed extrinſeca inferens concluſionem theologicam. Dico: quatenus eſt cauſa extrinſeca, inferens concluſionem theologicam; quia præmiſſa reuelata à Deo, ſiuè medium à Deo reuelatum, & creditum poteſt inadæquatè ſumi,

ſumi, quatenus eſt medium à Deo dictum, & reuelatum in præmiſſis, & ſic eſt obiectum formale fidei; & quatenus eſt cauſa extrinſeca, quæ in præmiſſis diſpoſitis forma ſyllogiſtica, neceſſariò eſt inferens concluſionem, & ſic eſt obiectum theologiæ ſacræ viatorum, quæ eſt ex reuelatis, vt reuelatis à Deo fide diuina, & ſub iſta ratione formali cauſa neceſſaria extrinſeca, eſt motiuum, ſiuè medium formale deducendi concluſiones in theologia ſacra ex reuelatis formaliter fide diuina; in prima autem theologia, quæ eſt ex reuelatis, vt ſcitis, fides diuina, ſiuè reuelatio, eſt tantum conditio neceſſaria, ad inferendam concluſionem theologicam pro ſtatu viæ; quia, vt dixi, medium formale in hac theologia eſt eſſe ſcibile in ſuperiori ſcientia medio intrinſeco; de ratione enim eſſentiali theologiæ ſacræ ex reuelatis, vt ſcitis, eſt dependentia eſſentialis à medio intrinſeco ſuperioris ſcientiæ: reuelatio autem conuenit huic theologiæ ſolùm, proùt eſt in ſtatu viæ, quæ eſt conditio extrinſeca theologiæ ſecundum ſe, quæ non influit in aſſenſum, neque in concluſionem: in hoc enim diſtinguitur conditio neceſſaria à ratione cauſandi, vt dicitur in phyſicis; conditio enim requiritur quidem neceſſariò, ſed non influit, vt ex approximatio ignis ad lignum ad producendum in ligno calorem, vel ex ligno alium ignem.

Inſtabis, theologia ſacra, quæ in ſtatu viæ procedit ex reuelatis à Deo, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, pendet à fide diuina, & à rebus à Deo reuelatis, tamquam ab eſſentialibus ſuis principijs; quandoquidem habitus illatiuus neceſſariò dependet ab habitu principiorum, ex quibus ſuas deducit concluſiones; habitus autem principiorum theologiæ ſacræ, quę in ſtatu viæ procedit ex reuelatis vt ſcitis, ſunt fides diuina, & res reuelatæ à Deo; ſed dependentia eſſentialis, eſt à medio, ſeù ab obiecto formali ſcientię, non autem à conditione; quia conditio eſt extrinſeca; depēdētia autē eſsentialis eſt à principijs intrinſecis, & eſsētialibus.

Reſpondeo, theologiam ſacram viatorum, quæ eſt ex reuelatis, vt ſcitis dupliciter ſumi poſſe; vno modo ſecundum ſe, ſiuè ſecundum ſuam naturam; alio modo; proùt eſt in ſtatu viæ, & de lege ordinaria: theologia ſacra ex reuelatis vt ſcitis, per ſe quidem, ſiuè ex ſua natura, nullo pacto dependet eſſentialiter ab habitu fidei, neque ex rebus reuelatis, ſed per accidens; dependentia enim eſſentialis ſcientię, ſolummodò eſt à ſuo obiecto formali; quia à ſuo obiecto formali ſumit tantummodò ſuam ſpecificam eſſentiam, ad quod materialiter ſe habet eſſe ex reuelatis pro ſtatu viæ, ratione ſcilicet ſubiecti, in quo eſt; ac proindè theologia ex reuelatis, vt ſcitis eſt habitus concluſionum continuabilis ſcientię ſuperiori, exiſtenti in Beatis; habitus verò per ſe principiorum, eſt habitus principiorum ſuperioris ſcientię: & huiuſmodi theologia, quantum nunc video (ſaluo ſemper meliori iudicio doctiorum) poteſt de potentia abſoluta, acquiri, & eſſe in nobis, nulla prȩſuppoſita fide; nam non apparet implicantia, concurrente ad id Deo per auxilium ſuum ſpeciale, ſicut docti ſcholaſtici docent, inter quos lege P. Marcum Antonium Palumbum in ſuo *3. exam. ſcholaſtico in 1. par. S. Thomæ, cap. 4. dicto 3.* habitum ſupernaturalem ſecundum ſubſtantiam, licet de lege ordinaria, non ſit acquiſibilis; tamen abſolutè, & ſimpliciter non apparet implicantia, vt poſſit acquiri, & eſſe in nobis, concurrente ad id Deo per auxilium ſuum ſpeciale; theologia autem ex reuelatis, vt ſcitis, proùt eſt in ſtatu viæ dependet quidem à fide, & à rebus reuelatis tantum, tamquam à conditione neceſſaria, non autem tamquam à principio influente; dependentia enim eſſentialis huiuſmodi non eſt dependentia abſolutè, & ſimpliciter, quȩ conuenit theologiæ ſecundum ſe; ſed tantum eſt dependentia eſſentialis ex ſuppoſitione conueniens theologię ſacrę viatorum ſumptę cum conditione extrinſeca, vel vt componit cum ſtatu vię; theologia autem ex reuelatis formaliter dependet eſsentialiter à fide, quia creditum eſt obiectum formale entitatiuum.

Neque ex hac doctrina ſequitur habitum theologię ſacrę viatorum ſecundum ſe eſse habitum purè naturalem formaliter, & eſsentialiter, vt opinatur Pater Hieronymus Faſolus *in 1. quæſt. 1. par. S. Thomæ art. 2. dub. 3. num.* 20. idque probat; quia reuelatio diuina, quam prȩſupponit diſcurſus theologicus, nihil omninò per ſe influit in aſsenſum concluſionis, veluti, inquit, cum Mathematici prȩſupponunt deſcriptam aliquam figuram, v. g. triangularem; non vt de illo particulari triangulo, ante oculos poſito, ſed de alio in communi apprehenſo, demonſtrent habere tres angulos ȩquales duobus rectis.

Non inquam, hoc ſequitur, quia theologia ſacra viatorum ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, quȩ eſt in Beatis, proùt eſt in ſtatu vię, neceſsariò dependet à reuelatione diuina, tamquam conditione neceſſari,

ſari,

faria, fine qua non; quod non habet fcientia fimpliciter naturalis; nifi enim præfupponeret reuelationem diuinam præmiffarum in ftatu viæ, non effet ex reuelatis pro ftatu viæ, qui quidem ftatus eft extrinfecus theologiæ facræ ex reuelatis, vt fcitis; intrinfecus verò theologiæ facræ, vt componit cum ftatu viæ; & ex oppofito, theologia facra viatorum ex reuelatis à Deo fide diuina, vt reuelatis formaliter, acceptis tamen, vt caufa neceffaria inferente conclufionem, dependet effentialiter à fide, vt ab habitu fuorum principiorum; & ideò huic theologiæ omninò repugnat coniungi cum fcientia fuperiori, exiftente in Beatis; quia hæc non poteft effe fine fide, cum ab ea effentialiter dependeat; quoniam fides, & fcientia de eodem obiecto materiali funt incompoffibiles fimul in eodem intellectu, vt fuo loco fusè probabitur; verum theologia facra, quæ eft ex reuelatis, vt fcitis in fuperiori fcientia, non eft incompoffibilis cum fcientia fuperiori de eodem obiecto materiali in eodem intellectu; quia fecundum fe poteft feparari à fide diuina, cum continuatur fcientiæ fuperiori in eodem intellectu; neque ei repugnat ex accidenti, vt fit ineuidens, & obfcura, exigens tamen effentialiter euidentiam, cum continuatur fuperiori fcientiæ Beatorum.

Obijcies ex Pafolo *loco cit. dubit.* 14. *à num.* 88. cum dicunt Caietanus, Siluefter, & alij Thomiftæ, theologiam facram viatorum fecundum fe, effe fcientiam per fe euidentem, prout verò eft in viatoribus effe ineuidentem: vel per theologiam viatorum fecundum fe, intelligunt eundem habitum theologiæ viatorum, qui fecundum fe indifferenter fe habeat, vel ad effendum cum obfcura notitia principiorum, vt eft in via; vel ad effendum cum euidente notitia eorundem principiorum, vt erit in patria; & in hoc fecundo ftatu effe per fe euidentem, & non in primo: vel intelligunt per theologiam facram viatorum fecundum fe, vt explicant Vafquez *difput.* 4. *num.* 10. & alij ipfammet viatorum theologiā abfolutè confideratam abfque imperfectione obfcuritatis principiorum; fed neutro modo theologia facra viatorum fecundum fe poteft effe habitus illatiuus per fe euidens. Non primo modo: tum quia fequeretur theologiam fecundum fe, neque effe fcientiam euidentem, neque ineuidentem; fiuè, neque effe fcientiam perfectam, neque imperfectam; fed præfcindere ab vtraque ratione, ficut præfcindit ab vtroque ftatu, quod contradicit doctrinæ allatæ, nimirum theologiam fecundum fe effe habitum illatiuum per fe euidentem euidentia intrinfeca; tum quia habitus theologiæ viatorum illatiuus, vtpotè effentialiter difcurfiuus, ideft ex iudicijs principiorum deductiuus iudicij conclufionis, non poteft præfcindere à notitia principiorum, ad quam dicit effentialem ordinem; quia continet formale motiuum affenfus difcurfiui, quod eft, quia medium in præmiffis in difcurfu, eft vnitum cum vtroque extremo, vel cum vno eft vnitum in vna præmiffa, ab alio verò extremo eft diuifum in alia præmiffa; ab hoc enim medio formali habitus difcurfiui, eft euidens, vel ineuidens: tum quia, inquit, fequeretur eundem numero theologiæ habitum, quem habemus in via, remanfurum in patria, quod inquit eft impoffibile; quia in patria habitus theologiæ effentialiter difcurfiuus, futurus effet otiofus, ac fruftratorius; tunc enim non folum principia, fed etiam ipfæmet theologiæ conclufiones, videbuntur intuitiuè per vifionem beatificam, quæ cum fit fimplex quædam intuitio, & non difcurfus, non poteft effe proprius actus theologiæ effentialiter difcurfiuę. Et hęc ratio, inquit idem Pafolus, fupponit Beatos non difcurrere circa ea, quę non poffunt aliter videri intuitiuè, quam per lumen glorię, & vifionem beatificam, vtpotè circà Deum, & diuinas perfonas, & omnes perfectiones formaliter exiftentes in Deo: lege eum.

Neque intelligi poteft theologia viatorum fecundum fe abfque imperfectionis obfcuritate; tum quia hęc theologia viatorum fub ifta confideratione; fi haberet euidentiam principiorum in patria, non haberet eam effentiam fcientię, quam nunc habet in ftatu vię per dependentiam ab ineuidente cognitione principiorum; ergo theologia facra, quę eft in viatoribus non poteft confiderari, vt pręfcindens ab obfcuritate principiorum, & vt potens fecundum fe habere rationem fcientię euidentis, quia non poteft confiderari, vt pręfcindens à propria fua effentia: tum quia per Caietanum, & alios Thomiftas, euidentia theologię facrę viatorum in patria non habetur, nifi per vifionem beatificam, quę eft fine difcurfu; ergo theologia facra in ftatu patrię non poteft confiderari, vt habens cognitionem fcientię euidentis per dependentiam ab euidentia principiorum.

Refpondeo, à Caietano, Silueftro, & alijs Thomiftis intelligi per theologiam facram viatorum fecundum fe, theologiam facram viatorum, proùt eft ex reuelatis, vt fcitis per fe in fuperiori fcientia, quę eft in

Bea-

Beatis; quia per theologiam viatorum secundum se, intelligere debent theologiam sacram secundum prædicata, quæ illi conueniunt in primo, & in secundo modo dicendi per se; hæc autem prædicata conueniunt theologiæ dependenter à suo obiecto formali motiuo,& hoc sunt principia reuelata in sensu materiali,& specificatiuo,quatenus demonstrabilia in scientia superiori, quæ quidem theologia contradistinguitur à theologia viatorum,prout est in statu viæ, quæ est conditio extrinseca, vt supra latè explicauimus; theologia autem secundum se modo explicato, præscindit negatiuè, & à statu viæ, & à statu patriæ, non eodem modo, sed diuerso modo: à statu viæ præscindit, tanquam à prædicato accidentali, conueniens ei materialiter,quatenus potest esse in intellectu viatorum, qui est status fidei; præscindit verò à statu patriæ, siuè ab euidentia,quam habet in statu patriæ,actu, non aptitudine; dicit enim essentialem habitum,& ordinem ad illam:theologia enim viatorum secundum se potest esse in vtroque statu, sed differenter; potest quidem esse ex accidenti in statu viæ; per se verò exigit esse in statu patriæ.Et huius ratio à priori est, quia theologia sacra viatorum secundum suam naturam, est ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia, quæ est scientia existens in Beatis, huic autem scientiæ materialiter,& ex accidenti competit esse in statu viæ, ratione cuius accidentaliter est actu ineuidens, & obscura,scilicet,hoc prædicatum competit theologiæ sacræ, quatenus ei accidit esse in intellectu viatorum, qui est status fidei, & meriti. Pater Fasolus opinatur, secundum Caietanum, & alios Thomistas, præscindere ab aptitudine ad euidentiam, quam habebit in patria, & ab obscuritate fidei; sicut animal præscindit à rationali, & irrationali; neque hoc mirum est, quia doctus Fasolus non ponit aliam theologiam viatorum, nisi eam, quæ est ex reuelatis à Deo, vt reuelatis formaliter, acceptis in ratione causæ necessariò inferentis conclusionem;quo posito fundamento implicat theologiam sacram viatorum secundum se præscindere ab euidentia, & ineuidentia. Cum verò dicit, quod habitus theologiæ viatorum non potest præscindere à notitia principiorum, ad quæ dicit essentialem ordinem; concedo assumptum: sed habitus per se principiorum theologiæ sacræ viatorum secundum se, non est fides diuina per se infusa, aut acquisita, sed habitus principiorum scientiæ superioris existentis in Beatis; fides enim diuina, necessaria est theologiæ sacræ viatorum pro statu viæ, & ratione subiecti, & ideò fides diuina per accidens requiritur ad theologiam viatorum secundum se; sicut enim habitus theologiæ sacræ viatorum,& quilibet alius habitus scientiæ subalternatę habet duplex obiectum formale, tùm in genere entis,tùm in genere scibilis, ità habet duplicem habitum principiorum; nimirum vnum per se, & alium per accidens; scilicet, vnum conuenientem scientiæ subalternatæ in ordine ad obiectum formale, & alium conuenientem ei in ordine ad subiectum.Habitus per se theologiæ sacrę secundum se, est habitus principiorum scientię subalternantis existentis in Beatis; habitus verò per accidens principiorum, est fides diuina: idque probatur, quoniam principia, ex quibus deducit conclusiones theologia sacra viatorum pro statu viæ, cognoscuntur habitu fidei ratione subiecti, in quo est, quatenus scilicet subiectum est sine scientia subalternante; & hic ordo ad subiectum, est illi accidentalis, ac materialis; quatenus verò cognoscuntur, vt scibilia, & demonstrabilia in superiori scientia, dependent essentialiter ab habitu principiorum per se scientię subalternantis, & hic ordo est essentialis, quia est in ordine ad suum obiectum formale, à quo sumit speciem. Exemplum huius est in scientia subalternata purè naturali, vt est Musica in ordine ad Arithmeticam; Musicus enim dum caret in se Arithmetica, deducit suas conclusiones ex premissis, vt scitis per se in Arithmetica, & hęc cognitio supponit fidem eorundem principiorum solum ratione subiecti, dum caret in se habitu subalternantis scientię, quia Musica secundum se procedit ex principijs supponendo illa notificata, & certa in Arithmetica, & hęc est doctrina S. Thomę multis in locis; sed pręsertim 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. & clarius super Boetium *de Trinit. quæst.* 1. *art.*2. *ad* 7. vbi sic loquitur. *Cuiuslibet scientiæ principium primum semper est intellectus; non autem semper principium proximum, quod aliquando est fides, sicut patet in scientijs subalternatis; quoniam earum conclusiones, sicut eo proximo principio procedunt ex fide eorum, quæ supponuntur à scientia superiori.* Similiter inquit, *Theologiæ principium proximum est fides, principium primum est intellectus diuinus, cui credimus; sed fides est in nobis, vt perueniamus ad intelligendum, quæ credimus, sicut si inferior sciens addiscat superioris scientis scientiam, tunc fient ei intellecta,& scita,quæ prius erant tantummodò credita.* Cęterum hoc, hoc,quod diximus de fide in ordine ad theo-

logiam ſacram viatorum ſecundum ſe, non poteſt dici de theologia ſacra viatorum, quæ eſt ex præmiſſis reuelatis, vt ſcibilibus vltimatè fide diuina in ratione cauſę neceſſariæ concluſionis; quia hæc theologia ſecundum ſe eſt eſſentialiter ineuidens, & huius theologiæ fides diuina eſt per ſe habitus principiorum; omnis enim effectus debet correſpondere ſuæ cauſæ actu, nimirum, effectus per ſe euidens dependet à cauſa per ſe euidente; effectus autem per ſe ineuidens, eſt effectus cauſæ per ſe ineuidentis; vnde non eſt eadem formaliter theologia ſacra viatorum, quæ ex accidenti, & ratione ſubiecti eſt ineuidens, cum theologia, quæ eſt ex reuelatis à Deo, quatenus ſcibilibus vltimatè fide diuina acceptis, vt cauſis neceſſarijs concluſionis.

Dicent primò aduerſarij, theologia ſacra viatorum, quę eſt ex reuelatis, vt principijs notis tãtummodò per fidem diuinam in ratione cauſæ concluſionis, eſt eſſentialiter ſcientia diſcurſiua, quantum ad eſſentialem, & puram rationem ſcientiæ diſcurſiuæ, quia eſt eſſentialiter contradiſtincta ab opinione; hic autem habitus illatiuus eſt formaliter ſcientia: ſed prædictus habitus illatiuus non eſt eſſentialiter euidens, ſed ineuidens; ergo non eſt de ratione ſcientiæ illatiuæ contradiſtinctæ ab opinione euidentia intrinſeca. Aſſumptum probatur, quia ſcientia contradiſtincta ab opinione, in ſua ratione eſſentiali adæquata, non eſt aliud, niſi habitus illatiuus concluſionum ex principijs certis, veris, & infallibilibus.

Quod ſi reſpondeas, ſcientiam contradiſtinctam ab opinione, eſſe ex præmiſſis certis, & infallibilibus certitudine intrinſeca, non certitudine extrinſeca; habitum verò illatiuum concluſionum ex reuelatis, quatenus ſcibilibus formaliter fide diuina in ratione cauſæ neceſſariæ, eſſe certum certitudine extrinſeca; quia eſt certus certitudine fidei diuinæ, quæ eſt extrinſeca ſcibili.

Contra ſtatim inſurgent aduerſarij, quia ſcientia illatiua ex reuelatis, vt ſcibilibus fide diuina in ratione tantum cauſæ neceſſariæ, adæquatè contradiſtinguitur ab habitu opinatiuo; ſed quatenus contradiſtinguitur adæquatè ab opinione, ſiuè ab habitu opinatiuo, eſt formaliter ſcientia; ergo ad rationem ſcientiæ non requiritur certitudo intrinſeca, ſed ſatis eſt certitudo immutabilis, & infallibilis, præſcindens à certitudine intrinſeca, & à certitudine extrinſeca.

Reſpondeo; nego habitum illatiuum ex reuelatis, vt ſcitis tantum fide diuina, in ratione tamen cauſæ neceſſariæ concluſionis, certitudo enim ex ſola fide eſt certitudo extrinſeca, ſcientia autem in ratione ſcientiæ debet eſſe certa certitudine intrinſeca, quia opinio eſt incerta certitudine intrinſeca. Ad probationem, qua dicitur hunc habitum illatiuum ex reuelatis, vt ſcitis, ſeù noſcibilibus tantum lumine fidei diuinę in ratione cauſæ neceſſariæ, eſſe contradiſtinctum adæquatè ab habitu opinatiuo; ſed in contradiſtinctiuo non eſt euidentia intrinſeca, ſiuè contradiſtinctiuum non eſt certitudo intrinſeca, ſed tantum extrinſeca, quia eſt certitudo tantum fidei diuinæ, ſiuè concluſionis illatæ.

Reſpondeo, nego maiorem; habitus enim opinatiuus in ſuo adęquato conceptu formali, dicit certitudinem fallibilem intrinſecam in ratione cauſæ inferentis concluſionem; hæc autem adæquatè opponitur certitudini intrinſecæ, non autem certitudini præcisè extrinſecę: contradiſtinctiuum enim, quod eſt conſtitutiuum formale adęquatum, debet eſſe adhùc contradiſtinctiuum formale adęquatum. Secundò, opinio ex ſuo genere, non ſolùm poteſt eſſe incerta certitudine fidei; ſed etiam incerta certitudine intrinſeca, vt ſuprà latè explicauimus: oppoſitum autem incertitudini opinionis adęquatum, debet eſſe certitudo intrinſeca, quę eſt ex medio intrinſeco, & neceſſario. Vndè infero, quod habitus illatiuus concluſionis ex reuelatis fide diuina præcisè in ratione cauſę neceſſarię, non eſt adęquatè ſcientia contradiſtincta ab opinione; ſed tantùm eſt inadęquatè ſcientia, quatenus ſcilicet eſt ſpecies habitus argumentatiui, conueniens cum alijs ſpeciebus in vno communi genere, quod eſt habitus diſcurſiuus, ſiuè argumentatiuus.

Adhùc inſtant aduerſarij auctoritate Ariſtotelis, qui *6. ethicorum* definit ſcientiam, habitum oppoſitum opinioni, & ſuſpicioni cum omnimoda terminatione ad vnum, hanc autem oppoſitionem explicat tantummodò per certitudinem infallibilem ſine vlla formidine. Inſtant etiam auctoritate Diui Thomę, qui ſuper Boetium de *Trinit. quæſt. 1. art. 2. in corpore*, explicans, in quo verè ſcientię ratio conſiſtat, dicit quod ratio ſcientię conſiſtit in hoc, quod ignota ex aliquibus notis deducit: in qua definitione nullam facit mentionem de euidentia, ſed ſolum de certitudine infallibili, & de deductione ignoti ex noto; notum autem, ex quo deducitur ignotum, poteſt eſſe notum, non ſolum medio intrinſeco, ſed

etiam

etiam medio extrinseco.

Scholastici, & theologi, vt se expediant ab auctoritatibus Aristotelis, & S. Thomæ, alij dicunt theologiam sacram viatorum ex reuelatis, notis tantum fide diuina in ratione causæ, esse scientiam definitam ab Aristotele *6. ethicorum* per solam certitudinem illatiuam; alij dicunt esse scientiam definitam *1. topicorum*, quæ est scientia abstrahens à scientia euidente immediatè, & mediatè; alij dicunt esse scientiam etiam definitam ab Aristotele *2. poster.* alij denique dicunt esse scientiam diuersam à scientijs definitis ab Aristotele; quia nimirum Aristoteles cognouit tantum scientias naturales, quæ sunt essentialiter euidentes, vel euidentia mediata, vel euidentia immediata; equidem opinor, non esse aliam scientiam argumentatiuam contradistinctam ab opinione illatiua, nisi eam quam definiuit Aristoteles de scibili naturali, sed quantum ad suum formale; eadem enim scientia definita ab Aristotele, formaliter potest esse, tùm de scibili naturali, tùm de scibili supernaturali, quam Aristoteles tantummodò definiuit habitum illatiuum ex principijs certis, & veris certitudine intrinseca scibilis naturalis: & ratio à priori est, quia scientia contradistincta ab opinione adæquatè, non potest esse nisi certa certitudine intrinseca, & hanc scientiam Aristoteles definiuit *6. Ethicorum, & 1. Topicorum in generali*, quæ scilicet diuiditur in scientiam subalternatam, & in scientiam subalternantem; subalternans, est ex principijs veris, primis, & immediatis in suo ordine, seù in sua latitudine formali; subalternata verò est ex principijs secundis, & mediatis, quæ originem ducunt ex primis, & immediatis; Denique *2. poster.* Aristoteles definiuit tantummodò scientiam subalternantem, & potissimam, ex primis veris immediatis, causisque conclusionis. Fortè aliqui theologi, qui dixerunt theologiam sacram viatorum, non esse scientiam definitam formaliter ab Aristotele, loquuti sunt de scientia subalternante potissima.

Solet etiam opponi, scientiam illatiuam contradistinctam ab opinione, esse diuisibilem in scientiam euidentem essentialiter, & in scientiam ineuidentem essentialiter; at si scientia, prout contradistinguitur ab opinione, esset essentialiter per se euidens, etiam euidentia abstrahente ab euidentia mediata, & immediata, non esset diuisibilis in scientiam euidentem, & ineuidentem essentialiter; genus enim diuisibile debet præscindere à suis diuidentibus formaliter: sed hęc oppositio soluitur distinctione duplicis scientiæ; alia enim est scientia communiter dicta, quæ scilicet confunditur cum habitu intellectuali illatiuo; alia verò est, quę contradistinguitur adęquatè ab habitu opinatiuo. Scientia quæ diuiditur in scientiam euidentem, & in scientiam ineuidentem essentialiter, est scientia argumẽtatiua communiter dicta; scientia verò, quę contradistinguitur ab opinione adæquatè est essentialiter euidens, quia debet esse ex medio necessario, & intrinseco.

Hucusque loquuti sumus de theologia sacra, quatenus est scientia contradistincta ab opinione, non autem quatenus est contradistincta ab alia scientia sub eodem communi genere, quæ est scientia subalternans.

Tertia conclusio. Theologia sacra viatorum, non solum quæ est ex vtraque præmissa reuelata; sed etiam quæ est ex vna reuelata, & alia nota lumine naturæ, est duplicis conditionis: alia ex reuelatis in superiori scientia existente in Beatis: & alia ex reuelatis formaliter acceptis, vt causa necessaria conclusionis. Prima pars huius conclusionis supra sufficienter est discussa. Secunda pars verò assumitur hìc examinãda; plures enim docti Theologi contendunt theologiam sacram, quæ est ex vna tantum præmissa reuelata, & ex alia nota lumine naturæ, posse procedere ex suis præmissis, vt scitis in superiori scientia; omnis enim scientia inferior est ex demonstrabilibus in scientia superiori, cum sit scientia inferior subalternata superiori scientiæ; sed negant hanc theologiam ex vna tantum reuelata, & ex alia nota lumine naturæ posse esse ex reuelatis à Deo formaliter sumptis, vt causa conclusionis. Primò, quia scientia ex reuelatis formaliter debet esse ex medio adæquatè reuelato, conclusio enim non sequitur ex præmissis, nisi ex medio adæquatè distribuente; at in theologia ex vna tantùm reuelata præmissa, & ex alia nota solo naturæ lumine, medium non est adæquatè reuelatum; est enim reuelatum tantummodò in propositione reuelata. Secundò, theologia ex reuelatis formaliter est essentialiter ineuidens, quia est ex præmissis, vt cognoscibilibus medio extrinseco, quod est fides diuina, siuè Deus dicens, & reuelans; ex medio autem extrinseco, scientia est essentialiter ineuidens; quod patet ex opposito, quia scientia est essentialiter euidens ex medio intrinseco, & necessario; hoc enim facit intrinsecè apparere veritatem præmissarum, quod non

præstat Deus, vt dicens. His non obstantibus, conclusio quantum ad secundam partem vera est, & eam significat S. Thomas 1. *par. art.* 8. *ad* 2. dicens: *vtitur sacra doctrina etiam ratione humana, idest, non quidem ad probandam fidem; sed ad manifestandum aliqua alia, quæ traduntur in hac doctrina.* Et 2. contrà Gentes *cap.* 4. *interdum ex principijs philosophiæ humanæ, sapientia diuina procedit.* Ratio fundamentalis est, quia medium formale, quo deducitur conclusio ex vna reuelata, & ex alia nota lumine naturæ, assumitur in propositione lumine naturæ, vt reuelatum in generali, & implicitè in propositione reuelata in particulari; sed hoc satis est, vt theologia sacra sit ex reuelatis, non solùm vt scitis in superiori scientia; sed etiam ex reuelatis formaliter, assumptis tamen in ratione causæ necessariæ conclusionis, scilicet vt prædicatum insit subiecto in conclusione, vt v. g. in hac demonstratione theologica: omnis homo est redemptus à Christo; Petrus est homo, ergo Petrus est redemptus à Christo; medium in minori propositione, quæ est nota naturæ lumine, assumitur vt reuelatum in generali, & implicitè in maiori propositione, quæ est omnis homo est redemptus à Christo; reuelans enim omnem hominem esse redemptum à Christo, reuelat in generali, & implicitè Petrum, Paulum, & quemlibet alium particularem hominem existentem fuisse à Christo redemptum; sicut qui explicitè, & in particulari reuelat Christum esse hominem, reuelat etiam in generali, & implicitè Christum esse animal rationale, risibile, &c. sine quibus non potest saluari natura humana.

Neque primò dicas, hanc doctrinam veram esse, quando principium naturale est contentum sub principio reuelato, non autem quando principium non reuelatum est maius, & continens principium reuelatum, vt videre est in his demonstrationibus: omnis homo est redemptus à Christo; Petrus est homo, ergo Petrus est redemptus à Christo; principium primum, continet principium secundum sub se, in hac alia demonstratione è contrario si dicas, hic est homo, sed Christus redemit omnem hominem; maius continetur sub minori.

Respondeo enim, nego assumptum, quod ex eo est euidens. Primò, quia propositiones in argumento possunt mutari, & vt sic propositio non reuelata continetur in propositione reuelata; hæc autem mutatio propositionum in demonstratione, non variat medium terminum. Secundò, qui explicitè reuelat aliquam propositionem, implicitè etiam reuelat omnia, quæ habent necessariam connexionem cum terminis propositionis reuelatæ; alioquin non constaret substantia terminorum reuelatorum.

Neque secundò dicas; propositio non reuelata assumitur in demonstratione theologica ex vna tantùm reuelata, vt præmissa euidens; quia assumitur vt nota lumine naturæ; sed vt sic non potest esse reuelata, quia vt nota lumine naturæ est essentialiter euidens; vt reuelata autem est essentialiter ineuidens respectu vnius, & eiusdem intellectus.

Respondeo enim, propositionem notam, siue noscibilem naturæ lumine dupliciter sumi posse; vno modo formaliter, quatenus scilicet est nota medio formali intrinseco; alio modo quatenus est nota, siue noscibilis medio, vt reuelato in generali, & implicitè in propositione reuelata explicitè, & in particulari, ac si non esset nota lumine naturali: in demonstratione theologica sumi propositionem notam lumine naturæ, quatenus notam ex medio reuelato in generali, & implicitè in propositione reuelata in particulari, & explicitè. Ratio est, quia demonstratio theologica postulat essentialiter præmissas reuelatas, vel formaliter, vel vt scitas; esse verò propositionem euidentem lumine naturæ, se habet materialiter, & quasi per accidens ad demonstrationem theologicam.

Neque obstat si dicas, communiter theologi docent duplicem esse theologiam sacram viatorum; aliam ex vtraque præmissa reuelata; aliam verò ex vna reuelata, & ex alia lumine naturali cognita.

Respondeo enim, hoc dici à theologis; quia, ad demonstrationem theologicam nō est necessarium, vt sit ex vtraque reuelata in particulari, & explicitè; sed satis est, vt sit ex vna reuelata explicitè, & in particulari; alia verò implicitè, & in particulari in propositione reuelata in generali: & prędicta diuisio est per differentias subiectiuas, & materiales, quia est per præmissas materialiter sumptas.

Pater Fasolus ad secundam principalem instantiam *loco cit. dubit.* 5. *num.* 33. respondet, quod præmissa euidens, siuè nota lumine naturæ in syllogismo theologico accipitur, ac accipi debet, vt euidens, non respectu conclusionis; sed respectu præmissę reuelatæ, idest, non vt influens euidentiam in conclusionē, siuè vt causans conclusionē euidenter veram: & huius hanc assignat rationem; quia conclusio deducta ex vna prę-

mis-

missa reuelata, & ineuidente, non potest non esse ineuidens, sed solum, vt euidenter explicans medium terminum præmissæ reuelatę, quia scilicet sub illo, quatenus reuelato, continetur alterum extremum existens in ipsamet præmissa euidente, sub qua ratione formali patet vtrumque extremum, etiam illud quod ponitur in præmissa euidente habere cum medio termino connexionem reuelatam, & ineuidentem: idque explicat exemplis; si enim theologus, per maiorem reuelatam, & minorem euidentem, ita arguat; omnis homo est redemptus à Christo, Petrus est homo; ergo Petrus est redemptus à Christo; tunc minor euidens, non habet per suam euidentiam vim inferendi conclusionem euidentem: nam non est plus euidens, Petrum esse redemptum à Christo, quam omnē hominē esse redemptū à Christo; sed solum vim habet explicandi illud, omnis homo, quod est subiectum maioris reuelatæ, & medium in toto syllogismo, in qua explicatione collocatur Petrus sub medio reuelato; ergo non solum homo, sed etiam Petrus est redemptus à Christo, quia vterque cum medio habet coniunctionem reuelatam, & ineuidentem; hoc ipsum *dubit.* 11. *num.* 53. ostendit ista ratione à priori, quia semper in maiori coniunctione continetur minor, vel formaliter, vel saltem per virtutem, & per æquiualentiam; in minori autem coniunctione, nullo modo contineri potest maior; ergo infert, si cum vno medio sint ita coniuncta duo extrema, vt alterum cum illo habeat coniunctionem maiorem, v. g. certam, euidentem, & necessariam; alterum, minorem coniunctionem, v. g. ineuidentem, quia coniunctio maior sumi potest pro minori; quam in virtute sua superiori continet, non autem minor coniunctio sumi potest pro maiori, quia nulla ratione eam continet; ideò propositio nota lumine naturali accipi debet vt euidens, non respectu conclusionis, sed respectu præmissæ reuelatæ, idest non vt influens euidentiam in conclusionem, siuè vt causans conclusionem euidenter veram; quia conclusio deducta ex vna præmissa reuelata, & ineuidente, non potest, non esse ineuidens, eò quam causam omnes Logici dicunt conclusionem sequi debiliorem partem: cuius ratio est, quia causa non est adæquata, & perfecta in suo genere. Eandem doctrinam docet etiam Pater Marcus Antonius Palumbus in *3. exam. scholast. in 1. par. S. Thomæ, cap. 2. & cap. 3.* inferens hinc theologiam, quæ procedit ex vno principio tantum reuelato, non esse vnam specie, sicut est theologia procedens ex vtraque præmissa reuelata.

Sed hæc doctrina, licet acuta, mihi non probatur: ratio me mouens est; quia totum id, quod dictum est ab his doctis Patribus se habet materialiter ad demonstrationem theologicam; hæc enim formaliter, & per se est de obiecto reuelato, vel pro statu viæ, vel formaliter, modo quo supra latè explicauimus; cum verò dicit Pater Pasolus *supra cit. num.* 53. *dubit.* 11. quod in maiori coniunctione continetur minor, in minori autem coniunctione nullo modo contineri potest maior, quod etiam dicit sub alijs verbis Pater Marcus Antonius Palumbus *loco supra cit. cap.* 2. quod in præmissis theologici discursus, vel principium non reuelatum est maius, & continens extremum; vel est minus, & contentum: vt si dicas; omnis homo est redemptus à Christo; maius continet minus extremum naturale, scilicet, hic est homo: velè contrario; si dicas hic est homo; minus est contentum sub extremo maiori naturali. Respondeo, quod satis est medium esse reuelatum in generali, vt demonstratio sit theologica; adhoc autem materialiter se habet medium contineri in alio, vel continere aliud extremum, nam attendi debet solum an medium sit reuelatum in vtraque propositione; à medio enim reuelato specificatur theologia sacra viatorum; sicut, v. g. materialiter se habent Deum esse infinitum, & intellectum creatum esse finitum, ad hoc, vt intellectus creatus possit absolutè, & simpliciter intueri Deum; nam attendi debet solum proportio potentiæ, & obiecti formalis: pariter in re nostra, in demonstratione theologica solum attendi debet, an medium sit reuelatum in vtraque propositione, licet in vna præmissa explicitè, & in particulari; in alia verò implicitè, & in generali, siuè in vna sit reuelatum, vt continens, & in alia, vt contentum. Cum denique dicitur, conclusionem sequi debiliorem partem in syllogismo. Respondeo, hoc axioma verum esse quando medium debilius in præmissis se habet formaliter, non autem quando se habet materialiter; at in discursu theologico ex vna reuelata, & ex alia nota lumine naturæ, medium in propositione lumine naturæ, non assumitur formaliter, vt medium naturale, sed tantum vt reuelatum, vel in generali, vel vt virtualiter, siuè vt contentum, siuè vt continens; quia hæc omnia prędicata se habent materialiter ad reuelatum à Deo vt sic. Pater Palumbus docet theologiam ex vno principio reuelato, &

ex

ex alio noto lumine naturæ, esse specie diuersam à theologia, quæ est ex vtroque principio reuelato, quia opinatur, vt infrà dicam, medium, vt naturaliter cognitum esse partiale motiuum formale ad assentiendum conclusioni ex præmissa reuelata, & naturali.

Ex his patet responsio ad rationes eorum, qui negant theologiam sacram ex vna tantum reuelata, & ex alia nota lumine naturæ, posse esse ex reuelatis, vt reuelatis à Deo formaliter, sumptis vt causa necessaria conclusionis; Ad primam enim concedo scientiam ex reuelatis formaliter debere esse ex medio adæquatè reuelato; sed nego minorem, in propositione naturali assumpta in demonstratione theologica, non esse reuelatum in generali in alia præmissa reuelata. Ad secundam rationem; nego theologiam sacram viatorum, ex vna reuelata, & ex alia nota lumine naturæ, non posse esse essentialiter ineuidentem, quando scilicet medium inferendi conclusionem sumitur, vt cognoscibile fide diuina. Denique ex dictis sequitur, verum non esse propositionem notam lumine naturæ in syllogismo theologico esse accipiendam vt euidentem, non respectu conclusionis, sed respectu premissæ reuelatæ, nimirum vt causantem conclusionem euidenter veram, siuè vt influentem euidentiam in conclusionem; nam si acciperetur vt euidens respectu præmissæ reuelatæ, proculdubio influeret euidentiam in conclusionem, quia præmissę in discursu demonstratiuo debent accipi, vt causa necessaria conclusionis; causa autem semper influit sui perfectionem in effectum. Addo huic, præmissam euidentem lumine naturæ in demonstratione theologica, esse accipiendam, vt euidentem materialiter, etiam respectu præmissæ reuelatæ; nam specificatio præmissarum est ex medio formali; hoc autem in demonstratione theologica est medium, vt cognoscibile lumine diuinæ reuelationis, sed acceptum in ratione causæ necessariæ conclusionis.

Alij plures, & docti Theologi, vt sustineant, & defendant theologiam sacram viatorum ex vna propositione reuelata, & ex alia lumine naturæ nota, non esse ex medio adæquatè reuelato; dicunt theologiam sacram ex vna reuelata, & ex alia nota naturæ lumine, non esse theologiam sacram perfectam, & rigorosam, sed imperfectam, & non rigorosam; doctrina autem data supra à nobis, theologiam sacram viatorum, aliam esse ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia, & aliam ex reuelatis, vt reuelatis formaliter à Deo, inquiunt intelligi debet de theologia perfecta, & rigorosa, quæ scilicet pendet adæquatè à principijs reuelatis: & huius hanc assignant rationem, nam theologia completa, & perfecta, habet omnem perfectionem in suo genere; incompleta verò habet aliud principium extra suum genus. Contrariam autem sententiam accipio à S. Thoma 1. *par. quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 2. vbi dicit, quod theologia sacra viatorum accipere potest aliquam propositionem à scientijs philosophicis; non quod ex necessitate ea indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum, quæ in theologia traduntur; quia, inquit, non accipit ab alijs scientijs, tanquam à superioribus, sed vtitur eis tanquam inferioribus, & ancillis, sicut ciuilis ars vtitur arte militari, & hoc ipsum, quod sic vtitur eis, non est propter defectum, vel insufficientiam eius; sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his, quę per naturalem rationem cognoscuntur, facilius manu ducitur in ea, quæ sunt supra rationem, quæ in theologia traduntur; ex hac aurea doctrina S. Thomæ, colligo theologiam sacram viatorum, quæ est ex vna præmissa reuelata tantùm, & ex alia nota lumine naturæ ex suo genere esse perfectam theologiam, quia non vtitur propositione naturali ex eius indigentia, sed propter defectum nostri intellectus; vbi autem non est indigentia ex intrinsecis, vel ex suo genere, non est imperfectio, & incompletio ex genere. Prætereà, & est ratio magis à priori, theologia, quæ admittit in suis præmissis vnam notam lumine naturę, admittit illam materialiter, non autem formaliter, vt explicauimus; perfectio autem in scientia est ex medio, siuè motiuo formali in genere scibilis; sed hoc fusius explicabitur sequentibus articulis.

---

## ARTICVLVS SEXTVS.

### Vtrum theologia sacra viatorum sit habitus illatiuus, formaliter supernaturalis, & infusus; an naturalis, & acquisitus.

INtelligitur primò Articulus, tàm de theologia sacra viatorum, quæ est ex reuelatis à Deo suppositis, vt scitis in superiori scientia, quę est in Beatis; quàm de theo-

theologia facra,quæ eft ex reuelatis,& creditis fide diuina acceptis in ratione causę necessarię conclusionis. Secundò intelligitur de habitu supernaturali, & naturali formaliter, non autem materialiter. Dicitur habitus supernaturalis materialiter,qui est de obiecto materiali supernaturali; habitus verò supernaturalis formaliter dicitur, qui est de obiecto formali supernaturali in genere scibilis; similiter habitus naturalis materialiter est, qui habet obiectum materiale, seù in genere entis naturale; habitus autem naturalis formaliter, est qui habet obiectum formale in genere scibilis naturale:præterea habitus supernaturalis formaliter est duplicis conditionis; alius est supernaturalis, quoad substantiã, idest quoad essentiã suam;& alius est supernaturalis, tantummodò quoad modum, nimirum, qui quoad substantiam est naturalis, quoad modum verò est supernaturalis: sicut nonnulla entia creata sunt naturalia, quoad substantiam, supernaturalia quoad modum, vel essendi,vel quoad modum,quo producuntur, v. g. vita miraculosè reddita mortuo, & oculus miraculosè cæco restitutus, quoad substantiam sunt entia naturalia; quoad modum verò,quo producuntur, sunt supernaturalia. Accidentia in hostia, & in vino ritè consecratis, quoad substantiam sunt naturalia,quoad modum existendi sunt supernaturalia: pariter possunt dari entia, quæ sunt supernaturalia, quoad substantiam, naturalia verò quoad modum, quatenus scilicet possunt acquiri modo naturali. Duo proponuntur discutienda in hoc articulo principaliter; primum est, an habitus theologię sacrę viatorum sit supernaturalis secundum substantiam; secundum est an sit per se acquisitus, an infusus. Circa hunc articulum duæ sunt celebres theologorum oppositæ sententiæ.

Vna est asserentium theologiam sacrã viatorum, quæ est habitus illatiuus conclusionum, quoad substantiam, idest essentiam suam, esse supernaturalem, non quidem infusam, sed acquisitam à viatoribus; quoad modum verò esse naturalem. Auctores huius sententiæ accuratè refert, & sequitur Pater Hieronymus Fasolus *1. tom. in 1. par. S. Thomæ quæst. 1. art. 2. dubit. 13. à nu. 71.* eamque quoad primam partem, probant à priori, primò; quia habitus illatiuus nimirum, quatenus est habitus passio inclinans ad deducendas conclusiones ex suis præmissis, specificam suam essentiam sumit à suo obiecto formali in genere scibilis, idest à medio, seù motiuo formali, quo inducitur ad inferendam conclusionem ex suis præmissis; sed hoc medium formale in genere scibilis, est formaliter supernaturale; ergo theologia sacra viatorum, qui est habitus illatiuus secundum suam substantiam, seù essentiam, est formaliter supernaturalis, nimirum in ratione passionis. Vtor semper hac distinctione operationis in operationem, quæ est actio; & in operationem, quæ est passio: similiter distinctione habitus illatiui in habitum, qui est actio, & in habitum, qui est passio in actu primo, quæ est distinctio aurea S. Thomæ 1. 2. ad concordandam diuersitatem opinionum de specificatiuo scientiæ, an scilicet scientia specificetur à principijs, à quibus suas deducit conclusiones; an à suo obiecto formali in genere scibilis. Maior huius rationis sufficienter demonstrata est supra supradicta distinctione S. Thomæ. Minor vérò, in qua est difficultas probatur; primò, quia motiuum formale inferendi conclusiones ex principijs reuelatis à Deo, est connexio obiectiua medij cum extremis in præmissis, siuè connexio obiectiua extremorum cum medio; sed hæc connexio est supernaturalis formaliter in genere scibilis; quoniam connexio obiectiua specificatur ab extremis, quibus connectitur medium in præmissis; sed extrema sunt supernaturalia, quia non sunt cognoscibilia, nisi lumine fidei diuinę. Secundò probatur, nam theologia sacra viatorum contradistinguitur ab omnibus scientijs naturalibus secũdum substantiam; nam theologia sacra viatorum ponitur necessariò à cæteris theologis, & S. Thoma, necessitate ex suppositione humanę salutis, præter omnes naturales scientias, sed hæc contradistinctio non est ex alio capite, nisi quia theologia sacra viatorum, vt habitus illatiuus, est ex medio formali supernaturali secundum substantiam; specificatio enim scientiæ illatiuę est ab obiecto formali, non ab obiecto materiali.

Quod si prædictis auctoribus respondeas, habitum illatiuum scientificum sumere suam specificam essentiam, non ab obiecto formali in genere entis,sed ab obiecto formali in genere scibilis: duplex enim est obiectum formale,aliud in genere entis, & aliud in genere scibilis; illud est constitutiuum formale obiecti in ratione entis; hoc verò in ratione obiecti,siuè scibilis formaliter; illud est, veluti pars materialis cõmunis pluribus obiectis specie distinctis; hoc verò est contractiuum obiecti materialis ad vnam speciem determinatam obiecti in ratione scibilis.Doctrina hæc est S.Thomæ,

Digitized by Google

mæ, qui *Opusc. super Boetium de Trinitate, quæst. 5. art. 1. initio corporis. sciendum*, inquit, *est, quod habitus, vel potentiæ, non distinguuntur penes quaslibet differentias obiectorum; sed penes illas, quæ sunt per se obiectorum inquantum obiecta sunt*. Idem repetit *in 1. poster. lect. 41. post medium*, loquens his verbis. *Cum scibile sit proprium obiectum scientię, non diuersificabuntur scientiæ secundum diuersitatem materialem scibilium; sed secundum diuersitatem eorum formalem*. Ratio doctrinæ à priori est; quia species sumitur à forma, non à materia; materia enim secundum se, est nullius speciei, quia est communis pluribus specie diuersis. Hac posita doctrina, si dicatur auctoribus rationis allatę, quod medium, quo habitus theologiæ sacræ viatorum infert conclusionem ex reuelatis in genere entis, est supernaturale, non autem in genere scibilis formaliter, nimirum connexio obiectiua, & intrinseca extremitatum cum medio, est quidem supernaturalis, sicut, & extrema reuelata; tamen connexio in genere scibilis earundem extremitatum cum medio, est naturalis; quia hæc est dispositio extremitatum cum medio in præmissis, quæ est ex regulis naturalis discursus.

Statim insurgere possunt; primò, negando connexionem obiectiuam medij cum extremis in discursu theologico, esse obiectum formale, siuè medium formale in genere entis, & non in genere scibilis; siuè obiecti, inquantum obiectum est; nam medium formale in genere scibilis, est id, quo obiectum materiale determinat intellectum ad inferendam conclusionem; hoc autem non est dispositio syllogistica medij cum extremis in præmissis; sed est ipsa intrinseca connexio obiectiua medij adiuuenti regulis, & principijs sciendi naturalibus cum extremis, quia hæc est causa intrinseca, & vltima, cur prædicatum insit subiecto in conclusione; dispositio autem syllogistica formalis, quæ fit regulis naturalis discursus, est tantum conditio sine qua non. Secundò possunt impugnare allatam responsionem, quia dispositio formalis syllogistica medij formalis in præmissis est obiectum formale logicę; sed hoc non potest specificare habitum theologiæ sacræ illatiuum, quia est limitatus ad genus, & ad speciem logicæ, quæ est essentialiter specie, & genere diuersa à theologia sacra viatorum; logica enim est scientia rationalis de discursu, siuè regulis discursus; theologia verò sacra est scientia realis scibilis lumine diuinæ reuelationis: secundò, quia medium specificans theologiam sacram viatorum debet esse causa connexionis supernaturalis prædicati cum subiecto in conclusione; sed hęc est connexio obiectiua intrinseca connexionis prædicati cum subiecto in conclusione.

Quod si secundò respondeas, scientiam specificari à modo formali, quo tendit in obiectum suum, non autem à connexione obiectiua extremitatum cum medio, quę licet sit supernaturalis, sicut, & extrema reuelata; tamen modus formalis, quo theologia accipit prædictam connexionem supernaturalem, est naturalis, quia est ex regulis naturalis discursus. Hæc doctrina declarari potest exemplo, & ratione: ratione quidem; nam omnis discursus noster theologicus, etiam ille, qui pendet ex duabus præmissis de fide, fundatur in bona consequentia, & modo rectæ consequentię; at hic naturalis est; ergo, & habitus per illum acquisitus, adhùc naturalis est. Exemplo autem idem comprobatur, nam si quis theologus syllogizet ex duabus de fide; potest Deus reuelare hanc consequentiam esse bonam; signum ergo est, quod ante reuelationem, erat illa purè naturalis, vtpotè fundata in regulis naturalibus bonę consequentiæ; hæc responsio in terminis est Marci Antonij Palumbi in *3. exam. scholast. cap. 4. dicto 3. circa finem*.

Statim auctores contrariæ sententiæ dicere possunt, primò, duplicem esse differentiam essentialem scientiæ, scilicet sine qua neque esse, neque intelligi potest scientia; aliam formalem, & aliam obiectiuam, & causalem; formalis est intrinsecus ordo scientiæ ad suum obiectum formale terminatiuum, siuè ad suum terminum primarium; obiectiua verò, & causalis, est ipsummet obiectū formale, seù primarium scientiæ; modus formalis accipiendi connexionem obiectiuam intrinsecam, est differentia essentialis formalis; ipsa verò connexio infallibilis obiectiua medij cum extremis, est differentia formalis obiectiua, siuè terminatiua. In subiecta materia est sermo de ratione formali obiectiua in genere obiecti; non autem de differentia formali essentiali; & ratio huius assignari potest distinctio S. Thomæ operationis, in operationem, quę est actio; & in operationem, quę est passio: hic scientia sumitur, vt scientia actio, non vt scientia passio; illa specificatur à principijs, ex quibus infertur conclusio; hęc verò ab obiecto formali in genere scibilis; obiectum enim scientię est in duplici genere, & in genere entis, siuè rei; & in genere obiecti, cum sit, & res quędam, quę est ratio com-

communis pluribus specie differentibus, &c, obiectum proprium vnius scientiæ, vel potentiæ; & hoc est obiectum formale in genere scibilis, distinguens obiectum vnius scientiæ ab obiecto alterius scientiæ specie diuersæ.

Secundò dicere possunt aduersarij, quod obiectum formale specificans scientiam, debet esse proprium vnius scientiæ, prout contradistinguitur ab alia, & causa in essendo connexionis prædicati cum subiecto in conclusione; sed modus formalis accipiendi connexionem medij cum extremis, sicut, & dispositio syllogistica eiusdem, est communis obiectis diuersarum scientiarum specie essentiali; neque est causa connexionis prædicati cum subiecto; sed solum manifestans connexionem obiectiuam medij cum extremis.

Secundã partem, habitũ scilicet illatiuũ theologicum in viatoribus esse, quoad modum naturalem; probant hac ratione: quia habitus theologiæ sacræ viatorum acquiritur, & generatur, sicut omnis scientia habitualis subalternata naturalis; sed hic modus acquirendi, & generandi scientiam subalternatam est naturalis; ergo etiam theologia sacra viatorum est naturalis, quoad modum. Maior est certa, quia theologia sacra viatorum deducit suas conclusiones ex reuelatis à Deo regulis naturalis discursus, vtens modis sciendi naturalibus: sicut quælibet scientia subalternata acquiritur actibus, quibus deducit conclusiones, ex principijs suppositis veris, & infallibilibus in scientia subalternante.

Secunda sententia opposita est multorum Theologorũ, asserentium theologiam sacram viatorum, secundum suam substantiam, siuè secundum suam essentiam, & quoad modum, esse naturalem; & istos sequitur Pater Marcus Antonius Palumbus in suo 3. *exam. scholast. in 1. par. S. Thomæ cap. 4. dicto 3.* & ante ipsum *Aluarez in 1. 2. S. Thomæ quæst. 63. art. 4. disp.* 112. qui addit hanc sententiam esse S. Thomæ in 1. 2. *quæst.* 50. *art.* 4. *& in 1. sent. quæst. 1. prolog. quæst.* 2. hæc sententia semper mihi placuit, eamque explicabo sequentibus conclusionibus, & vt ordine procedam, in articulo duo proponuntur examinanda; primum est, an theologia sacra viatorum, secundum substantiam, siuè essentiam, & quoad modum sit naturalis, an supernaturalis; secundum, an data hypothesi, quod sit supernaturalis secundum substantiam, sit etiam acquisibilis; & vtrumque discutiam.

Prima conclusio. Theologia sacra viatorum, tàm ea, quæ est ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia Beatorum; quàm ea, quæ est ex reuelatis à Deo, vt reuelatis formaliter, sed acceptis in ratione causæ necessariæ conclusionum, quoad substantiam, siuè essentiam suam, est naturalis. Conclusio communiter ab auctoribus illam asserentibus probatur hoc argumento: Theologia sacra viatorum, siuè ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia Beatorum, siuè ex reuelatis à Deo, vt creditis in statu viæ, & acceptis vt causa necessaria conclusionum, est habitus acquisitus nostris viribus; habitus verò per se acquisitus, necessariò debet esse naturalis quoad substantiam, quia vires nostræ secundum substantiam, contradistinguuntur à viribus, quæ sunt Dei, vt causæ principalis supernaturalis; at effectus causæ naturalis secundum substantiam, est naturalis; est enim formalis participatio suæ causę principalis.

Quod si respondeas, habitum theologiæ sacræ viatorum produci in nobis viatoribus nostris viribus, vt eleuatis, principijs reuelatis à Deo; theologia enim sacra viatorum dependet essentialiter à principijs reuelatis à Deo; in hoc enim distinguitur theologia sacra viatorum à theologia naturali, quę est methaphysica; quia hęc dependet à principijs solo naturę lumine notis; theologia verò sacra viatorum essentialiter pendet à principijs notis lumine diuinę reuelationis; siuè vt scitis in superiori scientia, siuè vt creditis; acceptis tamen vt causa necessaria conclusionum; vt autem effectus sit naturalis secũdum substantiam, siuè essentiam suam, debet esse à causa naturali pura, sine vlla eleuatione supernaturali.

Statim insurgere possunt, theologiam sacram viatorum dependere à medijs reuelatis à Deo materialiter, non autem formaliter; effectus autem est participatio suę causę secundum formam, non secundum materiam; forma autem, qua principia reuelata à Deo concurrunt ad producendum habitum theologię sacrę, est naturalis; quia est dispositio syllogistica medij cum extremis in pręmissis, & hęc est acquisita regulis naturalis discursus; probatur: quia ratio cur scientia quęlibet vniat extrema in conclusione est; quia ea vniuit cum medio in pręmissis: sicut ratio cur diuidat prædicatum à subiecto in conclusione, est, quia in vna pręmissarum diuisit medium ab vno extremorum; totum autem hoc naturale

eſt; quia fundatur in principijs naturalibus, quę ſunt dici de omni, & dici de nullo, ad quę reducitur illud aliud principium: quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.

Sed hæc inſtantia, niſi aliud addatur, non euacuat difficultatem; quoniam diſpoſitio formalis ſyllogiſtica medij cum extremis, non eſt medium formale in genere ſcibilis, ſpecificans theologiam ſacram viatorum; tùm quia eſt lumen logicum, quod potius ſpecificat logicam, qua theologia vtitur tamquam ancilla; tùm etiam quia medium ſpecificans theologiam, debet eſſe cauſa neceſſaria connexionis prędicati cum ſubiecto in eſſendo; diſpoſitio autem formalis ſyllogiſtica medij cum extremis in præmiſſis, eſt tantum lumen deſeruiens, vt manifeſtans cauſam connexionis prædicati cum ſubiecto, & hoc, vt dicunt aduerſarij, eſt ſupernaturale formaliter, tùm in genere entis, tùm in genere obiecti.

Ratio fundamentalis concluſionis mihi eſt hęc à priori; habitus diſcurſiuus theologicus ſumit ſuam ſpecificam eſſentiam à ſuo obiecto formali in genere ſcibilis ſeruata eadem proportione, ſiuè ſuppoſitione formali terminorũ; nimirũ habitus theologicus diſcurſiuus, vt ſciẽtia actio, ſpecificatur à ſuo obiecto formali motiuo; & vt ſciẽtia paſſio à ſuo obiecto formali terminatiuo in genere ſcibilis: ſed hoc in theologia ſacra viatorum, ſiuè ea ſit ex reuelatis à Deo, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, ſiuè ex reuelatis à Deo formaliter, acceptis in ratione cauſæ neceſſariæ concluſionis, eſt naturale formaliter; ſuppoſita tamen reuelatione fidei diuinæ, tamquam conditione manifeſtante, & occaſione ad inueniendum medium, quo prædicatum ineſt ſubiecto in concluſione; ergo, &c. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; quia hoc medium, quo theologus in diſcurſu theologico infert concluſionem ex præmiſſis reuelatis, eſt inuentum regulis naturalis diſcurſus, & principijs primis rerum naturalium formaliter ſumptis; ſed hoc eſt formaliter naturale, quia eſt cognoſcibile lumine naturalis diſcurſus intrinſecè, & principijs primis rerum naturalium ſumptis. Explicatur, & probatur diſcurſus, v.g. reuelat Deus in ipſo eſſe proceſſionem perſonalem ad intra ſine vlla diuiſione naturæ, ſiuè eſſe; Theologus hac ſuppoſita reuelatione manifeſtante, regulis naturalis diſcurſus, & principijs primis entium naturalium formaliter ſumptis, adinuenit medium, nimirum, cauſam virtualem in eſſendo, cur in Deo ad intra ſit proceſſio perſonalis conſubſtantialis; ſic diſcurrens: Deus eſt primum, & ſupremum intelligens, & volens; ſed in primo intelligente, & volentem eſt proceſſio ad intra intellectione, & volitione; ergo, &c. minorem probat; quia non poteſt in Deo eſſe proceſſio intellectu, & voluntate ad extra, niſi ſit in priori ſaltem naturæ proceſſio ad intra; implicat enim eſſe proceſſio ſecunda, & poſterior nõ ſuppoſita priori; remoto enim primo in quodlibet genere, remouentur omnia ſecunda in eodem: ſed Deus intelligens, & volens producit creaturas ad extra; ergo in priori naturæ debet præſupponi in Deo proceſſio ad intra intellectu, & voluntate. Reuelat Deus proceſſionem ſecundæ perſonæ à prima in ipſo, eſſe formaliter generationem, & conſequenter primam eſſe formaliter Patrem, & ſecundam formaliter Filium. Suppoſita hac reuelatione manifeſtante hanc ſupremam veritatem in Deo; theologus principijs primis cognoſcibilibus lumine naturæ, & regulis naturalis diſcurſus, ſtudet inuenire medium hoc probans à priori; ſic arguens. Generatio viuentis à viuente, eſt per ſe primò communicatiua naturæ; ſed proceſſione ſecundæ perſonæ à prima, per ſe primò communicatur natura à prima perſona ſecundæ perſonæ; quia per ſe primò communicatur intelligere; intelligere autem, eſt Dei natura, ſiuè eſſentia. Vel alio modo, iuxta aliorum opinionem: in prima proceſſione ad intra communicatur natura diuina modo aſſimilatiuo, quia eſt proceſſio per intellectum; ſed hæc vbi eſt idem eſſe, & eſſentia, eſt generatio formaliter conſubſtantialis; ergo, &c. idem dico de cæteris reuelatis à Deo: medium in his demonſtrationibus eſt naturale formaliter in genere ſcibilis, quia eſt intrinſecè cognoſcibile regulis naturalis diſcurſus, & principijs primis abſtractis ab entibus naturalibus, & ſupernaturalibus; reuelatio autem diuina in his diſcurſibus ſe habet tantum, vt conditio manifeſtans veritates ſupernaturales, & præbens occaſionem intellectui viatorum, inueniendi medium, cur in reuelatis prædicatum inſit ſubiecto.

Dicent fortè aduerſarij primò, mediũ quod in his diſcurſibus theologicis adinuenit Theologus regulis naturalis diſcurſus, abſtrahit à naturali, & ſupernaturali; ſed hoc non ſufficit ad ſpecificandam ſcientiam naturalem ſecundum ſubſtantiam; quia ſpecificatiuum ſcientiæ naturalis in ratione ſcientiæ debet eſſe formaliter naturale. Maiorem probare poſſunt, quia hoc medium

eſt

est abstractum ab ente naturali, & ab ente supernaturali; hoc autem abstrahit à differentia naturali, & à differentia supernaturali; abstractio enim est à differentijs, non à genere diuiso in speciebus.

Respõdeo primò, distinguo maiorem; medium, quod adinuenit Theologus in discursibus theologicis, si sumatur in genere entis abstrahit a naturali, & supernaturali formaliter, & concedo; si sumatur in genere scibilis, & nego; est autem medium naturale in genere scibilis, medium abstractum abstractione naturali à materia, & huiusmodi est medium, quod adinuenit Theologus supposita diuina reuelatione, quia huiusmodi abstractio fit lumine naturalis intellectus, supposita tamen fide. Doctrina hæc in terminis est S. Thomæ 1. *par. quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 2. & eam applicat theologiæ dicens: *diuersa ratio cognoscibilitatis diuersitatem scientiarum inducit; eandem enim conclusionem demonstrat Astrologus, & Naturalis; puta, quod terra est rotunda; sed Astrologus per medium mathematicum, idest à materia abstractum; Naturalis autem per medium circa materiam consideratum*; vnde infert, *nihil prohibet de ijsdem rebus; de quibus philosophicæ disciplinæ tractant, secundùm quod sunt cognoscibiles lumine naturalis rationis, & aliam scientiam tractare, secundum quod cognoscuntur lumine diuinæ reuelationis*. Hanc doctrinam, omnium clarissimè explicat, & sequitur Caietanus *quæst.* 1. *in* 1. *par. art.* 3. *§. aliæ namque*; docens proprias differentias obiecti, quatenus obiecti scibilis, ac speculabilis, sumi penès diuersitatem modi abstrahendi à materia, quod sic explicat; *diuiditur*, inquit, *scibile in scibile per lumen methaphysicale; idest, medium illustratum per abstractionem ab omni materia; & per lumen mathematicum, idest, medium illustratum immaterialitate sensibili, obumbratum tamen materia intelligibili; & per lumen physicum obumbratum, idest, medium obumbratum materiale sensibili, illustratum autem ex separatione indiuidualiũm conditionum; & per lumen diuinum, idest, medium diuino lumine fulgens, scibile theologicum constituit*. Hæc Caietanus; abstractio autem huiusmodi, nihil aliud est, nisi consideratio medij absque hac, vel illa materia; & hanc astractionem appellat Caietanus lumen, quia per hanc abstractionem abstrahitur obiectum scientiæ à conditionibus materialibus, à quibus obumbratur, & obscuratur; distinguit autem quadruplicem abstractionem, physicam, mathematicam, methaphysicam, & theologicam, quam appellat lumen diuinum, quia pertinet ad obiectum theologiæ sacræ, quæ est scientia de Deo, vt cognoscibili lumine supernaturali; vel est scientia de Deo, quatenus est obiectum supernaturale in genere entis; & hæc abstractio scibilis à materia potest fieri, vel à scientia naturali regulis naturalibus; vel potest fieri à scientia supernaturali formaliter, vt est scientia per se infusa; Prima est abstractio naturalis, secunda est supernaturalis; medium formale theologiæ sacræ viatorum, abstractum à scibili naturali, & à scibili supernaturali in genere entis, neque est naturale, neque supernaturale, & hoc sicut est contrahibile ad obiectum formale in genere entis supernaturale, & ad obiectum formale in genere entis naturale; ità est contrahibile per abstractionem naturalem ad obiectum formale in genere scibilis naturalis, & per abstractionem supernaturalem à materia ad obiectum supernaturale in genere scibilis: & hæc doctrina verificatur, tàm de obiecto theologiæ sacræ viatorum, quæ est ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia; quàm de scibili, quod est obiectum theologiæ sacræ viatorum ex reuelatis, vt reuelatis formaliter, acceptis vt causa necessaria, seruata tamen eadem proportione terminorum; quia, vt dixi, scibile primæ theologiæ sacræ viatorum est scibile intrinsecum medio superioris scientiæ, siuè ea sit methaphysica vniuersalissima, siuè ea sit methaphysica essentialiter supernaturalis contradistincta à visione beatifica; scibile verò secundæ theologiæ, vt supra sæpius repetiui, est scibile ex principijs extrinsecis: quale est illud; quod à Deo reuelatum non potest non esse verum, siuè non potest esse falsum; scibile enim per diuinam reuelationem vt sic, non potest habere sui necessariam intrinsecam probationem, secùs non esset fide diuina creditum; sed potest habere extrinsecam, scilicet ex eo principio, quod à Deo est reuelatum vt sic, non potest esse falsum; & hoc medium extrinsecum, adhùc formaliter præscindit à naturali, & supernaturali; potest enim, non solum id, quod supernaturale est, à Deo reuelari, sed etiam quod naturale est; Deus enim non habet in se vndè limitetur in reuelando ex suo beneplacito, non ex necessitate, & hoc scibile vt sic abstrahens potest contrahi per abstractionem formalem naturalem, & per abstractionem formalem supernaturalem; quia ab vtraque præscindit.

Instabit Aduersarius, abstractio specificans scientiam in genere scibilis, non est abstractio actualis, sed abstractio fundamẽtalis;

talis; quia abstractio, quæ in genere scibilis specificat scientiam, debet præexistere in obiecto, quia est causa specificatiua scientiæ; causa autem vt sic est prior suo effectu; sed abstractio fundamentalis entis abstrahentis à naturali, & supernaturali, neque est naturalis, neque supernaturalis; ergo ens abstrahens ab ente naturali, & ab ente supernaturali, per abstractionem fundamẽtalem, neque est in genere scibilis naturalis, neque est in genere scibilis supernaturalis; ergo non potest specificare scientiam, neque naturalem, neque supernaturalem; assumptum probatur, quia abstractio fundamentalis, est passio entis, prout cognoscibilis non cognita materia; passio autem proportionatur principijs essentialibus sui subiecti; sed obiectum formale abstrahit à naturali, & supernaturali; ergo eius abstrahibilitas à materia, neque est naturalis, neque supernaturalis; at obiectum formale abstrahens à naturali, & supernaturali, non potest specificare scientiam formaliter naturalem in ratione scientiæ.

Respondeo, duplicem esse abstractionem fundamẽtalem obiecti formalis à materia, aliam obiecti formalis in genere entis, & aliam esse abstractionem obiecti formalis in genere scibilis; quia obiectum formale, vt diximus, est duplex; aliud in ratione rei; & aliud in ratione obiecti, inquãtum obiectum formaliter. Abstrahibilitas fundamentalis, quæ specificat scientiam debet esse obiecti formalis in genere scibilis; & hoc obiectum formale, vel est motiuum formale, vel terminus formalis scientiæ, & hæc abstractio fundamentalis à materia, non est passio obiecti formalis scientiæ in genere scibilis; sed est gradus genericus immaterialitatis, qui diuiditur diuisione formali per differentias formales, quæ sunt diuersi gradus formales abstractionis à materia, scilicet sunt diuersi gradus immaterialitatis; non quidem immaterialitate essentiæ, sed immaterialitate abstractionis, sicut est species intelligibilis humana, & ex his vnus est vniuersalior, & superior alio formaliter, sicut sunt differentiæ formales intermediæ, & infimæ in prædicamento v. g. substantiæ, vt gradus corporis, gradus viuentis, & rationalis. Applicando doctrinam ad argumentum soluendum, obiectum formale in genere scibilis specificans theologiam sacram viatorum, est gradus formalis abstractionis naturalis à materia, quem gradum formalem abstractionis habet per ordinem formalem ad abstractionem naturalem à materia, & per ordinem ad scientiam, siuè potentiam naturalem formaliter; quia medium abstractũ ab ente naturali, & ab ente supernaturali, inquãtum est abstractum à materia fundamentaliter, est diuisibile per abstractionem naturalem à materia, & per abstractionem supernaturalem; genere autem existente indifferente, siuè abstrahente datur contrahibilitas per oppositas differentias formales: naturalis est abstrahibilitas à materia per scientiam, seù potentiam naturalem; supernaturalis verò est abstrahibilitas à materia per scientiam, siuè per potentiam supernaturalem formaliter, quæ quidem duæ abstrahibilitates à materia non sunt passiones, sed diuersi gradus formales immaterialitatis per abstractionem, qui possunt explicari per passiones, sicut vltimæ differentiæ essentiales, vt rationale, & irrationale: & hinc fortè complures docti Thomistæ putant rationem formalem obiecti in genere scibilis esse passionem, non gradum formalem obiecti, & fundantur in eo, quia ista abstractio fundamentalis, est idem quod scibilitas entis non cognita materia, quia scilicet in sua definitione non includit materiam; at hæc intrinseca scibilitas non cognita materia est passio entis, quæ comparatur ad entitatem obiecti, vt effectus ad causam, sicut visibilitas est passio coloris, & prædicatum eius in secundo modo dicendi per se, & ideò scibilitas sine materia est passio entis immaterialis, scilicet non dependentis à materia inquantum ens est, quod comprobant illo dicto Aristotelis 9. *methaphysicæ*; vnumquodque intelligitur quatenus est in actu; sed de hoc fusius dicetur, cum sermo erit de vnitate specifica scientię, & de eius diuisione formali.

Dicet fortè Aduersarius; obiectum formale scientiæ est independens à scientia; est enim obiectum formale prius quam sit eius scientia, quia est causa specificatiua scientiæ, vt supra diximus, seruata tamen eadem proportione terminorum; nimirum obiectum formale motiuum specificat scientiam, vt scientia actio; obiectum verò formale terminatiuum specificat scientiam, vt scientia passio; omne autem prius est independens à suo posteriori, sicut causa, vt causa est independens à suo effectu: ergo non potest obiectum formale in genere scibilis, quod est medium, à quo dependet connexio prædicati cum subiecto in conclusione, habere gradum differentialem immaterialitatis differentialis, per ordinem, vt diximus, intrinsecum ad scientiam naturalem, vel ad potentiam naturalem formaliter.

Re-

Respondeo; aliud esse, obiectum in genere scibilis, quod est medium demonstrationis, habere gradum differentialem immaterialitatis naturalis per dependentiam à scientia naturali; & aliud est habere illum gradum immaterialitatis naturalis, per ordinem ad scientiam, seù potentiam naturalem. Ratio est, quia datur ordo, siue relatio causæ ad effectum sine dependentia, vt innuimus supra in relatiuis tertij generis; in mensura enim, siuè in causa reperitur quidem ordo, sed sine dependentia à suo correlatiuo. Cũ verò dicit Aristoteles in metaphysica, mensuram esse ad mensuratum, quia mensuratum est ad mensuram; non autem, quia mensura est formaliter ad mẽsuratum: loquitur de ordine cum dependentia, non autem de ordine sine dependentia: nos autem supra diximus obiectum formale in genere scibilis, abstractum ab ente naturali, & ab ente supernaturali, esse immaterialem immaterialitate naturali per abstractionem per ordinem ad scientiam naturalem, non autem cum dependentia, quia est per ordinem ad scientiam, sed sine dependentia; quia est causa specificatiua scientiæ: causa autem, vt causa est independens à suo effectu, sed hic gradus immaterialitatis naturalis, qui specificat scientiam, oritur intra ipsum medium per ordinem ad scientiam naturalem, sine dependentiam, sicut differentia essentialis diuisiua generis per se, & formaliter, oritur intra ipsum genus; differentia enim formaliter, & per se differt à differentia materiali, & subiectiua, quia hæc est extra latitudinem formalem sui diuisi; illa verò intra, & dicitur conuenire suo generi; quia genus præscindit formaliter à suis diuisiuis: vbi autem datur præcisio formalis, datur de necessitate contrahibilitas per oppositas differentias; at medium demonstrationis theologiæ sacræ in viatoribus abstrahit ab immaterialitate naturali, & supernaturali; ergo contrahibile est, & diuisibile per prædictos duos gradus formales immaterialitatis: & hæc doctrina, ni fallor, valdè notanda est.

Solet tertiò hæc prima conclusio probari hac alia ratione. Theologia sacra viatorum, vt habitus illatiuus, est per se acquisibilis suis actibus; sed hic ex suo genere est naturalis secundum substantiam suam; ergo theologia sacra viatorum secundum substantiam suam, est naturalis. Maior probatur manifesta experientia, nam certum est sine precedentibus actibus theologicis, numquam produci, & augeri habitum theologiæ; hæc autem tanta depẽdẽtia habitus theologici à suis actibus theologicis non esset necessaria, si habitus theologicus illatiuus, non esset acquisibilis suis actibus. Minor autem, in qua est difficultas, probatur; quia habitus per se acquisibilis suis actibus contradistinguitur ab habitu illatiuo per se infuso sub vno communi genere habitus illatiui; sed habitus per se infusus, quia est supernaturalis secundum suam substantiam, siuè essentiam, nõ est à nobis acquisibilis: ergo ex opposito habitus illatiuus per se acquisibilis suis actibus, est secundum suam substantiam, siuè essentiam, habitus illatiuus naturalis; diuisio enim formalis habitus illatiui est per differentias formaliter oppositas, siuè contrarias. Differt hæc ratio à prima, quia mediũ in prima ratione suprapositа est theologiam sacram viatorum esse habitum acquisibilem nostris viribus, quæ sunt vires naturales; in hac verò secunda ratione mediũ est, quia theologia sacra viatorum, vt habitus illatiuus est acquisitus præcedentibus actibus; præscindendo, an isti actus sint naturales, an supernaturales; quia Auctores huius rationis opinantur omnem habitum acquisibilem præcedentibus actibus esse naturalem; habitum verò, qui non est per se acquisibilis actibus sibi similibus esse supernaturalem, & per se infusum, qui ex natura sua petit fieri solùm à Deo, vt causa sciente supernaturali; & hoc prædicatum dicunt conuenire habitui infuso, ex eo quia est habitus supernaturalis secundum substantiam, quod probant: quia si aliquis habitus supernaturalis secundum substantiam posset generari, & acquiri per suos actus, etiam supernaturales, vt Aduersarij fatentur de habitu theologiæ, quam supponunt esse supernaturalem, sequeretur omnes habitus supernaturales secundum substantiam posse generari, & acquiri per suos actus supernaturales, vt sunt habitus fidei spei, & caritatis, quod est falsum, vt probat S. Thomas 1. 2. *quæst*. 51. *art*. 4. secus nullus esset habitus per se infusus; si enim semel concedatur habitum supernaturalem posse generari, & acquiri actibus supernaturalibus antecedentibus, inclinantibus ad similes actus, nulla prursus posset assignari disparitas, aut ratio, cur actus illarum virtutum theologalium non possit generare habitus suos; quoniam dici non posset hos habitus esse per se infusos, & ostenditur; quia saltem prærequiritur eorum infusio ad primos actus, quod implicat; quia actus fidei, & spei non possunt præcedere infusionem suo-

suorum habituum, vt suo loco fusè probabitur.

Pater Fasolus *loco supra cit. num. 73.* conatur soluere hanc rationem, assignando disparitatem, cur ex omnibus habitibus supernaturalibus quoad substantiam, solus habitus theologicus viatorum possit generari ex actibus antecedentibus consimilibus, siuè proportionatis, quod in hac conclusione præcipuam difficultatem habet, & maximè nos mouet ad contrariam sententiam: & disparitas est, quia habitus supernaturalis secundum substantiam; alius est, qui supponit ex sua natura alium habitum supernaturalem complentem potentiam intellectiuam in ratione potentiæ supernaturalis, vel potius (vt ita dicam) eleuantem potentiam ad ordinem supernaturalem; & hic est habitus illatiuus theologicus in viatoribus, & per se acquisibilis: & alius est, qui nullum supponit ante se habitum supernaturalem eleuantem potentiam; & hic, inquit, non est acquisibilis (saltem, addo ego, de lege ordinaria) quia nullus habitus est acquisibilis natura sua, nisi præcedentibus actibus sibi proportionatis; at ante omnem habitum supernaturalem eleuantem potentiam, nullus datur actus productiuus supernaturalis, & hanc ob causam hic habitus supernaturalis datur vt potentia, non vt mera facilitas; ac proindè, vt quædam potentia supernaturalis petit ex natura sua infundi, saltem de lege ordinaria, & esse ante omnes actus sibi consimiles. Habitus autem supernaturalis, quem præsupponit habitus illatiuus theologicus viatorum, inquit, est habitus fidei diuinæ, qui est habitus principiorum, ex quibus theologia sacra viatorum suas deducit conclusiones theologicas. Habitus fidei diuinæ sine dubio est per se habitus principiorum theologiæ sacræ viatorum, quæ est ex reuelatis à Deo, acceptis tamen vt causa necessaria conclusionum; per accidens verò est habitus principiorum theologiæ, quæ est ex reuelatis à Deo, acceptis vt scitis in superiori scientia existente in Beatis, vt supra diximus cum S. Thoma. Pater Fasolus fundatur in hoc principio; omnis enim scientia præsupponit habitum suorum primorum principiorum, hic autem in theologia sacra est habitus fidei diuinæ, quo intellectus viatorum eleuatus indiget habitu illatiuo, non vt possit simpliciter, sed solum vt faciliùs, & promptiùs, & cum delectatione, possit elicere actum, quo cognoscit principia reuelata, vt causas, ex quibus deducuntur theologicę conclusiones. Hanc ipsam doctrinam explicat, & probat etiam à contrario; sicut enim, inquit, dantur accidentia quędam naturalia, secundum substantiam, tamen per se infusa, vt sapientia naturalis Angelorum, & species intelligibiles; ità è contrario dari potest habitus theologiæ viatorum secundum substantiam supernaturalis, & tamen per se acquisitus; dato enim vno oppositorum in natura, siuè contrariorum, necessariò debet dari, & aliud; omne enim genus diuiditur per contrarias differentias.

Hæc disparitas subtilis quidem est, sed non probat intentum; supponit enim Pater Fasolus habitum supernaturalem secundum substantiam diuidi in habitum supernaturalem per se infusum, & in habitum supernaturalem secundum substantiam, per se acquisibilem actibus sibi proportionatis; & hunc supponere ante ipsum in intellectu habitum supernaturalem suorum primorum principiorum, quo, inquit, eleuatur intellectus ad actus scientificos, quibus cognoscuntur principia reuelata, vt causa necessaria conclusionum; illum verò, qui est per se infusus, nullum præsupponere habitum supernaturalem suorum primorum principiorum; sed hoc suppositum est falsum, & manifestatur eius falsitas ex hoc, quia Fasolus illud non alio medio probat, nisi hoc, quia theologia sacra viatorum secundum suam substantiam est supernaturalis; & tamen ea est per se acquisibilis pręcedentibus actibus theologicis, quod manifestè experientia est notum omnibus; omnes enim experimur eam produci, & augeri replicatis actibus theologicis; sed hoc mediū falsum est, quia vt supra diximus; omnis habitus illatiuus conclusionum quam substantiam, siuè suam essentiam specificam sumit a suo obiecto formali in genere scibilis, quod est medium abstractum aliqua specie abstractionis formalis à materia; at obiectum formale in genere scibilis theologiæ sacræ viatorum est naturale, vt supra ostendimus: ergo theologia sacra viatorum est habitus per se acquisibilis, ex eo quia est naturalis secundum substantiam; & hanc acquisibilitatem intelligo, non solum de lege absoluta, sed etiam de lege ordinaria, quod dico, quia de lege absoluta, siuè de potentia absoluta Dei, non implicat omnem habitum secundum substantiam supernaturalem acquiri, & esse in nobis per discursum purè supernaturalem: non enim apparet implicantia, concurrente ad id Deo per auxilium suum speciale; de facto autem omnis habitus secundum substantiam supernaturalis per se infunditur concomitanter ad gra-

gratiam, seù in ordine ad gratiam; & hæc est lex ordinaria, cur habitus supernaturalis infundatur.

Explicatur, & comprobatur hic discursus hoc alio argumēto: habitus illatiuus conclusionum ex principijs veris, & certis diuiditur in habitū naturalē secūdum substantiam, & in habitum supernaturalem pariter secundum substantiam; sed omnis habitus supernaturalis secundum substantiam, est per se acquisibilis, nimirum perseitate physica, non methaphysica, siuè perseitate connaturali, nō perseitate essentiali, & absoluta; ergo ex opposito omnis habitus supernaturalis secundum substantiam est per se infusus perseitate physica, siuè connaturali; sed theologia sacra viatorum, vt probauimus, est acquisita nostris actibus replicatis, supposita tamen fide diuina manifestante veritates supernaturales reuelatas.

Neque contrarium ostendit Pater Fasolus cum primò dicit, esse proprium theologiæ sacræ viatorum, inter habitus supernaturales secundum substantiam, posse generari ex suis supernaturalibus actibus, quoniam solus habitus theologiæ sacræ viatorum præsupponit habitum supernaturalem suorum principiorum, qui est habitus fidei diuinæ; non, inquam, contrarium ostendit: & ratio huius à priori est; quia theologia sacra viatorum præsupponit in viatoribus fidem diuinam, non vt principium, siuè medium formale sciendi, sed solum tamquam conditionem necessariam manifestantem veritatem principiorum, ex quibus theologicas conclusiones deducit theologia sacra viatorum: & hoc suprà ostēdimus cum diximus, medium formale in genere scibilis, tàm motiuum, quàm terminatiuum in theologia sacra viatorum esse secundum substantiam naturale: est enim medium formale abstractum à scibili naturali, & à scibili supernaturali secundum substantiam, quod medium adhùc cognouit Aristoteles lumine naturæ, sed contractum in scibili naturali.

Neque secundò contrarium ostendit Pater Fasolus cum *in fine num. 73. dubit. 13. super art. 2. quæst. 1. S. Thomæ 1. par.* arguens: sicut dantur accidentia quædam secundum substantiam naturalia; tamen per se infusa, vt sapientia naturalis Angelorum, & species intelligibiles eorundem; ità è contra dari potest habitus theologiæ secundū substantiam supernaturalis, & tamen per se acquisitus perseitate naturali, siuè physica; non, inquam, hac ratione contrarium demonstratur, & ratio huius primò est; quia hìc loquimur de habitu per se infuso, & per se acquisito in hominibus viatoribus, & Beatis; hic enim habitus per se est diuisibilis per contrarias differentias, sicut quidditas materialis est intrinsecè diuisibilis in varias species, & vna species in plura indiuidua; in Angelis secundū S. Thomā *1. 2. q. 50. ar. 6.* dātur habitus in ordine ad operationē, sed diuersę rationis. Secūdò nunc hęc disparitas occurrit, sapientia naturalis, & species intelligibiles Angelorū, ex alio capite sunt per se infusæ, siuè inditæ, quam scientia supernaturalis secundum substantiam in hominibus Beatis; nam sapientia, & species intelligibilis Angelorum, sunt perfectè formæ completæ, nimirum in tota sua latitudine specifica; istæ autem formæ non sunt producibiles, nisi à Deo per creationem, siuè per concreationem; at habitus theologiæ sacræ viatorum, non est totus in sua latitudine formali specifica; sed est diuisibilis numero, & cum sit accidens habens latitudinem intensiuam, est acquisibilis pluribus actibus consimilibus; nec omne accidens supernaturale secundum substantiam, est totum in sua latitudine specifica; & ideò est diuisibilis numero intra eandem speciē; est tamen accidens supernaturale secundum substantiam per se infusum de lege ordinaria, siuè perseitate physica, aut connaturali; quia accidens supernaturale non est producibile, vt à causa principali, nisi à solo Deo; solus enim Deus est causa principalis supernaturalis, vt suo loco fusè probabitur.

Quod si dicas visio beatifica producitur suo modo a lumine gloriæ; pariter discursus prudentiæ infusæ, qui adhùc supernaturalis est, adhùc est producibilis ab habitu prudentiæ infusæ; ergo, &c.

Respondeo, produci tamquam à causa instrumentali, non autem tamquam à causa principali; at habitus supernaturalis secundum substantiam per se, perseitate connaturali, & ordinaria, est producibilis solum per creationem à Deo: & præterea habitus illatiuus supernaturalis secundum substantiam, vt supra diximus, contradiuiditur ab habitu naturali secūdum substantiam, vt supra diximus, contradiuiditur ab habitu naturali secundum substantiam intra genus habitus illatiui intellectus humani; sed omnis habitus supernaturalis secundum substantiam est per se acquisibilis; ergò è contrario habitus supernaturalis secundum substantiam in intellectu humano, debet esse per se infusus perseitate saltem phy-

physica, & connaturali.

Ex dictis sufficienter soluuntur, & à priori, rationes contrariæ sententiæ asserentium theologiam sacram viatorum formaliter, siuè secundum substantiam esse supernaturalem: ad primam enim rectè responsum est suprà, habitum scientificum sumere suam specificam essentiam, non ab obiecto formali in genere entis, quia hoc materiale est in genere scibilis, & commune pluribus scientijs specie diuersis; sed ab obiecto formali in genere scibilis, quia hoc est vltimum, & proprium vnius scientiæ, contradistinctæ specie ab alia. Est medium formale in genere entis, id quod est reuelatum explicitè, & in particulari in præmissa reuelata in sensu specificatiuo, & materiali; medium verò formale in genere scibilis, est medium intrinsecum in theologia ex reuelatis, vt scitis, adinuentum principijs, & regulis naturalibus, & abstractum a scibili naturali, & à scibili supernaturali: vel vt alij loquuntur, & in idem redit; medium formale in genere entis, est connexio obiectiua extremitatum cum medio reuelato explicitè, & in particulari in præmissis reuelatis in sensu materiali, & specificatiuo; formale verò in genere scibilis, est connexio obiectiua earundem extremitatum cum medio adinuento principijs, & regulis naturalibus, & abstractum à scibili naturali, & supernaturali: dicitur connexio obiectiua ad differentiam connexionis formalis, quæ constituit propositiones syllogismi formalis. Et hæc distinctio connexionis obiectiuę cum medio adinuento regulis, & principijs naturalibus, valdè notanda est, & habenda ob oculos, quia eam non omnes aduertunt, & hæc est, quæ causat conclusionem, quæ dicit connexionem extremitatum inter se, & est causa specificans habitum illatiuum: & ratio à priori est; quia theologia sacra viatorum est ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia: & huius ratio est, quia theologia sacra viatorum resoluit suas conclusiones in medium inuentum regulis, & principijs scientificis, abstractum à scibili naturali, & à scibili supernaturali, & hoc sæpius repetiui ad impugnandam opinionem illorum, qui dicunt medium formale in genere scibilis specificans, siuè determinans scientiam ad inferendam conclusionem determinatam, esse dispositionem formalem logicam medij termini cum præmissis, quod est falsum; quia hæc connexio potius specificat logicam, quam scientiam realem, & in scientia reali deseruit, vt conditio sine qua non intellectus scientis esset certus de bonitate consequentiæ certitudine scientiæ.

Quod si quæras, vnde oriatur cognitio scientialis præmissarum reuelatarum in ratione causæ, ex qua intellectus viatoris deducit cognitionem, siuè assensum conclusionis, iam quia fides diuina in discursu theologico ex vtroque principio reuelato, se habet, vt conditio manifestans tantum veritatem supernaturalem obiecti theologiæ sacræ.

Respondeo, oriri ex intellectu, vt moto, & completo ab obiecto formali motiuo in genere scibilis, quod est medium adinuentum regulis, & principijs naturalibus sciendi; supposita tamen fide diuina, vt sæpe repetiui, & quia hoc obiectum formale motiuum in genere scibilis, est naturale secundum substantiam suam; consequenter ipsa theologia sacra viatorum, secundam substantiam suam, est scientia illatiua naturalis; & hinc deducitur, quod intellectus Beatorum ad hunc actum scientificum, quo cognoscuntur principia reuelata medio formali abstracta à scibili naturali, & à scibili supernaturali; concurrit per potentiam naturalem, eleuatam medio formali in genere scibilis adinuento regulis, & principijs naturalibus; non autem per potentiam obedientialem eleuatam lumine fidei, etiam vt conditio necessaria manifestans veritates supernaturales; principium enim constituens intellectum ad hunc actum scientificum eliciendum est medium naturale.

Fortè dicent Aduersarij; fides diuina, qua creduntur propositiones à Deo reuelatæ, influit suam certitudinē in actum scientificum, quo intellectus cognoscit præmissas reuelatas, vt causam necessariam conclusionis, ex illis deducendæ; sed si fides deseruiret tantùm, vt conditio necessaria manifestans veritates supernaturales non influeret certitudinem, qua cognoscuntur principia reuelata, vt causa necessaria, & certa conclusionis ex ijs deducendæ.

Respondeo nego maiorem; cognitio enim theologica, qua ab intellectu viatorum cognoscuntur principia reuelata, vt causa conclusionis, est certa certitudine intrinseca, quæ est ex medio intrinseco adinuento ab intellectu Theologi principijs, & regulis sciendi naturalibus, præsupposita diuina reuelatione, vt conditione manifestante; at certitudo fidei, est certitudo extrinseca, quia est ex medio extrinseco, quod est Deus reuelans, seù dicens. Duplicitèr enim præmissæ reuelatę à Deo, seù præmissæ de fide diuina, possunt sumi: primò, vt obiectum fidei formaliter: secundò, vt principia,

cipia, & causæ conclusionum. Primo modo non sunt præmissæ scientiæ theologicæ viatorum; sed tantum secundo modo, ad quas præsupponuntur præmissæ vt reuelatæ, tamquam principium materiale, non autem vt principium formale causans conclusiones.

Obijcies vltimò. Primò ille habitus illatiuus est supernaturalis secundum substantiam, qui habet pro obiecto formali motiuo aliquid supernaturale; nimirum, qui habet obiectum formale motiuum supernaturale: sed theologia sacra viatorum habet, vt obiectum formale, præmissas reuelatas vt fide diuina creditas, quæ sunt supernaturales secundum substantiam. Secundò, vt habitus illatiuus sit supernaturalis secundū substantiam, non exigit, vt omnes causæ ad eum concurrentes sint supernaturales, vt patet in actu attritionis, & contritionis, qui elicitur ab auxilio supernaturali Dei, & voluntate creata naturali; sed theologia sacra viatorum, & eius actus supponunt necessariò fidem diuinam, quæ est necessariò, & formaliter supernaturalis; ergo hoc sufficiens est, vt sit supernaturalis secundùm substantiam; theologia enim viatorum secundùm substantiam essentialiter requirit dependere saltem ab vna reuelata explicitè à Deo: sed dependentia essentialis habitus scientifici à præmissis reuelatis, non oritur ex præmissis, tamquam à conditione, sed tamquam à principio formali influente; ergo, &c. at hoc satis est, vt theologia sacra viatorum essentialiter, & secundum se, siuè secundum substantiam sit supernaturalis; principium enim formale influit esse sibi simile in forma: & confirmatur; quia præmissa de fide in theologia sacra viatorum sunt obiectum motiuum, quo intellectus viatorum sit in actu ad producendos actus, quibus producitur habitus theologicus; sed hoc principium influit esse supernaturale, quia est supernaturale formaliter; ergo, &c. Tertiò conclusiones deductæ ex præmissis reuelatis, sunt de fide; sed huiusmodi conclusiones non deducuntur, nisi actu supernaturali, qui est intra latitudinem fidei diuinæ. Probatur discursus, quia conclusiones, vt deductæ ex reuelatis, sunt adhùc reuelatæ in præmissis saltem implicitè; obiectum autem de fide formaliter specificat habitum supernaturalem.

Respondeo ad primam; concedo maiorem, & nego minorē; obiectum enim formale in genere entis theologiæ sacrę viatorum, quæ est ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia, sunt præmissæ reuelatæ materialiter, non formaliter; siuè in sensu materiali, & specificatiuo, nō autē in sensu formali, & reduplicatiuo: obiectum formale in genere scibilis sūt pręmissę, vt scibiles medio intrinseco inuento, seù reperto principijs, & regulis naturalibus formaliter, quod supponitur scitum in superiori scientia; hoc autem motiuum formale est naturale in genere scibilis, vt supra ostendimus; quia est abstrahibile formaliter à scibili naturali, & à scibili supernaturali, abstractione fundamentali naturali; obiectum verò formale motiuum theologiæ sacræ viatorum, quæ est ex reuelatis à Deo formaliter, acceptis tamen vt causa necessaria conclusionum (sub ista enim formali ratione sunt obiecta theologiæ sacræ viatorum) adhùc est naturale formaliter; supposita enim fide diuina reuelante, præmissæ reuelatæ sunt viribus naturalibus cognoscibiles, vt causa certa conclusionis ex principio intrinseco vero, & infallibili, quod est illud, quod est à Deo reuelatum vt sic, nō potest non esse verum, & certum; quia Deus dicens est prima veritas, quæ nec falli, nec fallere potest in dicendo; esse verò præmissas reuelatas, vt sæpe repetiui, ad hoc se habet præcisè materialiter; sicut, v. g. materialiter se habet esse finitum in creatura intellectuali ad visionem intuitiuam Dei; nam adhoc, vt intellectus creatus possit absolutè, & simpliciter intueri Deum, satis est proportio obiecti, & potentiæ inter Deum, & creaturam intellectiuam.

Neque dicas, præmissas reuelatas in hac theologia sacra, quæ est ex reuelatis, & creditis, acceptis vt causa necessaria, inuoluere reuelationem diuinam, vt obiectum formale motiuum, ad differentiam theologiæ sacræ viatorum, quæ est ex reuelatis à Deo, vt scitis in superiori scientia; quandoquidem propositiones reuelatę in hac theologia viatorum inuoluunt reuelationem diuinam in ratione causæ necessariæ, vt obiectum formale in genere entis, non autem in genere scibilis; hoc enim obiectum formale in genere scibilis est medium, quod est causa necessaria connexionis prædicati cum subiecto in conclusione; hoc autem medium, vt supra diximus, est illud principium intrinsecum: quod est à Deo reuelatum non potest non esse verum, & certum, etiam vt causa conclusionis.

Fortè Auctores omnes, qui dicunt theologiam sacram viatorum secūdum substantiam, siuè secundum suam essentiam esse supernaturalem, non cognoscunt aliam theologiam sacram viatorum, nisi hanc, &

hoc mihi persuadeo, quia prædicti Auctores mordicùs sustinent theologiam sacram viatorum esse essentialiter, & per se habitum ineuidentem; & hoc non aliundè esse potest, nisi quia (iuxta opinionem prædictorum) motiuum, siuè obiectum formale in hac theologia, est medium formale inuoluens in ratione obiecti formalis reuelationem diuinam, quæ est per se, & essentialiter obscura; Verum hæc theologia, nec est scientia formaliter illatiua, contradistincta ab opinione, sed tantum est species habitus illatiui vt sic, qui est habitus illatiuus secundùm sui communissimam significationem; non autem est habitus illatiuus, propriè dictus, contradistinctus ab opinione, neque est secundum substantiam supernaturalis; quia præmissæ reuelatæ in hac theologia, sant reuelatæ tantùm in sensu materiali, & specificatiuo, non autem in sensu formali; & ratio est: quia pręmissæ reuelatę sunt principia demonstrationis theologicę, quatenus sunt demõstrabiles, vt causa cõclusionis certo medio extrinseco, inuento regulis naturalis discursus; neque per hoc confunditur hæc theologia cum theologia sacra viatorum, quæ est ex reuelatis, vt scitis euidenter in superiori scientia; quia potest dicere Aduersarius, hanc theologiam, adhùc esse ex reuelatis in sensu materiali, & specificatiuo, & ratio est; quia aliter sumitur esse reuelatũ in sensu materiali in theologia sacra, quæ est ex reuelatis à Deo, vt scitis in superiori scientia, quàm sumitur in theologia, quæ est ex reuelatis formaliter, vt causa certa conclusionis; in hac enim reuelatio se habet, vt ratio formalis obiecti materialis; in theologia verò, quæ est ex reuelatis vt scitis, esse reuelatum sumitur, proùt est prædicatum conueniens theologiæ pro statu viæ, quæ est conditio extrinseca, & ipsi theologiæ, & obiecto eiusdem.

Ad secundum; respondeo cum distinctione, vt habitus illatiuus sit supernaturalis secundum substantiam requiritur, vt vnũ prædicatum sit supernaturale; quando prędicatum supernaturale concurrit, vt principium formale in genere scibilis, & concedo: quando concurrit, vt principium materiale, vel tantum vt nuda conditio, & nego: quia essentia specifica habitus sumitur ab obiecto formali in genere scibilis, vt sæpe repetiuimus; & in vtraque theologia sacra viatorum obiectum formale in genere scibilis clarissimènaturale est, vt modò explicauimus.

Cum verò dicitur, quod theologia sacra viatorum, & eius actus supponunt necessariò fidem diuinam.

Respondeo, quod theologia sacra viatorum, & eius actus supponunt, fidem diuinam, siuè diuinam reuelationem ex parte obiecti materialis, & concedo: ex parte obiecti formalis in genere scibilis, & nego: etenim theologia sacra viatorum supponit fidem diuinam; quia est scientia de scibili reuelato à Deo, quod est supernaturale; hoc autem est obiectum materiale, de quo demonstrantur conclusiones theologicæ; non autem obiectum formale in genere scibilis, quod scilicet est medium sciendi. Cum denique dicitur in confirmatione, quod præmissæ de fide in theologia sacra viatorum sunt obiectum motiuum; distinguo; si accipiantur, quatenùs continent medium inuentum à theologo viatore, regulis, & principijs naturalibus; & concedo; quatenus præscindit ab hoc medio, & nego; sed hoc medium, vt sæpe repetiui, est naturale secundam substantiam.

Ad tertium, quo dicitur conclusiones deductæ ex præmissis reuelatis, sunt de fide, &c.

Respondeo, conclusiones deductas ex præmissis de fide dupliciter posse considerari; vno modo, quatenùs sunt in generali reuelatæ in præmissis, ex quibus deducuntur, siuè mediatè, siuè immediatè; alio modo, quatenus sunt deductæ ex præmissis, tamquam ex causa necessaria: primo modo sine dubio sunt de fide, nimirum sunt obiectum fidei formaliter; quia eis assentitur intellectus viatorum ex motiuo formali; quia Deus illas reuelauit, & dixit, non quidem in particulari, & explicitè, sed in generali, & explicitè: secundo autem modo, nimirum quatenus formaliter sunt deductæ ex præmissis fidei in figura, & modo syllogistico, non sunt obiectum fidei, neque in generali, & implicitè; neq; in particulari, & explicitè; sed spectant ad habitũ illatiuũ theologicũ, à quo inferuntur ex præmissis, tamquam ex causis, non quidem ex præmissis, vt cognitis habitu fidei diuinæ; sed vt cognitis habitu theologico discursiuo; præmissæ enim, ex quibus deducitur conclusio, aliter cognoscuntur ab habitu theologico discursiuo, & aliter ab habitu fidei diuinæ, vt suprà sæpe diximus; ab habitu quidem fidei præmissæ cognoscuntur absolutè, & simpliciter sub motiuo formali, quia Deus illas reuelauit; ab habitu verò theologiæ discursiuæ Beatorum cognoscuntur, quatenus sunt causa necessaria conclusionis, nimirum, quatenus continent in se medium, quod in genere scibilis secundum se est causa connexio-

nexionis prædicati cum subiecto in conclusione, quod est obiectum formale in genere scibilis, diuersum ab obiecto formali fidei. Neque inconuenit, vt vnum, atque idem obiectum materiale referatur ad habitus essentialiter diuersos, propter duas diuersas rationes formales obiectiuas; & ob hanc rationem eędem pręmissę reuelatæ sunt obiectum materiale, & fidei diuinæ, & theologiæ sacræ viatorum, sub motiuo formali, quia Deus illas reuelauit, sunt obiectum fidei diuinæ: sub ratione verò formali; quia continent in se medium, cur prædicatum insit subiecto in conclusione, sunt obiectum theologiæ viatorum illatiuæ; quod adeò verum est, vt si quis negaret theologicam conclusionem sequi ad principium aliquod de fide, propter carentiam alicuius conditionis necessariæ ad demonstratiuam consequentiam, ille non esset hæreticus. Similiter, si Ecclesia definiat pro sua infallibili auctoritate, quæ est cum assistentia Spiritus Sancti, vnam aliquam conclusionem sequi ad aliquod principium reuelatum, illa conclusio, adhuc vt definita non esset de fide, scilicet vt immediatè reuelata à Deo, sed adhuc esset in ordine conclusionis deductæ, & huius optimam assignat rationem Pater Marcus Antonius Palumbus *in 4. examine scholastico ad 1. par. S. Thomæ cap. 3. dicto 3.* non enim, inquit, Ecclesia in casu posito, definit hanc conclusionem esse immediatè reuelatam à Deo, sed definit esse deductã ex immediatè reuelatis; & huius fundamentum est, quia actu fidei solum creditur id, quod a Deo est reuelatum; & ideò cum Ecclesia aliquid definit, attendi debet, an illud definiat, tamquam à Deo reuelatum, an solum, vt illatum ex principijs reuelatis.

Ad euitandum autem in hac materia aliquem errorem, distingui debet semper motiuum formale fidei, & motiuum formale scientiæ illatiuæ; motiuum formale fidei est, quia reuelatum est à Deo, & ad hoc motiuum etiam reducitur definitio ab Ecclesia de fide, quæ fit assistentia Spiritus Sancti; quoniam si Ecclesia definiat aliquod, tamquam à Deo reuelatum, hoc motiuum suo modo est motiuum fidei diuinæ; si verò Ecclesia definiat conclusionem esse deductam ex principijs fidei, adhùc illa conclusio, vt definita non est de fide; quia Ecclesia non definit conclusionem esse reuelatam à Deo in generali, & implicitè in præmissis reuelatis, sed solum definiuit Ecclesia, quod conclusio necessaria sequatur ex præmissis reuelatis, quod definit Ecclesia ex motiuo formali scientiæ, non autem ex motiuo formali fidei; nam actu fidei solum creditur id quod à Deo est reuelatum ex motiuo solo formali: quia Deus reuelauit.

Quod si dicas, conclusio deducta ex reuelatis à Deo, adhùc est reuelata in præmissis in generali, & implicitè; quia conclusio omnis est præcognita in generali, & implicitè in præmissis; sed hæc reuelatio implicitè, & in generali sufficiens est, vt conclusio deducta sit de fide; ergo, &c.

Respondeo conclusionem deductam ex reuelatis in sensu materiali, & specificatiuo esse reuelatam implicitè, & in generali; non autem in sensu formali, & specificatiuo, quatenus scilicet est deducta: ex diuersis enim motiuis formalibus in genere cognoscibilis, conclusio deducta est reuelata, siuè de fide, & est deducta formaliter: est reuelata, siuè de fide; quia Deus illam implicitè, & in generali reuelauit, reuelans præmissas, ex quibus deducitur: est verò deducta, quatenus est effectus medij, quod est causa connexionis prædicati cum subiecto in conclusione.

Sunt plures docti Theologi relati à Patre Palumbo *loco supra cit.* qui concedunt conclusionem, vt illatam ex reuelatis, non credi actu fidei: credi tamen volunt, quatenus principia, ex quibus deducitur conclusio, sumuntur, vt conditiones; dicunt enim, quod positis principijs reuelatis, vt conditione, intellectus euectus, & illustratus fide diuina præbet assensum conclusioni deductæ. Sed hæc solutio nulla est; quia intellectus suppositis principijs reuelatis, etiam, vt conditione, non mouetur ad assensum conclusioni deductæ, ex motiuo formali fidei diuinæ, sed ex motiuo formali scientiæ discursiuæ; non enim intellectus deducit cõclusionẽ ex reuelatis, quia sunt cognitę fide diuina; sed solum quatenus præmissæ reuelatæ sunt causa necessaria conclusionis; hæc autem cognitio, non est elicita ab intellectu creato Theologi viatoris, quatenus euectus est, & illustratus fide diuina, vt cõditione, & ratio huius à priori est; quia huiusmodi cognitio est scientifica; nimirum cognitio, qua cognoscuntur præmissæ reuelatæ, vt causa conclusionum est cognitio scientifica; cognitio autem scientifica elicitur ab intellectu, vt euecto, & illustrato medio, siuè obiecto formali motiuo habitus scientifici; non enim potest produci cognitio, nisi ab intellectu, quatenus est actu; est verò actu per obiectum formale motiuum scientiæ. Cæterum ad cognoscendum, an cognitio principiorum sit fidei, an scientię obseruandum est, an eius obiectum formale



Digitized by Google

motiuum, sit motiuum formale fidei, an motiuum formale scientificum, sicut ad cognoscendum, quando Ecclesia definit aliquid assistentia infallibili Spiritus Sancti, an illud sit fide credendum, vel non; obseruandum est, an Ecclesia illud definiat esse reuelatum à Deo, an solùm definiat illud esse illatum ex principijs reuelatis; & regula huius esse potest hæc: quotiescumque intellectus præbet assensum propositioni ex motiuo formali; quia Deus illam reuelauit, vel in particulari, & explicitè, vel in generali, & implicitè, assensus est fidei formaliter: quotiescumque verò assentitur propositioni, vel explicatione propria terminorum, vel ex medio aliquo, quod est causa connexionis prædicati cum subiecto, tunc assensus est scientificus, & non fidei. Fortè, qui tuentur contrarium, putant cognitionem, qua intellectus assentitur conclusioni deductæ, causari à cognitione, qua intellectus euectus fide diuina assentitur principiis reuelatis à Deo, esse cognitionem fidei; sed hoc est simpliciter falsum; quia fides est habitus principiorum: theologia verò sacra viatorum est habitus illatiuus; isti autem duo habitus, sunt essentialiter, & genere diuersi; quia habent diuersa obiecta formalia motiua in genere scibilis. Prætereà propriū fidei est sine vlla inquisitione, & discursu assentiri reuelatis à Deo, ex eo præcisè motiuo formali, quia Deus reuelauit; habitus verò illatiuus est productiuus duarum cognitionum, quarum vna causatur ab alia, nimirum est elicitiuus cognitionis, qua assentitur præmissis, vt causa necessaria conclusionis, & ex hac cognitione elicit aliam cognitionem, qua assentitur conclusioni, vt deductæ, sed ob aliud motiuum formale, quatenus scilicet in præmissis est causa connexionis prædicati cum subiecto in conclusione, vel quia conclusio est effectus præmissarum.

Quod si vltimò dicas, illatio, & deductio conclusionis ex præmissis reuelatis, etiam cognitis, vt causa necessaria conclusionis, declarat conclusionem deductam, esse reuelatam in generali, & implicitè in præmissis; semper enim conclusio deducta, in priori saltem naturæ, est cognita in generali, & implicitè in præmissis; sed hoc satis est, vt conclusio credatur actu fidei; ergo, &c.

Respondeo cum distinctione, quod illatio conclusionis ex reuelatis a Deo, declarat conclusionem reuelatam esse in præmissis motiuo formali scientiæ, non autem motiuo formali fidei; scientia enim theologica accipit propositiones reuelatas, non sub motiuo formali, quia sunt reuelatæ a Deo, sed sub motiuo formali, quia in eis continetur causa necessaria, vt prædicatum insit subiecto in conclusione; quod adeò elongat theologiam, ne sit fides formaliter, vt constituat habitum distinctum essentialiter a fide, scilicet vt constituat habitum illatiuum, qui essentialiter distinguitur ab omni habitu principiorum.

Neque huic doctrinæ obstat, quod dicit S. Thomas *in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 4. quæst. 3. ad 3.* dicens: Principia speculatiua cognoscuntur per alium habitum naturalem, quam conclusiones; scilicet per intellectum, qui est habitus principiorum cognoscuntur principia speculatiua; conclusiones verò per scientiam; nam Angelicus Doctor *loco citato*, loquitur de principijs speculatiuis secundum se, & absolutè, non autem de principijs speculatiuis, quatenus sunt causa necessaria conclusionum, quod ipsemet S. Doctor explicat 1. 2. *quæst.* 57. *art.* 2. dicens, quod intellectus solus, qui scilicet est habitus principiorum percipit principia secundùm seipsa; scientia verò percipit eadem principia, vt sunt causa deducendi conclusiones, sed non percipit principia secundum se, & ideò alius est habitus intellectus circa principia, & alius est habitus scientiæ; quia hic percipit principia, vt causa necessaria conclusionis: & huius diuersitatis ratio à priori est, quia habitus distinguuntur ex diuersis obiectis formalibus in genere scibilis; sed habitus principiorum, & habitus scientiæ habent diuersa obiecta formalia in genere scibilis; obiectum enim formale habitus principiorum, sunt proprij termini principiorum; principia enim sunt cognoscibilia sola explicatione propria suorum terminorum; obiectum verò formale in genere scibilis, est medium, quod est causa connexionis prædicati cum subiecto in conclusione; & in re nostra obiectum formale fidei diuinæ, qui est habitus principiorum theologiæ sacræ viatorum, est quia Deus dixit; obiectum verò theologiæ sacræ illatiuæ, est medium, quod est causa connexionis prædicati cum subiecto.

Secunda conclusio; theologia sacra viatorum est naturalis, etiam secundum modum; conclusio hæc potest esse controuersa, possunt enim aliqui dicere, quod sicut dantur nonnulla entia naturalia, quoad substantiam; supernaturalia verò quoad modum, quo producuntur, vt sunt vita miraculosè reddita mortuo, & oculus miraculosè cæco restitutus: ità potest theolo-

gia ſacra viatorum eſſe naturalis ſecundum ſubſtantiam,ſiuè ſecundum ſuam eſſentiam; quoad modum verò ſupernaturalis:& hanc ſententiam fortè probant rationes, quibus ſupracitati Theologi ſuſtinent, theologiam ſacram viatorum ſecundum ſe eſſe ſupernaturalem ſecundum ſubſtantiam;idque oſtẽdo hac ratione;nam prædicti Auctores probant theologiam ſacram viatorum ſecundũ ſuam ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem,quia ratio cur duo extrema vniuntur in concluſione theologica eſt, quia extrema concluſionis theologicę vniuntur in præmiſſis reuelatis; ſed hæc ratio ſi vim haberet, probaret theologiam ſacram viatorum eſſe ſupernaturalem quoad modum, & non quoad ſubſtantiam; quia hæc connexio medij cum extremis in præmiſſis reuelatis poteſt dici,quod ſit ſupernaturalis quoad modum; quia ſupponit reuelationem diuinam, tamquam conditionem; conditio autem potius pertinet ad modum operandi cauſæ, quam ad ſubſtantiam cauſæ. Faſolus *loco ſupra citato*, probat theologiam ſacram viatorum, quoad modum eſſe naturalem, ex eo quia acquiritur, & generatur habitus theologiæ viatorum, ſicut acquiruntur, & generantur omnes habitus naturales;ergo habitus theologicus, quoad hunc productionis modum, eſt naturalis; licet ſit ſupernaturalis, quoad ſubſtantiam: ſicut, inquit,è contra nonnulla ſunt naturalia quoad ſubſtantiam; ſupernaturalia verò quoad modum, quo producuntur, vt vita miraculosè reddita mortuo, & oculus miraculosè cæco reſtitutus.

Sed hæc ratio non probat intentum, quia poteſt Aduerſarius dicere falſum eſſe antecedens aſſumptum, nam cæteri habitus naturales non præſupponunt fidem diuinam, tamquam conditionem neceſſariam, ſicut ſupponit theologia ſacra viatorum; ſed hoc eſt ſufficiens cauſa, vt theologia ſit ſupernaturalis, quoad modum; quoniam fides ſupernaturalis, vt conditio pertinet ad modum operandi, ſupra modum operandi purè naturalem. Ratio fundamẽtalis concluſionis eſt; quia theologia ſacra viatorum ſupponit fidem diuinam, tamquam conditionem, manifeſtantem obiectum materiale theologicum; nam obiectum formale in genere ſcibilis, à quo ſpecificatur theologia ſacra viatorum, ſuppoſita fide diuina, vt conditione,inuenitur regulis naturalis diſcurſus, & principijs naturalibus formaliter conſideratis; ſed hoc obiectum formale eſt naturale, non ſolum quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum. Explicatur, & probatur diſcurſus à priori, quia naturalitas ſcientiæ, quoad ſubſtantiam, & quoad modum, eſt ab obiecto formali naturali ſecũdum ſubſtantiam, & ſecundum modum; ſed obiectum formale, à quo ſpecificatur theologia ſacra viatorum eſt naturale, etiam quoad modum, quia eſt inuentum regulis naturalis diſcurſus, & principijs primis naturalibus formaliter ſumptis, ſuppoſita tamen fide diuina.

Neque obſtat ſi dicas, ſicut dantur nonnulla entia naturalia, quoad ſubſtantiam; ſupernaturalia verò quoad modum: ità dari debent aliqua ſupernaturalia, quoad ſubſtantiam, naturalia verò quoad modum; quia dato vno contrariorum in natura, datur & aliud; contraria enim maximè diſtant ſub eodem genere, & contrarietas ad minus requirit duo. Nam facilis eſt reſponſio; hæc enim propoſitio, dato ente naturali quoad ſubſtantia, & ſupernaturale quoad modum; datur etiam ſupernaturale quoad ſubſtantiam, & naturale quoad modum; vera eſt, quando naturale, & ſupernaturale, quoad ſubſtantiam ſumuntur, vt differentiæ formales contrariæ; falſa verò quando ſumuntur materialiter: & ratio eſt; quia cum ſumuntur, vt differentiæ formales, tunc dicunt contrarietatem, quæ requirit ad minùs duo; cum verò ſumuntur materialiter, non ſunt contrariç; ſed potius adunantur ſub vna ratione formali. In re noſtra, obiectum formale ſupernaturale in theologia ſacra viatorum, eſt obiectum materiale, non autem obiectum formale; quia obiectum theologiæ ſacræ viatorum ſupernaturale, eſt connexio reuelata extremitatum cum medio ſupernaturali; hæc autem connexio ſumitur in theologia materialiter, quia ſumitur, vt ſcibilis medio, quod eſt reperibile regulis naturalis diſcurſus, & principijs formalibus abſtrahentibus à materia naturali, & ſupernaturali. Connexio autem extremorum ſupernaturalium cum medio, quod inuenitur regulis naturalis diſcurſus materialiter, & ſubiectiuè tantum eſt ſupernaturalis; formaliter verò, & in genere ſcibilis, eſt naturalis: & ratio eſt, quia ſpecificatur à medio naturali in genere ſcibilis;ſpecificatio enim eſt à forma, non à materia; forma autem connexionis extremorum,eſt medium quod quando eſt ſupernaturale, connexio eſt ſupernaturalis, & è contra.

Quod ſi dicas, theologia ſacra viatorum eſt independens à ſcientijs naturalibus, vt docet, & probat S. Thomas 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 5. *ad* 2. dicens quod theologia ſacra viatorum non accipit ſua principia ab alijs ſcien-

scientijs, sed immediatè à Deo per reuelationem, & ideò non dependet à scientijs naturalibus, sed eis vtitur tamquam inferioribus, & ancillis; neque hic vsus est propter defectum, vel insufficientiam theologiæ, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his, quæ per naturalem rationem cognoscuntur, faciliùs manuducitur in ea, quę sunt supra rationem, quæ in theologia sacra viatorum tractantur.

Respondeo theologiam sacram viatorum esse independentem à scientijs sibi inferioribus, quæ sunt scientiæ purè naturales, nimirum tractantes de rebus cognoscibilibus solo naturæ lumine, & de his scientijs loquitur S. Thomas *loco supra cit.* dicens theologiam sacram viatorum non vti scientijs naturalibus propter indigentiam ipsius, sed solùm propter defectum intellectus nostri, & illis vti tamquam ancillis; dependentem verò esse à scientia superiori, à qua sibi mutuatur medium ad probandas, non solum conclusiones, sed etiam sua principia, & huiusmodi scientia superior immediatè est methaphysica vniuersalissima, vt sequentibus articulis ostendam: fundamentum huius est, quia theologia sacra subalternatur methaphysicæ vniuersalissimæ.

Quod si secundò dicas, ex hac nostra doctrina necessariò sequi, theologiam sacram viatorum posse euidenter soluere argumenta, quæ incontrarium infideles adducunt, euidentia positiua, non solum negatiua, quatenus scilicet vt non conuicti, neque conuincendi; theologi negant ea, quæ opponuntur contra reuelata à Deo; hoc autem theologi negant asserentes veritatem supernaturalem posse solum demonstrari demonstratione negatiua, soluentes argumenta in oppositum.

Respondeo, quãtum nunc satis est, posse à theologia sacra viatorum demonstrari veritates supernaturales medio positiuo, supposita fide tamen, vt conditione manifestante, non quidem medio positiuo proprio ipsius theologiæ, sed medio positiuo, quod sibi mutuatur à scientia superiori, quod est methaphysica vniuersalissima, Theologi verò loquuntur de medio positiuo intra theologiam viatorum, sed de hoc alibi fusè dicetur.

Tertia conclusio. Si theologia sacra viatorum, secundùm substantiam suam specificam, esset supernaturalis formaliter; de potentia Dei absoluta esset in nobis acquisibilis per discursum purè supernaturalem. Ponitur hæc conclusio, quoniam conducit valdè ad explicationem prædictorum, & de ea sunt tres variæ opiniones: primò enim complures docti Theologi dicunt theologiam sacram viatorum, vt habitum illatiuũ adæquatè esse secundum substantiam supernaturalem, & acquisibilem de lege, & potentia ordinaria in nobis viatoribus per discursum supernaturalem pariter secundum substantiam: quod probant; quia theologia sacra viatorum communiter acquiritur, siuè generatur medio formali supernaturali in genere scibilis secundum totam suam substantiam: sed acquisitio, siuè generatio termini primarij formaliter, secundum substantiã supernaturalis debet esse formaliter, & adæquatè supernaturalis; ergo theologia sacra viatorum est supernaturalis, & generatur in nobis per discursum supernaturalem.

Quod si eis respondeas, productionem, siuè generationem habitus supernaturalis præcedere in intellectu viatoris habitum illatiuum producendum; sed ante habitum supernaturalem illatiuũ; nullus actus scientificus supernaturalis potest præesse: ante enim habitum theologicum illatiuum, non est in intellectu scientia inchoata supernaturalis.

Respondent, satis esse in intellectu viatoris præexistere habitum fidei diuinę, quo euectus, & illustratus intellectus viatoris in ordine supernaturali producit actus scientificos, quibus generatur habitus illatiuus theologicus.

Quod si iterum eis dicas, actum productum ab intellectu viatoris euecto, & illustrato fide diuina, non esse actum scientificum; quia actus scientificus est per se euidens, quia debet esse certus certitudine intrinseca; actus verò fidei diuinæ est per se ineuidens, & obscurus: quia est ex medio, siuè motiuo formali extrinseco; vel quia fides est rerum non apparentium.

Respondere statim possunt in fide diuina distinguendas esse duas rationes formales inadæquatas; prima est, quia fides est formaliter supernaturalis, in qua supernaturalitate communicat cum cæteris habitibus supernaturalibus formaliter, siuè secundum substantiam: secunda est, quia fides diuina est certa certitudine extrinseca supernaturali. Intellectus viatoris euectus, & illustratus à fide diuina, quatenus est supernaturalis producit actus, quibus producitur habitus theologicus supernaturalis; idque probari potest, quia intellectus creatus viatoris, secundùm se, est potentia discursiua, quia est potentia rationalis; hæc autem vt producat actus discursiuos supernaturales,

non

Digitized by Google

non aliud requirit; nisi vt eleuetur in ratione potentiæ supernaturalis, & hoc sufficienter fit per fidem diuinam, quatenus est habitus supernaturalis formaliter.

Sed hæc responsio, licet subtilis sit, non tamen assignat rationem sufficientem ad probandum, intellectum viatorum sic euectum, & illustratum posse producere actus discursiuos supernaturales, siuè discursum supernaturalem per se euidentem; ad actum enim supernaturalem per se euidentem, requiritur principium supernaturale per se euidens; fides autem diuina, inquantum habitus supernaturalis vt sic, non est per se, & essentialiter euidens; imò fides diuina, neque est essentialiter discursiua; fidei enim diuinæ proprium est sine inquisitione, & discursu adhærere reuelatis à Deo, quia à Deo sunt reuelata.

Alij verò Theologi, quos sequor, dicunt habitum omnem supernaturalem secundùm substantiam suam de potentia, siuè de lege Dei ordinaria, esse per se infusum, & nullo modo acquisibilem per actus antecedentes sibi proportionatos; posse verò omnem habitum supernaturalem secundùm substantiam, de potentia Dei absoluta, acquiri, & produci in nobis per actus formaliter supernaturales: idque probant, quia habitus supernaturalis secundùm substantiam, sufficienter contradistinguitur ab habitu per se acquisito; quia habitus per se acquisitus habet hoc, vt sit acquisibilis de potentia, & lege ordinaria; habitus verò supernaturalis, & per se infusus, est acquisibilis tantùm præcedentibus actibus de potentia Dei absoluta; hæc autem diuersitas satis est ad distinguendum habitum per se acquisitum ab habitu per se infuso.

Quod si eis respondeas, habitum esse per se acquisibilem, & esse per se infusum, esse proprietates habitus quarto modo, nimirum conuenientes, omni, soli, & semper; istæ autem proprietates sunt inseparabiles simpliciter.

Respondent statim esse proprietates per se secũdo perseitate physica; non autem methaphysica, siuè esse proprietates de lege, & potentia ordinaria Dei, non autem de potentia Dei absoluta.

Alij dicunt, propriũ esse habitus theologici supernaturalis, vt contradistinguitur à cæteris habitibus, acquiri in nobis de lege ordinaria per discursum supernaturalem, idque probant, vt supra diximus, hac ratione; quia solus habitus theologicus viatorum supponit ante se in intellectu alium habitum supernaturalem, & primum, qui est habitus fidei diuinæ, quo intellectus eleuatur in ratione potentiæ intellectiuæ supernaturalis.

Sed hæc opinio sufficienter *reijecta* est supra; quia ad producendum habitum discursiuum theologicum supernaturalem secũdùm substantiã, requiritur actus supernaturalis discursiuus, & per se euidẽs aptitudine; sed fidei diuinæ repugnat nõ solũ discursus, sed etiam euidentia scientialis, quia hęc est euidentia ex medio, siuè motiuo formali intrinseco; fides autem diuina est solùm certa certitudine extrinseca, quæ est ex motiuo, siuè obiecto formali extrinseco, quod est, quia Deus dixit, seù reuelauit; supradicta autem conclusio est probatorum Theologorum, quos sequitur Palumbus *loco supra citato*, qui volunt omnem habitum supernaturalem secundum substantiam de lege ordinaria, esse per se infusum: primò; quia omnis habitus supernaturalis secundum substantiam datur concomitanter ad gratiam à Deo. Secundò, quia habitus supernaturalis, vt potentia supernaturalis, nullum supponit ante se in intellectu habitum, vel actum priorem supernaturalem de lege ordinaria; verùm de potentia Dei absoluta, potest acquiri in nobis viatoribus per discursum supernaturalem, concurrente ad id Deo per auxilium suum speciale actuale.

Ratio fundamentalis conclusionis est: quoniam ratio, cur theologia sacra viatorum (data hypothesi, quod sit supernaturalis secundum substantiam) absolutè, & simpliciter non est acquisibilis in nobis, est quia ante habitum theologicum non præexistit actus vllus scientialis supernaturalis, sed hoc cessat, si Deus ad id concurrat per auxilium suum speciale supernaturale; ergo absolutè, & simpliciter non implicat habitum theologicum in viatoribus acquiri per discursum supernaturalem productum ab intellectu viatorum, vt moto à Deo motione virtuosa supernaturali ad actum scientialem discursiuum. Doctrina hæc sumitur à S. Thoma 1. 2. *quæst.* 92. *art.* 2. vtrum requiratur aliqua præparatio, & dispositio ad gratiam ex parte hominis; vbi in corpore distinguit duplex auxilium Dei supernaturale; vnum habituale, aliud actuale; actuale est motio Dei, vt primæ causæ supernaturalis, qua mouet creaturam intellectualem ad effectum supernaturalem; habituale verò est habitus supernaturalis infusus. Dicimus quod si Deus moueat, & eleuet intellectum viatoris motione actuali supernaturali ad discursum supernaturalem

pro-

nem; posterior verò dicitur discursus cum causalitate, & vterque discursus dicit plura realiter distincta. Discursus secundum causalitatem, alius est formalis, & alius est obiectiuus; formalis dicit plures actus cognitionis, quorum vnus causatur ab alio, vti sunt cognitio, qua intellectus cognoscit, v. g. causam priùs, & cognitio qua posteriùs cognoscitur effectus, causata à cognitione causæ. Discursus verò obiectiuus est successio effectus à causa in obiecto cognito; hæc enim diuisio est persimilis diuisioni, qua diuiditur conceptus in conceptum formalem, & in conceptum obiectiuum: præterea discursus formalis, sicut, & obiectiuus, alius est realiter, & alius est virtualiter. Ratio huius diuisionis est, quia discursus non est aliud, nisi successio vnius post aliud cum causalitate vnius ab alio; causa autem, sicut, & effectus, alia est realiter, & alia virtualiter, & vterque discursus dicit plura, quorum vnum causatur ab alio; discursus formalis virtualis dicit plures actus cognoscendi, quorum vnus causatur ab alio virtualiter, & consequenter dicit plures cognitiones virtualiter; discursus verò secundum causalitatem realiter, requirit plura realiter distincta, quorum vnum est prius alio realiter.

Articulus intelligitur primò de discursu reali formaliter: secundò, de discursu formali virtuali; nimirum, inquiritur an fides diuina sit habitus discursiuus discursu formali, siuè realiter, siuè virtualiter; est enim sermo de discursu existente in intellectu.

Duæ sunt sententiæ circa hoc quæsitum, quod fusè Recentiores pertractant.

Vna est affirmantium fidem diuinam posse conficere discursum formalem supernaturalem; nimirum, esse habitum supernaturalem discursiuum, discursu supernaturali formali realiter, sed diuerso à discursu formali scientifico. Sententiam hanc acutè, & fusè explicat, & sequuntur de Lugo *in tract. de fide diuina*, & Martinez de Ripalda adhùc *in tract. de fide, spe, & charitate*, quorum fundamenta infrà proponentur soluenda.

Alia est negantium, & hanc de mente S. Thomæ sequuntur Capreolus *in 3. dist. 24. quæst. 1. art. 3.* & alij Thomistæ; hæc sententia semper mihi placuit, vtpotè conformior doctrinæ Angelici Doctoris; quam sequentibus conclusionibus explicabo.

Prima conclusio. Contradicit fidei diuinæ esse habitum discursiuum discursu formali reali. Conclusio hæc est omnium, qui dicunt habitum fidei, distingui essentialiter ab habitu theologiæ sacræ, quibus sine dubio fauet S. Thomas *in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 3. ad 3.* vbi dicit: Principia speculatiua cognoscuntur per alium habitum naturalem, quam conclusiones, scilicet principia per intellectum; conclusiones verò per scientiam: & in *1. 2. quæst. 57. art. 2. ad 2.* & alijs in locis. Contrarium autem tuentur complures Theologi, quos citant, & sequuntur Recentiores *supra cit.* Et quidem tota difficultas in hac conclusione est in assignanda ratione à priori absque vlla petitione principij, quam difficillimum est euitare procedentibus per principia prima, & vniuersalia.

Prima ratio generalis mihi est hæc. Habitus intellectualis humanus diuisibilis est formaliter in habitum principiorum secundum se, qui dicitur intellectus; & in habitum discursiuum, qui est habitus deductiuus conclusionum; sed data hac diuisione, implicat fidem diuinam esse habitum discursiuum formaliter, discursu nimirum formali; ergo impossibile est fidem diuinam esse discursiuam discursu formali. Maior probatur; quoniam habitus intellectiuus humanus vt sic, est indifferens ad habitum principiorum, & ad habitum discursiuum, qui est habitus conclusionum: genere autem existente indifferente datur contrahibilitas, & diuisibilitas per opposítas, siuè contrarias differentias formales; hac enim ratione animal diuiditur in hominem, & brutum; substantia, quæ est primum genus prædicamẽtale in Corpus, & Spiritum; & ens creatũ in substantiã, & accidẽs: & huius prima radix est; quia habitus intellectualis vt sic, præscindit formaliter ab habitu principiorum, qui est intellectus; & ab habitu conclusionũ, qui est habitus discursiuus; quippe habitus intellectualis secundùm se in sua definitione essentiali, non includit differentias, ex quibus inter se distinguuntur essentialiter habitus principiorum, & habitus discursiuus; essentialiter enim habitus non est aliud, quam perfectio potentiæ intellectiuæ ad intelligendum; in hac autem definitione nulla differentia formalis distinctiua includitur; at conceptus obiectiuus præscindens formaliter à suis inferioribus, est diuisibilis per opposítas, & contrarias differentias formales. Solùm huic discursui à priori opponi potest, prædictam definitionem habitus intellectualis, non esse definitionem habitus intellectualis secundùm se, sed prout est cognoscibilis à nostro intellectu cognitionibus inadæquatis, & imperfectis, quod probari potest paritate defini-



Digitized by Google

tionis entis creati; si quis enim contendat ens creatum formaliter præscindere à substantia, & accidente formaliter, & secundum se; quia in sua definitione essentiali non includit, neque perseitatem, neque inaleitatem: statim respondere poterit Aduersarius, assumptum esse verum de definitione essentiali quidditatis rei, secundùm se consideratæ; non autem de definitione quidditatis, siuè essentiæ rei consideratæ, prout est cognoscibilis à nostro intellectu cognitionibus inadæquatis, & imperfectis: allata autem definitio entis, nimirum quod est extra nihilum reale, est definitio entis realis creati, secundùm quod est cognoscibile cognitione inadæquata; non autem cognitione, qua cognoscibile est ens secundùm se; pariter dicendum est de definitione allata habitus intellectualis. Sed hæc instantia facilè resoluitur disparitate; primò, quia ens reale creatum vt sic, non habet in se vndè limitetur, & contrahatur, cum sit ratio vniuersalissima formalis essendi extra nihilum; habitus verò intellectualis, est quidditas contracta ad determinatam speciem, & cõsequenter habet in se, vt non se immisceat cum differentijs. Secundò, quia habitus intellectualis est ens formaliter, nimirum sua ratione formali; hoc autem non includit in se suos modos essendi diuidentes; quia modi diuidentes non sunt ens formaliter, vt fusè probabitur *quæst.* 3. Minor principalis argumenti, in qua est difficultas, probatur; quia data hac diuisione, habitus fidei contrariè, & positiuè excludit à se omnem rationem discursiuam, quæ est habitus conclusionum; quia excludit positiuè, & contrariè à se differentiam formalem, contrahentem habitum intellectualem ad habitum conclusionum vt sic, qui est habitus discursiuus, ex regula communi logica, & methaphysica; quæ est: Vnum membrorum diuidentium vnum commune genus, excludere à se differentiam, siuè rationem formalem alterius; quia omnis diuisio fit per oppositas, & contrarias differentias, quæ non possunt esse simul in vno, & eodem numero subiecto; sed fides diuina, siuè habitus principiorum positiuè, & contrariè à se excludit rationem formalem differentialem discursiuam vt sic: ergo excludit etiam omnem differẽtiam formalem discursiuam specificam; quia quod excludit à se differentiam formalem genericam, excludit etiam omnem differentiam formalem specificam; specifica enim differentia supponit essentialiter genericam, sicut species supponit suum genus essentiale; sed esse discursiuum formaliter, est differentia generica scientiæ vt sic; habitus enim cõclusionũ vt sic, qui diuiditur cõtra habitum principiorum, diuisibilis est in habitum discursiuum formaliter, & in habitum discursiuum virtualiter; nam habitus est discursiuus, est habitus conclusionum vt sic; qui duo habitus sunt essentialiter, & specie diuersi, quia habent diuersa motiua formalia, sub quibus assentiuntur suis obiectis materialibus; habitus enim specificantur immediatè per actus, & mediatè per obiecta formalia; ex hoc principio.

Communiter Auctores nostræ sententiæ probant ratione generali eandem conclusionem, sed in hac forma; quia scilicet habitus intellectus, & scientiæ sunt distincti essentialiter; distinctio enim essentialis habitus est ex diuisione formali medij, siuè motiui formalis assentiendi; sed habitus intellectus, & habitus discursiuus habent diuersa motiua formalia; quia habitus intellectus mouetur ad assensum principiorum, ex simplici apprehensione, ac penetratione terminorum; habitus verò discursiuus mouetur ad assensum conclusionum motiuo formali essentialiter diuerso; nimirum mouetur, quia præmissæ sunt causa necessaria conclusionum; sed habitus discursiuus habet rationem discursiui; quia est habitus cõclusionum, quatenus sunt effectus præmissarum; ergo ex opposito habitus principiorum, qui est intellectus, non potest esse habitus discursiuus.

Sed hæc ratio, nisi reducatur ad principium suprà explicatum, labitur in petitionem principij; nam de hoc est quæstio, an habitus principiorum sit etiam discursiuus: & facilè soluetur ab Auctoribus contrariæ sententiæ, & de facto soluitur à Ioanne de Lugo *loco supra cit. disp. 7. sect. 2. nu. 9.* Qui dicit, quod fides non differt à theologia, quia illa non est discursiua; hæc verò discursiua: sed quia fides innititur reuelationi, non mediatè, sed immediatè: theologia verò innititur etiam reuelationi, sed mediatè, non immediatè; nos autem supponimus theologiam sacram differre à fide diuina, quod theologia habeatur per discursum; fides verò sine discursu; nimirum, quia fides non est discursiua; theologia verò est discursiua; fidem verò esse habitum principiorum, solùm probat fidem diuinam immediatè niti reuelationi; theologia verò mediatè, ex eo quod est habitus conclusionum.

Sed hæc responsio non habet vim, dato principio suprapposito, quia scilicet habitus intellectualis vt sic, præscindit formaliter

ter

Digitized by Google

ter ab habitu principiorum, & ab habitu concluſionũ in generali; ſed data hac præciſione, habitus principiorum contrariè, & poſitiuè excludit à ſe rationem formalem diſcurſiuam, quia excludit à ſe rationem formalem habitus cõcluſionum in generali, qui eſt diuiſibilis in habitum principiorum, & in habitum concluſionum vt ſic; habitus verò cõcluſionum diuiſibilis eſt in habitum diſcurſiuum formaliter, & in habitum diſcurſiuum virtualiter. Fides diuina eſt quidem habitus principiorum, nimirum theologiæ ſacræ viatorum, qui ſunt articuli fidei: ergo excludit à ſe poſitiuè, & contrariè rationem diſcurſiui in generali.

Secunda ratio ſpecialis concluſionis mihi eſt; quia fides diuina credit omnia, quæ reuelantur à Deo per vnicam rationem formalem obiectiuam, quæ eſt; quia Deus dixit, ſeù reuelauit; ſed vbi eſt vnica ratio formalis obiectiua cognoſcendi, nulla eſt ſucceſſio cum cauſalitate actuum, quos eſſentialiter includit diſcurſus formalis; ergo fides diuina nulla ratione eſt habitus diſcurſiuus formaliter: diſcurſus eſt euidens; nam ex vnico medio formali cognoſcendi, vnicus tantùm actus cognitionis formaliter procedit; diuiſio enim, & multiplicatio formalis actuum eſt ex diuiſione, ſiuè ex multiplicatione formali obiecti formalis in genere cognoſcibilis; ſed obiectum formale in genere cognoſcibilis fidei diuinæ eſt vnum indiuiſibile; quia eſt Deus, vt dicens, ſeù, vt reuelans; verùm habitus diſcurſiuus formaliter eſt principium plurium actuum, quorum vnus cauſatur ab alio; hæc autem pluralitas actuum oritur ex diuiſione formali medij formalis aſſentiendi; nam motiuum formale aſſentiendi præmiſſis, eſt quia præmiſſæ ſunt cauſa concluſionum; motiuum verò formale aſſentiendi concluſioni, vt deductæ eſt, quia concluſio, vt deducta, eſt effectus neceſſariò ſequens ex præmiſſis; cauſa autem vt cauſa, & effectus vt effectus, ſunt diuerſa media formaliter; quod ex eo fit euidens: primò, quia demonſtratio per cauſam, & demonſtratio per effectum, differunt formaliter, & ſpecie: præterea cauſa, vt cauſa realiter eſt independens, & prima; effectus verò vt ſic dependens, & poſterior. Secundò, quia medium in præmiſſis, eſt gradus veluti genericus; medium verò formale in concluſione, eſt gradus differentialis.

Fortè dicent Aduerſarij, ex hac doctrina ſequi non poſſe dari ſcientiam, quæ ſit vna ſpecie eſſentiali; quia vnitas ſpecifica ſcientiæ eſt ex vnitate medij formalis cognoſcendi; ſed in vna demonſtratione, vel à priori, vel à poſteriori, ponitur à nobis duplex medium formale in ſcientia diſcurſiua; aliud quo ſciens aſſentitur præmiſſis; & aliud quo aſſentitur concluſioni, vt deductæ: ergo non poteſt ſcientia diſcurſiua, quæ eſt effectus demonſtrationis, eſſe vna ſpecie eſſentiali.

Reſpondeo nego ſequelam; nam diuiſio ſpecifica vnius ſcientiæ ab alia, ſumitur ex diuerſitate medij formalis, quod eſt differentia obiecti formalis ſcientiæ; non autem ex diuerſitate medij formalis, quod eſt genus obiecti formalis ſcientiæ. Medium formale aſſentiendi præmiſſis, ex quibus deducuntur concluſiones, eſt genus in obiecto ſcientiæ; medium verò formale aſſentiendi concluſionibus, vt deductis, eſt medium differentiale; hæc enim duo media conſtituunt, vnum medium adæquatum formale ſpecificum: ſicut, v. g. animal, & rationale conſtituunt vnam ſpeciem; ſed formaliter ſpecies eſt à differentia, & ſic vna ſcientia diſtinguitur ſpecie ab alia, quando medium differentiale vnius eſt diuerſum à medio differentiali alterius; manifeſtatur hoc, quod dixi; quia ſola cognitio præmiſſarum, qua in priori ſaltẽ naturę cognoſcuntur præmiſſæ vt cauſa, non conſtituit adęquatè diſcurſum vnum in ſpecie, ſed tantum inadæquatè, ſcilicet, vt ratio prior inadæquata, ſiuè vt genus; non autem vt ratio prior adæquata: ſpecies verò eſt ratio adæquata, quæ ſcilicet eſt ex ratione priori inadæquata, quæ eſt genus, & ratione poſteriori priori inadæquata, quæ eſt differentia; neque hoc inconuenit in genere ſcibilis; in hoc enim genere concluſio ſe habet vt ratio, poſterior ratione priori inadæquata.

Quod ſi iterum vrgeant Aduerſarij, & dicant vnitatem ſpecificam ſcientiæ ſumi ex abſtractione fundamentali à materia; abſtractio autem à materia in vna ſcientia ſpecie, vnica tantum eſt; ſed medium aſſentiendi præmiſſis, & medium aſſentiendi concluſionibus, vt deductis, ſunt in eodem gradu formali abſtractionis à materia; ergo, &c.

Reſpondeo, diſtinguo maiorem; vnitas ſpecifica ſcientiæ ſumitur ex vna ſpecie abſtractionis fundamẽtalis à materia, quando abſtractio à materia eſt adæquata, & concedo: quando eſt inadæquata, & nego: quia vnitas ſpecifica eſt vnitas adæquata, vnitas verò adæquata ſpecifica ſcientiæ ſumitur ab obiecto formali adæquato; in re no-

nostra, abstractio à materia in medio formali assentiendi præmissis, est inadæquata; quia tantum est ratio prior inadæquata obiecti formalis, siuè gradus formalis inadæquatus abstractionis à materia, non autem est abstractio adæquata: probatur; quia abstractio fundamētalis à materia nō est, nisi quidam gradus immaterialitatis; hic autem inadæquatè est in medio assentiendi præmissis, & inadęquatè est in medio assentiendi conclusioni, vt deductæ; adæquatè verò est in vtroque; ratio autem huius diuisionis, est: quia discursus formaliter est ex pluribus cognitionibus, quarum vna causatur ab alia; hæc autem diuisio est ex diuisione medij formalis, qui sunt gradus genericus, & gradus differentialis in ratione scibilis, & defectu huius diuisionis medij formalis, non est discursus in Deo, neque in Angelo.

Adhùc vrgent Aduersarij: fides diuina pluribus actibus successiuè credit plura obiecta à Deo reuelata; sed hæc pluralitas, & successio actuum non potest esse, nisi ex diuisione obiecti formalis fidei, saltem materiali: ergo in fide diuina medium credendi formale, & obiectiuum potest esse diuisum, & multiplicatum, saltem materialiter; sed hoc satis est ad discursum. Quod si eis dicas, hunc esse discursum secundùm præcisam successionem, non autem esse discursum formalem, adiuncta causalitate, qui dicit plures actus cognoscendi, vnum ab alio causatum: nos autem hic loqui de discursu formali causalitatis. Statim dicent, hunc discursum causalitatis adhuc posse conuenire fidei diuinæ; tùm quia vbi est successio actuum, non repugnat esse causalitas vnius actus ab alio; quia adhùc causalitas dicit successionem saltem naturæ plurium: tùm etiam, quia credens, Filium Dei fuisse incarnatum, mouetur ex eo; quia credit etiam esse in Deo ad intrà Patrem, & Filium; secùs non crederet Filium Dei fuisse incarnatum, nisi crederet etiam in Deo esse Filium; ergo, &c.

Respondeo primò, in fide diuina esse pluritatem successiuam actuum credendi, sed sine causalitate, & deductione vnius ab alio; quia successio actuum præcisè in fide oritur ex diuisione obiecti materialis fidei, non autem ex diuisione obiecti, siuè medij formalis credendi: at discursus causalitatis, nimirum discursus formalis cū causalitate, debet esse ex diuisione formali medij, siuè obiecti formalis; hoc autem obiectum formale in fide est indiuisibile, tùm diuisione formali, tùm materiali; quoniam obiectum, siuè motiuum formale fidei diuinæ, quo creditur quod à Deo dicitur, siuè reuelatur, est Deus, siuè prima veritas, vt dicens, seù vt reuelans; a quo si vnum prædicatum remoueas, non est motiuum formale fidei; Deus autem vt reuelans, est omninò indiuisibilis; tùm quia est prima veritas, tùm quia formalitas medij cōsistit in indiuisibili, veluti essentia; cū enim intellectus credentis pluribus actibus successiuis credit plura obiecta à Deo reuelata, ista pluralitas, & diuisio est quidem materialis, sed hæc materialis diuisio non oritur ex diuisione materiali obiecti formalis fidei diuinæ, sed solum ex diuisione obiecti materialis, nimirum rerum reuelatarum à Deo; ad discursum autem formalem causalitatis, vt supra explicauimus, requiritur diuisio formalis, quæ est ex diuisione formali obiecti formalis fidei, quæ diuisio omninò impossibilis est, quia contradicit primam veritatem, vt dicentem, esse intrinsecè diuisibilem, tàm diuisione formali, quàm materiali. Plura credita sunt, sicut in vno composito plura quanta, pluralitate participantium vnam quantitatem. Cum dicunt Aduersarij, discursum formalem causalitatis, adhùc posse conuenire fidei diuinæ; quia actibus successiuis cognoscendi non repugnat causalitas. Respondeo, hoc verum esse, quando successio, & diuisio actuum cognoscendi oritur ex diuisione formali medij in causam, & effectum; falsum verò quando hæc diuisio actuum est purè materialis. Cum denique vrgent, vnum actum credendi posse dependere ab alio; quia scilicet actus, quo credimus, Filium Dei esse incarnatum, dependet ex actu, quo credimus in Deo ad intra esse Patrem, & Filium, sine vlla naturæ diuisione. Respondeo cum distinctione; duplex enim potest esse actus, quo assentimur Filium Dei fuisse incarnatum, alius ex motiuo formali, & immediato; quia Deus reuelauit: & alius ex motiuo formali; quia hic actus deducitur ex alio actu fidei, vel potiùs ex præmissa fidei accepta, vt causa necessaria. Primus actus est actus fidei; quia actu fidei solum creditur id, quod à Deo est reuelatum. Secundus actus non est actus fidei formaliter; sed est actus habitus theologiæ, qui est habitus illatiuus conclusionum ex reuelatis à Deo. Aduersarij confundunt illos duos actus; vel quia non distinguunt habitum fidei diuinæ ab habitu theologiæ sacræ viatorum: vel quia faciunt fidem diuinam habitum essentialiter discursiuum discursu formali, quod omninò implicat, vt probauimus, & infrà clariùs ostendetur.

Se-

Secunda cōclusio. Fidei diuinæ adhùc contradicit esse habitum discursiuum discursu virtuali. Conclusio sequitur ex præcedente. Ratio autem fundamentalis mihi est; primò, quia discursus virtualis adhùc dependet ex diuisione virtuali, siuè ex pluralitate virtuali plurium actuum, quorum vnus virtualiter est ab alio; sed hæc pluralitas virtualis actuum non potest esse in fide diuina; quia pluralitas causalitatis virtualis actuum oritur ex diuisione virtuali obiecti formalis; sed obiectum formale fidei diuinę est etiam virtualiter indiuisibile; quia hoc obiectum formale est Deus, vt reuelans, seù vt dicens. Probatur, & explicatur hic discursus; quoniam discursus causalitatis necessariò requirit plures actus, quorum vnus causatur ab alio, vel realiter, vel virtualiter; virtualis enim discursus non dicitur, quia est vnus simplex actus æquiualens pluribus actibus distinctis, cum dependentia vnius ab alio; hic enim est discursus obiectiuus, de quo nos hìc non loquimur; sed dicitur virtualis; quia inuoluit plures actus, quorum vnus virtualiter est ab alio; ad discursum enim formalem ex suo genere requiritur pluralitas actuum, vel realiter, vel virtualiter. Secundò, contradicit fidei diuinæ, esse habitum discursiuum ex ratione generali; etiam quia, vt supra ostendimus, habitus fidei, cum sit habitus principiorum theologiæ sacræ viatorum, excludit à se positiuè, & contrariè omnem vim discursiuam, vt ostendimus in prima conclusione; sed hoc clariùs elucebit in solutionibus argumentorum in oppositum.

Obijcies primò rationes, quibus Martinez de Ripalda *disp. 13. sect. 3. à num. 21.* probat fidem diuinam esse habitum discursiuum.

Prima est. Quia scientia infusa Christi Domini potuit esse formaliter discursiua; ergo etiam fides diuina. Antecedens dicit esse dogma expressum S. Thomæ *3. par. quæst. 11. art. 3. in corp.* vbi sic loquitur S. Thomas. *Aliqua scientia potest esse discursiua dupliciter, vno modo quantum ad scientiæ acquisitionem: & hoc modo scientia animæ Christi non fuit discursiua; quia hæc scientia fuit sibi diuinitùs indita: alio modo potest dici aliqua scientia discursiua quantum ad vsum, sicut interdum scientes ex causis concludunt effectus, non vt de nouo addiscant, sed volentes vti scientia, quam iam habent; & hoc modo scientia animæ Christi poterat esse collatiua, & discursiua; poterat enim ex vno aliud concludere.* Consequentia probatur; quia eadem prorsus ratio est, vt fides diuina possit suis assensibus discursum formalem conficere; idque probatur; quoniam licèt possit simplici actu fides diuina assentiri subiecto reuelato, propter auctoritatem, & reuelationem diuinam; tamen non cogitur semper hæc tria obiecta simul iudicare, sed pro arbitrio voluntatis potest ea iudicia diuidere; alterum, quo solùm assentitur summæ auctoritati Dei; alterum, quo solum assentitur reuelationi Incarnationis Diuinæ; his autem iudicijs præmissis determinatur ad inferendum tertium, quo assentitur existentiæ incarnationis; sed hoc tertium iudicium potest pertinere ad fidem eadem ratione, qua pertinet ad scientiam infusam illud aliud ex duobus eiusdem scientiæ præmissis illatum; sicut enim, inquit, ex illis tertium colligitur supernaturale; ità ex iudicijs præmissis fidei diuinæ potest tertium colligi, quod scilicet vera est existentia incarnationis Filij Dei: & hoc comprobat etiam hoc motiuo; quia ex obiecto formali magis spectat hoc iudicium ad fidem diuinam, quàm illud ad scientiam infusam; quoniam motiuum huius est auctoritas, & reuelatio diuina, quæ constituunt obiectum formale proprium fidei diuinæ; illius verò est veritas extrinseca præmissarum, quæ non est ratio motiua, ità propria scientiæ infusæ; quia cum sit quidditatiua, vendicat sibi, tamquam rationem motiuam sui veritatem intrinsecam, & immediatam obiecti. Pariter hoc tertium iudicium, quod est assentiri existentiæ incarnationis Verbi Diuini, cum sit supernaturale, & innixum obiecto formali fidei diuinæ, potest elici à fide diuina infusa; Inconsequenter igitur, inquit, negant fidem diuinam posse esse discursiuam, qui affirmant scientiam infusam esse posse discursiuam.

Secunda ratio. In genere non repugnat discursus formalis supernaturalis ad tertiam operationem intellectus: ergo neque in specie repugnat discursus supernaturalis elicitus ab habitu fidei diuinæ. Antecedens probatur primò, quia nulla apparet implicantia supernaturalitatis in tertia operatione intellectus; secundò à priori, quia discursus est processio, & consequutio vnius cognitionis ex alia; sed non repugnat processio vnius cognitionis supernaturalis ex alia. Consequentia principalis argumenti probatur; quia potissima ratio, inquit, qua plures Auctores contrariæ sententiæ mouentur ad negandum fidei diuinæ discursum formalem est; quia assensus ex pręmissis supernaturalibus illatus non potest esse

eſſe ſupernaturalis, qualis eſſe debet elicitus à fide diuina; ſed non repugnat, vt dixi, in genere diſcurſus formalis ſupernaturalis ad tertiam operationem intellectus; ergo, &c.

Tertia ratio; cognitio, ſiuè aſſenſus fidei principiorum reuelatorum à Deo, poteſt fieri materialis concluſio intrà fidem; ſed concluſio non eſt acquiſibilis, niſi per diſcurſum ex præuio concurſu præmiſſarum; ergo fides poteſt eſſe diſcurſiua diſcurſu formali, ſaltem ex aſſenſu reuelationis diuinæ, ad aſſenſum obiecti reuelati; nam nulla apparet ratio, ob quam eiuſmodi proceſſio, & illatio repugnet: & probatur; quia poteſt intellectus fidelis ab aſſenſu præuio fidei obiecti formalis determinari ad inferendam concluſionem, quæ fuit credita fide diuina.

Quartò, per aſſenſus naturales poteſt fieri diſcurſus formalis ex auctoritate, & reuelatione diuina ad obiectum reuelatum; nam inter obiectum materiale, & formale fidei inuenitur connexio neceſſaria, quæ ſufficiens eſt ad diſcurſum formalem; ſicut inuenitur inter cauſam naturalem, & effectum: ſed ex iſta connexione, poteſt conſtrui diſcurſus formalis; ſicut enim poteſt intellectus vnico iudicio aſſentiri ſolùm exiſtentiæ cauſæ naturalis, & alio iudicio ſolùm connexioni neceſſariæ cauſæ cum effectu, & ex his duobus inferre tertium, quo aſſentiatur exiſtentiæ effectus, qui eſt diſcurſus formalis completus: ità poteſt vnico iudicio naturali aſſentiri ſolùm exiſtentiæ reuelationis diuinæ, & alio ſolùm connexioni infallibili reuelationis cum obiecto reuelato, ratione ſummę veracitatis, & ex his duobus, tertium colligere, quo aſſentiatur exiſtentiæ obiecti reuelati, & complere diſcurſum formalem; ergo ſimilis diſcurſus fieri poteſt per aſſenſus ſupernaturales fidei; & probatur, inquit; fieri enim poſſunt ab habitu infuſo fidei, tùm aſſenſus immediatus, & ſupernaturalis ſolius exiſtentiæ reuelationis; tùm aſſenſus connexioni reuelationis cum obiecto reuelato, & ex his inferri poteſt tertius aſſenſus exiſtentiæ obiecti reuelati, qui ſit ſupernaturalis, & formalis concluſio diſcurſus; hæc enim concluſio eſt formalis; quia ſupponit ex ſe pręmiſſas, ex quibus deducitur; ſicut enim, inquit, aſſenſus naturales auctoritatis, & reuelationis diuinæ inferre poſſunt concluſionem formalem, quæ ipſos præuios ſupponat; ità ſupernaturales inferre poſſunt concluſionem formalem; cum non ſit maior ratio ad inferendam concluſionem formalem, ex aſſenſibus naturalibus, quam concluſionem ſupernaturalem ex aſſenſibus ſupernaturalibus.

Hac ipſa ratione Cardinalis de Lugo *loco ſupra cit. diſp. 7. ſect. 1. num. 3.* probat fidem poſſe elicere diſcurſum formalem, nimirum poſſe elicere concluſionem ex pluribus aſſenſibus fidei; quia quodlibet ex prędictis, nimirum auctoritas Dei reuelantis, connexio reuelationis cum obiecto reuelato, & exiſtentia obiecti, non ſolùm poſſunt cognoſci ſeorſim; ſed etiam ex his pluribus aſſenſibus poteſt colligi tertius aſſenſus, non quidem aſſenſus ſcientiæ, ſed aſſenſus fidei; ſed hoc fusè in reſponſione declarabitur.

Prædictæ, & ſimiles rationes ſubtiles quidem ſunt, ſed nulla earum probat concludenter, fidei diuinæ poſſe competere vim diſcurſiuam; nam fidei diuinæ proprium eſt, & eſſentiale credere, quod Deus reuelauit, & præter hunc actum nullum alium poteſt habere; nam fides, vt ſupra diximus, non eleuat intellectum, niſi ad actum credendi, qui eſt aſſentiri reuelatis à Deo, ob hoc ſolum motiuum formale obiectiuum, quia Deus illa reuelauit; nullus enim habitus poteſt exire extrà ſuum obiectum formale; obiectum autem formale fidei eſt, quia Deus reuelauit: & probatur; quia fides eſt per ſe obſcura, eſt enim fides rerum non apparentium; obſcuritas autem, & ineuidentia habitus, ſiuè actus, non aliunde oritur, niſi ex medio, ſiuè motiuo formali extrinſeco, quod eſt; quia Deus dixit: & declaratur, quoniam medium intrinſecum, quod facit apparere intrinſecam rei veritatem, eſt medium in eſſendo; ergo ex oppoſito medium extrinſecum, quod non facit apparere intrinſecam rei veritatem, eſt medium in dicendo, quia hæc duo ſunt oppoſita; oppoſitorum autem oppoſitæ debent eſſe rationes; ex quo diſcurſu ſequitur nullo pacto poſſe conuenire vim diſcurrendi fidei diuinæ, nam motiuum formale diſcurſus, eſt, quia præmiſsæ ſunt cauſa neceſsaria concluſionum; hoc autem motiuum formale eſt diuerſum ab obiecto, ſiuè motiuo formali fidei diuinæ, ſiuè quia hoc medium, eſt motiuum formale habitus illatiui, qui eſt contrariè oppoſitus habitui fidei; fides enim eſt habitus principiorum ſecundùm ſe, & abſolutè ex motiuo formali, quia Deus illa reuelauit; habitus verò diſcurſiuus, eſt ex motiuo formali, quia præmiſſæ, ex quibus deducitur concluſio, ſunt cauſa neceſsaria concluſionum; implicat autem formale, & ſpecificum vnius habitus, eſse actum formalem alterius habitus, ſpecie eſsentiali diſtincti, præſertim actus cognoſcen-

ſcen-

Digitized by Google

ſcẽdi; ſed habitus fidei cum ſit habitus principiorum ſecundùm ſe, & abſolutè; & habitus diſcurſiuus, cum ſit habitus concluſionum ex præmiſſis, ſunt habitus eſſentialiter diuerſi, & oppoſiti, vt oſtendimus; ergo implicat actum diſcurrendi eſſe actum formalem fidei, ſicut implicat actum ſentiendi eſſe actum formalem intellectus. Ex his.

Reſpondeo primò ad primam rationem Martinez de Ripalda, & cæterorum; nimirum ſcientiam infuſam animæ Chriſti Domini eſſe diſcurſiuam, quãtum ad vſum; nego verò ex hoc ſequi fidem diuinam etiã eſſe diſcurſiuam, quantum ad vſum; ſcientia enim infuſa animæ Chriſti, eſt diſcurſiua formaliter quantum ad vſum, quia eſt habitus concluſionum contractus ad humanum; fides verò diuina non eſt habitus concluſionum formaliter, ſed eſt habitus tantummodò principiorum theologiæ ſacræ viatorum ſecundùm ſe, & abſolutè conſideratorum: at implicat, vt diximus, actum formalem vnius habitus eſſe actum formalem habitus eſſentialiter diuerſi; ſicut implicat cognitionem ſenſitiuam eſſe cognitionem potentiæ intellectiuæ; nulla enim potentia cognitiua poteſt exire ſuum obiectum formale. Neque verum eſt, quod eadem ratio prorſus eſt, vt fides diuina poſſit ſuis aſſenſibus diſcurſum formalẽ cõficere, ſicut poteſt ſcientia, ſiuè habitus diſcurſiuus; quia, vt dixi, habitus ſcientiæ eſt diſcurſiuus, ex eo quod eſt habitus concluſionum, quatenus ſunt deductæ ex præmiſſis; fides autem diuina, cum ſit quædam ſpecies habitus principiorum, non eſt habitus concluſionum, ſed tantum eſt habitus principiorum ſecundùm ſe, & abſolutè.

Hæc reſponſio impugnatur à Ripalda, & à cæteris hoc medio. Intellectus viatorum eleuatus habitu fidei diuinæ, pro arbitrio voluntatis poteſt diuidere iudicium fidei in duo iudicia; alterum, quo ſolùm aſſentitur ſummæ auctoritati Dei; alterum verò, quo ſolùm aſſentitur reuelationi incarnationis diuinæ; his autem iudicijs præmiſſis cogitur, & determinatur ad inferendum tertium iudicium, quo aſſentitur exiſtentiæ incarnationis; ſed hoc tertium iudicium eſt actus illatiuus, quia elicitur ex duobus præmiſſis iudicijs; ergo fides diuina, quoad vſum poteſt eſſe illatiua; actus enim illatiuus, eſt formalis actus habitus illatiui; ergò, &c.

Sed hæc probatio facilè ſoluitur diſtinctione; poteſt intellectus habitu fidei diuinæ eleuatus, diſtinctis iudicijs, ſiuè aſſenſibus aſſentiri auctoritati Dei, & reuelationi incarnationis diuinæ, ob motiuum formale, quia Deus dixit, ſiuè reuelauit; & concedo: ob motiuum formale, quia auctoritas Dei, & reuelatio incarnationis, ſunt cauſa neceſſaria, ex qua infertur exiſtentia actualis incarnationis; & nego: quia hoc motiuum, eſt motiuum ſcientiæ, quæ eſt habitus concluſionum formaliter; habitus autem fidei non poteſt producere actum cognoſcendi extrà ſuum obiectum formale; ſicut non poteſt intellectus creatus cognoſcere cognitione ſenſitiua; neque ſenſus poteſt cognoſcere cognitione intellectiua, etiã de potentia Dei abſoluta. Dico de potentia Dei abſoluta, quia poteſt quis dicere, fidem diuinam poſſe conficere diſcurſum, ſaltem de potentia abſoluta, licet non poſſit, de lege, & potentia Dei ordinaria; ſicut poteſt potentia materialis actiua eleuari à Deo ad producendum effectum ſpiritualem productione ſpirituali. Sed hæc inſtantia facillimè ſoluitur, per diſparitatem, quæ eſt inter potentiam cognitiuam in cognoſcendo, & inter potentiam effectiuam non cognitiuam; potentia enim cognitiua in cognoſcendo non poteſt exire ſuum obiectum formale, ſicut poteſt exire potentia non cognitiua in producendo; eleuatio enim potentiæ cognitiuæ in cognoſcendo eſt ſuprà vires naturales, non ſupra ſubſtantiam potentiæ cognitiuæ; eleuatio autem potentiæ non cognitiuæ in producendo eſt eleuatio ſuprà vires, & ſuprà ſubſtantiam; fides verò diuina, cum ſit habitus, ſiuè perfectio potentiæ intellectiuæ creatæ in cognoſcendo ſuo modo, poteſt eleuari ſuprà ſuas vires connaturales, ſed infrà ſuam ſubſtantiam, non ſuprà; quod eſt dicere, fidem diuinam non poſſe eleuari in cognoſcendo extrà ſuũ obiectum formale; diſtraheretur enim à ſua ſpecifica eſſentia, quod implicat; eſſet enim fides, & non eſſet fides diuina. Quod ſi eleuaretur ſpeciali Dei concurſu fides diuina, eleuaretur ad credendum in perfectiori gradu credendi, quæ à Deo reuelantur, aut reuelari poſſunt.

Ex hac doctrina ſequitur, fidem diuinam, ſi credat duobus actibus, ſeù duobus aſſenſibus, pro arbitrio voluntatis credentis, hæc duo obiecta, nempè ſummam Dei auctoritatem, & reuelationem incarnationis Verbi Diuini, non poteſt ex his iudicijs præmiſſis inferre tertium aſſenſum, quo aſſentiatur exiſtentiæ incarnationis Verbi Diuini; nimirum Verbum Diuinum fuiſſe incarnatum, quia hic aſſenſus illatiuus eſt ſuprà ſubſtantiam fidei diuinæ; quia eſt extrà eius obiectum formale, à quo ſpeciem

ſu-

Digitized by Google

sumit; sed solum potest elicere suis viribus alium actum credendi, nimirùm quo credat filium Dei fuisse incarnatum, ob hoc solùm motiuum formale; quia Deus reuelauit incarnationem Verbi Diuini: sed hic actus illatiuus potest fieri ab habitu theologico, qui est habitus illatiuus, & argumentatiuus; non quidem, quia habitus theologicus illatiuus possit inferre actum fidei, quo assẽtitur actuali incarnationi Verbi Diuini, ex duobus iudicijs, siuè assensibus, quibus credidit illa duo obiecta seorsim; nempè auctoritatem Dei, & reuelationem incarnationis Filij Dei, sed ex alio actu theologico, quo assentitur prædictis duobus obiectis sub motiuo formali, quia sunt causa necessaria assensus, quo assentitur actuali existentiæ incarnationis Verbi Diuini, qui quidem actus, est actus theologiæ sacræ, quæ est habitus conclusionum ex reuelatis à Deo. Doctrina hæc in terminis non est contrà S. Thomam *in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 3. ad 3.* vbi docet, quod principia speculatiua cognoscũtur per alium habitum, quam conclusiones, scilicet principia per intellectum, scilicet per habitum principiorum; conclusiones verò per scientiam: loquitur enim S. Thomas eo loco de cognitione principiorum secundùm se, & absolutè; non autem de cognitione principiorum, quatenus sunt causa necessaria conclusionum; quia hoc motiuum formale nõ est obiectum formale fidei; sed scientiæ, & hæc explicatio clarissimè datur à S. Thoma 1. 2. *quæst. 57. art. 2. ad 2.* Vtique si Auctores contrariæ sententiæ demonstrarent habitu fidei cognosci principia reuelata sub motiuo formali, quia sunt causa necessaria conclusionum; demonstrarent etiam fidem esse discursiuam formaliter; at hoc omninò implicat, quia fides diuina est quædam species habitus principiorum, cum sit habitus articulorum fidei secundùm se, & absolutè, ex quibus theologia sacra deducit suas theologicas conclusiones; sed ex alio motiuo formali, formaliter diuerso.

Respondeo secundò, quod habitus fidei diuinæ pro arbitrio credentis, potest diuidere ea iudicia, quibus assentitur diuersis obiectis, non quidem diuisione, quæ inuoluit causalitatem vnius diuisi ab alio; sed solùm diuisione, quæ dicit præcisam, & nudam successionem vnius diuisi post aliud; & hæc diuisio non est actus habitus illatiui, siuè discursiui, nimirum habitus conclusionum; sed solùm est diuisio plurium secundùm præcisam successionem, quæ potest competere etiam habitui principiorum. Auctores autem contrariæ sententiæ non probant primum; sed tantummodò secundum.

Responsio hæc potest alio medio difficiliori impugnari; quia scientia, quæ est habitus illatiuus, potest etiam assentiri conclusioni propter præmissas sine vllo discursu; sed hoc dato, non implicat fidem diuinam esse discursiuam; ergo, &c. Minor, in qua est difficultas, probatur; nam fides non potest esse discursiua, quia contrariè, & positiuè opponitur scientiæ, quæ est habitus illatiuus; quia scilicet scientia est illatiua conclusionum ex præmissis; fides autem diuina non item; sed hæc oppositio non datur, quia vt diximus, scientia illatiua conclusionum potest assentiri conclusioni propter præmissas sine vllo discursu; ergo, cum in hoc nulla sit oppositio, & contrarietas, poterit fides diuina assentiri cum discursu.

Hæc instantia petit ad sui plenam solutionem examen duarum difficultatum, quas examinant fusè, & Logici, & Methaphysici.

Prima est, an eodem actu assentiamur conclusioni deductæ, & præmissis.

Secunda est, an stante assensu vtriusque præmissæ possit intellectus, non assentiri conclusioni, quæ deducitur ex talibus præmissis.

Quoad primam difficultatem sunt tres sententiæ.

Primò, quidam asserunt scientiam eodem actu assentiri conclusioni deductæ, & præmissis; idque probant hac ratione fundamentali; quia præmissæ continent rationem formalem assentiendi conclusioni; sunt enim causa conclusionis, saltem in cognoscendo: non enim datur assensus sine ratione formali assentiendi; sed hoc satis est, vt eodem actu scientia assentiatur conclusioni, & præmissis; vnicus enim actus est ad obiectum materiale, & ad rationem formalem obiecti, & hæc sententia videtur Durandi *in 2. dist. 38. quæst. 3.*

Secundò, alij oppositam partem tuentur, scilicet impossibile esse scientiam eodem actu assentiri conclusioni deductæ per præmissas, tamquam per rationem formalem assensus, & hæc sententia est Ariminensis *in 1. dist. 1. quæst. 1. art. 2.* & ratio fundamentalis est, quia notitia conclusionum causatur à notitia præmissarum; quia cognitio effectus causatur à cognitione causæ; sed causa, & effectus, non sunt vnus actus indiuisus; causa enim est, quæ communicat esse effectui à se distincto realiter. Huic rationi additur auctoritas Aristotelis

*in*

*in libris posteriorum*, quod præmissæ sunt certiores, & euidentiores conclusione per maximam; propter quod vnum quodque tale, & illud magis; sed si idem esset actus assentiendi conclusioni, & præmissis, idem actus respectu sui ipsius esset certior, & minus certus, euidentior, & minus euidens.

Tertiò, alij soluunt difficultatem distinctione; dicunt enim, habitum illatiuum conclusionum, qui est scientiæ sub diuerso motiuo formali, posse assentiri eodem actu conclusioni, & præmissis, & vno actu posse assentiri pręmissis, & alio actu conclusioni deductæ ex præmissis, scilicet quando conclusio sumitur, vt obiectum materiale, & præmissæ, vt obiectum formale tunc scientia cognoscit eodem actu conclusiones, & præmissas; quando verò tàm præmissæ, quàm conclusio sumuntur, vt duo obiecta formalia diuersa in ratione scibilis, tunc non eodem actu scientia assentitur conclusioni, & præmissis; sed vno actu assentitur conclusioni, & alio actu diuerso in priori, vel naturæ, vel temporis assentitur præmissis: & ratio fundamentalis est; quia actus scientiæ, sicut sumit sui vnitatem ab vnitate obiecti formalis, itá diuersitatem à diuersitate obiecti formalis; tunc autem conclusio, & pręmissæ sumuntur sub diuersis obiectis formalibus, quando scientia assentitur prius præmissis inquantum sunt causa conclusionis; conclusio verò in posteriori accipitur formaliter, quia est effectus; nam causa vt causa formaliter, & effectus vt effectus sunt diuersæ rationis, cum causa vt causa sit independens, effectus autem vt effectus sit dependens; quando verò præmissæ sumuntur, vt obiectum formale, & conclusio vt obiectum materiale, tunc est vnum solum motiuum formale.

Hęc tertia sententia verior est, quam duæ præcedentes; sed non assignat rationem, vnde scientia, quę est habitus illatiuus conclusionum habet, vt possit vtroque modo cognoscere conclusiones, & præmissas, quam necessariò scire debemus, vt cognoscatur quare hoc ipsum non possit habere fides diuina, quod pertinet ad soluendam supradictam instantiam. Equidem ad hanc causam explicandam, sumo doctrinam à S. Thoma, non solùm *locis supra cit.* sed etiam 1. *par. quæst.* 14. *art.* 1. *ad* 2. *& art.* 7. & quidem scientia duo habet; primò, est scientia formaliter, & sic est formaliter solùm habitus conclusionum, seu dicit solùm cognitionem conclusionum vt sic; quia per hoc adęquatè contradistinguitur ab habitu principiorum, qui dicitur intellectus principiorum; qui in creatis, cum sit intrinsecè limitatus, est distinctus realiter ab habitu conclusionum, qui est scientia, nec rapit ad vnā sublimiorem formalitatem habitum principiorum, & habitum conclusionum. Secundò, est habitus conclusionum contractus ad habitum conclusionum, creatum, non cuiuscumque intellectus creati; sed intellectus creati humani, qui est intellectiuum incompletum in ratione intellectiui; quippe intellectus humanus est potentia animæ intellectiuæ, quæ non est completa in specie intellectiui; sed est forma corporis, quæ est pars naturæ humanæ: quatenus scientia non est discursiua formaliter, sed solùm dicit cognitionem conclusionum vt sic, & secundùm hanc rationem reperitur non solùm in Angelis, sed etiam in Deo; quia cum scientia vt sic accepta præscindat ab imperfectionibus, potest transferri in Deum formaliter, sicut & cæterę similes perfectiones, præcisa ab eis imperfectione; at secundum quod est habitus intellectus creati humani, vt discursiui, qui est intellectiuum inadæquatum in specie, est habitus discursiuus, quia est perfectio intellectus humani creati, quatenus est illatiuus conclusionum: & probatur, quia intellectus humanus, vt illatiuus conclusionum ex præmissis, est cognitiuus inadæquatis, & imperfectis cognitionibus successiuis, non solùm sine vlla dependentia vnius cognitionis ab alia, qui est discursus secundum præcisam successionem actuum cognitionis; sed etiam cum dependentia, & causalitate vnius actus ab alio.

Quod si dicas ex hoc discursu sequi, adhùc fidem diuinam esse discursiuam in intellectu creato humano; & probatur, quia ratio cur scientia in intellectu creato est discursiua, à nobis assignatur hæc, quia scientia humana, est perfectio potentiæ intellectiuæ inadæquatę in ratione intellectiui; per hoc enim distinguitur scientia humana a scientia Angelica; illa enim est discursiua, quia est scientia intellectiui inadæquati, hæc autem est scientia intellectiui adæquati in specie; sed fides diuina in hominibus viatoribus est adhùc perfectio intellectus inadæquati in ratione intellectiui; ergo, &c.

Respondeo, nego sequelam. Ad probationem, nego maiorem, siuè causalem ratio enim, cur scientia humana, sit discursiua formaliter, est quia est habitus intellectus humani, inquantum est potentia discursiua formaliter, quod competit solùm scientiæ, & non fidei diuinæ: & disparitas à priori est, quia scientia est habitus conclu-

sionum formaliter vt sic, & ideò est perfectiuus intellectus, quatenus est potentia discursiua, quia potentia discursiua est illatiua formaliter; hæc autem directè, & formaliter, est conclusionum; fides verò, cum sit habitus principiorum secundùm se, & absolutè, ex quibus theologia sacra suas deducit conclusiones, non perficit intellectum creatum humanum, secundùm quod est discursiuus, siuè illatiuus; sed tantùm perficit intellectum humanum, quatenus est cognitiuus principiorum secundùm se, & absolutè, non autem, vt causa conclusionum; & responsio hæc adnotanda est, quia à prima radice explicat diuersitatem, cur fides diuina non possit esse discursiua.

Potest hæc doctrina explicari primò, exemplo potentiæ actiuæ, quæ in rebus creatis, non solùm est principium actionis, sed etiam effectus; esse principium effectus competit potentiæ actiuæ, quatenus potentia actiua formaliter; quia agens vt sic, habet suum conceptum agentis formaliter, per hoc quia est principium effectus; esse verò principium actionis, qua producitur effectus, competit potentiæ actiuæ, quatenus est potentia actiua creata, siuè agentis creati, in quo essentia agentis non est sua actio, sicut in Deo, sed aduenit illi, vt accidens quoddam distinctum, & ideò potest esse principium suæ actionis, quod non potest competere potentiæ Dei, quia in Deo essentia est sua existentia formaliter. Secundò explicatur exemplo voluntatis creatæ, quæ ex diuerso motiuo formali, potest ferri eodem actu in finem, & in medium ad finem, & etiam potest ferri diuersis actibus ad finem, & ad media ad finem; quia finis dupliciter sumi potest; vno modo absolutè, siuè secundùm se; alio modo vt causa, siuè secundùm quod est ratio volendi ea, quę sunt ad finem, quæ sunt media in finem: absolutè, & secundùm se fertur voluntas actu diuerso, & distincto ab actu, quo vult media ad finem; imò prius vult finem, postea verò media ad finem, sicut cum aliquis primò vult sanitatem, & postea deliberans, quomodo possit sanari, vult media, vt sanetur. Doctrina hæc quantum ad potentiam actiuam est S. Thomæ 1. *par. quæst.* 25. *art.* 1. *ad* 3. quantum verò ad voluntatem, est ci[illegible]m Angelici Doctoris 1. 2. *quæst.* 8. *art.* 3. *in corpore.* Pariter scientia, quatenus sciētia formaliter, vnico actu fertur ad principia, quatenùs sunt causa necessaria conclusionum, & ad conclusiones, quia conclusiones accipiuntur, vt obiectum materiale; principia verò vt obiectum formale; quatenùs verò scientia est contracta ad scientiam creatam humanam, vt perfectio intellectus humani discursiui, est productiua plurium actuum cum ordine causalitatis vnius ab alio.

Quoad secundam difficultatem, an detur assensus conclusionis simul, atque completus est assensus præmissarum, scilicet, cum completus est assensus minoris. Res difficilis est, & dubitationem proposuit Aristoteles *in libris poster. cap.* 1. & videtur esse eius sententia, vt statim, atque est assensus completus, vsque ad minorem inclusiuè, simul consequatur assensus conclusionis, vt non possit intellectus non assentiri.

Examinat hanc quæstionem egregiè Scotus *quæst.* 8. *lib.* 1. *poster.*

Opinantur nonnulli, præsertim Recentiores, non esse assensum conclusionis post completum assensum minoris.

Fundant suam opinionem, tùm in potentia intellectus, tùm in libertate voluntatis: nam intellectus, inquiunt, non potest duo simul directè intelligere; & voluntas pro sua libertate habet, dum est completus assensus minoris, suspendere, aut saltem diuertere intellectum, à quouis nouo assensu; semper enim effectus sua causa natura posterior est; vbi verò causa libera est ad suspendendum suum concursum, & potentiarum sibi obedientium; non dubium est, quin possit efficere, vt nō sequatur effectus. Hanc difficultatē distinctione resoluo, & quidem.

Primò, necessitatur intellectus necessitate specificationis, completo assensu vsque ad minorem inclusiuè ad assentiēdum conclusioni; scilicet, non potest elicere alium assensum conclusionis, nisi eum, qui nascitur ex præmissis, si scilicet aliquem actum vult deducere; & fundamentum est; quia intellectus est causa determinata à ratione formali assentiendi; omnis enim determinatio est à forma: sed ratio formalis siue motiuum formale obiectiuum, est forma intellectus ad assentiendum; ergo intellectus eum actum eliciet, qui est conformis rationi formali assentiendi præmissis. Hoc pacto si quis viderit omnem hominem esse animal, & hunc esse hominem, non potest dissentire, quod hic non sit animal, si velit elicere conclusionem ex præmissis. Hoc dictum nemo negare potest, solum vertitur in dubiu de necessitate exercitij, idest an cōpleto assensu, vsque ad minorem inclusiuè necessitate exercitij possit elicere conclusionem conformem præmissis; hoc autem dubium sic resoluo.

Secundò cognitis præmissis, siuè completo

pleto

pleto assensu vsque ad minorem, necessitatur intellectus necessitate exercitij, simul tempore cognoscere conclusionum, si tamen præmissæ cognoscantur in ratione causæ in actu. Doctrina hæc est Scoti *loco citato*, nec aliena à doctrina S. Thomæ, cui notissimum est, causæ in actu correspondere effectum in actu simul tempore: dico simul tempore, & non simul natura; nam causa, vt causa in vniuersum, est prior natura suo effectu, non tempore. Verùm si præmissæ non cognoscuntur in ratione causæ in actu, vel si non applicentur in ratione causę, non oportet simul tempore conclusionem cognoscere, & hoc etiam est expressa doctrina Scoti.

Prima pars dicti fundatur in hoc, quia quia causa in actu, est principium in actu essendi effectus; sed eadem sunt principia essendi, & cognoscendi ex Aristotele *lib. 2. methaph.* ergo cognitis præmissis in ratione causæ in actu, simul tempore cognoscitur conclusio. Explicatur ratio; cognoscuntur præmissæ in ratione causæ in actu; causa autem in actu vt sic, non potest non influere actu, necessitate nimirum suppositionis; ergo necessariò simul tempore causatur conclusio, quod est dicere simul tempore cognoscitur conclusio correspondens præmissis.

Secunda pars dicti; fundatur primò in Aristotele *lib. 2. priorum*, vbi docet Aristoteles contingere, quod cognoscatur, omnem Mulam esse sterilem, & hanc esse Mulam, & ignorare, hanc esse sterilem; non cognoscendo, nimirum pręmissas sub ratione consequentiæ; & hæc Aristotelis doctrina fundatur etiam in ratione, quia minor dupliciter est cognoscibilis, & in se, & vt sub maiori contenta; dato hoc, possunt cognosci præmissæ, non cognoscendo conclusionem, & possunt cognosci cognoscēdo simul tempore conclusionem: & radix huius à priori est, quia præmissæ sunt causa in actu conclusionis, quando cognoscuntur in ratione causæ in actu, nimirum quando cognoscuntur applicatæ in ratione causæ in actu. Hęc distinctio, & doctrina clariùs, & meliùs intelligitur ex alia distinctione, quam docet Aristoteles *lib. 2. prior.* scilicet quod contingit scire dupliciter, & in vniuersali, & in particulari; & hoc rursùs dupliciter potest contingere, in actu, & in habitu. In vniuersali scitur conclusio, quando cognoscitur maior, non cognita minore, nec etiam conclusione secundùm se; quia, inquit Scotus, cognoscendo hanc propositionem, omnis Mula est sterilis, cognoscitur in vniuersali, quod hæc Mula est sterilis; alio modo cognoscitur conclusio in particulari, & habitu, quando cognoscuntur maior, & minor, sed tamen minor propositio non consideratur actu esse sub maiori: & istis duobus modis, priùs natura, & etiam tempore cognoscuntur præmissæ, quam conclusio. Tertio modo, dicit idem Scotus, cognoscitur conclusio actu, quando scilicet cognoscitur maior, & etiam minor propositio, & amplius cognoscitur minorem actualiter esse sub maiori; sic enim, quia fit applicatio præmissarum, siuè quia cognoscuntur pręmissæ in ratione causæ in actu, impossibile est prius tempore cognosci præmissas, quam actu cognoscatur conclusio. Hac distinctione facilè soluuntur rationes illorum, qui dicunt non necessariò esse assensum conclusionis post completum assensum minoris; prima quidem cum dicunt, quod intellectus non potest duo simul directè intelligere, quæ enim subordinata sunt simul intelligi possunt; imò impossibile est cognoscere causam in actu, & non effectum: & ratio huius est, tùm quia in subordinatis, vnum est ratio formalis assentiendi alteri, scilicet præmissæ sunt ratio formalis assentiendi conclusioni; alterum verò est materiale obiectum, scilicet conclusio, cui præbetur assensus; tùm etiam quia causa in actu est id, à quo actu dependet effectus; tùm tertio quia sunt vnum formaliter.

Secunda ratio etiam soluitur; negando quod in quocunque casu, & quacunque suppositione facta, voluntas potest prohibere potentias sibi subordinatas ab actibus suis, neque enim magis libera est voluntas ad suspendendum iudicium intellectus adhibito iam assensu maiori, & minori propositioni circà conclusionem, quam sit libera voluntas ad prohibendum actum sensus, e. g. visus, cum ei debitè præsens est obiectum; & secundùm doctrinam moralem in Ethicis Aristotelis, & scholasticam Theologorum, in ipsamet voluntate, si sit voluntas efficax finis, & vnum tantum sit medium, hac positione facta, non est libera voluntas ad respuendum hoc vnicum medium: communis autem doctrina ad hoc soluendum, est, quia necessitas repugnans libertati, est necessitas absoluta, non conditionata; necessitas autem in casu nostro, est conditionata, non absoluta.

His explicatis facilè soluitur instantia facta ad probandum, esse discursiuum formaliter non repugnare fidei diuinæ; concedo enim habitum scientiæ in generali, quatenus scientia est formaliter, præscin-

diuina formaliter contradistinguitur ab habitu theologico conclusionum ex reuelatis à Deo; sed hæc contradistinctio formalis, & essentialis potest haberi ex alio capite, quam ex eo quia fides diuina non est habitus discursiuus; habitus verò theologicus conclusionum ex reuelatis à Deo, est habitus discursiuus; ergo ratio allata nulla est. Minor, in qua est difficultas probatur, nam habitus fidei differt ab habitu conclusionum ex reuelatis à Deo; primò quia habitus fidei diuinæ immediatè innititur auctoritati Dei reuelantis; credimus enim Deum esse trinum in personis, & vnum in natura, quia hoc Deus reuelauit, non autem vigore alicuius rationis hoc demonstrantis; nulla enim ratio adduci potest conuincens intellectum ad assentiendum huic mysterio. Habitus verò theologicus conclusionum ex reuelatis à Deo innititur immediatè rationi; assentimur enim huic veritati: in Christo Domino sunt duæ voluntates, quia in Christo Domino sunt duæ naturæ intellectuales diuina, & humana; hinc S. Augustinus dicere solebat *in libro de vtilitate credendi, cap. 21.* quod credimus, demus auctoritati reuelantis; quod intelligimus, demus rationi.

Secundò differt fides diuina ab habitu theologico conclusionum, quia licet vterque habitus essentialiter fundetur in auctoritate infallibili Dei reuelantis, tamen fides diuina immediatè, & adæquatè; immediatum enim, & totale motiuum cur intellectus mouetur ad assentiendum principijs theologicis, est quia Deus illa reuelauit; habitus autem theologicus non fundatur immediatè, & adæquatè in auctoritate infallibili Dei reuelantis, scilicet in hoc motiuo formali, & adæquato, quia Deus dixit, seù reuelauit propositiones, ex quibus Theologus in via theologicas deducit conclusiones; sed solùm mediatè, & remotè, quatenus scilicet resoluit suas conclusiones in principia immediatè à Deo reuelata, sicut & omnes aliæ scientiæ naturales resoluunt suas conclusiones in principia prima, quæ sunt cognoscibilia sola propria suorum terminorum explicatione; motiuum verò proximum, & immediatum inducens intellectum ad assentiendum conclusionibus theologicis, est quia in præmissis est causa necessaria conclusionum, vt in exemplo proximè adducto de duplici voluntate in Christo Domino videre est.

Tertiò, distinguitur fides diuina ab habitu theologico ex reuelatis, quia fides, quę est habitus principiorum, est per se, & essentialiter ineuidens, & obscurus; definitur enim fides essentiali definitione, substantia sperandarum rerum argumentum non apparentium; quam ob causam implicat fidem remanere in Patria: habitus autem theologicus conclusionum ex reuelatis est solùm ineuidens, & obscurus accidentaliter, quia hoc prædicatum conuenit theologiæ sacræ viatorum, non à suo obiecto formali, à quo specificatur, sed ratione subiecti, in quo est pro statu viæ.

Quartò differt, quia assensus fidei principijs reuelatis à Deo est voluntarius, & liber; credimus enim, quia volumus; assensus autem conclusionum, qui est actus habitus theologici, non est voluntarius, & liber, sed necessarius, quia est assensus scientificus; scientia autem cogit intellectum ad assentiendum conclusioni ex præmissis, quæ sunt necessaria causa, vt prædicatum insit subiecto in conclusione; hanc doctrinam expressè docet S. Thomas *de verit. quæst. 14. art. 1.* dicens, quod intellectus determinatur à duobus ad totaliter assentiendum: primò ab obiecto intelligibili; quælibet enim potentia mouetur à suo obiecto formali primario: secundò, à voluntate; voluntas enim mouet omnes potentias animæ ad proprias suas operationes, & hoc intelligitur quantum ad exercitium, siuè quantum ad vsum.

Respondeo cum distinctione, vis nostræ rationis fundatur in hoc, quia habitus fidei diuinæ distinguitur ab habitu theologico conclusionum infra habitum vt sic, abstrahentem ab habitu principiorum, & ab habitu conclusionum dependentium ex principijs, siuè virtualiter, siuè formaliter, & concedo: infrà habitum conclusionum dependentium ex principijs saltem virtualiter, & nego; distinctio autem habitus principiorum, & habitus conclusionum infrà habitum vt sic, abstrahentem ab vtroque per se, & primò fit per differentias formales, siuè essentiales, quæ conueniunt eis per se primò a suo obiecto, siuè motiuo formali; hæc autem motiua formalia sunt, quia obiectum, siuè motiuum formale habitus principiorum, sunt principia secundùm se, & absolutè sumpta; motiuum verò, siuè obiectum formale habitus conclusionum sunt conclusio, vt effectus sequens ex præmissis, siuè formaliter, siuè virtualiter; esse verò discursiuum nullo pacto potest conuenire habitui principiorum, vt principia formaliter, & absoluta, quia esse discursiuum est differentia immediatè cōstituens habitum humanum conclusionum vt sic; habitus verò humanus conclusionum

for-

formaliter, est habitus discursiuus, abstrahens à discursiuo, discursu formali; & à discursiuo, discursu virtuali; habitus enim conclusionum est habitus illatiuus: conclusio enim vt conclusio formaliter, est effectus præmissarum, siuè virtualiter, siuè formaliter. Neque hæc doctrina obstat doctrinæ modo allatæ, cum diximus habitum conclusionum diuidi in habitum discursiuum & non discursiuum; nam hoc intelligitur de habitu discursiuo discursu formali, quia habitus cóclusionum potest esse discursiuus formaliter, vt in nobis; vel sine discursu formali secundum causalitatem vnius actus ab alio. Cæteræ verò omnes differentiæ, allatæ ab Auctoribus contrariæ sententiæ, sunt differentiæ, vel accidentales, vel conuenientes habitui principiorum, & habitui conclusionum ex alio capite; nos autem hic loquimur de differentijs per se primis, & essentialibus, quibus distinguuntur inter se habitus principiorum, & habitus conclusionum, quæ sunt species immediatę habitus intellectualis vt sic, abstrahentis ab habitu principiorum, vt principia formaliter; & ab habitu conclusionum, vt conclusiones formaliter. Notanter dixi, quod habitus humanus conclusionum est habitus discursiuus; quia causa adæquata cur habitus sit discursiuus, præsertim discursu formali, non solùm est, quia habitus est conclusionum formaliter, quia hoc prædicatũ habet etiam scientia Angelica, quæ intra scibile naturale nullo pacto est discursiua formaliter; sed etiã quia est habitus intellectus humani, quatenus est potentia discursiua; habitus enim est perfectio potentiæ cognitiuæ in sua latitudine formali: verùm habitus ex eo, quod est præcisè habitus conclusionum, est discursiuus virtualiter; quia conclusio vt conclusio sequitur ex præmissis, saltem, tamquam ex causa virtualiter: & hinc oritur, quod habitus conclusionũ, vt conclusionum formaliter ex suo genere est discursiuus, abstrahendo à discursiuo formaliter, & à discursiuo virtualiter. Est discursiuus virtualiter, quatenus formaliter est habitus conclusionum, quod commune est omni scientiæ, vt contradistinctæ ab habitu principiorum: est verò habitus conclusionum discursiuus formaliter adæquatè, quatenùs est simul, & habitus conclusionum, & etiam habitus potentiæ intellectiuæ intelligentis, inadæquatis, & imperfectis cognitionibus; hæc autem potentia intellectiua est intellectus creatus humanus, & etiam intellectus Angelicus, quatenus cognitiuus suo lumine naturali rerum supernaturalium, vt fusè probabitur *in quæstione de cognitione Angelorum*.

Hæc responsio, & doctrina, quæ est in terminis S. Thomæ, impugnatur à Martinez de Ripalda, & alijs, hoc medio. Cum habitus indiuisibilis influit in assensum immediatum vtriusque præmissæ obiectiuæ, rectè potest idem influere in conclusionem: at habitus fidei diuinæ influit in assensum immediatum vtriusque præmissæ; ergo influit etiam in conclusionem; at hoc satis est, vt fides diuina sit habitus discursiuus, quia est habitus intellectus humani, & etiam conclusionum: quæ duo satis sunt, vt modò diximus ad rationem habitus discursiui. Maior principalis argumenti probatur; nam actus eliciti ex eodem obiecto formali pertinent ad eundem habitum, quando assensus vtriusque præmissæ obiectiuæ est immediatus; sed actus influendi in præmissas, & in conclusiones in fide, est ex eodem obiecto formali; ergo, &c.

Respondeo primò distinguo maiorem: cum habitus indiuisibilis influit in assensum immediatum vtriusque præmissæ, inquantum præmissæ sunt causa necessaria conclusionis, & concedo; si sumantur præmissæ secundùm se, & absolutè, & nego: habitus fidei diuinæ influit in assensum immediatum vtriusque præmissæ in assensu theologico; si considerentur, inquantum sunt causa necessaria conclusionis, & nego; hæc enim consideratio pręmissarum inquantum sunt causa conclusionis pertinet ad scientiam theologicam, assensus autem in præmissas, secundùm quod sunt principia secundùm se, & absolutè, est actus fidei; sed fides non se extendit ad conclusiones, vt conclusiones formaliter. Doctrina hæc in terminis est S. Thomæ 1. 2. *quæst. 57. art. 2. ad* 2. vbi docet, quod principia demonstrationis possunt cõsiderari dupliciter; vno modo absolutè, & secundùm se, scilicet seorsum absque hoc, quod considerentur conclusiones; & hoc modo pertinent ad habitum principiorum, qui dicitur intellectus: alio modo simul cum conclusionibus, prout principia in conclusiones deducuntur, nimirum prout principia sunt causa conclusionum; sic enim principia deducũtur in cõclusiones; & hoc secundo modo considerare præmissas, scil. principia, pertinet ad scientiam, quæ considerat etiam conclusiones: hoc ipsum etiam docet S. Thomas, 1. 2. *quæst. 8. art. 3. in corpore*, de voluntate, quę dupliciter potest velle finem; vno modo absolutè, & secundùm se; alio modo sicut rationem volendi ea, quæ sunt ad finem;

& ra-

& ratio à priori huius doctrinæ eſt, quantum nunc occurrit, quia habitus principiorum contradiſtinguitur formaliter ab habitu ſcientiæ, vt ſuprà probauimus; ſed hæc eſt concluſionum formaliter, quia eſt demonſtratiua paſſionum de ſuo ſubiecto, quę ſe extendit, & ad principia etiam inquantum ſunt cauſa concluſionis; ergo ex oppoſito habitus principiorum non ſe extendit ad principia, ſecundùm quod ſunt cauſa concluſionum, ſed ſolùm ad principia ſecundùm ſe.

Reſpondeo ſecundò, quod dupliciter poteſt habitus fidei influere in aſſenſum immediatum concluſionis ex eo, quod influit in aſſenſum immediatum pręmiſſarum; vno modo ſi concluſio ſumatur, vt reuelata in præmiſſis in generali, & implicitè; alio modo ſi concluſio ſumatur, vt concluſio formaliter: ſi ſumatur primo modo concluſio, cōcedo habitum fidei diuinæ, influentem in præmiſſas, influxu fidei immediato, poſſe influere etiam immediatè in concluſionem; ſed hic influxus non eſt actus ſcientiæ contradiſtinctus ab habitu principiorum, ſed eſt actus fidei: ſi verò ſumatur concluſio, ſecundo modo, vt concluſio formaliter, nego fidem diuinam poſſe influere immediatè in aſſenſum concluſionis, quia adhoc requiritur, vt fides influat in aſſenſum præmiſſarum, quatenus ſunt cauſa neceſſaria concluſionis; ſed hoc non poteſt fides diuina, quia non poteſt exire extrà ſuum obiectum, ſiuè motiuum formale; hoc autem obiectum formale eſt aſſentiri reuelatis, quia Deus illa reuelauit: præterea habitus principiorum eſt tantummodò conſiderare principia ſecundùm ſe, & abſolutè; ſecùs non diſtingueretur ab habitu ſcientiæ, quæ aſſentitur præmiſſis inquantum ſunt cauſa concluſionis, & aſſentitur concluſioni inquantum eſt effectus principiorum, id quod ſi fiat cum ſucceſſione actuum, per quorū vnum priùs aſſentitur principijs vno actu, & poſteriùs aſſentitur concluſioni alio actu, vt ſequenti ex principijs, erit diſcurſus formalis cauſalitatis; ſi verò fiat actu, quo aſsentitur principijs, vt cauſæ aſsentiendi concluſioni, & ipſi concluſioni, vt obiectum materiale, aſsenſus erit habitus diſcurſiui tantùm diſcurſu virtuali.

Adhùc inſtant Aduerſarij: fides diuina non poteſt eſse habitus diſcurſiuus, quia fides diuina obiecto, ſiuè motiuo formali diſtinguitur ab habitu diſcurſiuo; vnus autem habitus non poteſt elicere actum extrà ſuum obiectum formale; ſed hæc diuerſitas obiecti formalis non eſt ſufficiens cauſa, vt fides non poſſit elicere actus diſcurſiuos: & probatur; quia dantur habitus diſcurſiui eſſentialiter diuerſi, diuerſitate obiecti, & motiui formalis, vt ſunt ſcientia ſubalternata, & ſubalternans, puta phyſica, & methaphyſica.

Reſpondeo, quod duplex eſt diuerſitas ſcientiæ ex obiecto, ſiuè motiuo formali; alia eſt infrà habitum intellectualem abſtrahentem ab habitu principiorum, & ab habitu concluſionum formaliter; & alia eſt infrà habitum concluſionum formaliter: diuerſitas habitus intellectualis ex diuerſitate formali obiecti, ſiuè motiui formalis infrà habitum intellectualem abſtrahentem eſt cauſa, vt habitus principiorum non ſit habitus diſcurſiuus; non autem diuerſitas formalis ex diuerſitate formali obiecti formalis, habitus contracti ad habitum concluſionum formaliter: & ratio eſt, quia habitus abſtrahens à diſcurſiuo, & non diſcurſiuo, eſt qui diuiditur in habitum principiorum ſecundùm ſe, & in habitum concluſionum, vt ſic; nam conceptus communis eſt diuiſibilis per differentias oppoſitas, à quibus formaliter præſcindit; hæ verò differentiæ ſunt eſſe habitum principiorum ſecundùm ſe, & eſſe habitum concluſionum formaliter: prima differentia conſtituit habitum principiorum; ſecunda verò conſtituit habitum concluſionum, vt concluſionum formaliter, qui diuiditur in habitum diſcurſiuum diſcurſu virtuali. Scientia naturalis in Angelis, intrà ſcibile naturale, eſt diſcurſiua virtualiter; in hominibus verò eſt diſcurſiua formaliter. Vtrum autem in Deo detur diſcurſus formalis virtualiter, ſuo loco hoc punctum examinabitur; quantum nunc video nulla apparet implicantia, vt detur in Deo diſcurſus virtualiter, ſicut vlla apparet repugnantia, vt in Deo ſit cauſa, & effectus virtualiter.

Ad tertiam rationem, qua Aduerſarij oſtendunt fidem diuinam poſſe eſſe diſcurſiuam ex eo; quia cognitio, quæ poteſt fieri abſque præuia motione præmiſſarum, quin ſit per ſe concluſio, poteſt fieri materialis concluſio comparata per diſcurſum ex præuio concurſu præmiſſarum; quod probant hoc medio; quia hic, & nunc elicitur ab intellectu, ex præuia motione illarum, non elicienda nunc, ſi non præceſſiſſet talis præmiſſarum motio; ergo etiam aſſenſus obiecti reuelati elicitus à fide, poterit etiam elici ex tali præuio iudicio; nam nulla apparet ratio, ob quam huiuſmodi illatio repugnat fieri; hic autem eſt diſcurſus formalis, qui eſt conſequentia vnius ab alio.

Re-

Respondeo, distinguo antecedens, potest fieri materialis conclusio comparata per discursum habitus theologiæ sacræ, qui est habitus conclusionum theologicarum, & concedo: potest fieri conclusio per discursum comparata ex præuio concursu, quo creduntur præmissæ, qui est habitus fidei diuinæ formaliter, & nego: actus enim illatiuus conclusionis non causatur ab actu, quo habitus principiorum percipit principia, sed ab actu scientifico, quo cognoscuntur principia, non quidem secundùm se, sicut cognoscuntur ab habitu principiorum, sed cognoscuntur principia applicata in ratione causæ in actu conclusionis, quod ex eo notum fit, quia habitus discursiuus debet esse elicitiuus duorum actuum; est elicitiuus vnius actus, quo priùs cognoscit præmissas, vt causam in actu conclusionis; posteriùs verò est elicitiuus alterius actus ex priori actu causati, quo assentitur conclusioni; discursus enim in suo essentiali dicit plures actus, vnum ex alio causatum, & consequenter vnum causatum priùs, alium causatum posteriùs ab habitu, & hæc successio causalitatis constituit discursum formaliter: Aduersarij autem opinantur ex assensu, quo fides assentitur principijs secundùm se, immediatè posse elici à fide alium actum, quo assentitur conclusioni: sed hoc est impossibile; quia actus illatiuus conclusionum causatur ab actu, siuè assensu, quo percipiuntur, & applicantur principia in ratione causæ; hic autem actus repugnat esse à fide, & vniuersaliter ab habitu principiorũ; quia hic est actus habitus discursiui, qui est productiuus; & assensus quo assentimur præmissis vt causæ; & actus posterioris, quo assentimur conclusioni, vt deductæ ex præmissis; habitus autem principiorum solùm est perceptiuus secundùm se, & absolutè, vt latè ostendimus, & hæc doctrina valdè notanda est, quia ex ea pendet veritas huius articuli.

Ad quartã rationem Martinez, quod per assensus naturales potest fieri discursus formalis ex auctoritate, & reuelatione diuina ad obiectum reuelatum, ex eo quia inter obiectum formale, & materiale fidei inuenitur connexio necessaria, quæ ad discursum formalem sufficiens est.

Respondeo, distinguo antecedens, potest fieri discursus formalis ex auctoritate, & reuelatione diuina ad obiectum reuelatum per assensus naturales, qui sunt actus habitus illatiui, & discursiui, & concedo: per assensus naturales, qui sunt actus fidei, & nego: & ratio est manifesta ex supradictis, quia assensus fidei est circa principia secundùm se, & absolutè sumpta; actus verò illatiuus in discursu formali fit per assensum, quo assentimur priùs præmissis inquantum sunt causa conclusionis; hic autem actus non potest elici à fide, quia est extrà obiectum formale fidei. Dixi per assensum, quo priùs assentimur præmissis, vt causæ; quia nisi priùs assentiamur præmissis vt causæ, quam conclusioni, non est discursus formalis, qui requirit plures actus, vnum realiter ab alio causatum; quoniam, vt supra sæpe monuimus, potest habitus illatiuus etiam vnico actu assentiri præmissis, & cõclusioni ex præmissis, nimirum præmissis, vt obiecto formali; conclusioni verò, vt obiecto materiali: at quando priùs intelliguntur præmissæ, vt causæ, & posteriùs conclusio, vt effectus præmissarum, tunc sunt plures actus, vnus ab alio causatus realiter, non solùm quia in diuersis instantibus successiuis causantur; tum etiam quia isti actus diuiduntur ex diuisione obiecti formalis; discursu enim formali assentimur præmissis, quia sunt causa conclusionis; conclusioni verò, quia est effectus.

Neque aliquid probant cum dicunt Aduersarij, quod inter obiectum formale, & materiale fidei inuenitur connexio necessaria, quæ satis est ad discursum formalem; nam hæc connexio est obiectum formale habitus illatiui, non autem habitus principiorum, siuè fidei diuinæ. Sine dubio prædicta connexio sufficiens est ad discursum formalem, sed hic discursus formalis est actus habitus illatiui, non autem habitus fidei, siuè principiorũ: incumbit .n. Aduersarijs probare actum illatiuum non repugnare fidei, aut habitui principiorum, quod non probant, sed opinantur probare: præcipuum enim argumentum Aduersariorum ad hoc probandum, est hoc; nam, inquiunt, sicut potest intellectus vnico iudicio assentiri solùm existentiæ causæ naturalis, & alio solùm connexioni necessariæ causæ cũ effectu, & ex his duobus inferre tertium, quo assentitur existentiæ effectus, & completur discursus formalis: ità potest vnico iudicio naturali assentiri solùm existentiæ reuelationis diuinæ, & alio solùm connexioni infallibili reuelationis cum obiecto reuelato, & ex his duobus tertium colligere, quo assentitur existentiæ obiecti reuelati, & complere discursum formalem; ergo similis discursus fieri potest per assensus supernaturales fidei diuinæ; etenim à fide diuina fieri possunt, tum assensus immediatus, & supernaturales solius existentiæ re-

ue-

uelationis, & assensus supernaturalis connexioni reuelationis cum obiecto reuelato, &ex his inferri potest tertius assẽsus, quo asētitur existētię actuali obiecti reuelati, quo tertio assensu cōpletur discursus formalis.

Hoc argumentum supponit, quod est probandum; supponit enim hunc formalem discursum fieri posse ab intellectu viatorũ, vt euecto solo habitu fidei diuinæ, de quo est tota controuersia; vltrò enim concedimus hunc discursum posse fieri ab intellectu viatorum, sed quatenùs euecto, & eleuato ab habitu theologiæ sacræ viatorum, quæ est scientia discursiua, & argumentatiua.

Quod si dicas: antequam sit habitus theologiæ viatorum in intellectu reperitur discursus formalis, quia theologia sacra viatorum acquiritur actibus theologicis præcedentibus; hi autem actus non possunt esse ab habitu theologico illatiuo, quia habitus productiuus discursus debet prçexistere; sed solùm supponitur habitus fidei eleuans intellectum ad scibile theologicum; ergo intellectus solùm euectus habitu fidei diuinç, potest elicere discursum theologicum.

Respondeo; actus antecedentes, quibus producitur habitus theologiæ sacræ viatorum, supposita fide diuina, produci ab intellectu viatorum, quatenus est scientia discursiua inchoata, quæ est ipsamet potentia intellectiua, inquantum est discursiua, mota, & completa à Deo sua motione virtuosa ad producendos prędictos actus antecedētes; nā theologia sacra viatorũ, vt suprà ostēdimus, secundùm substātiā est naturalis.

Quod si supponatur theologia sacra viatorum secundùm substantiam habitus supernaturalis, sed acquisibilis, de potentia saltem absoluta Dei; principium productiuum actuum primorum, quibus acquiritur habitus ipse theologiæ sacrę erit intellectus viatorum, quatenus supposita fide diuina, est discursiuus potētia obedientiali, cōcurrēte ad id Deo suo actuali, & speciali cōcursu prę. uio supnaturali. Nec verũ est, vt dicunt Aduersarij, quod connexio, quæ reperitur inter obiectũ formale, & materiale fidei, sufficiens est ad discursum formalem intellectui viatorum; nam ad producendum discursum formalem, non solùm requiritur connexio effectus cum causa in obiecto scibili, sed etiam requiritur habitus conclusionũ vt sic; hic autem nullo pacto potest esse fides diuina, vt satis ostendimus.

Instabis vltimò pro Auctoribus contrariæ sententiæ; principia reuelata, quæ sunt articuli fidei, ex quibus theologia sacra viatorum suas deducit cōclusiones; sunt demonstrabilia principijs vniuersalioribus, quæ sunt: Deum in dicendo non posse fallere, nec falli; vel Deum non posse fallere, nec falli, quia est prima veritas; prima autem veritas non potest fallere in dicendo; sed hoc satis est, vt fides diuina sit habitus discursiuus formaliter, & probatur; nam habitus ex eo, tamquam a prima radice est discursiuus, qui est habitus conclusionum; sed totum hoc habet fides diuina, quatenus est habitus principiorum, quæ sunt demonstrabilia principijs vniuersalioribus; ergo fides diuina, etiam quatenùs est habitus principiorum est discursiua saltem inadæquatè.

Respondeo primò; principia reuelata à Deo dupliciter sumi possunt; vno modo in sensu materiali, & specificatiuo; alio modo in sensu formali, & reduplicatiuo: primo modo sunt demonstrabilia per principia priora, & vniuersaliora, quando non sunt prima simpliciter: si verò sunt prima simpliciter non sunt demonstrabilia; quia demonstrabile est, quod habet causam in essendo, quæ est causa incomplexa; primum autem simpliciter est irresolubile in aliud priùs in essendo; Verùm si accipiantur in sensu formali, & reduplicatiuo, quatenùs reuelata à Deo vt sic, non habent sui intrinsecam probationem, sed habēt extrinsecam; nimirum per principia prima complexa, quæ declarant tantùm principia esse reuelata, qualia sunt: quod verum vero non contradicit: quod à Deo est reuelatum nòn potest vt sic esse falsum, & similia; probatio enim per huiusmodi principia non contradicit obscuritati fidei diuinæ, numquam enim per hanc probationem deuenitur ad principiũ intrinsecum in essendo, quod scilicet est causa ꝑ se, vt principia sint reuelata. Fides diuina est quidē habitus principiorum reuelatorum, quatenus sunt à Deo reuelata formaliter, & vltimatè; non autem est habitus principiorum reuelatorum, neque quatenùs demonstrabilia sunt in sensu materiali, & specificatiuo, neque in sensu formali, & reduplicatiuo; sed vt demonstrabilia in sensu materiali, & specificatiuo, sunt obiectũ theologiæ sacræ viatorum, quæ est ex reuelatis, vt scitis; in sẽsu verò formali, & reduplicatiuo, sunt obiectũ habitus fidei, quę nō est ex reuelatis, vt reuelatis formaliter in ratione causæ necessariæ acceptis: & ratio est, quia articuli fidei vt sic, non admittunt sui intrinsecam probationem, quia articuli fidei vt sic, sunt cognoscibiles tantùm medio extrinseco, quod est, quia Deus reuelauit; scibile autem ex medio extrinseco vt sic, non est demonstrabile medio scientifico, vt suprà sæpe repetiuimus; cognoscibile enim medio extrinseco vt sic, negat à se esse cognoscibile medio intrinseco.

Cardinalis de Lugo *in tract. de virt. fid. diu.*

O

Digitized by Google

*diu.disp.2.sect.1.n.9.vers.ego fateor*; apertè dicit se nunquã percipere potuisse, fidẽ diuinã nõ esse per se euidentẽ, sed ineuidẽtẽ, & obscurã, ob eam causã; quia assẽtitur reuelatis à Deo ex motiuo formali extrinseco, quod est quia Deus reuelauit; ex opposito autem scientiã ex reuelatis, vt scitis esse euidẽtem, quia est ex reuelatis, vt scibilibus medio intrinseco: mouetur autẽ ad hoc dicendum ex eo, quia inquit, si mediũ, siuè principium intrinsecũ sit solũ illud, quod est intrinsecũ in re ipsa, vt est essentia, v.g. in homine, in quo est causa necessaria, & per se, v.g. risibilitatis, certũ est, inquit, nõ requiri hoc medium, siuè principiũ, vt cõclusio, siuè habitus conclusionis sit per se euidẽs: quod probat; nam plures demõstrationes à priori fiũt per causam efficientẽ, quę nõ est intra subiectũ conclusionis, sicut ex opposito rationalitas, quę est causa per se, vt homo sit risibilis, est intrà hominis essẽtiã, quę est subiectũ risibilitatis. Posse dari demõstrationẽ ꝑ causã efficiẽtẽ, vel exẽplarẽ, quę sũt extra subiectũ cõclusionis, equidẽ ostẽdo; potest enim probari possibilitas existẽtię ꝑ essẽtiã realẽ, quę est extrà existẽtiã, nã est essẽtia realis, ergo existẽtia possibilis est: discursus est merè methaphysicus; esse verò essẽtiã realẽ probatur, qa prędicata essẽtię inuicẽ nõ sũt repugnãtia: potest etiam possibilitas essẽtię probari per ideas diuinas; est .n. participabilitas, siuè immutabilitas prima; ergo possibile est participatiuũ, siuè immitatiuũ, ꝙ est essẽtia creaturę. Insuꝑ est ꝓbatio demõstratiua ꝑ causã efficiẽtẽ; nã datur primũ efficiẽs, ꝙ est primũ ens simpliciter; ergo datur ẽs possibile fieri, siuè effectibile: si verò principiũ intrinsecũ intelligatur, solũ aliꝙ mediũ habẽs cõnexionẽ cũ subiectõ cõclusionis, tunc negãdũ est, inquit de Lugo, principiũ reuelatũ in sensu formali nõ posse probari ꝑ mediũ intrinsecũ; quia datur mediũ extrinsecũ, vt causa efficiẽs, vel exẽplaris, ꝑ q̃ põt fieri vera demõstratio; principijs autẽ, vt reuelatis nõ repugnat demõstratio ꝑ mediũ extrinsecũ; ergo.

Respõdeo, ꝑ mediũ intrinsecũ in generali intelligi mediũ in essẽdo essẽtialiter, & ꝑ se necessariò inferens cõclusionem, siuè hoc sit causa esse intrinsecè rei, q̃ scitur, siuè sit effectus ꝓprius rei, q̃ scitur; nã vnũquodq; est intelligibile ꝑ suũ esse intrinsecũ, hoc autẽ nõ est scibile, & intelligibile demõstratiuè, nisi per causã necessariã, & ꝑ se esse rei, q̃ scitur, vel per effectum proprium rei, quę scitur; Deus autem vt reuelans, non est causa vt sic esse intrinseci, quod est demonstrabile.

Quod si dicas Deus dicẽs ꝓducit; nã potẽtia efficiẽs non est distincta in Deo ab intellectu, & voluntate: iuxtà illud; dixit, & facta sunt: vel; quod voluit, fecit.

Respõdeo, ꝙ reuelatio actiua Dei reuelãtis idẽticè, seù entitatiuè, seù materialiter, est cognitio Dei efficiẽs; nõ autẽ formaliter, & reduplicatiuè ꝑ distinctionẽ virtualẽ, ad cũ modũ, v.g. quo sciẽtia creaturarũ possibiliũ in Deo idẽticè, & entitatiuè est scientia visionis; non autem formaliter cum distinctione virtuali, vt suo loco dicetur.

Secũdò dici potest, per mediũ intrinsecũ intelligi principium cognoscibile ex suis intrinsecis prędicatis, quorũ vnũ est intrà definitionẽ alterius, vt est principiũ ꝑ se notũ, vel intelligi principiũ cognoscibile ꝑ mediũ intrà suũ subiectũ, vt est principiũ mediatũ; ꝓbatio autẽ ꝑ hęc principia omninò cõtradicit, vt sępe repetiuimus, articulis fidei vt sic; cognoscũtur .n. tãtũmodo medio extrinseco, ꝙ est Deus vt reuelas, & cõsequẽter vt sic sũt ꝑ se ineuidẽtes, & obscuri; ꝓbatio autẽ per medium intrinsecum est per se euidens.

Neq; primo obstat, ꝙ aliquæ veritates à Deo reuelatę, vt Deũ esse, & Deũ esse primũ simpliciter, probentur per mediũ intrinsecũ; quoniã nõ probãtur, vt reuelatę, sed vt notę lumine naturali; ac si non essent reuelatæ, vt de facto eas probarunt Philosophi gentiles, quibus fidei lumen non illuxit.

Neq, secũdò obstat, si dicas ꝓbationẽ per mediũ intrinsecũ posse dari etiam in principijs, quibus ꝓbãtur veritates supernaturales reuelatę, vt v.g. principium huius discursus theologici; omnis reuelatio à Deo est intrinsecè vera, & immutabilis; sed Deus reuelauit Verbum Diuinum fuisse incarnatũ: ergo verissimũ est Verbũ Diuinũ fuisse incarnatũ veritate intrinseca, & immutabili.

Respõdeo, negãdo reuelationẽ diuinã esse demõstrabilẽ medio intrinseco, vel ꝑ causã incõplexã, & in essẽdo; sed tãtũ posse demõstrari principio cõplexo, & extrinseco, ꝙ nõ est causa veritatis intrinsecè reuelationis, sed tãtũ est principiũ declaratiuũ, sicut sunt causę cõplexę, qeibus ꝓbatur prima principia methaphysica declaratiuè, nõ ostensiuè, vt dicetur *q.seq.* nimirũ dico, reuelationẽ diuinã nõ posse habere sui intrinsecã ꝓbationẽ, qa secùs nõ essẽt fide diuina credita, sed posse habere tãtũ extrinsecã ꝑ hoc principiũ extrinsecũ: ꝙ est a Deo reuelatũ nõ potest vt sic, esse falsũ: quę ꝓbatio nõ præiudicat fidei obscuritati; quia hoc principium est extrinsecum, & declaratiuum tantum, non ostensiuum, vt fusè dicetur suo loco.

Vrgebis iterũ: principia prima methaphysica possũt ꝓbari principijs cõplexis: hęc autẽ ꝓbatio ẽ euidẽs intrĩsecè: ergo si prĩcipia reuelata, siuè articuli fidei possẽt ꝓbari principijs extrinsecis; possẽt ꝓbari ꝑ euidẽtiã intrinsecã, quę repugnat articulis fidei vt sic.

Respondeo esse disparitatem, quia principia methaphysica declarantur intrinsecè per principia complexa; principia ve-

rò

rò theologica declarantur extrinsecè per complexa principia.

## ARTICVLVS OCTAVVS.

### An theologia sacra viatorũ sit subalternata methaphysicæ vniuersalissimæ, quæ est de ente reali vt sic, subalternans verò sibi scientias inferiores, quæ sunt acquisibiles solo naturæ lumine, & quomodo.

INtelligitur primò articulus, tàm de theologia sacra viatorum, quæ est ex reuelatis vt scitis in superiori scientia; quàm de theologia, quæ est ex reuelatis à Deo, quatenus virtute luminis syllogistici, sunt causæ necessariæ inferentes suas conclusiones. Secundò intelligitur de subalternatione vnius scientiæ ad aliam in ratione essentiali scientiæ: triplex enim distinguitur subalternatio scientialis, quæ nimirum definitur à methaphysicis; dependentia vnius scientiæ ab alia in ratione sciendi: vel quod idem est, definitur intrinseca indigentia vnius scientiæ ad aliam, à qua essentialiter dependet in sciendo completè, & perfectè. Alia scilicet est subalternatio vnius scientię ad aliam in ratione finis; alia in ratione principiorum;& alia in ratione obiecti formalis. Subalternatio vnius scientiæ ad aliã in ratione finis, est quãdo finis vnius scientiæ est aliquo modo sub fine alterius scientiæ; sicut ars frenefactiua, scilicet ars conficiendi fręna, subalternatur equestri, & hæc militari. Subalternatio in ratione principiorum est,quando principia vnius scientię sunt demonstrabilia principijs superioris scientiæ; quo pacto physica Aristotelis subalternatur methaphysicæ eiusdem;quoniam omnia principia scientiæ physicæ sunt demonstrabilia principijs methaphysicis.Subalternatio denique vnius scientiæ ad aliam in ratione obiecti formalis est, quãdo obiectum formale vnius scientiæ subordinatur obiecto formali scientiæ superioris, & vniuersalioris in sciendo;quod contingit,quando obiectum formale vnius scientiæ est obiectum materiale scientiæ superioris, & hoc modo physica naturalis subordinatur Methaphysicę;quoniã obiectũ formale physicæ est obiectum materiale methaphysicæ: ad eum modum, v. g. quo obiectum formale sensus, quod est sensibile, est obiectum materiale intellectus: quod ostenditur;nam sensus cognoscit obiectum sensibile formaliter, quia sensibile: hoc autem obiectum formale sensus cõsiderat adhùc intellectus, sed materialiter, non formaliter; quia considerat sensibile, non quia sensibile,sed quia intelligibile, seù quia ens reale vt sic. Quænam autem ex his tribus subalternationibus sit subalternatio essentialis in ratione sciẽtiæ, nimirum sine qua neque esse, neque intelligi potest, vnam scientiam subalternari alteri in sciendo; articulo sequenti fusè dicam: nunc tantummodò satis est referre varias Scholasticorum sententias circà hoc punctum.

Alij enim dicunt, quod subalternatio in ratione essentiali scientiæ, est sola subordinatio obiecti formalis scientiæ inferioris obiecto formali scientiæ superioris; idque probant, quia subalternatio essentialis in sciendo, est dependentia vnius scientiæ ab alia, sed dependentia hæc non potest esse, nisi ab obiecto formali, à quo specificatur scientia.

Alij dicunt subalternationem essentialem in ratione scientiæ esse, quando principia vnius scientiæ sunt demonstrabilia per principia superioris scientię;nam, inquiunt, de ratione scientiæ est, vt sit certa, & euidens euidentia intrinseca; at scientia inferior non potest esse actu euidens, nisi quando probat sua principia, ex quibus deducit suas conclusiones per principia scientiæ superioris: vel, & in idem redit, non est actu euidens euidentia intrinseca, nisi quando resoluit sua principia in principia vniuersaliora, & priora per se nota.

Alij tertiò dicunt, subalternationem essentialem in ratione scientiæ esse,quando scientia inferior considerat suum obiectum in ordine ad obiectum formale vniuersalioris scientiæ,tamquam ad finem vlteriorem: & hoc probant primò paritate; nam ob hanc rationem ars, v. g. frenefactiua subalternatur essentialiter equestri, & hæc militari: secundò ratione; quia subalternatio, nisi fiat quæstio de nomine, non est aliud; nisi dependentia essentialis vnius scientiæ ab alia in euidentia, quæ est differentia essentialis scientiæ; sed hæc dependentia est obiecto formali scientiæ subalternatæ ab obiecto formali scientię subalternantis,tamquam à fine, quia dependentia est effectus à causa; sed obiectum formale scientiæ subalternantis non est causa subalternatæ scientiæ, nisi in genere causæ finalis,

quia causa specificatiuà scientiæ debet esse prior scientia à se specificata; sed non potest esse prior, nisi in genere causæ finalis; causa enim finalis est prima omnium causarum; finis nanq; est primũ mouens agens ad operandum, quam ob causam docet S. Thomas 1.2. *quæst.* 1. *art.* 3. *in corpore*, quod actus speciem recipit à fine. Notanter dixi, subalternationem essentialem, siuè formalem in ratione scientiæ esse ex eo, quia obiectum formale scientiç subalternatæ est obiectum materiale scientiæ subalternantis; quandoquidem, vt docet S. Thomas *opusc.* 42. *cap.* 14. *circà initium*, dupliciter contingit, vnam scientiam alteri subalternari: vno modo quando subiectum, siuè obiectum vnius scientiæ est species subiecti, siuè obiecti alterius; sicut homo est species animalis, & animal est species corporis: alio modo quando subiectum inferioris scientiç non est species subiecti superioris scientiæ, sed se habet ad illud, vt materiale ad suum formale, per quem modum, inquit Sanctus Doctor, Perspectiua subalternatur Geometriæ; Geometria enim agit de lineis, & alijs dimensionibus absolutè, & formaliter abstrahendo à materia sensibili, quia non agit de linea lignea, vel ærea; sed Perspectiua agit de linea, secundùm quod est in aliqua materia, in qua videri possit, ac proindè agit de linea visuali. Prima subalternatio, quæ contingit per hoc, quod subiectum vnius est species subiecti alterius, est subalternatio materialis; fit enim per differentias, quç conueniunt obiecto formali scientiæ, quatenùs est in aliqua determinata materia: secunda verò subalternatio, quæ fit per hoc, quod obiectum formale vnius scientiæ est obiectum materiale scientiæ superioris, est subalternatio formalis, quæ compe.it scientiæ per dependentiam à suo obiecto formali absolutè considerato, & ideò hæc subalternatio est per differentias formales obiecti inquantum obiectum est; vel, vt alij dicunt, in genere scibilis. Notanter dixi, subalternationem formalem in ratione scientiæ necessariò requirere, vt obiectum formale scientiæ subalternatæ sit obiectum formale scientiæ superioris; quippe obiectum formale vnius scientiæ, potest esse obiectum materiale obiecti formalis alterius scientiæ non vniuersalioris, sed æquè vniuersalis; vt, v.g. esse ens naturale, quod est obiectum formale physicæ, potest esse obiectum materiale alterius physicæ, quæ illud considerat non quia naturale, sed quia mobile motu physico: & in isto casu nulla est subalternatio vnius scientiæ ad aliam, quia subalternatio, vt ipsum nomen indicat, dicit essentialem dependentiam vnius ab alio, dependentia autem semper est inferioris à suo superiore.

Ferè omnes methaphysici docent ad subalternationem formalem, siuè essentialem in ratione scientiæ requiri necessariò, vt obiectum subalternatæ addat differentiam accidentalem obiecto scientiæ subalternantis, cuius hanc rationem assignant; quia subiectum, siuè obiectum subalternantis contrahitur à subiecto subalternatę; contractio autem semper fit per differentiam, quæ in subiecta materia debet esse accidentalis, quia contrahit obiectum formale scientiæ subalternantis ad determinatam materiam, vel naturam; v.g. Musica subalternatur in ratione scientiæ Arithmeticę, quia Musica addit supra numerum, quod est obiectum formale Arithmeticæ, sonoritatem, quæ accidit numero, & contrahit illum ad determinatam materiam, scilicet ad sonos; sed hæc conditio, siuè additio non est essentialis, siuè necessaria ad subalternationem essentialem in rigore sumptam: nam subalternatio in rigore sumpta, siuè perfecta, nisi fiat quæstio de nomine, est penès intrinsecam dependentiam vnius scientiæ inferioris ab alia superiori in euidentia, quę est differentia essentialis scientiæ; hæc autem potest esse sine vlla additione differentiæ accidentalis obiecto subalternantis sciẽtiæ; differentia enim accidentalis, quam obiectum subalternatæ scientiæ addit obiecto scientiæ subalternantis, est differentia materialis; quoniam est differentia contrahens obiectum subalternantis ad determinatam materiam, siuè naturam, vt obiectum Musicæ addit supra numerum, quod est obiectum formale Arithmeticæ, sonoritatem, quæ accidit numero, & contrahit illum ad determinatam materiem, scilicet ad sonos; hæc autem est differentia materialis, quæ est extrà essentiam scientiæ, quæ solùm suam essentiam sumit à suo obiecto formali: & hoc apertissimè docet S. Thomas *opusc.* 42. *supra cit. cap.* 14. docens, quod Perspectiua subalternatur Geometriç, quia Geometria agit de lineis, & alijs dimensionibus absolutè, & formaliter abstrahendo à materia sensibili, quia non agit de linea lignea, vel ænea; sed Perspectiua agit de linea, secundùm quod est in aliqua materia, in qua videri possit, ac proindè agit de linea visuali. Sunt qui probant oppositum hoc medio; quia, inquiunt, ad subalternationem in ratione scientię duo requiruntur; primum vt scientia subalternata, & sub-

alter-

alternans sint duæ distinctæ scientiæ realiter, nihil enim sibi ipsi subordinari potest realiter: Secundum, vt aliquo modo conueniant, secùs nulla posset assignari causa, cur hanc denominationem sortiantur magis hę scientiæ, quàm aliæ, & vtrumque horum, debet habere rationem subiecti formalis; distinctio enim scientiæ sumitur ex distinctione formali sui obiecti formalis.

Sed hæc ratio non conuincit, quia differentia distinguens formaliter scientiam subalternatam à scientia subalternante debet esse differentia formalis, siuè essentialis; at differentia contrahens obiectum scientiæ subalternantis ad determinatam materiam, siuè naturam, est differentia materialis, quæ est extra essentiam, & speciem, sicut sunt differentiæ indiuiduales in rebus materialibus, saltem iuxta opinionem Aristotelis, & S. Thomæ; & quidem primò scientia subalternans, & subalternata, distinctæ debent esse realiter vna ab alia, quando sunt subalternás, & subalternata secundùm rationē adæquatam; sed hæc distinctio cum sit specifica, & essentialis, non est per differentias materiales, nimirum obiecti materialis, sed per differentias formales, siuè essentiales, quæ sunt differentiæ formales obiecti formalis scientiæ in genere scibilis; quod apertissimè docet S. Thomas *locis supra cit.* dicens, idem posse esse obiectum materiale diuersarum scientiarum; in hoc enim distinguitur obiectum materiale ab obiecto formali, quia obiectum materiale commune, est pluribus obiectis diuersarum scientiarum; formale verò est vnius tantùm scientiæ in specie; & hæc diuersitas debet esse obiecti non in genere entis, sed in genere scibilis: quæ diuersitas, vt supra docuimus cum S. Thoma, est secundùm diuersos gradus formales abstractionis à materia; neque facienda est vis, cùm confundimus obiectum cum subiecto in scientia, quia hic non loquimur de subiecto, quod dicitur inhęsionis, siuè informationis, sed de subiecto prędicationis, & hoc in scientia idem est, quod obiectum, sed sub diuersa consideratione; dicitur enim subiectum, quatenus de eo demonstrantur passiones in scientia; obiectum verò quatenus est primum consideratum in scientia formaliter, vt docet Durand. *quæst. 5. prolog. nu. 6.*

In hoc articulo duo proponuntur discutienda. Primum est, an theologia sacra viatorum, siuè ea, quę est ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia; siuè ea quę est ex reuelatis formaliter, acceptis tamen vt causa necessaria conclusionis, sit subalternata in ratione scientię, methaphysicę vniuersalissimæ, quæ est de ente reali vt sic, abstrahente ab ente reali naturali, & ab ente reali supernaturali; præsupposita tamen diuina reuelatione, vt conditione manifestante veritates supernaturales; sit verò subalternans sibi scientias naturales, quæ scilicet sunt per se acquisibiles solo naturæ lumine.

Secundum punctum quæsiti est, an data hypothesi, quod theologia sacra viatorum sit subalternata, aut saltem subalternabilis methaphysicæ vniuersalissimæ, inquiritur quomodo theologia sacra viatorum possit ei subalternari. Notanter dico, an theologia sacra viatorum sit subalternabilis, siuè possit subalternari methaphysicæ vniuersalissimæ ob duas causas. Prima est, quia hæc duo sunt distincta quæsita; an theologia sacra viatorum, quæ est de facto, sit subalternata methaphysicæ vniuersalissimæ, & an theologia sacra viatorum de possibili sit subalternabilis; quoniam, vt sępe repetiuimus, tota theologica materia, potest scientificè ordinari, & considerari sub pluribus, & diuersis rationibus formalibus obiectiuis; quia varia dispositione, & consideratione, theologia sacra viatorum, & quælibet alia scientia secundùm se, diuisibilis est in plures species essentialiter diuersas; quia diuersitas, & multiplicatio scietię specifica causatur ex diuisione obiecti formalis per differentias formales in genere scibilis: secunda ratio est, quia dupliciter potest vna scientia subalternari alteri in ratione scientię, vel immediatè, vel mediatè, quod declarari potest in tribus syllogismis, quorum vnus subsumitur ad alium, vel quorum vnus subalternatur alij; Primus enim syllogismus immediatè subalternatur secundo, mediatè verò subalternatur tertio; & fundamentum huius duplicis subalternationis est, tum quia in genere scientię dantur plures gradus abstractionis formalis, quorum vnus est vniuersalior, & superior alio, quo pacto se habent ad inuicem physica naturalis, & methaphysica Aristotelis, & methaphysica vniuersalissima de ente naturali, quam ponit Bernardinus Mirandulanus, & Ægidius apud Suarez *tom. 1. suæ methaph.* tum etiam quia vnius scientię secundùm se possunt esse plura obiecta formalia, quorum vnum est superius, & vniuersalius alio formaliter. Addo hanc secundam rationem, quoniam non omnes affirmant obiectum formale scientię esse gradum abstractionis formalis à materia. Vtrumque punctum articuli resoluitur sequentibus conclusionibus

Pri

Prima conclusio. Theologia sacra viatorum, quæ est ex reuelatis, & creditis fide diuina, quatenus causis necessariò inferentibus suas conclusiones theologicas, nullo pacto est subalternabilis methaphysicę vniuersalissimæ in ratione scientiæ.

Duplex esse potest theologia sacra viatorum; alia, quæ est ex reuelatis à Deo, sed acceptis quatenus scitis in superiori sciẽtia; alia verò quæ est ex reuelatis à Deo, sed acceptis quatenus præcisè sunt causa necessaria conclusionum in forma syllogistica. In hac conclusione loquimur de secunda theologia viatorum: quam cõclusionem recipiunt omnes, qui dicunt theologiam sacram viatorum secundùm se, esse scientiam per se ineuidentem; quia est essentialiter fundata in principijs ineuidenti fide diuina cognitis, ad differentiam aliarum scientiarum, quæ sunt essentialiter euidentes, quia essentialiter fundãtur in principijs euidenti lumine naturali cognitis, vt videre est apud Hieronymum Fasolum *in 1. par. S. Thomæ, quæst. 1. dubit.* 14. qui dicit, ineuidentiam per se habitus discursiui, non tollere theologiæ sacræ viatorum rationem essentialem scientiæ: tum quia ad rationem puram, & essentialem scientiæ satis est, vt sit ex principijs certis certitudine necessaria, & infallibili: tum etiam quia habitus theologiæ viatorum licet sit ineuidens per se; tamen est coniunctus cum certitudine fidei, quæ est maior, quam sit certitudo habitus scientifici naturalis per se euidentis; at perfectior est scientia ineuidens cum maiori, & eminentiori certitudine, quam scientia naturalis euidens per se cum minori, & inferiori certitudine: & huius hanc assignat rationem, quia per certitudinem infallibilem, habitus illatiuus conclusionum magis elongatur ab habitu opinatiuo, includente in sua essentia formidinem formaliter, & directè oppositam certitudini.

Quod si ei opponas, doctrinam S. Thomæ 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. docentis, theologiam sacram viatorum esse scientiam procedentem non ex principijs notis lumine naturali intellectus, sed ex principijs notis lumine superioris scientiæ Dei, & Beatorum, sicut Musica credit principia sibi tradita ab Arithmetico; at hæc est scientia subalternata. Respõdet, theologiam sacram viatorum secundùm se, non formaliter, & propriè, sed solùm materialiter, & impropriè subalternari scientię Dei, & Beatorum, quatenùs scilicet Deus non potest cum infallibili certitudine reuelare fidei principia, à quibus essentialiter pendet theologia sacra viatorum, nisi ea euidenter cognoscat: sed theologia non respicit illa principia, vt formaliter, & proximè euidentia, sed solùm vt formaliter, & proximè reuelata à Deo; idest (vt ego intelligo) theologia sacra viatorum respicit illa principia, quæ sunt articuli fidei, quatenus solùm sunt formaliter, & proximè reuelata à Deo, includendo reuelationem à Deo formaliter, & per se in genere entis, non autem in genere scibilis: tunc autem includerent principia reuelata reuelationem diuinam in genere scibilis, quando theologia assentiretur principijs fidei ex motiuo formali; quia sunt à Deo reuelata, quod est proprium motiuum formale fidei diuinæ: sed theologia sacra viatorum respicit principia, quatenus includunt esse reuelatum à Deo in ratione obiecti materialis; formaliter verò, quia sunt causa necessaria conclusionum theologicarum, quoniam doctus Fasolus *supracitata quæst.* 1. *& art.* 2. *S. Thomæ, dubit.* 12. *nu.* 63. apertissimè docet theologiæ habitum deductiuum conclusionum ex principijs reuelatis esse formaliter, & à parte rei distinctum ab alio habitu suorum principiorum, qui est habitus fidei, & in hac ipsa *dubit.* 12. *in respons. ad secundum, nu.* 69. apertissimè etiam docet, in principijs theologiæ sacræ viatorum esse distinguendas duas rationes formales; aliam, quia sunt formaliter reuelata à Deo; & aliam quatenus sunt causæ, ex quibus deducitur conclusio theologica. Primo modo, inquit, principia reuelata pertinere ad fidem: secundo verò modo pertinere ad habitum theologiæ, quæ est habitus conclusionum theologicarum. Præterea principia theologiæ sacræ reuelatæ, quatenus sunt reuelata fide diuina, & sunt causæ necessariò inferẽtes theologicas conclusiones, differunt à seipsis, quatenus sunt vt scita in superiori scientia; nam primo modo inuoluunt reuelationem fidei diuinę, vt rationem formalem obiecti in genere entis, quæ est ratio formalis obiecti, siuè principij materialis, quia adhùc sunt complebilia in ratione principij per rationem formalem, qua sunt causa necessaria inferens conclusionem theologicam: certum autem est rationem formalem in vnoquoque genere esse vltimam; quia debet esse ratio actus, non autem ratio potentiæ in suo genere; principia verò theologiæ sacræ, quę est ex reuelatis vt scitis, inuoluunt reuelationem fidei diuinæ tantum ex accidenti, quatenus scilicet est in statu viæ, quæ est conditio extrinseca, & vt conditionem, quę differt à ratione formali, tàm in genere en-

entis, quàm in genere scibilis.

Quod si iterum opponas, S. Thomam *loco supra citato*, non solùm dixisse theologiam sacram viatorum esse ex reuelatis à Deo, sed etiam esse ex reuelatis, vt notificatis, & scitis lumine superioris scientiæ, sicut Perspectiua est ex principijs notificatis in Geometria, & Musica est ex principijs notificatis sibi ex Arithmetica; sed Musica est scientia propriè, & formaliter subalternata Arithmeticæ, & Perspectiua est propriè, & formaliter subalternata Geometriæ; ergo pariter theologia sacra viatorum, est propriè, & formaliter subalternata scientiæ superiori, siuè ea sit scientia Dei, & beatorum, siuè sit methaphysica vniuersalissima.

Respondet statim *nu.* 78. S. Thomam comparasse theologiam sacram viatorum respectu scientiæ Beatæ cum Perspectiua respectu Geometriæ, & Musica respectu Arithmeticæ in subalternatione solùm materiali, & impropria; non autem in subalternatione formali, & propria; nec comparasse eas in omnibus, nec in ratione scientiæ, sicuti volunt Caietanus, & alij; sed solùm in aliquibus prædicatis, quæ non sufficiunt ad perfectum, & formalem subalternationem in ratione scientiæ: nempè S. Thomas, inquit, comparauit Theologiam sacram viatorum Perspectiuæ, & Musicæ in hoc solùm, vt sicut hæ scientiæ credunt, & supponunt principia euidentia per scientias superiores, quæ sunt Geometria, & Arithmetica: ità, & theologia credat, ac supponat principia euidentia per scientiam Beatam, sed materialiter, non formaliter modo suprà explicato; quæ suppositio, inquit, non sufficit ad constituendam theologiam sacram viatorum subalternatam essentialiter scientiæ Dei, & Beatorum in ratione scientiæ: & ratio huius est; quia subalternatio in ratione scientiæ, quæ est subalternatio formalis, siuè essentialis, est essentialis dependentia vnius scientiæ ab alia, vel in euidentia, vel in certitudine scientiali, nisi fiat quæstio de voce; hæc enim duo prædicata, vel saltem primum tantum prædicatum constituunt essentialiter scientiam contradistinctam ab opinione iuxtà varias Scholasticorum opiniones, sed in neutro horum Theologia sacra viatorum dependet essentialiter, & formaliter à theologia, quæ est in Beatis, quia certitudo scientiæ in Beatis est certitudo per se euidens euidentia claritatis Beatæ, quæ non est communicabilis theologiæ sacræ viatorum; cum hæc, de qua nos loquimur, sit essentialiter ineuidens, & obscura.

Sed hæc responsio, quam alijs verbis, & longo sermone explicat Fasolus, non assequitur sensum S. Thomæ, nec euacuat eius doctrinam, nam Sanctissimus Doctor cum dicit *præcit. art.* 2. *quæst.* 1. Theologiam sacram viatorum esse de numero scientiarum, quæ procedunt ex principijs notis lumine superioris scientiæ: sicut Perspectiua procedit ex principijs notificatis per Geometriam: & Musica ex principijs notis per Arithmeticam, loquitur de theologia sacra viatorum secundùm se, quæ procedit ex reuelatis in sensu materiali, & specificatiuo in statu viæ; sed formaliter vt scitis in superiori scientia; quæ theologia specie essentiali differt à theologia, quæ est ex reuelatis à Deo acceptis, vt causis necessarijs conclusionum, modo supra explicato. In hac conclusione nos loquimur de hac secunda theologia sacra, quam solùm cognoscunt, qui dicunt theologiam sacram viatorum secundùm se esse scientiam essentialiter ineuidentem, & obscuram, & de hac etiam loquitur Fasolus, ac proindè dixi hanc primam conclusionem positam esse omnium prædictorum; neque contrarium docet S. Thomas, vt sequenti conclusione dicam.

Ratio fundamentalis conclusionis est, quoniam theologia sacra viatorum, quæ est ex reuelatis à Deo formaliter, & acceptis, vt causis necessarijs conclusionum theologicarum, est essentialiter ineuidens, & obscura; sed implicat habitum illatiuum essentialiter ineuidentem subalternari methaphysicæ vniuersalissimæ, & theologiæ superiori existenti in Beatis; ergo implicat theologiam sacram viatorum, quæ est ex reuelatis à Deo in sensu formali; se tamen consideratis in ratione causæ necessariò inferentis conclusionem subalternari methaphysicæ vniuersalissimæ in ratione scientiæ, siuè subalternatione formali, & theologiæ superiori existenti in Beatis. Maior probatur, quia theologia ex reuelatis formaliter, & vt causis conclusionum, est de scibili inuoluente in ratione obiecti materialis motiuum formale fidei, quod est esse immediatè reuelatum à Deo, & hoc est per se obscurum, & ineuidens: tum quia fides est non apparentium: tum quia non est notum, siuè noscibile, nisi medio extrinseco in dicendo; & huiusmodi scibile non potest esse obiectum per se, nisi scientiæ illatiuæ ineuidentis per se, quia reuelatum vt sic, non habet sui probationem, nisi extrinsecam per illud principium; quod à Deo est re-

reuelatum, non poteſt vt ſic eſſe falſum, quæ probatio non præiudicat fidei obſcuritati; quia probatio per extrinſecum principium in dicendo, adhùc eſt intrà latitudinem obiecti obſcurè cognoſcibilis; ſed ſolùm repugnat cognoſcibili per fidem probatio per principium intrinſecum in eſſendo, quod ſcilicet per ſe in primo modo eſt cauſa neceſſaria connexionis prędicati cum ſubiecto in concluſione: at probatio per extrinſecum principium in dicendo, ſemper eſt obſcura, & ineuidens per ſe, quia non manifeſtat intrinſecè, cur prædicatum inſit ſubiecto in concluſione, & hac de cauſa cognitio per fidem eſt per ſe obſcura, & ineuidens.

Quod ſi objicias, ſcientiam eſſe per ſe ineuidentem ex motiuo formali per ſe ineuidente, non autem ex motiuo, ſiuè obiecto materiali; ſcientia enim ſpecificatur ab actu, non à potentia ſui obiecti: ſed ſcibile, quod eſt obiectum theologiæ ſacræ ex reuelatis à Deo formaliter includit medium formale ineuidens, & obſcurum in ratione obiecti materialis, vt diximus, theologiæ illatiuæ ex reuelatis formaliter; etenim formale motiuum ſpecificans hanc theologiam, vt habitum illatiuum, eſt quia principia reuelata ſunt priùs cognita, vt cauſa neceſſaria inferens concluſionem; hoc autem motiuum formale ſupponit eſſe reuelatum à Deo, tamquam materiem perfectibilem, quod eſt eſſe obiectum materiale.

Reſpondeo, diſtinguo maiorem, ſcientia eſt per ſe ineuidens ex obiecto formali ineuidenti, in genere ſcibilis, & concedo: ex obiecto formali in genere entis, & nego: motiuum enim ſpecificatiuum ſcientiæ eſt medium per ſe in eſſendo, & cognoſcendo; materiale verò obiectum eſt ſcibile per ſe medio in eſſendo, ſcilicet medio termino diſcurſus, qui eſt, vel cauſa per ſe in eſſendo, vt prædicatum inſit ſubiecto in concluſione; vel eſt effectus proprius, qui dicitur paſſio quarto modo. In præmiſſis reuelatis à Deo, & creditis fide diuina, ex quibus theologia ſacra ſuas deducit concluſiones, ſunt duæ rationes formales obiectiuæ; altera, quia ſunt reuelatę à Deo; altera, quia ſunt neceſſaria cauſa concluſionis; prima eſt obiectum materiale theologiæ diſcurſiuę, quatenus ſcientia actio, ſed eſt obiectum quod per ſe non poteſt vt ſic admittere aliam probationem, niſi extrinſecam, vt ſæpe repetiuimus; quia eſt obiectum inuoluens intrinſecè obſcuritatem, & ineuidentiam obiectiuam, cui omninò repugnat probatio intrinſeca, quod eſt per medium per ſe in eſſendo connexionis prędicati cum ſubiecto in concluſione, & hoc per ſe mediatè ſpecificat habitum theologicum, quatenus eſt ſcientia actio; immediatum verò ſpecificatiuum eſt, quia præmiſſæ reuelatæ ſunt cauſa neceſſaria concluſionis. Diſtinctionem hanc, & doctrinam explicauimus præcedente articulo, ſoluendo argumentum Cardinalis de Lugo petentis, quid intelligi debeat nomine medij intrinſeci, cum dicitur ſcientiam eſſe intrinſecè, & per ſe euidentem ex medio intrinſeco: & reſponſum eſt à nobis, per medium intrinſecum intelligendum eſſe cauſam per ſe, & neceſſariam in eſſendo: quæ, alia poteſt eſſe intra ſubiectum prædicati in concluſione; vt rationale, quæ eſt cauſa, vt homo ſit riſibilis: & alia extrà ſubiectum, vt ignis, qui per ſe eſt cauſa, vt lignum, v. g. ſit ignibile, vel vt producatur alius ignis ex ligno; prima cauſa eſt neceſſaria ad perfectiſſimum ſcire; ſecunda autem eſt neceſſaria ad ſcire minùs perfectum; perfectius enim eſt ſcire per intrinſeca, quam per extrinſeca principia in eſſendo. Neque hoc contrarium eſt communi doctrinæ dicentium, ſcientiam eſſe ex medio intrinſeco; fidem verò ex medio extrinſeco; nam extrinſecum aliud eſt in dicendo præcisè; & aliud eſt per ſe in eſſendo: medium formale proprium fidei, eſt medium extrinſecum in dicendo, quod eſt Deus vt dicens, & reuelans: medium verò extrinſecum in eſſendo, poteſt eſſe medium formale ſcientiæ per ſe euidentis; ſed ſcientiæ minùs perfectæ: quoniam principia eſſendi eſſe intrinſeci, ſiuè ſint intrà, ſiuè extrà principiatum entitatiuè, ſunt tamen intra definitionem eſſentialem; ſunt principia etiam cognoſcendi eſſe intrinſecè, quod non competit, nec competere poteſt principio extrinſeco in dicendo, ſeù in reuelando; quia hoc non cauſat eſſe intrinſecum effectus, ſiuè principiati, & conſequenter neque intrinſecè manifeſtat; ſicut enim in principijs à Deo reuelatis, acceptis vt cauſis concluſionum, diſtinguendæ ſunt duæ rationes formales obiectiuæ: vna, quæ ſpecificat habitum fidei, quæ eſt; quia Deus dixit: & alia, quæ ſpecificat habitum illatiuum, inquantum eſt ſcientia actio; ità in concluſione, quæ eſt obiectum ſcientiæ illatiuæ, quæ eſt ſcientia paſſio, diſtinguendæ ſunt duæ rationes formales obiectiuæ; vna quæ ſpecificat habitum fidei diuinæ, (quia concluſio ex reuelatis à Deo poteſt ſumi, vt reuelata in generali in præmiſſis, & vt deducta), & alia, quæ ſpecificat habitum illatiuum, inquantum paſſio: & hæc ra-

ratio est; quia conclusio est effectus sequens necessariò ex præmissis, tamquam ex causis illatiuis; & ex his rationibus obiectiuis in conclusione ex præmissis reuelatis à Deo, prior se habet veluti ratio obiecti materialis, quam vocant obiectum formale in genere entis; ratio verò effectus illati, est obiectum formale in genere scibilis, specificans habitum theologicum illatiuum.

Minor principalis argumenti probatur; quia methaphysica vniuersalissima de ente reali, abstrahente vt sic ab ente naturali, & ab ente supernaturali in ratione rei, siuè entis, est ostensiua suarum conclusionum, siuè passionum subiecti in conclusione per medium intrinsecum essendi virtualiter; hic autem habitus ostensiuus est essentialiter euidens: sed implicat habitum illatiuum essentialiter ineuidentem subalternari, in ratione scientiæ, habitui illatiuo per se ineuidenti: & hoc probatur primò à posteriori; quoniam habitus illatiuus secundùm se subalternatus, est continuabilis in eodem intellectu cum habitu illatiuo subalternante; at habitus euidens, & habitus ineuidens essentialiter non sunt compossibiles simul in eodem intellectu; opponuntur enim isti duo habitus ex parte subiecti; de ratione enim habitus per se euidentis est, vt intellectus euidenter cognoscat; de ratione verò habitus per se ineuidentis est, vt intellectus non videat, seù cognoscat euidenter; implicat autem vnum subiectum secundùm idem simul videre, & non videre. Secundò probatur à priori, quia methaphysica vniuersalissima de suo obiecto in generali probat passiones trascendentales, quæ sunt Vnum, Verum, & Bonum per causam intrinsecam virtualiter; demonstrat enim has tres passiones de ente reali ex causa virtualiter: quia ens est extrà nihilum; ens autem, quatenus est extrà nihilum, est causa virtualiter. Probatur discursus; nam ens reale ex eo, quod est extrà nihilum, ex ista ratione formali, veluti ex ratione priori adæquata, est tale, quod in se non patitur diuisionem, vel quæ est inter ens, & nō ens; ex eo enim, quod ens est, nō est non ens; vel non patitur diuisionem, quæ est inter duo entia, quorum vnum non est aliud: ex eadem radice, quia ens est extrà nihilum, sequitur virtualiter vt sit tale, quod potest fundare veram existimationem sui, siuè est cognoscibile sicuti est, quod est esse verum: pariter ex eadem radice; quia est ens formaliter, est actu extrà nihilum, & ex eo quod est actu extrà nihilum, est bonum trascendentaliter; ex eo enim, quod est actu extrà nihilum est perfectum; perfectum autem est bonum, bonum enim significat terminum appetitus, sicut verum significat terminum intellectus. Has easdem passiones trascendentales probat etiam de Deo à priori, virtualiter; quia istę passiones conueniunt enti inquantum ens; at Deus ens perfectissimum est. Præterea methaphysica vniuersalissima à priori per causam virtualem demonstrat de Deo, vt Deus est, multa prædicata propria, nimirum demonstrat de Deo esse ens omninò necessarium ex medio intrinseco; quia in Deo essentia est essentialiter suum esse; vel quia Deus est essentialiter ens à se; ens enim necessarium est, quod secundùm se non potest non esse; hoc autem prædicatum competit Deo; quia essentia in Deo est essentialiter sua existentia: demonstrat in Deo esse eternitatem; quia in Deo virtualiter præintelligitur omnimoda immutabilitas in esse: ostendit in Deo esse voluntatem; quia in Deo est intellectus, & multa alia. Denique, præter hæc prædicata propria, quæ conueniunt Deo, inquantum est primum ens naturale, demonstrat etiam per causam virtualem multa predicata conuenientia Deo, inquantum est ens primum supernaturale, supposita tamen fide diuina, vt conditione manifestante veritates supernaturales, & præbente intellectui viatorum occasionem ad inueniēdum medium in essendo regulis, & principijs naturalibus formaliter sumptis; nimirum supposita fide diuina reuelante in Deo esse, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; Filium à Patre, & Spiritum Sanctum ab vtroque esse, Theologus regulis, & principijs naturalibus formaliter adinuenit medium in essendo, quod est causa virtualiter; nimirum, quia in Deo ad intrà datur intelligere, & velle, siuè intellectus, & voluntas, quæ sunt ipsum esse Dei; sed istæ duæ operationes, siuè potentiæ sunt causa virtualiter, vt Filius sit à Patre per intelligere; Spiritus Sanctus verò à Patre, & Filio per velle: vel hoc ipsum probat alio medio in essendo virtualiter, quia scilicet Deus est actus purus ordinis supernaturalis, & naturalis; sed actus purus priùs est productiuus ad intrà, sine vlla intrinseca diuisione esse, quàm productiuus ad extrà cum diuisione naturæ: quoniam prior est productio ad intrà, quàm productio ad extrà: productio enim ad intrà est ad terminum primarium; productio ad extrà ad terminum secundarium; quod si quis neget, statim Theologus probat dicens, quod implicat, vt sit productio posterior, non præsupposita productione priori; remoto enim primo in vnoquo-



Digitized by Google

que genere, remouentur omnia secunda in eodem; sed datur processio ad extrà, quæ est posterior; quia est ad terminum posteriorem, à quo non specificatur; ergo debet dari processio ad intrà, quæ est prior; hæc autem est ad terminum intrà Deum, quia specificatur à termino intrà Deitatem. Hęc, & similia ostendit methaphysica vniuersalissima medijs in essendo, regulis, & principijs primis naturalibus formaliter, supposita tamen, vt sæpè repetiui, diuina reuelatione, vt conditione explicante veritates supernaturales; sed omnes isti discursus sunt essentialiter euidentes: quia sunt ex medio extrinseco, & necessario in essendo; ergo methaphysica vniuersalissima est habitus essentialiter, & per se euidens aptitudine: at theologia sacra viatorum, quæ est ex reuelatis, vt includentibus reuelationem fidei, tamquam rationem formalem in ratione principij, cum sit essentialiter ineuidens, & obscura, non est subalternabilis scientiæ per se euidenti, qualis est methaphysica vniuersalissima; vna enim scientia subalternatur alteri per hoc, vt articulo sequenti probabitur, quia principia scientiæ subalternatæ probantur per principia scientiæ subalternantis: principia enim subalternatæ scientiæ sunt conclusiones subalternantis; sed principia theologiæ sacræ ex reuelatis formaliter à Deo, non sunt probabilia principijs scientiæ per se euidentis, & claræ; quia principia subalternatæ scientiæ per se ineuidentis, & obscuræ sunt articuli fidei diuinæ, qui vt sic, non possunt habere sui intrinsecam probationem; quia non essent fide diuina crediti; sed habent extrinsecam tantùm probationem; quia scilicet quod est à Deo reuelatum, non potest vt sic, esse falsum; quæ probatio non præiudicat fidei obscuritati.

Dices primò, theologia sacra viatorum ex reuelatis, vt reuelatis à Deo formaliter, acceptis tamen vt caussis necessarijs conclusionum, contradistinguitur ab habitu fidei diuinæ; sed hæc contradistinctio non potest esse ex alio capite; nisi quia prædicta theologia ex reuelatis formaliter à Deo, est euidens per se, saltem euidentia mediata; nam contradistinctio hęc non potest esse per certitudinem infallibilem, quæ non potest subesse falso; nam fides diuina etiam est certissima certitudine infallibili; implicat enim Deum in dicendo, falli, vel fallere; ergo est per euidentiam.

Hæc instantia similis est argumento illi communi, quo plures docti Thomistæ probant scientiam esse per se certam, & euidentem; quia contradistinguitur ab opinione, & à fide diuina: ab opinione per certitudinem infallibilem; quoniam opinio est habitus illatiuus formidolosus, scientia verò est habitus certus certitudine infallibili, cum sit effectus demonstrationis: à fide verò diuina, non potest contradistingui per certitudinem, vt dixi, sed per euidentiam: non enim aliud est in scientia, nisi certitudo, & euidentia; his enim prædicatis tantummodò, remoto quocumque alio, habetur scientia essentialiter contradistincta ab opinione; ergo ratio cur theologia ex reuelatis formaliter non subalternatur methaphysicæ, non est quia prædicta theologia est essentialiter ineuidens.

Respõdeo, habitum illatiuum conclusionum ex principijs certis, & infallibilibus esse duplicis conditionis; alium scilicet ex principijs certis per se, & euidentibus, quæ sunt principia, vel per se nota, nimirum sola explicatione propria suorum terminorũ intrinsecorum, vel medio intrinseco superioris scientiæ: alium verò ex principijs certis quidem, sed per se ineuidentibus, vt sunt articuli fidei diuinæ vt sic: theologia sacra ex reuelatis formaliter à Deo, est habitus illatiuus conclusionum hoc secundo modo, & hic contradistinguitur à fide, non quidem per euidentiam; sed quia est habitus illatiuus, siuè discursiuus, cum sit habitus conclusionũ, vt conclusionũ formaliter; nam habitus fidei, vt suprà diximus præcedente articulo, cum sit habitus principiorum reuelatorum à Deo, secundùm se, & absolutè, nullo pacto est discursiuus, neque formaliter, neque virtualiter; esse enim habitum illatiuum, siuè discursiuum est prædicatum essentiale habitus conclusionum, vt conclusionum formaliter; qui est habitus essentialiter diuersus ab habitu principiorum; habitus verò illatiuus conclusionum per se euidens, & clarus contradistinguitur à fide adęquatè; quia est habitus discursiuus per se euidens, nimirum per rationem discursiui vt sic, & per euidentiam, adhuc discursiuam: nam datur duplex euidentia per se, & essentialis; alia est euidentia illatiua conclusionum formaliter; & alia est euidentia habitus principiorum secundùm se, & absolutè, & hæc nullo modo est discursiua.

Dices secundò, methaphysica vniuersalissima inadæquatè est de reuelatis à Deo, sed hoc satis est, vt theologia ex reuelatis à Deo in sensu formali sit subalternabilis methaphysicæ vniuersalissimæ; ergo, &c. Maior est certa, quia methaphysica vniuersalissima scientificè tractat non solùm de verita-

ritatibus à Deo reuelatis, sed etiam de veritatibus notis solo naturæ lumine; hoc autem probat, methaphysicam vniuersalissimã inadæquatè tractare de reuelatis à Deo. Minor verò principalis argumenti probatur; quia hoc satis est, vt obiectum formale theologiæ sacræ ex reuelatis à Deo formaliter, sit obiectum materiale methaphysicæ vniuersalissimæ; sed hoc satis est, vt theologia ex reuelatis in sensu formali sit subalternata methaphysicę vniuersalissimę; quia hoc est sufficiens causa, vt principia theologiæ sacræ ex reuelatis probentur principijs methaphysicæ vniuersalissimæ; hoc autem sufficiens est ad subalternationem in ratione scientiæ, nisi fiat quæstio de nomine.

Respondeo, nego maiorem; methaphysica enim vniuersalissima tractat de veritatibus supernaturalibus, prout sunt scibiles intrinsecè suo modo intrà ipsam methaphysicam; non autem de veritatibus supernaturalibus reuelatis vt sic, quibus repugnat probatio, & scibilitas intrinseca in superiori scientia; theologia verò ex reuelatis à Deo in sensu formali, tractat discursiuè sine vlla euidentia de veritatibus supernaturalibus, quæ non possunt admittere sui intrinsecam probationem; quia tractat de reuelatis à Deo in sensu formali, quatenus scilicet reuelata sunt fide diuina; his autem repugnat probatio per principia intrinseca superioris scientiæ: & ratio à priori est; quia vt suprà ostendimus, methaphysica vniuersalissima est scientia perfecta, & per se euidens; hæc autem non est, nisi de scibilibus intrinsecè, neque hæc limitatio, & restrictio tollit à methaphysica vniuersalissima rationem vniuersalissimæ scientiæ; quia vniuersalissima scientia est perfecta in tota latitudine formali scientiæ; scientia autem non est, nisi de scibili intrinsecè: cognoscibile verò tantum probatione extrinseca, cognoscit etiam; sed quatenus est oppositum scibili intrinsecè, demonstrando illud non esse intrà suum obiectum formale directè, siuè cognoscendo illud non esse scibile intrinsecè.

Quod si quis velit dicere, scibile extrinsecè pertinere ad obiectum methaphysicæ vniuersalissimę, sicut malum est etiam obiectum voluntatis, vel saltem sicut bonum apparens est intrà obiectum voluntatis; hoc concedi debet eo modo, quo concedimus eandem potentiam esse oppositorum; sed non eodem modo, si sumatur cognoscibile, vt formaliter cognoscibile extrinsecè: si verò sumatur, vt apparens cognoscibile intrinsecè, vltrò etiam concedimus pertinere ad methaphysicam vniuersalissimam; sed nos hìc loquimur de scibili directo, & per se, in quo nimirum reperitur formaliter obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ.

Secunda conclusio. Theologia sacra viatorum, quæ est ex reuelatis à Deo acceptis, vt scitis in superiori scientia, subalternatur in ratione scientiæ methaphysicæ vniuersalissimæ, quæ est de omni scibili intrinsecè, tàm naturali, quàm supernaturali, & reuelato. Conclusionem hanc scriptam non reperio, nec mirum, quia non legi Auctorem, qui asserat dandam esse hanc methaphysicam vniuersalissimam de ente reali, abstrahente à naturali, & supernaturali; (supposita tamen fide diuina manifestante veritates supernaturales, quæ in statu viæ, & de lege ordinaria, non sunt cognoscibiles, nisi lumine fidei diuinæ) attamen eius veritas est luce clarior, supposita possibilitate methaphysicæ vniuersalissimæ.

Ratio fundamentalis conclusionis mihi est; quoniam theologia sacra viatorum, quæ est ex reuelatis, acceptis, vt scitis in superiori scientia procedit ex principijs, vt demonstrabilibus in methaphysica vniuersalissima de ente reali vt sic; sed hoc est sufficiens caput, vt ipsa theologia sacra subalternetur essentialiter in ratione scientiæ methaphysicæ vniuersalissimæ; ergo theologia, &c. Maior probatur, quia principia ex quibus theologia sacra viatorum, de qua nos loquimur, non sunt principia prima simpliciter; quia principia prima simpliciter concernunt ens reale, inquantum ens reale formaliter; sed principia prædictæ theologiæ, quæ scilicet sunt scita in superiori scientia, vt sunt principia theologiæ sacræ viatorum secundùm se, concernunt formaliter ens, scibile ex accidenti lumine fidei diuinæ; hæc autem non sunt principia prima, sed secunda; sicut illud principium: omne totum quantum est maius sua parte quanta; est principium non primum, sed secundùm; quia est demonstrabile per aliud vniuersalius, quod concernit ens vniuersalius, vt est: omne totum est maius sua parte; & hoc est etiam principium secundum respectu vniuersalioris principij, idest non posse idem secundùm idem simul esse, & non esse; quia hoc principium concernit absolutam rationem entis; totum verò esse maius sua parte, concernit ens contractum ad rationem totius, & ad rationem partis. Pariter theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia procedit

ex principijs secundis, quæ sunt demonstrabilia per principia vniuersaliora; quia prædicta principia, quæ sunt reuelata ex accidenti in statu viæ, non sunt prima simpliciter, quia concernunt ens contractum ad ens cognoscibile ex accidenti in statu viæ, lumine fidei diuinæ, quod per se est quoddam ens; principia autem methaphysicæ vniuersalissimæ concernunt ens reale, inquantum ens reale formaliter abstrahens à naturali, & supernaturali.

Minor verò principalis argumēti probatur: quandoquidem subalternatio essentialis, in ratione scientiæ, est dependentia vnius scientiæ formalis ab alia superiori in medio intrinseco sciendi, nisi fiat quæstio de voce; hæc autem dependentia ex eo oritur: quia scientia subalternata, siuè inferior non habet, intrà latitudinem sui obiecti formalis, medium intrinsecum vniuersalius; dependentia enim scientiæ in ratione scientiæ ab alia scientia, est ex obiecto formali scientiæ superioris, siuè subalternantis; scientia enim sumit suam specificam essentiam à suo obiecto formali; medium autem intrinsecum sciendi ex obiecto formali vniuersaliori, est vniuersaliùs in sciendo; ergo esse ex principijs, vt demonstrabilibus medio formali intrinseco superioris scientiæ, satis est vt theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis, sit subalternata.

Obijciet fortè ingeniosus: nulla scientia potest exire extrà latitudinem formalem sui obiecti formalis; scientia enim proportionatur potentiæ intellectiuæ: implicat autem potentiam intellectiuam exire in sciendo extrà suum obiectum formale; at scientia subalternata, si esset ex principijs, vt demonstrabilibus medio formali scientię subalternantis, & superioris in sciendo, exiret extrà latitudinem sui obiecti formalis; quia medium intrinsecum superioris scientiæ, est extrà obiectum formale scientiæ subalternatæ, seù inferioris; ergo si scientia subalternata demonstraret sua principia medio intrinseco superioris scientiæ, exiret extrà suum obiectum formale; quia exiret extrà suum medium formale intrinsecum, quod est obiectum formale ipsius scientiæ subalternatæ.

Quod si dicamus, posse scientiam subalternatam in sciendo, tamquam causam instrumentalem, vti medio formali scientię superioris, & subalternantis; implicantia autem esset, si scientia subalternata, tamquam causa principalis, vteretur medio formali superioris scientiæ, siuè scientiæ subalternantis; quia confunderentur scientiæ essentialiter diuersæ; hæc autem confusio non sequitur, si scientia subalternata, vt causa instrumentalis, vtatur medio formali scientiæ subalternantis; quia distinguerentur inter se, tamquam causa instrumentalis, & tamquam causa principalis, sicut, v. g. calor ignis, vt eleuatus virtute ignis, etiam distinguitur in ratione causæ à substantia ignis; quia ignis in producendo alium ignem, est causa principalis; calor verò etiam vt eleuatus, est causa instrumentalis.

Aduersarius statim instabit, dicens implicare contradictionem, scientiam in sciendo, etiam instrumentaliter eleuari extrà suum obiectum formale; quia, vt alibi diximus, eleuatio potentiæ cognitiuæ potest esse suprà vires, sed non supra suam substantiam, quæ sumitur à suo obiecto formali; scientia autem in sciendo proportionatur potentiæ intellectiuæ; quod si hoc non esset verum, posset potentia sensitiua absolutè, & simpliciter, tamquam causa instrumentalis, vti intellectione ad cognoscendum Deum, quod implicat, vt suo loco demonstrabitur: hoc ipsum contingeret si scientia subalternata, & inferior vteretur, vt causa instrumentalis, medio scientiæ superioris, & subalternantis, & declaratur paritate: sicut enim potentia sensitiua in cognoscendo est inferior, quam sit potentia intellectiua; ità scientia subalternata est inferior, quam sit scientia subalternans.

Respondebam olim, assignando disparitatem inter potentiam cognitiuam inferiorē respectu potentiæ cognitiuæ superioris; & inter scientiā subalternatam, respectu suæ scientiæ subalternantis; quoniam potentia cognitiua sensitiua, & potentia intellectiua, non solùm sunt diuersæ speciei, sed etiam diuersi generis; nam potentia sensitiua est intrinsecè materialis, cum sit accidens dependens adhæsiuè ab organo materiali; potentia verò intellectiua est secundùm substantiam immaterialis; materiale verò, & immateriale differunt genere; sicut corruptibile, & incorruptibile; corpus cæleste, & corpus sublunare; scientia verò subalternata, & subalternans, sunt vnius generis; vna enim subalternatur alteri intrà idem genus; at potest vna potentia instrumentaliter eleuari ad aliam superiorem intrà idem genus, sed non extrà suum genus, sicut, v. g. potest Angelus inferior eleuari medio sibi communicato ab Angelo superiori, cum scilicet Angelus inferior illuminatur à superiori Angelo; quia hæc ele-

eleuatio est intrà idem genus scibilis; Pariter scientia subalternata potest instrumentaliter vti medio suæ scientiæ subalternantis; quia ambæ sunt intrà idem genus scientiæ, quod probatur, & declaratur simul ex eo; quia scientia subalternata est scientia essentialiter imperfecta in suo genere; nam est essentialiter dependens à scientia subalternante; dependentia autem fundatur in imperfectione essentiali; imperfectum autem in suo genere non est complebile, & perfectibile, nisi à perfectiuo sui generis, de lege saltem ordinaria, quod exigit perfectio vniuersi, & ideò scientia subalternata potest instrumentaliter, nimirum eleuata virtute scientiæ subalternantis,ad probandum sua principia, vti medio scientiæ suæ subalternantis; v.g. Deus reuelauit processionem secundæ Personæ in diuinis esse generationem; processionem verò tertiæ Personæ à prima, & à secunda,non esse generationem; theologia sacra viatorum secundùm se, quæ est ex reuelatis vt scitis, est imperfecta in genere scientiæ, ad assignandam disparitatem huius veritatis, & ideò sibi mutuatur medium ad hanc diuersitatem probandam à methaphysica vniuersalissima, quod est; quia processio Verbi à prima Persona, est processio consubstantialis modo assimilatiuo: vel quia per processionem Verbi à Patre,communicatur Verbo per se intelligere, quod est essentia in Deo: vel quia Verbum producitur intellectione; intellectio autem in Deo est generatio, quia intellectio in Deo est prima operatio consubstantialis; prima operatio est generatio, quia est actus naturæ inquantum natura; processio verò Spiritus Sancti à Patre, & Filio, non est generatio, quia non est modo assimilatiuo; sed modo impulsiuo, licet sit consubstantialis: vel quia processio Spiritus Sancti à Patre, & Filio, est per se communicatiua velle, quod est extrà Dei essentiam: vel quia processio Spiritus Sancti, est processio consubstantialis per se fecunda;hæc autem non est generatio. Reuelat Deus naturam humanam esse assumpsibilem à Verbo Diuino vnione personali, reuelatione nimirum in generali, & implicita in eo, quod reuelauit Verbum Diuinum fuisse incarnatum; theologia sacra ex reuelatis vt scitis,non habens medium intrinsecum ad probandam hanc veritatem, emendicat sibi illud à methaphysica vniuersalissima,supposita tamen diuina reuelatione, & medium est hoc;quia vnio Personalis est vnio substantialis in ratione termini substantialis; at non repugnat diuinæ Personæ esse terminum substantialem naturæ humanæ. Denique reuelat Deus Corpus Christi reperiri per conuersionem sacramentalem sub accidentibus Hostiæ ritè consecratæ, sine vlla inhæsione accidētis Hostiæ Corpori Christi Domini, theologia sacra non habet in se medium ad probandam veritatem huius reuelatæ propositionis, sed illam sibi mutuatur à methaphysica, quia scilicet essentia accidentis saluatur sufficienter per inhæsionem aptitudinalem ad suum subiectum.

Doctrina pariter suprà explicata, qua diximus potentiā sensitiuā esse materialē, quia dependet inhæsiuè ab organo materiali; pati potest instantiam: nam dicere potest Aduersarius, ens esse cognitiuum, inquantum est in aliquo gradu immaterialitatis, sed potentia sensitiua est cognitiua formaliter; ergò implicat eam esse materialem.

Sed hæc instantia soluitur facillimè à Methaphysico vniuersalissimo; statim enim hic respondebit, potentiam sensitiuam esse materialem materialitate essentiæ; immaterialem verò per abstractionem à singularitate determinata, & materiali, vel per independentiam à materia elementari, siuè à qualitatibus elementaribus, quæ sunt materiales, & hic est gradus immaterialitatis, in quo fundatur. Difficultas autem est.

An hæc responsio, licet subtilis, euacuet tamen difficultatem; nam vis argumenti in eo sita est. Scientia non potest eleuari suprà suam substantiam: quia proportionatur potentiæ intellectiuæ; hæc autem, etiam vt instrumentum, non potest eleuari in cognoscendo suprà suam substantiam; sed tantùm suprà suas vires naturales; sed intrà suam substantiam,seu intrà suum obiectum formale; ergo neque scientia in sciendo potest eleuari suprà suam substantiam, vt causa instrumentalis; at si scientia subalternata vteretur, ad probandum sua principia, medio intrinseco scientiæ subalternantis, eleuaretur instrumentaliter extrà suam speciem; quia extrà suum obiectum formale. Hæc autem vis argumenti non euacuatur per hoc, quod dicitur, potentiam sensitiuam, & potentiam intellectiuam esse non solùm diuersæ speciei, sed etiam diuersi generis;scientiam verò subalternatam,& subalternantem esse quidem diuersæ speciei, sed vnius generis; hæc autem conuenientia in genere est sufficiens causa, vt scientia subalternata possit, vt causa instrumentalis scientiæ subalternantis, vti medio formali subalternantis ad probandum sua principia.

Non, inquam,per hanc disparitatem

sol-

ſoluitur vis, & difficultas argumenti; quoniam adhùc potentia viſiua, & potentia auditiua ſunt vnius generis, & diuerſæ ſpeciei; attamen non poteſt potentia viſiua vti ſpecie ſenſibili auditus, vt cauſa inſtrumentali ad cognoſcendum ſuum obiectum, vt fusè probabitur in quæſtione de viſione intuitiua creata Dei.

Quod ſi dicas, hoc proprium eſſe ſcientiæ ſubalternatæ, quia ſcientia ſubalternata eſt ex ſcitis in ſuperiori ſcientia.

Statim poteſt dicere Aduerſarius, ſciẽtiam ſubalternatam eſſe ex ſcitis in ſuperiori ſcientia; non quia principia ſubalternatæ in ratione ſcientiæ probantur ab ipſa ſubalternata, principijs ſcientiæ ſubalternantis; quia hoc eſt impoſſibile: ſed quia principia ſcientiæ ſubalternatæ, fiunt clara, & euidentia per euidentiam ſcientiæ ſubalternantis, quando ei continuatur in eodem intellectu.

Quod ſi ſecundo dicas, quod ſæpe ſciens, tantùm ſcientia ſubalternata, probat ſua principia principijs ſcientiæ ſubalternantis, vt cum ſciens non habeat in ſe aliam ſcientiam, niſi ſubalternatam; ſed in iſto caſu, non eſt in ſciente, & demonſtrante, ſcientia ſubalternans, niſi tantum virtualiter in ſuis principijs: ergo, &c.

Statim Aduerſarius reſpondere poterit, hanc probationem non eſſe à ſcientia ſubalternata, ſed à ſcientia ſubalternante inchoata, quæ eſt potentia intellectiua ſcientis, præſuppoſito habitu principiorum ſcientiæ ſubalternantis; ſicut, v.g. præſuppoſito habitu principiorum theologiæ ſacræ viatorum in intellectu viatoris deducuntur concluſiones ex reuelatis, non quidem habitu fidei diuinæ, quæ eſt habitus principiorum reuelatorum ſecundùm ſe, & abſolutè, ſed à theologia inchoata concluſionum, quæ eſt intellectus creatus, ſuppoſita in ea fide diuina, vt ſuprà oſtendimus; omnis .n. operatio debet reduci ad ſuũ principium formale; principium autem formale elicitiuum actus deductiui concluſionis, eſt habitus concluſionum, vt concluſionum formaliter; non autem habitus principiorum.

Reſpondeo, ſaluo meliori iudicio, ad principalem inſtantiam: concedo potentiam ſenſitiuam in cognoſcendo non poſſe exire extrà ſuum obiectum formale, etiam inſtrumentaliter: concedo pariter potentiam ſenſitiuam non poſſe vti ſpecie intelligibili inſtrumentaliter ad ſentiendum, vel intelligendum; ſed nego hanc impotentiam competere etiam ſcientiæ ſubalternatæ, quia ſcilicet non poteſt ſubalternata inſtrumentaliter vti principijs ſubalternantis ſcientiæ ad probandum ſua principia: & diſparitas eſt; quia potentia cognitiua, eſt cauſa principalis in cognoſcendo, quoad vitalitatem; cauſa autem principalis vt ſic, non poteſt abſolutè, & ſimpliciter eſſe inſtrumentum ad terminum nobilioris ordinis, & generis; quoniam cauſa principalis eſt prima in ſua ratione, & latitudine formali; implicat autem primum, vt primum in ſuo genere eſſe inſtrumentum: ſicut, v.g. ſubſtantia creata, inquantum ſubſtantia formaliter, implicat, vt poſſit eſſe inſtrumentum; quia eſt prima ratio in eſſendo: quod ſi aliquando ſupernaturaliter Deus vtitur ſubſtantia creata, vt inſtrumento; hoc non competit ſubſtantiæ creatæ, inquantum ſubſtantia creata formaliter, ſed inquantum eſt ens, quod pręſcindit à cauſa principali, & à cauſa inſtrumentali; ens enim vt ens, eſt proprium obiectum potentiæ abſolutæ Dei, vt demõſtrat S. Thomas 1. *par. quęſt.* 25. *art.* 3. *in corp.* Cæterum ſcientia ex ſuo genere non eſt cauſa principalis, quia non eſt vitalis, ſicut eſt potentia cognitiua, ſed præſcindit; & ideò poteſt inſtrumentaliter exire extrà ſuum obiectum formale, ſicut calor poteſt virtute ignis eleuari ad producendum alium ignem. De hoc fusè in quæſtione de viſione Beata.

Obijcies ſecundò: ſcientia ſubalternata dependet eſſentialiter in ratione ſcientiæ à ſua ſcientia ſubalternãte; ſubalternata enim ſcientia de ſe eſt imperfecta ſcientia ſine probatione, per principia ſubalternantis ſcientiæ; ſed theologia ſacra viatorum ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, non dependet eſſentialiter à methaphyſica vniuerſaliſſima; quia cauſa eſt prior ſuo effectu ſaltem prioritate naturæ: at methaphyſica vniuerſaliſſima non eſt prior theologia ſacra viatorum ex reuelatis, vt ſcitis in ſuperiori ſcientia: tum quia controuerſum eſt inter Methaphyſicos, an ea ſit poſſibilis: tum quia nullus Doctor, quem viderim, ſcientificè diſpoſuit, & conſiderauit totam materiam methaphyſicæ Ariſtotelis, & totam materiam theologiæ ſacræ viatorum, ſub ratione formalis entis realis vt ſic.

Quod ſi reſpondeas, ſcientiam ſubalternatam dependere à ſubalternante in genere cauſæ finalis, ad hanc autem dependentiam ſatis eſt, vt finis præexiſtat in intentione, non quidem ſcientis, ſed in intentione naturæ ſcientiæ.

Contra eſt primò, quia dependentia ſcientiæ ſubalternatæ à ſua ſcientia ſubalter-

ter-

ternante, est in genere causæ efficientis, loquendo de subalternatione essentiali, seu formali in ratione scientiæ, sine qua neque esse, neque intelligi potest subalternatio, nisi fiat quæstio de nomine, & ratio à priori est; quia scientia subalternata in ratione scientiæ dependet à principijs subalternantis, quatenus sunt causa connexionis prædicati cum subiecto in conclusione; sed hoc est genus causæ efficientis, quia est causa passionum, hæc autem est causa efficiens, saltem virtualiter. Secundò, quia causa finalis, & causa efficiens, vt docet Aristoteles 2. *physicorum cap. 3.* sese comitantur, & sese mutuò causant; ergo si scientia subalternata dependet à subalternante, vt à causa finali, debet subalternata scientia esse causa efficiens scientiæ subalternantis; sed hoc est falsum ergo.

Respondent aliqui, scientiam subalternatam in ratione scientiæ dependere à subalternante, quantum ad euidentiam actualem, non autem quantum ad euidentiam aptitudinalem, quæ est exigitiua euidentiæ scientiæ subalternantis, sicut accidens dependet à subiecto suo inhæsionis, quantum ad inhæsionem actualem, non quantum ad inhæsionem aptitudinalem, quæ est exigitiua inhæsionis actualis in suo subiecto, quam euidentiam actualem non habet, nec potest habere scientia subalternata, nisi vniatur scientiæ subalternanti in eodem intellectu; antequam autem continuetur, siuè vniatur scientiæ subalternanti in eodem intellectu, scientia subalternata est essentialiter scientia in sua specie scientiæ subalternatæ; quia differentia essentialis, & specifica scientiæ subalternatæ, est euidentia aptitudinalis, non autem actualis; aptitudinalem autem habet dependenter à suis principijs proximis, & immediatis, vt scibilibus in superiori scientia eam subalternante; & sic non datur effectus sine sua causa efficiente; quia causa efficiens immediata, & proxima scientiæ subalternatæ est intellectus, prout est in actu principijs, ex quibus subalternata scientia suas deducit conclusiones; intellectus autem huiusmodi præexistit actu productioni ipsius scientiæ subalternatæ: qua posita doctrina, respondent in forma ad argumētum; cōcedunt .n. non posse esse scientiam subalternatam, nisi dependenter à sua causa efficiente; sed negant theologiam sacram viatorum, non habere hanc causam efficientem ante se existentem; quia, vt dixi, hæc causa est intellectus in actu per principia proxima; ex quibus proximè subalternata suas deducit conclusiones, quæ in theologia sacra viatorum secundùm se sunt præmissæ reuelatæ à Deo, præsuppositis vt scitis, siuè scibilibus in superiori scientia: cum verò dicitur, quod theologia sacra viatorum non dependet essentialiter à methaphysica vniuersalissima; quia causa vt causa est prior suo effectu, saltem prioritate naturæ, & causa efficiens, vt efficiens est prior suo effectu prioritate existentiæ, saltem prioritate naturæ; at methaphysica vniuersalissima non præexistit theologiæ sacræ ex reuelatis vt scitis in superiori scientia. Respondetur cum distinctione; theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis, quantum ad suam euidentiam aptitudinalem, non dependet à methaphysica vniuersalissima, vt à causa efficiente, & concedo: quantum ad euidentiam actualem, & nego: & ideò antequam sit methaphysica vniuersalissima in intellectu viatorum; theologia ex reuelatis vt scitis, est in intellectu viatoris actu, quantum ad euidentiam aptitudinalem, non autem quantum ad euidentiam actualem; quia hæc euidentia actualis dependet à methaphysica vniuersalissima, quæ præsupponitur non esse in intellectu viatoris. Argumentum vim haberet, si poneretur in intellectu viatorum theologia sacra ex reuelatis vt scitis, actu euidens euidentia actuali; quia daretur effectus in actu sine sua causa in actu, quod implicat; sed hoc non potest dici de theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, quatenus ad eius euidentiam aptitudinalem, quæ est differentia essentialis constituens, & distinguens scientiam subalternatam specie à sua scientia subalternante.

Hæc responsio vera quidem est; sed non plenè euacuat difficultatem; nam dicet Aduersarius, quod theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis, in superiori scientia, probat in statu viæ propositiones reuelatas in sensu materiali, & specificatiuo medijs intrinsecis, sine præexistentia in eodem intellectu methaphysicæ vniuersalissimæ, & hoc suprà ostendimus cum diximus, Theologum probare, supposita tamen fide reuelante, vt conditione, in Deo esse processiones ad intrà, & vnam esse generationem, aliam verò non item, &c. at si theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis, subalternaretur methaphysicæ vniuersalissimæ, non posset fieri huiusmodi probatio; quia implicat esse effectum sine sua causa; causa autem sunt principia intrinseca methaphysicæ vniuersalissimæ, quæ non supponitur præexistere in intellectu viatoris in actu, &

for-

formaliter, sed tantum in radice, & quantum ad sua principia.

Respondeo ego primò, in Theologo viatore præexistere methaphysicam vniuersalissimam, quantum ad sua principia, nō autem quantum ad effectum principiorum, qui est ipsa methaphysica vniuersalissima quantum ad suum esse formale; siuè præexistere methaphysicam vniuersalissimam, non quantum ad suum esse formale, sed quantum ad suum esse causale; quia principia methaphysicæ vniuersalissimæ, sunt ipsamet principia methaphysicæ Aristotelis, non quidem considerata materialiter, sed formaliter; hæc autem præexistunt in intellectu Theologi viatoris ipsi theologiæ sacræ ex reuelatis vt scitis in superiori scientia; & hoc satis est, vt Theologus viator præsupposita fide diuina, vt conditione manifestante, possit probare medio intrinseco vniuersaliori principia reuelata accepta vt scita in superiori scientia; ex cognitione enim principiorum, inquantum sunt causa, producitur scientia illatiua.

Neque huic doctrinæ obstat primò, si Aduersarius dicat, ex hoc sequi theologiam sacram ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia, esse actu euidentem, antequam contineutur scientiæ superiori existenti in Beatis; at hoc est falsum, tum quia theologia sacra viatorum in statu viæ est coniuncta fidei diuinæ, quæ est incompossibilis cum scientia euidente de eodem obiecto; tum etiam quia theologia sacra viatorum secundùm se non subalternaretur scientiæ superiori existenti in Beatis, quia subalternatio est quoad euidentiam actualem; hanc autem habet, antequam continuetur suę scientiæ subalternanti.

Respondeo enim, nego sequelam, & ratio est; quia methaphysica vniuersalissima, adhùc est scietia subalternata, sed media inter theologiam sacram viatorum ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia; & methaphysicam vniuersalissimam, quoad substantiam, supernaturalem, quæ est per se infusa, vt articulo sequenti demonstrabitur; omnis autem scientia subalternata vt sic, est euidens euidentia aptitudinali; neque hoc impedit, vt methaphysica vniuersalissima sit etiam subalternans sibi theologiam sacram viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori; quia est subalternans, & subalternata respectu diuersorum, sicut est syllogismus medius inter duos syllogismos, quorum vnus est superior alio.

Quod si dicas, scientiam subalternatam fieri actu euidentem, cùm eius principia probatur principijs subalternantis sciētiæ; quoniam subalternatio in ratione sciētiæ, est indigentia vnius scientiæ ad aliam superiorem, quoad euidentiam actualem; ergo si theologia sacra ex reuelatis vt scitis, subalternatur methaphysicæ vniuersalissimæ, hęc methaphysica debet esse actu euidens; euidentia autem non est compossibilis cum fide in eodem intellectu de eodem obiecto, quando probat sua principia per principia superioris scientiæ subalternantis.

Respondeo, antecedens esse verum de scientia subalternata scientiæ subalternanti vltimæ, non autem subalternanti non vltimæ, & mediæ; & ratio est, quia euidentia actualis, est scientiæ, quæ est ex primis, & immediatis; prima autem, & immediata principia, non sunt demonstrabilia per alia priora; principia autem scientiæ intermediæ, non sunt prima, & immediata, sed secunda, & mediata; ideò non sunt euidentia actu, sed tantum aptitudine, quæ doctrina est Aristotelis *lib. 1. topicor. cap. 1.* qui distinguit demonstrationem à priori, in demonstrationem, quæ est ex primis, & immediatis; & in demonstrationem, quæ est ex principijs secundis, quæ scilicet adhuc sunt demonstrabilia per alia priora; definit enim eo loco demonstrationem, in demonstrationem, quæ est ex veris primis, & immediatis, vel ex talibus, quæ originem sumpserunt ex primis, & immediatis; quæ definitio differt à demonstratione, quam definit Aristotiles *lib. 1. poster. cap. 2.* dicens, demonstrationem, esse syllogismum ex veris primis, & immediatis, clarioribus, causisque conclusionis; quia hæc definitio est definitio demonstrationis potissimæ, quæ causat scientiam per se certam, & actu euidentem: & hęc doctrina recipitur etiam ferè ab omnibus; nam ferè omnes distingunt euidentiam scientialem, in euidentiam immediatam, & in euidentiam mediatam; mediata est aptitudinalis, quia oritur ex principijs intrinsecis, sed mediatis; immediata verò est actualis, quia oritur ex principijs primis intrinsecis, & immediatis.

Argumentum in oppositum vim haberet; quando methaphysica vniuersalissima esset ex primis, & immediatis simpliciter, quod falsum est; quia principia methaphysicæ vniuersalissimæ, sunt ex principijs contractis ad reale quidem; sed vt cognoscibile per abstractionem naturalem ab ente naturali, & supernaturali, supposita tamen fide diuina, vt conditione manifestante veritates supernaturales: vel alijs verbis prin-

principia methaphyficæ vniuerfaliffimæ, non funt prima, & immediata fimpliciter; quia concernunt ens abftrahens à naturali, & fupernaturali, vt cognofcibili ex accidenti in ftatu viæ lumine fidei diuinę, quod eft ens contractum, vltrà quod datur aliud ens vniuerfalius, quod eft ens, vt cognofcibile lumine claro fupernaturali, de quo in fequenti articulo fusè dicetur.

Quod fi iterum dicas, faltem ex doctrina fuprapofita fequi methaphyficam vniuerfaliffimam, effe actu ineuidentem ineuidentia actuali inadæquata; fed hoc neque poteft effe verum, quia methaphyfica vniuerfaliffima, quæ eft methaphyfica vniuerfaliffima de ente naturali, & fupernaturali, cognofcibili lumine diuinæ reuelationis, eft compoffibilis cum fide diuina in ftatu viæ; fed nulla euidentia actualis, neque imperfecta, & incompleta, eft compoffibilis in eodem intellectu cum fide diuina de eodem obiecto materiali; quia euidentia actualis incompleta, adhuc euidentia actualis eft formaliter; at fidei diuinæ repugnat omnis euidentia actualis; quia fides diuina eft adęquatè per fe obfcura, & ineuidens; ineuidentia autem per fe, & adæquata excludit etiam ineuidentiam inadæquatam, & imperfectam.

Refpondeo, nego fequelam, & ratio eft primò; quia methaphyfica vniuerfaliffima, quæ tractat de ente naturali, & de ente fupernaturali, vt cognofcibilibus lumine diuinæ reuelationis, fupponit in ftatu viæ fidem diuinam, quæ eft omninò incompoffibilis cum omni euidentia actuali, etiam incompleta. Secundò, & à priori; quia methaphyfica prædicta vniuerfaliffima eft ex principijs vt notis, fcilicet vt nofcibilibus lumine fuperioris fcientiæ, quæ eft, vt dicemus articulo fequenti de ente reali, vt cognofcibili lumine fupernaturali claro; non quidem claritate intuitiua, qualis eft claritas vifionis beatæ, quæ eft fcientiæ Dei, & Beatorum; fed claritate abftractiua, quæ eft claritas fcientiæ fupernaturalis rerum in proprio genere: hæc autem fcientia non eft euidens, nifi euidentia mediata, quæ eft aptitudinalis, quę eft effectus demonftrationis, non quidem demonftrationis, quæ eft ex primis, & immediatis fimpliciter; fed ex principijs fecundis, quæ originem trahunt ex primis, & immediatis, vt docet Ariftoteles *1. topicor. cap. 1.*

Neque huic doctrinæ obftat S. Thomas *1. par. quæft. 1. art. 5. ad 2.* dicens, quod theologia facra viatorum vtitur fcientijs naturalibus, vt inftrumentis, & ancillis: non enim, inquit S. Thomas, theologia facra viatorum accipit fua principia ab alijs fciẽtijs, fed immediatè à Deo per reuelationem, & ideò non accipit ab alijs fcientijs, tamquam à fuperioribus, fed vtitur eis tamquam inferioribus, & ancillis; ficut architectonicæ vtuntur fubminiftrantibus, & ciuilis militari; & hic vfus, fubiungit, in theologia facra viatorum non eft propter defectum eius; fed propter defectum intellectus noftri, qui ex his, quæ per naturalem rationem cognofcuntur, faciliùs manuducitur in ea, quæ funt fupra rationem, quæ in hac facra fcientia traduntur: at addo ego; fi theologia facra ex reuelatis vt fcitis in fuperiori fcientia fubalternaretur methaphyficæ vniuerfaliffimæ, probaret fua principia per principia methaphyficæ vniuerfaliffimæ propter fui defectum intrinfecum, non autem propter defectum intellectus noftri.

Non, inquam, prædictæ doctrinæ obftat, quod docet S. Thomas prædicto loco; nam Sanctiffimus Doctor loquitur de fcientijs purè naturalibus, quæ fcilicet non fupponunt fidem diuinam, quæ quidem fcientiæ funt de ente, vt cognofcibili tantum lumine naturali: at methaphyfica vniuerfaliffima, eft nõ folùm de entibus naturalibus; fed etiã de entibus fupernaturalibus, fuppofita fide diuina, vt conditione manifeftante, & veritates naturales, & fupernaturales.

Hic vna remanet difficultas foluenda, quæ eft, an quando theologia viatorũ probat principia, ex quibus vt fcitis in fuperiori fcientia fuas deducit conclufiones; hic actus probandi fit actus theologiæ facræ viatorum ex reuelatis vt fcitis; an fit actus methaphyficæ vniuerfaliffimæ: & ratio dubitandi eft; quia non poteft effe actus theologiæ facræ, tùm quia theologia facra diftraheretur à fua ratione effentiali, quia effet methaphyfica vniuerfaliffima; tùm etiam, quia theologia facra viatorum non poteft exire, fiuè operari extrà fuum obiectum formale, quod eft ens cognofcibile lumine diuinæ reuelationis; neque poteft effe actus methaphyficæ vniuerfaliffimæ, quia hæc non fupponitur in Theologo viatore; nullus enim Methaphyficus, adhæc vfque tempora reperitur, qui fcientificè difpofuerit, & confiderauerit, fub vna ratione formali, obiecta formalia methaphyficæ Ariftotelis, & theologiæ facræ viatorum.

Refpondeo, faluo femper meliori iudicio, actum qua Theologus viator probat principia reuelata, vt fcita in fuperiori fciẽtia per principia methaphyfica, effe actum theologiæ facræ viatorum, ex reuelatis vt fcitis in fuperiori fcientia, tamquam caufæ inftrumentalis methaphyficæ vniuerfaliffimæ;



Digitized by Google

mæ; non autem tamquam causæ principalis (appello hic causam principalem, quæ operatur virtute suæ formæ; causam verò instrumentalem, quæ operatur virtute causæ principalis.)

Quod si obijcias; hoc non posse esse, primò; quia causa instrumentalis supponit causam principalem, cui subordinatur in operando, vt præexistentem, præsertim causa instrumentalis in genere efficientis; sed hæc methaphysica vniuersalissima non præsupponitur in Theologo viatore, vt sepiùs repetiui. Secundò, quia scientia non potest exire extrà suum obiectum formale, etiam instrumentaliter; ergo, &c.

Respondeo, nego antecedens; ad probationem dico, quod theologia sacra viatorum probat sua principia per principia methaphysicæ vniuersalissimæ, virtute principiorum methaphysicæ vniuersalissimæ, quæ reperiuntur formaliter in principijs methaphysicæ Aristotelis, quæ est purè naturalis; eadem enim formaliter sunt principia methaphysicæ puræ naturalis, & methaphysicæ vniuersalissimæ; solùm verò differunt inter se quantum ad materiam, sicut syllogismus formaliter reperitur, tàm in materia probabili, quàm in materia demonstratiua, & probabili: theologia sacra viatorum, vt euecta, seù eleuata virtute principiorum formaliter methaphysicæ, probat sua principia, quæ sunt reuelata in sensu materiali, & specificatiuo; in secundo enim semper reperitur virtus primi: at methaphysica hæc Aristotelis, siuè purè naturalis, præexistit in Theologo viatore antè acquisitionem theologiæ sacræ, sicut etiam præexistunt in Theologo viatore principia methaphysicæ vniuersalissimæ quantum ad formale, licet non quantum ad materiale. Cum verò dicitur ab opponente, quod scientia non potest exire, etiam vt causa instrumentalis extra suum obiectum formale, secùs posset potentia sensitiua cognoscere Deum in se, & potentia visiua posset sentire sonum, vt instrumentum auditus. Ad hoc iam suprà responsum, est negando assumptum, & disparitas est de scientia, & de potentia cognitiua; nam potentia cognitiua, vt dixi, quo ad vitalitatem ex suo genere est causa principalis: scientia verò ex suo genere præscindit à ratione causę principalis, & à ratione causæ instrumentalis, quoniam scientia habitualis, non est vitalis.

Potest etiam responderi secundò, quod theologia sacra viatorum, vt causa instrumentalis, non quidem methaphysicæ vniuersalissimæ habitualis; sed vt causa instrumentalis methaphysicæ vniuersalissimę inchoatæ, quæ est prior in intellectu viatorum, quam sit theologia sacra ex reuelatis; probat sua principia, principijs methaphysicæ vniuersalissimæ.

Tertia conclusio. Theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, non est subalternata in sciendo methaphysicæ Aristotelis, neque methaphysicæ vniuersaliori, quæ est Mirandulani; sed potiùs è contra, istæ duæ methaphysicæ subalternantur, in ratione scientiæ, theologiæ viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, quæcunque illa sit. Conclusio duas habet partes, prima asserit theologiam ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, non subalternari in sciendo methaphysicæ Aristotelis, nec methaphysicæ vniuersaliori, quæ est Mirandulani. Methaphysica Aristotelis scientificè tractat directè de scibili naturali positiuo vt sic, quod communiter vocant ens naturale, inquantum huiusmodi; methaphysica verò Bernardini Mirandulani scientificè tractat de scibili naturali reali abstrahente à scibili naturali positiuo, & à scibili naturali negatiuo: & de his methaphysicis naturalibus, loquitur S. Thomas 1. *par. quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 2. cum dicit, quod theologia sacra viatorum non accipit sua principia ab alijs scientijs, sed immediatè à Deo per reuelationem: cuius ratio esse potest; quia theologia sacra viatorum immediatè tractat de veritatibus, tàm supernaturalibus, quam naturalibus, quæ immediatè sunt reuelatæ à Deo. Secunda pars asserit, theologiam sacram ex reuelatis à Deo vt scitis, nimirum suppositis vt scitis in superiori scientia, esse scientiam subalternantem sibi omnes scientias inferiores naturales, à quibus excluditur methaphysica vniuersalissima, quæ est de veritatibus, tàm naturalibus, quàm supernaturalibus sub ratione formali obiectiua; quia sunt ens reale vt sic. Ratio fundamentalis primę partis conclusionis est, quia subalternatio in ratione scientiæ, siuè in sciendo, reperitur tantummodò in scientia inferiori respectu scientiæ vniuersalioris, & superioris; sed methaphysica Aristotelis, & methaphysica Mirandulani, non sunt scientiæ vniuersaliores theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia: ergo theologia sacra viatorum non subalternatur methaphysicæ Aristotelis, neque methaphysicæ Mirandulani. Maior probatur, primò, quia subalternatio in ratione scientiæ est dependentia essentialis in sciendo vnius scientiæ ab alia; hęc autem dependen-

Digitized by Google

dentia essentialis, est scientiæ inferioris à scientia sua superiori; dependentia enim essentialis in sciendo consistit in hoc, quod principia scientiæ inferioris demonstrantur principijs intrinsecis superioris scientiæ; probatio enim intrinseca à priori, est per principia intrinseca vniuersaliora; vt clariùs, & fusiùs probabitur sequenti articulo, nè eadem sepiùs repetamus. Minor principalis argumenti est euidens; quia scientia vna est vniuersalior alia, quando eius obiectum formale est vniuersalius obiecto formali alterius; sed obiectum formale vtriusque methaphysicæ, & Aristotelis, & Mirandulani, non est vniuersalius, & superius obiecto theologiæ sacræ viatorum; quoniam obiectum vtriusque methaphysicæ est scibile ordinis naturalis tantummodò; obiectum verò theologiæ sacræ viatorum est scibile commune scibili naturali, & scibili supernaturali, præsupposita fide diuina reuelante, tàm veritatem supernaturalem, quàm naturalem; sed scibile naturale, non est vniuersalius scibili, supposita fide diuina reuelante.

Neque dicas, quod methaphysica Aristotelis, & Mirandulani tractant scientificè de ente, quod dicitur de Deo, & de creaturis; tractant enim directè de Deo, & creaturis, quatenus ens sunt formaliter, sed hoc est vniuersalius, quam sit obiectum theologiæ sacræ viatorum; vel quia obiectum formale, & adæquatum theologiæ sacræ est Deus, secundùm quod Deus; vel quia obiectum formale theologiæ sacræ viatorum, est scibile contractum ad supernaturalē; quia est de scibili, vt cognoscibili lumine diuinæ reuelationis: esse verò cognoscibile lumine diuinæ reuelationis competit, tàm enti supernaturali, quod est minus vniuersale, quàm sit ens vt ens, quod est obiectum methaphysicæ Aristotelis, & methaphysicæ Mirandulani; quàm enti supernaturali.

Respondeo enim, distinguo maiorem; ens, quod dicitur de Deo, & de creaturis, dupliciter sumi potest, vno modo, vt cognoscibile per medium naturale; alio modo vt cognoscibile, præsupposito lumine diuinæ reuelationis: methaphysica Aristotelis, & methaphysica Mirandulani scientificè tractant de ente, quod dicitur de Deo, & de creaturis, vt cognoscibile solo lumine, vel medio naturali; non autem vt cognoscibile, præsupposito lumine diuinæ reuelationis, aut præsupposita fide diuina manifestante; ens vt cognoscibile solo lumine, vel medio naturali, non est vniuersalius; sed minùs vniuersale, quàm sit ens, vt cognoscibile, præsupposita fide diuina manifestante; hoc enim scibile est vniuersalius, quàm sit scibile, solo lumine, vel medio naturali; nam lumen, seù medium naturale manifestat tantummodò prædicata naturalia entis naturalis; lumen verò diuinæ reuelationis, manifestat non solùm prædicata supernaturalia, sed etiam prædicata naturalia; multa enim prædicata naturalia, non sunt cognoscibilia perfectè, nisi lumine diuinæ reuelationis; nisi enim constaret fide diuina accidentia esse sine subiecto, ratio naturalis non inuenisset accidentis essentiam non esse actualem, sed aptitudinalem dependentiam à subiecto: idem dico de multis alijs, vt de distinctione extensionis localis ab extensione quantitatiua, & de distinctione reali subsistentiæ personalis à natura.

Ratio secundæ partis conclusionis, nimirum scientias solo naturali lumine acquisibiles, subalternari theologię sacræ viatorum ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia, est hæc; quia obiectum formale scientiarum naturalium, ęst materiale obiecti formalis theologiæ sacræ ex reuelatis vt scitis in superiori scientia; sed hoc satis est, vt scientiæ purę naturales, quales sunt physica, & methaphysica subalternentur in ratione scientiæ, theologiæ sacræ, quæ est ex reuelatis vt scitis in alia superiori scientia. Maior, in qua est difficultas, probatur; quia obiectum formale scientiarum naturalium; quę scilicet non supponunt fidem diuinam, vt conditionem manifestantem, vel quæ solo lumine naturali acquiruntur, est ens, vt cognoscibile naturali lumine; siuè est ens vt contractum ad ens naturale, contradistinctum ab ente supernaturali; obiectum verò formale theologiæ sacræ ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, est ens, vt cognoscibile lumine diuinę reuelationis in via; sed ens vt contractum ad naturale, est obiectum materiale entis, vt cognoscibilis lumine supernaturalis reuelationis, quia hoc est vniuersalius ente naturali, tùm in genere entis, tùm in genere scibilis; esse enim reuelabile competit, tàm enti naturali, quàm enti supernaturali: ergo est vniuersalius; hoc autem satis est, vt obiectum naturale sit materiale obiectum obiecti theologiæ sacræ ex reuelatis vt scitis, &c.

Obijcies primo, theologia sacra ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, dependet in sciendo à scientijs naturalibus; sed hæc dependentia est subalternatio in ratione scientiæ, nisi fiat quæstio de nomine; ergo theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis, est subalternata scientijs naturalibus.

bus. Maior, in qua eſt difficultas, probatur primò, quia propoſitiones reuelatę, ex quibus theologia ſuas deducit concluſiones, demonſtrantur principijs intrinſecis methaphyſicis, ſumptis tamquam cauſis intrinſecis in eſſendo, ſaltem virtualiter, vt ſuprà oſtendimus; ſed hæc eſt dependentia eſſentialis in ratione ſcientiæ. Secundò; quia theologia ſacra, quatenus eſt habitus concluſionum, ſæpe in ſuis diſcurſibus adhibet vnam præmiſſam naturalem, ſine qua non poſſet deducere ſuam concluſionem; ſed hic vſus fundatur in intrinſeca dependentia theologiæ ſacræ à methaphyſica naturali; dependentia verò fundatur in intrinſeca indigentia, qua theologia ſacra indiget methaphyſica vniuerſaliſſima; vbi autem eſt indigentia vnius ſcientiæ ad aliam, eſt ſubalternatio in ratione ſcientiæ. Tertiò, in ſyllogiſmo theologico, ſiuè ex vna reuelata, & ex alia naturali, ſiuè ex vtraque præmiſſa reuelata, pręmiſſę, vt ſint cauſa neceſſaria concluſionis, neceſſariò indigent forma ſyllogiſtica: ſed hęc indigentia ſufficienter fundat ſubalternationem theologię ſacrę ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, ad ſcientias naturales; ergo, &c.

Reſpondeo cum S. Thoma 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 5. *ad* 2. tripliciter; primò enim reſpondeo, quod theologia ſacra viatorum, ſcilicet ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, vtitur ſcientijs puris naturalibus ad probandum ſua principia, tamquam inſtrumentis, & ancillis; ſicut architectonicę vtuntur ſubminiſtrantibus, & ciuilis vtitur militari; non autem vt cauſa, ſiuè vt concauſa principali: dependentia vnius ſcientię ab alia, tamquam à cauſa principali, fundat ſubalternationem in ratione ſcientię; non autem dependentia in probando ab alia ſcientia, vt à cauſa inſtrumentali, quod ex terminis ipſis eſt manifeſtum.

Quod ſi dicas, ſcientiam purè naturalem, vt methaphyſica de onte naturali, ſolummodò eſſe inferiorē, quàm ſit theologia ſacra ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia; ſed ſcientia inferior, non poteſt deſeruire ad demonſtrandum, prę ſertim à priori principia ſuperioris ſcientię, quia non poteſt exire extra latitudinem formalem ſui obiecti formalis.

Reſpondeo, diſtinguo minorem, non poteſt ſcientia inferior, vt cauſa principalis demonſtrare principia ſuperioris ſcientię, & concedo: non poteſt, vt cauſa inſtrumentalis ipſius ſuperioris ſcientię, nimirum virtute ſcientię ſuperioris, & nego: quod euidenter conſtat in omnibus cauſis inſtrumentalibus, v. g. calor, vt calor formaliter, & pręcisè, non poteſt virtute ſuæ formæ producere ignem, nimirum non poteſt, vt cauſa principalis producere ignem, ſed virtute formæ ignis eſt eleuabilis ad producendum alium ignem, quod eſt poſſe producere ignem, vt cauſa inſtrumentalis ignis; ità in re noſtra dicendum.

Reſpondeo ſecundò, eodem loco; dupliciter intelligi poſſe theologiam ſacram viatorum dependere à ſcientijs naturalibus ad probandum ſua principia: vno modo ex intrinſeca indigentia, quæ competat theologiæ ſacræ ſecundùm ſe: alio modo, propter indigentiam, & defectum intellectus creati, qui eſt debilis, & impotens ad cognoſcendum ſcibilia ſupernaturalia, niſi manuducatur per rationes naturales: primo modo, nego maiorem; ſecundo modo concedo: ſed hæc dependentia, quæ conuenit theologiæ ſacræ propter defectum, & debilitatem intellectus creati nō eſt ſufficiens ad conſtituendam theologiam ſacram viatorum, ſcientiam ſubalternatam in ratione ſcientiæ ſcientijs naturalibus; tum quia ſubalternatio in ratione ſcientiæ, eſt ex indigentia in ſciendo eſſentiali ſcientiæ ſubalternatæ ſecundùm ſe; tum quia ſubalternatio eſt dependentia ſcientiæ inferioris à ſcientia ſuperiori, tamquam à cauſa principali; at dependentia theologię ſacrę à ſcientijs naturalibus in ſtatu viæ, eſt dependentia accidentalis, & materialis, & eſt tamquam à cauſa non principali, ſed tamquam à cauſa inſtrumentali.

Reſpondeo tertiò cū eodem, duplicem eſſe ſcientiam naturalem; aliam, quæ procedit ex principijs, quæ formaliter conſiderata ſunt vniuerſaliſſima; & huius conditionis eſt methaphyſica vniuerſaliſſima, quæ tractat de entibus cognoſcibilibus lumine diuinæ reuelationis, ſed vt demonſtrabilibus in ſuperiori ſcientia; quoniam ens cognoſcibile lumine diuinæ reuelationis, eſt commune enti naturali, & enti ſupernaturali: & aliam eſſe ſcientiam naturalem, quæ procedit ex principijs, quæ formaliter conſiderata non ſunt vniuerſaliſſima, vt Phyſica, Mathematica, & huiuſmodi; theologia ſacra viatorum ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, dependet eſſentialiter, ſiuè vt à cauſa principali, à ſcientia naturali primę conditionis, nō autē à ſcientia naturali ſecūdæ cōditionis; quia theologia ſacra viatorum ſecundùm ſe, dependet à ſcientia naturali in probando à priori ſua principia per principia priora, & vniuerſaliora in eſſendo; hæc autem ſunt principia methaphy-

phy-

phyſicæ vniuerſaliſſimę, ſed hoc non contradicit aſſerto in concluſione; cum enim diximus cum S. Thoma, theologiam ſacram viatorum non ſubalternari ſcientijs naturalibus, ſed potius ſcientias naturales ſubalternari theologiæ ſacræ, loquuti ſumus de ſcientijs naturalibus, quæ tractant tantummodò de entibus naturalibus, ſcibilibus medio intrinſeco in eſſendo, quæ ſunt ſcientiæ inferiores, & contractæ. Differt verò theologia ſacra viatorum ſecundùm ſe, quatenus vtitur principijs ſcientiarum inferiorum naturalium, à ſeipſa, quatenus vtitur principijs formalibus methaphyſicæ vniuerſaliſſimę ad demonſtrandas ſuas concluſiones in hoc; quia theologia primo modo, tamquam cauſa principalis, vtitur ſcientijs naturalibus inferioribus, vt miniſtris, & inſtrumentis; vtitur verò principijs methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, quatenus ipſa theologia ſacra eſt inſtrumentum eiuſdem methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ; vel in ſuo eſſe formali, quando actu præexiſtit in intellectu Theologi viatoris, vel in ſuo eſſe inchoato, quæ eſt methaphyſica vniuerſaliſſima inchoata, vt explicauimus ſuprà; ac proindè theologia ſacra viatorum ſecundùm ſe ſubalternatur eſſentialiter, in ratione ſcientiæ, methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, non autem ſcientijs inferioribus, quæ ſunt ex principijs contractis, & minus vniuerſalibus. Ex his.

Reſpondeo facilè ad probationes maioris; ad primam enim reſpondeo primò, quod propoſitiones reuelatæ, ex quibus theologia ſacra viatorum ſuas deducit concluſiones, probantur principijs methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, vtens illis theologia ſacra viatorum, quatenus eſt inſtrumentum, ſiuè virtute methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, & concedo: tamquam cauſa principalis, ſiuè virtute ſuæ formæ, & nego: per primum vſum theologia ſacra viatorum ſecundùm ſe ſubalternatur, in ratione ſcientiæ, methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ; ſecundus autem vſus non poteſt competere theologiæ ſacræ viatorum ſecundùm ſe; ſi principia ſumantur formaliter, vt prima, & vniuerſaliſſima; quia primum, & vniuerſaliſſimum vt ſic, implicat poſſe eſſe inſtrumentum, quod non implicat, ſi ſumantur principia vniuerſaliſſima materialiter; ſicut ſi ſumatur ſubſtantia materialiter, non poteſt eſſe inſtrumentum; materialiter verò ſumpta, poteſt.

Secūdò reſponderi poteſt cum S. Thoma *loco ſupra cit.* theologiam ſacram viatorum vti principijs methaphyſicæ naturalis ad probandum ſua principia, tamquam miniſtris, & ancillis, ob defectum, & debilitatem intellectus viatoris, non valentis, virtute theologiæ ſacræ ſecundùm ſe, probare propoſitiones reuelatas, vt ſcibiles in ſuperiori ſcientia; non autem propter indigentiam, & imperfectionem eſſentialem ipſius theologiæ ſacræ ſecundùm ſe; ſubalternatio autem in ratione ſcientiæ, eſt ex intrinſeca indigentia, & neceſſitate ſcientię ſubalternatæ, quam indigentiam non habet theologia ſacra viatorum ex reuelatis vt ſcitis in ordine ad ſcientias inferiores; ſed ſolùm hæc indigentia ei competit, quatenùs eſt in intellectu debili, & impotenti. Neque huic doctrinæ obſtat, id quod ſuprà diximus, nempè theologiam ſacram ex reuelatis a Deo ſecundùm ſe ſubalternari methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, quia S. Thomas loquitur de ſcientijs inferioribus, & contractis, non autem de methaphyſica vniuerſaliſſima, vt *loco citato* docet, quod theologia ſacra viatorum, non ex neceſſitate indiget ſcientijs naturalibus, ſed propter defectum intellectus noſtri; nos autem loquimur de methaphyſica vniuerſaliſſima, cum dicimus theologiam ſacram ex reuelatis ex intrinſeca, & neceſſaria indigentia, vti principijs methaphyſicæ ad ſuas concluſiones, & ad ſua principia probanda.

Ad ſecundam probationem eiuſdem maioris, qua dicitur, quod theologia ſacra, in ſuo diſcurſu theologico, admittit quandoque vnam præmiſſam naturalem, vt in hoc ſyllogiſmo: omnis homo eſt redemptus à Chriſto; Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt redemptus à Chriſto: in quo minor eſt naturalis, maior eſt de fide: & in hoc alio ſyllogiſmo, in quo maior eſt naturalis; minor verò propoſitio eſt de fide: omnis homo eſt animal rationale; Chriſtus eſt homo; ergo Chriſtus eſt animal rationale.

Reſpondeo primò, theologiam ſacram viatorum, non ex ſua intrinſeca indigentia, ſed ob defectum, & debilitatem intellectus creati, non valentis intelligere, propoſitionem notam lumine naturę eſſe reuelatam implicitè, & in generali in propoſitione reuelata in particulari, & explicitè; aliquando admittere in ſuo diſcurſu theologico vnam propoſitionem lumine naturali cognitam: hic autem vſus nō eſt ſufficiens, vt theologia ſacra viatorum ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, ſubalternetur ſcientijs naturalibus, non ſolùm inferioribus, ſed etiam ſcientię ſuperiori, vt eſt methaphyſica vniuerſaliſſima, quia ſubalternatio in ratione ſcientię, fundatur, in intrinſeca indigentia vnius ſcientię ad aliam, &

ſeca

non in indigentia materiali, & subiectiua, quę competit scientię ob defectum intellectus debilis, & in statu viæ.

Respondeo secundò, posse negari theologiam sacram admittere aliquando in suo discursu theologico, vnam præmissam naturalem in sensu formali, & reduplicatiuo; sed solùm in sensu materiali, & specificatiuo: nam potest quis dicere, & rationabiliter, theologiam sacram viatorum admittere in suo discursu vnam præmissam naturalem, non quatenus naturalem formaliter, sed quatenus reuelatam in generali, & implicitè, in propositione reuelata in particulari, & explicitè, siuè ea sit maior, siuè minor. Sine dubio communis doctrina Theologorum est, theologiam sacrā, aliam esse ex vtraque reuelata; & aliam ex vna tantùm reuelata, & ex alia non reuelata. Sed isti, vel loquuntur de propositione non reuelata explicitè, & in particulari, vel ex non reuelata ex defectu intellectus debilis; non autem propter indigentiam essentialem theologiæ, quæ secundùm se dependet tantùm à scientia superiori. Vel dici potest, quod theologia admittit aliquando in suo discursu propositionem naturaliter cognitam, tamquam instrumentum, quo vtitur, vt causa principalis; sicut causa principaliter supernaturalis vtitur re materiali suo vsu virtuoso, ad producendum effectum supernaturalem.

Quod si primò dicas; hic vsus instrumentalis virtuosus, quo theologia sacra ex reuelatis vt scitis, vtitur præmissa naturali in suo discursu, sufficiens est ad constituendum theologiam sacram viatorum subalternatam methaphysicæ purè naturali, quæ est methaphysica Aristotelis: & probatur primò, quia hic vsus virtuosus instrumentalis satis est, vt theologia sacra viatorum secundùm se, sit essentialiter subalternata methaphysicæ vniuersalissimæ, vt suprà ostendimus. Secundò, quia hic vsus virtuosus eleuat prēmissam naturaliter cognitam, vt obiectum formale ipsius theologiæ sacrę ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, cum hoc sit commune omni causæ principali, operanti medio instrumento: v.g. ignis sua virtute eleuat calorem, qui virtute suæ formæ, qua est calor formaliter, non potest producere ignem; secùs omnis calor esset productiuus ignis, quia omnis calor est calor formaliter: ergo ex hoc, quod theologia sacra vtitur scientijs naturalibus inferioribus, tamquam ancillis; satis est, vt theologia sacra viatorum sit subalternata scientijs naturalibus, præsertim methaphysicæ.

Respondeo, duplicem esse vsum, quo vna scientia potest vti principijs alterius; alius est propter indigentiam intrinsecam, & essentialem scientiæ principalis vtentis alia: & alium propter defectum subiecti, nimirum intellectus debilis, & impotentis, etiam supposita fide diuina, ad cognoscendum propositionem naturalem esse reuelatā in generali in ꝑpositione reuelata in particulari: ex hoc duplici vsu instrumētali, primus, est sciētię essentialiter subalternatæ, & non secundus; vsus autem, quo theologia sacra viatorum vtitur medio formali scientiæ vniuersalissimæ, siuè eius principijs constituit scientiam sacram ex reuelatis vt scitis, essentialiter subalternatam in ratione scientiæ, methaphysicæ vniuersalissimę; quia competit theologiæ sacræ ex reuelatis propter eius essentialem dependentiam, & exigentiam, qua indiget medio formali methaphysicæ superioris, seù eius principijs, non solùm ad ostendendum sua principia, sed etiam suas conclusiones.

Quod si secundò dicas, quod theologia sacra ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, dum est in statu viæ, non potest habere hunc vsum, quia non habet in statu viæ methaphysicam vniuersalissimam.

Respondeo cum distinctione, theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, non habet in statu viæ methaphysicam vniuersalissimam, quantum ad suum esse formale, quod est effectus demonstrationis, & concedo: non habet methaphysicam vniuersalissimam, quoad sua principia, ex quibus produci potest, & nego: nam hæc theologia sacra supponit in intellectu viatoris principia prima methaphysicæ naturalis, non solùm quantum ad eorum esse materiale, quod est esse naturale, quod omnes appellamus esse materiale, siuè entitatiuum; sed etiam quantum ad eorum esse formale, & hæc principia quantum ad eorum esse formale sunt principia methaphysicæ vniuersalissimæ; vel satis est, vt diximus, vt præexistat in intellectu methaphysica vniuersalissima inchoata.

Quod si dicas; principia methaphysicæ vniuersalissimæ sunt abstracta ab omni materia, & naturali, & supernaturali; at principia methaphysicæ naturalis, siuè Aristotelis, siuè alterius Methaphysici, sunt immersa in materia naturali; ergo, &c.

Respondeo, principia methaphysicæ vniuersalissimæ existentia in esse naturali, esse abstracta abstractione fondamentali, non autem abstractione actuali ab omni materia, & naturali, & supernaturali;

scien-

ſcientia autem, vt ſuprà ſæpe repetiuimus, ſpecificatur à principijs abſtractis à materia abſtractione fundamentali, non autem abſtractione actuali. Sunt hæc principia metaphyſicæ vniuerſaliſſimæ abſtracta abſtractione fundamentali; quia ſecundùm ſe poſſunt definiri ſine materia naturali, ad eum modum, v.g. quo natura humana præſcindit præciſione fundamentali à materia indiuiduali, vt docet S. Doctor *1. par. quæſt. 3. art. 3. in corp.* quia materia indiuidualis cum accidentibus omnibus indiuiduantibus ipſam, non cadit in definitionem naturæ humanæ; homo enim eſſentialiter eſt tantùm animal rationale, ſiuè compoſitus ex forma, & materia in communi.

Obijcies ſecundò: principia ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, in certitudine dependent à certitudine principiorum ſcientiarum naturalium, quæ ſcilicet ſolo naturæ lumine acquiruntur; ſed hæc dependentia ſufficiens eſt, vt hæc theologia ſit ſubalternata ſcientijs puris naturalibus; ſubalternatio etenim in ratione ſcientiæ, eſt dependentia vnius ſcientiæ ab alia in prædicatis eſſentialibus ſcientiæ; certitudo autem eſt vnum ex prædicatis eſſentialibus ſcientiæ, vt ſuprà oſtendimus; ergo, &c. Maior, in qua eſt difficultas, probatur; quia principia theologiæ ex reuelatis à Deo vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, in Beatis exiſtente, ſunt dubitabilia, niſi probentur rationibus naturalibus; ſuppoſita tamen fide diuina, vt conditione manifeſtante; ſunt enim hæc principia, articuli fidei: at multi negant veritatem principiorum fidei ſcientificam: dico veritatem ſcientificam; quia non loquor de articulis fidei, quatenus creduntur ob motiuum formale, quia Deus illas reuelauit; ſed quatenus ſunt obiectum theologiæ, quæ eſt habitus concluſionum, & conſequenter loquor de certitudine ſcientiæ illatiuæ, non de certitudine fidei diuinæ; ſuprà enim latè probauimus, articulos fidei diuinæ vt ſic, non admittere ſui intrinſecam probationem, ſcilicet ex medio intrinſeco eſſendi: ſicut etiam probauimus, certitudinem fidei eſſe certitudinem extrinſecam, quæ non eſt certitudo ſcientiæ; non autem certitudinem intrinſecam, quæ eſt ſcientiæ, & eſt cum euidentia, ad differentiam certitudinis extrinſecæ, quæ eſt cum obſcuritate, & ineuidentia; hæc autem dubitatio tollitur rationibus naturalibus, quibus, ſuppoſita fide diuina, probantur principia reuelata in ſenſu materiali, quatenus ſunt ſcibilia in ſuperiori ſcientia; ergo principia theologiæ ex reuelatis vt ſcitis, &c. dependent in certitudine à principijs ſcientiarum naturalium.

Reſpondeo, diſtinguo maiorem; principia enim theologiæ ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, dupliciter conſiderari, & ſumi poſſunt; vno modo ſecundùm ſe, ſiuè ſecundùm ſua prædicata eſſentialia; alio modo, quatenus ex accidenti ſunt in ſtatu viæ, per quem impedimur ex accidenti ad non valendum cognoſcere veritatem rerum reuelatarum à Deo, quæ ſunt principia diſcurſus theologici; ſicut, & theologia ipſa, quæ eſt habitus concluſionum ex reuelatis, poteſt dupliciter ſumi, vel per ſe, & ſecundùm ſuam naturam; vel prout eſt in ſtatu viæ: ſi ſumantur primo modo, nego maiorem: ſi verò ſumantur ſecundo modo, concedo: etenim, vt ſuprà diximus cum S. Thoma, principia theologiæ ex reuelatis vt ſcitis, ſunt dubitabilia non ex defectu intrinſeco ipſius theologiæ, ſed propter debilitatem intellectus noſtri, qui ſe habet ad manifeſtiſſima naturę, ſicut oculus Noctuæ ad lumen Solis, nimirum dubitatio, quæ accidit in aliquibus circà articulos fidei, non eſt propter incertitudinem rei reuelatæ; ſed propter debilitatem intellectus humani, non valentis intelligere reuelatarum certitudinem. Cæterum hic loquimur de theologia ex reuelatis vt ſcitis, quæ eſt theologia viatorum ſecundùm ſe, ſiuè ſecundùm ſuam naturam; non autem de theologia, prout eſt in ſtatu viæ ex, accidenti permixta debilitate intellectus creati.

Quarta concluſio. Theologia ſacra ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, exiſtente in Beatis ſecundùm ſe conſiderata, immediatè ſubalternatur in ratione ſcientię methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, quæ eſt, & de ente naturali, & de ente ſupernaturali materialiter, ſuppoſita tamen fide diuina, vt conditione manifeſtante. Hac concluſione reſoluitur ſecunda pars huius articuli, in quo duo inquiruntur: primum, an theologia ſacra viatorum in ratione ſcientiæ, ſubalternetur methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ: ſecundum, quomodo ſatisfecimus ſufficienter primo, hic ſatisfacimus ſecundo. Supponit autem hæc concluſio dari in Beatis aliam ſcientiam ſuperiorem, & vniuerſaliorem, quàm ſit methaphyſica vniuerſaliſſima, illamque eſſe formaliter, ſiuè ſecundùm ſubſtantiam, ſupernaturalem; non quidem intuitiuam, quæ eſt ſcientia Dei, & Beatorum; ſed abſtractiuam, ab intuitiua Dei cognitione realiter diſtinctam, quod probabimus ſequenti articulo, & hic illud tantum ſupponimus. Concluſio hæc controuerti po-

potest, primò ab ijs, qui negant dari hanc methaphysicam vniuersalissimam vniuersaliorem, & superiorem theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in scientia, quæ est in Beatis. Secundò ab ijs Thomistis, qui de mente S. Thomæ, asserunt theologiam sacram ex principijs notis lumine superioris scientiæ, subalternari immediatè scientiæ Dei, & Beatorum: idque probant primo; nam S. Thomas 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. apertis verbis docet, theologiam sacram viatorum immediatè subalternari in ratione scientiæ, scientiæ Dei, & Beatorum, quę est scientia Beata; quia, inquit, theologia subalternatur scientiæ Dei, & Beatorum; sicut Musica subalternatur Arithmeticæ, & Perspectiua Geometriæ: sed dictę scientię subalternantur immediatè, scilicet Musica Arithmeticę, & Perspectiua Geometrię; ergo theologia sacra ex reuelatis vt scitis in superiori scientia subalternatur immediatè scientię Beatę, vel saltem scientię superiori existenti in Beatis; quod si subalternaretur immediatè methaphysicę vniuersalissimæ, non esset subalternata immediatè scientię Beatę. Secundò, quia S. Thomas *in eadem quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 2. inquit, quod theologia ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, non accipit sua principia ab alijs scientijs, sed immediatè à Deo per reuelationem; at si subalternaretur immediatè methaphysicę vniuersalissimę, non acciperet sua principia immediatè à Deo per reuelationem, sed immediatè à methaphysica vniuersalissima. Tertiò controuersum est, an dari possit hæc methaphysica vniuersalissima; non autem est cōtrouersum in Beatis dari theologiam superiorem, quę est visio Beata, quam sit theologia viatorum. His non obstantibus.

Ratio fundamentalis conclusionis est, quia methaphysica vniuersalissima est immediatè vniuersalior, quàm sit theologia ex reuelatis vt scitis; sed hoc satis est, vt immediatè subalternetur methaphysicę vniuersalissimę; ergo, &c. Maior, in qua est difficultas probatur; nam vna scientia est immediatè vniuersalior alia ex suo subiecto formali vniuersaliori; sed obiectum formale methaphysicę vniuersalissimę, est immediatè vniuersalius obiecto theologię sacrę viatorum ex reuelatis vt scitis; nam est ens reale vt sic, abstrahens ab ente reali naturali, & ab ente reali supernaturali; hęc autem abstractio est immediata, quia ens reale vt sic, immediatè diuiditur in ens naturale, & in ens supernaturale; sicut animal immediatè diuiditur in hominem, & in brutum: probatur; quia prędictę differentię sunt differentię vniuersalissimę, & absolutę, cōuenientes enti reali inquantum ens; differentię autem vniuersalissimæ huius conditionis sunt immediatę, scilicet conuenientes enti reali inquantum ens reale, ad eum modum, v. g. quo Vnum priùs, & immediatiùs conuenit enti, quàm Verum; & Verum priùs, & immediatiùs conuenit enti, quam Bonum: quia Vnum conuenit enti, secundùm quod extrahitur à suo contradictorio nō ente; Verum conuenit enti primò, & immediatiùs, quàm Bonum, quia Verum competit enti, & secundùm absolutam rationem entis, & in ordine ad intellectum, qui est potentia prior, quàm voluntas; Bonum verò competit enti, quatenus est aliquo modo in actum, seu perfectum, vt fusè probabitur in quęstionibus de passionibus trascendentalibus entis, in quo priùs est recessus virtualiter à suo non esse, quàm accessus ad esse, in quo recessu fundatur vnitas trascendentalis.

Rationes in oppositum facilè soluuntur. Ad primam enim sumptam ex S. Thoma. Respondeo eo loco S. Thomam loquutum esse de subalternatione scientiarum, quę ponuntur de facto ab omnibus; non autem de subalternatione scientiarum, quę sunt de possibili, de quibus nos hìc loquimur. Similiter loquutus est S. Thomas de Musica respectu Arithmeticę, & de Perspectiua respectu Geometrię, quę sunt de facto, nō autem, quę possunt esse: nihil .n. prohibet, vt tota Musicę materia regulis Musicę, disponi possit sub ratione formali vniuersaliori, media formaliter inter Musicam, quę est de facto, & Arithmeticam, saltem de possibili; idem dico de Perspectiua, & Geometria. Et ratio generalis huius doctrinę, est; quia, vt supra ostendimus cum doctioribus Methaphysicis, vna scientia secundùm se, non prohibetur quin possit habere de possibili plura obiecta formalia, quorum vnum est vniuersalius alio formaliter, cum eadem materia scientificè possit subordinari pluribus rationibus formalibus; sicut, v.g. physica naturalis posset esse de corpore naturali, de ente naturali, vel mobili, quod est vniuersalius corpore substantiali, &c. pariter methaphysica potest esse de ente reali positiuo naturali, & de ente reali naturali abstrahente à positiuo, & negatiuo.

Ad secundam auctoritatem S. Thomę, qua dicit S. Doctor, quod theologia sacra non accipit sua principia ab alijs scientijs, sed immediatè à Deo per reuelationem.

Respondeo, his verbis S. Thomam voluis-

voluiſſe ſolùm innuere, theologiam ſacram viatorum eſſe ex articulis fidei pro ſtatu viæ; articulus autem fidei eſt, quod immediatè à Deo eſt reuelatum; non antem voluiſſe docere, principia theologię ſacræ viatorum ſecundùm ſe, non eſſe demonſtrabilia principijs methaphyſicis. Tertiò reſpondeo, quod S. Thomas prædictis locis ſolùm dicit, theologiam ſacram ſubalternari ſuperiori ſcientiæ, quæ eſt Dei, & Beatorum; ex hac autem propoſitione non poteſt inferri, theologiam ſacram viatorum immediatè ſubalternari ſcientiæ Beatorum; nam ſubalternatio in ratione ſcientiæ, præſcindit à ſubalternatione mediata, & immediata.

Quod ſi dicas, S. Thomam dixiſſe, theologiam ſacram viatorum ſubalternari ſciẽtiæ Beatorum; ſicut Muſica Arithmeticę, & Perſpectiua Geometriæ.

Reſpondeo S. Thomam, vel loquutum eſſe de his ſcientijs, quæ ſunt de facto; vel de his ſcientijs abſolutè, & ſecundùm ſe, & de ſubalternatione in ratione ſcientiæ, adhùc ſecundùm ſe, quibus non repugnat mediata ſubalternatio.

## ARTICVLVS NONVS.

### Cui ſuperiori ſcientiæ exiſtenti in Beatis ſubalternentur methaphyſica vniuerſaliſſima, & theologia ſacra, quæ eſt ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia.

HIC articulus reſolui plenè non poteſt, niſi plenè prçreſoluatur alius articulus, nimirum quot ſcientiæ reperiantur in intellectu animarum beatarum, vel ſaltem eſſe poſſunt.

Triplex ſcientia excogitari poteſt eſſe in intellectu animarum beatarum, præter ſcientiam beatam, qua videtur Deus in ſeipſo. Prima eſt ſcientia eſſentialiter naturalis rerum omnium naturalium, quam appellamus omnes methaphyſicam naturalem. Secunda eſt rerum omnium, tàm naturalium, quàm ſupernaturalium, vt cognoſcibilium ſub ratione formali obiectiua, quia ſunt ens formale vt ſic, quam nos appellauimus methaphyſicam vniuerſaliſſimam, quæ ſupponit fidem diuinam, vt conditionem manifeſtantem veritates, tàm naturales, quàm ſupernaturales; & hæc, quoad ſubſtantiam, etiam naturalis eſt, vt vidimus. Tertia verò ſcientia, eſt formaliter, & eſſentialiter ſupernaturalis: ſiuè, vt communiter loquuntur, eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, & hæc eſt ſcientia rerum omniũ, & naturalium, & ſupernaturalium, quatenus cognoſcibilium lumine ſupernaturali claro; ſiuè, vt alij loquuntur, lumine ſupernaturali abſtractiuo, & eſt cognitio rerum omnium extrà Verbum, ſiuè in proprio genere, aut in propria natura ad differentiam ſcientiæ rerum omnium in Deo in ſeipſo viſo. Ratio cur prædictæ tres ſcientiæ ſint poſſibiles, eſt quia res omnes, tàm naturales, quàm ſupernaturales poſſunt ſcientificè diſponi, & conſiderari ſub triplici ratione formali obiectiua, tùm in genere entis, tùm in genere ſcibilis; ſed hæc triplex conſiderabilitas ſcientifica, & diſpoſitio ſufficiens eſt ad poſſibilitatem harum trium ſcientiarum; quoniam diuiſio formalis ſcientiarum, vt ſæpe repetiuimus, eſt ex diuiſione formali obiecti formalis ſcientifici; ergo, &c.

Difficultas hic eſt, an detur alia ſcientia ſuperior ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: & ratio dubitandi eſſe poteſt; quia obiectum ſupradictæ ſcientiæ ſupernaturalis eſſentialiter, quæ eſt de ente naturali, & ſupernaturali ſub ratione ſcibilis lumine per ſe claro, & euidente in genere entis, abſtrahit à ſcibili naturali, & à ſcibili ſupernaturali materialiter, & ſolùm in genere obiecti, inquantum obiectum eſt; ſiuè in genere ſcibilis formaliter, eſt ſupernaturale: hæc autem ſcientia, non eſt perfectè, & adæquatè ſupernaturalis ſecũdùm ſubſtantiam, ergo poſſibilis eſt etiam alia ſcientia, quoad ſubſtantiam, ſupernaturalis, quæ ſit de obiecto formaliter ſupernaturali, & in genere entis, & in genere ſcibilis, ſiuè obiecti; tum quia in vnoquoque genere datur vnum primum, quod eſt cauſa cæterorum: ſed datur obiectum ſupernaturale inadæquatè, quod eſt ſecundum in genere; ergo dabet dari aliud ſupernaturale adæquatè, quod eſt primum; in vno enim, & in eodem genere priùs eſt actus, quàm potentia: tùm etiam; quia implicat dari ſcibile ſine ſcientia, ſaltem de poſſibili; ſed datur ſcibile ſupernaturale, tùm in genere entis, tùm in genere ſcibilis; ergò, &c.

Hæc ratio dubitandi meum conuincit intellectum ad aſſerendum, dari hanc ſcientiam ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, quæ eſt de obiecto ſupernaturali eſſentialiter,

ter, tùm in genere entis, tùm in genere scibilis; & hanc puto esse superiorem, & vniuersaliorem, quàm sit methaphysica, siuè scientia supernaturalis formaliter de ente naturali, & supernaturali sub ratione cognoscibilis lumine supernaturali claro, & euidente abstractiuo; & hæc est scientia, quoad substantiam supernaturalis, cõtradistincta à sciẽtia beatifica, qua quilibet Beatus intuetur Deum in seipso, & creaturas in Deo viso: & ratio possibilitatis huius scientiæ est; quia, vt dictum est in ratione dubitandi, datur scibile formale naturale in genere entis, & in genere scibilis; at hoc satis est, vt sit possibilis de eo scientia supernaturalis adæquata; quod autem hæc scientia sit vniuersalior, & prior, quàm sit scientia supernaturalis de scibili supernaturali, tantummodò in genere obiecti; probatur à priori: quia prioritas, & maior vniuersalitas in sciendo est ex obiecto formali vniuersaliori, & priori; sed scibile supernaturale, & in genere obiecti, & in genere entis, est priùs, & vniuersaliùs in causando; primum enim in causando in vnoquoque genere est perfectissimum, huiusmodi est scibile supernaturale, tum in genere entis, tùm in genere obiecti formaliter.

Quod si dicas, scientia est vniuersalior in sciendo ex eo, quod eius obiectũm formale est abstractius à materia; sed non datur maior abstractio abstractione, qua ens reale vt sic, abstrahit ab ente naturali, & ab ente supernaturali; ergo non est dabilis sciẽtia hæc vniuersalior, supernaturalis quoad substantiam, ex obiecto supernaturali in genere entis, & in genere obiecti, siuè scibilis formalis. Minor est certa; quia non est dabilis abstractio vniuersalior, quàm sit abstractio ab omni materia, & subiectiua, & obiectiua. Appello materiam obiectiuam, potentiam receptiuam actus, quæ alia est physica, vt materia prima: & alia est methaphysica, vt essentia, quæ est receptiua existentiæ. Appello verò materiam obiectiuam, obiectum materiale; huiusmodi est prędicta abstractio; ergò, &c.

Respõdeo, scientiã vnã esse vniuersaliorẽ alia formaliter, & essentialiter, quia habet suum obiectũ formale vniuersalius obiecto formali alterius; dupliciter autem potest vnũ obiectum formale esse vniuersalius, siuè illud sit obiectum potentiæ cognitiuæ, siuè sit obiectum scientiæ; vno modo in prædicando: alio modo in causando; sicut vniuersale aliud est in prædicando, & aliud est in causando; ad vniuersale in prædicando requiritur, vt possit reperiri in pluribus cum sui diuisione, (& loquor de vniuersali, quoad naturam substratam vniuersalitati; ad vniuersale verò in causando non requiritur hoc, sed tantùm requiritur vt sit causa plurium, quod potest esse in vno tantum, sicut Sol dicitur vniuersalis in causando; & hoc vniuersale in causando potest esse vniuersalius, & minùs vniuersale; quod enim est causa paucorum effectuum dicitur minus vniuersale; quod verò est causa plurium, dicitur magis vniuersale; scientia creata per se acquisibilis est vniuersalis ex eo, quia habet obiectuum suum formale vniuersalius; intellectus enim humanus creatus, cuius viribus, & actibus acquiritur, intelligit per abstractionem à singularibus; natura verò abstrahibilis à singularibus, est vniuersalis in potentia, siuè fundamentaliter. Doctrina hæc est Aristotelis *lib. 2. de anima textu 1.* vbi dicit, quod intellectus est vniuersalium, sensus verò particularium: cuius ea ratio est, quia intellectus cognoscit per species abstractas à principijs indiuiduantibus, seù à materia indiuiduali; sensus verò ex opposito non item, vt alibi fusè probabitur; sciẽtia verò ex suo genere per se infusa est vniuersalior alia ex eo, quod eius obiectum formale est vniuersalius alio in causando, quia scilicet est causa sciendi prior, quàm obiectum formale scientiæ minus vniuersalis: & ratio est; quia scientia per se infusa, cum sit supernaturalis secundùm substantiam, habet modum cognoscendi per accessum ad Deum, siuè ad scientiam Dei, quæ est scientia vniuersalissima, non quidem in prædicando, sed in causando.

Hic difficultas occurrit, quia possunt dicere Aduersarij, hanc doctrinam non esse vniuersalem, & adæquatam; idque probare possunt hoc medio: à nobis suprà ponitur possibilis scientia de omni scibili naturali, & supernaturali sub ratione formali obiectiua, quia sunt ens reale, vt cognoscibile lumine abstractiuo per se claro, & euidente; sed hæc scientia est supernaturalis secundùm substantiam, quia eius obiectum formale in genere scibilis est supernaturale secundùm substantiam, & tamen est vniuersalius in prædicando; ergo data doctrina non est vniuersalis, & adæquata.

Sed hæc instantia licet acuta, non difficilè soluitur. Respondeo enim prædictam scientiam esse infimam in genere scientiæ supernaturalis secundùm substantiam; sicut anima est infima in genere intellectiui creati; ac proindè prædicta scientia secundùm sui infimum attingit supremum scientiæ

per

per se acquisibilis, quæ est scientia naturalis secundùm substantiam; secundùm verò sui supremum, attingit infimum scientiæ supernaturalis, quæ est de obiecto supernaturali, tùm in genere entis, tùm in genere scibilis; & cõsequenter est media inter hanc scientiam supernaturalem, & supremam scientiam naturalem, & per se acquisibilem ex suo genere: sicut species intelligibiles, quibus intelligit anima rationalis separata à corpore, sunt mediæ inter species intelligibiles abstractas à rebus, & species intelligibiles angelicas; & consequenter prædicta scientia supernaturalis media habet suum obiectum formale in genere scibilis, quod participat de vtroque medio vniuersaliori, & de medio vniuersaliori per abstractionem, siuè prædicabilitatem, & de medio vniuersaliori in causando; primum competit ei secundùm sui infimum; secundum verò competit eidem secundùm sui supremum; sed de his infrà multa dicentur.

Prima conclusio. Omnes prædictæ, & enumeratæ scientiæ naturales, & supernaturales, sunt compossibiles in intellectu creato animarum creatarum cum visione beatifica, qua non solùm animæ beatæ intuentur Deum, sed etiam creaturas, tàm possibiles, quàm actuales secundùm earum esse formale in Deo viso: loquor hunc in modum, quia controuersum est valdè inter Theologos, an Beatus intuendo Deum eadem visione videat in Deo, etiam creaturas, saltem in generali. Explicatur sensus cõclusionis; dupliciter possunt ens creatum, & Deus cognosci ab intellectu creato: vno modo cognitione abstractiua, siuè ea sit cognitio discursiua formaliter, siuè discursiua virtualiter: alio modo cognitione intuitiua; primo modo, cognoscuntur scientijs, tàm naturalibus, quàm supernaturalibus, siuè tàm per se acquisibilibus, quàm per se infusis, distinctis a visione beatifica; secundo modo, cognoscuntur tantummodò visione beatifica, qua Beati intuentur Deum in seipso, & eadem visione intuentur etiam creaturæ in Deo, qui quidem modi cognoscendi sunt essentialiter diuersi: in hac conclusione dicimus prædictas omnes scientias cum his diuersis modis sciendi esse compossibiles simul in intellectu Beatorum. Conclusio hæc est S. Thomæ, vt infrà probabo.

Ratio prima fundamẽtalis conclusionis est: tùm quia isti diuersi modi sciendi inuicem non contradicunt ex parte subiecti, sicut sibi inuicem contradicunt fides diuina, & scientia de eodem obiecto materiali; quoniam vnus modus cognoscendi non excluditur ab alio in eodem subiecto, licet vnus modus sciendi sit perfectior alio; at vbi non est contradictio ex parte subiecti, est compossibilitas plurium in eodem subiecto; ergò, &c. Maior probatur à priori, quia istæ scientiæ sunt essentialiter subordinatæ, vna alij, scilicet inferior superiori; scientiæ autem essentialiter subordinatæ inuicem, vna non contradicit alij in eodem subiecto: tùm etiam, quia obiectum formale scientiæ inferioris, potest esse sine vllo impedimento obiectum materiale scientiæ superioris; sed prædictarum scientiarum, vna est superior, & vniuersalior alia, vt suprà demonstratum est; ergo obiectum formale vnius scientiæ inferioris potest esse materiale obiectum scientiæ superioris, & vniuersalioris; sed prædictæ scientiæ sunt compossibiles in eodem intellectu simul; ergo prædictæ scientiæ possunt simul esse in eodem intellectu Beatorum. Hæc doctrina est S.Thomæ in terminis, vel saltem non est difformis eius principijs, nam S. Doctor *3. par. quæst. 9. art. 3.* concedit Christo, præter scientiam beatam, qua erat comprehensor, alias scientias rerum in proprio genere: concedit insuper *1. par.* scientias sic acquisitas remanere sine imperfectione repugnante statui in patria, vt clarius infra; sed prædictæ enumeratæ scientiæ sunt sciẽtiæ rerum in proprio genere, siuè in propria natura, & extra Verbum, vt loquuntur Theologi; ergò iuxtà principia S. Thomæ prædictæ enumeratę scientiæ non impediuntur visione beatifica, quæ est visio, etiam creaturarum in Deo, siuè in Verbo. Hoc loquendi modo non contendo omnia, quæ cognoscuntur à Beato in proprio genere, cognosci etiam in Deo viso, siuè in Verbo; nam certum est apud omnes, quod Beatus multa cognoscit, & non ab initio beatitudinis; sed solùm ea cognoscit in proprio genere, vel per immediatam Dei reuelationem, vel per Angelorum illuminationem; sed solùm contendo, quod prædictæ scientiæ rerum extra Verbum, sint compossibiles simul cum visione beata in eodem intellectu.

Dicet fortè Aduersarius: prædictę sciẽtię cũ visione beatifica habẽt oppositionẽ pænès perfectum, & imperfectum ex parte subiecti; sed hæc oppositio est insuperabilis: quia est essentialis; ergo non possunt simul esse in eodem intellectu, qui est subiectum omnium. Maior probatur; nàm per visionem beatificam intellectus Beatorum intuetur Deum in seipso; per alias verò scien-

tias cognoſcit eundem Deum non in ſeipſo; quia cognoſcit Deum per alias ſcientias, quatenus eſt cognoſcibilis, & repræſentabilis noſtro intellectui ex creaturis; ſed hçc eſt oppoſitio penès perfectum, & imperfectum eſſentiale ex parte ſubiecti. Hac ipſa ratione, ſuo loco Sanctiſſimus Doctor oſtendit, non poſſe fidem diuinam, & ſcientiam de eodem obiecto, eſſe ſimul in eodem intellectu; quia ſcilicet opponuntur oppoſitione eſſentiali ex parte ſubiecti; quippè vnus intellectus per ſcientiam videt vnum obiectum, & idem intellectus ſecundùm eandem rationem ſubiecti, non videt idem obiectum.

Reſpondeo, hanc oppoſitionem inter viſionem beatificam, & alias ſcientias eſſe ex parte obiecti, ſiuè medij formalis; non autem ex parte ſubiecti, qui eſt intellectus videntis Deum; ſicut eſt oppoſitio inter fidem diuinam, & ſcientiam de eodem obiecto, & inter ſcientiam, & opinionem: de ratione enim ſcientiæ eſt, vt intellectus videat, nimirum cognoſcat euidenter; de ratione verò fidei diuinæ eſt, vt intellectus non videat; hæc autem contradictio ex parte ſubiecti, non reperitur inter viſionem beatificam, & alias ſcientias: quod infrà clariùs explicabitur, ne eadem inutiliter ſæpe repetamus.

Secunda concluſio, Prædictæ enumeratæ ſcientiæ, ſimul actu exiſtunt cum viſione beatifica; concluſio hæc eſt S. Thomę *3. par. quæſt. 9. art. 3.* vbi docet in anima Chriſti Domini reperiri omnem ſcientiam, & naturalem, & ſupernaturalem, demptis imperfectionibus; idque oſtendit ratione vniuerſali, & communi, quod ſignum eſt mentem S. Thomæ eſſe, oſtendere in omni intellectu creato Beatorum reperiri, & ſciẽtiam naturalem, & ſupernaturalem rerum omnium, in quibus comprehenditur adhùc Deus, non quidem vt intuibilis, ſed vt abſtrahibilis a creaturis; ſicut cognoſcitur à Methaphyſico, & à Theologo viatore, ſed ſub alia, & alia abſtractione formali.

Ratio S. Thomæ eſt hæc: intellectus creatus in ſtatu beatitudinis eſt perfectus; ſtatus enim beatitudinis eſt ſtatus perfectionis, cum ſit ſtatus quietis, ſiuè termini, non autem ſtatu viæ, ſiuè motus: at ſi in intellectu Beatorum non eſſent ſcientia vniuerſaliſſima naturalis, & ſupernaturalis; non eſſet intellectus Beatorum perfectus in ratione intellectus creati formaliter: dico formaliter; quia intellectus perficitur ab obiectis formalibus, non autem ab obiectis materialibus; ergo, &c. Minor probatur, omne quod eſt in potentia vt ſic, eſt imperfectum, niſi reducatur ad actum; intellectus autem creatus eſt potentia omnia intelligibilia formaliter; quia poteſt omnia formaliter intelligere, vt docet Ariſtoteles *3. de anima*; ſed reducitur in actum per diuerſa obiecta formalia; ergo non eſt intellectus creatus Beatorum in actu, & perfectus in ratione intellectus, niſi ſit omne intelligibile formaliter; ſed intrà intelligibile formaliter eſt, non ſolùm intelligibile naturale, ſed etiam ſupernaturale. Eadem ratio eſt de ſcibilibus formalibus; quia ſicut intellectus eſt potentia omnia intelligibilia formaliter, ita eſt potentia omnia ſcibilia: quod probatur eodem medio; omne quod eſt in potentia eſt imperfectum, niſi reducatur ad actum: ſed intellectus creatus Beatorum eſt in potentia ad omnem ſcientiam, tàm naturalem, quàm ſupernaturalem; ergo intellectus creatus Beatorum non eſt perfectus, niſi ſit actu, & formaliter ſciens, tàm ſcientia naturali, quàm ſupernaturali; ergo cum intellectus Beatorum ſit in ſtatu perfectionis, quia eſt in ſtatu termini, debent in eo exiſtere actu omnes ſcientiæ, & naturales, & ſupernaturales. Minor principalis argumenti probatur; primò, quia intellectus creatus eſt potentia omne ſcibile; non enim habet in ſe vnde limitetur, cum ſit immaterialis per eſſentiam: ſed in latitudine ſcibilis formaliter eſt ſcibile naturale, & ſupernaturale. Secundò, quia intellectus creatus eſt potentia intellectiua, tùm naturalis, tùm obedientialis; ad ſtatum beatitudinis autem pertinet, vt intellectus creatus Beatorum ſit perfectus formaliter, ea nimirum perfectione, quæ complet perfectionem, ſaltem vniuerſi, in quo ſunt creaturæ intellectuales à Deo ordinatæ ad beatitudinem.

Secunda ratio principalis eſt; quia in Beatis datur ſcientia rerum omnium in Deo viſo, quæ eſt ſcientia beatifica: ſed hęc ſcientia requirit neceſſariò ſcientiam naturalem, & ſupernatutalem earundem abſtractiuam; ergò, &c. Maior probatur, quia cognitione beatifica quilibet Beatus cognoſcit Deum, primam rerum omnium cauſam; ſed non poteſt videri Deus, vt prima cauſa, niſi in Deo cognoſcantur creaturæ ſecundùm eorum eſſe formale, ſaltem in generali; ergò, &c. Minor principalis argumenti probatur; quia ſcientia intuitiua, & ſcientia abſtractiua, ſunt duæ differentiæ oppoſitæ ex parte medij per ſe, & formaliter diuidentes ſcientiam: ſed data vna differentia diuiſiua generis debet dari alia oppoſita; nã oppoſitio requirit ad minùs duo,

&

& vnumquodque in ſua ratione formali debet eſſe perfectum; ratio autem formalis generis completur ſuis differentijs formalibus, & per ſe; ſed datur actu ſcientia intuitiua rerum omnium in Beatis, quæ eſt vna differentia per ſe, & formalis ſciendi; ergò debet dari, & alia oppoſita, quæ eſt ſcientia abſtractiua rerum omnium extrà Verbum. Aſſumptũ principiũ probatur ratione communi, quia ſcientia creata præſcindit ab intuitiua, & ab abſtractiua: vbi autem eſt præciſio formalis reperitur de neceſſitate contrahibilitas, & diuiſibilitas per oppoſitas differentias.

Sunt qui reſpondent, his rationibus demonſtrari tantummodò poſſibilitatem ſcientiæ naturalis, & ſupernaturalis rerum extrà Verbum in Beatis; non autem earundem actualem exiſtentiam, & compoſſibilitatem.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit: primò, quia ſuprà oſtendimus, non ſolùm ſciẽtiam creatam in Beatis eſſe, quantum eſt ex ſe, diuiſibilem in cognitionem abſtractiuam, & intuitiuam; ſed etiam oſtendimus actualem diuiſionem eſſe adæquatam, quia in Beatis eſt ſcientia perfecta in ſua latitudine formali; at non eſt actu perfecta, niſi ſit actu diuiſa per oppoſitas differentias: ſecundò, quia oppoſitio differentiarum in actu requirit ad minus duo; ſed datur vna differentia oppoſita, quæ eſt ſcientia intuitiua; ergo debet dari alia ſcientia abſtractiua. Diſcurſus eſt clarus; quia ſcientia intuitiua, & ſcientia abſtractiua eorundem entium, opponuntur oppoſitione contraria methaphyſica; non quidem ex parte ſubiecti, ſicut ſcientia, & fides diuina; vel ſcientia, & opinio de eodem obiecto: ſed ex parte medij, & ex parte obiecti. Oppoſitio ex parte medij eſt ſolùm cauſa, vt ſcientię non poſſint conuenire in eodem medio; non autem vt non poſſint conuenire in eodem ſubiecto; in eo enim, in quo oppoſita opponuntur, ſunt incompoſſibilia; in eo verò, in quo non opponuntur, poſſunt ſimul eſſe; quia in eo non eſt oppoſitio, quæ eſt cauſa incompoſſibilitatis. Concluſio hæc multas patitur inſtantias.

Prima inſtantia eſt, ſcientia ſupernaturalis, quæ eſt per ſe infuſa perſeitate phyſica, & de potentia ordinaria, datur in anima Chriſti Domini; quia Chriſtus Dominus eſt caput hominum, & Angelorum in ſupernaturalibus, vt ſuo loco probabitur; ſed hæc ratio non reperitur in alijs Beatis, & puris creaturis; nullus enim Beatorum, extrà Chriſtum, eſt caput hominum, & Angelorum; neque in naturalibus, neque in ſupernaturalibus; ergo non eſt ponenda in quolibet Beato ſcientia per ſe infuſa ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis, qua ſcilicet Beatus cognoſcit entia, & naturalia, & ſupernaturalia formaliter; vel ſub ratione formali ſupernaturali obiecti in genere ſcibilis tantùm; vel ſub ratione formali ſupernaturali, tam in genere entis, quàm in genere ſcibilis in proprio genere, ſeù in propria natura, vel vt loquuntur Theologi, extrà Verbum.

Secunda inſtantia; ſi qua eſſet vrgens ratio ponendi in Beatis, præter beatificam viſionem, ſcientiã ſupernaturalem per ſe infuſam, ſaltem de lege ordinaria, & ſcientiam naturalem per ſe acquiſibilẽ pariter de lege ordinaria; ea eſſet, quia in intellectu creato Beatorum eſt potentia ſciendi naturalis, & obedientialis; naturalis quidem in ordine ad obiecta naturalia formaliter: obedientialis verò in ordine ad obiecta ſupernaturalia formaliter; ſed hæc vrgentia non eſt in intellectu Beatorum; quoniam ſcientia Beata explet omnem potentialitatem intellectus creati Beatorum, & naturalem, & obedientialem: quod probatur paritate ſubſiſtentiæ perſonalis Verbi Diuini; hęc enim non compatitur ſecum in natura humana aſſumpta aliam ſubſiſtentiam naturalem, aut aliam ſubſiſtentiam ſupernaturalem, quæ ſit creata: & ratio huius eſt; quia ſubſiſtentia perſonalis Verbi Diuini, ſatiat, & explet omnem potentialitatem perſonabilem, & naturalem, & ſupernaturalem; fortè, quia adunat perfectionem vtriuſque ſubſiſtentiæ ſub vna ſublimiori, & infinita ſubſiſtentia; ſecùs natura humana Chriſti in perſona Chriſti ſubſiſteret violenter: ſed hęc ipſa ratio currit etiam in ſcientia beatifica in ordine ad intellectum creatum Beatorũ: quoniam ſcientia beatifica, cum ſpecificetur à Deo, vt primo intelligibili, vt cognoſcibili tamen modo finito, explet, & ſatiat potentiam ſciendi, & naturalem, & ſupernaturalem; quia rapit, vel formaliter, vel eminenter perfectionem ſcientiæ naturalis, & ſcientiæ ſupernaturalis, quod ex eo poteſt fieri clarum; quia Beatus ſcientia beatifica cognoſcit, non ſolùm Deum in ſeipſo, qua ratione eſt obiectum ſupernaturale; ſed etiam cognoſcit entia creata naturalia in Deo viſo.

Tertia inſtantia eſt, quam ſuprà innuimus; ſed non plenè explicauimus. Perfectum, & imperfectum eſſentialiter ex parte ſubiecti, ſunt incompoſſibilia ſimul in eodem intellectu; ſed ſcientia naturalis, &

ſcien-

Digitized by Google

ſcientia ſupernaturalis, quoad ſubſtantiam, eorundem obiectorum, opponuntur penès perfectum, & imperfectum ex parte ſubiecti; ergo iſtæ duæ ſcientiæ naturalis, & ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam de iiſdem obiectis, non poſſunt ſimul eſſe in eodem numero intellectu Beatorum. Minor probatur; quia ſcientia ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam eſt per ſe euidens actu; quia eſt ex medio primo, & intrinſeco ſupernaturali: eſt enim de obiecto formali ſupernaturali; obiectum autem formale ſcientiæ eſt medium intrinſecum ſciendi; ſcientia verò naturalis eſt actu incuidens: tum quia ſcientia naturalis eſſentialiter ſubalternatur ſcientiæ ſupernaturali formaliter; ſcientia autem ſubalternata eſt actu incuidens, non enim fit euidens actu, niſi dependenter a medio, quod ſibi mutuatur a ſcientia ſubalternante: tùm etiam, quia ſcientia ſupernaturalis,& ſcientia naturalis ſunt differentiæ contrariæ contrarietate methaphyſica; ſed ex differentijs contrarijs vna eſt imperfecta, & alia perfecta: in eis enim reperitur oppoſitio priuatiua, ſecundùm quod contrariæ differentiæ ſunt, vt docet Ariſtotiles 10. *metaph.* in eodem genere maximè diſtantes: dico, inquantum differentiæ contrariæ ſunt; quia in omnibus oppoſitionibus, & priuatiuis, & contrarijs, & relatiuis, tamquam prima, & vniuerſaliſſima oppoſitio, reperitur oppoſitio contradictoria; ſed contraria oppoſitio eſt penès perfectum, & imperfectum ex parte ſubiecti; nam contrariæ differentiæ ſunt, quæ ſub eodem genere maximè diſtant,& ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt: tùm etiã; quoniam datur ſcientia naturalis formaliter, ſiuè ſecundùm ſubſtantiam, quæ eſt de obiecto materiali naturali, & ſupernaturali, ſuppoſita tamen fide diuina, vt conditione manifeſtante, vt eſt theologia ſacra viatorum, vel methaphyſica vniuerſaliſſima, quæ ex natura ſua in ſtatu viæ ſupponunt fidem,vt conditionem manifeſtantem: verùm ſcientia formaliter ſupernaturalis non ſupponit fidem diuinam; ſed procedit ex principijs primis per ſe notis lumine claro ſupernaturali; ſed iſtæ duæ ſcientiæ opponuntur penès perfectum, & imperfectum ex parte ſubiecti; quia opponuntur penès euidentiam, & incuidentiam, ſicut fides, & ſcientia: nam ſcientia naturalis neceſſariò ſupponit fidem, quæ eſt rerum non apparentium: alia excludit omninò fidem, ſed procedit principijs per ſe notis lumine ſupernaturali claro; quia procedit ex principijs notis ſuis terminis ſupernaturalibus intrinſecis; iſtæ autem ſcientiæ ſunt incompoſſibiles ſimul in eodem intellectu; quia dicunt eundem intellectum, ſecundùm eandem rationem ſubiecti, ſimul videre,& non videre idem obiectum.

Quarta inſtantia eſt; quia multiplicatio formalis ſcientiæ oritur ex multiplicatione formali obiecti formalis in genere ſcibilis; ſed hæc formalis multiplicatio in genere ſcibilis non reperitur inter ens naturale, & ſupernaturale; ſiuè inter ſcibile naturale, & ſcibile ſupernaturale; ergo non datur hæc multitudo formalis ſcientiarum in Beatis. Maior ſuprà pluribus rationibus eſt demonſtrata: minor verò probatur; quia obiectum formale in genere ſcibilis, eſt abſtractio fundamentalis à materia; ſed eadem abſtractio à materia eſt ſcibilis naturalis, & ſcibilis ſupernaturalis; ergo inter ſcibile naturale, & ſupernaturale non reperitur multitudo formalis in genere ſcibilis. Minor probatur: quia vtrumque abſtrahit à materia indiuiduali, & à materia in communi, & à materia etiam intelligibili, ſiuè imaginabili, qualis eſt quantitas.

Quod ſi dicas, eſſe eandem abſtractionem in genere, non autem in ſpecie; quia diuerſo gradu abſtractionis abſtrahit à materia ens naturale, & ens ſupernaturale; ens quidem naturale abſtrahit negatiuè, ſiuè præciſiuè ab omni materia; ens verò ſupernaturale poſitiuè, & contrariè: ſiuè, vt alij loquuntur, ens naturale abſtrahit non repugnanter ab omni materia; ens verò ſupernaturale abſtrahit repugnanter: quandoquidem ens ſupernaturale eſt ratio actus; ratio autem actus contradicit materiæ; at ens naturale vt ſic, præſcindit ab actu, & potentia; ratio enim ſupernaturalitatis ſolùm in actu reperiri poteſt, ſicut ratio ſpiritualis; ratio verò entis naturalis reperiri poteſt in actu, & potentia, ſiuè in materia, & forma.

Contra eſt, quoniam diſtinctiuum formale vnius ſcientiæ ab alia, eſt abſtractio fundamentalis à materia inquantum huiuſmodi; ſed ad hoc materialiter ſe habet, vt abſtractio ſit præciſiua, vel poſitiua; ſicut materialiter ſe habent finitum intellectus creati, & infinitum obiecti increati, vt poſſit intellectus creatus ſimpliciter, & abſolutè intueri Deum. Sed iſtæ, & ſimiles inſtantiæ, facillimè ſoluuntur.

Reſpondeo enim ad primam inſtantiam, quod ſcientia ſupernaturalis, & naturalis in Chriſto Domino dupliciter ſumi poſſunt; vno modo quantum ad earum eſſentiam, ſiuè naturam præciſè; alio modo, qua-

quatenùs habent adiunctam virtutem instrumentalem Diuinitatis, siuè animæ rationalis, quatenus est instrumentum coniunctum Diuinitati, vt causæ principali; sicut calor ignis potest fumi, & vt calor formaliter, & vt est ignitiuus, quod conuenit calori, non inquantum calor; sed inquantum est calor ignis, quatenus scilicet est causa instrumentalis ignis. Scientia, siuè supernaturalis, siuè naturalis, primo modo sumpta, datur Christo Domino, nō in quantum est caput Angelorum, & hominum in naturalibus, & supernaturalibus; sed in quantum est Beatus, in quo communicat cum cæteris Beatis; scientia verò, siuè naturalis, siuè supernaturalis secundo modo datur Christo Domino, inquantum est caput hominum, & Angelorum, & iuxtà hanc secundam considerationem est propria Christi Domini, nulli alij communicabilis; solus enim Christus Dominus est caput hominum, & Angelorum; sicut, v. g. calor naturalis, quatenus est instrumentum carnis ad producendam aliam carnem est proprius carnis sensitiuæ; inquantum verò est calefactiuus communicat cum caloribus cæterorum communicatione vniuoca: pariter sciētia animæ Christi, siuè ea sit naturalis, siuè supernaturalis, secundùm suam essentiam, & naturam, communicat vniuocè cum scientijs aliorum Beatorum; secundùm verò virtutem, qua est instrumentum Diuinitatis, est propria animæ Christi, inquantum est caput hominum, & Angelorum.

Quod si primò dicas: scientia animæ Christi influit in scientiam membrorum ipsius Christi, & Ecclesiæ, inquantum scientia, tàm naturalis, quam supernaturalis; sed sic non est instrumentum coniunctum Diuinitati in sciendo.

Respondeo, nego maiorem: nam sciētia animæ Christi, inquantum est scientia, siuè naturalis, siuè supernaturalis, est causa principalis, scilicet est scitiua virtute suæ formæ, in qua communicat cum scientijs membrorum Christi, & Ecclesiæ; scientia autem animæ Christi influit in scientiam membrorum, inquantum est operatiua virtute capitis, qui est Christus Dominus, nimirum inquantum est causa instrumentalis Diuinitatis, quæ est causa principalis in sciendo; hoc ipsum dicendum est de gratiæ habituali Christi Domini; hæc enim influit in gratiam habitualem membrorum Christi, & Ecclesiæ, non inquantum gratia habitualis formaliter; sub ista enim consideratione, adhùc gratia vnius membri Christi, & Ecclesiæ esset fluxiua in gratiam aliorum membrorum; sicut si calor, inquantum calor, esset productiuus ignis; omnis calor, etiam calor naturalis esset productiuus ignis, quod est falsum.

Hæc doctrina non recipitur ab omnibus Theologis; complures enim, & docti contendunt, hanc vim influendi in scientias membrorum Christi, & Ecclesiæ habere scientiam animę Christi Domini ex eo, quia scientia animæ Christi est suprema, siuè prima in genere scientiæ: & alij contendunt esse in scientia animę Christi ex augumento accidentali, & intensiuo, quod augumentum nō habent scientiæ membrorum Christi Domini, & Ecclesiæ. Sed neutra explicatio probatur; non prima: quia scientia animæ Christi Domini correspondet naturæ animæ, aut intellectus humani; sed intellectus humanus non habet hanc primitatem causæ primæ, & principalis; ergo, &c. nec secunda probatur; quoniam perfectio intensiua scientiæ non eleuatæ virtute alterius causæ principalis, est augumentum scientię, inquantum est causa principalis, scilicet inquantum est operatiua, & fluxiua virtute suæ formæ; sed scientia animę Christi, vt est causa principalis, non habet hanc vim; quia inquantum est causa principalis communicat vniuocè cum scientijs membrorum Christi Domini, & Ecclesiæ; sed scientiæ membrorum hanc vim non habent: ergo neque, &c. Verùm si dicamus, vt iam diximus, hanc vim instrumentalem influendi in scientiam membrorum Christi, & Ecclesiæ esse perfectionem fluxam in scientiam animæ Christi à creatione; quatenus hæc est instrumentum coniunctum Diuinitati, quæ est causa principalis; nullum ex prædictis absurdum sequitur, & ponitur in Diuinitate maior perfectio; ponitur enim perfectio, seu vis, qua eleuatur scientia animæ Christi ad effectum nobiliorem, quem non habent scientiæ membrorum Christi, & Ecclesiæ; sicut, v. g. ex eo, quod in calore naturali ponitur virtus instrumētalis carnis factiua, ponitur maior perfectio in substantia sensitiua, quia ponitur substantia sensitiua causa principalis, eleuans calorem suum naturalem ad producendam aliam carnem.

Ex hac doctrina satisfit pluribus quæsitis in hac materia.

Primum est, an scientia animæ Christi Domini sit eiusdem speciei cum scientia cæterorum Beatorum; an specie essentiali distincta, & diuersa. Idem quæsitum etiam fieri potest de gratia habituali Christi Domini.

Se-

Secundum quæſitum eſt, an hæc virtus inſtrumentalis ſit ſuperaddita, & diſtincta à virtute ſcientiæ, quatenus eſt cauſa principalis ſciendi: pariter, an hæc virtus inſtrumentalis animæ Chriſti ſit illi ſuperaddita.

Tertium quæſitum eſt, an hæc virtus inſtrumentalis ſit permanens, an tranſiens; vel ſit ne habitualis, an actualis.

Ad primum quęſitum reſpondeo cum diſtinctione; quod ſcientia, ſiuè naturalis, ſiuè ſupernaturalis, ſi conſideretur ſecundùm eſſentiam, ſiuè naturam ſcientiæ præcisè: vel quod idem eſt, ſi conſideretur, vt cauſa principalis ſciendi, eſt eiuſdem ſpeciei cum ſcientia naturali, & ſupernaturali cæterorum Beatorum. Idem dico de gratia habituali Chriſti Domini; ſi verò ſcientia animæ Chriſti conſideretur, quatenus eſt cauſa inſtrumentalis Diuinitatis, ſic eſt diuerſæ ſpeciei à ſcientia membrorum Chriſti, & Eccleſiæ; ſiuè ſcientia ſit naturalis, ſiuè ſit ſupernaturalis.

Ratio dicti, quantum ad primam partem, eſt; quia diſtinctio ſpecifica vnius ſciētiæ ab alia, ſumitur à diſtinctione formali ſui obiecti formalis in genere ſcibilis; ſed obiectum formale ſcientiæ animæ Chriſti eſt eiuſdem ſpeciei cum obiecto formali in genere ſcibilis ſcientiæ membrorum Chriſti Domini, & Eccleſiæ; quoniam obiectum formale ſcientiæ naturalis animæ Chriſti Domini, ſecundùm quod eſt ſcitiua virtute ſuæ formæ, ſiuè ſecundùm quod eſt cauſa principalis, eſt ens vt cognoſcibile lumine naturali intrinſeco abſtractiuo; hoc ipſum autem eſt obiectum formale ſcientiæ naturalis membrorum Chriſti Domini. Pariter obiectum formale in genere ſcibilis ſcientię ſupernaturalis animæ Chriſti, eſt ens, vt cognoſcibile lumine ſupernaturali claro, & euidente abſtractiuo, (quia loquimur de ſcientia rerum extrà Verbum); ſed hoc ipsũ eſt etiam obiectum ſcientiæ ſupernaturalis membrorum Chriſti Domini, & Eccleſiæ; ergò, &c. Confirmatur, quia ſi aliqua eſſet ratio in oppoſitum, ea vtique eſſet; quoniã ſcientia animæ Chriſti Domini eſt ſcientia capitis, & influit intrinſecè in ſcientiam membrorum; ſed hæc ratio non obſtat; quia hæc vis influendi, & hæc ratio capitis, non competit ſcientiæ animæ Chriſti, ſecundùm eius eſſentiam, & naturam; ſed competit ei ſecundùm quod eſt inſtrumentum Deitati coniunctum: idem dico, de gratia habituali Chriſti Domini, & membrorum eius; quia vtraque gratia, eſt per quam reddimur conſortes diuinæ naturæ.

Ratio verò dicti, quantum ad ſecundam partem, eſt: quia cauſa inſtrumentalis eſſentialiter differt à cauſa principali; cauſa enim principalis agit virtute ſuæ formæ; cauſa autem inſtrumētalis agit virtute formæ cauſæ principalis; iſtæ autem duæ formæ ſunt ſpecie diuerſæ; vt, v. g. forma caloris, & forma ignis; virtutes enim agendi, ſunt participationes formales formæ agentis, & hæc diuerſitas eſt formalis in ratione cauſæ: quia ſit per differentias formales, & per ſe; non autem per differentias materiales; ſed ſcientia animæ Chriſti influit in ſcientiam membrorum, vt cauſa inſtrumentalis coniuncta Diuinitati; ſcientia verò membrorum Chriſti Domini, & Eccleſiæ, eſt cauſa principalis, quæ eſt ſcitiua tantùm virtute ſuæ formæ; ergò, &c.

Ad ſecundum quæſitum reſpondeo, hanc vim inſtrumentalem eſſe realitatem ſuperadditam ſcientiæ animæ Chriſti, ſiuè ea ſit naturalis, ſiuè ſupernaturalis: & ratio eſt; quoniam eſt virtus, qua ſcientia animæ Chriſti Domini, ſiuè ea naturalis ſit, ſiuè ſupernaturalis, eleuatur intrinſecè ad operationem ſuprà ſuam formam; ſed hæc virtus eſt ſuperaddita: tum quia non includitur in definitione eſſentiali ſcientiæ ſecundùm ſe, ſicut virtus productiua ignis non includitur in definitione eſſentiali ſecundùm ſe: tùm etiam; quia virtus agendi eſt participatio formalis formæ agentis; ſed formæ cauſæ principalis, & cauſæ inſtrumentalis, ſunt inter ſe diuerſæ; ergò, &c.

Quod ſi dicas, accidens in creatis non diſtinguitur ex natura rei à ſua virtute proxima agendi, ſicut diſtinguitur ſubſtantia creata à ſua virtute formali, & proxima agendi, etiam in doctrina S. Thomæ; v. g. calor ignis non diſtinguitur à virtute, qua eſt productiuus alterius caloris, adhùc ignitiui, ſicut non diſtinguitur à virtute, qua eſt productiuus caloris vt ſic; ſubſtantia verò ignis diſtinguitur realiter à virtute proxima ignitiua, & calefactiua; ſed ſcientiæ ſunt accidens perfectiuum potentiæ intellectiuæ creatæ; ergò idem dicendum eſt de ſcientijs, ſiuè illæ ſint naturales, ſiuè ſupernaturales. Ratio à priori minoris eſſe poteſt: quia ſubſtantia creata, cum ſit perfecta in ſuo genere, non ſpecificatur à termino extrinſeco creato; accidens verò cum ſit eſſentialiter imperfectum in ſuo genere, ei non repugnat ſpecificari à termino extrinſeco creato, quo eſt diuerſi generis.

Reſpondeo, quantum nunc ſatis eſt, virtutem agendi in accidente eſſe duplicis conditionis; aliam, quæ eſt virtus acciden-

tis,

tis, vt causa principalis, vt est virtus calefactiua in calore; aliam quæ est virtus accidentis, vt causa instrumentalis substantiæ. Vtique virtus agendi formalis, quæ est ipsius accidentis, vt causæ principalis non distinguitur ab essentia accidentis, quod sufficienter probat ratio modo allata; verùm virtus accidentis, quatenus est instrumentum substantiæ, vt est virtus ignitiua, scilicet productiua alterius ignis, distinguitur ab essentia ipsius accidentis; quia excedit genus accidentis, est enim productiua alterius ignis, qui est substantia. Cum Sanctissimus Doctor docet, substantiam creatam distingui à sua virtute formali, & proxima agendi; accidens verò neutiquam: loquitur de virtute agendi, quæ competit accidenti, inquantum causæ principali, sed de hoc fusè disputabitur suo loco.

Ad secundum instantiam, respondeo; nego scientiam beatificam explere omnem potentialitatem naturalem, & supernaturalem intellectus creati ad sciendum; sed explet potentiam obedientialem ad cognitionem intuitiuam Dei, quæ est etiam cognitio creaturarum in Deo ipso viso; non autem potentiam obedientialem ad cognoscendum creaturas in proprio genere, vel in propria natura, siuè creaturæ sint naturales, siuè supernaturales; hæc enim cognitio rerum extra Verbum dat nouum modum cognoscendi, quæ est noua perfectio diuersa à modo cognoscendi creaturas in Deo viso; hæc autem noua perfectio, siuè nouus modus cognoscendi creaturas in proprio genere, siuè in propria natura supponit in intellectu viatorum potentiam sciendi, naturalem, si eius obiectum extrà Deum sit naturale; obedientialem vero, si eius obiectum sit supernaturale.

Nec probatur oppositum, cum opponens dicit, personalitatem Verbi Diuini, quæ est supernaturalis, formaliter explere omnem potentialitatem naturæ humanæ assumptæ ad subsistendum, quia scilicet præhabet eminenter, scilicet sine vlla diuisione, omnem perfectionem, quàm natura humana Christi haberet, si relinqueretur a Verbo, & personaretur personalitate propria, & connaturali; sed cognitio beatifica etiam præhabet eminenter perfectionem, quam potest habere intellectus creatus Beatorum à scientijs rerum extrà Verbum, siuè illæ sint supernaturales, siuè naturales; quia est cognitio obiecti, quod præhabet in se omnem perfectionem obiectiuam extrà Deum, tam naturalis ordinis, quàm supernaturalis; ergo sicut personalitas Verbi Diuini explet omnem terminabilitatem, tàm naturalem, quàm eminentialem ad subsistendum; pariter visio intuitiua rerum creatarum in Verbo, tàm naturalium, quàm supernaturalium explet omnem potentialitatem ad sciendum, tàm naturalem, quàm obedientialem.

Respondeo assignando disparitatem; etenim personalitas Verbi Diuini continet formaliter sine vlla diuisione, non solùm personalitatem Verbi Diuini; sed etiam personalitatem connaturalem, secundùm quod personalitas formaliter, quæ duæ perfectiones adunantur sub vna sublimiori personalitate, sicut perfectiones omnes in Deo adunantur sub vna sublimiori formalitate sine vlla diuisione actuali, siuè formali; at visio creaturarum in Deo viso est limitata ad cognitionem rerum in Deo; hæc autem non continet in se formaliter perfectionem scientiæ rerum in proprio genere, quæ est diuersa, & noua perfectio in genere scientiæ; quia non esset limitata ad genus, & speciem cognitionis rerum extrà genus in Deo viso: explicatur; cognoscere creaturas in proprio genere, seù in propria natura, & cognoscere creaturas in Deo viso eadem cognitione, qua videtur Deus, sunt differentiæ formales diuersæ scientiæ; quia, vt sępe repetiuimus, habent diuersa obiecta formalia in genere scibilis; ex diuisione autem formali obiecti formalis in genere scibilis distinguuntur specie scientiæ; vbi autem est diuersitas specifica, sunt diuersi gradus formales; visio intuitiua Dei, qua adhùc in Deo videntur creaturæ, secundùm earum esse formale, & intrinsecum, est intrinsecè limitata ad modum cognoscendi creaturas in Deo viso; implicat autem perfectionem limitatam ad vnum tantùm genus comprehendere sub se perfectionem alterius generis; sicut implicat, perfectionem limitatam ad vnam tantùm speciem, licet intrà idem genus, continere perfectionem formalem propriam alterius speciei.

Aduersarij conantur probare, visionem beatificam continere in se formaliter, vel eminenter scientiam, qua cognoscuntur res naturales, siuè supernaturales in proprio genere, siuè in propria natura, ex eo quia visio intuitiua Dei, est visio obiecti infiniti; sed huiusmodi visio debet continere perfectiones scientiarum inferiorum, inter quas numeratur etiam scientia rerum, & in proprio genere, non ex eo quia est obiecti infiniti: tùm quia ex hoc sequeretur visionem obiecti infiniti, adhùc esse infinitam, quod implicat in terminis; quoniam Deus est

obiectum infinitum simpliciter, implicat autem visionem creatam esse infinitam simpliciter, cum visio creata sit permixta potentialitati: obiectum autem infinitum formaliter est actus purus, & in genere entis, & in genere scibilis; tùm quia visio creata intuitiua Dei, est visio obiecti infiniti modo finito, vt suo loco probabitur: sed ex eò quia visio intuitiua Dei est superioris ordinis, quàm sit visio creaturarum in proprio genere; at visio superioris ordinis, siue superior, saltem non repugnanter, continet perfectionem inferioris.

Sed hæc ratio distinctione soluitur; virtus enim dupliciter potest esse superior: vno modo ex illimitatione, vt, v. g. est perfectio creaturæ, quæ est in Deo eminenter: alio modo, ex sola superioritate ordinis. Perfectio superior ex illimitatione, sine dubio rapit ad se perfectionem inferioris; virtus verò, siuè perfectio superior ex sola superioritate ordinis, & cum limitatione formali, non continet perfectionem inferioris. In re nostra, visio beatifica, qua videntur creaturæ in Deo viso, est superior, quam sit visio earundem creaturarum in proprio genere, siuè in propria natura, sola superioritate ordinis cum limitatione formali; vt fusè probabitur in quæstione de visione Dei.

Dicent fortè Aduersarij, actus supernaturalis, & actus naturalis, explent potentiam sui subiecti, quantùm ad formalitatem potentiæ, & actus; non autem quantum ad naturalitatem, vel supernaturalitatem, quandoquidem ad hoc satis est sola proportio formalis actus, & potentiæ; sed dato hoc, non sunt necessariæ in intellectu Beatorum scientia naturalis, & scientia supernaturalis rerum extrà Verbum, ob eam rationem: quia in intellectu creato Beatorum sunt potentia naturalis, & potentia obedientialis ad sciendum; nam ad explendam potentialitatem intellectus creati ad sciendum formaliter, satis est, vt prædictæ potentiæ expleantur formaliter, nimirum quantùm ad potentialitatem scientiæ; sed hanc formalitatem præbet scientia, qua Beati intuentur Deum, & creaturas in Deo.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem; nam scientia naturalis, & scientia supernaturalis secundùm substantiam, dicunt diuersas differentias, seù formalitates scientiæ; similiter scientia creaturarum in proprio genere, seù in propria natura, & scientia earundem in Deo viso, sunt diuersæ formalitates, & differentiæ formales sciendi, etiam præscindendo à naturalitate, & supernaturalitate; istæ autem duæ differentiæ formales sciendi non reperiuntur formaliter in visione beatifica; quia est limitata intrinsecè ad vnum tantum modum sciendi, Deum scilicet in seipso, & creaturas in Deo viso. Cùm Aduersarij opponunt, quod ratio, cur dandæ sint prædictæ scientiæ in intellectu Beatorum, est quia in intellectu viatoris est potentia naturalis, & obedientialis ad sciendum. Respõdeo distinguendo, quia datur potentia naturalis, & obedientialis ad sciendum, secundùm diuersas differentias formalis sciendi, & concedo: cum diuersitate solius modi sciendi naturaliter, & obedientialiter, siuè supernaturaliter, & nego: & huius rationem à priori suprà assignauimus; quia scilicet naturalitas, & supernaturalitas materialiter se habent, & potentia formalis subiecti debet expleri secundùm formam; quia potentia formalis est carentia formæ in subiecto apto; & hinc est, quod personalitas Diuini Verbi supplet formaliter indigentiam, quam habet natura humana Christi, ad suam connaturalem persistentiam personalem; visio verò beatifica non supplet indigentiam, quam habet intellectus Beatorum ad cognoscendum creaturas naturales, & supernaturales in suo proprio genere, seù in propria natura; quia nimirum personalitas Verbi Diuini, formaliter eminenter continet in se perfectionem personalitatis connaturalis naturæ humanæ Christi, cum sit infinita in sua latitudine formali propria personali: dico in sua ratione propria personali; quia personalitas Verbi Diuini ex oppositione originis, quam habet cum personalitate Patris, & personalitate Spiritus Sancti, non est infinita in tota latitudine personalitatis Diuinæ; secùs esset vna tantùm persona in Deo: cæterum visio intuitiua Dei cum sit limitata formaliter, non continet in se formaliter eminenter perfectiones formales scientiæ naturalis, & scientiæ supernaturalis, creaturarum naturalium, & supernaturalium extrà Verbum.

Ad tertiam instantiam. Respondeo cũ S. Thoma 1. 2. *quæst. 67. art. 6. in corp.* vbi docet, quod cognitio potest dici perfecta, & imperfecta tripliciter; vno modo ex parte obiecti cognoscibilis; alio modo ex parte medij; tertio modo ex parte subiecti, nimirum ex parte intellectus cognoscentis. Ex parte quidem obiecti cognoscibilis, opponuntur cognitio matutina, & vespertina; nimirum cognitio rerum in proprio genere, vel natura, est cognitio vespertina; cognitio verò earundem creaturarum in Deo viso

visó, est cognitio matutina: cognitio vespertina dicitur imperfecta ex parte obiecti cognoscibilis; quia est cognitio per ipsummet esse creaturarum extrà Deum, quod esse est intrinsecè imperfectum; cognitio verò earundem in Deo intuitiuè visó, est cognitio perfecta ex parte obiecti cognoscibilis; quia est cognitio creaturarum per esse eminentiale creaturarum in Deo; ideò enim videns Deum intuitiuè, videt etiam creaturas, quæ sunt extrà Deum, quia videtur Deus, quatenus est esse eminentiale creaturarum; hoc verò esse eminentiale creaturarum est esse perfectum. Cognitio perfecta, & imperfecta ex parte medij cognoscendi, sunt cognitio per medium demõstratiuum, & cognitio per medium probabile: quoniam medium demonstratiuum est causa perfecta sciendi; medium verò probabile, est causa imperfecta cognoscendi: cognitio denique perfecta, & imperfecta ex parte subiecti, sunt scientia, & fides diuina, siuè humana, quam imperfectionem, & perfectionem ex parte subiecti participant etiam scientia, & opinio: de ratione enim scientiæ est, vt intellectus euidenter sciat suum obiectum; de ratione verò fidei est, vt intellectus non videat, nec euidenter cognoscat, quod credit; pariter de ratione scientiæ demonstratiuæ, est deducere conclusiones ex suis principijs intrinsecis, & infallibilibus, sine vlla formidine; de ratione verò opinionis est, vt intellectus deducat conclusiones ex suis præmissis, cum intrinseca formidine partis oppositæ: implicat autem contradictionem, idem intellectum, simul videre, & non videre idem obiectum; & simul videre idem obiectum cum formidine, & videre illud sine formidine simul. Ex hac doctrina in forma.

Respondeo ad instantiam; concedo maiorem, & nego minorem; scientia enim naturalis, & scientia supernaturalis opponuntur ex parte medij; non autem penès perfectum, & imperfectum ex parte subiecti; quæ opponuntur penès perfectum, & imperfectum ex parte medij, solùm dicunt incompossibilitatem in eodem medio; non autem in eodem subiecto; quia incompossibilitas est ex oppositione; at non opponuntur penès perfectum, & imperfectum ex parte subiecti. Responsio est clara; nam oppositio penès perfectum, & imperfectum ex parte subiecti, est penès videre, & non videre idem obiectum materiale; vel cognoscere cum certitudine, & cognoscere cum formidine, idem obiectum simul; hanc autem oppositionem non habent inter se, scientia naturalis, & scientia supernaturalis rerum in proprio genere, seù in propria natura.

Neque hoc reijcitur per instantiam in oppositum, cum dicunt Aduersarij differentias diuisiuas generis esse contrarias; contrarietas verò est penès subiectum.

Nam facilis est responsio, quod contrarietas duplex est, alia obiectiua, siuè ex parte obiecti formalis; alia verò ex parte subiecti cognoscentis; nam contrarietas est penès perfectum, & imperfectum; hæc autem contrarietas est triplex, ex parte scilicet obiecti cognoscibilis, quod scilicet est obiectum materiale; ex parte medij, quod est obiectum formale scientiæ; & ex parte subiecti cognoscentis, vt explicauimus.

Neque hæc responsio impugnatur per aliam instantiam, quod methaphysica vniuersalissima naturalis supponit fidem diuinam; quia scilicet scientificè etiam tractat de entibus supernaturalibus, quæ in statu viæ cognoscuntur fide diuina.

Respondeo enim primò, quod scientia, quæ non potest esse simul cum fide de eodem obiecto, est scientia subalternans subalternatione vltima, quæ scilicet est ex primis, & immediatis principijs intrinsecis; non autem est scientia subalternata: & disparitas est; quia scientia, vt subalternata, seiuncta à subalternante, est euidens tãtùm aptitudine ad euidentiam actualem; hæc autem compatitur secum obscuritatem in actu ex accidenti: vt scientia subalternans subalternatione vltima, est essentialiter actu euidens; implicat autem simul eundem intellectum, secundùm idem subiectũ videre clarè, & non videre clarè idem obiectum, vt explicauimus suprà; sed de hoc fusiùs dicetur infrà.

Ad quartam instantiam; respondeo concedo maiorem, & nego minorem; nam methaphysica vniuersalissima habet gradum abstractionis formalis à materia, diuersum à gradu abstractionis, siuè immaterialitatis, quem habet scientia supernaturalis secundùm substantiam; tùm quia obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ negatiuè, siuè præcisiuè abstrahit à materia, scilicet neque includit, neque non includit in sua definitione essentiali materiam; scientia verò supernaturalis secundùm substantiam positiuè, & contrariè abstrahit à materia: & ratio disparitatis à priori est; quia ratio supernaturalitatis non reperitur, nisi in actu, sicut ratio spiritualitatis, non nisi in actu reperitur; quia ex suo genere supernaturale est gradus entis supremus; hic autem

tem actus est; scibile verò naturale vniuersalissimum, quod est obiectum methaphysicæ vniuersalissimæ, ex suo genere, abstrahit ab actu, & potentia; sed de hoc iterum infrà dicetur.

Quarta conclusio. Prædictæ omnes scientiæ, non solùm sunt simul omnes in intellectu Beatorum, quantùm ad habitum; sed etiam quantùm ad actum, qui est scientia actualis. Cóclusio hæc ponitur quoniam sunt duæ oppositæ Theologorum sententiæ: prima est asserentium, prędictas omnes scientias esse compossibiles in eodem intellectu cum visione beatifica, solùm quantùm ad eorum habitum: secunda verò est asserentium, esse simul cum visione beatifica, etiam quantùm ad eorum actũ: & hæc sententia, vt suprà diximus, est S. Thomæ 3. *par.* vbi concedit Christo, præter scientiam beatam, qua erat compræhensor, scilicet secundùm animam, alias scientias rerum in proprio genere: & probatur ratione; quia vt suprà diximus, scientia rerum in proprio genere, & scientia earundem in Deo viso, non opponuntur pænès perfectum, & imperfectum ex parte subiecti, tùm quoad habitum, tùm quoad actum; sed in eo, in quo non est oppositio, est compossibilitas; incompossibilitas enim oritur ex oppositione: ergo prædictæ scientiæ sunt simul compossibiles, etiam quoad actum in eodem intellectu; nimirum scientia, qua cognoscuntur naturæ in proprio genere; & cognitio, qua cognoscuntur, Deus in seipso, & creaturæ in Deo viso. Maior probatur; quia oppositio penès perfectum, & imperfectum ex parte subiecti contingit, quando vnus, & idem intellectus videt, & non videt idem obiectum; vel quando cognoscit vnum, & idem obiectum certè, & cum formidine intrinseca; sed hanc oppositionem non habent visio beatifica, vel scientia creaturarum in Deo viso, & aliæ scientiæ puræ naturales, siuè supernaturales in proprio genere, tùm quia eorum oppositio est penès perfectum, & imperfectum ex parte medij, siuè obiecti; hæc autem oppositio non ponit contradictionem, nisi in eodem medio: tùm etiam, quia visio creaturarum in Verbo, & visio earundem in proprio genere, dicunt vnum, & eundem intellectum cognoscere vnum, & idem obiectum materiale sub diuersis modis, quorum vnus non excluditur ab alio ab eodem subiecto; quia diuersi modi formales cognoscendi scientifici, quorum vnus est superior alio, sunt subordinati ad inuicem; actus autem, & modus cognoscendi inuicem subordinati, non se inuicem excludunt, vt infrà clariùs probabitur. Hanc assertionem, & doctrinam conantur reijcere Auctores primę sententiæ contrariæ hoc fundamento.

Implicat intellectum simul plura intelligere; sicut impossibile, est vnam quantitatem simul terminari duabus figuris diuersis; sed intellectus Beati semper videndo Deum, videt in Deo viso creaturas secundùm earum esse formale, & intrinsecum, saltem in generali, vt fusè probatur in quęstione de visione Dei; ergo implicat intellectum Beatorum simul actu cognoscere easdem creaturas in proprio genere, siuè in propria natura; siuè ea cognitio sit naturalis, siuè supernaturalis secundùm substantiam.

Quod si eis primò opponas S. Thomam, qui *loco supra cit. 3. par.* docet in anima Christi Domini, pręter visionem, qua cognoscit creaturas in Deo viso, dari alias scientias, quibus cognoscit easdem extrà Verbum; quia Christus Dominus fuit compræhensor simul, & viator.

Respondent, S. Thomam intelligendum esse de scientijs naturalibus, siuè naturalibus, siuè infusis quantum ad habitum; non autem quantùm ad actum secundum; nam implicat intellectum simul plura formaliter intelligere; esset enim intellectus diuisus, & indiuisus formaliter in cognoscēdo.

Quod si secundò eis opponas, habitus qui non possunt habere suas actuales operationes, etiam ex accidenti, esse essentialiter superfluos, & otiosos; quia frustrantur perpetuò suo fine, sed prædictæ scientiæ rerum in proprio genere frustrantur perpetuò suo fine; implicat enim Beatum non videre Deum in seipso: sed non potest intellectus Beatorum simul videre Deum, & creaturas in proprio genere, quia implicat videre plura formaliter, vt diximus. Præterea prędicti habitus scientiales essent violenter in intellectu Beatorum; sicut, v. g. lapis violenter retinetur sursum, quoniam dum sursum sistit, priuatur suo loco naturali.

Respondent, scientias rerum extrà Verbum, siuè in proprio genere in intellectu Beatorum, non esse superfluas, & otiosas, neque violenter: non esse superfluas, probant primò; quia tunc scientia est superflua, & otiosa, quando absolutè, & non ex accidenti, non potest exercere suum munus, vel suam operationem; sed prædictæ scientiæ rerum extrà Verbum, siuè in proprio genere absolutè, & simpliciter possunt habere suas operationes actuales, licet non habeant eas ex accidenti; sicut, v. g. theologia

logia sacrâ viatorum ex accidenti nõ habet euidentiã actu, quã secundùm se potest habere: secundò, tunc scientia dicitur superflua, & otiosa, quando posita in intellectu sine sua actuali operatione, ad nihil deseruit; sed scientiæ rerum extrà Verbum, siuè in proprio genere, tàm naturales, quàm supernaturales sine suis operationibus actualibus, quando ad aliud non deseruirent, deseruiunt ad ornatum, & decorem, quod sufficit vt non sit superfluæ; nam sic exercent aliquid, nimirum ponunt decorem, & ornatum in Beatis. Exemplificant hanc responsionem exemplo Paruulorum, quibus infunditur gratia cum virtutibus, nimirum gratia sufficiens; & Ordinatorum, quibus imprimitur character; & etiam confirmant exemplo corporis naturalis infiniti in actu, si daretur; corpus enim naturale secundùm se, & absolutè est essentialiter mobile; ex accidenti verò quatenùs substat quantitati infinitæ secundùm omnem mensuram, est immobile, quæ duo non sunt contradictoria corpori; quia non conueniunt corpori secundùm idem, sed secundùm diuersa: explicant alij hoc ipsum exemplo Christi Domini, qui in speciebus Eucharistiæ, habet quidem manus, & pedes; attamen, vt stat sub speciebus Eucharistiæ, non potest exire in actus tangendi, & ambulandi; quia, inquiunt, in illo statu caret conditione necessaria ad illos actus, scilicet extensione actuali ad spatium.

Sed horum ratio, & responsiones, licet acutæ sint, non euacuant rationem suprà allatam; quandoquidem prædictæ omnes scientiæ sunt essentialiter subordinatæ in essendo, & in operando; vna enim est essentialiter subalternata alij; sed subordinatio essentialis in essendo, & in operando, non solùm fundat simultatem habituum in eodem instanti temporis; sed etiam simultatem eorundem, quantùm ad actuales operationes: tùm quia subordinatio essentialis in essendo, & in operando, dicit tantummodò posterioritatem, & prioritatem naturæ; dicit enim dependentiam a se independente: tùm etiam quia ob hanc subordinationem essentialem in essendo, & operando, omnis causa secunda essentialiter exigit cõcursum simultaneum primæ causæ: ergò, &c. Doctrina hæc sumitur in terminis à Doctore Angelico 1. *par. quæst.* 58. *art.* 7. *ad* 2. vbi dicit, quod duæ operationes, quarum vna refertur ad aliam, idest quarum vna subordinatur alteri, vt ego interpretor, possunt esse simul vnius potentiæ: & exemplificat hoc exemplo voluntatis, quæ simul vult, distinctis actibus, finem, & ea quæ sunt ad finem: & exemplo intellectus, qui simul tempore intelligit principia, vt causas; & conclusiones ex principijs, distinctis cognitionibus, quarum vna causatur ab alia: v.g. cognitio, qua assentitur conclusioni, vt deductæ causatur à cognitione præmissarum, inquantùm sunt causa necessaria: dico, distinctis actibus, siuè operationibus, quarum vna causatur ab alia; quia nulla est difficultas inter Scholasticos, an possint intelligi duo vnico actu, quorum vnum est materiale, & aliud est formale, scilicet quorum vnum est id, quod cognoscitur, & aliud est ratio formalis obiectiua cognoscendi; nam, vt suprà diximus, potest intellectus vnico actu hoc modo cognoscere principium, vt causam; & conclusionem, vt effectum, siuè terminum materialem.

Ratio autẽ principalis in oppositum, nimirum quod intellectus non potest plura formaliter cognoscere simul, distinctione soluitur; nam plura intelligibilia formaliter, scilicet quorum vnum habet in se rationem formalem terminandi suam cognitionem, sunt duplicis generis; alia sunt subordinata essentialiter, & alia non sunt subordinata inuicem; propositio vera est de pluribus intelligibilibus formaliter, non subordinatis formaliter in esse; falsa verò de pluribus intelligibilibus formaliter subordinatis: huiusmodi sunt obiecta formalia prædictarum scientiarum, quæ sunt in Beatis.

Quod si primò dicant Aduersarij, subordinatio tollit simultatem actuum; quia ex subordinatis, vnum est prius alio; sed actus prædictarum scientiarum, quæ sunt in Beatis, sunt subordinati; ergo non possunt esse simul in eodem intellectu, sed ad subordinationem eorum inter se, satis est vt sint in eodem intellectu successiuè.

Respondeo cum distinctione, simultatem aliam esse naturæ, & aliam esse temporis, siuè durationis. Subordinatio in operando, tollit simultatem naturæ; non autem tollit simultatem instantis temporis in quo; nos autem hìc loquimur de simultate instantis, in quo, siuè temporis.

Quod si secundò obijciant S. Thomam *de cognitione Angelorum, art.* 14. vbi docet, quod formæ, siuè actus sunt duplicis generis, quidam actus sunt vnius generis; quidam verò sunt diuersorum generum. Actus qui sunt diuersorum generum, respiciunt essentialiter diuersas potentias: cuius ratio est, inquit, quia vnitas generis oritur ex vnitate materiæ, secundùm Aristotilem; & hinc infert S. Thomas, impossibile esse vnum subie-

subiectum vnius generis, simul perfici diuersis formis diuersorum generum; quia esset vnum, & non esset vnum subiectum secundùm idem; vnum, quia supponitur; non vnum, quia ponitur diuisum in duas potentias receptiuas actuum diuersorum generum: sicut, inquit, si ponatur aliquod corpus, simul album, & dulce, in eo erunt duæ potentiæ receptiuæ diuersæ; quia albedo inest ei, secundùm quod participat de natura diaphani; dulce verò secundùm quod habet naturam humidi. Cęterum operationes, siuè formæ, quæ sunt vnius generis, vnam tantùm respiciunt potentiam, siuè formæ sint contrariæ, vt albedo, & nigredo, siuè non: & istæ formæ vnius generis, inquit S. Thomas, non possunt simul esse in actu perfecto cum suis actibus; oporteret enim, inquit, eandem potentiam ad diuersos actus terminari, quod est impossibile; sicut, & vnam lineam ex vna parte terminari ad diuersa puncta. In re nostra, sciētia naturalis, & scientia supernaturalis rerum extrà Verbum; siuè, vt alij loquuntur, in proprio genere, aut in propria natura, sunt vnius generis; præsrequirunt enim species intelligibiles sibi proportionatas, nimirum scientia naturalis præsupponit species intelligibiles naturales, scilicet naturalis ordinis; scientia verò supernaturalis quoad suam substantiam, præsupponit species intelligibiles supernaturales; obiectum enim formale scientiæ naturalis, est naturale; obiectum verò formale scientiæ supernaturalis, est supernaturale: omnes autem formæ intelligibiles, inquit S. Thomas, sunt vnius generis, quantumcumque res, quarum sunt, sint generum diuersorum; quia omnes eandem potentiam respiciunt; sed formæ vnius generis in actu perfecto, scilicet cum suis actibus, non possunt simul esse in eodem intellectu; actuales cognitiones, siuè scientiæ, sunt actus secundi formarum intelligibilium; ergo non possunt plures scientiæ, specie inter se diuersæ, etiam subordinatæ, cum sint vnius generis, esse simul in eodem intellectu.

Respondeo, S. Thomam intelligendum esse de formis intelligibilibus, & de actibus intelligendi, non subordinatis in essendo, & in operando; non autem de subordinatis essentialiter: in re nostra, methaphysica vniuersalissima naturalis, & scientia supernaturalis rerum extrà Verbum, sunt subordinatæ in essendo, & in sciendo; quia methaphysica vniuersalissima naturalis, est subalternata in ratione scientiæ, scientiæ supernaturali rerum extrà Verbum, vt suprà ex parte ostendimus; scientia etenim supernaturalis, formaliter in Beatis existēs, rerum extrà Verbum, siuè in proprio genere, aut in propria natura, est superior, & vniuersalior; non solùm, quia procedit ex principijs prioribus, & immediatioribus; sed etiam quia procedit ex principijs vniuersalioribus in prædicando: & ratio huius esse potest; quia hæc scientia supernaturalis quoad substantiam procedit ex principijs notis lumine supernaturali claro, & euidente, ostensiuo plurium prædicatorum, quàm sit ostensiuum lumen supernaturale obscurum, quod est lumen fidei diuinæ; sicut hoc lumen fidei diuinæ est vniuersalius lumine naturali, quia est ostensiuum plurium prædicatorum, quæ non innotescunt nobis solo lumine naturali; ostendit enim lumen fidei, subsistentiam distingui ex natura rei à natura in creatis; inhæsionem actualem accidentis suo subiecto, distingui adhùc realiter ab essentia accidentis, &c. pariter lumen supernaturale clarum, & euidens ostendit plura prædicata de obiecto, quàm lumen supernaturale obscurum; v. g. esse possibilem speciem supernaturalem intelligibilem, & multa alia, quæ nota sunt Beatis in patria.

Quod si dicas pro Auctoribus contrariæ sententiæ, species intelligibiles diuersas, vt docet S. Thomas, non posse esse in actu perfecto simul in eodem intellectu, quia sunt vnius generis; sed hoc prædicatum, quod est esse vnius generis reperitur, tàm in speciebus intelligibilibus non subordinatis, quàm subordinatis; ergo etiam species intelligibiles subordinatæ, non possunt simul esse in actu perfecto in eodem intellectu.

Respondeo, nego maiorem; quia hæc expositio doctrinæ S. Thomæ, non est conformis suis primis principijs, inter quæ est hoc; quod in subordinatis essentialiter in essendo, & in operando, inferius non posse operari sine concursu præuio, & simultaneo causæ superioris; istæ autem duæ operationes, sunt actu simul simultate durationis, siuè instantis temporis, in quo: hoc ipsum dicendum est de subordinatis in sciēdo, siuè de subordinatis in genere intelligibilis. Potest adhùc assignari alia ratio, cur species intelligibiles cum suis actualibus operationibus, quando sunt essentialiter subordinatæ, possint esse simul in eodem intellectu, & ea est; quia vna ex operationibus essentialiter subordinatis nō adæquat potentiam sui subiecti, nam est essentialiter imperfecta, adhùc in suo genere; ex operatio-

tionibus autem non subordinatis, vna operatio adæquat, & explet potentiam sui subiecti; at potentia non adæquata ab vno actu in sua ratione formali, potest simul perfici, & compleri ab alio, à quo est complebilis. Hac ratione plures docti Scholastici probant, vnum, & eundem effectum posse supernaturaliter, simul pendere à pluribus causis, etiam adæquatis; quia scilicet potentialitas effectus secundùm se, non adæquatur ab vna causa totali secundùm se, & absolutè.

Hac ipsa distinctione soluitur clarè ratio, qua S. Thomas *in quodlibetis*, probat intellectum non posse plura intelligere formaliter, quia esset vnus, & plures; hæc enim propositio vera est, si intelligatur de intellectu intelligente plura formaliter non subordinatè; non verò de intellectu intelligente plura formaliter subordinata.

Quinta conclusio. Methaphysica vniuersalissima naturalis, quæ est de ente reali vt sic, abstrahente à naturali, & supernaturali, supposita tamen fide diuina tantùm, vt conditione manifestante veritates, & naturales, & supernaturales; in ratione scientiæ, subalternatur methaphysicæ vniuersalissimæ supernaturali quoad substantiam, quam explicauimus initio huius articuli: hæc autem methaphysica supernaturalis duplex est, vt eodem loco diximus; alia scilicet est de obiecto supernaturali formali tantùm in genere scibilis; duplex enim est obiectum formale, aliud in genere entis, siuè rei, & aliud in genere scibilis: & alia scientia supernaturalis est de obiecto supernaturali, tàm in genere entis, quàm in genere scibilis; & vtraque methaphysica, siuè scientia est per se infusa; & hæc subalternatio est scientiæ subalternantis superioris ordinis, non generis: duplex enim datur subalternatio in ratione scientiæ; alia, quæ est vnius scientię ad aliam superiorem eiusdem generis, & ordinis; quo pacto physica subalternatur methaphysicæ de ente supernaturalis ordinis; & alia est vnius scientiæ ad aliam superiorem eiusdem generis, sed diuersi, & superioris ordinis; & huiusmodi dicimus esse subalternationem, in ratione scientiæ, methaphysicæ vniuersalissimæ naturali quoad substantiam ad methaphysicam supernaturalem, pariter quoad substantiam, quæ est per se infusa in Beatis, consequenter ad visionem beatificam.

Prima pars conclusionis probatur; quia methaphysica vniuersalissima naturalis quoad substãtiam procedit ex principijs, vt demonstrabilibus lumine, scilicet medio intrinseco superioris scientiæ, quæ est methaphysica secundùm substantiam supernaturalis; sed hoc satis est, vt methaphysica vniuersalissima naturalis sit subalternata in ratione scientiæ; ergò, &c. Maior, in qua est difficultas, probatur, quia principia methaphysicæ vniuersalissimæ; ex quibus deducit suas conclusiones, supponunt fidem diuinam, vt conditionem manifestantem obiecta sua materialia; sed hoc est sufficiens motiuum, vt methaphysica vniuersalissima procedat ex principijs, vt demonstrabilibus in superiori habitu, vel lumine superioris scientiæ, quæ alia non potest esse immediatè, nisi methaphysica vniuersalissima supernaturalis quoad substantiam, quæ infunditur in Beatis consequenter ad visionem beatificam. Hac enim ratione S. Thomas 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. probat, theologiam sacram viatorum esse scientiam ex reuelatis pro statu viæ, vt notificatis lumine superioris scientiæ, quod probat exemplo Musicæ, & Perspectiuæ, quæ supponunt principia nota in statu seiunctionis à scientia superiori per fidem, vt conditionem necessariam manifestantem; sed vt non scibilia mediante Geometria, & Arithmetica.

Secũdò probatur eadem maior à priori; principia enim methaphysicæ vniuersalissimæ naturalis concernunt ens, vt cognoscibile abstractione naturali à materia, regulis, & medijs naturalis discursus; hæc autem principia sunt demonstrabilia principijs intrinsecis vniuersalioribus, & prioribus superioris scientiæ; quia non sunt prima simpliciter, sed in determinato gradu abstractionis à materia; hæc autem sunt demonstrabilia per alia vniuersaliora principia; quia sunt secunda; sicut illud principiũ: omne totum quantum est maius sua parte quanta; est demonstrabile per aliud vniuersalius, & superius, quod est; omne totum est maius sua parte; & hoc per aliud superius, & vniuersalius, quod concernit ens reale, inquantum ens reale absolutè: totum hunc discursum suprà late explicauimus, cum probauimus lumen supernaturale clarum, & euidens repræsentare plura prædicata, quàm repræsentat lumen supernaturale fidei, & hoc est vniuersalius, & prius quam sit lumen solùm naturale, &c.

Secunda pars conclusionis probatur, quia methaphysica vniuersalissima est, secundùm substantiam, ordinis naturalis; supponit tamen fidem diuinam, vt conditionem manifestantem sua obiecta materialia, de quibus scientificè tractat; sed hoc est sufficiens motiuum, vt methaphysica vniuersalis-

saliſſima ſubalternetur ſcientiæ ſuperioris ordinis, quæ eſt ſcientia ſupernaturalis; cognitio enim rerum, quæ præſupponit fidem diuinam pro ſtatu viæ, ordinatur ad ſcientiam ſuperiorem, excedentem facultatem naturæ; ob hanc enim rationem phyſica v. g. ſubalternatur ſcientiæ ſuperiori eiuſdem ordinis, & non ordinis ſuperioris; quia non præſupponit fidem diuinam, manifeſtantem eius obiecta materialia, de quibus ſcientificè tractat.

Neque huic doctrinæ obſtat, quod ſuprà diximus ſcientias naturales ſubalternari theologiæ ſacræ viatorum, & etiam methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ; quia hoc competit ſcientijs naturalibus inferioribus, quatenus earum obiecta ſunt obiecta materialia methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, quæ ſupponit in ſuis obiectis materialibus fidem diuinam, vt conditionem illa manifeſtantem; quia methaphyſica vniuerſaliſſima ſcientificè tractat etiam de ijs, de quibus tractat theologia ſacra viatorum, vt plenè ſuprà explicauimus.

Obijcies primò ex Scoto in *3. diſt.* 24. ſubalternata ſcientia dependet à ſubalternante, tamquam à cauſa; ſed methaphyſica vniuerſaliſſima non dependet à ſcientia ſupernaturali rerum extrà Verbum, exiſtente in Beatis, tamquam à cauſa. Minor probatur à Scoto; quia cauſa ſcientiæ eſt triplex: vel potentia, ſicut intellectus dicitur cauſa omnium ſciẽtiarum; vel vt obiectum; vel vt lumen: ſcientia ſupernaturalis rerum extrà Verbum, in Beatis exiſtens, non poteſt dici cauſa methaphyſicæ naturalis, vt potentia; quia hæc eſt intellectus: neque vt obiectum; quia hoc eſt ens reale vt ſic, ſuppoſita fide diuina, vt conditione manifeſtante: neque vt lumen; quia lumen ſcientiæ ſupernaturalis rerum extrà Verbum in Beatis, nullo modo præſupponit fidem diuinam, cum ſit independens ab illa, & cum ſit etiam euidens euidentia ſupernaturali.

Reſpondeo, diſtinguo maiorem; ſcientia ſubalterna, ſiuè ſubalternata, quantùm ad euidentiam actualem, depẽdet, tamquam à cauſa principali, à ſcientia ſubalternante; & concedo: quantum ad euidentiam aptitudinalem, & nego: hanc enim habet ſcientia ſubalterna à ſuis principijs proximis, & mediatis, nimirum, vt notificabilibus, ſiuè demonſtrabilibus à principijs intrinſecis ſuæ ſcientiæ ſubalternantis; illam verò, quæ eſt actualis, habet, vt à cauſa principali, à ſcientia ſubalternante; vt verò à cauſa inſtrumentali, habet à ſuis principijs virtute ſuæ ſcientiæ ſubalternantis. Cum verò in minori dicitur, quod methaphyſica vniuerſaliſſima non dependet à methaphyſica vniuerſaliſſima ſupernaturali, exiſtente in Beatis; diſtinguo, quoad ſuam euidentiam aptitudinalem, & concedo: quoad ſuam euidentiam actualem, & nego; & hanc actualem euidentiam habet à methaphyſica vniuerſaliſſima ſupernaturali, vt à cauſa principali, cum ei continuabitur in eodem intellectu in patria; dum verò perſeuerat in ſtatu viæ, ſolùm eſt euidens euidentia aptitudinali, quæ eſt eſſentialiter exigitiua euidentiæ actualis, quam poteſt habere cum continuabitur methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ ſupernaturali, per hoc quod eius principia probabit, vt cauſa inſtrumentalis, vtendo principijs ſuæ ſcientiæ ſubalternantis; impeditur autem in ſtatu viæ, nè ſit euidens, ex accidenti; quia ſcilicet non cognoſcuntur in ſtatu viæ ſcientificè, niſi ſuppoſita fide, quæ eſt habitus non per ſe, ſed per accidens ſuorum principiorum primorum, & mediatorum. Cum denique opponens probat, non poſſe ſcientiam ſubalternam, ſiuè ſubalternatam dependere vllo modo à ſua ſcientia ſubalternante; quia ſcilicet cauſa ſcientiæ eſt triplex, vel potentia, ſicut intellectus dicitur cauſa omnium ſciẽtiarum, vel vt obiectum, vel vt lumen; certum autem eſt, methaphyſicam vniuerſaliſſimam ſupernaturalem exiſtentem in Beatis, nec eſſe obiectum methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ naturalis, nec lumen, nec potentiam intellectiuam; ergo nullo modo methaphyſica vniuerſaliſſima naturalis pendet, vt à cauſa à principali, à ſcientia ſupernaturali exiſtente in Beatis.

Reſpondeo, methaphyſicam vniuerſaliſſimam naturalem dependere à methaphyſica, ſeù à ſcientia ſupernaturali, vt à cauſa efficiente principali; non quidem vt à potentia; ſed vt ab habitu facilitante potentiam ad producendum actum ſcientificum, quo probantur principia ſcientiæ ſubalternatæ; eſt enim ſcientia habitualis ſpecies qualitatis, vt ſuo loco dicitur, quæ ſolùm facilitat potentiam ad producendos actus ſcientificos; habitus enim non ſe tenet ex parte obiecti, ſed ex parte potentiæ, & eſt actiuus, vt facilitans potentiam intellectiuam ad actus ſcientificos, vt probatur ſuo loco fuſiùs.

Hæc reſponſio vera, & acuta quidem eſt, ſed non quietat intellectum Methaphyſici, niſi ſoluantur aliquæ inſtantiæ in oppoſitum, quæ fieri poſſunt ab auctoribus contrariæ ſententiæ.

Prima inſtantia eſt, ſcientia ſubalterna,

na, ſiuè ſubalternata debet compleri in ratione ſcientiæ in ſuo genere, vel ordine; quia eſt incompleta in ſuo genere ſcientiæ, cum ſit euidens tantùm euidentia aptitudinali, quæ eſt imperfecta euidentia; ſed methaphyſica vniuerſaliſſima naturalis eſt euidens, euidentia incompleta naturali; ergo debet compleri euidentia naturali; ſed euidentia, quam cauſat methaphyſica ſupernaturalis quoad ſuam ſubſtantiam, eſt ſupernaturalis formaliter.

Secunda inſtantia eſt; quia non eſt aſſignabilis ratio, cur in ſcientia ſubalterna, ſiuè ſubalternata, ſint diſtinguendæ duæ euidentiæ diſtinctæ ab euidentia ſuæ ſubalternantis ſcientiæ; nam ſcientia ſubalterna eſt in eodem genere cum ſua ſcientia ſubalternante: ſunt enim ſcientia ſubalterna, & ſubalternans ſpecies eſſentiales ſcientiæ, inter ſe diuerſæ; ſed hoc poſito, deberent adhùc diſtingui in ſubalternante ſciẽtia; nam ratio prima cur diſtinguuntur duæ euidentiæ, aptitudinalis, & actualis, eſt; quia in quolibet genere reperitur actus, & potentia; ſed non ſolùm ſcientia ſubalternata, ſed etiam ſubalternans ſunt in genere; imò ſunt vnius generis: ergo in vtraque ſcientia debent diſtingui euidentia aptitudinalis, & euidentia actualis, cum hac ſola diuerſitate; quia in ſubalternante, euidentia actualis eſt cum dependentia; in ſcientia verò ſubalternante eſt ſine dependentia.

Neque valet ſi dicas, has duas euidentias diſtingui in ſcientia ſubalternata; quia ſubalternata ſcientia eſt eſſentialiter imperfecta; ſubalternans verò eſt perfecta; ſubalternatio autem aptitudinalis, habet permixtam imperfectionem; quia fundatur in potentialitate; hæc autem imperfectio non eſt in ſcientia ſubalternante; quia ſcientia ſubalternas eſt perfecta ſcientia; nam.

Statim poteſt dicere Aduerſarius, accidens adhùc eſt eſſentialiter imperfectum in ſuo genere; & tamen hæc imperfectio non eſt cauſa adæquata, vt in accidente tantummodò diſtinguatur inaleitas aptitudinalis, & actualis, ſiuè modus aptitudinalis, & actualis exiſtendi; quia etiam in ſubſtantia creata diſtinguitur perſeitas aptitudinalis, & perſeitas actualis: & ratio huius eſt; quia tam ſubſtantia, quàm accidens ſunt in genere aliquo determinato; & in quolibet genere diſtinguntur actus, & potentia; ſed hæc ratio militat etiam in ſcientia ſubalternata, & ſubalternante, quia vtraque eſt in genere ſcientiæ; ergò, &c.

Reſpondeo ad primam inſtantiam, ſcientiam naturalem eſſe duplicis generis; alia enim eſt ſcientia naturalis, quæ in nullo ſtatu ſupponit fidem diuinam, vt conditionem manifeſtantem eius principia, & huius generis ſunt omnes ſcientię purè naturales: & alia ſcientia eſt, quæ in ſtatu viæ ſupponit fidem diuinam, vt conditionem manifeſtantem eius principia, & huius generis ſunt theologia ſacra viatorum in ſtatu viæ, & methaphyſica vniuerſaliſſima naturalis; quia hæc tractat ſcientificè non ſolùm de veritatibus ſupernaturalibus; ſed etiam de veritatibus naturalibus; ſuppoſita tamen fide diuina; quia tractat de veritatibus, quæ ex accidenti, & in ſtatu viæ cognoſcuntur lumine diuinæ reuelationis. Scientia naturalis primi generis ſubalternata, ſiuè ſubalterna per ſe, & ex ſua intrinſeca indigentia, non eſt complebibilis euidentia ſupernaturali ſuperioris ſcientiæ ſubalternantis; quia non eſt ex reuelatis vt ſcitis in ſcientia ſupernaturali; ſed tantùm huius generis ſcientia completur, quando eſt ſubalternata euidentia actuali, quæ eſt à ſcientia ſubalternante naturali; methaphyſica autem vniuerſaliſſima eſt ſcientia ſecundi generis, vt ſatis probauimus.

Reſpondeo ad ſecundam inſtantiam, nego maiorem, & aſſigno rationem; in ſcientia ſubalternante, inquantum ſubalternans eſt, non ſunt diſtinguendæ duæ euidentiæ, vna aptitudinalis, & alia actualis; quia euidentia ſcientiæ ſubalternantis, inquantum ſubalternans, eſt prima in ſuo genere; primum autem in quolibet genere eſt indiuiſibile, vt docet Ariſtotiles in libris phyſicorum, & methaphyſicorum, & cum eo S. Thomas, quod enim eſt diuiſibile, non eſt prius, ſed poſterius; idque probatur; quia ſcientia ſubalternans, eſt ex primis, & immediatis principijs intrinſecis; euidentia autem ſcientiæ ſubalternatæ eſt ſecunda in genere euidentiæ; at non implicat in vno gradu eſſe plura ſecunda, quorum vnum eſt prius alio; & ratio eſt; quia ſcientia ſubalternata eſt ex principijs ſecundis, quæ originem ducunt ex primis, & immediatis.

Ad paritatem autem, cum dicit opponens; ſubſtantia creata adhùc eſt prima in genere entium; & tamen adhùc in ea diſtinguitur perſeitas aptitudinalis à perſeitate actuali, ſicut in ea adhùc diſtinguitur eſſentia ab exiſtentia.

Reſpondeo, quod diſtinctio perſeitatis aptitudinalis ab actuali, ſicut diſtinctio eſſentiæ ab exiſtentia ſubſtantiali, conuenit ſubſtantiæ creatæ; quia eſt ens eſſentialiter ſecundum in genere entis actu: eſſe autem ens ſecundum in actu reperitur, tàm in ſub-

ſtantia, quàm in accidente, creatis; at diuiſio euident[illegible] aptitudinalis ab euidentia actuali in ſcientia ſubalternata, non conuenit ei ex ſuo genere; ſed ex ſua ſpecie, quæ in ipſa tantùm reperitur, & non in ſubalternante; eſſe enim ſcientiam eſſentialiter imperfectam, quantùm ſcilicet ad euidentiam actualem, competit ſcientiæ ſubalternatæ, in quantùm ſubalternata eſt, non inquantùm ſcientia eſt in generali; quia de ratione ſcientiæ in generali eſt, vt ſit certa, & euidens, euidentia abſtrahente ab euidentia mediata, & ab euidentia immediata, quæ eſt perfecta ratio ſcientiæ in generali, & hæc perfecta ratio ſcientiæ in generali non tollitur à ſcientia ſubalternata per hoc, quod ſubalternata ſcientia non eſt ex ſuis principijs, vt à cauſa principali, actu euidens; ſed ſit actu euidens ex principijs ſcientiæ ſuperioris, cui ſubalternatur: & ratio à priori eſt; quia ſcientia perfecta in generali, ſiuè ratio eſſentialis ſcientiæ in generali, præſcindit ab euidentia mediata, & ab euidentia immediata, ſiuè ab euidentia prima, & ab euidentia ſecunda; vbi autem eſt abſtractio formalis generis, datur contrahibilitas per oppoſitas differentias. Comprobatur etiam hæc doctrina exemplo: v. g. ex hoc, quod homo habet ſenſum, & motum cum rationali, leo verò habet vtrumque cum irrationali, & non cum rationali; non tollitur ab vtroque quin ſit animal propriè, & eſſentialiter; tàm enim eſſentialiter homo eſt animal, quàm leo: ità ſiuè ſcientia ſit ſubalternãs, ſiuè ſubalternata, ſẽper eſt ſciẽtia perfecta perfectione eſsẽtiali in generali.

Neque ex eo quod ſcientia ſubalternata dicitur ſcientia imperfecta, minuitur ab ea aliquod prædicatum eſſentiale ſcientiæ in generali; quia illa imperfectio ſolùm indicat differentiam conſtitutiuam ſcientiæ ſubalternatæ, quod prædicatum differentiale ſolùm dicit dependentiam ſcientiæ ſubalternatæ in euidentia actuali à ſua ſciẽtia ſubalternante, quæ eſt perfecta in ſua ſpecie, quia habet euidentiam actualem intrà ſeipſam independenter à ſcientia ſubalternata: ad eum modum, v. g. quo brutum eſt ſpecies imperfecta animalis, non quia ei deeſt aliquod prædicatum animalis, nec quia deeſt eidem aliquod prædicatum neceſſarium ad ſpeciem bruti; ſed quia eius differentia ſpecifica, quæ eſt irrationalis, eſt permixta cum dependentia in operando ab intellectu dirigente animal in ſuis operationibus; brutum enim ſe mouet, vt motum; quia ſe mouet in finem ſibi præſcriptũ ab alio; homo verò, cumſit creatura intellectualis, ſe mouet, præſcribens ſibi finem, ad quem dirigit ſuas operationes. Communiter Thomiſtæ probant, ſcientiam ſubalternatam dependere, quoad euidentiam actualem, à ſubalternante; quia de ratione ſcientiæ contradiſtinctæ ab opinione, eſt vt ſit euidens, vel ex ſuis principijs, vel quia eſt continuabilis cum principijs ſuperioris ſcientiæ ſubalternantis. Sed hæc explicatio mihi non probatur; quia, vt dicam ſequenti Articulo, euidentia ſcientialis, etiam actualis, in ſubalternante, debet oriri aliquo modo à principijs ipſius ſubalternatæ; ſed cum dependentia ſemper à principijs ſubalternantis.

Obijcies ſecundò; theologia ſacra viatorum, quæ ſcilicet eſt ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, ſubalternatur methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ; quia in intellectu Theologi viatoris reperiuntur formaliter principia methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ; ſed in intellectu Methaphyſici vniuerſaliſſimi in ſtatu viæ, non poſſunt eſſe principia ſcientiæ ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, quæ eſt in Beatis; ergo non poteſt methaphyſica vniuerſaliſſima naturalis ſubalternari methaphyſicæ, ſiuè ſcientiæ vniuerſaliſſimę ſupernaturali ſecundùm ſubſtãtiam. Minor eſt certa; quia methaphyſica vniuerſaliſſima naturalis, præſupponit neceſſariò fidem diuinam manifeſtantem in ſtatu viæ veritates ſupernaturales; ſed fides diuina non eſt compoſſibilis ſimul in eodem intellectu cum ſcientia actu euidente de eodem obiecto, qualis eſt ſcientia vniuerſaliſſima ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Maior adhùc probatur; quia principia formalia methaphyſicę vniuerſaliſſimę ſunt illa ipſa, quæ ſunt principia methaphyſicæ Ariſtotelis, quatenus fundamentaliter abſtrahunt à materia determinata naturali.

Reſpõdeo cum diſtinctione, nimirum; ſcientia ſubalternata, ſiuè ſubalterna, vt ſit euidens euidentia actuali mediata, neceſſariò prærequirit, tamquam cauſam principalem, principia formalia ſuæ ſcientiæ ſubalternantis, & concedo: vt ſit euidens actu euidentia aptitudinali, exigitiua euidentiæ actualis per dependentiam à ſua ſubalternante, & nego: hanc enim euidentiam habet à cauſa proxima, tamquam à ſuis principijs proximis, vt ſcibilibus tantummodò lumine ſuperioris ſcientiæ ſubalternantis, & hæc aptitudinalis euidentia ſufficit ad eſſentiam ſpecificam ſcientiæ ſubalternatę; per hoc enim ſcientia eſt ſubalterna, ſiuè ſubalternata formaliter; quia eſt exigitiua per ſe euidentiæ ſuperioris ſcientiæ: euidentia

tia enim actualis, & mediata facit tantummodò ad perfectionem accidentalem scientiæ subalternatæ, non autem ad essentialem constitutiuam; vel, vt alij loquuntur, facit ad perfectionem debitæ scientiæ subalternatæ, quoad statum perfectæ scientiæ; non autem quoad quidditatem, siuè essentiam scientiæ subalternatæ.

Obijcies tertiò, si methaphysica vniuersalissima naturalis subalternaretur methaphysicæ vniuersalissimæ supernaturali, existenti in Beatis; nulla daretur scientia subalternans in creatis: consequens est falsum; ergo, & antecedens. Minor est certa; quia ad perfectionem Vniuersi requiritur, vt quælibet species sit in statu suę perfectionis: sequela verò probatur; quia omnes sciētiæ inferiores subalternantur methaphysicæ vniuersalissimæ naturali, & hæc subalternatur methaphysicæ vniuersalissimæ supernaturali quoad substantiam; sed omnis scientia subalternata secundùm se, & absolutè est imperfecta quoad statum scientiæ, siuè quoad euidentiam actualem; ergo nulla scientia naturalis datur subalternans perfectè.

Respondeo primò, dupliciter intelligi posse, non dari in hoc Vniuerso scientiam subalternantem perfectam; vno modo intrà ordinem naturalem, alio modo absolutè, & simpliciter: in primo sensu, nego sequelam; nàm datur methaphysica Aristotelis, vel alterius Auctoris, quæ est, intrà ordinem naturalem, perfecta scientia subalternans; absolutè verò, & simpliciter, concedo sequelam: & in hoc sensu nos dicimus, methaphysicam Aristotelis esse subalternatam methaphysicæ vniuersalissimæ, quæ scientificè tractat de naturalibus entibus, & supernaturalibus, & hanc esse subalternatam in ratione scientiæ methaphysicæ vniuersalissimæ supernaturali.

Respondeo secundò, negando sequi non dari scientiam subalternantem perfectam in vno ordine, & concedendo non dari in rerum natura scientiam subalternātem perfectam in alio superiori ordine; semper enim scientia inferior inferioritate ordinis, est euidens actu, euidentia superioris ordinis.

Obijcies quartò ex Scoto; scientia subalternans, & subalternata non sunt, neq; esse possunt de eisdē veritatibus; nā vbi desinit subalternās, subalternata incipit; & ostēditur hoc; quia quæ sunt cōclusiones scitæ in subalternante, sunt principia in subalternata, ex quibus conclusiones deducuntur; sed methaphysica vniuersalissima naturalis est de eisdem veritatibus, de quibus est methaphysica vniuersalissima supernaturalis; etenim scientificè tractat etiam de supernaturalibus.

Respondeo, distinguo maiorem; non possunt esse de eisdem veritatibus sub eadem ratione formali in genere scibilis, & concedo: sub diuersis rationibus formalibus in genere scibilis, & nego: in re nostra, methaphysica vniuersalissima supernaturalis, & methaphysica vniuersalissima naturalis, tractant de eisdem veritatibus, sed sub diuersis rationibus formalibus in genere scibilis, vt suprà explicauimus.

Obijcies quintò ex eodem; implicat in eodem intellectu esse simul fidem, & scientiam de eodem obiecto materiali; sed si subalternaretur methaphysica vniuersalissima naturalis, methaphysicæ vniuersalissimæ supernaturali, possent esse simul fides, & scientia de eodem obiecto materiali. Maiorem probauimus suprà cum S. Thoma. Minor verò est certa; quia methaphysica vniuersalissima naturalis, necessariò præsupponit fidem diuinam, vt suprà sæpè repetiuimus; scientia verò vniuersalissima supernaturalis quoad substantiam, non supponit fidem diuinam; sed scientia subalternata, & subalternans possunt simul esse in eodem intellectu; ergo methaphysica vniuersalissima cum fide diuina, quam necessariò supponit esse simul in eodem intellectu de eodem obiecto materiali.

Nec primò euacuatur difficultas, si dicatur, methaphysicam vniuersalissimam naturalem posse cōtinuari cum methaphysica vniuersalissima supernaturali in statu patriæ, per separationem à fide diuina, cum qua accidentaliter est coniuncta; non autem esse continuabilem scientiæ naturali, coniunctam cum fide.

Dicet enim Aduersarius, scientiam omnem supernaturalem quoad substantiam rerum extra Verbum, de potentia absoluta Dei, posse acquiri in statu viæ, concurrente ad id Deo suo concursu virtuoso speciali, vt suprà demonstrauimus; sed in statu vię necessariò supponitur fides diuina à methaphysica vniuersalissima; ergò, &c.

Nec euaditur, inquit Scotus *loco supra cit. in 3. sent.* si dicatur, fidem diuinam posse simul esse cum scientia subalternata; esse verò incompossibilem cum scientia subalternante; & disparitas est, quia scientia subalternans est actu euidens; scientia verò subalternata potest esse actu euidens, & obscura ex accidenti.

Potest enim statim dicere Aduersarius,

rius, quod S. Thomas ostendit, fidem diuinam esse incompossibilem vniuersaliter cũ quacumque scientia euidente, siuè euidentia mediata, siuè euidentia immediata: nam primò, euidentia mediata, adhùc euidentia formaliter est; euidentia autem intrinseca, de qua loquimur, est incompossibilis cum fide diuina, quæ est essentialiter ineuidens, & obscura; fides enim essentialiter est rerum non apparentium: secundò, ratio, qua Sanctus Thomas probat, fidem esse incompossibilem cum scientia, vtitur hoc medio pro maiori: omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, & per consequens visa; sed impossibile est, quod idem ab eodem sit simul visum, & creditum, idest sit simul visum, & non visum; ergo impossibile est idem ab eodem esse simul scitum, & creditum; at si subalternata scientia pateretur ineuidentiam, non omnis scientia haberetur per aliqua principia per se nota, & visa.

Respondeo primò, vt suprà, fidem diuinam esse incompossibilem cum scientia actu euidente in eodem intellectu, & de eodem obiecto materiali; non verò cum scientia euidente tantùm aptitudine exigitiua euidentiæ actualis per dependentiam, scilicet à scientia subalternante: & ratio, vt suprà diximus, est; quia scientia euidens tantùm aptitudine, est actu ex accidenti obscura, quousque est seiuncta à scientia, cui subalternatur: fides autem non habet oppositionem cum scientia, prout est actu obscura ex accidenti, & probatur; quia hoc posito, non sequitur illa contradictio penès perfectum, & imperfectum ex parte subiecti, nimirum eundem intellectum, simul videre, & non videre idem obiectum, quæ quidem cõtradictio non euaditur, si dicatur, eundem intellectum simul videre, & nõ videre idem obiectum sub diuersis motiuis formalibus; nam, vt suprà diximus cum S. Thoma, oppositio fidei cum scientia actu euidente, non est ex parte obiecti formalis, siuè medij; sed ex parte eiusdem subiecti, nimirum eiusdem intellectus. Nec euaditur hæc responsio si dicatur, euidentiam aptitudinalem, adhùc esse euidentiam formaliter; at euidentia est contradictoria ineuidentiæ, & obscuritati ex parte subiecti; nam facilis est responsio, statim .n. responderi potest euidẽtiam aptitudinalem esse formaliter euidentiam, quæ ex accidenti compatitur secum actualem obscuritatem; non autem esse euidentiam, quæ excludit à se actualem obscuritatem; contradictio fidei, & scientiæ est per hoc, quod ponitur idem intellectus actu videns, & non videns idem obiectum. S. Thomas, cum vtitur illo medio; scientia est ex per se notis; præscindit à per se notis per se primò, & a per se notis per se secundò.

Quod si dicas, ex hac responsione saltem sequi fidẽ, & scientiam posse simul esse secundùm habitum, licet non quantùm ad actum; sed S. Thomas asserit absolutè, & simpliciter posse esse simul scientiam, & fidem in eodem intellectu de eodem obiecto materiali; impossibilitas, siuè contradictio absoluta, est non solùm secundùm operationem, sed etiam secundùm habitum; quia incompossibilitas, & contradictio absoluta concernit quidditatem extremorum; quidditas autem est prima in quocumque; sed contradictio secundùm primam rationem, est contradictio, non solùm secundùm habitum, sed etiam secundùm actum scientiæ, & fidei.

Respondeo, nego sequelam; nam oppositio fidei cum scientia opposita opinioni, est ex parte subiecti; hæc autem oppositio tangit, & concernit non solùm actum fidei, & scientiæ, sed etiam habitum; tùm quia vtrumque dicit perfectum, & imperfectum ex parte subiecti; tùm etiam, quia theologia sacra viatorum est ex accidenti ineuidens, non solùm quantum ad actum, sed etiam quantum ad habitum, qui præcedit actualem scientiam; habitus autem in actu primo euidens ex accidenti, est contrariè oppositus ex parte subiecti contrarietate, nimirum methaphysica, & essentiali, excludente medium.

Respondent secundò alij, concedendo maiorem, & negando minorem, & rationem negationis hanc assignant; quia fides diuina est habitus principiorum, non habitus conclusionum; theologia verò sacra viatorum est habitus conclusionum, vt conclusionum; principia autem, & conclusiones sunt diuersa obiecta, etiam materialiter; at fides, & scientia non possunt esse simul in eodem intellectu de eodem obiecto materiali.

Sed hæc solutio non euacuat difficultatem, quia scientia illatiua ex principijs creditis fide diuina ex accidẽti in statu viæ, est obscura, & ineuidens pariter ex accidenti in statu viæ; at hoc per se infert, vt theologia sacra viatorum non possit esse in statu viæ ex accidenti cum scientia per se clara, & euidente euidentia immediata, & per se clara; & consequenter oppositio, quam habet theologia sacra viatorum ex accidenti, est de eodem obiecto materiali, de quo est scientia per se euidens, & superior; quia inuoluit

uoluit ex accidenti obscuritatem, etiam inquantùm est habitus conclusionum. Ad auctoritatem S. Thomæ cum dicit, quod omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota. Respondeo, S. Thomam, loqui de scientia secundùm se; non autem de scientia, quæ ex accidenti procedit ex creditis.

Obijcies sextò ex Aureolo; principia, ex quibus suas deducit conclusiones scientia subalternata, debent esse conclusiones in subalternante; sed principia, ex quibus theologia sacra viatorum, suas deducit conclusiones in scientia supernaturali, & per se euidente; quia hæc principia sunt articuli fidei: at articuli fidei non possunt esse conclusiones in sciẽtia supernaturali Beatorum per se euidente; quia conclusiones scientiæ per se euidentis, sunt euidentes; quia deducuntur ex principijs per se euidentibus, effectus autem est participatio formalis suæ causæ. Secundò; quia subalternata scientia debet ad subiectum subalternantis, addere differentiam accidentalem; sed methaphysica vniuersalissima non addit differentiam accidentalem ad subiectum methaphysicæ vniuersalissimæ supernaturalis. Maiorem probat solo exemplo Perspectiuæ, & Musicæ; Perspectiua enim addit hanc differentiam ad lineam, nempè visualem; Musica verò ad numerum addit sonoritatem.

Respondeo ad primum, articulos fidei posse sumi dupliciter; vno modo in sensu materiali, & specificatiuo; alio modo in sensu formali, & reduplicatiuo; in sensu formali, & reduplicatiuo, non possunt esse sine dubio conclusiones per se euidentes; quia, vt suprà diximus articuli fidei, vt articuli fidei, non possunt habere sui intrinsecam probationem; verùm in sensu materiali, & specificatiuo possunt esse conclusiones, vt suprà explicauimus.

Ad secundùm; respondeo, scientiam subalternatam dupliciter posse sumi; vno modo, inquantum subalternata formaliter; alio modo, quatenùs est in aliquo subiecto determinato; vel, alijs verbis, vno modo secundùm eius differentias formales, & per se; alio modo secundùm eius differentias materiales, siuè subiectiuas: in primo sensu, nego maiorem; in secundo, concedo maiorem, sed nego minorem.

## ARTICVLVS DECIMVS.

### Vtrum Methaphysica vniuersalissima naturalis, & theologia sacra viatorum secundùm se, subalternentur, in ratione scientiæ, scientiæ beatæ, quæ est visio intuitiua Dei; quælibet suo modo.

INquiritur in hoc articulo, an prædictæ scientię subalternentur essentiali subordinatione scientiali, quælibet suo modo, scientiæ beatificæ; quoniam dupliciter vna scientia, in ratione scientiæ, potest subalternari alij scientiæ superiori, scilicet immediatè, & mediatè; & quæsitum est de prædictis scientijs secundùm se, siuè secundùm proprias earum essentias, seù naturas; non autem quatenùs ex accidenti, siuè subiectiuè pro statu viæ supponunt fidem diuinam, vt conditionem manifestantem veritates, tàm naturales, quàm supernaturales; quandoquidem scientia subalterna, siuè subalternata natura sua est continuabilis in eodem intellectu cum sua subalternante; at nulla scientia, proùt supponit fidem diuinam in intellectu, potest continuari cum scientia subalternante, proùt est ex primis, & immediatis; quia hæc sub ista formali ratione est actu, & immediatè euidens; euidentia autem immediata, & actualis, non est compossibilis cum obscuritate, etiam ex accidenti, scientiæ subalternatæ. Notanter sæpè repetitum est, an theologia sacra viatorum secundùm se, sit subalternata scientiæ beatæ; nam potest esse æquiuocatio in ly, theologia sacra secundùm se; aliud enim est dicere, theologia sacra secundùm se; & aliud est dicere, theologia sacra viatorum secundùm se: sicùt aliud est dicere numerus secundùm se; & aliud, numerus par secundùm se; & probatur; quia theologia secundùm se communis est theologiæ viatorum, quæ est naturalis secundùm substantiam, & theologiæ sacræ beatorum, quæ est supernaturalis secundùm substantiam, quæ sunt duæ theologiæ specie essentiali inter se distinctę; theologia autem viatorum est contracta ad determinatam speciem theologiæ sacræ, sicut numerus par est contractus per speciem determinatam numeri; numerus enim par, & impar, sunt specie essentiali distincti; & ra-

ratio est clara; quia numeri sola additione, vel subtractione vnius vnitatis variantur specie.

Ratio dubitandi in hoc articulo est, quia subalternatio vnius scientiæ ad aliam in ratione scientiæ, fit per hoc, quod scientia subalternata, siuè subalterna, demonstrat sua principia medio intrinseco sibi mutuato à scientia subalternante; sed neque theologia sacra viatorum secundùm se, neque methaphysica vniuersalissima possunt habere medium intrinsecum à scientia beatifica, ad probandum sua principia; quia medium in sciendo est scientiæ discursiuæ formaliter, sed scientia beatifica non est discursiua.

Aliqui plures docti Methaphysici, ob hanc dubitandi rationem, distinguunt duas species subalternationis vnius scientiæ ad aliam in ratione scientiæ: aliam dicunt esse subalternationem, qua vna scientia dependet ab alia, quantùm ad medium primum, & intrinsecum ad probandum principia, ex quibus suas deducit conclusiones, & hæc subalternatio est; quia scientia subalternata, non habet intrà se medium intrinsecum, quo probet sua principia, sed illud sibi mutuatur à sua scientia superiori subalternante: aliam verò esse subalternationem per solam cõtinuabilitatem cum euidentia scientiæ superioris subalternantis absque vllo discursu, & probatione, quæ fiat medio intrinseco sciendi ipsius scientiæ subalternantis; & huiusmodi subalternatio est, quando scientia subalternata, quæ ex accidenti, siuè ex conditione extrinseca, cum qua est iuncta, est priuatiuè ineuidens, & obscura; fit euidens ex eo præcisè, quod continuatur in eodem intellectu cum scientia subalternante actu euidente, & clara; & discursus, qui erat obscurus fit actu euidens præcisè; quia vnitur cum euidentia scientiæ subalternantis. Primo modo, subalternatur, v. g. physica methaphysicæ, quæ est de ente positiuo naturali, & theologia sacra viatorum secundùm se subalternatur methaphysicæ vniuersalissimæ. Secundò modo, subalternatur, secundùm Thomistas, theologia viatorum secundùm se, scientiæ beatificæ in statu patriæ. Ad explicandum autem hanc secundam subalternationem per solam continuationem scientiæ subalternatæ cum euidentia subalternantis, distinguũt in scientia subalternata duplicem euidentiam; vnam aptitudinalem, siuè radicalem; & aliam actualem, siuè formalem; primam vocant incompletam complebilem, & aliam completiuam, siuè terminatiuam: prima, inquiunt, oritur ex principijs mediatis, & proximis, quæ sunt principia, vt scibilibus, siuè demonstrabilibus principijs intrinsecis superioris scientiæ: secunda est duplex, alia, quæ causatur in scientia subalternata principijs superioris scientiæ, quod contingit, quando subalternata probat sua principia principijs, siuè medio subalternantis; & alia est, quam acquirit scientia subalternata per solam vnionem, & continuationem cum sua subalternante in eodem intellectu, ad eum modum, v. g. quo corpus diaphanum, quod erat aptitudine lucidum fit actu lucidum per solam vnionem cum lumine Solis; & accidens, quod natura sua est aptitudine inhærens, fit actu inhærens suo subiecto: hoc secundo modo, dicunt Thomistæ, theologiam sacram viatorum secundùm se, prout scilicet distinguitur à seipsa, vt componit cum conditione extrinseca, quæ est status viæ, subalternari scientiæ beatificæ, quando continuatur cum illa in eodem intellectu in statu patriæ. Primo verò modo subalternatur Musica Arithmeticæ, & Perspectiua Geometriæ, & Physica Methaphysicæ; physica enim probat sua principia, principijs intrinsecis methaphysicæ, cum hæc sint vniuersaliora, & reperiantur formaliter in obiecto physicæ.

Alij dicere possunt, subalternationem in ratione scientiæ esse duplicis conditionis; aliam formalem, & aliam materialem, siuè subiectiuam; formalis est, quæ conuenit scientiæ contradistinctæ ab opinione, vt scientia formaliter; materialis verò est, quæ conuenit scientiæ, quatenùs est in subiecto, puta in intellectu discursiuo: prima, est dependentia essentialis vnius scientiæ ab alia, siuè indigentia vnius scientiæ ad aliam, solùm quantùm ad euidentiam actualem; quia euidentia est prædicatum formale scientiæ, quatenùs contradistinguitur ab opinione: secunda, quæ dicitur materialis, est dependentia vnius scientiæ ab alia, non quatenùs est scientia, sed quatenùs scientia est in potentia intellectiua discursiua formaliter; ad eum modum, v. g. quo esse discursiuum formaliter competit scientiæ conclusionum, non quatenus sciẽtia conclusionum formaliter, sed quatenùs est perfectio habitualis intellectus discursiui formaliter; & probari potest hoc, quia si esse discursiuum formaliter, esset prædicatum essentiale scientiæ conclusionum, vt scientiæ conclusionum formaliter, omnis scientia conclusionum esset discursiua formaliter, quod est falsum; quia scientia conclusionum in Angelis non est discursiua formali-

maliter; sed tantùm, vel est discursiua virtualiter, vel tantùm est discursiua discursu obiectiuo, vt suprà ostendimus, cum diximus, quod scientia conclusionum est discursiua discursu abstrahente à formali, & virtuali, & hanc sententiam docti Thomistæ dicunt esse in terminis S. Thomæ 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. vbi hanc solam differentiam ponit inter scientiam subalternatam, & subalternantem, quod subalternans procedit ex principijs per se notis intrà ipsam scientiam; subalternata verò procedit ex principijs notis lumine superioris scientiæ: quod si subalternatio formalis vnius scientię ad aliam esset ex alio capite, non posuisset S. Thomas hanc solam differentiam inter scientiam subalternatam, & subalternantem, eò vel maximè; quia Sanctissimus Doctor *loco citato*, loquitur de subalternatione propria scientiæ in generali: eamque probant primò, quia ex eo præcisè, quod scientia est actu euidens euidentia intrinseca, independenter ab euidentia superioris scientiæ, contradistinguitur à scientia subalternata; ergo ex opposito ex eo præcisè, quod scientia sit actu euidens per continuationem cum euidentia superioris scientiæ, est scientia subalternata; oppositorum enim oppositæ debent esse rationes formales. Secundò, quia subalternatio, in ratione scientiæ formaliter, est prædicatum diuisiuum scientiæ conclusionum, inquantùm scientia conclusionum formaliter; sed hæc differentia diuisiua est penès solam euidentiam, quia euidentia, nimirum intrinseca, est differentia essentialis constitutiua scientiæ in ratione scientiæ; etenim per euidentiam intrinsecam scientia contradistinguitur ab opinione. Tertiò, eam probant per regulam communem; posita sola dependentia vnius scientiæ ab alia per continuationem cum euidentia superioris scientiæ, remoto quocumque alio, ponitur formalis subalternatio in ratione scientiæ; & remota hac continuabilitate scientiæ inferioris cum euidentia superioris scientiæ, posito quocumque alio, non ponitur subalternatio formalis scientialis: sed hæc est propria quidditas subalternationis in ratione scientiæ; sicut illa est essentia, & quidditas hominis, qua sola posita ponitur homo, & qua sola remota, posito quocumque alio, non est homo; ergò, &c. Maior probatur, quia euidentia intrinseca est constitutiuum adæquatum scientiæ; quia est adæquatum contradistinctiuum scientiæ ab opinione; sed posito adæquato essentiali contradistinctiuo, ponitur constitutum essentiale.

Quod si respondeas cum Auctoribus primæ sententiæ, duplicem esse speciem subalternationis in ratione scientiæ; aliam per solam continuationem cum euidentia scientię subalternantis in eodem intellectu; & aliam esse quantùm ad medium intrinsecum, quod scientia inferior sibi mutuatur à superiori ad probandum sua principia: si remoueatur dependentia vnius scientiæ ab alia per acquisitionem solius euidentię scientiæ subalternantis in eodem intellectu, remoueri, & tolli speciem tantummodò subalternationis, quoad puram continuationem cum euidentia subalternantis; remanere tamen aliam speciem subalternationis, quantùm ad medium, quod sumit à subalternante ad probandum sua principia, sicut si ab animali remoueatur rationale, tollitur è medio species hominis, sed remaneret species bruti; quia animal adæquatè diuiditur in brutum, & in hominem.

Respondere statim possunt, subalternationem per mutuationem medij intrinseci à superiori scientia, esse subalternationem materialem, non autem formalem in ratione scientiæ; quia hæc subalternatio non competit scientiæ, inquantùm scientia formaliter contradistincta ab opinione; sed competit scientiæ, quatenùs est in intellectu formaliter discursiuo, quæ est differentia materialis, siuè subiectiua scientiæ, quæ est habitus conclusionum. Difficultas autem in re præsenti, est de subalternatione formali in ratione scientiæ, quæ est habitus conclusionum vt sic.

Quod si secundò dicas, euidentiam in scientia subalternata debere esse euidentiam ab intrinseco, sed hæc non potest esse, nisi ex medio intrinseco, cur passio insit subiecto in conclusione; per hoc enim contradistinguitur scientia ab opinione, & ab habitu conclusionum ex principijs fidei, vt fidei formaliter, quæ, vt suprà diximus, est sciẽtia communiter dicta, non autem scientia propria, & rigorosa.

Statim possunt respondere; medium intrinsecum superioris scientiæ ad probandum principia scientiæ inferioris esse necessarium ad subalternationem materialem scientiæ, scilicet secundùm quod est in intellectu discursiuo; non autem ad subalternationem formalem in ratione scientiæ; hæc enim fit solùm per continuationem lumine claro superioris scientiæ, vt docet S. Thomas 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. dicens, scientiam subalternatam esse ex principijs, vt notificatis lumine superioris scientiæ, euiden-

dentia autem est per solam coniunctionem cum lumine.

Quod si tertiò vrgeas, euidentiam sciētiæ esse differentiam scientialem, hæc verò non potest esse à medio superioris scientiæ, quia hoc est extrinsecum scientiæ inferiori; euidentia autem intrinseca debet esse ex medio intrinseco.

Respondere statim possunt, duplicem esse euidentiam in scientia subalternata, aliam aptitudinalem, siuè radicalem; & aliā actualem; sicut duplex est inhærentia accidentis ad subiectum, alia aptitudinalis, & alia actualis: euidentiam aptitudinalem esse differentiam essentialem scientiæ subalternatæ, non autem euidentiam actualem, sicut quidditas accidentis est inhærentia aptitudinalis, non autem actualis, vt fides diuina docet in Sacramento augustissimo Altaris.

Sine dubio hic dicendi modus subtilis est, & illum sumunt à S. Thoma *loco supra cit.* principales Thomistæ, tùm ex antiquis, tùm ex recentioribus, & præcipuè P. Marcus Antonius Palumbus *exam. 3. scholast. in 1. par. S. Thomæ, fine:* eum profundè explicat, vbi dicit, quod cum S. Thomas docuit, theologiam sacram viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, subalternari scientię Dei, & Beatorum; non aliud voluit S. Thomas, nisi discursum theologicum obscurum in via ex accidenti, futurum in patria clarum, ex euidentia superueniente alterius status, qui cum sit claritatis diuinæ, & Beatæ, ideò dicitur scientia Dei, & Beatorum; & reprehendit eos, qui dicunt, quod scientia subalterna est, quæ examinare potest suos discursus cum continuatur in eodem intellectu cum scientia subalternante, vt contrarios menti S. Thomæ. Hanc ipsam doctrinam, inquiunt præcitati Auctores, luce clarius docere S. Thomam *quæst. 14. de verit. art. 9. ad 3.* dicentem ille, qui habet scientiam subalternatam non perfectè ad rationē sciendi pertingit, nisi inquantū eius cognitio cōtinuatur quodammodo cum cognitione eius, qui habet scientiam subalternantem.

Quid autem sit sentiendum in hoc celebri quæsito, saluo semper meliori iudicio, explico sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio. Subalternatio formalis in ratione scientiæ, vnius scientiæ ad aliam, est præcisè per hoc, quod scientia subalternata, siuè subalterna, tamquam causa instrumentalis vtitur medio, siuè principijs superioris scientiæ ad demōstrandum sua principia proxima, & mediata, ad differentiam scientiæ subalternantis, quæ vtitur suis principijs primis, & immediatis, vt causa principalis, nimirum virtute suæ formæ, non autem virtute formæ causæ superioris principalis. Conclusionem hanc scriptam non reperio sub his terminis explicatam, ea tamen semper mihi arrisit. Plures quidem docti Methaphysici dixerunt, subalternationem vnius scientiæ ad aliam in ratione scientię esse per dependentiam in probando sua principia; sed non explicarunt quomodo hæc demonstratio fiat, neque explicarunt hanc subalternationem esse formalem, & non materialem.

Primò, moueor ad hoc asserendum ex eo primo principio, satis vulgato apud Aristotilem, & S. Thomam, quod in subordinatis essentialiter, secundum non operatur, nisi virtute primi subordinantis; non enim secundum operatur, nisi vt motum à primo, vt latè probabitur suo loco; hac de causa creatura, siuè causa secunda, non operatur, nisi vt mota à prima causa, quod est causam secūdam nō operari, nisi vt præmotam: sed scientia subalternata alij in ratione scientiæ, est essentialiter subordinata scientiæ subalternanti: subalternatio enim in ratione scientiæ, nisi fiat quæstio de nomine, est intrinseca, & essentialis indigentia vnius scientiæ ad aliam, à qua dependet in sciendo; ergo scientia subalternata in sciendo non exit in suam actualem operationem, nisi vt mota, scilicet vt præmota à subalternante; sed hæc præmotio non fit, nisi quia scientia subalternans communicat subalternatæ medium intrinsecum sciendi, quo scientia subalternata, tamquam causa instrumentalis vtitur; nullum enim agens mouetur, nisi inquantùm est actu, est autem vnumquodque actu per formam; sed forma scientiæ est medium formale intrinsecum, quod, scilicet est causa prædicati cum subiecto in conclusione. Totus hic discursus probabitur suo loco, cum sermo erit de subordinatione, in essendo, & operando, causæ secundæ causæ primæ; quæ subordinatio, & dependentia, non est solùm per simultaneum concursum, sed etiam per præuium, qui in causis secundis physicis, est physicus; in causis verò secundis liberis, est moralis.

Secundò, moueor ex eo, quia scientia non est euidens, nisi quia est ex medio intrinseco, vt prædicatum insit subiecto in conclusione, vt latè suprà probauimus; sed hoc posito, scientia subalterna non potest esse actu euidens, nisi sibi mutuetur medium intrinsecum superioris scientiæ subalternantis; quia hoc posito scientia subalterna, siuè

siuè subalternata, non potest fieri actu euidens, nisi ex medio intrinseco scientiæ subalternantis; quia scientia subalternata formaliter est ex proximis, & mediatis principijs intrinsecis; sed hæc scientia non habet principium primum, & immediatum, nisi in sua sciẽntia subalternante; hæc enim est ex primis, & immediatis; subalternata verò est ex secundis, & mediatis, quæ originem sumpserunt ex primis, & immediatis principijs superioris scientiæ: declaratur hoc, & probatur simul; nam diuisio formàlis scientiæ, quæ est habitus conclusionum, in scientiam subalternatam, & in scientiam subalternantem, originem duxit, ex eo, quia demonstratio, quæ est causa scientiæ in generali, definitur ab Aristotile 1. *topicor. cap.* 1. syllogismus ex veris, & primis, vel ex talibus, quæ per aliqua prima, & vera, principium sumpserunt; illa verò definitio demonstrationis *lib.* 1. *poster. cap.* 2. est definitio demonstrationis potissimæ, quæ est immediata causa scientiæ subalternantis. Maior huius secundæ rationis est certa, & probatur; nam scientia contradistincta ab opinione, contradistinguitur etiam à cognitione, quæ est ex præmissis reuelatis, vt reuelatis formaliter; sed hæc distinctio non est ex alio capite, nisi quia medium in prima, est medium intrinsecum essendi, & sciẽdi necessarium; in secunda verò medium, quod est causa cur prædicatum insit subiecto in conclusione, est extrinsecum, nec potest scientia vti medio intrinseco superioris scientiæ ad sua probanda principia, vt causa principalis; quia sic non contradistingueretur à scientia superiori subalternante, sed vtitur tamquam causa instrumentalis; quia est scientia inferior, & dependens; omne autem dependens, & inferius in subordinatis, operatur vt motum, scilicet quatenus est actu dependens à primo subordinante.

Possunt Auctores contrariæ sententiæ respondere, his rationibus demonstrari tantùm vnam speciem subalternationis scientialis, quæ est subalternatio vnius scientiæ ad aliam in ratione scientiæ in demonstrando sua principia, quæ, vt dicunt, est subalternatio materialis conueniens scientię, non quatenus scientia formaliter, sed quatenus est in subiecto discursiuo, quæ est differentia materialis scientiæ; sicut esse indiuisibile, est differentia materialis quantitati Cælorum, quia non competit quantitati Cælorum inquantum quantitas continua; sed inquantum est quantitas continua existens in Cęlo, tamquam in subiecto; sed præter hanc speciem subalternationis, datur alia subordinatio per solam cõtinuationem scientię inferioris cum euidentia scientię superioris in eodem intellectu; & hęc est subalternatio formalis in ratione scientię, conueniens scientię, inquantum scientia formaliter; quia competit scientiæ ratione euidentię, quę est differentia formalis scientię, inquantum scientię. Probatur dari hanc duplicem subalternationem vnius scientię ad aliam in ratione scientię; quia subalternatio in ratione scientię in generali in suo conceptu non est aliud; nisi indigentia intrinseca vnius scientię ad aliam, scilicet indigentia, qua scientia inferior indiget scientia superiori in euidentia intrinseca, sed hęc diuisibilis est in prędictas duas subalternationes; quia pręscindit ab illis formaliter, nimirum à modis sciendi, quibus inter se distinguuntur; vbi autem est ratio pręscindens, est diuisibilitas per oppositas differentias, vt sępe repetiuimus.

Sed hęc responsio reijcitur, primò; quia diuisio in scientiam subalternatam, & in scientiam subalternantem, est diuisio scientię, vt discursiuę formaliter per formales differentias discursiui formaliter vt sic; sed scientia discursiua non potest esse subalternata alij superiori, nisi per hoc, quod vna mutuatur sibi ab alia medium intrinsecum ad probandum sua principia, quę sunt proxima, & immediata; quia subalternantur in sciendo, discursu ex intrinsecis principijs.

Quod si dicas, hanc diuisionem esse per differentias materiales scientię; quia diuiditur scientia, vt discursiua formaliter; scientia verò est formaliter discursiua per differentiam materialem scientię, quippe scientia est discursiua, quatenus est habitus discursiuus formaliter; in re pręsenti verò, controuersia est de subalternatione formali, quę scilicet est per differentias formales, & per se scientię formaliter.

Hęc respõsio facilè impugnatur; quia diuisio formalis est, quę fit per differentias, quę sunt intrà latitudinem formalem diuisi immediati; sed scientia subalternata, & sciẽtia subalternans sunt huius cõditionis; nam diuisum immediatum in hac diuisione, est discursiuum formaliter: quod acutè, & clarè explicat S. Thomas 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. dicens sciẽtiam subalternatam esse ex principijs, vt notificatis in scientia superiori; subalternantem verò esse ex principijs per se notis intrà ipsam: idque explicat exemplo Musicæ, quæ subalternatur Arithmeticæ, & Perspectiuæ, quæ subalternatur Geometriæ: nos autem explicauimus exemplo demonstrationis, quæ est ex primis, & immediatis; & demonstrationis, quæ est ex se-

ſecundis, & mediatis, ducentibus originem à primis, & immediatis.

Secundò; principalis reſponſio reijcitur, quia ſcientia ſubalternata debet eſſe euidens euidentia intrinſeca, vt ſæpè ſuprà probauimus; ſed hæc euidentia intrinſeca non poteſt eſſe in ſcientia ſubalternata, niſi ſubalternata ſcientia mutuetur ſibi medium intrinſecum à ſuperiori ſcientia; quia principia ſcientiæ ſubalternatæ, cum ſint principia ſecunda, & mediata, non ſunt notificabilia intrinſecè, niſi principijs primis, & immediatis ſcientiæ ſubalternantis.

Quod ſi dicas, hoc verum eſſe de euidentia, quæ eſt differentia conſtitutiua ſciētiæ eſſentialiter, non autem de euidentia extrà eſſentiam; at ſcientia ſubalternata nō habet aliam euidentiam à ſubalternante, niſi actualem, quæ eſt extrà eſſentiam ſcientiæ ſubalternatæ, & ſecundùm hanc euidentiam, vna ſcientia ſubalternatur alij.

Contra eſt; quia, vt ſuprà probauimus, adhùc iſta euidentia actualis debet competere ſcientiæ ſubalternatæ ab intrinſeco; quia eſt euidentia in ratione ſcientię diſcurſiuæ; hæc autem non fit actu euidens, niſi cum diſcurrit medio intrinſeco ſuperioris ſcientiæ, quia diſcurſus ſcientialis eſt per probationem intrinſecam, non per probationem extrinſecam; principia enim ſcientiæ ſecunda, per hoc contradiſtinguuntur à principijs fidei, vt fidei formaliter; quia illa ſunt notificabilia ſuperioribus principijs intrinſecis; hæc verò principijs tantùm extrinſecis.

Obijcies primò; principia concluſionis ſubalternantis ſunt principia prima, & immediata; ſed hæc principia non poſſunt eſſe principia ſcientiæ ſubalternatæ, tamquam cauſæ inſtrumentalis ſcientiæ ſubalternantis, ſiuè illa ſit inchoata, & per modum potentiæ; ſiuè ſit perfecta, & per modum habitus: ergo non poteſt ſcientia ſubalternata fieri actu euidens, quia poteſt vti, vel vtitur, tamquam cauſa inſtrumentalis principijs primis ad probādum ſua principia, quę ſunt ſecunda. Minor principalis argumenti probatur; quia implicat primum, vt primum eſſe principium formale, & obiectiuum concurſus inſtrumentalis, quia implicat primum, & primum fieri ſecundum; at ſi ſciētia ſubalternata, ſiuè ſubalterna mutuaret ſibi medium à ſubalternante, ſiuè ſi mutuaret ſibi principia ſubalternantis ſcientiæ ad probandum ſua principia, principia prima eſſent inſtrumētum obiectiuum vſus inſtrumentalis, quo ſcientia ſubalternata, vt cauſa inſtrumentalis probat ſua principia medijs ſcientiæ ſubalternantis.

Reſpondeo, hanc propoſitionem, qua diximus, ſcientiam ſubalternatam probare ſua principia principijs ſcientiæ ſubalternantis, poſſe habere duplicem ſenſum. Primus eſt, quod ſcientia ſubalternata vtitur principijs ſubalternantis, tamquam inſtrumento; ſicut, v. g. artifex vtitur ſerra ad ſecandum. Secundus ſenſus eſt, quod ſcientia ſubalternata mutuatur ſibi principia à ſciētia ſubalternāte, vt cōcauſa ad probandū ſua principia; ſicut, v. g. ſyllogiſmus inferior mutuatur ſibi principia à ſyllogiſmo ſuperiori ad probandum ſua principia mediata, & ſecunda: primus ſenſus eſt omninò falſus, & in hoc ſenſu concedo, principia ſcientiæ ſubalternantis, non poſſe eſſe principia ſcientiæ ſubalternatæ. Secundus ſenſus verus eſt, & in hoc ſenſu nego, principia ſcientiæ ſubalternantis non poſſe eſſe principia ſubalternatæ ſcientiæ, vti concauſa principalis: ſicut Deus, vt obiectum primum concurrit ad viſionem beatam, quæ eſt ab intellectu, vt cauſa inſtrumentali; ad hanc enim probationem concurrit ſcientia ſubalternans cum eius principijs, tamquam cauſa principalis; ſcientia verò ſubalternata, tamquam cauſa inſtrumentalis; eo modo, v. g. quo calor ignis virtute formæ ignis producit, vt cauſa inſtrumentalis alium ignem; ignis verò producens, tamquam cauſa principalis: iſtæ enim duæ ſcientiæ, vt probauimus, ſunt eſſentialiter ſubordinatæ in ſciendo, & in probando; in ſubordinatis autem inferius conuenit ad eundem effectum, & ad eandem operationem, vt cauſa inſtrumētalis; ſuperius namq; vt cauſa principalis, ſcilicet ſuperius virtute proprię ſuæ formæ; inferius verò virtute ſuperioris.

Obijcies ſecundò, ſubalternatio in ratione ſcientiæ eſt dependentia vnius ſcientiæ ab alia inſciendo; ſed hæc præſcindit à dependentia in ſciendo per continuationem, ſeù continuabilitatem cum ſcientia ſubalternante, & à dependentia in ſciendo, per mutuationem medij: ergo ſubalternatio in ratione ſcientiæ non reſtringitur ad ſubalternationem per ſolam dependentiam à medio ſuperioris ſcientiæ. Hoc argumentum tactum eſt ſuprà, ſed non ſolutū; nunc.

Reſpondeo, nego maiorem; nam ſubalternatio in ratione ſcientiæ, eſt dependentia vnius ſcientiæ ab alia in euidentia intrinſeca, hæc autem euidentia intrinſeca in ſcientia non aliundè eſt, niſi à medio intrinſeco ſciendi, quod quia non habet ſcientia ſubalterna, ſibi illud mutuatur à ſcientia ſubalternante. Diſcurſus hic ſæpè

eſt

est explicatus; per hoc enim fides diuina, vel discursus, qui est ex principijs, vt creditis formaliter, non est euidens, euidentia intrinseca; quia non est ex medio intrinseco.

Quod si dicas, quod euidentia, quæ oritur ex medio intrinseco in scientia, est euidentia essentialis, quæ scilicet est differentia formalis scientiæ: sed hæc in scientia subalternata est aptitudinalis, non actualis; è contrà verò in scientia subalternante, est actualis. Ratio diuersitatis est, quia euidentia scientiæ subalternantis est ex primis, & immediatis; euidentia verò scientiæ subalternatæ est ex principijs secundis, & mediatis; hæc verò est imperfecta, & non vltimata, ac proindè complebilis per euidentiam scientiæ subalternantis: & hanc aptitudinalem euidentiam habet subalternata, siuè subalterna ex suis intrinsecis principijs; actualem verò non habet ex suis intrinsecis principijs; sed ex principijs scientiæ subalternantis, quando ei continuatur in eodem intellectu.

Respondeo; non solùm euidentiam aptitudinalem esse ex medio intrinseco, sed etiam euidẽtiam actualem; verùm cum hac disparitate, quod euidentia aptitudinalis in scientia subalternata oritur ex suis principijs proximis, & secundis, tamquam à causa principali; euidentia verò actualis oritur ex ijsdem principijs, vt à causa instrumentali scientiæ subalternantis. Et ratio à priori huius diuersitatis est; quia per hoc distinguitur euidentia scientiæ, quæ est euidentia rei scitæ, ab euidentia fidei, quæ est euidentia reuelantis, & dicentis; quia euidentia fidei est ex medio extrinseco, quod est quia Deus reuelauit; euidentia verò sciẽtiæ est ex medio intrinseco: sed hoc habet latitudinem; quia potest esse ex medio intrinseco, vt à causa principali: & hæc est euidentia, quę est differentia essentialis sciẽtiæ; vel ex medio intrinseco, vt causa instrumentali superioris scientiæ: & hæc est euidentia actualis, sed adhùc intrinseca; quia oritur intrà ipsam scientiam subalternatam dependẽter à scientia subalternante, vt à causa principali.

Confirmatur hæc doctrina; quia per hoc meliùs saluatur, vel perfectior est ratio scientiæ subalternatæ, si ponatur hæc fieri euidens actu ex medio intrinseco, quàm per solam continuationem cum euidentia superioris scientiæ in eodem intellectu. Hic solùm aduertendum, quod scientia subalternata, non habet hanc actualem euidentiam; nisi præexistat aliquo modo in eodem intellectu scientia subalternans; semper enim causa principalis est prior suo instrumento, quia est independens ab eo, à se dependente.

Secunda conclusio. Methaphysica vniuersalissima (idem dico de theologia sacra viatorum ex reuelatis, vt scitis in superiori scientia) neque mediatè, neque immediatè subalternatur scientiæ beatæ, quæ est visio Dei in seipso, & creaturarum in Deo viso; subalternatione, nimirum, in ratione scientiæ, quæ est per essentialem dependentiam vnius scientiæ ab alia in euidentia actuali. Conclusio hæc valdè controuersa est inter Methaphysicos, & Theologos. Plures ex principalibus Thomistis tuentur, theologiam sacram viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, subalternari scientiæ beatificæ, eamque dicunt esse expressam sententiam S. Thomæ 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. *in corp.* ibi enim expresè dicit, quod doctrina sacra, est scientia; quia procedit ex principijs notis lumine superioris scientiæ; explicans verò, quæ sit hæc scientia, subiungit: quæ scilicet est scientia Dei, & Beatorum. Et nè dicatur, quod hæc scientia Dei, & Beatorum, sit scientia rerum naturalium, & supernaturalium extrà Verbum, siuè in proprio genere, aut in propria natura, subiungit: quod sicut Musica credit principia, tradita sibi ab Arithmetico; ita doctrina sacra credit principia reuelata sibi à Deo. Hanc Thomistarum sententiam breuiter; sed profundè, & clarè explicat, & docet etiam Marcus Antonius Palumbus 3. *exam. scholast. in* 1. *par. S. Thomæ, fine*.

Ratio conclusionis mihi est; quia sciẽtia subalterna, siuè subalternata, & scientia subalternans, sunt in eodem genere proximo scientiæ; sed methaphysica vniuersalissima, sicut, & theologia sacra viatorum, non sunt in eodem genere proximo scientiæ; nam methaphysica vniuersalissima, sicut, & theologia sacra viatorum sunt scientiæ discursiuæ formaliter, & scientię rerum extrà Verbum, quæ scilicet sunt cognitio abstractiua rerum in proprio genere, siuè in propria natura; cognitio verò intuitiua Dei non est discursiua formaliter, & est cognitio Dei, & creaturarum in Verbo, quæ sunt diuersorum generum scientiæ: ergò, &c. Maior probatur, quia scientia discursiua diuiditur immediatè, & adæquatè in scientiam subalternantem, & in scientiam subalternatam: immediatè diuiditur; quia immediatè abstrahit à scientia subalternante, & subalternata, quæ sunt diuersæ rationes sciendi; nimirum subalternata scientia est illa, quæ deducit conclusiones ex prin-

principijs, vt notificabilibus in superiori scientia; subalternans verò scientia est illa, quæ ex primis, & immediatis suas deducit conclusiones. Adæquatè verò diuiditur, quia istæ duæ scientiæ reducuntur ad terminos contradictorios, inter quos nullum medium esse potest, quæ est regula generalis ad probandum, diuisionem superioris in sua inferiora esse adæquatam.

Quod si primò dicant Aduersarij; omnis scientia rerum in proprio genere est subordinata essentialiter scientiæ rerum in Verbo; sed hæc subordinatio fundat subalternationem in ratione sciētiæ ad scientiam beatificam; nisi fiat quæstio de nomine. Maior probatur, quia scientia rerum in Verbo; siuè in proprio genere in Beatis, est minùs vniuersalis in sciendo, quàm visio beatifica; scientia enim beatifica est repræsentatiua plurium, & nobiliori modo, quā scientia rerum extrà Verbum, etiam supernaturalis; hoc sufficit, vt scientia rerum extrà Verbum, sit essentialiter subordinata in sciendo scientiæ beatificæ.

Respōdeo primò, distinguo maiorem; omnis scientia rerum extrà Verbum subordinatur essentialiter scientię rerum in Verbo, in eodem genere scientiæ, & nego: in diuerso genere, & concedo: vna enim est scientia beatifica, alia non item; vna est discursiua, & alia non; licet scientia rerum extrà Verbum sit concomitans de lege ordinaria scientiam beatificam in Beatis, non autem de potentia Dei absoluta; non enim apparet implicantia, vt de potentia Dei absoluta, scientia rerum in proprio genere, supernaturalis, possit acquiri nostris actibus, & viribus, cōcurrente ad id Deo per auxilium suum speciale virtuosum. Subordinatio, seù dependentia in ratione scientiæ, quæ constituit subalternationem vnius scientiæ ad aliam scientiam, est subordinatio in eodem genere scientiæ, præsertim discursiuæ, vt ostendimus ratione, qua probauimus conclusionē. Cum verò dicitur in oppositione, quod subordinatio in essendo fundat subordinationem in sciendo, eadem distinctione respondetur; subordinatio in essendo, in eodem genere, & concedo: in diuerso genere, & nego.

Fortè dicet ingeniosus Aduersarius, si qua esset ratio, cur hæc subordinatio in essendo, & in sciendo, sit in diuerso genere, ea esset; quia scientia rerum extrà Verbum in intellectu humano (nam scientiæ subalternatio, est prædicatum scientiæ creatæ humanæ: sed hæc ratio non conuincit; quia scientia beatifica esset diuersi generis, si nullo pacto esset discursiua; sed hoc est falsum, quia est discursiua virtualiter, & hoc sufficit, vt ei subalternetur scientia omnis rerum extrà Verbum; quia discursus virtualis æquiualet discursui formali.

Respondeo, nego causalem maioris, sed sunt diuersi generis prædictæ scientiæ, quia vna est scientia rerum in proprio genere, alia est scientia rerum in Deo viso, siuè in Verbo; hæc non ordinatur, nisi ad ostendendum obiecta pertinentia ad beatitudinem; illa verò ad ostendendum res extrà Verbum, quæ non est scientia beatifica, licet infundetur à Deo concomitanter ad visionem beatificam.

Quod si secūdò dicant Aduersarij, hanc nostram conclusionem esse expresè contra S. Thomam *loco supra cit.* 1. *par.* vbi expressè docet, theologiam sacram viatorum, quæ est ex reuelatis vt scitis, esse subalternatam scientiæ Dei, & Beatorum; sed hæc est scientia beata; ergo, &c.

Respondeo, S. Thomam per scientiam Dei, & Beatorum intelligere scientiam supernaturalem, quoad substantiam, rerum extrà Verbum; non autem scientiam beatam: dicitur verò à S. Thoma scientia supernaturalis rerum extrà Verbum scientia Dei, & Beatorum, quia ea scientia Beati cognoscunt Deum, non in seipso, neque creaturas in Deo viso; seù quia est ordinata ad cognoscendum Deum ex creaturis in statu beatitudinis, quia huiusmodi scientia infunditur à Deo concomitanter ad visionem beatam. Dixi, ad cognoscendum Deum ex creaturis; quia dupliciter potest cognosci Deus, vno modo ex seipso, alio modo ex creaturis; ex seipso scilicet, per suimet essentiam cognoscitur cognitione beatifica; ex creaturis verò, cognoscitur scientia discursiua, siuè ea sit acquisita, siuè sit infusa.

Quod si tertiò dicant, quod theologia sacra, & methaphysica vniuersalis, vt arguit Palumbus *loco supra cit.* subalternatur simpliciter scientiæ Dei, & Beatorum; nam theologia pro statu præsenti (idem dico, de methaphysica vniuersalissima) procedit per principia reuelata, ac proindè per principia obscura ex accidenti, idest sine euidentia; ergo indiget vt sic euidentia suorum principiorum; sed hanc euidentiam supponit in alio statu, quando claritate illius erunt euidentia, illa, & sua principia, quæ ex accidenti pro cognitione status viæ fuerant ipsi obscura; ergo in hoc sensu theologia simpliciter est subalternata, quia vt sic est depēdens, & essentialiter indigens; quod est esse subalternatam (nisi fiat quæstio de no-

nomine) ſcientiæ claræ alterius ſtatus, nimirum Theologus diſcurrens, in hoc ſtatu diſcurſu obſcuro ex obſcuritate fidei; retinēs eundem diſcurſum ex iiſdem principijs, erit diſcurrens clarè, & euidenter, ex euidentia illi communicata in alio ſtatu, qui eſt ſtatus euidentiæ: nec aliud, inquit, in hac re requirendum eſt, nec aliud S. Thomas omninò requirit.

Quod ſi ei reſpondeas, quod à ſcientia Beatorum, quæ eſt ſcientia beata, non pendent diſcurſus theologici, & quod ſcientia beata non eſt talis, quæ examinare poſſit in eodem intellectu creato, vbi eſt theologia.

Reſpondet, hoc non eſſe neceſſarium ad ſubalternationem ſcientiæ in ratione ſcientiæ; nam hęc ſubalternatio eſt tantùm, vt diſcurſus, qui ex accidenti eſt obſcurus in ſtatu viæ, fiat clarus euidentia ſuperioris ſtatus patriæ; & hoc fit per ſolam continuationem cum ſcientia Beatorum in eodem intellectu.

Neque obſtat, poteſt dicere prædictus Scholaſticus, ſi ei opponas, quod de ratione formali ſcientiæ ſubalternantis, eſt demonſtrare principia ſcientiæ ſubalternatæ, & reſoluere illa in principia euidentia; quia principia ſubalternatæ ſunt concluſiones in ſcientia ſubalternante, quæ ſine diſcurſu fieri non poſſunt. Nam ſtatim reſpondere poteſt, quod ſicut de ratione ſcientiæ abſolutæ non eſt, vt ſit diſcurſiua, aut per diſcurſum acquiſita; ſed hoc conuenit ſcientiæ, proùt eſt in intellectu rationali, & diſcurſiuo, quæ eſt differentia materialis ſcientiæ; ità de ratione ſcientiæ ſubalternantis abſolutè non eſt, vt diſcurrendo demonſtret principia ſcientiæ ſubalternatæ, & medio diſcurſu ea reſoluat in principia euidentia; ſed hoc conuenit illi, proùt eſt in intellectu, qui ob ſuam imperfectionem, non eſt aptus præſtare hæc, niſi medio diſcurſu; ſed de ratione ſcientiæ ſubalternantis abſolutè eſt, vt cernat euidenter principia ſubalternatæ, & ſuo lumine reddat illa euidentia, id quod ſeipſa non poteſt præſtare ſcientia ſubalternata; & hoc totum pręſtat ſcientia Beatorum, excluſo omni diſcurſu.

Sed hæc reſponſio, licet docta, & acuta, non euacuat rationem concluſionis poſitæ, ſcilicet primò, quod ſcientia ſubalternata, & ſubalternans ſunt in eodem genere, vt probatum eſt; ſed ſcientia beata, & ſcientia omnis rerum extrà Verbum, ſunt diuerſi generis; ſcientia enim beata ordinata eſt adæquatè ad demonſtrandum omnia in Deo viſo; ſcientia verò extra Verbum eſt eſſentialiter ordinata ad demonſtrandum ſua ſcibilia in ſuo proprio genere, ſiuè in ſua propria natura; vnde ſi ſcientia rerum in proprio genere, quæ etiam ſcientificè tractat de Deo, quatenus eſt cognoſcibilis ex creaturis, fieret actu euidens euidentia ſciētiæ beatæ, diſtraheretur à ſuo genere, quod implicat; diſtraheretur quidem, quia tranſiret in ſcientiam, quæ eſt demonſtratiua rerum in Verbo: ſecundò, euidentia actualis ſcientiæ ſubalternatæ, quam habet cum continuatur cum ſua ſubalternante in eodem intellectu, debet oriri intrà ipſam ſubalternatam ſcientiam; ſed dependenter à ſcientia ſubalternante, quia omnis euidentia debet eſſe ex medio intrinſeco in ſcientia, nam debet eſſe euidentia rei ſcitæ; ſecùs ſequeretur fidem adhùc eſſe euidentem; quia eſt ex euidentia reuelantis, & dicentis,

Scotus *loco ſupra cit.* concedit etiam Beatum in viſione Dei diſcurrere, & fundamentum eius eſſe poteſt, quia viſio beatifica eſt diſcurſiua virtualiter; diſcurſus autem virtualis ſufficit ad hoc præſtandum.

Sed hæc reſponſio facillimè reijcitur eodem fundamento; quia ſcilicet ſcientia beata ſuo lumine eſt adæquatè ordinata ad demonſtrandum omnia in Verbo, quia eſt eſſentialiter beata; ſed ſcientia rerum extra Verbum debet fieri actu euidens, ad cognoſcendum ſuas concluſiones extrà Verbum.

Alia inſtantia eſt quorundam Recentiorum contrà explicatam doctrinam, qui hoc medio probant, theologiam ſacram viatorum ex reuelatis vt ſcitis ſubalternari ſcientiæ beatæ. Principia theologiæ viatorum, quæ ſunt immediatè reuelata à Deo, habent cauſas ſuę manifeſtationis rationes in ſcientia beata, qua videntur iſtorum myſteriorum rationes in Deo; ſed hęc ſufficit ad perfectam, & eſſentialem ſubalternationem; ergo theologia ſacra viatorum ex reuelatis vt ſcitis, eſt perfectè, & eſſentialite ſubalternata ſcientię beatę. Maior probatur; nam veritates fide diuina creditę, ſeù reuelatę à Deo, vel ſunt ipſe Deus, vel ſunt diuinę perfectiones, vel increatę Perſonalitates, vel aliqua myſteria ſupernaturalia, quę cauſas, ac rationes habent in Deo, vt incarnatio, iuſtificatio, prædeſtinatio, &c. ſed hęc omnia per ſcientiam beatam videntur in Deo, quam vocant cognitionem matutinam; ergò theologię principia, quę fide diuina creduntur, habent cauſas ſuę manifeſtationis in Deo, quæ eſt ipſe Deus; velu-



Digitized by Google

ti radix, & causa virtualis, siuè ratio à priori, omnium perfectionum, siuè absolutarum, siuè relatiuarum; & quatenùs est causa realis per sua decreta omnium rerum, tàm naturalium, quàm supernaturalium extrà Deum.

Respondeo primò, distinguo maiorem; principia theologiæ viatorum, quæ sunt immediatè reuelata à Deo, habent causas, & rationes suæ manifestationis in scientia beata, scilicet vt videantur scientia beata in Deo, & concedo: vt videantur scientia beata, in proprio genere, & extrà Verbum, & nego: istæ enim duæ scientiæ sunt diuersi generis; vna namq; est cognitio rerū in Verbo, quæ est cognitio creata Dei intuitiua, quatenùs cognoscibilis ex seipso, seù per sui essentiam: & alia est cognitio extrà Verbum, quę adhùc est cognitio Dei, sed sub alia ratione formali obiectiua, quatenùs, scilicet, est cognoscibilis, siuè repræsentabilis nostro intellectui ex creaturis, vel supposita fide, vel non supposita fide, vt conditione manifestante, modo suprà explicato; ad subalternationem autem theologiæ sacræ viatorum ex reuelatis vt scitis, & methaphysicæ vniuersalissimæ ad scientiam superiorem requiritur, vt habeant eius principia causas, & rationes suæ manifestationis, quibus manifestentur in proprio genere, & extrà Verbum; quandoquidem sciētia subalternata, & scientia subalternans, sunt differentiæ sciendi eiusdem generis, vt probauimus. Cum verò dicitur, quod in Deo sunt omnes rationes sciendi sciētiarum creaturarum. Respondeo, distinguo; sunt eminenter, & concedo: sunt formaliter, & nego: perfectiones enim creaturarum non sunt formaliter in Deo, sed eminenter, vt docet S. Thomas 1. *par. quæst.* 4. *art.* 2. Cum secundò dicit opponens, quod veritates fide diuina creditæ, etiam vt scitæ in superiori scientia, vel sunt ipse Deus, vel sunt Diuinæ Personæ, &c. sed istæ omnes veritates cognoscuntur scientia beata. Respondeo, quod perfectiones Diuinæ dupliciter sunt cognoscibiles; vno modo, quatenùs sunt repræsentabiles nostro intellectui ex perfectionibus creaturarum: alio modo, in seipsis; veritates fide diuina creditæ, quæ sunt principia theologiæ sacræ viatorum, sunt perfectiones diuinæ, vel ipse Deus, quatenùs scilicet perfectiones diuinæ sunt repræsentabiles nostro intellectui ex creaturis; non autē quatenùs sunt cognitiuę earum in seipsis, & quidē principia primo modo, sunt apta fieri actu euidentia, euidentia scientiæ subalternantis, quæ est scientia rerum extrà Verbum.

Tertia conclusio. Theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia; & methaphysica vniuersalissima, vltimò subalternantur scientiæ supernaturali per se infusę, rerum supernaturalium extrà Verbum. In hoc sensu intelligo Sanctum Thomam 1. *par. quæst.* 1. *art.* 2. docentē, theologiam sacrā viatorum ex reuelatis vt scitis subalternari superiori scientię, quæ est scientia Dei, & Beatorum.

Ratio fundamentalis est; quia sunt omnia requisita ad subalternationem essentialem in ratione scientiæ; & quidem primò, vna est inferior alia in sciendo; vna est ex primis, & immediatis; alia est ex secundis, & mediatis, & ambæ sunt differentiæ diuersæ sciendi intrà idem genus. Denique obiectum formale theologiæ sacræ viatorum, & methaphysicæ vniuersalissimæ naturalis, est materiale obiectum scientiæ formaliter supernaturalis. Quidam putant, quod quando obiectum inferioris est sub obiecto superioris, tunc subalternatio scientiæ est materialis; sed hoc verum est, quando obiectum materiale vnius scientiæ subordinatur obiecto materiali alterius; non autem quando obiectum formale inferioris scientiæ, fit obiectum materiale superioris scientiæ, & sic est in re nostra; quia hæc subordinatio pertinet ad rationem formalem scientiæ: & ratio clara est; quia dependentia scientiæ inferioris à superiori est, ex eo quod obiectum formale vnius est essentialiter subordinatum obiecto formali alterius.

Dicent fortè Aduersarij; sciētia subalternata, in ratione scientiæ, debet præsupponere principia formaliter scientiæ subalternantis in eodem intellectu; quod probatur primò, exemplo theologiæ sacræ viatorum ex reuelatis vt scitis, quæ præsupponit principia formaliter methaphysicæ vniuersalissimæ, quæ, vt suprà diximus, sunt principia methaphysicę vniuersalis formaliter, idest vt abstrahibilia à materia determinata, quę est materia naturalis positiua; secùs theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis, non demonstraret à priori per causam virtualem veritates reuelatas in sensu materiali, & specificatiuo. Secundò, probatur ratione à priori; nam scientia subalternata est essentialiter subordinata in essendo, & in sciendo, scientię subalternanti, quę procedit ex primis, & immediatis; in subordinatis autem essentialiter, secundum prę supponit primum, vt euidens est in his tribus subordinatis, esse, posse, & operari; operari supponit posse, & posse supponit esse; sed me-

methaphyſica vniuerſaliſſima non ſupponit in eodem intellectu principia ſcientiæ ſupernaturalis rerum extrà Verbum: quia hæc eſt ſcientia per ſe infuſa, quæ de lege ordinaria infunditur cōcomitanter ad gratiam, & ad viſionem beatificam tantummodò; neque eſt compoſſibilis cum obſcuritate fidei, etiam ex accidente coniuncta cum methaphyſica vniuerſaliſſima; idem dico de theologia ſacra viatorum ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia.

Quod ſi primò eis dicas, ſatis eſſe, vt ſcientia ſubalternata præſupponat principia ſubalternantis in intellectu ſcientè ſubalternante.

Statim namq; dicere poſſunt, omnem cauſam immediatam eſſe coniunctam ſuo effectui ſecundùm eſſe, vt oſtendit S. Thomas 1. *par. quæſt.* 8. *art.* 1. *in corp.* cum Ariſtotile 7. *phyſicor.* probante, quod motum, & mouens oportet eſſe ſimul; ſed principia ſcientiæ ſubalternantis exiſtentia in intellectu, vbi eſt ſcientia tantùm ſubalternans, ſunt ſeparata à principijs ſcientiæ ſubalternatæ exiſtentibus in intellectu, in quo ſupponitur ſcientia tantùm ſubalternans ſine dependētia actuali à ſubalternāte; ergò, &c.

Quod ſi ſecundò eis reſpondeas, ſcientiam ſubalternatam, quoad ſuam euidentiam actualem, debere ſupponere principia ſcientiæ ſubalternantis; non autem quantùm ad euidentiam aptitudinalem, ſiuè radicalem: quoniam ſcientia ſubalternata, quantùm ad euidentiam actualem, dependet à ſubalternante, non autem quantùm ad euidentiam aptitudinalem, ſiuè radicalem.

Contrà ſtatim inſurgere poſſunt, aſſerendo, quod ſcientia ſubalternata, adhùc quantùm ad ſuam euidentiam aptitudinalem, dependet vt à cauſa, à principijs ſubalternantis ſcientiæ; quia principia ſubalterna, ſunt principia ſecunda, & mediata; omne autem ſecundum, & mediatum præſupponit ſuum primum, quo remoto remouentur omnia ſecunda; implicat enim eſſe effectum ſine cauſa.

Reſpondeo, ſcientiam ſubalternam, ſiuè ſubalternatam ſupponere in eodem intellectu principia ſcientiæ ſubalternantis, cōtracta in principijs ſcientię ſubalternatę, non autem abſtracta à principijs ſubalternatæ ſcientiæ; ſicut enim ſatis eſt, vt obiectum formale ſcientiæ ſubalternantis reperiatur in obiecto ſcientiæ ſubalternatæ, vt vt ſciētia ſubalternata poſſit eleuari inſtrumentaliter ad ſciendum obiectum ſubalternantis ſcientiæ; vel ſicut ſatis eſt, vt obiectum ſcientiæ ſubalternantis reperiatur in obiecto ſubalternatæ, vt ſubalternans ſcientia poſſit cognoſcere materialiter obiectum ſubalternatæ; ità ſatis eſt, vt in principijs ſciētię ſubalternatę reperiantur formaliter principia ſubalternantis, licet contracta ad hoc, vt principia ſubalternatę dependeant à principijs ſubalternantis, & conſequenter, vt illa præſupponat in eodem intellectu. Doctrina hæc exemplis explicatur: v. g. ſenſus communis ſubordinatur eſſentialiter imaginatiuæ; & imaginatiua ſubordinatur rationi; ad hanc ſubordinationem autem non requiritur, vt obiectum formale imaginatiuum reperiatur abſtractum ab obiecto ſenſus; ſed ſatis eſt, vt in eo reperiatur formaliter, etſi diuiſum; ſimiliter, vt obiectum imaginatiuæ ſit ſubordinatum eſſentialiter obiecto intellectus ſatis eſt, vt in obiecto imaginabili reperiatur intelligibile, quod eſt obiectum intellectus formaliter, etſi diuiſum; pariter, vt phyſica ſit ſubalternata, & ſubordinata eſſentialiter methaphyſicæ vniuerſali, non eſt neceſſarium, vt in obiecto phyſicæ reperiatur obiectum formale methaphyſicæ abſtractum; ſed ſufficit, vt in eo reperiatur formaliter, licet diuiſum; ità vt ſcientia ſubalternata, etiam quantùm ad ſuam euidentiam aptitudinalem dependeat à principijs ſubalternantis ſcientiæ; ſatis eſt, vt illa præſupponat contracta in ſuis principijs proximis, & mediatis.

Neque huic doctrinæ obſtabit, ſi Aduerſarij dicant, principia ſcientiæ ſubalternatæ debere eſſe diſtincta, & diuerſa realiter à principijs ſcientiæ ſubalternantis; quia inter ſcientiam ſubalternatam, & ſubalternantem debet eſſe realis, & ſpecifica diſtinctio, & hoc ex eo conuincitur, quia ſubalternata eſſentialiter dependet à ſubalternāte, in eſſe ſcientiæ, ſiuè euidentiæ; at vbi eſt realis dependentia, ibi eſt realis diſtinctio dependentis ab eo, à quo dependet; implicat enim idem dependere eſſentialiter à ſeipſo; ſed principia formalia ſcientiæ ſubalternantis, contracta in principijs ſubalternatæ, non ſunt diſtincta realiter à principijs ſubalternatæ; ergò, &c.

Reſpondeo primò, negando maiorem; nam ſatis eſt, vt principia ſubalternantis reperiantur formaliter in principijs ſubalternatæ, ſicut ad productionem effectus ſatis eſt, vt præexiſtat in producente eius principium formale; non curando, an ſit diſtinctū realiter, vel indiſtinctum à principio formali diuerſi effectus. Et ratio eſt; nā effectus ſequuntur virtutem cauſæ; at ſiuè virtutes ſint diſtinctæ, ſiuè indiſtinctæ

rea-

Digitized by Google

realiter non tollitur, quin reperiantur formaliter; distinctio verò vnius effectus ab alio effectu, est ex differentijs formalibus, siuè ex limitatione formali; sicut distinctio indiuidualis intra eandem speciem est ex differentijs indiuidualibus formaliter; vt à principio autem primo radicali, est à materia diuisibili per quantitatem. Responsio hæc explicatur exemplis; in omnium Scholasticorum opinione, scientia physica distinguitur realiter à scientia methaphysica, & hæc distinctio communiter est ex obiectis formalibus; & tamen hæc obiecta formalia non sunt ab inuicem distincta realiter, nam obiectum formale physicæ est ens, vt naturale; obiectum verò formale methaphysicæ est ens vt ens, hæc autem duo obiecta ab inuicem non distinguuntur realiter; quia ens intrinsecè descendit ad ens naturale, vsque ad vltimam differentiam; pariter sensus, & intellectus sunt potentiæ distinctæ realiter inter se, & tamen obiectum formale intellectus non distinguitur formaliter ab obiecto formali sensus ob eandem rationem; quia obiectum formale intellectus est ens vt ens, & hoc intrinsecè imbibitur in obiecto formali sensus, quod est sensibile: ità in re nostra, scientia subalterna, siuè subalternata, est distincta realiter à scientia subalternante; ad hanc autem distinctionem realem non requiritur, vt principia earundem sint distincta realiter; sicut non requiritur necessariò, vt subiectum subalternantis distinguatur realiter ab obiecto subalternatæ; sed satis est, vt sint perfectiones formales graduantes ens, siuè sint inter se distinctæ, siuè non sint distinctæ realiter.

Respondeo secundò; distinguo maiorem: principia subalternantis, & subalternatæ, debent esse distincta distinctione reali virtuali, & concedo; distinctione reali actuali, & nego: differunt inter se istæ duæ distinctiones, quantùm nunc satis est; quia virtualis est sine vlla intrinseca diuisione; quia est per solam æquiualentiam vnius ad plura, per quam æquiualētiam vnum exercet diuersa munia, ac si esset actu in se diuisum; distinctio verò realis actualis semper est cum aliqua diuisione esse, siuè existentialis, siuè essentialis.

Neque responsio hæc contraria est, si aliquando supra diximus, scientiam subalternatam non dependere quantùm ad euidentiam suam aptitudinalem, à principijs scientiæ subalternantis; nam loquuti sumus de dependentia à principijs proximis; nunc autem loquimur de dependentia, tanquam à causa prima, irresolubili in aliam priorem, vel in eodem, vel in diuerso genere; in vnoquoque enim semper debet dari primum, quod est causa cæterorum, quo remoto remoueri debent omnia secunda; implicat enim dari effectum, vt effectum sine causa.

Quod si tertiò dicas; principia, ex quibus scientia supernaturalis secundùm substantiam, suas deducit conclusiones, sunt supernaturalia essentialiter; quia effectus essentialiter supernaturalis non est, nisi à causa supernaturali: sed principia supernaturalia formaliter, non possunt esse in principijs methaphysicæ vniuersalissimæ ex suo genere acquisibilis; quia hæc principia sunt naturalia: & ratio huius est, quia methaphysica vniuersalissima est naturalis secundùm substantiam, siuè secundùm suam essentiam; at supernaturale formaliter non est, nec esse potest formaliter in principijs naturalibus; est enim extrà facultatem naturalem.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem, ratio est; quia principia methaphysicæ vniuersalissimę in genere entis, sunt adhùc supernaturalia; nam methaphysica vniuersalissima scientificè tractat de omnibus, de quibus est theologia sacra viatorum, sed sub abstractione naturali vniuersaliori, vt suprà latè explicauimus; specificatio autem scientiæ non est ex obiecto formali in genere entis, siuè rei; sed ex obiecto formali in genere scibilis, quod est secundùm gradum formalem abstractionis à materia; hic autem gradus formalis abstractionis à materia in obiecto methaphysicæ vniuersalissimę, est naturalis, vt supra ostendimus, fit enim regulis, & principijs naturalibus; in obiecto verò methaphysicę, siuè scientię supernaturalis secundùm substantiam, & per se infusæ in Beatis, concomitanter ad visionem beatificam, siuè ad gratiam sanctificantem, est formaliter supernaturalis; fit enim lumine supernaturali per se claro, & euidente: & loquor non solùm de abstractione actuali à materia, quæ fit actu scientifico; sed etiam de abstractione fundamentali, quæ est gradus independentiæ à materia; ratione cuius, obiectum formale scientiæ in genere entis, potest cognosci, & definiri sine materia, vt supra explicauimus.

Vrgebit fortè Aduersarius, quod scientia subalternans est superior scientia sibi subalternata; hæc autem superioritas in ratione scientiæ est, quia obiectum subalternantis abstrahit maiori, & vniuersaliori abstractione, à materia, quàm obiectum scien-

scientiæ subalternatæ: sed non datur maior abstractio à materia, quàm sit abstractio entis realis vt sic, quod est obiectum methaphysicæ vniuersalissimæ; ergo non datur scientia alia vniuersalior methaphysica vniuersalissima; ergo methaphysica supernaturalis secundùm substantiam, non est scientia vniuersalior methaphysica vniuersalissima; ergo neque erit scientia subalternans sibi methaphysicam vniuersalissimam. Minor principalis argumenti probatur; quia methaphysica vniuersalissima abstrahit ab omni materia, & omni modo perfectiori abstractionis; nam abstrahit ab omni materia, & positiua, & negatiua, & etiam abstrahit à materia præcisiuè, siuè negatiuè, & positiuè; quippè ens reale vt sic, comprehendit sub se Angelos, creaturas materiales, & Deum; Angeli abstrahunt positiuè ab omni materia physica, sed non ab omni materia methaphysica; Deus autem abstrahit ab omni materia physica, & methaphysica positiuè; Deus enim est essentialiter actus purus, quia in Deo essentia est essentialiter suum esse, hæc autem essentia excludit omnem potentiam subiectiuam, & obiectiuam; & hæc abstractio est vniuersalissima, vltrà quam non est dabilis alia vniuersalior; quia est abstractio ab omni materia, & ab omni modo abstractionis possibilis à materia.

Respondeo primò, abstractionem vniuersalissimam à materia in sciendo, seù repræsentando, esse duplicis conditionis, aliam vniuersalissimam simpliciter, & absolutè; & aliam vniuersalissimam in genere abstractionis naturalis; prima est abstractio supernaturalis absolutè, & simpliciter; quia supernaturale in repræsentando, & in causando, ad plura se extendit, quam naturale absolutè, & simpliciter; absolutè enim naturale secundùm substantiam, est primum, & supremum in ratione actus, & super hanc abstractionem non datur alia abstractio scientiæ rerum extrà Verbum, siuè in proprio genere vniuersalior, & maior in sciendo; at nihil prohibet, quin detur alia abstractio vniuersalior absolutè, & simpliciter, quàm sit abstractio vniuersalissima naturalis; quia hæc est vniuersalissima in vno genere determinato, & inferiori; sicut sapientia, quæ est in vno tantùm genere, non vetat quin detur maior, & vniuersalior sapientia simpliciter. Abstractio methaphysicæ vniuersalissimæ, quæ est in viatoribus, est vniuersalissima in genere abstractionis naturalis; sed non simpliciter, & absolutè, & ideò patitur aliam abstractionem vniuersaliorem, quæ est abstractio scibilis supernaturalis secundùm substantiam, quod est obiectum formale methaphysicæ, siuè scientiæ supernaturalis secundùm substantiam, quæ est per se infusa; quod autem huiusmodi ens sit abstractius, & vniuersalius in sciendo, & in repræsentando, quam sit ens abstrahibile abstractione naturali vniuersalissima in suo genere ostenditur. Primò, quia est repræsentabile lumine supernaturali claro, & euidente; ens verò reale vt sic, quod est obiectum methaphysicæ vniuersalissimæ, est abstractum, siuè abstrahibile ab entibus cognoscibilibus lumine fidei diuinæ; at lumen supernaturale per se euidens, & clarum, plura prædicata repræsentat, quam lumen fidei; lumen enim fidei, repræsentat tantùm ea, quæ sunt à Deo reuelata in sua latitudine; lumen verò supernaturale clarum, & euidens repræsentat, nedùm hæc, quæ sunt repræsentata in sensu materiali, quantùm est ex natura sua; sed, & ea, quæ non sunt à Deo reuelata. Secundò, quia ens supernaturale secundùm substantiam; sicut, & lumen supernaturale per se clarum, & euidens, est propinquius, & immediatius primo enti simpliciter, quàm ens reale vt sic, abstractum ab entibus cognoscibilibus lumine fidei, & quam sit ipsummet fidei lumen; quia respiciunt Deum inquantùm est ens primum supernaturale; at esse supernaturale est prius virtualiter in Deo, sicut prius est in Deo esse cognoscibile lumine claro, & euidente, quam esse cognoscibile lumine fidei; sed hæc maior propinquitas, & immediatio, est causa sufficiens vt sit prius, quam lumen fidei; ergo, &c. Minor probatur, quia prioritas creaturæ est per accessum ad primum ens; sed quod immediatius, & propinquius est primo enti, magis accedit ad primitatem; hoc medio S. Thomas 1. *par. quæst.* 16. ostendit prius esse verum, quam bonum in ente; quia accedit verum ad ens, secundùm absolutam rationem entis, quæ est prima omnium in ente; bonum autem accedit ad ens inquantum est aliquo modo in actu; ens verò esse in actu, est prius seipso, quatenùs est ens absolutè.

Dicent fortè adhùc Aduersarij, his rationibus sufficienter ostendi methaphysicâ, siuè scientiam supernaturalem secundùm substãtiam subalternari, in ratione scientię, visioni, siuè scientiæ beatificæ; quia scientia beatifica est prior, & vniuersalior in cognoscendo, quam sit theologia, siuè scientia supernaturalis secundùm substantiam; idque probatur à priori; quia prioritas scientiæ

X

tiæ est ex prioritate sui obiecti formalis; pariter vniuersalitas scientiæ est ex vniuersalitate sui obiecti formalis; sed prius est obiectum formale scientiæ beatæ, quàm obiectum formale methaphysicæ, siuè scientiæ supernaturalis secūdùm substantiam rerum extrà Verbum, siuè in proprio genere, aut in propria natura; quia obiectum scientiæ beatæ est Deus secundùm absolutam sui rationem, nimirum est Deus secundùm se; obiectum verò methaphysicæ vniuersalissimæ secundùm substantiam, comprehendit, adhùc Deum, sed vt repræsentabilem intellectui creato ex creaturis, quæ est cognitio abstractiua Dei; prior autem est Deus secundùm se, siuè absolutè seipso, vt cognoscibili ex creaturis, & etiã Deus secundùm se est vniuersalior in repræsentando, quam sit ipsemet Deus, vt cognoscibilis ab intellectu creato ex creaturis; sed hæc duo prædicata sufficiunt, vt methaphysica vniuersalissima supernaturalis secundùm substantiam sit subalternata in ratione scientiæ ad scientiam beatificam; ergo, &c.

Respondeo primò ex supradictis, hæc duo prædicata non sufficere ad subalternationem essentialem in ratione scientiæ; sed requiri necessariò scientiam subalternatam, & subalternantem esse in eodem genere, vt suprà ostendimus; at methaphysica vniuersalissima supernaturalis rerum extrà Verbum, & scientia beatifica non sunt in eodem genere scientiæ, quæ diuiditur in subalternatam, & subalternantem; hæc enim scientia est rerum extrà Verbum; scientia verò beata est rerum in Verbo.

Respondeo secundò, scientiam subalternatam debere esse euidentem in actu, euidentia intrinseca, dependenter tamen à sciẽtia subalternante, vt à causa principali; & hæc dependentia est per hoc quod scientia subalternata, vt causa instrumentalis, vtitur medio intrinseco scientiæ subalternantis ad probandum suas conclusiones, & sua principia intrà suum genus: at medium scientiæ beatæ hoc non potest præstare; quia adæquatè est ordinatum ad repræsentandum omnia in Verbo; methaphysica autem vniuersalissima supernaturalis quoad substantiam, est adæquatè in sua latitudine formali ad demonstrandum principia, & suas conclusiones extrà Verbum.

Quod si vrgeant ampliùs; hoc verum esse de lege ordinaria, non autem de potentia Dei absoluta; sicut scientia supernaturalis per se infusa de lege ordinaria, non est acquisibilis nostris viribus; sed secundùm absolutam potentiam Dei, quæ respicit ens creatum, secundùm quod ens, nulla apparet implicantia, vt id fieri possit, concurrente ad id Deo per auxilium suum speciale: & probatur; nam visio beatifica potest eleuari concursu virtuoso Dei speciali, vt in ipsa probentur principia scientiæ subalternatæ.

Respondeo, nego, hoc absolutè, & simpliciter esse possibile; quia contradicit quidditati scientiæ subalternatæ secundùm se, & absolutè; scientia enim subalternata secundùm se, est probatiua suorum principiorum principijs subalternantis, sed intrà idem genus; quia, vt dixi, & sæpius repetiui, sciẽtia subalternans, & subalternata sunt differentiæ essentiales, & per se diuidentes scientiam rerum extrà Verbum; at si scientia rerum extrà Verbum eleuaretur medio extrà suum genus, distraheretur à suo genere essentiali, quod implicat.

Neque obstat, si dicatur; scientia subalternata potest eleuari extrà suum ordinem intrinsecum; quia, vt diximus, methaphysica vniuersalissima naturalis secundùm substantiam subalternatur methaphysicæ vniuersalissimæ supernaturali; hæc autem subalternatio est scientię ordinis naturalis ad scientiam superioris ordinis supernaturalis; ergo pariter poterit eleuari de genere ordinis naturalis, ad genus scientiæ ordinis supernaturalis.

Respondeo, concedo antecedens; & nego consequentiam; & disparitas est, quia scientia subalternata essentialiter, & absolutè, est intrà idem genus cum scientia subalternante, vt probauimus; non autem absolutè, & simpliciter, est intrà eundem ordinem; ordo enim est penès differentias entis, quarum vna est superior alia; hæc autem superioritas penès differentiam, tantùm abest, vt è medio tollat subalternationem in ratione sciẽtiæ, vt potius ponat aliquam speciem subalternationis in ratione scientiæ; at scientia rerum in Verbo, & scientia rerum extra Verbum sunt diuersorum generum.

Neque obstat, si secundò dicant Aduersarij, necessitatem essendi intrà idem genus scientiæ subalternatæ, & scientiæ subalternantis oriri ex eo, iuxtà nostra principia; quia euidentia actualis in subalternata debet esse ex medio intrinseco: sed hoc non est necessarium. Primò, quia satis est ad rationem essentialem scientiæ contradistinctę ab opinione esse, euidentem ab intrinseco euidentia aptitudinali. Secundò, quia euidentia actualis est extrà quidditatem, siuè essentiam scientiæ subalternatę; sicut actualis

lis

lis inhærentia est extrà essentiam accidentis, sed euidentia extrinseca potest communicari scientiæ subalternatæ absque medio, siuè probatione intrinseca; quia probatio intrinseca in subalternata est, ex eo quia est scientia; sed ad rationem scientiæ satis est, vt sit euidens euidentia intrinseca aptitudinali; quia præscindit ab euidentia actuali, & ab euidentia aptitudinali.

Respondeo, rationem cur scientia subalternata debet esse, adhùc euidens, euidentia actuali per medium intrinsecum, quo vtatur scientia subalternata, esse; quia scientia subalternata est, non solùm ex medio intrinseco in generali; sed etiam quia est intrà idem genus cum scientia subalternante; hanc autem conditionem necessariam, requisitam ad subalternationem vnius scientiæ ad aliam in ratione scientiæ, non habent scientia supernaturalis rerum extrà Verbum, & scientia rerum in Verbo, quæ est scientia beatifica.

---

## ARTICVLVS VNDECIMVS.

### Vtrum Methaphysica vniuersalissima sit vna scientia specie athoma, siuè specialissima.

OStendimus, methaphysicam vniuersalissimam esse perfectam scientiam in generali, & subalternatam immediatè sciétiæ supernaturali secundùm substantiam, de lege ordinaria, existenti in Beatis: remanet nunc inquirendum, an ea sit vna scientia specie specialissima; tùm quia vnitas est prima passio entis, cum sequatur ens, secundùm quod extrahitur à suo contradictorio non ente, quę est prima ratio in quocumque ente, vt probabitur in *quæst. de passionib. trascendentalib. entis*; tùm etiam, quia hæc duo sunt distincta quæsita, an methaphysica vniuersalissima sit scientia perfecta, & rigorosa in generali; & an methaphysica vniuersalissima sit vna scientia vnitate specifica vniuersalissima; sicut, v. g. est humanitas, quæ sola est diuisibilis in plures humanitates solo numero diuersas.

Articulus potest intelligi, vel de methaphysica vniuersalissima, vt est scientia actio; vel de methaphysica vniuersalissima, vt est scientia passio: vt est scientia actio, est scientia procedens ex primis, & vniuersalissimis principijs essendi: vt verò scientia passio, est scientia entis realis vt sic, vel est sciétia de omni ente reali sub ratione formali obiectiua, quia sunt ens reale formaliter, quod est commune omnibus entibus, non solùm cognoscibilibus lumine naturæ; sed etiam cognoscibilibus lumine diuinæ reuelationis. Distinctio hęc sumitur à S. Thoma 1. 2. *quæst. & art. sęp us citatis*, vbi omnem operationem agentis, diuidit in operationem, quæ est actio; & in operationem, quę est passio; scientia adhùc operatio est, eamque explicat exemplo calefactionis, quæ duplex est, alia est calefactio actio, & alia est calefactio passio; calefactio actio, est calefactio à calore procedens; calefactio verò passio, est calefactio tendens ad calorem producendum. Hic articulus controuertitur de methaphysica vniuersalissima, proùt est scientia passio; in hoc enim sensu loquũtur de scientia methaphysica, cum quærunt an scientia aliqua sit vna vnitate specifica; vel generica, & ratio huius in promptu est; quia cum Methaphysici docẽt cum Aristotele, scientiam specificari à suo obiecto formali, non à suo obiecto materiali, loquuntur de scientia, vt scientia passio.

Vnitas autẽ specifica, quod est prædicatũ quęsiti in scientia, duplex est, alia per vnũ ordinem intrinsecum, & essentialem ad vnum obiectum formale, & alia est per vnitatem sui obiecti formalis; & ratio huius duplicis vnitatis est: quia scientia, vt passio est relatiua ad suum scibile; scientia enim passio, scibilis scientia est; relatiuum autem, vt relatiuum duplicem habet differentiam specificam, vnam formalem, quæ est ordo intrinsecus relatiui ad suum terminum formalem, & alia est terminatiua, siuè obiectiua, & hæc est terminus formalis relationis, ad quem scilicet formaliter terminatur relatio; at scientia passio est relatiua ad suum scibile formale; ergo duplicem habet differentiam specificã; alia est formalis, & intrinseca, & hæc est ordo intrinsecus, & essentialis scientiæ ad suum scibile formale; & alia est obiectiua, siuè terminatiua, & hæc est ipse formalis terminus, ad quem est sciẽtia; ergo pariter habet duplicem vnitatem, quia vnitas consequitur esse, esse autem est à differentia.

Ex his duabus vnitatibus, vnitas specifica per suum ordinem intrinsecum ad suum obiectum formale est posterior; vnitas verò sciẽtiæ, quæ est per vnitatem sui obiecti formalis est prior; quia vnitas obiectiua est causa, à qua specificatur vnitas scientiæ per ordinem intrinsecum; omnis autem cau-

ſa eſt prior ſuo effectu; & hæc doctrina ſumitur ab Ariſtotile, qui in libris de Anima dicit, potentiam ſpecificari per actum, & actum per obiecta formalia.

Verùm controuerſia eſt non leuis inter Scholaſticos, an ſcientia ſit vna, vnitate vniuoca, ſiuè ea generica ſit, ſiuè ſpecifica; vnitate nimirum intrinſeca, & formali; quia dicit ordinem formalem, & intrinſecum ad vnum obiectum formale vnitate vniuoca; an verò ſit vna vnitate vniuoca intrinſeca, etiam ſi eius obiectum formale non ſit vniuocum, ſed analogum.

Plures docti Methaphyſici aſſerunt, ſcientiam poſſe eſſe vnam vnitate intrinſeca, & formali; etiam ſi eius obiectum formale ſit analogum, vel analogia attributionis, vel analogia proportionis: idque probari poteſt.

Primò; quia ſcientia eſt vniuoca ex eo, quia participatur à pluribus inferioribus per omnimodam ſimilitudinem; conceptus enim obiectiuus in vniuerſum eſt vniuocus, quia præſcindit à differentijs, ſiuè modis illud diuidentibus; ad hoc autem materialiter ſe habet, vt obiectum formale, ad quod ſcientia dicit ordinem, eſſe vniuocum, vel analogum, ſuis inferioribus; quia vnitas vniuoca ſcientiæ eſſentialiter ſaluatur per hoc, quod communicatur pluribus inferioribus cum omnimoda ſimilitudine; eſſe verò obiectum formale ſcientiæ vniuocum, vel analogum, eſt extrà hunc conceptum eſſentialem vniuocationis ſcientiæ.

Secundò; quia relatio, v. g. prædicamentalis, eſt vniuoca ſuis inferioribus; omne enim genus prædicamentale, habet differentias, quibus diuiditur, extrà ſe; ſed terminus relationis prædicamentalis eſt analogus, quia terminus eſt abſolutus; ſecùs darentur duo genera generaliſſima in prædicamento relationis, vt ſuo loco dicetur; ſed eadem ratio eſt de ſcientia, quæ eſt paſſio; quia ſcientia, quæ eſt paſſio, adhùc eſt relatiua ad ſcibile formale.

Tertiò; quia methaphyſica vniuerſalis, eſt vna vnitate vniuoca, vniuocatione ſpeciei atomæ; quia diuiſibilis eſt vniuocè in plures methaphyſicas vniuerſales, ſolo numero differentes, & tamen eius obiectum formale eſt ens vt ens formaliter; hoc autem eſt analogum, quia non habet differentias extrà ſe; tùm quia per hoc differt ens à quodlibet genere prædicamentali; quia genus quodlibet prædicamentale habet ſuas differentias extrà ſe, ens autem non item, cum ſit ratio vniuerſaliſſima eſſendi extrà nihilum; ſed ens vt ens eſt analogum; ergò ſaluatur vnitas vniuoca ſcientiæ ſine dependentia ab vnitate vniuoca obiecti formalis.

Quartò; ſi qua eſſet ratio in oppoſitum, ea eſſet; quia ſcientia eſt effectus vniuocus, vniuocatione incompleta; nam eſt effectus vniuocus relatiuus; vniuocum autem incompletum non poteſt compleri, niſi à termino vniuoco; quia eſt complebile intrà ſuum genus; ſed genus eſt vniuocum, ergò debet compleri à termino vniuoco: ſed hæc ratio non conuincit, quia vniuocatio eſt per ordinem ad inferiora, in quibus participatur cum omnimoda ſimilitudine; argumentum autem haberet vim aliquam, ſi vniuocatio ſciētiæ eſſet per vniuocationem ſui obiecti formalis, quod eſt falſum; quia ſcientia eſt vniuoca, ex eo quia habet idem nomen, & rationem ſubſtantiæ, ſignificatæ illo communi nomine, omninò eandem, non quidem per idētitatem formalem; hoc enim eſt proprium naturæ Diuinę: ſed per omnimodam omninò ſimilitudinem in pluribus, in quibus reperitur formaliter.

Alij contendunt, ſcientiam aliquam eſſe vnam vnitate vniuoca; quia eius obiectum formale, à quo ſpecificatur, eſt etiam vnum vnitate vniuoca, nimirum eiuſdem nominis, & eiuſdem omninò rationis in ſuis inferioribus, & hanc doctrinam dicunt eſſe ſententiam S. Thomæ 1. *par. quæſt.* 1. *art.* 3. *in corp.* vbi Sanctiſſimus Doctor probat, theologiam ſacram viatorum, quam *art.* 2. *præced.* dixit eſſe ſcientiam, eſſe adhùc vnam ſcientiam; quia eius obiectum formale eſt vnum; idque probari poteſt.

Primò; quia id, quod dat ſpeciem rei, dat etiam vnitatem; quia eſſe vnum formaliter, eſt per eſſe ens, tamquam per rationem priorem adęquatam; ſed obiectum formale dat eſſe ſpecificum ſcientiæ; ſcientia enim ſpecificatur à ſuo obiecto formali, non ab obiecto materiali; ſpecificatio enim eſt ab actu, ſiuè à forma, non à potentia; actus autem ſcientiæ, vt eſt ſcientia paſſio, eſt eius obiectum formale.

Quod ſi eis obijcias, obiectum formale methaphyſicæ vniuerſalis, & maiori ratione obiectum formale methaphyſicę vniuerſaliſſimæ; quia eſt vniuerſaliſſimum, eſt vnum vnitate analoga, quod eſt eſſe vnum, vel proportione, vel attributione vnius ad aliud, ſiuè plurium ad vnum; & tamen methaphyſica, tàm vniuerſalis, quàm vniuerſaliſſima eſt vna vnitate vniuoca per omnimodam ſimilitudinem: quia habet vnum nomen commune, & rationem ſubſtantiæ, ſignificatæ illo communi nomine, omninò ſimi-

similem; ergò scientia non est vna vnitate vniuoca; quia eius obiectum formale est vnum, etiam vnitate vniuoca.

Respondet statim; ens reale, quod est obiectum formale methaphysicæ in genere entis, siuè rei, esse analogum; in genere verò scibilis, siuè obiecti, esse vniuocum; & ab hoc obiecto in genere scibilis specificari methaphysicam, & non ab ente, siuè ab obiecto in ratione entis formaliter; quia vnitas specifica scientiæ sumitur ab vnitate sui obiecti formalis, & non ab vnitate obiecti materialis; cum species sit à forma, non à materia: ex his duobus obiectis, obiectum in genere entis, siuè in genere rei, est obiectum materiale; quia est id, quod scitur; vel quia adhùc potentiale est ad esse scibile formaliter: distinctio hæc supra explicata fuit; quia obiectum cuiuscumque scientiæ est in duplici genere; in genere entis, siuè rei; & in genere obiecti, siuè scibilis formaliter: est in genere entis formaliter per hoc, quod est extrà nihilum: est verò in genere obiecti, siuè scibilis; quia est cognoscibile medio necessario, & intrinseco, abstractum aliqua specie abstractionis formalis à materia.

Hæc responsio, vt infrà probabimus, veritatem continet; sed patitur suas difficultates, quæ nisi explicentur à priori, semper remanebit dubia.

Prima difficultas est; quia, data hac responsione, adhùc remanet locus dicendi Aduersario, hanc vnitatem vniuocam in genere obiecti, se habere materialiter ad vniuocationem scientiæ, sicut infinitum Dei materialiter se habet, vt possit intuitiuè cognosci ab intellectu creato; semper enim remanet locus dicendi Aduersario, scientiā esse vnam vnitate vniuoca; quia est eiusdem nominis, & eiusdem rationis in suis inferioribus.

Secunda difficultas est, si obiectum methaphysicæ esset in genere obiecti, seù scibilis, vnum vniuocum; sequeretur Deum contineri sub aliquo genere vniuoco cum creaturis; hoc autem est impossibile; ergò, & antecedens. Sequela probatur, quia obiectum methaphysicæ est ens vt ens; ergo si obiectum methaphysicæ esset vniuocum, Deus contineretur sub ente, tamquam sub genere vniuoco cum creaturis, quod est impossibile; quodlibet enim prædicatum in Deo est sit essentialiter suum esse; quodlibet verò prædicatum in creaturis, non est essentialiter suum esse; hæc autem duo, impossibile est, parificari, seù vniuocari.

Istæ, & aliæ difficultates, non possunt plenè resolui; nisi scientificè priùs resoluatur articulus suis conclusionibus.

Prima conclusio. Scientia est vna vnitate vniuoca; quia eius obiectum formale est vnum vniuocum. Conclusio controuersa est; complures enim solemnes Methaphysici contendunt, scientiam posse esse vnam vnitate vniuoca, siuè ea vnitas sit generica, siuè specifica; & eius obiectum formale esse analogum, & putant hanc esse sine dubio sententiam Aristotelis, præsertim *lib. 4. methaph.* vbi docet omnem rationem sani analogam habere vnicam considerabilitatem scientificam: cuius hanc rationem assignat; quia quicquid sanum est, reducitur ad vnum primum sanum. Idem etiam de ente docet; quia, inquit, quicquid est, ad vnam rationem essendi simpliciter reducitur.

Ratio, quam communiter assignant Auctores huius conclusionis, causalis est; quia scientia est vna, à quo habet suum esse specificum; sed scientia habet suum esse specificum a suo obiecto formali; ergò habet etiam suam specificam vnitatē à suo obiecto formali; sed esse specificum scientię, est esse vniuocum; quia præscindit formaliter à differentijs indiuidualibus, quibus solo numero multiplicatur. Maior probatur; quia vnitas commensuratur esse, ad quod consequitur; est enim vnitas passio entis; passio autem commensuratur suæ radici.

Respondere possunt Aduersarij, quod scientia habet suum esse specificum, & suam specificam vnitatem à suo obiecto formali, tamquam à causa analoga, non autem tamquam à causa vniuoca: quia obiectum formale est prima mensura, & prima regula scientiæ; scientia verò est mensurata: at mensura est causa analoga; quia non est adæquabilis à suo mensurato. Confirmatur; quia obiectum formale est causa obiectiua scientiæ, scientia verò est causa demonstratiua sui obiecti, siuè sui scibilis; hæc autem duo non habent vniuocationem, sed analogiam.

Sed hæc responsio reijcitur sola distinctione duplicis obiecti formalis scientiæ; aliud scilicet est obiectum formale in genere entis, siuè rei; & aliud est obiectum formale in genere scibilis; quia obiectum formale scientiæ est ens, & scibile; ens quidem, quatenùs est extrà suum nihilum, siuè quatenùs est ratio essendi extrà nihilum; obiectum verò formale in genere scibilis est, quatenùs est motiuum, siuè terminatiuum scientiæ; scilicet obiectum formale in genere scibilis, est ratio formalis motiua, vel ter-

terminatiua scientiæ. Doctrina Aristotelis dicentis, scientiam specificari à suo obiecto formali, intelligitur de obiecto formali non in genere entis, sed in genere scibilis; quia specificatio est ab vltima forma, seù ab vltimo actu; non autem à forma non vltima, seù ab actu non vltimo; v. g. homo specificatur à rationali, non autem à sensitiuo: pariter scientia specificatur à ratione formali terminatiua scientiæ, quæ dicitur ratio formalis obiectiua cognoscendi; & hæc ratio formalis terminandi scientiam, est vniuoca in omni ente; quia in omni ente posita, eodem modo terminat scientiam, nimirum medio formali, abstracto aliqua specie abstractionis formalis à materia. Dixi, quod ratio formalis obiecti in genere scibilis, est ratio formalis motiua, vel terminatiua sciẽtiæ; quia scientia, alia est scientia actio, alia est scientia passio; ratio scibilis vt motiua, specificat scientiam, proùt est scientia actio; ratio formalis scibilis terminatiua specificat scientiam, proùt est scientia passio.

Quod si primò opponas; ex hoc sequi, Deum, & creaturam vniuocari in ratione scibilis; sed hoc est impossibile; quia scibilitas, siuè cognoscibilitas Dei, per abstractionem nimirum formalem à materia, est à se, scilicet non à causa extrinseca; quia habet in Deo causam virtualem; cognoscibilitas verò, seù scibilitas per abstractionem à materia in creaturis, est essentialiter dependens à causa extrinseca causâte esse, ad quod consequitur; sed istæ duæ cognoscibilitates non possunt vniuocari: quia sunt essentialiter diuersæ.

Respondeo facilè, abstrahibilitatem à materia, siuè cognoscibilitatem intrinsecam per independentiam à materia, posse dupliciter considerari; vno modo quantum ad modum terminandi scientiam creatam; alio modo, quatenùs est gradus immaterialitatis entis; vel vt alij loquuntur, vt est passio entis. Si primo modo consideretur, dicitur analogicè de Deo, & de creaturis: at secundo modo, dicitur vniuocè, quia eodem modo accipitur à scientia creata hæc abstrahibilitas, siuè cognoscibilitas in ente creato; & in ente increato, eodem modo est acceptibilis ab intellectu creato. Explico hanc distinctionem exemplo, quod docent alij Methaphysici; v. g. potentia visiua hominis, & potentia visiua equi, sunt eiusdem speciei propter vnitatem specificam vnius obiecti in genere scibilis, siuè immutatiui, siuè terminatiui potentiæ; eodem enim modo obiectum visibile est immutatiuum, siuè terminatiuum vtriusque potentiæ; tamen vt sunt passiones, specie distinguuntur, propter diuersitatem specificam naturarum, à quibus causantur, vt à principio necessario, & per se secundo: pariter dicẽdum in subiecta materia de cognoscibilitate intrinseca entis per abstractionem à materia ab intellectu creato, cognoscente obiectum ex alio.

Neque obstat si dicatur, quod cognoscibilitas, seù abstrahibilitas in Deo semper est à se; in creatura verò semper est à causa extrinseca; sed hæc diuersitas ponit analogiam; ergò, &c. nam.

Respondeo hanc dependentiam, & independentiam à causa extrinseca conuenire Deo, & creaturis respectu ipsius Dei, & creaturis in seipsis, non autem in ordine ad intellectum creatum, vt potentem cognoscere cognitione abstractiua, & creaturam, & Deum; quia vt dixi eodem modo abstrahitur ens creatum à materia, ac abstrahitur Deus ab intellectu creato.

Quod si secundò opponas, vniuocationem scientiæ sumi adæquatè ab hoc, quod est participabilis in suis inferioribus, secundùm idem nomen, & secundùm eandem rationem significatam illo communi nomine: sed hoc posito impertinenter, seù materialiter requiritur vniuocatio obiecti formalis, etiam in genere scibilis; quia prædictam vniuocationem habet scientia independenter à suo obiecto formali, & confirmatur; quia potest esse effectus vniuocus à causa analoga, vt primus homo est effectus vniuocus, & tamen Deus, qui illum creauit, est causa prima, & analoga; pariter scientia, quæ vniuocè participatur in suis inferioribus est vniuoca, & tamen eius obiectum formale, etiam in genere scibilis, potest esse analogum.

Respondeo, duplex esse vniuocum, aliud absolutum, & aliud relatiuum, siuè trascendentale, siuè prædicamentale; vniuocum absolutum est tantùm vnum participabile in pluribus cum omnimoda similitudine sub vno communi nomine; vniuocum verò relatiuum, dicit vnum ordinem vniuocum vnius ad aliud, vt ad terminum, complentem illum in sua vniuocatione; quia vniuocum relatiuum seipso est incompletum sine termino in sua latitudine formali: at completiuum vniuoci in sua vniuocatione, debet adhùc esse vniuocum.

Quod si dicas ex hoc discursu sequi, ordinem vniuocum compleri in sua vniuocatione per terminum correlatiuum formaliter, quod est opposita correlatio; sed hoc est falsum, saltem in relatione tertij generis, qualis est relatio scientiæ ad scibile, & poten-

tentiæ cognitiuæ ad cognoſcibile; ſcibile enim, ſiuè cognoſcibile, non dicit relationem formaliter ad ſcientiam, neque ad potentiam cognitiuam; termini enim relationis tertij generis dicuntur relatiui ex eo prçcisè, quod ſunt termini relationum, vt docet Ariſtoteles in methaphyſica, vbi docet, quod alia ſunt relatiua, quia dicunt ordinem ad aliud; alia verò ſunt relatiua ex eo quia terminant relationem aliorum ad ſe.

Reſpondeo primò, terminum relationis tertij generis, vt fusè probabitur in quęſtione de relatione, eſſe adhùc correlatiuum formaliter, vel relatione terminatiua, vel relatione formali ſine dependentia; quando autem Ariſtoteles docet terminum relationis tertij generis non eſſe correlatiuum per relationem in eo exiſtentem; vel loquitur de relatione formali, quæ eſt ordo vnius ad aliud, vt ad terminum; vel loquitur de relatione formali cum dependentia; vel denique loquitur de relatione formali contradiſtincta à relatione fundamentali.

Reſpondeo ſecundò, negando ſequelam; nam ſatis eſt, vt terminus ſit vniuocus, adhoc vt compleat vniuocationem relatiuam in ſua latitudine formali; doctrina hæc eſt Scoti in 1. *diſt.* 30. *quæſt.* 1. vbi defendit vnius relationis terminum non eſſe alteram relationem oppoſitam; ſed eſſe abſolutum, qui in doctrina Scoti non eſt terminus analogus, ſed vniuocus; nam in opinione Scoti, ens formaliter, quod ſcilicet eſt ſua ratione formali ens, non eſt analogum ſuis inferioribus, ſed vniuocum. Doctrina hæc duriuſcula videtur multis, qui dicunt non eſſe incommodum, terminum relationis vniuocę eſſe analogum; idque probant primò auctoritate Ariſtotelis, qui *lib.* 4. *methaph.* docet, omnem rationem ſani analogam, habere vnicam conſiderabilitatem ſcientificam; quia quicquid ſanum eſt, reducitur ad vnum primum ſanum; ità etiam de ente docet; quia quicquid eſt, ad vnam rationem eſſendi ſimpliciter reducitur; at ratio eſſendi ſimpliciter eſt analoga; nam dicit quod eſt extrà nihilum. Secundò probant ratione; quia ſatis eſt ad ſpecificandam ſcientiam, vt ſcientia vno modo conſideret ſuum obiectum; ſed nihil prohibet, vt vnum vnitate analogica conſideretur tantummodò vno modo ſcientifico; ſed iſtæ rationes facilè ſoluuntur: & quidem primo Ariſtoteles loquitur de obiecto ſcientiæ in genere entis, non autem in genere ſcibilis; nos autem cum dicimus, obiectum formale ſcientię vniuocæ debere eſſe vniuocum, loquimur de obiecto formali in genere ſcibilis, quod eſt vniuocum; quia eſt ſcibile per abſtractionem fundamentalem à materia. Ad rationem verò reſpondeo, non poſſe ſcibile conſiderari à ſcientia vniuoca vno tantùm modo ſcientifico, niſi ſit vnum in genere ſcibilis; quia vnitas modi conſiderandi ſumitur ab vnitate obiecti formalis, à quo ſcientia ſpecificatur: implicat enim ſcibile intrinſecè eſſe conſiderabile vno modo ſcientifico, niſi præexiſtat in ſe vnum per abſtractionem fundamentalem à materia, quæ abſtrahibilitas à materia, vt ſuprà demonſtrauimus, dupliciter poteſt conſiderari; vno modo, quantùm admodum terminandi ſciẽtiam; alio modo, quatenùs eſt gradus immaterialitatis: primo modo, vniuocè eſt in Deo, & in creaturis in ordine ad intellectum creatum, vt potentem cognoſcere Deum ex creaturis, & ſub iſta conſideratione ſpecificat ſcientiam methaphyſicam: ſecundo verò modo, eſt analoga, ſed ſic non ſpecificat ſcientiam; quia pertinet ad obiectum formale in genere entis.

Secunda ratio concluſionis eſt, quia ſcientia ſecundùm ſe, ſiuè ſcientia vna vnitate vniuoca ſecundùm ſe eſt ſcitiua, vt cauſa principalis ſui obiecti formalis, & primarij: at cauſa principalis eſt in eodem gradu, ſiuè modo eſſendi cum ſuo obiecto primario, & formali, vt explicabitur ſequente concluſione.

Secunda concluſio. Methaphyſica vniuerſaliſſima ſecundùm ſe; eſt vna vnitate vniuoca; quia habet ſuum obiectum formale in genere ſcibilis vniuocum. Notãter addo methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ, ly, ſecundùm ſe; quia loquor de methaphyſica, vt eſt ſcitiua virtute ſuæ formæ, & non virtute ſcientiæ ſuperioris, quam diſtinctionem præcedentibus articulis latè explicauimus. Cōcluſio valdè controuerſa eſt apud Methaphyſicos; quia ſuppōnit creaturas habere vniuocationem cum Deo in ratione obiecti, ſeù in ratione ſcibilis, quod eſt valdè controuerſum; plures enim Methaphyſici mordicùs ſubſtinẽt impoſſibile eſſe, creaturam, & Deum, eſſe ſub vno communi genere vniuoco, quod probant, primò; quia implicat Deum parificari in aliquo prædicato cum creaturis; omne enim prędicatum in Deo eſt eſſentialiter ſuum eſſe, & eſt independens à cauſa; omne verò prædicabile eſſentialiter de creaturis, non eſt eſſentialiter ſuum eſſe, & conſequenter eſt eſſentialiter ens ſecundum, dependens à cauſa prima; implicat autem hæc duo parificari in vno, vel minimo prædicato intrinſeco; ſunt enim

enim eſſentialiter diſtantia infinitè.

Ex oppoſito verò Scotus cum ſuis *diſt.* 8. *quæſt.* 3. concedit ens eſſe conceptum obiectiuum, vniuocum Deo, & creaturis; quo autem ſenſu loquutus ſit Scotus de Deo, & de creaturis, diſſenſio eſt inter Scotiſtas, vt dicam *quæſt.* 2. Thomiſtæ verò plures concedunt, ens in genere ſcibilis, eſſe vniuocum Deo, & creaturis; ens verò in genere entis, ſiuè rei, eſſe analogum; differt verò hęc Thomiſtarum opinio ab opinione Scoti; quia Scotus concedit ens eſſe vniuocũ Deo, & creaturis; non ſolùm conſideratis in genere ſcibilis, ſed etiam in genere entis; Thomiſtæ verò ſolùm concedunt ens in genere ſcibilis eſſe vniuocum Deo, & creaturis, modo quo ſupra latè explicauimus. Neque ex hoc ſequitur aliqua contradictio in Deo, & in creaturis; quia contradictio eſt eiuſdem de eodem ſecundùm idem; at Deũ, & creaturam vniuocari in genere ſcibilis, & non vniuocari in genere entis, non ſunt affirmatio, & negatio ſecundùm idem, ſed ſecundùm diuerſa.

Sed hæc celebris, & ſubtilis controuerſia, licet dura videatur, tamen ratione demonſtratiua fit intelligibilis; vt autem clariùs appareat eius veritas, loquimur de methaphyſica vniuerſaliſſima ſecundùm ſe, ſiuè ſecundùm ſuam formam; non autem proùt eſt inſtrumentum ſcientię ſuperioris, qualis eſt methaphyſica vniuerſaliſſima ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam, de qua loquuti ſumus præcedente articulo.

Ratio fundamentalis concluſionis mihi eſt hæc; methaphyſica vniuerſaliſſima ſecundùm ſe, ſiuè ratione ſuæ formæ, eſt ſcitiua, vt cauſa principalis ſui obiecti formalis in genere ſcibilis; ſed hoc poſito, neceſſariò methaphyſica vniuerſaliſſima ſecundùm ſe vniuocatur, in eodem modo eſſendi ſpecifico, cum ſuo obiecto formali in genere ſcibilis; ergo methaphyſica vniuerſaliſſima ſecundùm ſe, ſiuè ratione ſuæ formæ habet vniuocationem cum ſuo obiecto formali in genere ſcibilis. Ratio hæc clariùs intelligetur ſolutione argumentorum in oppoſitum.

Primum argumentum in oppoſitum eſt; quia implicat Deum vniuocari in aliquo prædicato cum creaturis; nam quodlibet prædicatum in Deo exiſtens, eſt eſſentialiter ſuum eſſe; ſed ſi methaphyſica vniuerſaliſſima ſecundùm ſe vniuocaretur cum ſuo obiecto formali; vniuocaretur etiam cum Deo in eodem modo eſſendi; ergo, &c. Minor probatur, quia obiectum formale methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ ſecundùm ſe comprehendit adhùc Deum; eſt enim Deus formaliter ens reale.

Reſpondent communiter Thomiſtæ, Deum, & creaturas dupliciter poſſe conſiderari, & in ratione entis, & in ratione obiecti, ſiuè ſcibilis. Concedunt, nullum prędicatum eſſe vniuocum Deo, & creaturis in ratione entis; negant verò nullum poſſe aſſignari prędicatum vniuocum Deo, & creaturis in ratione ſcibilis, ſiuè obiecti; ratio huius diuerſitatis, niſi mea me fallat opinio, hæc eſſe poteſt; quia vniuocatio in ratione entis, ſupponit in ente potentialitatem, quę eſt differentia entitatiua; vniuocatio verò in ratione ſcibilis, ſiuè obiecti non ita: quandoquidem ratio ſcibilis conuenit Deo in ordine ad noſtrum intellectum; hic autem ordo, cum ſit modus eſſendi intrinſecus, & accidentalis nihil perfectionis, vel imperfectionis ponit in Deo; quia modus intrinſecus, & accidentalis, vt plenè probabitur *quæſt.* 3. de modis intrinſecis eſſendi, vel operandi, formaliter non eſt ens; ac proindè præſcindit à perfectione, & imperfectione: quia perfectio, & imperfectio ſunt differentiæ entis formaliter; quod autem formaliter non eſt ens, neque poteſt eſſe potentia, neque actus, quæ ſunt primæ differentiæ entis; at ratio entis formaliter in Deo eſt actus purus; omnis enim ratio entis formaliter in Deo, eſt formaliter ipſum eſſe exiſtentiæ. Hanc rationem non legi apud Thomiſtas; ſed ea veritatem continet, & fundatur in occulta quidditate, ſiuè natura modi intrinſeci, quæ pro viribus explicabitur *quæſt.* 3.

Reſpondeo ſecundò, Deum dupliciter poſſe conſiderari; vno modo ſecundùm ſe, ſiuè ſecundùm quod eſt in ſeipſo, in modo eſſendi realiter: alio modo, vt eſt repræſentabilis noſtro intellectui ex creaturis. Secundùm ſe, ſeù proùt eſt in modo eſſendi realiter, in nullo prædicato poteſt habere vniuocationem cum creaturis; in modo verò eſſendi, quem habet in intellectu creato intelligente Deum ex perfectionibus creaturarum, nihil prohibet, vt habeat aliquam vniuocationem cum creaturis, & in hoc modo eſſendi conſiderando Deum, certum eſt Scotum concedere ens reale eſſe vniuocum Deo, & creaturis, vt *quæſt.* 2. probabimus. Sumo hanc doctrinam in terminis à S. Thoma 1. *par. quæſt.* 13. *art.* 4. in quo inquirit, vtrum nomina dicta de Deo ſint ſynonyma, & *art.* 9. in quo quærit, vtrum hoc nomen, Deus, ſit communicabile; vbi docet in corpore articuli circa medium, quod formæ, quæ non indiuiduantur per

aliud

aliud suppositum, sed per se ipsas; quia scilicet sunt formæ subsistentes, si intelligantur secundùm quod sunt in seipsis, non sunt communicabiles pluribus; si verò intelligantur, vt repræsentabiles nostro intellectui cognitione abstracta à cognitione, qua intellectus intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singularitate; sicut intelligitur, v. g. natura humana non intellecta eius singularitate; in hoc modo essendi, natura formæ, quæ per seipsam indiuiduatur in re, non repugnanter est communicabilis pluribus inferioribus; nam ratio cur sit incommunicabilis est; quia est seipsa singularis; at considerata, vt repræsentatur nostro intellectui in perfectione naturæ abstrahibilis à singularitatibus, vt est in illo modo essendi in intellectu, non est singularis; ergo proùt est in illo modo essendi in intellectu, non repugnat, vt sit communicabilis pluribus inferioribus. In hoc principio fundatur Caietanus in *prædicabilib. capite de specie*, dicens naturam Angeli, quæ à parte rei est immultiplicabilis numero intra eandem speciem, in modo essendi, quem potest habere in intellectu, cognoscente naturam Angeli, vt repræsentabilem nostro intellectui per modum, quo cognoscitur natura materialis sine singularitate, non repugnat, vt sit communicabilis pluribus naturis solo numero differentibus.

Hac posita, & explicata distinctione, cum dicunt communiter Deo, & creaturis nullum dari prædicatum vniuocum.

Respõdetur, distinguo maiorem; Deo, & creaturis, secundùm quod sunt in modo essendi reali à parte rei, nullum dari prædicatum vniuocum, & conceditur: Deo, & creaturis in modo essendi, quem habent in intellectu intelligente per abstractionem à modo essendi in re realiter, & negatur. Deus, & creaturæ, quatenus sunt in modo essendi reali in seipsis, sumuntur in genere entis; quatenùs verò sumuntur in modo essendi, quem possunt habere in intellectu cognoscente cognitione inadæquata, & abstrahente, sumuntur in genere obiecti, siuè scibilis; quia obiectum formale in genere scibilis est per abstractionem fundamentalem à materia, vt sæpe repetiuimus præcedentibus articulis. Ratio autem cur in modo essendi, quem Deus potest habere in intellectu cognoscente illum ex creaturis, siuè ex modo abstrahente illum ex creaturis, potest vniuocari cum creaturis, est; quoniam Deus, & creatura, proùt sunt in illo modo essendi non apparent cum modis, quibus distinguuntur inter se, vt sunt esse finitum, & esse infinitum.

Quod si dicas esse impossibile, Deum concipi, non concipiendo eius infinitatem, per quam Deus distinguitur à creaturis; quia Deus est essentialiter infinitus; implicat autem Deum concipi non concipiendo eius prædicatum essentiale; ergo, &c.

Respondeo cum distinctione; Deus secundùm se, vel secundùm quod est in seipso, non est conceptibilis, non concipiendo eius infinitatem, & concedo; Deus secundùm quod est cognoscibilis, seù repræsentabilis nostro intellectui cognitione inadæquata ex creaturis, & nego. Disparitas est; quia in modo essendi reali in seipso, Deus dicit hæc omnia prædicata; & cognitio, qua cognoscitur Deus, proùt est in seipso, est cognitio adæquata Dei secundùm se: verùm si sumatur Deus, vt repræsentabilis cognitione inadæquata ex creaturis, est repræsentabilis secundùm vnam perfectionem, & non secundùm aliam, v. g. est repræsentabilis, secundùm quod est ens, & non secundùm quod est ens infinitum; sicut, v. g. Deus secundùm quod in se est, est causa infinita; sed secundùm quod participabilis est à creaturis, participatur in vno gradu perfectionis, & non in alio; pariter Deus secundùm se, seù proùt est in modo essendi in seipso à parte rei in esse repræsentato, est vna perfectio, quæ est omnis perfectio; secundùm quod verò est repræsentabilis nostro intellectui ex creaturis, cognitionibus inadæquatis, & imperfectis in esse repræsentato, dicit vnam perfectionem non repræsentata alia; & sic in ratione obiecti, seù in ratione scibilis dicit vnum prædicatum, in quo parificatur cum creatura non repræsentando aliud, quo distinguitur à creaturis.

Quod si secundò dicas, Deum secundùm hanc cognoscibilitatem inadæquatam ex creaturis, non posse esse obiectum specificatiuum methaphysicæ vniuersalissimæ: quia obiectum, & specificatiuum scientiæ realis, debet esse reale; etenim debet esse independens à scientia; hoc autem ens est reale: at nos hìc loquimur de obiecto formali in genere scibilis scientiæ realis, quæ est methaphysica; ergo responsio allata est sufficiens.

Respondeo: distinguo maiorem, cognoscibilitas inadæquata est duplex; alia intrinseca, quæ consequitur obiectum in eo gradu entitatis, quo est repræsentabile intellectui creato; & alia est extrinseca, quæ conuenit obiecto per extrinsecam denominationem à potentia intellectus, potentis il-

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

### Vtrum gradus essentiales distinguantur ex natura rei à singularitate, in vno, & eodem indiuiduo; & an singularitas formalis sit modus intrinsecus essentię, pariter distinctus ex natura rei, ab existentia.

QVæsitum hoc alijs verbis proponi solet: an nimirum natura specifica sit actu distincta ex natura rei à singularitate, qua fit indiuidua, & singularis; scilicet incommunicabilis pluribus inferioribus; quãdoquidem natura specifica formaliter constituitur ex omnibus gradibus essentialibus, quorum vnus est superior alio, secundùm se; intelligitur autem quæsitum de singularitate, siue indiuiduatione formali, non autem indiuiduatione radicali: duplex enim est singularitas, siuè indiuiduatio; alia formalis, & alia radicalis, tam in rebus materialibus, quàm immaterialibus, putà in Angelis. Formalis singularitas, est differentia vltima contrahens omnes gradus superiores, vt constituentes vnam specificam naturam ad vnum indiuiduum, vt, v.g., petreitas in rebus materialibus; Michaeleitas in Angelis, &c. singularitas verò radicalis, siuè fundamentalis, est primum principium intrinsecum, vndè oritur differentia formalis indiuiduans, quæ est vltima differentia constituens naturam formaliter incommunicabilem pluribus inferioribus; vt v.g., est, in opinione S. Thomæ, in rebus constantibus ex materia, & forma, materia prima signata quantitate. Verùm dupliciter materia prima potest intelligi esse principium radicale indiuiduationis formalis; vno modo, in quantùm est singularitas, siue indiuiduatio formalis, alio modo in quantùm est indiuiduatio formalis, diuidens vnam naturam ab aliâ intra eandem speciem; quoniam indiuiduatio formalis, seù singularitas vt sic, alia est contrahens naturam ad indiuiduum, diuidendo illam ab alio indiuiduo intrà eandem speciem, & huiusmodi sunt formalitates in rebus materialibus sublunaribus, in quibus natura specifica diuisibilis est in plura indiuidua intrà eandem speciem athomam; vt natura humana, ęquina, &c. singularitas autem, & indiuiduatio formalis non diuidens, sed adæquãs naturam specificam in sua latitudine formali specifica; est, quæ reperitur in corporibus cælestibus; vnum etenim cęlum differt ab alio, non solùm numero, sed etiam specie athoma, & eiusdẽ conditionis est etiam singularitas in vnoquoque Angelo; quandoquidem natura Angelica in esse naturali, non est multiplicabilis, tantummodò intra eandem speciem, vt suo loco probabitur cum Sanctissimo Doctore Angelico: Materia prima in rebus materialibus sublunaribus, est principium radicale indiuiduationis formalis; siuè singularitatis formalis, pręcisè in quantùm est vltimum subiectum receptiuum, quod scilicet non recipitur in alio subiecto; est verò eadem, principium radicale, siuè radix intrinseca indiuiduationis siuè singularitatis formalis, quatenus est vltima determinatio, seù differentia diuidens, ex eo quod materia prima est signata quantitate, hoc est diuisa quantitate; aliud enim est esse principium radicale indiuiduationis formalis, & aliud est esse principium radicale multiplicationis indiuidualis intra eandem speciem athomam, seù specialissimam; in corporibus verò cęlestibus materia est tantùm principium radicale, siuè radix intrinseca singularitatis adæquantis, & non diuidentis naturam specificam vnius cæli; quæ etiam est opinio S. Thomæ, vt suo loco dicetur: Cæterum in Angelis in quibus nulla est materia physica, quę est pura potentia ad omnem actum, & formalem, & existentialem, est tantùm singularitas formalis adæquans naturam specificam in sua latitudine formali; principium verò radicale huius singularitatis in Angelis, est eadem Angeli essentia, seù forma quatenus in esse naturali, est irreceptibilis in alio subiecto, siuè materia, quod quidem solùm competit naturæ Angelicæ, quatenus est in suo esse naturali, vt suo loco probabitur doctrina Angelici Doctoris.

Articulus hic extenditur ad omnem singularitatem in rebus creatis, & finitis, & de hac difficultate fusissimè omnium, quantum ad Metaphysicum pertinet; tractat doctus Suarez *tomo 1. suæ metaphysicæ à disp 5.* quem sequuntur omnes recentiores suæ societatis ab eo solum verbis differentes.

Abstineo hic à quæstione; vtrum singularitas formalis in rebus creatis, sit existentia, quæ est vltimus actus entis in opinione S. Thomæ, an sit solùm modus intrinsecus, essentiæ: sed solum examinandum propono; an scilicèt natura specifica in vno, & eodem indiuiduo in creatis sit distincta actu ex natura rei à sua sin-

gularitate formali, siuè à sua indiuiduatione formali, quę vocatur à Scotistis ecceitas, & communiter ab alijs differentia indiuidualis: & an singularitas in creatis formalis sit modus essentiæ ante existentiam.

Prima conclusio. In rebus creatis vniuersaliter natura specifica actu ex natura rei, distinguitur à singularitate in vno, & eodem indiuiduo. Hęc conclusio est opinio Scoti *in 2. dist. 3. quæst 1. & in quodlib. q. 2. et 7. metaph. q. 16.* quem ibidem sequitur Antonius Andreas *q. 18. & Fonseca lib. 5. q. 3. sect. 2. q. 5.* nec est aliena à principijs Sancti Thomæ, qui solum in Deo ponit indiuiduationem formalem prędicatū intrà essentiam, quod est efficax argumentum ad probandum in creatis naturam specificam actu ex natura rei esse distinctā à singularitate in vno, & eodem indiuiduo, tàm in rebus constantibus ex materia, & forma, vt sunt corpora cęlestia, & corpora sublunaria; quam in Angelis, quæ sunt purę formæ immateriales, excludentes nimirum non solùm potentiam, vt partem intrinsecam componētem, sed etiam vt subiectum in obliquo, & terminatiuè, ad differentiam animæ rationalis, quæ excludit quidem materiam, vt partem intrinsecam componentem, sed non excludit materiam vt subiectum receptiuum. Conclusio hæc directè est contra reales Metaphysicos, qui ponunt singularitatem positiuam formaliter in rebus, sed solum negant illam esse distinctam actu ex natura rei ab essentia: siuè à natura in vno, & eodem indiuiduo; aliud enim est singularitatem positiuam reperiri formaliter in rebus, & aliud est illam esse distinctam, vel indistinctam, ex natura rei à natura, siuè essentia; Nominales autem quos refert Suarez *disp. 5. sup. cit. sect. 1. n 5.* dicunt indiuiduationem formalem, siuè singularitatem formalem, solùm addere naturæ specificę reali negationem, ad eum modum, quo plures Metaphysici reales substinent, cùm diuiditur continuum in plura minora continua; vel cùm diuiditur quantitas continua in plures partes; vnam partem addere sibi solùm negationem alterius: & fundamentum huius est, quia natura ex eo præcisè; quod realis est, singularis est; quia est sufficienter; & adæquatè potens existere realiter; at non potest realiter existere nisi quod singulare est, natura enim communis realiter existere non potest. Secundò, quia singularitas est quædam vnitas; sed vnitas addit solam negationem diuisionis in ente; ergo singularitas suprà naturam specificam realem nō aliud addit, nisi negationem diuisionis.

Sed hęc Nominalium opinio iure à Metaphysicis realibus reijcitur; etenim aliud est non dari singularitatem positiuam in rebus formaliter, & aliud est illam esse indistinctā à natura reali; sicut pariter, aliud est, non dari in rebus singularitatem positiuam formaliter; & aliud est, naturam realem esse sua intrinseca entitate indiuiduam, & singularem formaliter; semper enim quæstio de distinctione, vel indistinctione supponit extrema; de quibus quæritur, an vnum distinguatur ab alio, nimirum an in eis reperiatur distinctio, quę reperitur in alijs. In hac conclusione supponimus in rebus creatis dari singularitatem formalem positiuam, in quo conueniunt omnes Metaphysici reales, vt videre est apud Suarez *loco sup. cit. sect. 2. num.* 8. & etiam Nominales, qui in hoc differunt à Realibus, qui dicūt singularitatem formalem esse solam negationem idētitatis entitatiuę vnius cum alio: alij verò dicunt singularitatem formalem, esse intrinsecam entis realitatem; ratio suppositionis est; quia non potest ens reale existere proximè, & immediatè, nisi sit vltimatè completum, & determinatum in ratione entis; sed vltima determinatio in ratione entis, est singularitas formalis, seù formalis indiuiduatio positiua; quia debet esse completiua in ratione entis; hoc autem complementum, & determinatiuum, necessariò debet esse positiuum: quia est intrà rationem entis, quod positiuum est. Controuersia nunc est; an hæc intrinseca determinatio, indiuiduans, & singularizans, faciens ens incommunicabile pluribus inferioribus, sit aliqua distinctione reali distincta ab essentia, quæ realizatur, & singularizatur; in conclusione asserimus eam, esse actu distinctam ex natura rei distinctione actuali in generali, non descendendo ad speciem determinatā distinctionis actualis realis.

Ratio fundamentalis est; quia essentia, siuè natura in quolibet indiuiduo creato entis positiui secundum se, siuè prout est in seipsa, non est essentialiter suum esse existētiale; sed hoc est sufficiens, vt essentia entis creati sit actu distincta à sua singularitate formali; ergo, &c. Maior probabitur ex professò *q. 5.* nunc autem hæc ratio occurrit, quia in quolibet ente creato essentia secundùm se non est actus purus; sed essentia, quę est essentialiter suum esse, est actus purus; ergo essentia in quolibet ente creato, quod est ens actu existens ex nihilo, non est essentialiter suum esse, nimirum, existētiale.

tiale. Minor principalis argumēti probatur primò ex opposito: nā in Deo esſētia est esſētialiter singularis; quia Dei esſētia secūdū se, est esſētialiter sua existētia; ex eo enim, ꝙ in Deo esſētia est sua existentia, essentia Dei est esſētialiter cōpleta in tota latitudine entis formaliter; quia est esſentialiter actus purus, qui esſētialiter est omnis actus sine vlla imperfectione, singularitas autē, siuè formalis indiuiduatio, est vltimus actus, q̃a est vltima determinatio entis, sed ens creatū, ꝙ est actu existens ex nihilo, est oppositū formaliter enti increato; ergo in ente creato esſēntia; q̃a nō est esſētialiter suū esse existētiale, nō est esſētialiter singularis, oppositorū .n. oppositę debent esse rationes formales; sed hęc est distinctio actualis ex natura rei, q̃a cōuenit esſētię rei secūdū se. Secūdò probatur eadē minor directè; esſētia, quæ secūdū se, non est suū esse existentiale, est prima potētia subiectiua in ente creato, ꝙ est existēs actu ex nihilo, sed prima potētialitas est sufficiēs causa, vt esſētia specifica distinguatur actu ex natura rei à singularitate; q̃a prima potētia subiectiua in ente est prima causa, vt esſētia sit limitata in ratione esſētię; at esſētia limitata in ratione esſentiæ nō est sua singularitas formalis; secùs non esset limitata intrin. secè in ratione esſētiæ, nimirū, terminata in ratione esſētię: & probatur, q̃a nō sisteret in ratione esſētiæ; eo ꝙ raperet ad sui rationē esſētialē etiā singularitatem, & esset natura, seù esſētia in creatis, esſētialiter singularis, nimirū singularitate intrà esſētiā, ꝙ implicat autē esſētiā creaturę eleuari ad rationē primi entis; esset.n. esſētialiter esſētia creaturę, & non esset esſentia creaturę.

Obijcies ex *Suar. dis. 5. sect. 2. n. 29.* natura siuè esſētia in vno, & eodē indiuiduo creato, quatenus distincta actu à sua singularitate formali, vel est cōmunis, vel incōmunicabilis pluribus inferioribus, inter hęc .n. duo nō datur mediū, q̃a sūt contradictoria saltē virtualiter; inter quæ mediū esse nō potest, & probatur, q̃a natura cōmmunis est cōmunicabilis, solū pluribus inferioribus, natura verò formaliter singularitas est incōmunicabilis pluribus inferioribus, sed neq; potest dici cōmunis, aut singularis, aut incōmunicabilis; ergo natura, siuè esſētia in vno indiuiduo creato, nō potest esse singularis singula ritate extrà esſēntiā. Minor ꝓbatur, nō potest esse cōmunis, q̃a realiter actu existit; ꝙ verò cōmmune est impossibile est, ꝙ existat; actus .n. existēdi, est actus determinatę esſētię vltima determinatione ante existētiā neq; est singularis, q̃a natura accipitur, ꝓùt est intrinsecè distincta à sua singularitate distinctio autē actualis naturę à singularitate dicit nō inclusionē singularitatis intra naturā. Cōfirmatur primò; natura v.g. humana quę est in Petro, vt distincta à petreitate quę est differentia indiuidualis, vel singularitas formalis: vel est seipsa realiter distincta à natura, quæ est in Ioā ne, ꝓùt etiā in Ioāne, distinguitur ei natura rei ab eius singularitate, siuè ecceitate formali, vel vt sic nō est distincta; si hoc secūdū dicatur natura in Petro erit cōmunis q̃a nōdū diuisa, & multiplicata singulariter si dicatur primū, necesse est inquit Suarez, illas naturas vt sic, esse indiuiuiduas, & singulares, q̃a natura humana in Petro, & natura humana in Ioāne, distinguūtur solo numero intrà eādē speciē athomā; ergo natura in vno indi uiduo creato nō distinguitur ex natura rei actu à singularitate. Confirmatur secūdò: si natura siuè esſentia, siuè singularitas in vno, & eodē indiuiduo distinguerētur actu ex natura rei, vnaquæq; earū ea ratione, qua distinguitur actu ab alia haberet per seipsā suā vnitatā: tū q̃a nō potest intelligi duo esse actu distincta, nisi sint vnū, & vnū; multitudo .n. siuè numerus supponit vnitates; tū q̃a vnūꝙq; est vnū in quātū est ens, sed prædicta sūt duo entia actu, ergo sūt duo; vna hoc posito, vel natu. ra vt distincta à sua singularitate actu habet vnitatē indiuidualē, vel est vna vnitate indiuiduali, vel est vna vnitate vniuersali, & cōmuni Primū dici non potest in nostra sētētia, alioquin natura esset indiuidua antè differētiā indiuiduitatē: neq; dici pōt secūdū, q̃a implicat natura vna, vnitate vniuersali existere realiter, q̃a est indeterminata; existētia autem est actus determinati.

Qui defēdūt in singularibus nō posse existere ntaurā actu vniuersalem. Respōdent, naturā, siuè esſentiā, ꝓùt distinguitur à sua singularitate in vno indiuiduo esse singula rem radicaliter, siuè fundamentaliter, sed in explicādo, per quid natura specifica in vno indiuiduo, proùt distinguitur a sua singularitate; siuè ecceitate formali, sit radicaliter, siuè fundamentalis non cōueniūt.

Thomistæ enim primò dicunt, naturam in vno indiuiduo esse radicaliter singularem per materiam, vt signatam quantitate; scilicèt vt diuisam quantitate; quoniā materia vt signata quantitate est prima radix multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem athomam; at essentia, siuè natura, proùt distincta à sua singularitate formali in vno, & eodem indiuiduo, est diuisa indiuidualiter à natura existente in alio indiui-

duo

duo intrà eandem speciem; ergo includit materiam, vt signatam quantitate, signatione nimirum intrinseca, non extrinseca.

Contra hanc responsionem duo possunt opponere Aduersarij. Primum, quod hæc doctrina vera est in substantijs materialibus, quæ diuiduntur quantitate dimensiua, & non vniuersaliter; at difficultas est de omni natura singulari creata, adhùc enim in Angelo natura est distincta realiter à sua singularitate formali; & de hac natura currit argumentum Suarez, vel ista natura cōtradistincta à sua singularitate est singularis, vel communis; non communis, quia cōmune non potest existere realiter; ergo singularis. Secundò hæc responsio transfert, non soluit difficultatem ad naturā singularem radicaliter a singulari formaliter, quia adhuc natura creata singularis radicaliter contradistinguitur à radice singularitatis formalis; natura enim creata, vt probat S. Tho. *p.p. q. 3. art. 3. in corp.* comprehendit in se illa tantùm, quæ cadunt in definitione speciei; vt humanitas comprehendit tātùm in sua definitione esſētiali animal rationale; hic enim homo est homo; quippè Deus solus est essentialiter singularis.

Secundo, alij dicunt, quod essentia, vel natura in vno indiuiduo est radicaliter, siuè fundamentaliter singularis, sua realitate esſētiali; nam ens reale ex eo præcisè, quod reale est, potens est realiter existere; at hoc est sua realitate determinatum, siuè singulare radicaliter; quia quod commune est impossibile est, quod existat realiter: sed indè non sequitur, inquiunt, quod essentia sit formaliter singularis, siuè indiuidua, quia indiuiduatio formalis est existentia: quod probant; quia singularitas formalis est vltima determinatio entis realis; vltima autem determinatio entis est existentia; existentia verò est extrà essentiam in creatis, & consequenter essentia in creatis, non est essentialiter singularis formaliter.

Sed hæc expositio, & responsio, patitur instantiam. Primò; quia, vt probabimus infrà, indiuiduatio, siuè singularitas formalis supponitur ab existentia actuali in natura. Secundò, quia realitas essentialis in natura, est formalis; hæc autē est à forma, quæ dat speciē: vndè realitas nō potest esse nisi specifica; quoniā, vt suprà ostēdimus, essentia specifica, siuè forma, à qua est species, est intrinsecè limitata in ratione formæ, siuè essentiæ; hæc autem limitatio est limitatio ad speciem, non ad indiuiduum.

Tertiò, alij dicunt, naturam, siue essentiā in vno indiuiduo, esse fundamentaliter, siuè radicaliter singularē ab vltimo gradu formali, siuè differentiali, idq; probant; quia singularitas, siuè indiuiduatio formalis, aut ecceitas immediatè sequitur vltimum gradum formæ; quia vltimus gradus formæ constituit speciem athomam; species autem athoma immediatè diuiditur in plura solo numero differentia in rebus materialibus diuisibilibus per quantitatem; qua posita opinione essentia, vt completa vltimo gradu formali, dicitur radicaliter singularis, & fundamentaliter; quia est fundamentum immediatum multiplicationis numeralis.

Sed hæc expositio patitur eandem instantiam, quam patitur prima; nam transfert difficultatem à singulari formaliter ad singulare fundamentaliter.

Respondeo quartò, quod esſētia creaturæ quatenus est distincta actu ex natura rei à singularitate formali, est singularis radicaliter, idest à radice indiuiduationis formalis, quæ adhuc est extra essentiam, sed hæc radix indiuiduationis in substantijs materialibus diuisibilibus quātitate dimēsiua est materia signata quantitate; hoc est diuisa quantitate dimensiua; non enim est signabilis vna portio materiæ ab alia, nisi sit diuisa diuisione quantitatis; in substantijs verò spiritualibus completis in specie est esse irreceptibile in modo essendi naturali in subiectis diuisis, & hæc irreceptibilitas adhuc est extra esſentiam Angeli formaliter, alioquin esſētia Angeli formaliter non esset diuisibilis intrinsecè in esse intelligibili in pluribus, & distinctis intellectibus Angelorū, quod est falsū; nā Angeli essentia formaliter, cū sit ratio intelligibilis, & potentialis ad esse, est receptibilis cū sui diuisione in pluribus intellectibus Angelicis quibus diuiditur: hoc autem non posset cōtingere, si esse irreceptibile in esse naturali in subiecto foret prædicatum essentiale naturæ Angeli, vt ostenditur *q. 6. huius* 1. *to.* Cum verò dicitur, quod hæc responsio non soluit, sed transfert difficultatem à natura vt distincta à singularitate sua formali ad eandem, vt distinctam à radice suæ indiuiduationis, Respondeo eodem modo proportionali, quo respondetur in hac eadem quæstione simili instantiæ, pagina 364. colum. 2. fine de materia signata quantitate; nam natura vnius Angeli per irreceptibilitatem in subiecto in esse naturali, diuiditur etiam à natura alterius Angeli indiuidualiter in radice, sed radice indiuiduationis adæquantis latitudinem formalem specificam vnius Angeli, vt sufficienter demonstratum est suo loco in hoc eod. tomo.

Quod

vnum eſt practicabile, & aliud ſpeculabile, adunari ſub vna ratione formali communi, quæ neque eſt practica, neque eſt ſpeculatiua; v. g. ſub ratione formali communi; quia Deus dixit, quod eſt motiuum formale fidei, quod neque eſt practicum, neque ſpeculatiuum formaliter, quatenus non eſt conſiderabile, neque modo practico, neque modo ſpeculatiuo: vel poſſunt conſiderari ſcientificè ſub alio motiuo communi ſcientifico, quod eſt poſſe cognoſci formaliter; quia ſunt ens, vel cognoſcibile: & iſta cognitio tunc erit materialiter practica, & materialiter ſpeculatiua; quia eſt de obiecto materiali practicabili, & de obiecto materiali ſpeculabili; formaliter verò neque erit practica, neque ſpeculatiua; quia eius obiectum formale eſt commune practico, & ſpeculatiuo; commune autem, poſitiuè eſt diuerſum à ſuis inferioribus formaliter.

Quod ſi dicas, hæc duo obiecta, quorum vnum eſt practicum, & aliud ſpeculatiuum, conſiderantur quidem ſub vna ratione formali communi, & vniuerſaliori; tamen in ea modus conſiderandi eſt ſpeculatiuus; quia de prædictis obiectis probantur aliqua prædicata medio intrinſeco, qui modus conſiderandi eſt ſpeculatiuus.

Reſpondeo, quod hic modus conſiderandi in prędicta ſcientia, eſt materialis, non formalis; nam ratio formalis conſiderandi in ea ſcientia eſt, vel quia eius obiecta conueniunt in vna ratione entis realis, vel ſcibilis vt ſic, præſcindentis à practicabili, vel ſpeculabili, ſiuè à ſpeculatiuo, & à practico, & huiuſmodi eſt ratio formalis, à qua ſpecificatur methaphyſica vniuerſaliſſima; in theologia verò ſacra viatorum ratio formalis, & vltima, illam ſpecificans, eſt ratio cognoſcibilis lumine diuinæ reuelationis, quę ſub ſe, & non in ſe comprehendit cognoſcibile practicè, & cognoſcibile ſpeculatiuè; quæ etiam eſt ratio, vt theologia viatorum comprehendat ſub ſe ſcientiam practicam, & ſcientiam ſpeculatiuam, id quod non eſt dicendum de alijs ſcientijs inferioribus: quoniam illæ non adunantur ſub vna ratione formali cõmuni practico, & ſpeculatiuo; ſed ſunt ſcientiæ contractæ, vel ad practicas, vel ad ſpeculatiuas; hæc autem contractio non conuenit methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ; quia eſt de obiecto abſtractiſſimo abſtractione naturali, quæ eſt abſtractio etiam à practico, & à ſpeculatiuo; hæc ipſa abſtractio conuenit etiam theologiæ ſacræ viatorum; tum quia, vt docet S. Thomas *loco ſupra cit.* theologia ſacra ſe extendit ad ea, quæ pertinent ad diuerſas ſcientias philoſophicas, tam ſpeculatiuas, quàm practicas, propter rationem formalem, quam in omnibus, tàm ſpeculatiuis, quàm practicis attendit; quia eſt ſcientia de ente, prout diuino lumine cognoſcibili; tùm etiam, quia abſtractio theologiæ ſacræ viatorum ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, etiam pertingit immediatè ad methaphyſicam vniuerſaliſſimam, cui immediatè ſubalternatur, vt ſupra oſtendimus; ex his ſumitur.

Ratio oſtenſiua tùm primæ, tùm ſecundæ concluſionis. Ratio primæ concluſionis eſt; quia methaphyſica vniuerſaliſſima conſiderat omnia obiecta practicabilia, & ſpeculabilia ſub ratione formali communi, quæ poſitiuè, neque eſt practicabilis, neque ſpeculabilis; quia conſiderat ſcientificè omnia prædicta obiecta ſub ratione formali obiectiua, vel quia ſunt ens reale vt ſic, vel quia ſunt ſcibile vt ſic, quod abſtrahit poſitiuè, & contrariè à practicabili, & ſpeculabili formaliter; ſed ſcientia huiuſmodi, neque eſt practica formaliter, neque ſpeculatiua: quoniam ſcientia practica formaliter eſt de obiecto practicabili modo practico, vel ſub ratione formali, quia eſt practicabile; ſcientia verò ſpeculatiua eſt de obiecto ſpeculabili modo ſpeculatiuo, vel ſub ratione formali, quia eſt ſpeculabile: ſumit enim ſcientia ſui ſpecificam eſſentiam à ſuo obiecto formali, non à ſuo obiecto materiali; ergo, &c.

Ratio ſecundæ concluſionis eſt: quia obiectum practicabile, & obiectum ſpeculabile in methaphyſica vniuerſaliſſima, ſunt obiecta materialia; ſed hęc eſt ratio ſufficiens, vt methaphyſica vniuerſaliſſima ſit materialiter, & inadæquatè practica, & inadæquatè ſpeculatiua; denominatur enim ſcientia practica formaliter, vel ſpeculatiua formaliter; quia eius obiectum formale eſt ſpeculabile, vt ſpeculabile formaliter; ergo ex oppoſito eſt materialiter practica; quia eius obiectum materiale eſt practicabile; eſt verò materialiter ſpeculatiua, quia eius obiectum materiale eſt ſpeculabile.

Dicet fortè ingenioſus; ratio obiectiua in genere ſcibilis, non poteſt eſſe alia, niſi abſtractio à materia, ſed hæc abſtractio non eſt ſufficiens ad conſtituendam ſcientiam, quæ formaliter neque eſt practica, neque eſt ſpeculatiua; nam hæc abſtractio à materia, datur etiam in methaphyſica vniuerſali, & in cæteris ſcientijs inferioribus, quæ formaliter aliæ ſunt ſpeculatiuæ, & aliæ ſunt formaliter practicæ.

Reſpondeo, quod datur duplex abſtractio

Digitized by Google

ctio à materia, alia est abstractio præcisiua à materia subiectiua, & obiectiua; & alia est abstractio positiua ab vtraque materia, quæ est abstractio per gradum superiorem specie diuersum. Causa cur methaphysica vniuersalissima, neque est formaliter practica, neque est formaliter speculatiua, est abstractio nó præcisiua, sed positiua ab omni materia, etiam obiectiua; quia huiusmodi abstractio, est abstractio per gradum specificum superiorem, & communiorem in cognoscendo, & in repræsentando, gradibus formalibus, quibus distinguuntur inter se scientiæ inferiores; sicut sensus communis est gradus formalis communior, quam sint gradus visiui, & gradus auditiui: communior quidem, non per abstractionem præcisiuam; sed per abstractionem positiuam; quia est gradus communis in cognoscendo materialiter, tàm obiectum potentiæ visiuæ, quàm obiectum potentiæ auditiuæ.

Instabit iterum: methaphysica vniuersalissima (idem dico de theologia sacra viatorum) distinguitur à scientia in generali, vt species à suo genere, sicut homo ab animali; sed hoc posito, methaphysica non potest esse scientia, quæ formaliter, nec est practica, neque speculatiua; quia huiusmodi scientia est eadem, ac scientia in generali, quæ præscindit à scientia practica, & à scientia speculatiua.

Respondeo, scientiam in generali immediatè diuidi in scientiam inferiorem, & in scientiam superiorem. Appello scientiam inferiorem scientiam, quæ non habet alias scientias inferiores, quorum obiecta materialiter cognoscat; scientiam verò superiorem appello illam, quæ materialiter cognoscit obiecta scientiarum inferiorum; sicut, v. g. sensus communis dicitur sensus superior quolibet sensu exteriori; non quidem superioritate prædicationis; sed superioritate in cognoscendo; quoniam materialiter cognoscit obiecta omnium sensuum exteriorum: visus verò dicitur sensus inferior; quia cognoscit tantum obiecta sua, nec se extendit materialiter ad obiecta alterius sensus inferioris: & sicut sensus in generali diuiditur primò, in sensum communem, & in sensum proprium; nimirum, in sensum communem, qui est sensus internus, & in sensum inferiorem, quales sunt visus, auditus, odoratus, &c. posteà sensus proprius, siuè inferior, subdiuiditur in visum auditum odoratum, &c. ità scientia in generali primò diuiditur in scientiam inferiorem, & in scientiam superiorem; posteà scientia inferior diuiditur in scientiam practicam formaliter, & in scientiam speculatiuam formaliter: scientia verò superior formaliter, neque est speculatiua, neque practica formaliter; quia practicum formaliter, & speculatiuum formaliter, sunt differentiæ diuidentes scientiam inferiorem; sed distinguitur à scientia inferiori, vt species suprema ab alia specie infima, quibus communis est scientia in generali; sicut, v. g. sensus communis distinguitur à sensu proprio, vt est visiuum, siuè auditiuum; vt species superior à specie inferiori, quibus communis est sensus vt sic, tamquam nimirum genus vt sic, præscindens formaliter à sensu communi, & interno, & à sensu proprio, siuè externo; & sicut scientia superior, qualis est, v. g. methaphysica, materialiter, & inadæquatè cognoscit obiecta, & scientiarum speculatiuarum, & obiecta scientiarum practicarum; ità sensus communis, & internus, existens, vt vna species suprema sensus vt sic, cognoscit obiecta, sed materialiter sensuum exteriorum: & intellectus humanus, vt vna species potentiæ cognitiuæ, cognoscit, & obiecta sensus communis, & obiecta sensuum exteriorum; non quidem formaliter, sed materialiter; non quia obiectum formale intellectus, sit commune communitate prædicationis omnibus obiectis potentiarum cognitiuarum inferiorum, vt Aduersarij putant (quod non omnes aduertunt) secùs intellectus non esset vna species suprema cognitiua; sed esset potentia cognitiua in generali, quæ est ratio generica, & sensui communi, & sensibus exterioribus, & ratio est; quia vnitas generica potentiæ sumitur radicaliter ab vnitate generica sui obiecti formalis; sicut vnitas specifica potentiæ sumitur ab vnitate specifica sui obiecti formalis; ergo si poneretur obiectum formale potentiæ intellectiuæ, genus commune obiectis potentiarum inferiorum, nimirum sensus communis, & sensuum exteriorum, intellectus humanus non esset vna potentia specie athoma; sed esset vnum genus potentiæ, sicut animal est commune homini, & bruto. Neque obstat, quod sensus interior sit sensus communis; quia non est communis per prædicationem, siuè per abstractionem præcisiuam; sed est sensus communis in cognoscendo, quæ communitas propria est, non solùm speciei specialissimæ; sed etiam vnius indiuidui, sicut est vniuersale, siuè commune in causando, vt Sol, & sicut etiam est species intelligibilis angelica, quæ dicitur vniuersalis, non vniuersalitate in prædicando; sed vniuersalitate in actu, & in repræsentando. Auctores

au-

autem contrariæ sententię opinantur, obiectum methaphysicæ vniuersalissimæ esse vniuersalius obiectis omnibus scientiarum inferiorum vniuersalitate in prædicando, quæ est per abstractionem a differentijs diuidentibus formaliter, quod falsum est.

Hac distinctione, & doctrina facilè soluitur argumentum, quo Fasolus, & cæteri Auctores contrarij probant, non posse dari vnam scientiam, quæ formaliter, neque sit practica, neque sit speculatiua; non quidem præcisiuè, siuè negatiuè; hanc enim dari, est luce clariùs; sed positiuè, & contrariè, quod probant hoc medio; quia scientia in generali adęquatè diuiditur in scientiam practicam formaliter, & in scientiam speculatiuam formaliter; quia scientia in generali præscindit ab vtraque formaliter, sicut animal præscindit ab homine, & à bruto; sed hoc posito implicat dari vnam speciem scientiæ, quæ scilicet sit scientia, & infra scientiam; & tamen neque sit practica formaliter, neque speculatiua.

Respondeo, nego maiorem; quia vt dixi, speculatiuum, & practicum formaliter, sunt differentiæ diuidentes scientiam inferiorem, quæ est vna species scientiæ in generali, non autem sunt differentię diuidentes scientiam in generali immediatè, & absolutè; sicut sensitiuum, & rationale diuidunt substantiam corpoream, non autem diuidunt immediatè, & primò substantiam, quæ est primum genus prædicamentale; prius enim diuiditur scientia in scientiam inferiorem, & in scientiam superiorem; deindè scientia inferior diuiditur in scientiam practicam, & in scientiam speculatiuam formaliter; sicut, vt docet Caietanus 1. *par. quæst.* 1. *art.* 4. sensus vt sic primò diuiditur in sensum communem, & in sensum proprium; deindè sensus proprius diuiditur in quinque sensus exteriores, & sicut sensus communis materialiter cognoscit, sed inadæquatè, obiecta vnius sensus particularis, & inadæquatè obiecta alterius sensus particularis; ità scientia superior, qualis est, v. g. methaphysica vniuersalissima cognoscit materialiter; sed inadæquatè obiecta scientiarum speculatiuarum; & materialiter, sed etiam inadæquatè, obiecta scientiarum practicarum.

Neque huic doctrinæ obstat primò, si dicas scientiam Dei diuidi in speculatiuam, & in practicam formaliter; est enim scientia Dei, sui ipsius speculatiua; creaturarum verò extrà se, practica; sed scientia Dei est suprema; ergo falsum est, scientiam diuisibilem in practicam, & speculatiuam formaliter esse scientiam inferiorem; nam scientia Dei nō est scientia inferior, sed est scientia in supremo gradu.

Respondeo enim primò, diuisionem scientiæ Dei in scientiam practicam, & in scientiā speculatiuā, nō esse formalē, quæ est diuisio per practicum, & per speculatiuum, vt sunt differentiæ formales, sed esse diuisionem scientiæ in practicam, & in speculatiuam materialiter, quæ est diuisio per practicum, & speculatiuum, vt sunt differentiæ materiales; quia prædicta diuisio conuenit scientiæ diuinæ respectu termini materialis, non respectu termini formalis, cum competat scientię Dei respectu creaturarum, quæ sunt terminus materialis diuinæ scientiæ; diuisio autem scientiæ in practicam, & in speculatiuam formaliter, est ex diuisione formali obiecti formalis scientiæ.

Respondeo secundò, diuisionem scientiæ in practicam, & in speculatiuam tribui scientiæ diuinæ respectu creaturarum, quatenùs scientia diuina est repræsentabilis nostro intellectui ex scientijs speculatiuis, & scientijs practicis creatis formaliter; non autem tribui scientiæ diuinæ secundùm se, seù proùt in se est, sicut tribuitur scientiæ diuinæ diuisio in scientiam intuitiuam, & abstractiuam, siuè in scientiam visionis, & in scientiam simplicis intelligentiæ; scientia enim diuina, vt in se, seù proùt in se est, neque est practica formaliter, neque est speculatiua, & fortè, neque materialiter; non solùm quia est scientia infinita formaliter, quæ sub vna indiuisibili qualitate adunat sine vlla diuisione omnem scientiam; sed etiam quia est in supremo gradu scientiæ absolutè, & simpliciter.

Neque secundò obstat, si dicas ex hac doctrina sequi, methaphysicam vniuersalem non esse scientiam formaliter speculatiuam; quia scientia speculatiua formaliter, est scientia inferior; methaphysica verò vniuersalis est scientia superior; quia eius obiectum formale in repræsentando, siuè in sciendo, est vniuersalius, quàm obiectum physicæ, & mathematicæ; sed consequens est falsum in communi omnium opinione.

Respondeo namque methaphysicam vniuersalem, non esse scientiam formaliter speculatiuam, neque formaliter practicam in suo gradu; sed tantùm materialiter, & inadæquatè practicam, & inadæquatè speculatiuam: & ratio est; quoniam methaphysica vniuersalis, vna existens in suo gradu, se extendit ad ea, quæ pertinent tàm ad scientias practicas formaliter, quàm ad

scientias speculatiuas; dum eius obiectum formale, tàm in genere entis, quàm in genere scibilis formaliter, reperiatur in obiectis omnium scientiarum inferiorum, & practicarum, & speculatiuarum; obiectum enim in genere entis est ens vt ens, in genere verò scibilis est cognoscibile lumine naturali. Hac ratione S. Thomas probat 1. *par. quæst.* 1. *art.* 4. doctrinam sacram ex reuelatis vt scitis, esse practicam, & speculatiuam materialiter, & inadæquatè; falsum autem est, methaphysicam vniuersalem, in omnium opinione, esse scientiam formaliter speculatiuam; nam iuxtà opinionem, vel principia S. Thomæ, methaphysica, cum sit scientia suprema, neque esse debet formaliter scientia speculatiua, neque practica; sed materialiter, & inadæquatè practica, & speculatiua: quæ opinio licet sit subtilis, & acuta; redditur tamen facilis, & intelligibilis principijs S. Thomæ suprà explicatis, & probatur.

Nam ratio cur Aduersarij dicunt, methaphysicam esse formaliter speculatiuam, duplex est. Prima; quia, inquiunt, non est dabilis vna species scientiæ, quæ non sit, vel formaliter practica, vel formaliter speculatiua; quia scientia diuiditur adæquatè in practicam, & in speculatiuam formaliter. Secunda est; quia methaphysica vniuersalis probat suas conclusiones, resoluendo illas in prima, & vniuersalissima principia; sed hæc est scientia speculatiua formaliter; ergo, &c.

Sed neutra ratio conuincit, non prima; quia scientia, quæ diuiditur in practicam formaliter, & in speculatiuam formaliter, non est scientia in generali vt sic, sed est scientia inferior, quæ est vna species ex infimis speciebus scientiæ; at methaphysica vniuersalis, vel vniuersalissima, est scientia superior, & vniuersalior in sciendo; hæc autem, vt ostendimus, formaliter neque est practica, neque est speculatiua; sicut theologia sacra ex reuelatis vt scitis in superiori scientia non est formaliter; sed tantùm materialiter, & inadæquatè practica, & speculatiua. Neque secunda conuincit; nam modus probandi conclusiones, resoluendo illas ad prima principia in methaphysica vniuersalissima, vel vniuersali, est materialis, non formalis; nam totum hoc præstat methaphysica, non respiciendo formaliter, quod ea, de quibus demõstrat conclusiones, vel prima principia, sint speculatiua, vel practica; sed quod ea sunt scibilia sub ratione scibilis vt sic formaliter, quod est prima ratio cognoscendi omnia, in quibus reperitur, siuè ea sint practica, siuè speculatiua, ad eum modum, v. g. quo theologia sacra ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, cum demonstrat veritates reuelatas, tàm practicas, vt est; Deus est adorandus, &c. vel speculatiuè, vt Deus est Trinus in Personis, & Vnus in essentia, &c. non præstat hoc sub ratione formali, quod Deus est adorandus, est veritas practica: & quod Deus est Vnus in essẽtia, & Trinus in Personis, est veritas speculatiua; sed quia in eis reperitur ratio scibilis vt sic formaliter. Explicatur hoc ipsum etiã in fide diuina, quæ credit veritates reuelatas à Deo, tàm practicas, quàm speculatiuas; non quia illæ sunt practicæ, vel speculatiuæ; sed formaliter quia Deus illas reuelauit. Pariter dicendum de methaphysica vniuersali, & vniuersalissima, quæ proindè materialiter sunt inadæquatè practicę, & inadæquatè speculatiuæ; quia scilicet materialiter tantùm considerant veritates practicas, & veritates speculatiuas, quarum cognitiones dicuntur practicæ, & speculatiuæ materialiter, non formaliter; quia denominantur practicæ, & speculatiuæ ab obiectis materialibus, ad differentiam practici, & speculatiui formaliter, quæ sunt differentiæ sumptæ ex ratione formali obiecti, vt practicabilis formaliter, & ex ratione formali obiecti speculabilis, vt speculabilis formaliter: quæ quidem differentiæ, vt suprà dixi, non diuidunt immediatè, & primò scientiam in generali, quæ est genus primum omnium specierum scientiæ; sed immediatè diuidunt scientiam inferiorem; practicum verò, & speculatiuum, vt sunt differentiæ materiales diuidunt scientiam superiorem, & vniuersaliorem modo explicato, ob eam rationem; quia ratio obiectiua formalis scientiæ superioris, reperitur in veritatibus, tàm speculatiuis, quàm practicis, quod non competit, nec competere potest scientiæ inferiori; quia ratio formalis obiectiua scientiæ inferioris, reperitur formaliter, vel tantùm in obiectis practicabilibus, vel tantùm in obiectis speculabilibus; per hoc enim distinguitur adæquatè scientia inferior à scientia superiori, & vniuersaliori: quod pauci etiam ex Thomistis aduertunt.

Hæc responsio differt à responsione, qua Caietanus 1. *par. quæst.* 1. *art.* 4. soluit hoc ipsum argumentum: etenim Caietanus docet, speculatiuum, & practicum, quatenùs sunt differentiæ formales, non diuidere scientiam in communi immediatè, & primò; sed solùm scientiam finitam, sicut nec visiuum, & auditiuum sunt differentiæ primo

mo diuidentes ſenſum in communi, abſtrahentem à ſenſibus internis, & à ſenſibus externis; ſed immediatè diuidunt ſenſum proprium, & exteriorem in communi: priùs enim ſenſus diuiditur in ſenſum cõmunem, & in ſenſum proprium; poſteà proprius ſubdiuiditur in viſiuum, auditiuum,&c. ità ſcientia in generali, inquit, diuiditur primò in ſcientiam finitam, & in infinitam; poſteà ſcientia finita diuiditur; in ſcientiam ſpeculatiuam, & practicam. Cuius doctrinæ hanc aſſignat rationem; quia vna ratio formalis obiectiua finita non poteſt habere vtramque rationem formalem, & quod ſit regula operandi, & quod ſit in ſe ſcibilis; quęlibet enim, inquit, ex his rationibus formalibus eſt finita. Ab hac doctrina ſolùm differt noſtra reſponſio; quia Caietanus concedit ſcientiam finitam diuidi tantùm, in ſcientiam practicam, & in ſcientiam ſpeculatiuam; nos autem dicimus, eſſe immediatè diuiſibile in practicum, & in ſpeculatiuum formaliter, non competere ſcientiæ, ex eo quod eſt finita, ſed ex eo quod eſt ſcientia inferior vt ſic; nam ſi competeret hoc ſcientiæ ex eo quia finita eſt, adhùc methaphyſica vniuerſaliſſima eſſet diuiſibilis formaliter, in ſcientiam practicam, & in ſcientiam ſpeculatiuam formaliter, quod eſt falſum, & ab omnibus negatur; quia obiectum formale methaphyſicæ vniuerſaliſſimæ materialiter comprehendit obiecta ſcientiarum practicarum, & obiecta ſcientiarum ſpeculatiuarum, idem dico de theologia ſacra ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia.

Fortè dicent Aduerſarij, neque ſcientiam finitam ſuperiorem in ſciendo poſſe eſſe ſimul materialiter inadęquatè practicam, & inadæquatè ſpeculatiuam; nam quandocumque aliquod commune diuiditur per differẽtias oppoſitas; impoſſibile eſt, vtramque differentiam inueniri in vno membro diuiſionis: alioquin eadem ſubſtantia numero poſſet eſſe ſimul, & corporea, & incorporea inadæquatè; ſed ſcientia diuiditur in practicam, & ſpeculatiuam materialiter; ergo non poteſt eadem ſcientia eſſe ſimul practica, & ſpeculatiua, quæ ſunt differentiæ oppoſitæ, & reducuntur ad contradictoria; eadem enim ſcientia numero ordinaretur ad praxim, quæ eſt operatio dirigibilis à ratione practica; & eadem non ordinaretur ad praxim, quia eſt ſcientia ſpeculatiua, cuius finis ſolùm eſt ſpeculari veritates ſui obiecti.

Reſpondeo, concedo maiorem; ſed nego in ſcientia ſuperiori, ſeù vniuerſaliori, practicum, & ſpeculatiuum materialia inadæquatè, eſſe differentias oppoſitas, vel contradictorias virtualiter; nam oppoſitio eſt affirmatio, & negatio vnius de alio reſpectu eiuſdem, & ſecundùm idem; at practicum materiale, & inadæquatum, & ſpeculatiuũ materiale, & inadæquatum in ſcientia ſuperiori, non ſunt reſpectu eiuſdem obiecti; neque ſecundùm idem; ſed reſpectu diuerſorum obiectorum, nimirum eſt practica reſpectu obiectorum practicabilium, & ſpeculatiua materialiter reſpectu obiectorum ſpeculabilium; ſed ſub vna ratione formali communi in cognoſcendo, obiectis ſpeculabilibus, & obiectis practicabilibus.

Quod ſi practicum, & ſpeculatiuum materialiter ſumantur adæquatè in eadem ſcientia; ſine dubio ſunt differentiæ oppoſitæ, & contradictoriæ; quia eſſent differentiæ practicæ, & ſpeculatiuæ materialiter reſpectu eiuſdem obiecti materialis, & ſecundùm idem; contradictio enim inter practicum, & ſpeculatiuum, non eſt ex eo quia practicum, & ſpeculatiuum ſunt differentię formales; ſed ex eo quia ſumuntur reſpeſpectu eiuſdem, & ſecundùm idem; hoc autem prædicatum, reſpectu eiuſdem, & ſecundùm idem, poteſt eſſe tam in ſpeculatiuo, & practico formaliter, quàm in ſpeculatiuo, & practico materialiter; cæterum ſi practicum, & ſpeculatiuum materialiter ſumantur inadæquatè, non ſunt differentiæ oppoſitæ formaliter; quoniam non ſumuntur reſpectu eiuſdem, & ſecundùm idem; ſed ſecundùm diuerſa, & materialiter, & formaliter; non quidem in genere ſcibilis, ſed in genere entis; duplex enim eſt obiectum formale ſcientiæ, vt ſæpe repetiuimus, & in genere entis, ſiuè rei, & in genere ſcibilis.

Tertia concluſio, impoſſibile eſt abſolutè, dari vnam ſcientiam vnitate per ſe formaliter ſpeculatiuam, & formaliter practicam; non ſolùm adæquatè, ſed etiam inadæquatè: ponitur hæc concluſio; quoniam ſuprà oſtendimus dari ſcientiam ſuperiorem in cognoſcendo, quæ materialiter, & inadæquatè, eſt ſimul practica, & ſpeculatiua, ſed non adæquatè; quia practicum, & ſpeculatiuum reſpectu eiuſdem, & ſecundùm idem, ſunt contradictoria, ſiuè obiectum ſit formale in genere ſcibilis, ſiuè ſit materiale in genere ſcibilis; formale verò in genere entis. Remanet nunc examinandum; an vna, & eadem ſcientia ſuperior in cognoſcendo poſſit abſoluta Dei potentia ſaltem eſſe ſimul practica, & ſpeculatiua formaliter aliquo modo; nimirum, vel adęqua-

quatè, vel inadæquatè, & in hoc quæsito loquimur de scientia, vna vnitate per se; etenim scientia dupliciter potest esse vna, vel vnitate per se, siuè ea generica sit, siuè specifica; vel vnitate solius ordinis, siuè ordinata scientifica aggregatione: sicut enim datur ens per se, & ens per accidens; nimirum ens vnius generis, siuè vnius speciei; & ens diuersorum generum, siuè specierum: ens per se, vt homo, vel animal; ens per accidens, vt album, substantia quanta, &c. ità datur vnum per se, & vnum per accidens, idest diuersorum generum, licet inter se ordinatorum. In hac conclusione duo dicimus, primum est, non posse vnam scientiam per se esse adęquatè formaliter practicam, & formaliter speculatiuã, etiam de absoluta Dei potentia; nimirum totam practicam, & totam speculatiuam formaliter. Secundò dicimus, vnam scientiam vnitate per se, siuè ea sit generica, siuè specifica; neque posse esse formaliter inadęquatè practicam, & speculatiuã. Conclusio, quantum ad primam partem, recipitur ab omnibus; quantùm verò ad secundam partem controuersa est: complures enim docti Methaphysici, & Theologi dicunt, non implicare contradictionem, vnam scientiam posse esse simul inadæquatè practicam, & speculatiuam formaliter; sicut non implicat, theologiam ex vtroque principio reuelato, quę est theologia propriè sumpta, posse esse simul naturalem, & supernaturalem inadæquatè, quod acutè probat Marcus Antonius Palumbus in *suo exam. 3. scholast. cap. 4.* hoc medio. Ratio, cur non potest esse vna scientia adæquatè simul formaliter practica, & formaliter speculatiua, est; quia vna, eademque scientia esset secundùm idem practica formaliter, & non practica; at si eadem scientia ponatur inadæquatè practica formaliter, & inadæquatè speculatiua, non sequitur hæc contradictio; quia non ponitur vna scientia secundùm idem practica, & speculatiua: nam ponitur secundùm vnam partem, vel secundùm vnum gradum, practica formaliter; & secundùm alium gradum, vel partem, non practica formaliter.

Hæc sententia dicentium, vnam scientiam posse esse simul inadæquatè formaliter practicam, & formaliter inadæquatè speculatiuam; potest habere duplicem sensum. Primus sensus est, scientiam vnam vnitate per se, siuè generica, siuè specifica, posse esse simul inadæquatè practicã, & inadæquatè speculatiuam formaliter. Secundus sensus est, posse vnam scientiam vnitate per ordinatam scientificam aggregationem, posse esse formaliter inadæquatè simul practicam, & speculatiuam. Contentio esse potest, in quo sensu loquuti fuerint supra citati Auctores: sunt, qui dicunt, quod Palumbus loquutus est de scientia vna vnitate per se; nam asserit theologiam propriè sumptam, quæ scilicet est ex vtroque principio reuelato, posse esse simul inadæquatè naturalem, & supernaturalem; theologia autem ex vtroq; principio reuelato, vt docet idem Auctor eodem *exam. 3. cap. 3.* est vna specificè scientia ad distinctionem theologiæ, quæ procedit ex vno tantùm principio reuelato assumpto, & ex alio naturali; quæ, inquit, non est vnus specie habitus scientificus, & hic habitus est inadæquatè naturalis, & inadæquatè supernaturalis: equidem puto prædictum Auctorem loquutum esse de scientia inadæquatè practica, & inadæquatè speculatiua, materialiter, non formaliter; nam *cap. 4. dicto 3.* docet practicum, & speculatiuum ex vtroque principio reuelato, esse rationes, siuè differentias materiales; an autem eadem possit esse formaliter simul inadæquatè naturalis, & inadæquatè supernaturalis, dicam sequenti conclusione; nunc solùm contendimus, vnam scientiam vnitate per se, non posse esse formaliter adæquatè practicam, & adæquatè speculatiuam; neque posse esse formaliter inadæquatè practicam, & inadæquatè speculatiuam. Ratio primę partis conclusionis est; quia vna eademque scientia secundùm idem, & respectu eiusdem, esset formaliter practica, & non formaliter practica; formaliter speculatiua, & non formaliter speculatiua: tota enim vna scientia esset formaliter practica, & formaliter speculatiua; sed impossibile est contradictoria verificari de eodem secundùm idem.

Ratio secundę partis conclusionis est, quia speculatiuum, & practicum formaliter, sunt rationes adæquatę; sunt enim differentiæ specificæ, cum sint differentiæ formales, diuidentes scientiam; sed implicat ex duabus speciebus scientiæ esse vnam scientiam per se: sicut implicat fieri vnum per se ex homine, & leone; essent enim duæ species secundùm idem rationes adæquatę, & non adæquatę, sicut si ex humanitate, & equinitate fieret vna natura; humanitas esset essentialiter ratio adæquata in specie, & non adæquata in specie; quia esset essentialiter pars speciei.

Dices primò; ratio cur vna scientia per se non potest esse adæquatè formaliter practica, & speculatiua, est; quia esset secundùm idem practica, & non practica; idque autem esset,

eſſet, quia eſt tota practica, & tota ſpeculatiua; ſed hæc contradictio non eſt, ſi ponatur formaliter inadæquatè practica, & inadæquatè ſpeculatiua; quia non eſſet ſecundùm totum practica, & ſecundùm totum ſpeculatiua.

Reſpondeo primò, implicare vnam ſcientiam per ſe eſſe inadęquatè practicam, & inadæquatè ſpeculatiuam ex alio capite contradictionis, quo implicat ſimul vnam ſcientiam eſſe adæquatè practicam, & adæquatè ſpeculatiuam ſimul: nam caput contradictionis eſt; quia implicat, vnam ſpeciem ſcientiæ eſſe partem vnius ſcientię per ſe, ſicut implicat naturam humanam eſſe partem eſſentialem vnius ſpeciei: eſſet enim ratio ſecundùm idem adæquata, & non adęquata eſſentialiter; quandoquidem practicum, & ſpeculatiuum formaliter ſunt duæ ſpecies adæquatę ſcientiæ.

Reſpondeo ſecundò: concedo maiorem, & nego minorem; nam ſi ponatur vna ſcientia formaliter adæquatè practica, adhùc ponitur in prędicta ſcientia practicum, & non practicum ſecundùm idem; quia practicum formaliter, eſt practicum ſecundùm totum, quod ſi ponatur pars eſſentialis vnius ſcientiæ per ſe, eſſet practicum ſecundùm totum, & non practicum ſecundùm totum.

Inſtabis: poſſunt duæ naturę ſpecie diuerſæ vniri inadæquatè in vna ſpecie intelligibili angelica; ſpecies enim intelligibiles angelicæ, ſunt ſpecies vniuerſales in actu; ſed eadem eſt ratio de duabus ſcientijs ſpecie diuerſis; ergo, &c.

Reſpondeo, concedo maiorem, & nego minorem, & diſparitas eſt, quantùm nunc ſatis eſt; quia duæ naturæ ſpecie diuerſæ in eſſe intelligibili, ſunt duæ rationes inadæquatę, & ſolùm sũt rationes adęquatę in eſſe naturali; at duæ ſcientiæ ſpecie diuerſæ, non poſſunt adunari in vna ſcientia in eſſe intelligibili; quia ſcientia ſe tenet ex parte intellectus; non autem ex parte obiecti: eſſe enim intelligibile eſt in genere obiecti, non autem in genere potentię; ſed de hoc fusè ſuo loco.

Inſtabis ſecundò: practicum, & ſpeculatiuum abſtrahunt à practico, & ſpeculatiuo, adæquatis, & inadæquatis; ſed hoc poſito, non implicat, vt adunentur, tamquam rationes inadæquatę in vna ſcientia per ſe, quæ ſit inadæquatè formaliter practica, & formaliter ſpeculatiua; nam ratio cur implicat, eſt; quia ſpeculatiuum, & practicum ſunt rationes adæquatę; at data abſtractione prædicta, de ſe non ſunt rationes adæquatę; ergo, &c.

Reſpondeo; diſtinguo maiorem; practicum, & ſpeculatiuum, vt ſunt differentię formales, ſiuè vt ſunt practicum, & ſpeculatiuum formaliter, præſcindunt à ſpeculatiuo, & practico adæquatis, & inadæquatis, & nego; practicum, & ſpeculatiuum abſtrahendo à practico, & ſpeculatiuo formaliter, & à practico, & à ſpeculatiuo materialiter, & concedo; at nos hic loquimur de practico, & ſpeculatiuo formaliter, quæ ſunt rationes formales ſpecificè diuerſæ.

Dices ſecundò; vna ex rationibus cur vna ſcientia ſuperior, non poſſit eſſe formaliter practica, & formaliter ſpeculatiua, eſt; quia ſcientia ſuperior formaliter, neque eſt ſpeculatiua, neque practica; ſed tantùm materialiter, & inadæquatè eſt practica, & ſpeculatiua: ſed hæc ratio non conuincit, vt probatur; quia methaphyſica vniuerſalis eſt formaliter ſpeculatiua; procedit enim modo ſpeculatiuo in probando ſuas concluſiones: & maiori ratione methaphyſicą vniuerſaliſſima; quia eſt vniuerſalior, & ſuperior, eſt formaliter ſpeculatiua; ergo, &c.

Reſpondeo, concedo maiorem, & nego minorem; ſcientia enim ſuperior in ſciẽdo, non eſt ſpeculatiua; niſi tantùm materialiter, & inadæquatè, vt ſuprà latè oſtendimus. Ad probationem reſpondeo, methaphyſicam vniuerſalem, & vniuerſaliſſimam, (idẽ dico de theologia ſacra ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia) procedere modo ſpeculatiuo materialiter, non formaliter; quia procedunt modo ſpeculatiuo intrà rationem obiecti formalis in genere ſcibilis, quod poſitiuè, & in ſciendo, commune eſt practicabili, & ſpeculabili, vt ſupra latè explicauimus, & confirmatur; quia practicum, & ſpeculatiuum in ſcientia ſuperiori adunantur ſub vna ratione formali, quæ poſitiuè, neque eſt practica, neque ſpeculatiua formaliter.

Quod ſi dicas practicum, & ſpeculatiuum eſſe differentias formales. Reſpõdeo, id verum eſſe in ſcientia inferiori, non autem in ſcientia ſuperiori; quia practicum, & ſpeculatiuum, vt differentiæ formaliter, ſumuntur ex differentijs formalibus obiecti formalis; hoc autem habent in ſcientia inferiori, non autem in ſcientia ſuperiori, vt oſtendimus.

Hoc totum, quod diximus de vna ſciẽtia per ſe in generali, dicendum eſt etiam de methaphyſica vniuerſaliſſima, & theologia ſacra ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia; quia tàm theologia ſacra ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia, quàm methaphyſica vniuerſaliſſima, ſunt vna ſcientia per

per se; quia ambæ habent vnam rationem formalem superiorem, & vniuersaliorem obiectiuam in genere scibilis.

Quarta cõclusio. Implicat, vnam sciẽtiam per se esse simul formaliter naturalem, & supernaturalem; nõ solùm adæquatè, sed etiam inadæquatè. Dupliciter potest vna scientia dici naturalis, vel supernaturalis, materialiter, vel formaliter; materialiter, quia est de obiecto naturali, vel supernaturali materiali; formaliter verò, quando est in ordine ad obiectum formale, vel naturale, vel supernaturale. Hic loquimur de vna scientia naturali, & supernaturali formaliter. Conclusio, quantum ad primam partem, ab omnibus recipitur; quia impossibile est; vnam scientiam secundùm idem esse totam naturalem, & totam supernaturalem; naturale enim, & supernaturale reducuntur ad contradictoria, quæ non possunt conuenire vni, & eidem secundùm idem. Controuersia est; an vna scientia per se possit esse formaliter inadæquatè supernaturalis, & inadæquatè formaliter naturalis.

Marcus Antonius Palumbus *loco supr. cit. dicto 3.* tuetur, theologiam sacram propriè sumptam, quæ est ex vtroque principio reuelato posse esse formaliter inadæquatè naturalem, & supernaturalem, idque probat; quia nulla est contradictio, vt vna scientia sit inadæquatè naturalis, & supernaturalis; quia contradictio est secundùm idem; at si ponatur vna scientia inadæquatè naturalis, & inadæquatè supernaturalis, non est secundùm idem vna scientia naturalis, & supernaturalis, quod explicat exemplis; nam vna, & eadem res potest esse secundùm suam naturam naturalis, & secundùm potentiam supernaturalem, supernaturalis; sic, inquit, accidens supernaturale secundùm suam rationem specificam, dicunt aliqui, est supernaturale; sed secundùm esse, in, est naturale; quia communicat in esse, in, vniuocè cum accidente naturali: sic, secundùm aliquos, vnio hypostatica Corporis Christi cum Verbo Diuino secundùm suam speciem, est supernaturalis; quia eleuatur ad esse supernaturale Verbi Diuini; sed secundùm suam entitatem est ens materiale; quia est modus: modus autem non est ens; nisi entitate sui modificati, quod est materiale nimirum Corpus. Sed totus hic discursus licet doctus, & acutus, non conuincit, vt infrà dicetur. Fundamentum secundæ partis conclusionis est simile præcedenti; quia naturale, & supernaturale formaliter, sunt differentiæ formales, quæ constituunt diuersas species; at implicat vnam scientiam per se in esse entitatiuo, quod contradistinguitur ab esse intelligibili, includere formaliter, in vnam rationem formalem, duas differentias formales specificas in re finita; nam in re infinita naturale, & supernaturale non sunt differentiæ oppositæ; ergo, &c.

Ratio Palumbi non difficilè soluitur; naturale enim, & supernaturale in vna specie per se scientiæ, dicunt affirmationem, & negationem eiusdem de eodem secundùm idem, & in hoc sensu nos loquimur hìc de vna scientia; in scientia verò, quæ est vna solùm ordine, & ordinata scientifica aggregatione; sine dubio non sunt secundùm idem, & consequenter nulla est contradictio, & fortè in hoc sensu loquitur doctus Palumbus; sed in hoc sensu, nos hìc non loquimur de scientia vna. Ad primum exemplum, quod vna res potest esse naturalis secundùm suam naturam, & supernaturalis secundùm potentiam; vera est hæc propositio de vna re, non quidem vnitate per se, sed vnitate per solam ordinatam vnionem vnius cum alio; v. g. intellectus creatur eleuatus lumine gloriæ, non est vnus vnitate per se; sed vnus vnitate ordinatæ vnionis, & eleuationis; conclusio autem loquitur de scientia vna vnitate per se, quæ est vna per vnionem vnius gradus cum alio in eodem genere. Ad secundùm exemplum de accidente supernaturali. Respondeo, accidens supernaturale non esse, secundùm quod accidens naturale; sed præscindere à naturali, & supernaturali. Nec aliquid probat cum dicitur, accidens supernaturale vniuocari cum accidente naturali; nam hæc vniuocatio non est in esse naturali, sed in ratione abstrahente à naturali, & supernaturali. Ad tertium exemplum de vnione hypostatica Corporis Christi cum Verbo Diuino. Respondeo, quod vnio hypostatica, secundùm quod est modus formaliter, neque est materialis, neque est spiritualis; quia hæc sunt prædicata entis formaliter; modus autem formaliter non est ens; & ideò hæc vnio, proùt est modus Corporis, est materialiter ens materiale, proùt est modus Animæ Christi Domini, est spiritualis; sed materialiter, vt suo loco fusè probabitur.

Quinta cõclusio. Implicat, methaphysicam vniuersalissimam adæquatè simul esse subalternantem, & subalternatam; inadæquatè autem non implicat esse subalternantem, & subalternatam; sed istæ duæ differentiæ subalternatæ, & subalternantis scientiæ; sunt idem in methaphysica vniuer-

uersalissima realiter, siuè materialiter, sicut actio, & passio in motu. Prima pars conclusionis, asserens implicare methaphysicam vniuersalissimam esse simul subalternantem, & subalternatam; probatur: quia scientia subalternans, & scientia subalternata, sunt duæ species scientiæ formaliter, & essentialiter diuersæ; sed implicat methaphysicam vniuersalissimam, cum sit vna scientia per se essentialiter finita, rapere ad suam rationem formalem, & specificam duas species oppositas, & diuersas formaliter; ergo, &c.

Secunda pars, quod non implicat esse inadæquatè subalternatam, & subalternantem; probatur: quia in scientia superiori ratio subalternati, & subalternantis in sciẽdo, sunt idem realiter, siuè materialiter, non autem formaliter; sunt enim, sicut actio, & passio in motu; sed actio, & passio sunt in vno motu respectu diuersorum; ergo etiam ratio formalis subalternati, & subalternantis possunt esse in vna methaphysica, vt rationes inadæquatę; nimirum, quarum quęlibet non adæquat vnam methaphysicam; sicut sola actio non adæquat motum.

Quod si dicas methaphysica, cum sit vna scientia per se, non potest esse formaliter inadæquatè practica, & inadęquatè formaliter speculatiua; sed eadem est ratio de scientia subalternata, & scientia subalternante: sicut enim practicum, & speculatiuum sunt differentiæ formales scientiæ; ita subalternans, & subalternatum in scientia.

Respondeo, assignando disparitatem; nam scientia est subalternata respectu superioris scientiæ; subalternans verò est respectu inferioris scientiæ in vna realitate, vel subiecto, quæ duo prædicata conuenientiam habent cum actione, & passione in eodem motu; at practicum, & speculatiuum, cum sint respectu obiecti, vel formalis, vel materialis, & non respectu mobilis, & mouentis; non possunt habere hoc, vt conueniant secundùm proprias rationes formales in eadem scientia; sicut esse subalternatum, & esse subalternans in ratione scientiæ: & ex hac ratione deducitur probatio tertiæ partis conclusionis, quod subalternans, & subalternatum in vna eademque scientia se habent, vt rationes formales in eodem subiecto; sicut se habent actio, & passio in motu.

Dices vltimò; theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, & methaphysica vniuersalissima, sunt principia formalia actus practici, & actus speculatiui formaliter; sed hoc non potest esse, nisi ponantur prædictæ scientiæ inadæquatè practicæ, & inadæquatè speculatiuæ formaliter: operatio enim formaliter, est expressio sui principij formalis, vel formaliter, vel virtualiter: v. g. calefactio est expressio, siuè participatio calefactiui, vel formaliter, vel virtualiter: idem dico de cęteris; ergo prædictæ scientiæ debent esse inadæquatè formaliter, vel virtualiter practicæ, & speculatiuæ; non autem materialiter, & inadæquatè. Præterea ex alio capite videtur repugnare, prædictas scientias esse materialiter practicas, & speculatiuas modo explicato; quia adhoc requiritur, vt eæ sint vna scientia superior infinita; nam ad hoc requiritur, vt scientia superior practicum, & speculatiuum, quatenùs sunt differentiæ materiales, adunet sub vna ratione formali superiori, ob illam regulam; perfectiones, quæ sunt dispersæ in inferioribus, vnificantur in superiori; sed methaphysica, & theologia, vt scientiæ superiores, sunt finitæ formaliter; etiam si attingant Deum, qui est obiectum infinitum; quoniam attingunt Deum modo finito, & huius ratio à priori est; quia Deus cognoscitur ab intellectu creato; non quia intelligibile infinitum, sed quia in Deo est ratio intelligibilis vt sic, vt suo loco probabitur.

Respondeo ad primam, & ad secundam instantiam, theologiam sacram viatorum, & methaphysicam vniuersalissimam esse principium formale actus speculatiui, & actus practici; quatenùs actus speculatiuus, & actus practicus sunt differentiæ materiales; nimirum, quatenùs practicum, & speculatiuum adunantur sub vna ratione formali, & superiori in cognoscendo; non autem quatenùs sunt actus circa diuersa obiecta formalia; ad hoc autem non requiritur, vt scientia superior sit infinita; sed satis est, vt sit tantùm superior in cognoscendo, & in repræsentando; ex opposito autem ad hoc, vt practicum, & speculatiuum, vt differentiæ formales, adunentur in vnam rationem formalem sciendi, requiritur, vt ratio superior adunans sit infinita; quia adunatio formalis est adunatio in ratione actus, qui autem actus non adunat formaliter, nisi ex sua infinitate; hæc autem ratio non reperitur in adunatione, qua adunantur practicum, & speculatiuum, vt differentiæ materiales. Vel dici potest secundò, quod adunatio, quæ est ex infinitate rationis formalis adunantis, est, quando rationes, quæ adunantur sunt adæquatæ; non verò quando rationes formales, quæ adu-

nan-

nantur sunt inadęquatæ; ob hanc rationem plures quidditates adunantur in esse intelligibili, in vna specie intelligibili angelica, & non in vna forma naturali; quia scilicet plures quidditates in esse intelligibili sunt rationes inadæquatæ, & consequenter materiales; nequeunt autem adunari in esse naturali in vna forma naturali superiori finita; quia in esse naturali sunt rationes adæquatæ: pariter in re nostra, practicum, & speculatiuum, vt differentiæ materiales, sunt differentiæ inadæquatæ; quatenùs verò sunt differentiæ formales, sunt rationes adæquatæ; proindè, vt differentiæ materiales, possunt adunari in vna scientia superiori finita; quatenùs verò differentiæ formales, neutiquam.

Quod si dicas: hæc doctrina explicatur à Caietano exemplo sensus interioris communis, qui sentit quidem, & cognoscit materialiter obiecta sensuum exteriorum; sed hoc non præstat, quia adunat materialiter actum videndi, & actum audiendi; sed præcisè suo actu formali cognoscit eadem obiecta, quatenùs in eis reperitur ratio sensibilis, quod est obiectum formale sensus communis; sicut intellectus cognoscit bonum, quod est obiectum formale voluntatis, non quia intellectus adunat in ratione potentiæ intellectiuæ rationem volitiuam; ergo methaphysica vniuersalissima (idem dico de theologia sacra viatorum) cognoscit obiecta scientiarum inferiorum, & practicarum, & speculatiuarum; non quia adunat in vnam rationem formalẽ, practicum, & speculatiuum, quatenùs sunt differentiæ materiales; sed potiùs, quia adunat practicum, & speculatiuum, vt sunt differentiæ formales; quam adunationem formalem, quia non habet sensus communis, hic non adunat in rationem sensus communis actum videndi, & audiendi, vt sunt differentiæ materiales.

Respondeo primò, datam doctrinam explicari à Caietano exemplo sensus communis, & etiam exemplo intellectus creati humani; quia actus sensuum exteriorum, adhùc materialiter adunantur in actum superiorem sensus cõmunis; quia sensus cõmunis, vt sensus cõmunis, est sensitiuus visibilis materialiter, & hic actus est visio materialis; & etiã quia species visibilis, & species audibilis adunantu etiam materialiter in specie sensibilis sensus communis, est species vniuersalior, & superior, quàm sit quælibet species sensibilis sensus inferioris; & sic sensus communis, adhùc materialiter audit, & odorat; neque per hoc distrahitur à sua ratione formali sensus communis; vel non distinguitur, vt species superior à specie inferiori à quolibet sensu inferiori, & exteriori: aliud enim est audire, vel videre formaliter; aliud est audire, vel videre materialiter. Primum est proprium sensus exterioris particularis; hoc secundùm verò competit sensui communi ex sua superioritate, quam habet supra sensus externos, & particulares.

Communiter adhoc argumentum respondere solent, paritatem non esse vniuocam, sed analogicam, quæ non est in omni prædicato; sed in aliquo; sed hæc est fuga potius, quam solutio.

Relinquitur in hac quæstione articulus; an methaphysica vniuersalissima sit vna simplex qualitas; an composita: quia resolutio methaphysica debet esse plena; prædictus autem articulus non potest perfectè resolui, nisi perfectè explicetur modus, quo fit intensio qualitatis, quam difficultatem speciali quæstione examinabimus.

---

## ARTIC. DECIMVS TERTIVS.

### Vtrum Methaphysica vniuersalissima, & theologia sacra ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, sint sapientia formaliter.

SApientia est duplicis generis, alia est moralis, & alia est intellectualis. Moralis, est virtus existens in voluntate, mouens, & inclinans intellectum ad iudicandum de ordinatis, & rectis operationibus; secernendo illas ab inordinatis, & apparentibus, quas debemus agere in ordine ad finem virtutum moralium, quæ in nobis existunt, & hæc sapientia est donum Spiritus Sancti, quod est infusum per se a Deo. Sapientia verò intellectualis, est habitus sciẽtialis supremus existens in intellectu, quæ definitur ab Aristotele 1. *methaph. cap. 2.* scientia altissima, idest, de causa altissima, & suprema per principia prima, & vniuersalissima; & hæc etiam ordinat inferiores habitus sibi subordinatos ad finem suum altissimum, & iudicat de eorũ discursibus, & principijs; sed diuerso modo, quo moralis iudicat, & disponit de agẽdis ab inferioribus scientijs; sapientia .n. intellectualis id pręstat per modũ cognitio-

tionis præcisè, vt docet S. Thomas 1. *par. quæst.* 1. *art.* 6. *ad* 2. sumendo, nimirum, regulas de agendis ex inclinatione virtutum moralium in voluntate inexistentium, quæ subministrant, & suggerunt rectum dictamen de agendis intellectui: sapientia verò intellectualis id præstat ex altitudine, & excellentia, qua considerat altissimam, & supremam causam; sumendo regulas de agendis, ex principijs scientificis practicis: & explicatur; quoniam sapientes sapientia, quæ est donum Spiritus Sancti, iudicant, & ordinant de agendis ad consequendum finem virtutum moralium, quibus ordinantur ad finem altissimum, quæ est visio beatifica; sapientes verò sapientia intellectuali, etiam si sint pessimi habituati, & vitiosi; si solùm habeant regulas in intellectu de rectis operationibus, sunt sapientes hac sapientia intellectuali. Iudicium de agendis in ordine ad finem virtutum moralium, quod pertinet ad sapientiam moralem, dicitur iudicium per modum inclinationis; sicut qui habet habitum virtutis moralis; rectè iudicat de ijs, quæ ducunt ad finem virtutum, ad quem inclinatur; & ideò 10. *Ethicorum* dicitur, quod virtuosus est mensura, & regula actuum humanorum; iudicium verò de agendis, quod præstat sapientia intellectualis, dicitur iudicium de agendis per modum cognitionis præcisè; sicut aliquis instructus in scientia morali potest iudicare de actibus virtutis, etiam si virtutem non habeat; quia hoc iudicium est ex scientia morali acquisita per actus intellectuales, regulatis principijs, & regulis scientificis. In hoc articulo loquimur de sapientia intellectuali, quæ est formaliter habitus intellectus, sicut est habitus scientiæ; & huiusmodi sapientia, vt docet S. Thomas 1. 2. *quæst.* 57. *art.* 2. *ad primum*, est quædam scientia, inquantùm habet id, quod est commune scientijs omnibus, vt scilicet ex principijs conclusiones demonstret; sed quia habet aliquod proprium, inquantùm scilicet de omnibus iudicat, & non solùm quantùm ad cõclusiones; sed etiam quantùm ad principia prima; ideò habet rationem perfectioris virtutis, quam scientia. Clarissimè etiam id docet S. Thomas super Boetium *de Trinit. art.* 2. *ad primum*, his verbis. *Sapientia non diuiditur contra scientiam, sicut oppositum contra oppositum: sed quia se habet ex additione ad scientiam*.

Sapientia intellectualis à S. Thoma 1. *par. quæst.* 1. *art.* 6. diuiditur in sapientiam in aliquo genere tantùm, & in sapientiam simpliciter; sapientia in aliquo genere tantùm est, quæ considerat causam altissimam illius generis: vt in genere ædificij artifex, qui disponit formam domus, dicitur sapiens architectus respectu inferiorum artificum, qui dolant ligna, & parant lapides; & hanc ob causam 1. ad Corinthios 3. dicitur (*vt sapiens architectus fundamentum posui*. Et in genere totius humanę vitę prudens, dicitur sapiens, inquantùm ordinat humanos actus ad debitum finem, de quo Prouerbiorum 10. dicitur. Sapientia est viro prudentia. Sapientia verò simpliciter dicitur à S. Thoma, illa, quæ considerat altissimam causam totius vniuersi, quæ est Deus, & in hoc sensu sapientia dicitur esse diuinorum cognitio ab Augustino 12. *de Trinit.*

Verùm hinc difficultas oritur; quia sapientia simpliciter non est, nisi vna tantùm: sapientia enim simpliciter est, quæ considerat altissimam, & primam omnium causam; cum hęc sapientia contradistinguatur à sapientia in aliquo genere; sed causa altissima non est, nisi vna tantùm; ergo sapientia simpliciter non potest esse, nisi vna tantummodo; sed hoc non recipitur ab omnibus; nam S. Thomas *loco supra cit.* asserit, quod theologia sacra viatorum ex reuelatis; nimirum ex scitis in superiori scientia, est sapientia simpliciter. Bernardinus Mirandulanus, & Ægidium *locis supra cit.* dicunt adhùc methaphysicam vniuersalissimam esse sapientiam simpliciter; istæ autem duæ scientiæ, siuè sapientiæ, vt suprà latè ostendimus, sunt specie essentiali diuersæ, & distinctæ. Ad hanc difficultatem.

Respondent aliqui, quod theologia sacra viatorum, quę est ex reuelatis, vt scitis in superiori scietia, est sapientia inter omnes sapiẽtias humanas: & huius hanc assignant rationem; quia considerat causam altissimam, quæ est Deus, secundùm quod est cognoscibilis lumine diuinæ reuelationis ex accidenti pro statu viæ.

Quod si eis opponas, hanc responsionem esse contrariam doctrinæ S. Thomæ, qui *art.* 6. *supra cit. in corp.* docet quod theologia sacra viatorum est maximè sapientia inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantùm; sed simpliciter, idque probat; quia theologia sacra considerat Deum, secundùm quod est altissima causa omnium, non solùm naturalium; sed etiam supernaturalium; nimirum, non solùm quantùm ad illud, quod est per creaturas naturales cognoscibile (quod Philosophi solo naturæ lumine cognouerunt, vt dicitur ad Romanos 1. quod notum est Dei, manifestum est in illis); sed etiam quantùm

 ad

ad id, quod notum est sibi soli de seipso, & alijs per reuelationem, communicatum.

Respondere possunt, theologiam sacrã viatorum, dupliciter sumi posse; vel secundùm se, siuè secundùm suam naturam; vel proùt ex accidenti est in statu viæ: si primo modo consideretur; dicunt, theologiam sacram viatorum esse sapientiam simpliciter: si verò secũdo modo, dicunt, esse sapientiam in determinato genere; quia restringitur ad theologiam, quæ considerat Deum, tantummodò vt cognoscibilem lumine diuinæ reuelationis in statu viæ.

Sed hæc responsio non satisfacit, nec euacuat difficultatem; nam difficultas est hæc, quod sapientia de altissima causa secundùm se, non potest esse nisi vna; quia vna tãtummodò est causa altissima entium omnium, & naturalium, & supernaturalium; distinctio enim, & multiplicatio formalis sapientiæ est ex multiplicatione formali causæ primæ, & altissimæ; sed hæc simpliciter, & absolutè non est nisi vna; ergo non potest dari nisi vna tantùm sapientia simpliciter; at hoc est falsum, quia, vt infrà probabimus, methaphysica vniuersalissima, adhùc est sapientia simpliciter; & tamen hæc methaphysica vniuersalissima est, specie essentiali, condistincta à theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, secundùm se, siuè secundùm suam naturam, considerata.

Prima conclusio. Methaphysica vniuersalissima est sapientia intellectualis formaliter. Intelligitur, nomine methaphysicę vniuersalissimæ, methaphysica, quæ est de ente reali vt sic, abstrahente in recto ab ente reali naturali, & ab ente reali supernaturali, tàm positiuis, quàm negatiuis; posita tamen fide diuina, vt conditione manifestante veritates rerum tàm naturalium, quàm supernaturalium; quæ quidem methaphysica, vt suprà ostendimus, specie essentiali condistinguitur à theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia; non solùm, quia eius obiectum formale in genere scibilis est diuersum specificè ab obiecto formali, adhùc in genere scibilis theologię sacrę viatorum; sed etiam quia habet diuersum obiectum formale, adhùc in genere entis: habet quidem obiectum formale diuersum in genere entis; quia obiectum formale theologiæ sacrę viatorum in genere entis, vel est Deus, vt Deus, vel est ens restrictum ad ens, quod est cognoscibile lumine diuinæ reuelationis; obiectum verò formale in genere entis methaphysicæ vniuersalissimæ, est ens abstractius, & vniuersalius; nimirum, ens, quod est cognoscibile lumine, abstrahente à lumine claro, & obscuro: cuius ratio est; quia se extendit, non solùm ad obiectum theologiæ sacræ viatorum, quod est cognoscibile ex accidenti lumine obscuro, quod est lumen fidei diuinæ; sed etiam ad obiectum methaphysicæ naturalis, quod est cognoscibile lumine claro, & euidente; quia est cognoscibile medio intrinseco: & etiam ad suum obiectum, vt cognobile in superiori scientia: habet verò obiectum diuersum in genere scibilis; quia obiectum methaphysicæ vniuersalissimæ, est abstrahibile, tùm abstractione præcisiua, tùm positiua superiori, & vniuersaliori, quàm sit abstrahibilitas à materia subiectiua, & obiectiua obiecti theologiæ sacræ viatorum; sapientia autem, quæ est prædicatum quæsiti, intelligitur sapientia formaliter, abstrahens à sapientia in aliquo genere tantùm, & à sapientia simpliciter; sunt enim hæc duo diuersa quæsita, an methaphysica vniuersalissima sit sapientia formaliter in aliquo genere tantùm; & an sit sapientia simpliciter: sicut sunt diuersa quæsita; an Petrus sit animal, & an Petrus sit homo, vel rationalis; diuersa pariter quæsita sunt, an theologia sacra viatorum, sit scientia in generali, & an sit sapientia; etenim sapientia simpliciter est species superior scientiæ, quàm sit sapientia in aliquo genere tantùm.

Conclusio controuerti potest adhùc inter eos, qui eam admittunt, saltem de possibili; ratio dubitandi esse potest; quia sapientia formaliter, est scientia de altissima, & suprema causa, vt de obiecto suo formali; nimirum, habet pro suo obiecto formali causam altissimam, & supremam, abstrahendo à causa prima, & suprema in aliquo tantùm genere, & à causa prima, & suprema simpliciter; sed methaphysica vniuersalissima non considerat causam supremam, & altissimam, vt suum obiectum formale, sed vt suum obiectum materiale: causa enim suprema, & altissima in ratione entis est Deus; at Deus consideratur materialiter à methaphysica vniuersalissima: consideratur enim Deus à methaphysica vniuersalissima; quia est ens reale vt sic, vel quia est scibile vt sic. Hac ratione S. Thomas 1. *par. quæst.* 1. *art.* 6. *in fine corp.* probat, theologiam sacram viatorum, esse proprijssimè sapientiam; quia theologia sacra scientificè tractat de Deo, secundùm quod est altissima causa, & naturalis, & supernaturalis. Cuius ratio à priori est; quia sapientia, cum sit superior scientia, sui specificationem sumit

mit à suo obiecto formali, non ab obiecto materiali; obiectum autem, siuè subiectum formale theologiæ sacræ, vt docet S. Thomas *art. 7. cit. quæst.* est Deus, vt Deus, vel formaliter secundùm Deitatem, vel vt terminus attributionis, & ordinis, quem habent cætera tractata in theologia ad ipsum Deum. Hoc nõ obstante, conclusio vera est, & probatur à priori; quoniam methaphysica vniuersalissima habet pro suo obiecto formali, primam rationem essendi simpliciter; sed hoc satis est, vt sit sapientia formaliter; ergo methaphysica vniuersalissima est sapientia formaliter. Maior est certa; quia obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ, est ens reale vt sic; hoc autem est prima ratio essendi simpliciter, quia est primum in quocumque ente, tàm positiuo, quàm negatiuo; tam in creaturis, quàm in Deo. Minor verò probatur; quia sapientia, vt supra diximus, cum sit scientia suprema, esse debet de altissima, & suprema causa sciendi, abstrahendo à prima causa in aliquo genere tantùm; & à prima causa simpliciter; sed ens reale vt sic, est prima, & altissima causa sciendi; est enim causa altissima virtualis demonstrandi de quolibet ente, tàm creato, quàm increato, passiones trascendentales; nam inter cætera, de ente probat vnitatem, veritatem, & bonitatem; causa enim virtualiter, cur vnumquodque sit vnum, verum, & bonum, est; quia ens est, vt suprà latè ostendimus: & confirmatur discursus; nam ex hac altitudine, & primitate causę virtualiter, methaphysica vniuersalissima habet duo munera præcipua sapientiæ, quæ sunt, iudicare de inferioribus scientijs, & ordinare easdem ad finem supremæ scientiæ: & radix prima huius est; quia obiectum formale, & primarium methaphysicæ vniuersalissimæ, est prima ratio essendi ens; hæc autem est prima causa virtualiter omnium, quæ conueniunt obiectis scientiarum inferiorum; finis autem supremus, & altissimus supremę scientiæ, est scire omnia, & difficillima scitu, de quibus tractant etiam scientiæ sibi inferiores; at in omnium opinione, scientia, quæ habet hæc duo munera, est formaliter sapientia; scientia verò, quæ hæc non habet, est pura scientia, vel in generali, vel est scientia inferior, quæ est specie essentiali contradistincta à sapientia. Quomodo verò se ingerat methaphysica vniuersalissima in cognitionem scientiarum sibi subordinatarum; corrigendo, nimirum, earum discursus, si quando errarent, vel quando male etiam de actibus moralibus discurrerent, dogmata stabiliendo, & regulas; longa quæstio est Scholasticis; solutio tamen facillima est: se ingerit enim in scientias inferiores, earum discursus corrigendo, & ordinando, &c. tùm quia obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ, reperitur formaliter in obiectis omnibus scientiarum inferiorum, & sibi subordinatarum; tùm quia discurrit per principia vniuersalissima, & prima, quæ sunt vera veritate immobili simpliciter; etenim omne primum, & vniuersalissimum, cum sit irresolubile in aliud prius, & vniuersalius, est simpliciter immobile; nimirum est omninò incapax motus resolutionis in aliud prius, & vniuersalius. Hæc ipsa ratio est causa, cur methaphysica vniuersalissima descendat ad explicandam rationem quanti dimensiui, rationem materiæ primæ, & aliorum prædicatorum, quæ sunt propria prædicata obiectorum scientiarum inferiorum; quod nonnullis est argumentum, ad probandam, methapysicam non esse scientiam distinctam, à physica, & à mathematica.

Sed solutio facillima est; agit enim de his omnibus methaphysica vniuersalissima, inquantùm rationes vniuersales, & trascendentes, quæ sunt prædicata obiecti methaphysicæ, reperiuntur in obiectis scientiarum inferiorum, v. g. in materia prima reperitur, non solùm ratio potentiæ, quæ est prima differentia entis; sed ipsa ratio entis realis formaliter; ità etiam dicito de quanto dimensiuo, & de cæteris.

Neque huic doctrinæ obstat, ratio dubitandi suprà explicata, quod sapientia, vt sapientia formaliter, contradistinguitur à scientia in generali, vt species superior à suo genere; eo quia sapientia, est de causa altissima, & suprema formaliter; sed methaphysica vniuersalissima non est de causa altissima, & suprema formaliter; ergo, &c.

Non, inquam, hæc ratio obstat; quoniam sapientia, vt sapientia formaliter, est de causa altissima formaliter præscindendo à causa altissima, quæ est prima causa virtualis omnium passionum, quæ demonstrãtur de subiecto; & à causa altissima, & prima efficiente extrinseca, vel finali: istę enim duæ causæ altissimæ, & supremæ, sunt obiecta formalia diuersarum sapientiarum; & in specie methaphysica vniuersalissima, est formaliter de altissima, & suprema causa virtuali passionum, quæ demonstrantur de subiecto scientiæ, & hæc est prima, & vniuersalissima ratio essendi ens realiter; quia hæc ratio essendi realiter ens, est causa præcipuarum passionum, quæ sunt Vnitas, Veritas, & Bonitas.

Quod si primò obijcias. Sapientia formaliter, cum sit scientia perfecta, & rigorosa, debet esse vna, vnitate vniuoca; vnitas autem vniuoca scientiæ sumitur ex vnitate obiecti formalis; at methaphysica vniuersalissima non potest esse vna vnitate vniuoca in ratione scientiæ; quia eius obiectum formale, & primarium, est ens vt sic, quod dicitur de Deo, & de creaturis analogicè, non vniuocè.

Respondeo ex dictis præcedente articulo; ens reale, quod dicitur de creaturis, & de Deo, prout sunt in suis modis essendi realibus, & naturalibus, esse analogum; prout verò dicitur de eisdem, quatenùs sunt entia repræsentabilia nostro intellectui cognitionibus inadæquatis, & imperfectis, ex perfectionibus diuisis in creaturis, esse vniuocum in ratione entis, & non analogum, vt probabitur cum Scoto *quæst. 3.* & etiam in ratione scibilis, vt similiter præcedente articulo ostendimus.

Quod si secundò dicas. Methaphysica vniuersalissima, vt sapientia formaliter, siuè vt scientia superior, distinguitur specie essentiali à theologia sacra viatorum; at si methaphysica vniuersalissima ponatur esse scientia de ente reali, abstrahente ab ente naturali, & ab ente supernaturali, cognoscibili in statu vitæ, lumine obscuro fidei diuinę, non distinguitur specie essentiali à theologia viatorum, quæ est ex reuelatis vt scitis in superiori scientia; ergo, &c. Minor probatur; tùm quia theologia sacra viatorum considerat Deum, vt primam causam, & naturalem, & supernaturalem; distinctio autem vnius sapientiæ ab alia, est ex diuersitate causæ primæ, quam considerat sapientia; tùm etiam quia methaphysica vniuersalissima adæquatè scientificè tractat de omnibus, de quibus tractat theologia sacra viatorum.

Respondeo, distinguo maiorem; methaphysica vniuersalissima, specie condistinguitur à theologia sacra viatorum per diuersitatem formalem sui obiecti formalis, & concedo: per diuersitatem, siuè diuisionem materialem sui obiecti, & nego: in re nostra, obiectum formale methaphysicæ vniuersalissimæ, nō solùm in genere entis; sed etiam in genere scibilis, est formaliter diuersum, & vniuersalius in ratione causę passionum, vt supra in explicatione conclusionis ostendimus.

Secunda conclusio. Methaphysica vniuersalissima est sapientia formaliter, non quidem in aliquo genere tantùm; sed simpliciter. Conclusio hæc, nisi rectò, & proprio sensu explicetur, potest esse controuersa: & ratio dubitandi est; quia sapientia simpliciter est vna tantùm; nam sapientia simpliciter, est sapientia de altissima, & suprema causa simpliciter; at prima, & suprema causa simpliciter vna est: sed dantur aliæ sapientiæ simpliciter; quoniam theologia sacra viatorum, vt docet S. Thomas 1. *par. quæst.* 1. *art.* 6. *in corp.* est maximè sapientia inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantùm, sed simpliciter, quod probat S. Thomas hoc medio, theologia sacra scientificè tractat de Deo, secundùm quod est altissima causa, & rerum naturalium, & rerum supernaturalium; insuper methaphysica supernaturalis secundùm substantiam, quæ est per se infusa in beatis secundùm substantiam, est adhùc sapientia simpliciter.

Sed hæc ratio dubitandi, distinctione facilè soluitur; quandoquidem sapientia simpliciter contradistinguitur à sapientia, quæ est in aliquo genere; hæc autem contradistinctio est per hoc quia sapientia in genere est limitata ad vnum tantùm genus; sapientia verò simpliciter est extrà determinatum genus; hoc autem habet latitudinem: alia enim sapientia est extrà vnum, vel plura determinata genera scibilis; quia scilicet eius obiectum formale est vniuersalius vno, vel pluribus determinatis generibus sapientiæ, seù scibilis: alia verò sapientia simpliciter est extrà quodlibet genus determinatum sapientiæ, siuè scibilis, v.g. methaphysica Aristotelis, est sapientia intellectualis in vno tantùm genere sapientiæ, nimirum in genere sapientiæ, quæ est de primo scibili positiuo, solo naturæ lumine cognoscibili: methaphysica vniuersalissima, quam ponunt Berardinus Mirandulanus, & Ægidius *locis supra cit.* est sapientia simpliciter, quatenùs est extrà genus sapientiæ, quæ est de cognoscibili positiuo solo naturæ luminæ: quia hæc sapientia, est de ente reali, quod in recto prædicatur de ente reali positiuo, & de ente reali negatiuo; methaphysica verò Aristotelis est de ente reali naturali positiuo in recto. Verùm methaphysica vniuersalissima dicitur sapientia simpliciter; quia est extrà plurium sapientiarum genera; nimirum, est extrà genus sapientiæ, quæ est de primo scibili naturali positiuo, & extra genus sapientiæ, quæ est de primo scibili abstrahente à positiuo, & negatiuo in recto, & sic de cæteris vsque ad sapientiam simpliciter, quæ est extrà omne genus determinatum sapientiæ; ex sapientijs enim inferioribus, vna est extrà genus

nus alterius, quia obiectum formale vnius est vniuersalius obiecto alterius.

Neque obstat, si dicatur, quod omnis sapientia intellectualis scientificè tractat de Deo, qui est causa altissima, & suprema omnium simpliciter: non, inquam obstat; quia altissima, & suprema causa, quæ est Deus, dupliciter potest considerari; vno modo secundùm totam suam latitudinem perfectionis; alio modo, secundùm quod est participabilis à creaturis in superiori, & superiori gradu perfectionis in infinitum; si primo modo consideretur, non est dabile aliud superius, & vniuersalius, Deo; si verò consideretur secundo modo, Deus, vt participabilis in superiori, & nobiliori gradu perfectionis, potest dici superior seipso, non quidem formaliter; sed virtualiter, quatenùs est participabilis in gradu inferioris perfectionis: e. g. Deus, vt participabilis in gradu intellectiuo à creaturis, est superior, & nobilior seipso virtualiter, quatenùs scilicet est participabilis in gradu viuentis, siuè corporis, & quidem de Deo, secundo modo considerato, possunt esse plures sapientiæ intellectuales, quarum vna est superior, & vniuersalior alia: e. g. methaphysica vniuersalis Aristotelis, quæ est sapientia purè naturalis, considerat quidem Deum, qui est prima, & suprema causa, sed quatenùs est causa entium tantùm naturalium; methaphysica verò vniuersalissima, adhùc considerat Deum, quatenùs est causa in genere entis rerum naturalium, & supernaturalium, vel quatenùs est causa entis abstrahentis à naturali, & supernaturali, & sic de cæteris.

Ex hac explicatione, & doctrina, soluitur instantia suprapòsita ad probandum, non esse dabiles tot sapientias simpliciter, sicut causa altissima non est, nisi vna; nam.

Respondetur, quod sapientia simpliciter duplex est; alia extra omne genus, siuè alia est sapientia primi scibilis in tota sua latitudine formali; & hæc est vna tantùm: & alia est extrà vnum, vel plura genera sapientiæ, & hæc potest esse multiplex, sicut multiplex est genus scibilis.

Tertia conclusio. Theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, est formaliter sapientia, non quidem in aliquo genere tantùm, sed simpliciter. Conclusio in terminis est S. Thomæ 1. *par. quæst. 1, art. 6.* Fundamentum S. Thomæ est hoc: theologia sacra viatorum secundùm se, siuè ex reuelatis vt scitis, considerat Deum, vt altissimam causam simpliciter; quia considerat scientificè Deum, secundùm quod est causa, & naturalis, & supernaturalis; quia considerat Deum, non solùm quantùm ad illud, quod est per creaturas cognoscibile, quod Philosophi cognouerunt, vt dicitur ad Romanos, idest, *quod notum est Dei, manifestum est in illis*; sed etiam quantùm ad id, quod notum est sibi soli de seipso, & alijs per reuelationem communicatum; sed hæc est sapientia simpliciter; quia est extrà genus determinatum sapientiæ purè naturalis, quæ scilicet, nullam supponit fidem diuinam, quæ est habitus principiorum supernaturalis, & per se infusus; ratio hæc fundatur in eo, tamquam in primo principio apud S. Thomam; quia S. Thomas *art. 7.* apertissimè docet, quod Deus vt Deus, est subiectum theologiæ sacræ viatorum; quia scilicet Deus vt Deus, est terminus attributionis, & ordinis omnium, quæ tractantur in theologia; secundùm verò opinionem, quam sequutus est S. Doctor *in libro sententiarum*, quod obiectum theologiæ sacræ, est ens, vt cognoscibile lumine diuinæ reuelationis in statu viæ ex accidenti; in statu vero patriæ lumine claro, & per se euidente Ratio, cur theologia sacra sit formaliter sapientia, est; quia considerat primam, & supremam causam, quæ est Deus, per principia prima, & vniuersalissima, quæ scilicet concernunt ens reale inquantùm ens, vel per rationem obiectiuam formalem altissimam, quæ est ratio entis realis, vt cognoscibilis in statu viæ ex accidenti lumine obscuro fidei, & in statu patriæ lumine per se claro, & euidente: & ratio huius à priori est; quia theologia sacra viatorum, est species suprema scientiæ; sed est scientia ex eo quia est ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, existente in beatis, vt explicauimus antecedentibus articulis.

Obijcies primò. Sapientia simpliciter probat principia scientiarum sibi subordinatarum; quia procedit ex principijs primis, & vniuersalissimis, cum sit scientia de suprema, & altissima causa; causa autem scientiæ, sunt principia, & eius obiectum formale; sed theologia sacra ex reuelatis vt scitis, non probat principia scientiarum sibi subordinatarum; quia principia, vt scibilia in superiori scientia, non habent hanc vim probandi, seiuncta a principijs superioris, & subalternantis scientiæ.

Respondet adhoc argumentum Sanctus Thomas *art. 6. supracit. ad 2.* quod probare principia scientiarum inferiorum, non est munus necessariò repertum in sapientia vt sic; & huius hanc rationem assignat; quia sunt aliquæ scientiæ inferiores, quæ

quia

habent principia per se nota, quæ probari non possunt; at si de ratione sapientiæ, vt sapientiæ formaliter, esset probare principia scientiarum inferiorum; omnis sapientia hoc haberet, quod est falsum, vt videre est in theologia sacra viatorum; sed solùm proprium est sapientiæ ordinare, & iudicare de scientijs inferioribus, quod totum habet theologia sacra; nam quicquid in alijs scientijs inuenitur, veritati theologiæ sacrę repugnans, reijcit vt falsum.

Hac responsione S. Thomæ, aliqui docti Theologi moti respondent, distinguendo maiorem; sapientia enim alia est ex principijs, solo lumine naturali cognitis; & alia est ex reuelatis vt scitis in superiori scientia. De prima sapientia concedunt maiorem; quando principia scientiarum inferiorum non sunt per se nota; nam quando non sunt per se nota, probari possunt: negant verò maiorem de sapientia ex reuelatis vt scitis, & huius hanc assignant disparitatem; quoniam scientia, quæ procedit ex reuelatis, non potest propter suam euidentiam reuelationis, facere euidentia principia scientiarum inferiorum, sicut potest sapientia ex principijs naturaliter notis propter suam euidentiam. Neque ex hoc, inquiunt, sequitur, quod theologia sacra hoc non possit ex sua imperfectione essentiali; sapientia verò naturalis hoc possit ex sua perfectione; sed solùm hoc oritur ex incapacitate principiorum scientiarum inferiorum, quando sunt per se nota, & prima; quandoquidem sapientia, cum sit ex genere sapientiæ, scientia superior; quantùm est ex se, cum procedat ex principijs vniuersalioribus, potest probare semper principia scientiarum inferiorum, quantùm est ex se; nam in scientia inferiori, & naturali potest hoc esse ex accidenti, quod habeat aliquod principium per se notum, quatenùs scilicet potest esse imbuta scientia inferior aliquo principio scientiæ superioris: do exemplum, methaphysica sine dubio à mathematica secernitur, & tamen multa reperimus ab Aristotele conscripta esse in methaphysica ad declarandas methaphysicas veritates, quæ purè mathematica sunt, qui mos familiaris est Aristoteli, præsertim in logicis; idque oritur, tum ex eo quod vna scientia potest dependere ab alia in sciendo, vt est subalternata scientia; tùm etiam ex eo quia veritates, quæ sunt in vna scientia, similitudinem habent cum veritatibus, quæ sistunt in alia scientia: tùm etiam quia quandoque veritates vnius scientiæ sunt certiores in alia, vt contingit in mathematica, quæ à priori certior est ex ratione mensuræ sensibili, & non per causam in essendo, vt est methaphysica certior: qua de causa mathematica primo loco inter cæteras addiscebatur.

Sed vtraque responsio, nisi aliquid addatur, contrariatur doctrinæ de subalternatione vnius scientiæ ad aliam in ratione scientiæ; diximus enim, quod scientia subalternata dependet essentialiter à subalternante, per hoc quia principia subalternatę scientiæ probantur ab ipsa subalternata principijs superioris scientiæ subalternantis; non quidem tamquam à causa principali; sed tamquam à causa instrumentali scientiæ subalternantis.

Neque dicas, omnem scientiam subalternatam dependere à principijs subalternantis, non totaliter, sed in maiori parte; nam hìc loquimur de scientia subalternata, inquantùm subalternata formaliter, non verò de subalternata imperfectè; at de ratione scientiæ subalternantis formaliter, est probare principia scientiæ sibi subalternatæ; quia ex suo genere scientia subalternans, cum sit superior, non potest procedere, nisi ex principijs vniuersalioribus, & prioribus; quo posito, scientia subalternata, vt subalternata formaliter, non potest habere principia prima, seù per se nota, quæ, nimirum, probari non possunt; secus non essent per se nota; sed potius nota per aliud vniuersalius, & prius.

Neque huic doctrinę obstat responsio, vel doctrina S. Thomæ, quam explicat in *respons. ad 2.* quia eo loco loquitur de theologia sacra, quatenùs est scientia subalternata scientiæ superiori existenti in Beatis, cum dicit, quod propria huius theologiæ cognitio est per reuelationem, non autem per naturalem rationem; & ideò non pertinet ad eam probare principia aliarum scientiarum; sed solùm iudicare de eis, quatenùs quicquid in alijs scientijs inuenitur veritati huius scientiæ repugnans, totum condemnatur, vt falsum, iuxtà illud 2. ad Corint. *consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei*; nos autem hic loquimur de theologia sacra viatorum, quatenùs sapientia formaliter; sub ista enim formali consideratione, theologia sacra procedit ex principijs primis, & vniuersalioribus, quàm sint principia scientiarum inferiorum; quia sub ista ratione est sapientia subalternans.

Obijcies secundò: sapientia, vt docet Aristoteles *6. ethicor. cap.7.* non solùm versatur circa conclusiones, quas deducit ex suis principijs, sed etiam verum dicit circà ipsa

ipsa principia;sed neque methaphysica vniuersalissima, neque theologia sacra viatorum verum dicunt circa sua principia,quod probatur; quia vera consideratio principiorum,est propria habitus, qui dicitur intellectus principiorum, qui est distinctus essentialiter ab habitu discursiuo, seù illatiuo; quoniam habitus principiorum considerat prima principia secundùm se, & absolutè, absque vllo discursu; methaphysica autem vniuersalissima, & theologia sacra viatorum,sunt habitus argumentatiui, siuè illatiui, qui sunt habitus conclusionum formaliter; habitus autem illatiuus cognoscit adhùc principia, ex quibus suas deducit conclusiones, non secundùm se, & absolutè;sed quatenùs sunt causa in actu influens in cōclusiones. Præterea habitus principiorum differt ab habitu conclusionum; quia habitus principiorum mouetur ad assensum illorum à simplici apprehensione,& penetratione terminorum; quia scilicet in eis prædicatum est in ratione subiecti, vel formaliter, vel causaliter immediatè; habitus verò illatiuus mouetur ad assensum conclusionis, ex motiuo formali diuerso; quia nimirum prædicatum,& subiectum conclusionis,sunt vnita in præmissis cum medio termino; vel quia vnum extremorum conclusionis, est vnitum cum medio in vna præmissa; aliud verò est seiunctum ab eodem medio in alia præmissa.

Hæc proprietas tributa ab Aristotele sapientiæ, variè explicatur à Scholasticis.

Primò, dicunt aliqui, vt Ock *in Prolo. quæst.3*. & Gabr. *art. 3. dubit. 4.* sapientiam neque esse formaliter intellectum, qui est habitus principiorum; neque esse formaliter scientiam illatiuam conclusionum; sed esse habitum medium simplicem distinctum ab vtroque, qui vnico actu assentitur principijs, & conclusionibus ex ijs deductis simul; conclusioni, vt obiecto materiali;principijs verò,vt obiecto formali.

Fundamētum huius explicationis fortè est hoc; quia sapientia est habitus intellectualis contradistinctus ab intellectu, & à scientia; habitus enim intellectualis diuiditur,in habitum principiorum, in scientiam, & in sapientiam: omnis autem diuisio fit per differentias contrarias contrarietate methaphysica, quarum vna est essentialiter perfectior alia. Inter prædictos habitus, sapientia est habitus intellectualis, medius inter habitum principiorum, & habitum conclusionum: quia sapientia iudicat, & de principijs, & de conclusionibus; hoc autem non posset haberi, nisi esset habitus medius, participans formaliter de habitu principiorum, & de habitu conclusionum.

Quod si eis respondeas, istos tres habitus intellectuales distingui ex triplici obiecto formali in genere scibilis, quatenùs habitus principiorum percipit principia secundùm se, & absolutè; scientia conclusiones, vt conclusiones formaliter; sapientia verò est adhùc habitus conclusionum, quatenùs est de altissima,& suprema causa;quia sapientia, vt docet S. Thomas super Boetium de *Trinit. quæst. 2. art. 2. ad primum*, non diuiditur contrà scientiam, sicut oppositum contrà oppositum; sed quia se habet ex additione ad scientiam.

Respondere statim possunt,sapientiam esse de altissima, & suprema causa, ex eo quod iudicat de primis principijs, & conclusionibus, quæ ex primis deducuntur;per hoc autem sapiētia est habitus medius; quia iudicat de principijs, quæ sunt obiectum habitus eorundem, & de conclusionibus ex eis deductis, quæ sunt obiectum formale scientiæ.

Hæc expositio, & declaratio sapientiæ est deficiens. Primò; quia per hoc, quod sapientia vnico actu tendit in principia, & simul in conclusiones, non erit extrà rationem formalem scientiæ; nam etiam scientia, quæ est habitus conclusionum, potest vnico actu assentiri principijs, & conclusionibus deductis; conclusionibus quidem, vt obiecto materiali; principijs verò, vt causę, & rationi formali assentiendi; in quo scientia humana communicat cum scientia Dei, & Angelorum; at sapientia non diuiditur contrà scientiam, sicut oppositum contrà oppositum; sed quia se habet ex additione ad scientiam; est enim sapientia suprema species scientię in generali;quia supra scientiam addit supremam rationem sciendi; idque habet ex eo quia est scientia de altissima, & suprema causa. Secundò deficit;quia sapientia est suprema scientia; suprema autem scientia, non potest esse media; media enim est scientia inferior, suprema, & altissima. Tertiò deficit;quia dupliciter habitus intellectualis potest esse intellectiuus principiorum; vno modo principiorum secundùm se; alio modo inquantùm sunt causa in actu influens in conclusiones; habitus cognitiuus principiorum primo modo, non potest esse simul eodem actu cognitiuus cōclusionum, vt conclusionum formaliter; quia principia secundùm se,& absolutè,non cognoscuntur, vt causa conclusionum; motiuum autem formale,cur assentiamur conclusionibus, vt deductis ex principijs, est quia

quia assentimur principijs, inquantùm sunt causa in actu conclusionum; at sub ista ratione formali, principia, ex quibus deducuntur conclusiones, non sunt obiectum habitus principiorum; sed sunt obiectum formale scientiæ, quæ est habitus conclusionum; ergo sapientia, quæ est suprema scientia, non potest esse medium inter habitum principiorum, & scientiam conclusionum, attingens sua ratione formali habitum principiorum; sed restringitur solùm ad sciẽtiam, quæ est habitus conclusionum. Quartò, deficit explicatio; quia, vt infra, dicemus sapientia potest dicere verum circa sua principia sine necessitate afferendi sapientiam, vel, quæ est in vno determinato genero, vel, quæ est sapientia simpliciter, esse habitum medium, inter habitum principiorum, & habitum conclusionum: idque probatur; quoniam sapientia verum dicit circa sua principia; quia ex sua altitudine, & primitate potest per causas complexas, quæ sunt declaratiuæ, non ostensiuæ, probare sua principia, quæ continent causam incomplexam, seu in essendo conclusionum: vt fusè probabitur quæstione sequente in vltimis articulis, in quibus inquiretur, vtrum ens reale vniuersalissimum habeat sui causas incomplexas; an complexas, & hoc modo sapientia iudicat, tàm de conclusionibus, quàm de principijs scientiarum.

Ex his soluitur ratio in oppositum, qua Auctores contrarij asserunt sapientiam esse habitum medium, inter habitum principiorum, & habitum conclusionum, vt conclusionum formaliter; quandoquidem sapientia humana, de qua nos loquimur, contradistinguitur ab intellectu principiorum, & à scientia, vt species suprema scientiæ; non autem, vt species media; species autem suprema scientiæ habet rationem extremi, non autem medij intrà latitudinem scientiæ; scientia enim dupliciter sumi potest; vno modo, vt diuiditur in scientiam inferiorem, & superiorem; alio modo, vt contradistinguitur à scientia superiori, siuè suprema; primo modo, est genus ad sapientiam, quæ est scientia suprema, cum sit de altissima, & suprema causa, & ad scientiam inferiorem, quæ est de ente scibili per principia inferiora, & secunda. Cum verò dicitur à contrarijs, sapientiam non solùm iudicare de conclusionibus formaliter; sed etiam de principijs, ex quibus illę deducuntur; per hoc autem sapientia habet rationem habitus medij inter habitum principiorum, & habitum conclusionum; quia est habitus de obiectis, & principiorum, & scientiæ.

Respondetur, sapientiam id præstare de prædictis obiectis, quatenùs sunt obiecta materialia sapientiæ, non quatenùs sunt extrema formalia, inter quæ existit obiectum formale, medium sapientiæ; vt autem sapientia sit habitus medius formaliter, requiritur, vt sapientia habeat obiectum formale medium, inter obiectum formale habitus principiorum, & inter obiectum formale habitus scientiæ.

Secundò explicatur ab Ægidio in *Proemium super librum de causis*, Bac. *quæstione 4. in Prologum, artic. 5.* & alijs, quos refert Fasolus in *1. parte S. Thomæ, quæstione 1. articulo 6. dubitat. 2. num. 8.* qui dicunt sapientiam dici ab Aristotele, non solùm versari circa conclusiones; sed etiam verum dicere circa principia, ex quibus deducit conclusiones; quia sapientia est vnus habitus ab intellectu, & scientia formaliter, ac specie distinctus, qui pluribus actibus modo assentitur principijs, & modo infert conclusiones. Differt hæc expositio à prima; quia prima asserit, sapientiam esse vnum simplicem habitum, qui vnico actu cognoscit conclusiones, & principia; secunda verò asserit, sapientiam esse vnicum habitum, qui pluribus actibus, modo conclusiones ex principijs cognoscit, modo ipsa principia. Hæc expositio potest explicari exemplo scientiæ, quæ est habitus conclusionum, quæ dupliciter potest assentiri conclusionibus per principia; vno modo, quia vnico actu assentitur conclusionibus, vt obiecto materiali; principijs verò, vt rationi formali obiectiuæ assensus; alio modo, quia vno actu assentitur principijs priùs; posteriùs verò assentitur conclusioni, vt effectui sequenti ex principijs: & fundamentum huius expositionis esse potest; quia sapientia est suprema scientia; at suprema scientia habet vtrumque modum cognoscendi principia, & conclusiones, vt suprà articulis præcedentibus demonstrauimus. Neque hoc impeditur ex eo quod sapientia est suprema in ratione scientiæ; quia esse superiorem scientiam, non extrahit rationem scientiæ à sapientia; quia sapientia diuiditur à scientia inferiore per differentiam formalem, & per se scientiæ; at differentiæ formales sunt intrà latitudinem generis per se diuisi.

Sed hæc secunda expositio est insufficiens. Primò; quia non distinguit sapientiam, neque à scientia in generali, neque à scientia inferiori, quæ est alia species scientiæ: scientia etenim primò, & adæquatè di-

diuiditur in scientiam inferiorem, & in scientiam superiorem; sicut sensus primò, & adæquatè diuiditur in sensum communem, & in sensum proprium; siuè in sensum internum, & in sensum externum: scientia autem superior, est ipsissima sapientia formaliter, quæ proindè diuiditur non solùm contra scientiam inferiorem, sicut oppositum positiuum contrà oppositum; sed etiam diuiditur contrà scientiam in communi; sicut species diuiditur contrà suum genus. Neque hoc contrarium est doctrinæ S. Thomæ super Boetium *de Trinit. quæst. 2. art. 2. ad primum*; vbi dicit, quod sapientia non diuiditur contrà scientiam, sicut oppositum contrà oppositum; sed quia se habet ex additione ad scientiam: nam hoc loco S. Thomas accipit scientiam, non inquantùm est scientia inferior, quæ est vna species scientiæ; sed accipit scientiam in genere, quæ scilicet est genus commune omnibus scientijs, quod luce clarius docet 1. 2. *quæst.* 57. *art.* 2. *ad primum*, cuius verba suprà retulimus: sapientia, inquit, est quædam scientia inquantùm habet id, quod est commune scientijs omnibus, vt scilicet ex principijs conclusiones demonstret, &c. Secundò est insufficiens ex alio capite; quia sapientia ex eo adæquatè est sapientia formaliter; quoniam est scientia demonstratiua conclusionum de prima, & altissima causa; sed hæc vbi habet locum, limitatio formalis, neque formaliter, neque eminenter potest esse habitus, & conclusionum, & principiorum secundùm se; quia prædicti habitus sunt differentiæ formales specificæ, & consequenter sunt rationes formales adæquatæ; rationes autem formales adæquatæ, non sunt adunabiles in vnam formalitatem subliniorem, nisi ex ratione formali; quia est infinita formaliter.

Tertia expositio est Ioannis de Neapoli *tomo variarum quæstionum quæst.* 18. *puncto* 1. Iauelli 6. *ethicorum*, *tractatu* 2. *capite* 6. Molinæ in 1. *par. S. Thomæ quæst.* 1. *art.* 6. & aliorum, qui dicunt sapientiam non esse solùm intellectum principiorum, neque solùm habitum illatiuum; sed esse duos habitus simul, nempè intellectum, & scientiam. Hæc expositio fundamentum habet in Aristotele in *mor. cap.* 33. dicit, quod sapientia constituitur ex scientia, & mente, quod probat, subiungens: est namque sapientia circà principia; at quatenùs circà ea, quæ post principia sunt cum demonstratione, scientiæ est particeps, ac perindè non dubium, quin sapientia ex mente, & scientia confletur; proindè circà ea versatur, circà quæ mens, atque scientia.

Sed hæc expositio etiam facilè rejicitur ex principijs eiusdem Aristotelis; nam Aristoteles diuidit habitum intellectualem in intellectum principiorum, scientiam, & sapientiam, & diuisio est generis in suas species. Et ratio à priori huius diuisionis est; quia habitus intellectualis formaliter præscindit à prædictis habitibus; implicat autem ex pluribus speciebus essentialiter diuersis fieri sapientiam, quæ est vna species contradistincta; sicut, v. g. implicat hominem constitui in specie hominis per speciem bruti: imò sapientia, neque esset vna species distincta à cæteris habitibus intellectualibus; sed quoddam aggregatum per accidens ex diuersis speciebus, vt sunt intellectus, & scientia; præterea ex hoc sequeretur, methaphysicam, quæ est sapientia esse hoc aggregatum, quod implicat in terminis; quia methaphysica vniuersalis, est vna scientia per se. Secundò, principaliter rejicitur hæc espositio hac alia ratione: methaphysica intantùm est sapientia secundùm Aristotelem, inquantùm probat eo modo, quo fieri potest, prima principia; & theologia intantùm est sapientia, inquantùm probat articulos fidei in sensu materiali; quoniam sapientia procedit in probatione conclusionum per principia vniuersalissima, & prima, saltem complexa; hæc autem principia complexa se extendunt, nō solùm ad conclusiones ex principijs deductas; sed etiam ad ipsa principia, ex quibus conclusiones deducit.

Sed huiusmodi probatio non pertinet ad habitum principiorum, sed ad scientiam conclusionum; quia fit formaliter per discursum.

Quod si aliquis dicat pro auctoribus contrariæ sententiæ, quod habitus principiorum, & habitus conclusionum non possunt quidem facere vnum per se in ratione entis; sed tantùm vnum per accidens: possunt tamen facere vnum per se in ratione causæ, vt videre est in reubarbaro, in quo qualitates diuersarum specierum sunt vnum per accidens in ratione entis; sunt verò vnum per se in ratione causæ purgantis bilem; pariter scientia, & intellectus principiorum, sunt vnum per accidens in ratione entis; sunt verò vnum per se in ratione causæ supremæ, idque confirmatur; quia sunt habitus essentialiter subordinati.

Quod si quæras ab eis, cur hoc dicitur



Digitized by Google

de ſapientia, & non de ſcientia contradiſtincta à ſapientia.

Reſpondere ſtatim poſſunt, quod hoc habet ſapientia; quia eſt ſcientia de altiſſima cauſa, ob quam rationem ſapientia verum dicit, etiam circà prima principia per cauſas primas complexas, quod non poteſt dici de ſcientijs inferioribus; quia non habent principia vniuerſaliſſima complexa.

Prima inſtantia pro Aduerſarijs facilè impugnatur; quoniam ſapientia intrà ſuam latitudinem formalem, eſt cauſa completa ad probandum, non ſolùm ſuas concluſiones; ſed etiam ſua principia, per principia vniuerſaliſſima complexa; cauſa autem completa in ratione cauſæ, eſt independens ab alia concauſa: in exemplo autem allato de reubarbaro, vna qualitas non eſt completa in ratione cauſæ.

Quarta, & vera expoſitio huius proprietatis, quod ſcil. ſapientia eſt intellectus, & ſcientia, vel quod ſapientia non ſolùm deducit concluſiones ex principijs; ſed etiam circà ipſa principia verum dicit; eſt hæc: quod ſapientia non ſolùm probat ſuas concluſiones ex ſuis principijs, vt cauſis in eſſendo, ſiuè realiter, ſiuè virtualiter; ſed etiam probat ſua prima principia per cauſas complexas, quod proprium eſt ſcientiæ ſupremæ, quæ eſt ſapientia. Hanc expoſitionem tradunt Caietanus 1. 2. *quæſt.* 57. *art.* 2. Erueus, & alij, qui dicunt ſapientiam eſſe vnum habitum per ſe de altiſſima, & ſuprema cauſa; nimirum, demonſtratiuus paſſionum de altiſſima, & ſuprema cauſa, ex principijs primis, & vniuerſaliſſimis, tàm complexis, quàm incomplexis, de quibus fusè diſputabitur in quæſtione ſequente; non enim contradicit altiſſimæ, & primæ cauſæ in eſſendo habere cauſas complexas; quia probatio per cauſas complexas, non eſt probatio oſtenſiua, ſiuè demonſtratiua, quæ eſt per cauſas in eſſendo, tàm realiter, quàm virtualiter; ſed eſt probatio declaratiua; declaratiuum autem, non contradicit primæ, & vniuerſaliſſimæ cauſæ in eſſendo; quibus principijs, & cauſis declaratiuis, ſapientia defendit, & probat vera eſſe principia, ex quibus ſuas deducit concluſiones. Hanc explicationem ſumpſerunt in terminis à S. Thoma in 6. *ethicorum capite* 7. *circà initium*; qui hunc in modum explicat hanc ſapientiæ proprietatem. Sapientia, inquit, verum dicit circà ipſa prima principia; non quia demonſtrat prima principia, ſed quia notificat communia, nimirum terminos primorum principiorum, vt ſunt totum, & partes; æquale, & inæquale, &c. quibus cognitis ſtatim intellectus aſſentitur veritati principiorum; & hanc ob cauſam infert S. Thomas, quod ad ſapientem pertinet diſputare contrà negantes principia, vt dicitur in *quarto methaphyſicę*; proteruus enim negans prima principia, non poteſt conuinci demonſtratione; quoniam prima principia non habent alia priora; ſed ſolùm conuinci poteſt explicatione propria terminorum, & cauſis complexis; & in hoc eodem ſenſu intelligendus eſt Ariſtoteles, cum dicit, ſapientiam eſſe ſcientiam, & intellectum, ſcilicet verſari circà concluſiones, & circà prima principia; non quia ſapientia eſt medium participans de ſcientia, & de habitu principiorum, vel quia eſt ſimplex habitus, qui eminenter eſt habitus principiorum, & habitus concluſionum: ſed quia ſapientia ex ſua vniuerſalitate in ſciendo, non ſolùm deducit ſuas concluſiones ex principijs primis, & immediatis, & vniuerſaliſſimis in eſſendo; ſed etiam, quia declaratione probat veritatem ſuorum principiorum per cauſas complexas, & per proprias terminorum explicationes.

Quinta, expoſitio eſſe poteſt, quo ſapientia eſt habitus principiorum, & concluſionum, non quidem formaliter, ſed materialiter, ſicut theologia ſacra eſt materialiter practica, & ſpeculatiua, vt infrà dicetur, & hæc expoſitio ſemper mihi vera fuit, & conformis principijs S. Thomæ.

Obijcies tertiò: ſapientia, ſiuè in vno tantùm genere, ſiuè ſimpliciter argumentatiua, de qua nos loquimur, debet eſſe de neceſſarijs, & immutabilibus, quæ ſcilicet aliter eſſe non poſſunt per cauſam altiſſimam, & ſupremam; ſpecificatur enim ſapientia à cauſa altiſſima, & ſuprema demonſtratiua; quia ſapientia ſpecificatur à ſuo obiecto formali in genere ſcibilis; hoc autem eſt medium demonſtrationis, quod in ſapientia eſt cauſa altiſſima, & ſuprema; ſed methaphyſica vniuerſaliſſima (idem dico de theologia ſacra viatorum ex reuelatis vt ſcitis in ſuperiori ſcientia) admittit intrà ſuum obiectum, adhùc entia non neceſſaria; quia tractat non ſolùm de ente per ſe; ſed etiam de ente per accidens: non ſolùm de neceſſarijs; ſed etiam de liberis, vt de cauſa libera, & de cauſa contingenti, quæ eſt cauſa impedibilis. Intelligitur hic ens per ſe, non ſolùm, quod eſt vnius tantùm generis; ſed etiam ens, in quo prædicatum conuenit ſubiecto, vel in primo, vel in ſecundo modo dicendi per ſe, ſiuè perſeitate phyſica,

ſiuè

Digitized by Google

siuè perseitate metaphysica: ens verò per accidens ex opposito intelligitur, non solùm ens diuersorum generum; sed etiam ens, in quo prædicatum non conuenit per se subiecto. Probatur adhùc minor à priori; quia metaphysica vniuersalissima est scientia de ente reali vniuersalissimo, quod scilicet est irresolubile in aliud ens reale vniuersalius; sed hoc est medium sciendi, non solùm entia necessaria; sed etiam entia contingentia; non solùm entia realia per se, sed etiam entia realia per accidens; ens enim reale vt sic, est quod non inuoluit prædicata contradictoria; sed hic conceptus obiectiuus reperitur intrinsecè, tàm in ente necessario, quàm in ente libero; tàm in ente per se, quam in ente per accidens. Maior principalis argumenti probatur; quia sapientia est perfecta, & rigorosa scientia in generali, quæ contradistinguitur ab opinione; sed opinio est de non necessarijs, & de contingentibus; ergo ex opposito, scientia debet esse de necessarijs, quæ aliter esse non possunt: oppositorum enim oppositæ debent esse rationes formales.

Plures Metaphysici hoc argumento conuicti ad dicendum, ens per accidens nullo modo posse esse obiectum scientiæ contradistinctæ ab opinione.

Respondent, concedendo maiorem, & negando minorem; & dicunt obiectum metaphysicæ vniuersalissimæ esse ens reale per se vniuersalissimum; non autem ens reale vt sic, quod dicitur de ente reali per se, & de ente reali per accidens. Neque, inquiunt, hæc limitatio præiudicat metaphysicæ vniuersalissimæ; quia metaphysica vniuersalissima, cum sit scientia perfecta, & rigorosa, non potest esse nisi de scibili necessario, quod est scibile per se; & ideò, inquiunt, Aristoteles *6. metaph.* excludit ens per accidens à consideratione scientifica, cum sit ens mutabile, & non necessarium, quod proprium est obiectum opinionis, quę est habitus oppositus scientiæ:

Sed hęc responsio patitur instantiam; possumus enim dicere, quod Aristoteles *6. metaph.* excludit ens per accidens ab obiecto formali scientiæ; non autem ab obiecto materiali: vt autem pertineat ad considerationem methaphysicam ens per accidens, satis est, vt possit esse obiectum materiale methaphysicæ, quod ei necessariò competit. Et probatur; quia ens per accidens continetur sub ente reali vt sic, vniuersalissimo, quod scilicet præscindit ab ente per accidens, & ab ente per se; dicit enim tantummodò in suo conceptu essentiali, quod non inuoluit in suis prędicatis contradictionem, & hoc competit enti reali vt sic, & vniuersalissimo, vt est euidens ex suis terminis; sed hoc est obiectum formale metaphysicę vniuersalissimæ; quia est scibile per se, siuè necessarium. Idque demonstratur; quia de eo possunt demonstrari passiones trascendentales per medium intrinsecum, nimirum esse Vnum, Verum, & Bonum; sed hoc ens, siuè scibile, potest esse obiectum formale ad scientificè cognoscendum entia per accidens, & entia per se; nam reperitur formaliter, tàm in ente per accidens, quàm in ente per se; ergo metaphysica vniuersalissima, sua cōsideratione scientifica, se extendit materialiter, non solū ad entia per se in speciali; sed etiā ad entia per accidēs; Aristoteles autē solùm excludit ens per accidens ab obiecto formali scientiæ: & confirmatur doctrina; nam consideratio entis per accidens, vt obiecti materialis, non præiudicat scientiæ perfectæ, & rigorosæ; quoniam scientia sumit suam specificam essentiam ab obiecto formali, & non ab obiecto materiali.

Quod si dicas, ex hac doctrina sequitur, ens reale vt sic, non esse obiectum formale metaphysicæ; quia obiectum formale scientiæ est ens necessarium, & immutabile; hoc autem est ens per se, vel in primo, vel in secundo modo dicendi per se; sed ens reale vt sic, non est ens necessarium; quia ens reale vt sic, præscindit ab ente necessario, & ab ente contingenti.

Acuta quidem instantia est; sed ea oritur ex equiuocatione entis per se: dupliciter enim potest considerari ens reale vt sic. Vno modo, in ordine ad suas passiones, quæ sunt Vnum, Verum, & Bonum, & sic ens reale vniuersalissimum, est ens per se in ratione causæ; etenim ens reale vt sic, est per se causa virtualiter, vt sit Vnum, Verum, & Bonum. Secundo modo, potest considerari in ordine ad sua inferiora, in quibus est, & de quibus est prædicabile, & sub ista consideratione formali, ens reale vniuersalissimum, non est ens per se, sed præscindit ab vtroque, neque vlla contradictio ponitur in ente reali vniuersalissimo, per hoc quod illud ponitur simul ens per se, & non ens per se; quandoquidem contradictio est secundùm idem, & respectu eiusdem; at hæc duo prædicata non conueniunt enti reali vniuersalissimo, secundùm idem, & respectu eiusdem; sed respectu diuersorum. Explicatur hæc distinctio alia persimili distinctione; nam ens reale formaliter præscindit ab ente reali formaliter completo, & ab ente reali for-

maliter incompleto;& tamen ens reale formaliter vt sic, est obiectum methaphysicæ Aristotelis: obiectum autem scientiæ in vniuersum debet esse completum; quia debet esse causa adæquata suarum passionum.

Soluitur hæc difficultas distinctione; quoniam ratio totius, quæ requiritur in obiecto scientiæ, est ens adæquatum in ratione causæ per se passionum, quæ de eo sunt demonstrabiles; non autem est ratio totius in ratione entis completi: vnde idem ens, est ens completum, & nõ ens cõpletum, quæ duo prædicata non sunt contradictoria; quia conueniunt enti reali vt sic, respectu diuersorum, & non secundùm idem; est enim ens reale formaliter completum in ratione causæ suarum passionum; est verò abstrahens à completo, & incompleto respectu inferiorum; pariter discurrendum est de ente per accidens, de quo potest esse scientia simul, & sapientia; non quidem formaliter, sed materialiter: nam hæc considerantur à scientia, quatenùs in entibus per accidens, reperitur ratio entis realis vt sic, quod est per se causa passionum suarum.

Responderi potest secundò, quod entia per accidens, & entia contingentia dupliciter considerari possunt; vno modo, quoad prædicata contingentia, & quatenùs entia per accidens formaliter; alio modo, quoad prædicata per se, seù quantùm ad prædicata necessaria, quæ conueniunt entibus per accidens, & contingentibus, secundùm quod sunt ens essentialiter, vel secundùm quod sunt ens contingens essentialiter in vniuersali; prædicata, quæ conueniunt contingenter enti per accidens, sunt huiusmodi, vt paries est albus, Cycnus canit, Æthiops mouetur, &c. prædicata verò per se, & necessaria, sunt, quæ conueniunt eisdem, quatenùs sunt ens formaliter, & quatenùs sunt ens contingens; vt esse Vnum, Verum, & Bonum, conueniunt enti per accidens, quatenùs ens est, sub qua consideratione ens per accidens est Vnum, non plura entia diuersorũ generũ; prędicata autẽ essentialia entis contingentis vt sic, sunt esse indifferens ad vtrumlibet esse potentiale, & huiusmodi. De prædictis, quantùm ad prædicata accidentalia, est scientia metaphysica materialiter, non formaliter; intantùm enim ista entia considerantur à metaphysica, inquantùm in eis reperitur ratio entis formaliter, quod est obiectum formale metaphysicæ; sicut enim metaphysica cõsiderat materiam primam, quantitatem dimensiuam, motum, & alia huiusmodi; quia in eis reperitur ratio entis formaliter vt sic: pariter eadem metaphysica considerat entia contingentia, & entia per accidens; quia in eis reperitur ratio entis vt sic, quod est obiectum materiale metaphysicæ.

Neque certitudini, & infallibilitati scientiæ metaphysicæ obest mutabilitas, & fallibilitas entium per accidens, & entium contingentium in singulari; quia scientia metaphysica formaliter considerat hęc, non quantùm ad prædicata, quæ eis variabiliter conueniunt; sed quantùm ad prædicata, quæ eisdem conueniunt ratione entis, & contingentis in generali, & secundùm se.

Obijcies quartò: metaphysica vniuersalissima est de rebus vniuersalibus formaliter, vt docetur ab Aristo. 1. *poster. cap. 7. tex. 21. & cap. 27. tex. 44. & 6. ethicor. cap. 6.* sed methaphysica vniuersalissima scientificè tractat de Deo, qui est essentialiter ens singularissimum; ergo metaphysica non potest esse scientia, & consequenter, neque sapientia; quia sapientia est essentialiter scientia in generali; sicut homo est essentialiter animal, quod si ab homine remoueatur, statim euertitur homo. Maior, in qua est difficultas, probatur; quia sapientia, quæ est habitus intellectus creati humani, de qua nos loquimur, est scientia de scibili ex alio, non de scibili in se; hæc autem scientia est scientia abstractiua, sed abstractiua scientia est de rebus in vniuersali.

Quod si dicas, Metaphysicam vniuersalissimam scientificè considerare Deum materialiter, non formaliter; quia Deus continetur intrà obiectum formale prædicationis in recto metaphysicæ vniuersalissimæ, quod est ens reale vt sic, quod dicitur de Deo, & de creaturis; pręscindendo nunc, an dicatur de Deo, & de creaturis vniuocè, an analogicè.

Contrà est; quia metaphysica vniuersalissima, cum sit sapientia simpliciter, est de prima, & altissima causa simpliciter; at esse primam, & supremam causam simpliciter competit Deo, inquantùm Deus est, non autem inquantùm est ens formaliter; quia prędicata conuenientia Deo, inquantùm est ens formaliter, conueniunt etiam creaturis, quibus repugnat esse causam primam, & supremam simpliciter.

Quod si secundò dicas, primam, & altissimam causam considerari à metaphysica, non quatenùs est singularis formaliter; sed quatenùs est vniuersalis per equiualentiam.

Contrà est, quia metaphysica vniuersalissima, cum sit sapientia simpliciter, debet esse de scibili vniuersalissimo; hoc autem materialiter comprehendit Deum, qui est pri-

prima, & altissima causa, non quidem in prædicando, sed in causando: & confirmatur; nam metaphysica vniuersalissima, de qua nos loquimur, est habitus illatiuus supremus intellectus humani creati; proprium autem intellectus humani creati, est cognoscibile extrà verbum per abstractionem à singularibus, vt suprà ostendimus, & fusius suo loco demonstrabitur: & hanc ob causam ab Aristotele dicitur, intellectum esse vniuersalium; sensum verò particularium in sensu formali; dicitur enim intellectus vniuersalium, non quia obiectum, quod cognoscit intellectus, est solùm vniuersale; sed dicitur vniuersalium, quia ratio formalis obiectiua, cur intellectus intelligit quodlibet obiectum suum materiale, est; quia in eo est ratio formalis cognoscendi vniuersalis; sensus verò dicitur particularium, seù singularium; quia ratio formalis obiectiua, cur illud cognoscit sensus, est; quia est singulare, non quidem determinatum, & signatum, sed vagum.

Quod si obijcias, sensus communis, adhùc sensus est; & tamen ratio obiectiua, cur sensus communis cognoscat obiecta sensuum particularium, est; quia in illis reperitur sensibile; hoc autem est commune, & vniuersale.

Respondetur, quod sensus communis habet pro obiecto formali, sensibile, nõ quidem abstrahens à materia indiuiduali, quæ est principium radicale indiuiduans naturam; sed prout abstrahit à determinata materia obiectorum sensuum particularium; differt verò à sensu particulari, sensus communis in hoc; quia sensus particularis abstrahit à determinato singulari sui obiecti formalis tantummodò; obiectum verò sensus communis abstrahit à determinato sensibili, cuiuscumque sensus, per quod non extrahitur à ratione indiuidui vagi sensibilis: & ratio à priori est; quia sẽsus, siuè internus, siuè externus essẽtialiter est materialis; propriũ autẽ est solius intellectus abstrahere à materia indiuiduali in tota sua latitudine, tàm determinata, quã indeterminata, & etiã à materia in communi, quia est immaterialis; immaterialitas autem est radix prima, vt sit ad intelligibile formaliter, quod abstrahit ab ente materiali, & immateriali, eo quod radix determinationis est materia; sed immateriale caret materia; ergo immateriale non habet in se vnde determinetur in cognoscendo, quod nullo pacto potest competere sensui, siuè interno, siuè externo, cum sensus sit essentialiter materialis; nimirum dependens substentatiuè à materia, quæ est principium radicale indiuiduationis in rebus materialibus.

Ex his respondetur ad principalem obiectionem, concedo maiorem, & distinguo minorem; methaphysica vniuersalissima, vt sapientia simpliciter considerat Deũ, qui est ens vniuersalissimum materialiter, & concedo: formaliter, & nego; obiectum enim metaphysicæ vniuersalissimæ, est ens reale vt sic, proùt dicitur de Deo, & de creaturis; hoc autem est ratio formalis, cur metaphysica scientificè tractat etiam de Deo, quæ est prima, & altissima causa omnium simpliciter, non quidem primitate vniuersalitatis; sed primitate in genere causæ efficientis, & finalis; metaphysica autem vniuersalissima debet habere pro suo obiecto formali primam, & vniuersalissimam causam primitate vniuersalitatis in cognoscendo; quoniam, vt sæpe repetiuimus; metaphysica vniuersalissima, de qua nos loquimur, est per abstractionem à materia, tùm subiectiua, tùm obiectiua: quo principio plures docti Metaphysici, & Scholastici supra citati, dixerunt sapientiam simpliciter creatam esse eminenter, & habitum conclusionum, & principiorum; quia nimirum obiectum formale metaphysicæ vniuersalissimæ reperitur in obiecto vtriusque habitus formaliter: sed decepti sunt; quia distinctio habituum formalis, & specifica, non sumitur ex distinctione, seù diuisione obiecti materialis; sed ex diuisione formali obiecti formalis; obiectum autem formale habitus principiorum, & obiectum formale sciẽtię, sunt diuersa formaliter in genere obiecti; obiectum enim formale, quod mouet intellectum ad assentiendum conclusionibus, est; quia in pręmissis est causa, siuè medium formale, cur prædicatum insit subiecto in conclusionibus; obiectum autem, siuè motiuum formale, mouens intellectum ad assentiendum principiis, est; quia prædicatum est in ratione subiecti, vel subiectum in ratione prædicati, quæ sunt duo motiua formalissima diuersa.

Neque contrarium docet Aristoteles *loco supra cit.* dicens, quod sapientia constituitur ex scientia, & mente; nimirum ex intellectu principiorum, eo quod sapientia est etiam circà principia; etenim vt suprà diximus loquitur Aristoteles de sapientia, non quantùm ad habitum formaliter, & actum; sed quantùm ad obiectum materiale; nulla enim alia ratione probat Aristoteles, sapientiam esse intellectum, & scientiam; nisi quia habet idem materiale obiectum, quod habent intellectus, & scientia, scilicet principia

cipia, & conclusiones; at hoc non sufficit, vt sapientia sit vnus habitus, rapiens ad vnam sublimiorem formalitatem, habitum principiorum, & habitum conclusionum; quandoquidem isti duo habitus sunt formalitates adæquatæ diuersæ formaliter, quæ non sunt adunabiles formaliter in vnam sublimiorem formalitatem habitus essentialiter limitati; sed tantùm materialiter. Vel dicendum, quod Aristoteles loquutus est de sciẽtia, & habitu principiorum, vt sunt differentiæ materiales habitus intellectualis, non vt sunt differentiæ formales (sicut suprà diximus de practico, & de speculatiuo) quæ, vt differentiæ materiales possunt adunari in vno habitu scientiæ; inquantùm verò sunt differentiæ formales, neutiquam: quæ expositio, ni fallor, magis quadrat menti Aristotelis; nam Aristoteles *loco supra cit.* dicit quod sapientia porrò ex scientia, menteque constituitur.

Neque Aristoteles contrarium docuit, cum diuisit habitum intellectualem, in habitum principiorum, scientiam, & sapientiam; nam in hac diuisione loquutus est Aristoteles de intellectu principiorum, sciẽtia, & sapientia, quatenùs sunt differentiæ formales scientiæ; in alio vero loco loquutus est de scientia, & habitu principiorum, quatenùs sunt differentiæ materiales.

Obijcies quintò, sapientia simpliciter est independens à scientijs inferioribus; sed theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia; & metaphysica vniuersalissima dependent à scientijs puris naturalibus, quæ sunt scientiæ inferiores. Maior probatur primò; quia sapientia in eo quod sapientia formaliter, est scientia prior, seù superior; primum autem, siuè superius vt sic, non est dependens à suo posteriori, & secundo; sed scientię inferiores sunt scientiæ secundæ. Minor verò principalis argumenti probatur; quia theologia sacra in ratione scientię, accipit principia à scientijs naturalibus; posita enim diuina reuelatione, Theologus regulis scientificis inuenit medium probandi propositiones reuelatas in sensu materiali. Prætereà metaphysica vniuersalissima dependet à logica, nõ solùm quantùm ad regulas inueniẽdi medium; sed etiam quantùm ad modum sciendi, vt sunt definitio, diuisio, & argumentatio; ergo, &c.

Respondeo cum S. Thoma 1. *par. quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 2. distinguendo minorem. Theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori scientia, dependet à scientijs naturalibus, & inferioribus, vt ministris, siuè vt instrumentis, & concedo: dependet vt à causa principali, & nego. Dependentia, quę contradicit sapientiæ, vel in vno tantùm genere, vel simpliciter, est dependentia ab inferiori, vt à causa principali; neque inconueniens est, idem esse dependens, & independens ab alio in diuerso genere causæ. Exemplum est in metaphysica vniuersali Aristotelis, quæ est scientia superior, & sapientia naturalis; & tamen ea sæpè adhibet scientias inferiores; præsertim mathematicam, & logicam; per hoc autem non perdit suam primitatem, & excellentiam; quià vtitur scientijs naturalibus inferioribus, vt ancillis, & ministris; nimirum, vt instrumentis; non autem, vt concausis principalibus. Pariter theologia sacra viatorum, & metaphysica vniuersalissima vtuntur scientijs inferioribus, tamquam instrumentis, non tamquam concausis principalibus.

Quod si dicas: sapientia, vt sit scientia suprema, debet influere euidentiam, & certitudinem scientijs sibi subordinatis; quia sapientia est perfecta, & rigorosa scientia; scientia autem est intrinsecè euidens, quia est illatiua conclusionum ex principijs intrinsecis, & necessarijs. Prætereà, quia primum in vnoquoque genere, est causa cæterorum in eodem genere; sed scientia in ratione scientiæ est certa, & euidens, euidentia intrinseca: ergo debet sapientia influere in scientias inferiores, intrà suum genus, certitudinem, & euidentiam; sed metaphysica vniuersalissima non potest influere euidentiam in theologiam sacram viatorum, neque in alias sciẽtias naturales; quoniam metaphysica vniuersalissima abstrahit à theologia sacra viatorum, quæ est actu ineuidẽs, & à scientijs naturalibus, quæ sunt actu euidentes; scientia autem abstrahens à scientia euidente, & a scientia ineuidente actu, negatiuè neque est euidens, neque est ineuidens actu: ac proindè non potest influere euidentiam scientijs inferioribus; etenim scientia influens euidentiam, debet in se prę habere euidentiam, vel formaliter, vel virtualiter.

Respõdeo, quod sapientia simpliciter, qualis est metaphysica vniuersalissima, non solùm est scientia in generali, sed etiam est scientia subalternata metaphysicæ vniuersaliori supernaturali secũdùm substantiam, existenti in Beatis concomitanter ad visionem beatificam; scientia autem subalternata est euidens euidentia mediata, & aptitudinali; non autem euidentia immediata, & actuali: & hanc euidentiam aptitudinalem mediatam influit in scientias inferiores intrà

trà suum genus; quia hanc euidentiam præhabet in ratione causæ, quæ euidentia non contradicit in uidentiæ actuali ex accidenti; sed solùm euidentiæ actuali, quæ est differentia essentialis scientiæ subalternantis; & etiam euidentię actuali, quæ competit scientiæ subalternatæ, dependenter à scientia subalternante, vt à causa principali; ab ipsa verò subalternata scientia, & à causa instrumentali.

Sunt, qui dicunt sapientiam ex diuersis capitibus esse scientiam, & esse sapientiã, quę est pręstantissima omnium scientiarum sibi inferiorum; idque probant, quia S. Thomas, cum cæteris Scholasticis, instituit duos articulos distinctos de his quæsitis: sapientia, inquiunt, est scientia; ex eo quia habet sua munera, quorum primum est iudicare de inferioribus scientijs: secundum est ordinare easdem in finẽ supremæ scientiæ; quoniam ex hoc solo capite scientia, quæ habet hæc duo munera iudicandi, & ordinandi de scientijs inferioribus, est sapientia formaliter; scientia verò, quæ non habet hæc duo munera, non est sapientia formaliter, sed pura scientia; euidentia verò, & certitudo competunt scientiæ ex eo præcisè, quod est ex medio intrinseco, necessariò cõcludente. In subiecta materia sapientia simpliciter, qualis est, & theologia viatorum, vel metaphysica vniuersalissima influunt suam euidentiam, & certitudinem, quam habent, inquantùm scientia sunt, in scientias sibi subordinatas, non autem inquantùm sapientia est; quia est sapientia formaliter, præcisè ex eo quod habet prædicta duo munera; nimirum iudicare, & ordinare de scientijs inferioribus.

Sed hæc responsio patitur manifestam instantiam; priùs enim natura, est, in sapientia esse scientiam supremam de causa altissima, & suprema, quàm posse habere prædicta duo munera, quæ sunt iudicare, & ordinare de scientijs inferioribus. Quod probatur primò: quia sapientia ideò causaliter potest ordinare, & iudicare de scientijs inferioribus; quia est scientia de altissima, & suprema causa: secundò; quia sapientia ordinat, & iudicat de inferioribus sciẽtijs; quia eius principia, ex quibus suas deducit conclusiones, sunt vniuersalissima; sed scientia ex eo quod est ex principijs vniuersalissimis, est sapientia essentialiter. Tertiò; quia ordinare, & iudicare de scientijs inferioribus, sunt sapientię rationes materiales; sicut sunt practicũ, & speculatiuũ: adunãtur autẽ in metaphysica vniuersalissima sub ratione scibilis ex principijs vniuersalissimis; sicut practicum, & speculatiuum adunantur in theologia sacra viatorum sub ratione scibilis, ex principijs reuelatis vt scitis in superiori scientia; ordinare enim, & disponere de scientijs inferioribus possunt sumi, & vt differentiæ formales, & vt differentiæ materiales, sicut practicum, & speculatiuum: differentiæ materiales possunt esse actus vnius sapientiæ superioris; differentiæ verò formales nullo modo, vt suprà fusè, & latè ostendimus de practico, & speculatiuo.

Obijcies sextò: metaphysica vniuersalissima, sicut, & theologia sacra viatorum, procedunt ex principijs, vt scibilibus in superiori scientia, quæ est metaphysica supernaturalis secundùm suam substantiam, siuè essentiam; sed hoc contradicit sapientię simpliciter; ergo neque metaphysica vniuersalissima, neque theologia sacra viatorum possunt esse sapiẽtia simpliciter. Maior probatur; quia principia metaphysicæ supernaturalis secundùm substantiam, quam diximus esse in Beatis, cõcomitanter ad visionem beatificam, sunt vniuersaliora, quàm sint principia metaphysicę naturalis secundùm substantiam, siuè essentiam; at principia minùs vniuersalia possunt probari per principia vniuersaliora; totum hoc suprà latè ostendimus.

Respondeo: distinguo maiorem; metaphysica vniuersalissima, & theologia, procedunt ex principijs superioris scientiæ in eodem ordine scibilis, & nego: in diuerso ordine, & concedo; nam obiectum formale tàm theologiæ sacræ viatorum, quàm metaphysicę vniuersalissimæ in genere scibilis, est ordinis naturalis, vt ostendimus; licet obiectum formale in genere entis sit supernaturale: obiectum verò formale metaphysicę supernaturalis secundùm suam substantiam, non solùm in genere entis; sed etiam in genere scibilis formaliter, est ordinis supernaturalis; neque per hoc metaphysica vniuersalissima, & theologia sacra, distrahuntur à ratione sapientiæ simpliciter; quia metaphysica vniuersalissima, & theologia sacra viatorum, non sunt sapientia simpliciter, quæ est extrà omne genus; sed sunt sapientia simpliciter, quæ est extra vnum, vel plura genera sapientiæ, vt suprà explicauimus.

Obijcies septimò, inter alias sapientiæ conditiones, vt dicitur ab Aristotele 1. *metaph. cap. 2.* est vt sit gratia sui ipsius, & propter ipsum scire; sed metaphysica vniuersalissima, & theologia sacra viatorum secundùm se, non sunt gratia sui ipsius, & propter ipsum scire; quia non sunt scientia, & sapien-

pientia formaliter speculatiua; quandoquidem, vt suprà demonstrauimus cum S. Thoma; sicut theologia sacra viatorum, neque est formaliter practica, neque est formaliter speculatiua; ità neque metaphysica vniuersalissima maiori ratione, cũ sit superior formaliter theologia sacra viatorum secũdùm se, neque esse debet practica formaliter, neque speculatiua etiam inadæquatè.

Respondeo, distinguendo maiorem: vna ex cõditionibus sapientię, est, vt sit gratia sui ipsius, & propter ipsum scire; non quia sapientia intellectualis sit formaliter speculatiua; sed quia iudicat, & disponit de inferioribus scientijs, vt scientia superior, probando principia scientiæ speculatiuę, & practicę principijs vniuersalissimis intrà ordinem sui scibilis, quæ duo dicuntur gratia sui ipsius, & propter ipsum scire; quia non ordinantur ad alia vlteriora obiecta extrà ordinem sui scibilis; sed in ipsis sistunt, sicut scientia formaliter speculatiua, sistit in sola speculatione veritatis sui obiecti; sed totum hoc præstat metaphysica materialiter, non formaliter; quia præstat hoc infrà rationem scibilis supremi, quod positiuè, neque est practicabile, neque speculabile.

Obijcies octauo, sapientia est nobilior intellectu, vt probatur 1. 2. *quæst. 66. art. 5. ad 4.* sed theologia sacra viatorum non est nobilior habitu suorum principiorum, qui est fides diuina, neque metaphysica vniuersalissima est nobilior habitu suorum principiorum, qui est intellectus naturalis; supposita tamen fide diuina, vt conditione manifestante veritates supernaturales.

Respondetur, quod sapientia dicitur nobilior intellectu, qui est habitus principiorum; quia habitus principiorum solùm considerat principia prima, & indemonstrabilia propria explicatione terminorum. Sapientia verò, vt docet S. Thomas *præcit. loc. ad 4.* non solùm vtitur principijs primis, & indemonstrabilibus, quorum est intellectus; concludendo ex eis, sicut, & aliæ scientiæ: sed etiam iudicando de eis, & disputando contrà negantes: vnde sequitur, inquit, S. Thomas, quod sapientia sit maior virtus, quam intellectus, qui solùm cognoscit principia penetratione propria suorum terminorum: cognito enim præcisè, quid est totum, & quid est pars; statim cognoscitur, quod omne totum est maius sua parte; cognoscere autem rationem entis, & non entis, & totius, & partis vt sic, pertinet ad sapientiam; quia ens ex nihilo vt sic, est proprius effectus altissimæ causę, nimirum Dei, vt fusè probabitur in *quæst. de creatione*.

Obijcies vltimò; sapientia infunditur à Deo: connumeratur enim sapientia inter septem dona Spiritus Sancti; sed metaphysica vniuersalissima, & theologia sacra viatorum ex reuelatis vt scitis in superiori sciẽtia, sunt habitus per se acquisibiles nostris actibus; supposita tamen fide diuina, vt conditione manifestante veritates supernaturales.

Respondetur cum S. Thoma *art. 6. ad 3.* duplicem esse sapiẽtiam aliam moralem, quæ est habitus in voluntate existens, inclinans intellectum ad iudicandum, & ordinandum scientias inferiores ad finem virtutum moralium; & hæc sapientia est donum Spiritus Sancti per se infusum: & alia est sapientia purè intellectualis, quæ solùm iudicat, & ordinat scientias inferiores ad cognoscendum per altissima, & vniuersalissima principia, & hæc non est habitus per se infusus, sed acquisibilis actibus intellectus.

Quod si dicas sapientia moralis, etiam iudicat de scientijs inferioribus; quia iudicat de ordinatis, & rectis operationibus, quas debemus agere, secernendo illas ab inordinatis, & apparentibus.

Respondet optimè S. Thomas, quod sapientia moralis, quæ est donum Spiritus Sancti per se infusum, iudicat, & disponit de operationibus ordinatis, & rectis per modum inclinationis; sicut, qui habet habitum virtutis rectè iudicat de ijs, quæ sunt secundùm virtutem agenda, inquantùm ad illa inclinatur, iuxtà illud 1. ad Corinthios 2. *spiritualis* ( homo ) *iudicat omnia, & ipse à nemine iudicatur*; sapientia verò intellectualis iudicat per modum cognitionis, vt supra explicauimus.



QVÆ-

# QVÆSTIO SECVNDA DE METAPHYSICA VNIVERSALISSIMA.

## De ente reali vniuersalissimo.



NS reale vniuersalissimum, de quo proponitur quęstio, varijs definitionibus quid nominis explicari solet à Logicis, & Metaphysicis: ex Logicis quidem alij illud definiunt; ens, quod non est resolubile in aliud ens reale communius: alij verò, quod est prædicabile solùm de omni ente reali diuisim, siuè particulariter. Dicitur solùm de omni ente reali prædicabile, ad distinctionem entis vt sic, quod natum est prædicari, tàm de omni ente reali quocumque modo, quàm de omni ente rationali puro. Dicitur verò diuisim, seù particulariter; ad distinctionem entis actu vniuersalis, quod aptum est prædicari de omnibus entibus realibus vniuersaliter, vt cum dicimus, omnia entia realia esse ens reale; sicut cum dicimus, omnes homines esse vnum hominem. Ex Metaphysicis verò alij definiunt ens reale vniuersalissimum; ens, quod opponitur impossibili realiter vt sic: & alij definiunt ens, quod opponitur enti rationali puro; vtrique enim enti opponitur ens reale vniuersalissimum, non eodem genere oppositionis, sed diuerso: quod ostenditur; etenim impossibili realiter opponitur oppositione, veluti contradictoria, quod ex terminis manifestum est; nam ens reale dicitur quod est, vel esse potest realiter suo modo; ex opposito verò, ens impossibile realiter, quod nec est, nec esse potest realiter; cæterum enti rationali puro opponitur oppositione, veluti contraria: quandoquidem ens vt sic, diuiditur in ens reale, & in ens rationis purum; omnis autem diuisio fit per diuidentia opposita oppositione contraria, præsertim diuisio totius vniuersalis in sua inferiora, quę dicuntur eius partes subiectiuæ. Hę duę vltimæ metaphysicæ definitiones intimiùs significant, quodnam sit significatum hoc nomine, ens reale, quàm logicæ definitiones; metaphysicæ enim definitiones explicant illud per prædicata prima, seù formalia, quibus nimirum essentialiter constituitur ens reale vniuersalissimum, & contradistinguitur ab ente rationis puro.

(∴)

# ARTICVLVS PRIMVS.

## Quid sit ens reale vniuersalissimum.

IN quolibet scientifico quæsito, duo sunt necessariò prçcognoscenda ad illud sciẽtificè resoluendum, quid nominis, & quid rei. Primum, necessarium est ad determinandum subiectum scientificæ propositionis probandæ; scientificum enim quæsitum debet esse determinati prædicati de determinato subiecto. Secundum verò, nimirum quid rei, necessarium est ad determinandam causam, cur prædicatum insit, vel non insit suo subiecto; nam quod quid est rei, cum sit primum in re, est prima radix satisfaciens omni quæstioni. Iam explicatum est quid nominis entis realis vniuersalissimi. In hoc articulo autem inquiritur quid rei, scilicet natura, seù essentia entis realis vniuersalissimi, quæ quidem non nisi definitione rei explicatur; duplex autem est rei definitio, vt dicitur in Logicis, alia essentialis, alia accidentalis; essentialis traditur per sola prçdicata prima, siuè essentialia definiti, quæ sunt genus proximum, & differentia vltima essentialis; accidentalis verò per genus, & aliquam proprietatem quarto modo definiti. Cuius quidem ratio est; quia definitio essentialis habet rationem perfecti; perfectum autem est ex integra causa; accidẽtalis verò habet rationem imperfecti, quod est ex singulis defectibus.

Prima conclusio. Ens reale vniuersalissimum definitione essentiali nõ est aliud, nisi quod in se includit prædicata essentialia, non contradictoria inuicem. Vel, vt alij Metaphysici loquuntur, & in idem redit; ens includens prçdicata vniuersalissima, non contradictoria. Loquor in hac conclusione de ente reali, non secundùm quod est in se, sed secundùm quod est repræsentabile nostro intellectui ex perfectionibus, siuè prædicatis diuisis in ente creato, in quo, vt suo loco dicetur, distinguitur ens formaliter à tali ente. Et ratio est; quia loquor de ente reali vniuersalissimo, nõ quidem quãtùm ad vniuersalitatem in actu, à qua formaliter est vnum in multis inferioribus, & de eis prædicabile; sed quantùm ad quidditatem entis realis substratam vniuersalitati. Hæc definitio secunda æquipollet primæ, & ratio manifesta est; nam genus: & differentia primæ definitionis explicantur sine vlla determinatione; termini autem huiusmodi æquipollent terminis vniuersalissimis. Vtraque definitio sumitur in terminis ab Aristotele 5. *metaph.* & ab omnibus Scholasticis recipitur; sed non eodem modo illam explicare, & interpretari possunt. Alij enim possunt dicere, ens reale vniuersalissimum inuoluere intrinsecè, & essentialiter duo prædicata ambo realia non contradictoria inuicem. Alij possunt contendere ens reale vniuersalissimum ex suo genere inuoluere vnum prædicatum tantùm reale formaliter, & aliud præscindens à realitate. Alij denique possunt contendere ad ens reale vt sic, satis esse inuoluere conceptum præscindentem à prædicatis contradictorijs negatiuè, nimirum conceptum obiectiuum, non includentem in se cõtradictionem: ob quam opinionum diuersitatem, allatæ definitiones entis realis vniuersalissimi possunt esse controuersæ; an nimirum sint perfectæ, & veræ definitiones entis realis vniuersalissimi.

Primò; aliqui possunt contendere, eas definitiones esse imperfectas, & deficientes; ex eo quia perfecta definitio debet clarè, & adęquatè totã definiti essentiã explicare per prçdicata vltima, quæ sunt genus proximũ, & differentia: at hæ definitiones non explicant clarè totam essentiam entis realis vniuersalissimi per prædicata essentialia vltima; quoniam ens reale vniuersalissimum formaliter inuoluit prædicata realia; est enim definitum ens reale formaliter, cum sit contradistinctum ab impossibili realiter, & ab ente rationis puro: sed allatæ definitiones non traduntur per prædicata formaliter realia; nam ens reale definitur præcisè per prædicata non contradictoria sibi inuicem; at prædicata contradictoria vt sic, saltem explicitè non exprimunt eorum realitatem.

Secundò, alij possunt dicere, prædictas definitiones non competere enti reali vniuersalissimo; ex eo quia non competunt omni enti reali quocumque modo; perfecta autem definitio debet competere omnibus cõtentis sub definito: & probatur; quia competunt tantummodò enti reali complexo; at ens reale vniuersalissimum præscindit ab ente reali complexo, & incomplexo; quia est diuisibile in vtrũque: non posset autem in vtrumque diuidi diuisione superioris in sua inferiora, nisi præscinderet ab vtroque formaliter. Assumptum probatur; quia quod includit in se prædicata non contradictoria, est complexum, siuè compositum ex pluribus prædicatis non oppositis.

Tertiò, alij possunt contendere, prædictas definitiones deficere ex eo quia per eas

eas ponitur, ens reale vniuersalissimum in suo genere essentialiter includere plura prędicata non contradictoria, quod non est necessarium. Et probatur primò, nam satis est ad ens reale vt sic, non includere prædicata contradictoria, quod est longè diuersum ab includere prædicata contradictoria; etenim ex eo præcisè, quod ens non includit contradictoria, non repugnat ei, vt sit realiter; quia adæquata radix existendi realiter est contradictio terminorum, scilicet, quia prædicatum contradicit subiecto. Et confirmatur; nam per hoc præcisè, quod ens non includit prædicata contradictoria contradistinguitur adæquatè ab ente rationis puro, & ab impossibili realiter; adæquatum autem distinctiuum, est adæquatum constitutiuum formale.

Secundò, probatur principale intentum; quia ens reale vniuersalissimum est simplicissimum, cum sit irresolubile in aliud communius; at simplicissimum negat in se plura prædicata, vt componentia ad differentiam vnius, quod negat in se plura entia, vt diuidentia; per hoc enim distinguitur ens compositum ab ente simplici. Confirmatur; quia ens reale vniuersalissimum est primum cæterorum, quæ sunt in quocumque ente reali; primum autem in quocumque genere est simplicissimum, & vnum: simplicissimum quidem; quia si esset compositum, resolueretur in aliud prius, quælibet enim pars componens est prior, quàm compositum; est autem vnum, quia debet esse causa cæterorum, quæ vna est in quolibet genere.

His non obstantibus, allatæ definitiones veræ sunt; eorum autem sensus duplex potest esse. Primus sensus est, ens reale vniuersalissimum inuoluere essentialiter duo prædicata, ambo non contradictoria, & realia. Secundus sensus est, ens reale vniuersalissimum includere duo prædicata non contradictoria, vnum scilicet genericum præscindens à realitate; & aliud prædicatum differentiale, quod est realitas contrahens, ens vt sic ad ens reale: hæc autem realitas radicaliter in eo consistit, vt prædicata non sint inuicem contradictoria; ex hoc enim, quod prædicata entis non sunt contradictoria oritur, tamquam à prima radice, vt ens ipsum sit reale. Prædictæ definitiones intelliguntur non in primo, sed in secundo sensu.

Ratio fundamentalis prima est; quia ens reale vniuersalissimum inuoluit tãtummodò ens, & realitatem; nam præcisè est ens reale: sed hæc duo prædicata non sunt sibi inuicem contradictoria; quoniam ex contradictorijs vnum tollit illud ipsum, quod aliud ponit formaliter, vt ens, & non ens secundùm idem; siuè idem simul esse, & non esse: at ratio entis vt sic, nec tollit, nec ponit realitatem, quæ est veluti differentia contrahens ens, & constituens ens reale, cum ens vt sic præscindat à reali, & à rationali puro formaliter, neque è contra realitas tollit rationem entis vt sic; realitas enim non aliud dicit in sua radice, nisi prædicatum non repugnare subiecto, vel non esse contradictorium suo subiecto; hæc autem non contradictio non ponit ens formaliter vt sic; sed potiùs illud supponit, neque tollit illud formaliter; quia non est eius formalis negatio.

Dicet fortè Aduersarius. Ens vt sic, quod diuisibile ponitur in ens reale, & in ens rationis purum, non præscindit à suis inferioribus formaliter; quia essentialiter includitur in suis modis diuisiuis; vbi autem est inclusio vnius in alio, non potest esse præcisio perfecta vnius ab alio, sed conceptus obiectiuus, non perfectè præscindens à suis inferioribus, non solùm includit illa sub se, sed etiam in se: ergo ens vniuersalissimum; quia inuoluit in se etiam ens rationis purum, non est ens excludens à se prædicata contradictoria; quia includit in se ens rationis purum, quod essentialiter inuoluit prædicata contradictoria; tunc autem non includeret, quando perfectè præscinderet ens vt sic, à suis inferioribus formaliter.

Respondetur, ens vt sic dupliciter sumi posse; primò formaliter, & sic contradistinguitur à suis modis diuisiuis. Secundò, in sua tota latitudine, qua comprehendit ens formaliter, & ens materialiter; nimirum, tàm ens formaliter, quàm modos entis intrinsecos, qui sunt tale ens, siuè qui sunt ens materialiter, vt fusè explicabitur *quæst.* 3. Appello ens formaliter, quod est ens sua ratione formali; ens verò materialiter, quod est ens entitate, siuè ratione formali sui modificati. Ens primo modo perfectè præscindit à suis modis intrinsecis diuisiuis; huiusmodi enim ens nón includitur in suis modis intrinsecis, tamquam prædicatum formale; sed solùm tamquam prædicatum materiale: ens verò secundo modo non perfectè præscindit; quia solùm dicit id, quod est; hoc autem comprehendit, & confundit in se, non solùm ens, quod diuiditur, sed etiam suos modos diuidentes.

Respondebam olim huic argumento aliter; nimirum, quod ens vt sic, siuè ens reale vt sic, dupliciter potest sumi: primò in modo essendi, quem habet in se extrà intel-

le ctum, qui est modus essendi naturalis entis. Secundò, prout est in modo essendi intelligibili, in quo sensu Caietanus, quæ est sententia S. Thomæ, asserit, Angeli essentiam, prout est in modo essendi naturali, esse immultiplicabilem numero intrà eandem speciem: verùm si consideretur essentia Angeli in modo essendi intelligibili, quem potest habere in intellectu creato præscindente quidditatem entis à suis modis intrinsecis, essentiæ Angeli non repugnat multiplicatio indiuidualis intrà eandem speciem. Quæ quidem doctrina valdè acuta est, & conducit non solùm ad probandam præcisionem entis perfectam à suis inferioribus formaliter, sed etiam ad soluendam supradictam instantiam.

Secunda ratio conclusionis sumitur in terminis ab Aristotele 5. *metaph.* quia scilicet ens reale opponitur formaliter impossibili realiter; oppositorum autem opposita debent esse prædicata formalia: at impossibile realiter inuoluit essentialiter plura prædicata contradictoria; ergo ex opposito, ens reale debet includere plura prædicata non contradictoria. Discursus explicatione propria terminorum patet; etenim ens ex eo reale est, saltem tamquam à signo; quia ex suis intrinsecis potest realiter existere: sed possibilitas ad existendum realiter in ente non aliundè prouenit, nisi ex eo quod in ente prædicatum non contradicit suo subiecto; hac enim ratione, v. g. hominem esse lapidem, non potest existere realiter; quia prædicatum contradicit suo subiecto.

Dicet fortè Aduersarius. Ens reale vt sic reperiri intrinsecè, & formaliter adhùc in primo ente, quod est Deus; sed in Deo nō potest reperiri ratio entis possibilis, cum Deus sit essentialiter actus purus; possibile verò inuoluit potentialitatem permistam, quæ contradicit actui puro.

Possunt aliqui primò respondere, ens in creatis duo inuoluere in suo conceptu; nimirum posse esse realiter, & actu esse realiter: concedunt in Deo reperiri ens reale, quantùm ad hoc, quod est actu; non autem quantùm ad hoc, quod potest esse realiter. Explicatur distinctio hæc alia consimili distinctione, quam docet S. Thomas 1. *par. quæst.* 25. *art.* 1. *ad* 3. dicens potentiam actiuam in creatis, non solùm esse principium actionis; sed etiam esse principium effectus: qua distinctione asserit S. Thomas, in Deo esse potentiam actiuam quantùm ad hoc, quod est principium effectus; non autem quātùm ad hoc, quod est principium actionis; quia hoc secundum dicit imperfectionem potentiæ ad actum, quæ repugnat actui puro. Pariter in re nostra potest dici, in Deo reperiri formaliter ens reale vt sic, quatenùs ens reale dicit id, quod est; non autem secundùm quod dicit, quod est possibile esse realiter.

Sed hæc responsio inadæquatè soluit rationem; nam ens reale vt sic, non solùm dicit id, quod est; sed etiam quod est possibile realiter, & secundùm se. Ratio huius est, quoniam ens reale vt sic opponitur impossibili realiter; hæc autem oppositio in eo sita est, quod vnum oppositorum est secundùm se possibile; aliud verò est secundùm se, & absolutè impossibile; ratio autem possibilis realiter vt sic secundùm se, & absolutè, est etiam in Deo; quia hoc non aliud dicit, nisi quod inuoluit prædicata non contradictoria, seù compossibilia simul; prædicata autem, quæ sunt in Deo, sunt inuicem non contradictoria.

Respondeo facillimè, duplex esse possibile, sicut duplex esse reale, vt distinguunt Logici, & Metaphysici; nimirum possibile, quod opponitur impossibili secundùm se; & possibile, quod opponitur necessario: hoc secundum inuoluit essentialiter permixtam potentialitatē; quia quod opponitur necessario, est essentialiter contingens. Cæterum ens reale vt sic, siuè vniuersalissimum, est essentialiter possibile, quod opponitur impossibili simpliciter, & absolutè; non autem est possibile, quod opponitur necessario; hoc enim possibile est pars subiectiua possibilis, quod opponitur impossibili, & hoc possibile tantùm abest, vt Deo repugnet, vt potiùs necessariò sit in Deo; quia præscindit à potentialitate; quod si ponatur hoc possibile, diuisibile intrinsecè in Deum, & creaturam (vt fusè dicetur cum sermo erit; an ens reale sit vniuocum Deo, & creaturis) possibile oppositum necessario, contradicit Deo; quia inuoluit intrinsecè potentialitatem ad vtrumlibet.

Alij distinguunt possibile in possibile logicum, & in possibile physicum. Alij distinguunt possibile in possibile secundùm potentiam obiectiuam, aut subiectiuam; & in possibile per non repugnantiam prædicati cum subiecto; quibus distinctionibus dicunt ens reale vt sic, esse possibile logicum, non physicum; vel esse possibile per non repugnantiam terminorum, quod differt à possibili per solam nō repugnantiam terminorum; quia hoc est pars subiectiua possibilis per non repugnantiam, non autem possibile per potentiam obiectiuam, aut subiectiuam.

Po-

Poteſt adhùc inſtare Aduerſarius, poſſibile, vt contradiſtinctum ab impoſſibili ſecundùm ſe, adhùc eſſentialiter includit potentialitatem, ſaltem obiectiuam; nam, vt docent Theologi, & præſertim S. Thomas *1. par. quæſt. 25. art. 3. in corp.* poſſibile ſecundùm ſe, & abſolutè eſt obiectum, ſiuè terminus ſecundarius diuinę potentię creatiuæ; Deus enim, inquiunt, poteſt quidquid in ſuis prædicatis non inuoluit contradictionem: at quod poſſibile eſt fieri à Deo, eſſentialiter potentiale eſt potentialitate, ſaltem obiectiua; diſtinguunt enim Theologi cum S. Thoma, poſſibile abſolutum, & poſſibile relatiuum ad potentiam Dei potentis illud creare; obiectum potentiæ creatiuæ Dei dicunt eſſe poſſibile abſolutum, quod definiunt, illud, in quo prædicatum non contradicit ſuo ſubiecto, vt hominem volare, hominem exiſtere, & huiuſinodi, & hoc poſſibile dicitur poſſe fieri à Deo.

Reſpondetur, poſſibile ſecundùm ſe, & abſolutè eſſe duplex, aliud ſcilicet, quod opponitur impoſſibili ſecundùm ſe, & aliud, quod opponitur neceſſario; poſſibile abſolutum primo modo vniuerſaliùs eſt poſſibili contingenti: huius ratio eſt; quia poſſibile ſecundùm ſe, & abſolutum primo modo contradiſtinguitur ſolùm à poſſibili relatiuo ad potentiam Dei actiuam. Potentia autem Dei ſe extendit ad poſſibile tantummodò potentiale; ſecùs Deus poſſet creare ſe ipſum ſi ſe extenderet ad poſſibile, ſecundùm quod poſſibile primo modo.

Quod ſi dicas, poſſibile ſecundùm ſe eſt ratio prima, cur Deus poſſit illud creare, ideò enim cauſaliter Deus poteſt creare hominem; quia homo ſecundùm ſe poſſibilis eſt; nimirum, quia in ſuis prædicatis non inuoluit contradictionem, quod ex oppoſito oſtenditur manifeſtè; cauſa enim cur Deus non poteſt creare hominem equum, eſt; quia implicat hominem eſſe equum; ergo ex oppoſito, ideò poteſt creare hominem; quia homo in ſuis prædicatis præcisè non dicit contradictionem.

Reſpondeo primo, diſtinguo antecedens. Ratio, cur Dus poteſt creare hominem, eſt; quia homo præcisè non inuoluit contradictionem in ſuis prædicatis, & nego; aliter Deus adhùc poſſet creare ſe ipſum, quia Deus in ſuis prædicatis abſolutis non inuoluit contradictionem. Ratio cur Deus poſſit creare hominem, eſt; quia homo eſt poſſibilis ſecundùm ſe potentialis, & concedo; producibilitas enim cum diuiſione eſſe, tamquam à prima radice fundatur in potentialitate; nimirum in poſſibili contingenti, ſiuè potentiali; ad probationem ex oppoſito reſpondeo cum diſtinctione. Homo enim equus non poteſt fieri à Deo; quia implicat contradictionem in ſuis prædicatis potentialibus; non autem præcisè, quia implicat contradictionem; & ratio manifeſta eſt, quia homo equus dicit contradictionem in terminis potentialibus, qui ſunt homo, & equus.

Reſpondeo ſecundò ad principale; rationem a priori cur Deus poteſt producere hominem præcisè, & non hominem leonem eſſe; quia Deus eſt præcisè primum ens reale, ſiuè primum ens poſſibile per ſolam non repugnantiam terminorum, quod hunc in modum oſtenditur; nam vnumquodque non poteſt producere, niſi ſibi ſimile, Deus non poteſt producere hominem equum; quia Deus in ſe non eſt primum implicans contradictionem. Vnde ratio cur Deus à priori non poteſt producere hominem equum, non eſt implicantia obiecti extrà Deum; ſed quia Deus non eſt ipſum impoſſibile; effectus enim ſemper debet eſſe aliquo modo ſimilis ſuæ cauſæ, cum ſit expreſſio formalis ſuæ cauſæ; nimirum perfectionis exiſtentis in ſua cauſa: tantummodo impoſſibilitas entis creati eſt ratio ipſimet enti, vt non ſit producibile à Deo; ſicut, v. g. futuritio in futuro creato, vel creabili ſuo tempore non eſt cauſa Deo, vt illud cognoſcat cognitione intuitiua; ſed ſolùm eſt cauſa formalis ipſi futuro, vt ſit cognoſcibile à Deo intuitiua cognitione.

Ad argumenta in oppoſitum facilis eſt reſponſio.

Reſpondetur enim ad primum primæ ſententiæ, realitatem non eſſe differentiam eſſentialem entis realis eſſentialiter, ſed primam proprietatem; nominatur autem ens reale eſſentialiter illud, quod in ſuis prædicatis non inuoluit contradictionem; explicatur verò nomine ſuæ proprietatis; quia differentiæ primæ, & eſſentiales, vt in pluribus carent proprio nomine, & ideò eas circumſcibimus varijs nominibus, vt in re noſtra: differentia eſſentialis entis, prout cõtradiſtinguitur ab impoſſibili, explicatur his terminis; nimirum, quia illud, quod dicimus reale non inuoluit in ſuis prædicatis eſſentialibus contradictionem; ex prædicatis enim non contradictorijs in ente, tamquam à prima radice oritur, vt illud ſit reale; nimirum independens ab intellectu, tamquam à ſola cauſa obiectiua, vel vt poſſit exiſtere realiter, nimirum independenter ab intellectu fingente impoſſibile.

Ad argumentum ſecundę opinionis in op-

oppoſitum reſpondetur, duplex eſſe ens reale complexum: aliud eſt cōplexum ex vtroque termino reali, vt homo, vel equus; & huiuſmodi ens reale eſt pars ſubiectiua entis realis vniuerſaliſſimi: & aliud eſt ens reale complexum ex ente vt ſic, & ex modo reali, ſiuè ex realitate, quæ ſolùm dicit, prędicata entis non eſſe contradictoria, vel non eſſe incompoſſibilia, ſed compoſſibilia; & huiuſmodi eſt ens reale vniuerſaliſſimum. Cæterum ens vt ſic, quod diuiditur in ens reale, & in ens rationis purum, præſcindit ab vtroque complexo, & hoc eſt ſimpliciſſimum ſimpliciter; non autem in aliquo genere, vel ordine.

Ad argumentum tertiæ opinionis reſpondetur, dupliciter poſſe intelligi ens eſſe reale ex eo quod non includit contradictionem; vno modo, præciſiuè, ſeù negatiuè; alio modo, excluſiuè, ſiuè poſitiuè. Ad ens reale formaliter, requiritur, vt excludat à ſe poſitiuè prædicata contradictoria; non autem vt præſcindat à contradictorijs, vel non contradictorijs; præciſio enim ab iſtis prædicatis, veluti differentialibus, conſtituit ens vt ſic, quod eſt indifferens ad ens reale, & ad ens rationale purum; ſicut ad conſtituendum hominem, non ſatis eſt, vt ſit animal præſcindens à rationali, & irrationali; ſed neceſſariò requiritur, vt inuoluat tamquam differentiam eſſentialem, rationale.

Ad probationem, qua dicitur: ens reale adæquatè conſtituitur per hoc, quod non includit contradictionem, diſtinguo; per hoc, quod non includit excluſiuè, & poſitiuè, & concedo; per hoc, quod non includit præciſiuè, & negatiuè contradictionem, & nego: per hanc enim non incluſionem præciſiuam, & negatiuam, ens neque eſt reale, neque eſt rationis purum; ſicut homo ex eo quod eſt animal præcisè non eſt homo; ſed eſt tantùm animal, quod præſcindit ab homine, & à bruto formaliter. Probatur euidenter etiam ex oppoſito enti reali, quod eſt impoſſibile realiter; nam impoſſibile realiter inuoluit prædicata contradictoria: ergo ex oppoſito ens reale debet includere eſſentialiter prædicata non contradictoria; non autem debet præſcindere ab eis; ens enim reale eſt pars ſubiectiua entis vt ſic; pars autem ſubiectiua includit eſſentialiter conſtitutiuè; non ſolùm prædicatum genericum, ſed etiam differentiale, vt homo, qui eſt pars ſubiectiua animalis; non ſolùm includit animal, ſed etiam rationalitatem.

Ad vltimum argumentum, cum dicitur, ens reale eſſe ens ſimpliciſſimum; reſpondetur, eſſe ſimpliciſſimum in genere entis realis, non autem in genere entis vt ſic; nam ens ſimpliciſſimum intra genus entis realis non debet includere, ſed potius excludere, plura prædicata realia componentia, vel ſaltem debet præſcindere ab ente compoſito ex vtroque prædicato reali; non autem ab vno prædicato præſcindente à reali, & ab alio reali formaliter.

Secunda concluſio. Ens reale vniuerſaliſſimum pluribus definitionibus accidentalibus definibile eſt; duæ autem ſunt præcipuæ. Prima: ens reale dicitur, quod eſt, vel eſſe poteſt realiter; nimirum ſine vlla dependentia à ratione, vt à ſola cauſa obiectiua. Eſt ratio, cauſa ſolùm obiectiua, cum cognoſcendo fingit impoſſibile. Secunda eſt: ens reale dicitur, quod poteſt eſſe, ex eo quia in eo prædicatum non repugnat ſuo ſubiecto. Vtraque poſſibilitas eſt proprietas entis realis radicaliter: dico entis realis radicaliter; quia realitas nō eſt eſſentia entis, quod communiter reale appellamus, ſed tantummodò paſſio; ſicut definimus hominem, animal rationale, vt definitio eſſentialis ſit, debet ſumi rationale radicale, non autem formale; radix enim prima diſcurrendi in homine eſt differentia eſſentialis conſtitutiua hominis. Vna difficultas ſoluenda eſt in hac concluſione, antequam probetur; nimirum quam ob cauſam definitio eſſentialis vnius eſſentiæ in determinato genere non poteſt eſſe, niſi vna; definitiones verò accidentales in vno determinato genere poſſunt eſſe plures: ſed ſolutio in promptu eſt, hæc enim diuerſitas oritur ex duplici capite; primum eſt, quia rerum eſſentiæ ſunt veluti numeri, qui ſola additione, vel ſubſtractione vnius prædicati eſſentialis ſpecie variantur; hæc autem ratio non reperitur in definitionibus accidentalibus vnius eſſentiæ in vno determinato genere; quia differentia accidentalis non eſt prædicatum intrà, ſed extrà eſſentiam definiti. Secundum caput eſt; quia prædicatum formale in definitione eſſentiali, eſt primum in eſſentia definiti omniū, quæ conueniunt ſpeciei definiti: primum autem in vnoquoque genere non poteſt eſſe, niſi vnum; quia eſt per ſe cauſa cæterorum extrà ſe in eodem genere; nam prædicata accidentalia, ſiuè propria, ſiuè communia ſunt ſecunda. Secunda verò prædicata poſſunt eſſe plura in eodem genere, in vno, & eodem ſubiecto. Notanter diximus, definitionem eſſentialem vnius eſſentiæ in vno determinato genere; quia vna eſſentia poteſt eſſe in pluribus generibus; & in re noſtra, eſſentia, v. g. hominis poteſt eſſe in

ge-

genere physico, & in genere metaphysico, in genere physico definitur genere, & differentia physicis, vt sunt materia, & forma rationalis, vel corpus, & anima rationalis. In genere verò metaphysico sunt; animal, & rationale, qui non sunt formaliter materia, & forma, sed gradus formales; vnus genericus, alius verò differentialis.

Quod si dicas, eadem in re est essentia physica, & essentia metaphysica hominis; ergo non potest definiri pluribus definitionibus essentialibus diuersis: responsio in promptu est, nam est eadem essentia materialiter, non autem formaliter; quia sola diuersitas generis variat essentiam formaliter, quemadmodum eadem materia est causa materialis, & causa formalis, ex eo formaliter; quia est causa, & effectus suæ formæ in diuerso genere causæ. His explicatis.

Ratio conclusionis fundamentalis est primò; quia vtraque definitio est veluti per genus, & proprietatem specificam; sed hæc duo sufficiunt ad definitionem logicam accidentalem. Genus est illud, quod est; proprietas verò specifica est possibilitas ad essendum realiter. In prima definitione, est possibilitas ad essendum realiter per independentiam à ratione cognoscente impossibile, vel potius fingente impossibile; hoc enim sonat ly esse, vel posse esse realiter. In secunda verò definitione, possibilitas ad essendum realiter distinguitur à prædicta prima possibilitate; nam dicit possibilitatem ad essendum realiter, quatenùs oritur ex quidditate sui subiecti, in quo prædicatum non contradicit subiecto; prima enim possibilitas explicatur per independentiam à ratione fingente impossibile. Secunda, per dependentiam ex essentia subiecti, quatenùs non includit contradictionem in suis terminis essentialibus.

Dicet fortè aliquis Aduersarius; ex hac doctrina sequi, ens rationis purum esse idem formaliter, quod impossibile realiter saltem cognitum, vt impossibile: at hoc non communiter conceditur; quia impossibile realiter est quoddam non ens reale, ens verò rationis purum est essentialiter ens, & intrà ens; quia ens vt sic, quod opponitur non enti vt sic, diuiditur in ens reale, & in ens rationale purum: quod ex eo probatur; quia ens vt sic, formaliter præscindit à suis diuisiuis; quia diuisiua entis vt sic, sunt modi intrinseci essendi, vnus est modus essendi realiter, & alius est modùs essendi obiectiuus purus, qui nimirum ex eo præcisè competit enti; quia cognoscitur: at ens formaliter præscindit à suis modis diuisiuis intrinsecis. Hac ratione motus probabam aliquando in logica, ens rationis purum esse intrinsecè ens, sed obiectiuum tantùm.

Respondetur, quod sicut ens reale, vt probabitur articulo sequente, aliud est positiuum, & aliud est negatiuum; ità ens rationale purum, aliud est positiuum, & aliud est negatiuum; positiuum quidem fit per falsam, seù apparentem applicationem terminorum positiuorum incompossibilium, vt cum concipimus esse possibile, hominem equum; negatiuum verò est cum concipimus negationem realem vnius, esse intrinsecè negationem alterius, vt cum concipimus tenebras, quæ sunt negatio realis lucis, esse intrinsecè, & essentialiter negationem nigredinis; ex terminis enim negatiuis oppositis fit impossibile negatiuum, quod est ens rationis negatiuum; ex terminis verò positiuis oppositis, vel ex vno termino negatiuo, & alio positiuo, oppositis, fit ens rationis positiuum purum; quemadmodum è conuerso ex terminis negatiuis, non oppositis fit ens reale negatiuum, vt cæcitatem esse nihil, & tenebras in aere esse intrinsecè priuationem lucis; & fortè hæc distinctio, & diuisio duplicis entis rationis puri fuit multis Scholasticis causa, vt dixerint, impossibile cognitum, vt impossibile, esse adhùc ens rationis; non .n. dixerunt ens rationis purum in suo genere esse idem, quod impossibile cognitum, vt impossibile; sed solùm dixerunt, impossibile cognitum, vt impossibile esse ens rationis; putauerunt enim huiusmodi impossibile cognitum, vt impossibile in actu secundo esse partem subiectiuam entis rationalis puri.

---

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### Vtrum ens reale vniuersalissimum sit diuisibile in ens reale positiuum, & in ens reale negatiuum, diuisione intrinseca realitatis in plures realitates.

DVO puncta proponuntur in hoc articulo examinanda; primum est vtrum ens reale vniuersalissimum, quod scilicet opponitur impossibili realiter, sit diuisibile in ens reale positiuum, & in ens reale ne-

ga-

gatiuum. Appello hic ens reale positiuum, ne fiat quæstio de voce, ens quod est, vel esse potest extrà nihilum possibile realiter; nimirum extrà nihilum, quod non inuoluit contradictionem in suis prædicatis, vt, v.g. non homo, non lapis, &c. negatio enim siuè carentia hominis, vel lapidis in suis prędicatis nullam inuoluit contradictionem. Ens verò reale negatiuum appello, negationem, siuè carentiam realem entis realis positiui; ens enim, & non ens, sunt duo extrema diuersa. Notanter definitur ens reale negatiuum, negatio realis entis realis positiui; quoniam ad rationem non entis realis positiui non sufficit, vt sit negatio entis realis positiui; sed etiam requiritur, vt sit realiter negatio, siue carentia entis realis positiui ad distinctionem negationis intentionalis entis positiui realis, vt, v. g. est negatio singularitatis in natura humana abstracta ab intellectu à singularibus differentijs illam diuidentibus. Secundum punctum est, an diuisio entis realis in ens reale negatiuũ, & in ens reale positiuum, sit diuisio intrinseca entis in diuersa entia realia: an verò diuisio vnius, & eiusdem entis secundùm diuersos status; datur enim duplex diuisio realis; vna, qua diuiditur ens in diuersa entia, & huiusmodi est diuisio entis in substantiam, & accidens, vel diuisio entis realis in potentiam subiectiuam, & in actum subiectiuum in ratione entis; etenim potentia subiectiua, & actus subiectiuus sunt duę realitates realiter; alia verò diuisio realis est, qua diuiditur ens secundùm diuersos status, & huius conditionis est diuisio, qua diuiditur ens in ens possibile, & in ens actuale in ratione obiecti, siuè termini potentiæ actiuæ agentis, siuè increati, siuè creati; idem enim est realiter homo possibilis, & homo actualis, siuè homo in potentia, & homo in actu in ratione obiecti, cum sola diuersitate status, vt infrà latè probabitur. Circà has duas diuisiones entis, solùm desiderari potest ratio; quando nam modi, siuè status essendi, sunt diuisiui intrinsecè realitatis in diuersas realitates, & quando sunt diuisiui tantummodò realitatis, solùm in diuersos status. Huius quæsiti hæc ratio nunc occurrit, quando ens est vnum genere, vel specie; tunc diuisibile est intrinsecè in plura entia diuersa, vt cum diuiditur animal in hominem, & brutum; & homo in Petrum, & Paulum: quando verò ens reale est vnum numero, siuè indiuiduum entis; tunc non est diuisibile ens, nisi in diuersos status, siuè modos diuersos eiusdem, & huius conditionis est ens creatum; quia non est creabile, nisi ens singulare, & indiuiduum; & hoc diuiditur in ens possibile, & actuale in ratione obiecti, siuè termini; quatenùs scilicet in priori naturæ est in potentia ad produci, dicitur ens possibile obiectiuum; quatenùs verò in posteriori naturæ est actu productum, dicitur ens actuale obiectiuum; quia est actu terminus potentiæ agentis creantis.

## PVNCTVM PRIMVM.

OMnes Scholastici diuidunt ens in ens reale positiuum, & ens reale negatiuum; sed in explicando diuisum, & membra diuidentia, longè inter se diuisi esse possunt.

Aliqui enim primò contendere possunt, diuisum non esse ens reale vniuersalissimum, quod nimirum dicit ens, & realitatem entis; sed solùm independens à ratione fingente; seù reale, quod saltem præcisiuè, non dicit, ens esse diuisum in hac diuisione; idque probant.

Primò, quia diuisum debet esse commune diuidentibus membris; sed enti positiuo, & enti negatiuo nihil potest esse commune, nisi prædicatum reale, siuè independens à ratione fingente, quod præscindit ab ente.

Secundò; quia ens reale vt sic, opponitur non enti reali, vel est extrà nihilum realiter; at hoc est ens positiuum, quod non potest diuidi in positiuum, & negatiuum; quia diuisibile in positiuum, & negatiuum, vt superius in sua inferiora, debet præscindere realiter à suis inferioribus formaliter; hoc autem non potest esse, nisi esse independens à ratione fingente, vel reale vt sic.

Tertiò, quia ens reale positiuum, & non ens reale positiuum sunt prima contradictoria formaliter; concernunt enim ens reale in sua vniuersalitate; at primis contradictorijs formaliter nõ potest dari aliud commune, nisi reale præcisè, vel esse suo modo independens à ratione fingente; vtrumque enim contradictorium reale est, seù independens à ratione fingente impossibile; sed vnum tantùm est ens, aliud verò est non ens; vnum est affirmatio, aliud verò negatio eiusdem secundùm idem.

Quod si dicas, ens reale positiuum, & non ens reale positiuum esse contradictoria, non in ratione entis realis vt sic, quod est ens reale per solam oppositionem ad impossibile realiter; sed solùm esse contradictoria in ratione entis positiui formaliter; statim possent dicere Aduersarij. Primò, si da-

daretur cōceptus obiectiuus communis enti reali positiuo, & non enti reali positiuo, huiusmodi conceptus obiectiuus, neque esset ens, neque non ens; quia diuisibile abstrahit à suis diuidentibus formaliter; hæc autem abstractio non est in contradictorijs primis formaliter. Secundò, quia non ens reale positiuum est pars subiectiua nihili realis, non autem entis realis: at vnum oppositorum non potest prædicari de partibus subiectiuis sui oppositi formaliter, v. g. homo non potest prædicari essentialiter de non homine. Tertiò, si ens reale vniuersalissimum diuideretur in ens reale positiuū, & in ens reale negatiuum, adhùc ens rationis purum vniuersalissimum diuideretur in ens rationis positiuum, & in ens rationis negatiuum per regulam 1. *topic.* quot modis dicitur vnum oppositorum, tot dicitur, & aliud; sed ens rationis purum non est diuisibile in positiuum, & negatiuum; quia ens rationis purum ex eo præcisè ens est; quia falsò applicantur à ratione termini incompossibiles realiter in vnum, vt homo leo in vnam essentiam; ens enim rationis purum est omninò incapax ad existendum realiter; hæc autem incapacitas non aliundè oritur, quam ex incompossibilitate terminorum; hoc autem ens positiuum est, sed rationis purum. Secundò, alij contendunt, diuisum in hac diuisione esse ens reale, quatenùs ens reale dicitur, ex eo quod potest esse realiter subiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ, quæ distinctio sumitur ab Aristotele 5. *metaph. cap.* 7. quam hoc in loco latè explicat S. Thomas, & in *opusc. de ente, & essentia, cap.* 1. differt hæc opinio à prima; quia ens, quod potest esse realiter subiectum veræ propositionis, est ens per ordinem ad veram, & realem propositionem, tàm negatiuam, quàm affirmatiuam; esse verò independens à ratione fingente, vel esse reale vt sic, præscindit saltem negatiuè ab ordine ad veram propositionem.

Fundamentum opinionis est, tùm quia huismodi ens, quod est, vel esse potest realiter subiectum veræ propositionis, competit tàm enti positiuo reali, quàm non enti reali positiuo; vtrumque enim potest esse realiter subiectum propositionis veræ, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ: & de se hoc ens non requirit, vt sit extrà nihilum realiter; quia vt dixi, adhùc non ens reale potest realiter esse subiectum veræ propositionis; hoc autem dici non potest de ente reali vt sic; quia ens reale vt sic, necessariò debet esse positiuum, quia est extrà nihilum realiter.

Neque dicas, huiusmodi ens, esse extrà nihilum impossibile, & non extra nihilum possibile; quia statim potest dicere Aduersarius, nihilum impossibile, adhùc nihil formaliter est; est enim pars subiectiua nihili realiter vt sic.

Tertiò, possunt alij dicere, & contendere; diuisum in hac diuisione esse ens reale positiuum; sed quatenùs præscindit ab ente reali positiuo in recto, & ab ente reali positiuo in obliquo. Ens reale in recto, & formaliter, est, de quo prædicatur ens positiuum in recto, vt, v. g. homo, lapis; dicitur enim in recto, homo est ens positiuum, & sic de cæteris consimilibus: ens verò reale in obliquo, est, de quo dicitur ens reale positiuum in obliquo; & huiusmodi est negatio realis, siuè realis carentia entis positiui, vt negatio realis hominis, sicut accidens est substantia in obliquo, non in recto; definitur enim accidens, entis ens.

Fundamentum huius sententiæ est; quia ens reale opponitur non enti reali; hoc autem est ens positiuum reale; quia est extrà suum nihilum realiter; ens autem positiuum, quia abstrahit à positiuo in recto, & à positiuo in obliquo, absque vlla repugnantia est diuisibile in vtrumque.

Quod si opponas: adhùc negatio realis entis positiui realis, est ens in recto; quia intrinsecè, & in recto est possibilis; possibile autem est formaliter ens; quia contradistinguitur ab impossibili, quod non est ens reale, sed quoddam nihilum. Possunt respondere, negationem realem esse possibilem in obliquo, non in recto; quandoquidem negatio realis entis positiuè realis, dicitur realis, & possibilis; quia est negatio entis realis, & possibilis, sicut, v. g. accidens denominatur ens substantiale in obliquo; quia scilicet est ens substantiæ.

Quod si iterum opponas, negationem realem esse distinctam realiter ab ente positiuo opposito, & vt sic distincta, intrinsecè realis est: reale autem, adhùc ens est; quia est extrà non reale, vel fictum. Respondent negando assumptum, vel quia negatio realis saluatur tantummodò, quod forma positiua est absens à suo subiecto, aut à tempore, in quo erat, vel poterat esse, vel quia dicitur realis sufficienter ex eo quod est entis realis positiui, sicut accidens dicitur ens ab entitate substantiæ, quatenùs ens accipitur pro substantia.

Quartò, possunt alij contendere, hanc diuisionem esse eandem cum illa diuisione, qua diuiditur ens reale in ens reale in actu, & in ens reale in potentia in ratione obie-

cti. Hanc sententiam expresse tuetur Suarez *tom. 2. sua metaph. disp. 31.* vbi statuit hoc tamquam primum, & vniuersale principium; ens nimirum in actu, & ens in potentia in ratione obiecti, distingui inter se, tamquam ens, & non ens: quæ distinctio, inquit, ab aliquibus vocatur distinctio realis negatiua, eò quod vnum extremum est ens; aliud verò non ens, ad differentiam distinctionis realis positiuæ, ad quam requiritur, vt vtrumque extremum sit positiuum. Fortè fundatur hæc Suarez opinio in Sancto Thoma 1. *par. quæst. 14. art. 9.* vbi ait, entia possibilia esse non entia; quia possibilia vt sic, non sunt entia actu; nam entia actu, sunt in aliqua differentia temporis, vel actualis, vel possibilis; entia verò possibilia, vt possibilia, non sunt in aliqua differentia temporis, & hæc dicuntur non entia actu, id quod non tollit quin sint entia in potentia; quia hæc prædicata esse ens in potentia, & non esse ens in actu, non sunt secundùm idem. Hæc distinctio sumitur ab Aristotele 12. *metaph. tex.* 8. vbi dicit, quod sicut duplex est ens, scilicet ens actu, & ens in potentia; ità duplex est non ens, nimirum non ens actu, & non ens in potentia: & in hoc sensu, quantùm capio, Suarez, & alij intelligunt diuisionem entis realis in ens positiuum, & ens negatiuum; mouentur autem ex eò quia membra huius diuisionis ambo debent esse ens, sed non possunt ambo esse ens; nisi quia vnum est ens in potentia, & aliud est ens actu; quoniam, vt diximus cum S. Thoma *loco supra cit.* nihil prohibet, quod non est ens actu esse ens in potentia, siuè intelligatur diuisio entis in ens actu, & in potentia, & de actu, & potentia in ratione subiecti, siuè de actu, & potentia in ratione obiecti.

Quintò, possunt alij contendere in hac diuisione diuidi ens reale, quatenùs præscindit ab ente reali propriè dicto, & ab ente reali abusiuo, quæ distinctio duplicis entis, communiter affertur à Scholasticis, vt explicet, quomodo negatio realis entis realis positiui, quæ essentialiter est non ens reale positiuum, sit intrinsecè ens reale, quod diuiditur in negatiuum, & positiuum, quandoquidem esse intrinsecè ens reale, & esse reale negatiuum sunt contradictoria; quia esse ens, est esse extrà nihilum; esse verò intrinsecè reale negatiuum, est esse intrinsecè non ens reale. Supponit autem horum sententia negationem, siuè priuationem realem formæ positiuæ esse realitatem distinctam; nimirum distinctione negatiua à forma positiua negata, v. g. supponit in ligno independenter ab omni intellectu cogitante reperiri, quod lignum sit formaliter non lapis, & contendit hanc negationem realem lapidis in ligno esse tantùm ens abusiuum; non autem ens reale propriè dictum: nam, inquit, nos vocamus negationem, vel priuationem realem, ens reale, abutendo nomine entis realis propriè dicti; neque sine aliquo fundamento, quandoquidem hæc negatio realis formæ realis est in aliquo subiecto realiter, quod est sufficiens fundamentum, vt appelletur ens reale abutendo nomine entis realis positiui; idque.

Probant. Primò; quia huiusmodi negatio realis formæ positiuæ realis est extrà suum nihilum realiter; quia antequam sit in ligno, in priori est in potentia; quod autem ex potentia traducitur in actum, fit extrà suum nihilum realiter. Secundò; quia est independens ab omni intellectu cogitante; hoc autem sufficit, vt sit reale ens, non quidem propriè dictum; quia hoc est ens positiuum: sed abusiuè; quia habet aliquam conuenientiam cum ente reali positiuo in esse independenter ab omni intellectu cogitante.

Sextò, sunt aliqui doctissimi viri, qui contendunt, diuisionem entis realis in ens positiuum, & in ens negatiuum, esse diuisionem vnius, & eiusdem entis secundùm diuersos status; non autem vnius entis in diuersa entia: sicut diuisio entis realis in ens in potentia, & in ens in actu in ratione obiecti, non est diuisio entis in diuersa entia; sed vnius, & eiusdem entis in diuersos status; quia idem, v. g. est homo in actu, & homo in potentia; quia ille ipse homo, qui nunc est actu, in priori fuit in potentia; idque probant.

Primò, quia non est dabile realiter nō ens reale distinctum distinctione realitatis ab ente reali negato: v. g. putant docti Scholastici, negationem lapidis in ligno, vel albedinis realis positiuæ, à qua lignum denominatur accidentaliter, & separabiliter non lapis, & non albedo, esse realitatem distinctam ab esse lapidis, & ab esse albedinis. Alij verò, adhùc doctissimi viri, dicunt hanc realitatem negatiuam distinctam à realitate positiua negata, esse non solùm superfluam, seù impertinentem; sed etiam impossibilem; esse quidem impertinentem, & superfluam probant hac ratione; quia, vt lignum, v. g. sit realiter priuatum forma lapidis; saluatur sufficienter per hoc, quod à parte rei lignum non est lapis; sed, vt lignum realiter non sit lapis, satis est, quod lapis sit ab-

absens à ligno, quod est longè diuersum ab eo, quod dicitur lignum esse non lapidem per negationem realem distinctam à lapide, à qua lignum est formaliter non lapis; quod verò hęc negatio realis distincta realiter ab esse negato, sit quoque impossibilis, etiam ostendunt. Primò, si mente separetur ista negatio à ligno, quod fieri potest sine falsitate; quia est distincta ab esse ligni, adhùc lignum non est lapis; at si lignum esset non lapis formaliter per negationem lapidis in ligno existentem, implicaret lignum semota negatione lapidis ab eo, quę est carētia lapidis, sine hac negatione reali esse non lapidē; ergo hæc negatio realis lapidis in ligno, est omninò chimerica. Secundò; quia negatio realis entis positiui, est intrinsecè non ens reale; essentialiter enim, & in recto est carentia entis realis; sed implicat in terminis non ens reale in recto, esse in recto reale; quia secundùm idem esset ens, & non ens reale. Quod si eis dicas, negationem realem entis realis positiui, esse ens, & non ens in recto, non in eodem significato formali entis, sed in diuerso; contradictio sine dubio esset, si poneretur in eodem significato formali entis negatio realis entis positiui, ens reale, & non ens reale; at in subiecta materia negatio realis entis positiui, est ens reale, quod opponitur nihilo impossibili; non autem est negatio entis realis, quod opponitur impossibili; hoc enim pacto est manifesta contradictio; quia est secundùm idem, sed est intrinsecè, & in recto ens reale oppositum impossibili realiter, & simul non ens reale positiuum, quæ sunt diuersa significata formalia entis formalis.

Statim insurgunt contrà; quia ens reale oppositum nihilo impossibili, est contradistinctum à non ente; quia est contradistinctum à nihilo impossibili; hoc autem est ens positiuum; quia opponitur nihilo: ergo negatio realis entis realis positiui, secùdùm idem significatum formale entis, est ens reale, & non ens reale.

Quod si secundò eis respondeas, ens reale oppositum impossibili præscindere ab ente reali positiuo, & ab ente reali negatiuo; quia adhuc impossibile realiter præscindit ab impossibili ex vtroque prædicato positiuo, & ab impossibili ex vtroque prædicato negatiuo; sed quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur, & aliud; ergo etiam ens reale, siuè possibile oppositum impossibili potest esse, & positiuum, & negatiuum; ergo ab vtroque præscindit, secùs non esset diuisibile in ens reale positiuum, & in ens reale negatiuum. Secundò; quia ens reale oppositum impossibili, ex eo est reale huiusmodi; quia includit prædicata non contradictoria: sed prædicata non contradictoria præscindunt à prædicatis positiuis, & à prædicatis negatiuis.

Statim dicent, hanc responsionem esse nullam, & implicatoriam; quia supponit impossibile, nimirum supponit negationem entis realis positiui esse realitatem distinctam ab esse positiuo negato; hoc autem est impossibile, quod probant; quia non ens reale positiuum in suo conceptu formali obiectiuo, non aliud importat, nisi ens positiuum esse absens, vel à subiecto, in quo esse potest, vel à tempore, in quo erat, vel poterat esse; per hanc enim solam absentiam saluatur ratio nihili realis positiui. Verùm si huic conceptui essentiali obiectiuo addas aliud prædicatum essentiale, quod est esse realitatem distinctam ab esse negato, mutatur statim essentialiter; quia essentiæ rerum sunt veluti numeri. Cum verò eis dicitur, possibile inuoluere prædicata non opposita; hæc autem possunt esse, vel ambo positiua, vel ambo negatiua. Statim respondere possunt prædicata negatiua non opposita saluari per solam absentiam entium positiuorum, vel à subiecto, vel à tempore modo explicato; non autem per realitates negatiuas distinctas ab entitatibus positiuis negatis; hoc enim esse negatiuum, distinctum ab esse negato, putant esse chimericum; quid autem in tot varias explicationes sit diuisum in hac diuisione, explicatur sequentibus conclusionibus, quantum ad vtrumque punctum.

Prima conclusio. Diuisum in hac diuisione, non est reale, siuè independens à ratione fingente impossibile, quod negat à se rationem entis, vel præscindit à ratione entis, vt contendunt Auctores *supra cit.* neque est ens reale, quod ex eo præcisè ens reale dicitur; quia realiter est, vel esse potest subiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ; termini explicati sunt in prima opinione, & in secunda; nam potest aliquid dici reale ens ex multiplici capite. Primò; quia est realiter extra nihilum impossibile. Secundò; quia est extra nihilum possibile. Tertiò, ex eo præcisè; quia realiter potest esse subiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ: hoc vltimum ens reale, alij explicant alijs verbis, nimirum esse ens reale; quia de eo potest intellectus formare veram propositionem, siuè affirmatiuam, siuè negatiuam: sed hæc definitio non explicat illud, de quo potest fieri vera propositio, esse ens reale; quia

quia etiã de ente rationis fieri poteſt; nos autẽ hic loquimur de ente reali intrinſecè. Cõcluſio duas habet partes. Prima pars probatur; quia diuiſum in hac diuiſione debet eſſe intrinſecè ens reale, quod ſcilicet contradiſtinguitur ab impoſſibili realiter, ſiuè ab ente rationis puro in generali; etenim membra diuidentia, ſunt ens reale poſitiuum, & ens reale negatiuum; hæc autem includunt in ſe ens reale diuiſum in eis per eſſe negatiuum, & per eſſe poſitiuum; ſed reale, ſiuè eſſe independens à ratione fingente impoſſibile, in ſignificatione, qua illud accipiunt Aduerſarij, negat à ſe rationem entis realis, poſitiui, & negatiui; ergo, &c. Quod ſi reale ſumatur, vt confunditur cum ente reali, quod opponitur impoſſibili realiter, ſiuè non enti impoſſibili; non negamus illud eſſe diuiſum in prædicta diuiſione.

Secunda pars, qua dicitur, diuiſum non eſſe illud ens reale, quod ex eo præcisè eſt ens reale; quia realiter poteſt eſſe ſubiectum veræ propoſitionis, probatur. Primò, diuiſio entis realis in ens reale poſitiuum, & in ens reale negatiuum eſt, per veluti differentias per ſe, & formales, quæ nimirum ſunt intrà latitudinem formalem diuiſi; ſed ens ex eo quod eſt ens reale præcisè, quod poteſt eſſe realiter ſubiectum veræ propoſitionis, diuiditur in poſitiuum, & negatiuum per veluti differentias materiales; quoniam ens reale poſitiuum, & ens reale negatiuum ſunt veluti ſubiecta entis realis, per realem affirmationem, vel negationem. Secundò, in articulo quæritur, an ens reale, quod opponitur non enti impoſſibili ſecundùm ſuam eſſentiam, ſit diuiſibile in ens reale poſitiuum, & ens reale negatiuum; hoc autem ens reale eſſentialiter adæquatè eſt, ex eo quia non includit prædicata contradictoria. Verùm poſſe eſſe realiter ſubiectum propoſitionis veræ, ſiuè affirmatiuæ, ſiuè negatiuæ, eſt ens reale accidentale; quia poſſe eſſe realiter ſubiectum veræ propoſitionis, eſt accidens proprium entis realis vt ſic, & mediatum; quoniam prima proprietas entis realis eſt, poſſe eſſe realiter extrà ſuum nihilum.

Neque dicas, quod poſſe eſſe realiter ſubiectum veræ propoſitionis in ſuo conceptu quidditatiuo, eſt adhùc ens reale eſſentialiter; quia inuoluit prædicata eſſentialia, non contradictoria inuicem; hoc autem eſt ens reale eſſentiale.

Reſpondeo enim cum diſtinctione, quod duplex eſt ens reale eſſentialiter; aliud formaliter, & aliud materialiter: ens reale eſſentiale formaliter, eſt ſua ratione formali extrà nihilum impoſſibile realiter; ens verò reale eſſentiale materialiter, eſt extrà nihilum entitate eſſentiali, ſeù veluti ſubiecti, ſiuè modificati; ens verò reale materialiter, eſt modus intrinſecus eſſendi, vel operandi intrà entitatem modificati, vt infrà ſuo loco probabitur; reale, quatenùs dicit proprietatem entis realis, eſt ens reale materialiter; non autem ens reale eſſentialiter, ſiuè formaliter.

Neque ſecundò dicas; ens reale materialiter, adhùc eſt poſſibile ad exiſtendum realiter ſuo modo extrà nihilum; ergo ſi poſſibilitas ad eſſendum realiter, vel ſcilicet independenter à ratione fingente impoſſibile, vel ad eſſendum realiter ſubiectum veræ propoſitionis, eſt ens reale materialiter; fictitia eſt diſtinctio entis realis formaliter, & entis realis materialiter.

Reſpondebam primò, poſſibile ad eſſendum realiter, aliud eſſe radicale, & primum; aliud verò eſſe proximum, & formale: ſicut eſſe principium agens in creatis, aliud eſt radicale, & primum; & aliud eſt formale, & proximum, v.g. ſubſtantia creata eſt actiua radicaliter, ſiuè fundamentaliter; non autem proximè, & formaliter: accidens, v.g. calor ignis eſt principium proximum, & formale calefaciendi. Pariter poſſibile abſolutum, quod eſt poſſibile eſſentiale radicaliter eſt potens exiſtere realiter; non autem proximè, & formaliter; eſſe verò poſſibile proximè, & formaliter cõuenit poſſibilitati proximæ, qui eſt modus intrinſecus entis realis, & eius proprietas, quæ nimirum ſicut eſt ens entitate ſui modificati;ità eſt etiam poſſibile formaliter poſſibilitate non propria, ſed poſſibilitate, ſeù veluti modificati: in hoc principio fundatur diſtinctio poſſibilis, & abſoluti ſecundùm ſe, & poſſibilis relatiui, vel ad actum exiſtentiæ in genere entis, vel ad actum formalem in genere agentis; poſſibile abſolutum eſt prima radix, vt ipſummet ſit poſſibile relatiuum; ideò enim cauſaliter ens, vel poteſt exiſtere realiter, vel poteſt eſſe ab agente, vel poteſt eſſe realiter ſubiectum veræ propoſitionis; quia in eo prædicato non contradicit ſubiecto potentiali; loquimur enim de poſſibili ad eſſe per dependentiam ab agente; explicatur hoc apto exemplo, v.g. eſſe irreceptũ in ſe, vel eſſe irreceptum in eſſentia, eſt cauſa, vt ſit irreceptum ab alio; nimirum prius eſt eſſe irreceptum in eſſentia, quàm eſſe irreceptum à cauſa efficiente, vt ſuo loco latè probabitur; ſicut è contrario prius eſt eſſe receptum in eſſentia, quàm eſſe receptum ab agente. Ex

his

his facillimè soluuntur argumenta in oppositum primæ, & secundæ sententiæ. Respondeo secundò: sicut duplex est ens formaliter, & materialiter, sic duplex est possibile ad essendum realiter.

Ad primum autem primæ sententiæ, quo dicitur, quod esse independens ab intellectu fingente impossibile, vel esse reale vt sic, negans a se rationem entis, vel positiui, vel negatiui, est vniuersalius, quàm ens reale vt sic; quia ens reale vt sic, est extrà nihilum; quia ens reale opponitur non enti reali; reale verò vt sic, vel independens à ratione fingẽte, ens est. Idem dico de posse esse realiter subiectum veræ propositionis, conuenit tàm enti extrà nihilum, quàm non enti reali.

Respondeo primo; nego maiorem, quandoquidem ens reale vt sic, quod est ens reale vniuersalissimum, est extra nihilum impossibile; non autem extrà nihilum possibile. Appello nihilum possibile, quod non inuoluit contradictionem in suis prędicatis, vt cæcitatem esse negationem visus in oculo, vel tenebras esse negationem lucis realiter. Appello verò nihilum impossibile, quod inuoluit in suo conceptu obiectiuo essentiali prædicata inuicem contradictoria, siuè illa positiua sint, vt hominem esse equum; siuè ea sint negatiua, vt cæcitatem esse intrinsecè priuationem albedinis, vel tenebras esse intrinsecè negationem nigredinis. Ens reale vniuersalissimum est extrà nihilum impossibile; & hoc ens, vt infrà dicetur, præscindit ab ente reali negatiuo, & ab ente reali positiuo.

Neque obstat, si dicatur, quod esse extrà nihilum, est ens positiuum; quia non enti opponitur ens; ens autem dicitur, quod habet esse extrà nihilum: quandoquidem positiuum sumitur dupliciter; vno modo, quod opponitur nõ enti impossibili; alio modo, quod opponitur nõ enti possibili. Primo modo, dicitur ens positiuum secũdùm communissimam significationem positiui. Secundo modo, dicitur ens positiuum propriè, & hoc est, quod opponitur nihilo possibili, quod est simplex negatio entis realis, & hoc possibile est pars subiectiua possibilis essentialis vniuersalissimi; sicut possibile, quod opponitur necessario, est pars subiectiua possibilis, quod opponitur impossibili realiter: dico impossibile realiter; quia datur impossibile verum, & impossibile estimatum.

Respondeo secundò, duplex esse ens positiuum, aliud scilicet per inclusionem prædicatorum, quæ ponunt aliquod esse in natura extrà nihilum possibile intrinsecè; & aliud est ens positiuum per positionem, siuè inclusionem prædicatorum negatiuorum non inuoluentium contradictionem, vt, v. g. tenebras esse negationem lucis, & cæcitatem esse priuationem visus: & hoc dicitur positiuum non per oppositionem ad negatiuum: sicut lignum dicitur ens positiuum; quia opponitur negationi reali ligni; sed per positionem prędicatorum negatiuorum in negatione reali entis realis positiui; neque enim inconueniens est, vt idem nomen ponatur diuersis, præsertim cum inter illa est aliqua conuenientia, licet imperfecta cum aliqua additione exprimente diuersitatem; hac ratione dicitur possibile, & quod opponitur impossibili realiter, & quod opponitur contingenti, quæ sunt diuersa possibilia; & hoc secundum est pars subiectiua primi possibilis, sicut homo est pars subiectiua animalis; pariter in re nostra, positiuũ aliud est, quod opponitur negatiuo impossibili, & aliud est positiuum, quod opponitur negatiuo possibili.

Ad secundum argumentum primæ sententiæ, quo dicitur, ens reale positiuum, & non ens reale positiuum, esse prima contradictoria, quibus repugnat esse aliquod commune.

Respondeo, nego maiorem; prima enim contradictoria sunt, quæ concernunt ens reale vniuersalissimum, vt sunt ens reale oppositum nihilo impossibili, & ipsum nihilum impossibile; ens verò reale positiuum, & non ens reale positiuum, non concernunt ens reale vniuersalissimum; sed ens reale contractum ad positiuum, quod est ens posterius ente reali opposito impossibili, quod est minùs vniuersale; illud autem est ens reale vniuersalissimum, ac proindè sunt contradictoria secunda; quia concernunt ens reale secundum: exemplum est de illo principio (omne totum est maius sua parte) quod aliqui contendunt esse primum principium, sed falluntur; quia primum principium concernit ens reale inquantùm ens, vt sunt idem esse, & non esse, &c. hoc autem concernit ad ens contractum in ratione entis completi, & incompleti, tùm in specie, tùm in genere entis; ens autem reale vt sic, abstrahit ab ente completo, & incompleto in specie, & in ratione entis.

Ad instantiam contrà hanc responsionem, qua dicitur, quod ens reale positiuum, & non ens reale positiuum non possunt esse contradictoria secunda in ratione entis; quia contradictorijs secundis potest dari aliquis cõceptus communis; nam sunt contra-

tradictoria per differentias superadditas enti communi: sed his non potest dari conceptus obiectiuus communis; quandoquidem hic conceptus, si daretur, neque esset ens, neque non ens, quoniam conceptus communis abstrahit à suis inferioribus formaliter. Verùm, quod non est, neque ens, neque non ens, est fictitium.

Respondeo, nego maiorem; ad probationem concedo maiorem, & nego minorem; nimirum enti reali positiuo, & non enti reali positiuo, non dari vnum conceptum obiectiuum communem; iam enim sufficienter ostẽdimus, dari hunc conceptum obiectiuum communem, quod est ens reale oppositum impossibili reali; cuius ens reale positiuum, & non ens reale positiuum, sunt partes obiectiuæ.

Cum verò dicitur ab opponente, non dari conceptum communem enti reali positiuo, & non enti reali positiuo; quia hic conceptus positiuus, neque esset realis, neque non realis.

Respondeo, quod hoc argumentum aliquod probaret, si diceremus dari aliquod commune primis contradictorijs simpliciter, qualia sunt ens reale vt sic, & nihil impossibile; quia reale formaliter idem est, quod possibile secundùm se; ratio autem possibilis secundùm se conuenit tantùm enti, opposito impossibili realiter; at non ens reale positiuum, & ens reale positiuum sunt secunda contradictoria; quia concernunt ens reale contractum ad positiuum, quod est posterius ente reali, opposito impossibili; prius enim est ens reale vt sic, quàm ens reale positiuum, cum illud sit vniuersalius.

Ad tertium argumentum primæ sententiæ, in quo dicitur, ex opposita sententia sequi, adhùc ens rationis purum vniuersalissimum posse diuidi in ens rationis negatiuum, & in ens rationis positiuum.

Respondeo, concedo sequelam maioris, & nego minorem; nam sicut ens reale vniuersalissimum, præscindit ab ente reali positiuo, & ab ente reali negatiuo; ità ens rationis purum præscindit ab ente rationis positiuo, & ab ente rationis negatiuo; præcisio autem conceptus obiectiui à suis inferioribus formaliter est causa sufficiens, vt conceptus obiectiuus sit intrinsecè diuisibilis in plura inferiora, tamquam in partes suas subiectiuas; ratio huius à priori est; quia ens rationis purum fit per falsam applicationem terminorum incompossibilium realiter; sed termini incompossibiles realiter possunt esse, tàm positiui, quàm negatiui: vt videre est in his exemplis, hominem esse leonem, est ens rationis purum per falsam applicationem terminorum positiuorum, realiter incompossibilium; tenebras esse negationem nigredinis, est ens rationis per terminos negatiuos incompossibiles falsò applicatos.

Secunda conclusio. Diuisum in hac diuisione, neque est ens reale positiuum, præscindens ab ente reali positiuo in recto, & ab ente reali positiuo in obliquo; neque est ens reale, quod diuiditur in ens in potentia, & in ens in actu, siuè in ratione obiecti, siuè in ratione subiecti. Terminos suprà explicauimus; nè autem videamur verbis ludere. Appello ens in potentia, siuè potentiale in ratione subiecti, ens essentiale, quod est subiectum existentiæ, quod dicitur ens actu potens existere: ens verò actuale, siuè in actu in ratione subiecti; appello ens actu existens, quod dicit essentiam existentem, & existentiam in se receptam. Ens in potentia, siuè possibile in ratione obiecti; appello ens, quatenùs est producibile ex suo nihilo, siuè quatenùs est traducibile suo nihilo virtute causæ agentis: ens verò actuale, siuè in actu in ratione obiecti; appello ens, quatenùs est actu productum, siuè quatenùs est extrà nihilum virtute causæ agentis. Conclusio est contrà Auctores secundæ, & tertiæ sententiæ; & probatur duplici ratione fundamentali.

Prima est; quia vtrumque ens, est ens reale positiuum, quod opponitur nihilo possibili; sed quod diuiditur in ens reale positiuum, & ens reale negatiuum, est ens oppositum nihilo impossibili, quod est vniuersalius, quam ens reale positiuum; ergo, &c. Maior de ente in actu, & de ente in potentia, probatur; quia illud ipsum, quod in priori naturæ est impossibile, seù in potentia, in posteriori est ens actu; de ente verò abstrahente ab ente reali in recto, & ab ente reali in obliquo, adhùc probatur; quia tàm ens reale in recto, quam ens reale in obliquo opponitur nihilo possibili; sed huiusmodi ens est positiuum formaliter; ergo, &c.

Secunda ratio; quia diuisum in hac diuisione debet præscindere ab ente reali negatiuo, & ab ente reali positiuo, in recto; quia in recto de vtroque est prædicabile; nam ens, quod diuiditur in ens reale positiuum, & ens reale negatiuum, est ens oppositum nihilo realiter; huiusmodi autem ens in suo formali obiectiuo, & quidditatiuo, non aliud dicit, nisi quod non inuoluit prædicata non contradictoria; sed prædicata non contradictoria conueniunt tam enti

ti

ti positiuo reali, quàm enti negatiuo reali, vt suprà latè ostendimus; ergo, &c. Argumenta in oppositum facilè soluuntur. Ad argumentum enim, qua Suarez probat ens in potentia distingui ab ente in actu, sicut non ens ab ente.

Respondeo, nego assumptum; quia, vt probauimus, illud ipsum, quod in priori est in potentia, in posteriori statu est in actu, cum sola diuersitate status, & è contrà.

Ad probationē, qua Suarez probat ens in potentia esse nō ens; quia scilicet ens in potentia, non est ens actu; at non ens actu, est formaliter, & in recto non ens; quia ens ex eo est formaliter ens, quia est actu; nimirum, quia est actu extrà suum nihilum.

Respondeo duplex esse non ens, vt supra diximus cum Aristotele 12. *metaph.* aliud est non ens actu, & aliud est non ens simpliciter; non ens actu solùm à se remouet esse ens actu; non autem remouet à se esse intrinsecè ens in potentia; quia esse ens in potentia, & non esse ens actu, non sunt contradictoria, cum non sint secundùm idem; non ens verò simpliciter est negatio omnis entis, & entis in actu, & entis in potentia: at implicat ens in potētia esse nō ens simpliciter; quia ens in potentia est aliquo modo ens, nimirum in statu potentiali; non ens verò simpliciter negat omne ens, quod explicat Aristoteles *loco cit.* 12. *metaph.* dicens, quod generatio non fit ex non ente simpliciter; sed solùm ex non ente in actu, quod est ens in potentia. Aduersarij putant, ens in potentia esse simpliciter non ens; quia supponunt, ens in potentia, siuè possibile, esse prædicatum conueniens enti in tempore, in quo actu non existit; sed falluntur, quia esse ens possibile, siuè in potentia, est prædicatum conueniens enti quando est, quatenùs in priori naturæ in eodem instanti temporis est possibile, quàm sit actuale, vt fusè explicabimus *quæst.* 4. prioritas autem naturæ non dicit vnum esse quando non est aliud, nimirum esse in vno instanti temporis, in quo non est aliud; sed solùm dicit independentiam à se dependente, quæ simul compatitur secum simultatem instantis in quo.

Dicent fortè Aduersarij primò: ens in potentia obiectiua includere conditionem destruentem rationem entis; nam esse in potentia obiectiua importat, quod neque fuit, neque est, neque erit; sed remotio entis contradicit etiam enti in potentia; quia ens in potentia, dicitur quod non est actu extrà nihilum, vel quod formaliter non est extrà nihilum; ergo, &c.

Respondeo, distinguo, ens in potentia, siuè obiectiua, siuè subiectiua, includere conditionem destruentem rationem entis in actu, & concedo: destruentem rationem entis vt sic, & nego; ens enim in potentia solùm negat esse actu.

Dicent secundò: non ens in potentia, siuè non ens possibile, non est negatio realis entis positiui; quia non ens possibile, siuè in potentia, est idem quod ens impossibile; sed solùm negatio entis realis in actu, est realis; ergo ens in potentia solùm est non ens reale.

Respondeo, duplicem esse negationem entis possibilis; aliam, quæ negat prædicatum de suo subiecto, vt cum dicitur homo non est animal, vel homo non est ens possibile; aliam verò, quæ negat subiectum, de quo affirmatur prædicatum, vt non homo. Prima, negatio est impossibilis; quia impossibile est prędicatum in aliquo modo dicendi per se, separari à subiecto. Secunda est negatio realis; quia negat ens reale, quod secundùm se est contingens.

Tertia conclusio. Diuisum in hac diuisione est ens reale, quod opponitur impossibili realiter, siuè nihilo impossibili; vel alijs verbis, diuisum in hac diuisione est possibile secundùm se, & absolutè, quod idem est, ac ens reale oppositum impossibili simpliciter, & absolutè; quoniam impossibili non opponitur nisi possibile, & hoc est, in quo prædicatum non contradicit subiecto, vt hominem esse animal, cæcitatem esse negationem visus, &c.

Ratio fundamentalis est; quia ens reale, quod opponitur impossibili realiter, est, quod non inuoluit contradictionem in suis prædicatis, vel quod inuoluit prædicatum non contradicens suo subiecto; sed hæc est intrinsecè diuisibile, vt superius in sua inferiora, in ens reale positiuum, & in ens reale negatiuum; quia reperitur intrinsecè in vtroque; vtrumque enim est ens, in quo prædicatum non contradicit suo subiecto; ad rationem enim superioris diuisibilis satis est, vt intrinsecè reperiatur in suis inferioribus; hac enim ratione animal diuiditur in hominem, & in bruta, vt superius in sua inferiora; quia animal formaliter, & essentialiter reperitur in bruto, & in homine; Pariter ens reale vniuersalissimum, quod est ens oppositum impossibili realiter, reperitur essentialiter in vtroque ente, & positiuo, & negatiuo; quia in vtroque prędicatum essentiale non contradicit suo subiecto. Et probatur; nam ens reale negatiuum, est negatio realis entis realis positiui;

ui; in hac enim negatione nulla est contradictio prædicati cum suo subiecto; prædicatum enim essentiale est nihil vt sic; subiectum verò est tale nihil: idem dico de ente reali positiuo.

Ratio autem à priori, cur ens reale oppositum impossibili reperiatur formaliter, siuè essentialiter in ente reali positiuo, & in non ente reali positiuo, est; quia ens reale oppositum impossibili, præscindit formaliter a prædicatis positiuis, & à prædicatis negatiuis; sed hæc præcisio satis est, vt reperiatur formaliter, & essentialiter in ente reali positiuo, & in ente reali negatiuo; ergo, &c. Maior probatur; quia ens reale oppositum impossibili realiter, est idem formaliter, quod possibile absolutè, & simpliciter; possibile autē præscindit à cōpossibilibus negatiuis, & à compossibilibus positiuis, quibus fiunt ens reale positiuum, & ens reale negatiuum; quia tantummodò dicit in suo conceptu quidditatiuo prædicata non contradictoria, quæ essentialiter non dicunt prædicata positiua, neque prædicata negatiua; non autem inclusio vnius in ratione alterius est sufficiens fundamētum, vt vnum possit præscindi ab alio sine vlla falsitate, quod ex opposito est manifestum; non enim potest homo, v. g. præscindi à rationali sine falsitate; quia includit in sua definitione essentiali rationalitatem. Doctrina est Sancti Thomæ *in 3. lib. Arist. de ani. tex. 36. lect. 12.* quam multis alijs in locis repetit; nimirum, quod eorum, quæ sunt realiter coniuncta potest vnum sine alio intelligi vera cognitione, dummodò vnum eorum non sit in ratione alterius; si enim, inquit, Socrates sit musicus, & albus, possumus intelligere albedinem, nihil de musico intelligendo; non autem possumus intelligere hominem, nihil intelligendo de animali; quia animal est in ratione hominis: & loquitur de separatione præcisiua, non de negatiua, qua negatur vnum de alio, cum quo est coniunctum.

Dicet fortè Aduersarius primò, quod hæc doctrina valet in ente creato in ordine ad sua inferiora; non autem in ente, quod dicitur de Deo, & de creaturis; quia Deo, & creaturis, nihil datur commune diuisibile, nec dari potest; prædicatum enim diuisibile, est intrinsecè potentiale; Deus autem est actus purissimus, cui contradicit omnis potentialitas, quæ est prædicatum proprium entis creati; quia in solo ente creato essentia non est sua existentia.

Respondeo primò; nos hìc loqui de ente reali vt sic, secundùm quod est repræsentabile nostro intellectui ex perfectionibus diuisis in creaturis; non autem de ente reali secundùm se, vel secundùm quod existit in sua natura realiter; vtique ens reale secundùm se, non est cognoscibile cognitione abstrahente, qua nimirum cognoscitur vnum, non cognoscendo aliud; quia ad hanc abstractionem requiritur, vt vnum non sit in ratione alterius inclusum; sed ens, quod dicitur de Deo, & de creaturis secundùm se, dicit Deum, & creaturas in ratione causæ, & effectus; verùm si sumatur ens reale, quatenùs repræsentatur intellectui ex perfectionibus diuisis, sub ista formali repræsentatione potest præscindi cognitione præcisiua; quia, vt substat huic cognitioni ex creaturis, non includit in sua ratione modos intrinsecos essendi, quibus diuersificantur, Deus, & creaturæ.

Respondent secundò alij, vnum commune pluribus esse in duplici differentia, aliud per similitudinem, & aliud per vnitatem diuisibilem in plura. Primum dicit plura, vt similia; quia similitudo non potest esse sine distinctione reali vnius ab alio; vbi autem est distinctio, ibi est pluralitas, quæ negat aliquo modo vnitatem: v. g. homo, & brutum in animali, sunt vnum per similitudinem tantummodò; quia animal est in vtroque intrinsecè diuisum, per diuisionem, seù distinctionem materiæ; sed similē habet definitionem essentialem in vna, & in alia; verùm si animal mente separetur à diuisiuis, quibus multiplicatur, & diuiditur cum omnimoda similitudine, animal erit vnum in bruto, & in homine vnitate diuisibili: pariter inquiunt isti Auctores, ens reale, quod dicitur de Deo, & de creaturis secundùm se, est vnum per similitudinem; quia ens in Deo, & in creaturis habet eandem definitionem; ens enim in Deo, ens reale est; nimirum independens à ratione fingente, similiter ens in creaturis, ens reale est. Et ratio huius est; quia vnitas per similitudinem, nimirum analogam, non ponit in Deo potentialitatem, quæ est radix omnis imperfectionis, sicut ponit esse vnum in pluribus cum sui intrinseca diuisione, & multiplicatione.

Sed hæc responsio, nisi reducatur ad præcedentem, facilè reijci potest; nam ens, quod dicitur de Deo, & de creaturis secundùm se dicit Deum, & creaturam; quatenùs Deus est essentialiter causa prima; creatura verò est essentialiter ens causatum, vt articulo quarto fusè probabitur; conuenientia autem in essendo, seù in ratione entis, conuenit ei, quatenùs repræsentabile est intel-

lectui cognitionibus inadæquatis, ſeù cognitionibus abſtractiuis; licet enim Deus in eo, in quo eſt ens eſſentialiter, ſit primum; hoc autem non tollit quin ſit verè ens reale, quod opponitur impoſſibili realiter, & hoc ens reale vt ſic, poteſt cognitione abſtractiua conceptu inadæquato, cognoſci ab intellectu creato, non cognoſcendo primum, & ſecundum ens, & hæc cognitio eſt abſtractio imperfecta; quia non eſt ſecundùm conceptum adæquatum; quod dicitur de Deo, & de creaturis; ſed ſecundùm inadæquatum, vt fusè probabitur *art.* 4.

Quarta concluſio. Ens reale vt ſic, ſiuè vniuerſaliſſimum ſecundùm rationem communem, & inadæquatam entis; propriè competit non ſolùm enti reali poſitiuo, ſed etiam enti reali negatiuo; nimirum negationi reali entis realis poſitiui: verùm ſecundùm rationem determinatam competit eis analogicè analogia metaphorica. Concluſio hæc eſt contrà Auctores ſextæ ſententiæ, qui dicunt ens reale poſitiuum eſſe ens propriè dictum; negationem verò realem entis realis poſitiui eſſe, & dici ens abuſiuè tantùm; quia, inquiunt, ens reale propriè dictum eſt, vel eſſe poteſt extrà nihilum reale, vel poſſibile; hoc autem non poteſt competere negationi entis realis poſitiui, niſi abuſiuè, & metaphyſicè; quia intrinſecè eſt nihilum reale.

Sed hæc ratio non conuincit, quod primò probatur explicatione terminorum in concluſione poſitorum; aliquod enim prædicatum poteſt competere alicui ſubiecto propriè, intelligitur dupliciter, vel ſecundùm rationem communem, & abſolutam, vel ſecundùm rationem contractam, & ſpecialem, quæ duæ acceptiones valdè inter ſe differunt, quod exemplis comprobatur: e. g. in Deo generatio ſecundùm communem, & abſolutam rationem generationis propriè reperitur; ſi verò ea ſumatur ſecundùm rationem contractam, ſicut reperitur in creaturis impropriè, & ſimilitudinariè competit Deo; quia in creaturis reperitur cum eſſentiali diuiſione naturæ; ſimiliter ſcientia, ſiuè cognitio ſecundùm rationem communem, & abſolutam ſcientiæ; quatenùs ſcilicet cognitio dicit vitalem relucentiam veritatis, in Deo propriè reperitur, quandoquidem in Deo reperitur formaliter ſecundùm communem, & abſolutam rationem ſcientiæ; ſi verò ſumatur, ſicut reperitur in creaturis abuſiuè, ſeù metaphoricè reperitur in Deo; quia in Deo non eſt cum diſtinctione à ſpecie intelligibili, & à potentia intellectiua, & ab alijs imperfectionibus, quæ ſunt intrinſecę ſcientiæ creatæ: itâ pariter in re noſtra, ens reale vt ſic, quod opponitur impoſſibili, ſi ſumatur ſecundùm communem, & abſolutam rationem entis realis, propriè competit enti reali poſitiuo, ſiuè creato, ſiuè increato, & negationi reali entis poſitiui; verùm ſi ſumatur ſecundùm determinatam rationem, quæ eſt in ente reali poſitiuo impropriè, & abuſiuè reperitur in ente reali negatiuo. Ratio fundamentalis concluſionis eſt, etenim ens reale vt ſic, non dicit aliud in ſuo quidditatiuo conceptu, niſi quod inuoluit prædicata non contradictoria; ſed totum hoc reperitur, tùm in ente reali poſitiuo, tùm in ente reali negatiuo; quia in vtroque reperitur formaliter ſecundùm abſolutam, & communem rationem entis realis; ſicut, v.g. ſcientia ſecundùm abſolutam rationem ſcientiæ, propriè reperitur in Deo; quia in Deo reperitur formaliter; ens verò reale, quod dicitur propriè de ente reali poſitiuo, & abuſiuè, ſiuè impropriè de ente reali negatiuo, eſt ens reale contractum ad poſitiuum. Dicimus enim negationem realem, ens reale, abutendo nomine entis realis poſitiui.

Dicet fortè Aduerſarius, ens reale vt ſic, dicitur quod poteſt realiter exiſtere, ſiuè quod eſt capax exiſtentiæ realis; per hoc enim contradiſtinguitur eſſentialiter, ens reale ab ente non reali; ſed hoc non eſt, niſi ens poſitiuum; quia ens poſitiuum eſt capax exiſtentiæ; quia exiſtentia eſt actus eſſendi extrà nihilum.

Reſpondeo, exiſtentiam realem aliam eſſe poſitiuã, & aliã eſſe negatiuã; quia exiſtentia eſt actualitas entis, quę eſt prima ratio eſsēdi actu extrà nihil; ſed ens reale aliud eſt poſitiuum, & aliud negatiuum; ergo exiſtentia alia eſt poſitiua, & alia eſt negatiua; poſitiua eſt actus intrinſecus entis poſitiui; negatiua verò eſt actus entis negatiui.

Quod ſi dicas: exiſtentia eſt nomen poſitiuum, non nomen negatiuum; nomen autem poſitiuum non habet aliud ſignificatum formale, niſi poſitiuum; hæc autem difficultas ſolui non poteſt, niſi diſtinctione exiſtentiæ realis propriè dictæ, & exiſtentiæ abuſiuè, ſiuè metaphoricè.

Hæc inſtantia ſoluitur alia diſtinctione ſuprà explicata, nimirum actus poteſt ſumi, vel ſecundùm communiſſimam rationē actus, vel ſecundùm rationem actus cōtracti ad rationē actus poſitiui; actus primo modo propriè competit exiſtentię poſitiuę, & exiſtentię negatiuę; quia actus ſecundùm communiſſimã rationē actus, nō aliud ſignificat

nisi, quod actu inuoluit prædicata conuenientia suæ quidditati; hæc autem prædicata præscindunt a positiuis, & negatiuis; actus verò secundo modo propriè dicitur de actu positiuo; impropriè verò, & abusiuè dicitur de actu negatiuo; actus positiuus enim dicitur, qui actu inuoluit prædicata positiua; actus verò negatiuus, qui actu inuoluit prædicata negatiua.

Quod si secundò dicas: existentia negatiua, est negatio existentiæ positiuæ; negatio enim specificatur ab esse negato; sed existentia contradistinguitur à negatione; ergò, &c.

Respondeo primò, quod existentia, secundùm suam communissimam rationem, est existentia per hoc, quod actu includit in se sua prædicata non contradictoria; & hic conceptus competit propriè, tàm existentiæ positiuæ, quam negationi reali existentiæ positiuæ; existentia verò contracta ad negatiuam, est negatio existentiæ positiuæ. Hæc distinctio, quæ dura multis videtur, fit clara, distinctione duplicis entis realis, quam latè suprà explicauimus; aliud enim est, quod opponitur impossibili secundùm se, & aliud est, quod opponitur nihilo possibili, siuè reali; quia ens reale idem est, quod possibile realiter; possibile autem aliud est, quod opponitur impossibili, & aliud est, quod opponitur necessario. Possibile oppositum impossibili, præscindit à positiuo, & negatiuo, & consequenter præscindit etiam ab existentia positiua, & ab existentia negatiua; existentia negatiua realis, est entis realis, siuè possibilis realis negatiui; existentia verò positiua, est actus entis realis positiui.

Quod si tertiò dicas, quod existentia his terminis explicata, est ens rationis; quia negatio explicatur prædicatis positiuis, quę sunt actus essendi; siuè actu existere, quæ sunt prædicata positiua.

Respondeo: nego assumptum, ratio negationis est; quia negatio existentiæ realis explicatur per actum negatiuum, non autem per actum positiuum; ens rationis fit per falsam apprehensionem terminorum contradictoriorum; sunt autem aliqua prędicata negatiua, quæ non contradicunt suis subiectis, vt est nihil, quod prædicatur de tenebris, vel de cæcitate; & huiusmodi est actus, qui prædicatur de existentia negatiua, de qua, vel prædicatur actus vt sic, & hic est actus præscindens à positiuo, & negatiuo, qui est actus entis realis, quod opponitur impossibili; vel prędicatur actus negatiuus, & hic est actus entis realis negatiui, quod dicitur ens reale, & non ens reale; sed in diuersa significatione: dicitur ens reale, quatenùs opponitur impossibili realiter; dicitur autem non ens reale, quatenùs opponitur enti positiuo reali.

## PVNCTVM SECVNDVM.

Satisfecimus, quantùm possibile fuit, primo puncto articuli; an ens reale vt sic, sit diuisibile in ens reale positiuum, & ens reale negatiuum; remanet examinandum secundum, quod est difficilius primo; an hæc diuisio sit diuisio realis in diuersa entia realia, sicut est diuisio entis realis in potentiam subiectiuam, & in actum subiectiuum; an verò sit diuisio vnius entis realis in suos diuersos status, qualis est diuisio entis realis in potentiam obiectiuam, & in actum obiectiuum: quod punctum suscipitur examinandum ad habendam claram, & quidditatiuam cognitionem nihili realis.

Difficultas autem ad hoc reducitur, an negatio realis, v. g. lapidis in ligno sit realitas negatiua, distincta realiter à realitate lapidis.

Quinta conclusio. Negatio, siuè priuatio realis simpliciter entis realis positiui, est ens reale negatiuum, distinctum intrinsecè ab ente reali positiuo, cuius est negatio, vel priuatio realis. Non ens duplex est, vt diximus cum Aristotele, non ens actuale, & non ens simpliciter; illud negat tantùm ens actuale, hoc negat omne ens; hic loquimur de non ente simpliciter. Conclusio, vt supra innuimus, est valdè controuersa inter Scholasticos, & Metaphysicos; multi enim Metaphysici mordicus cōtendunt, negationem, siuè priuationem realem, non esse ens reale intrinsecè diuisum à suo opposito ente positiuo; sed solùm distingui ab opposito ente positiuo, sicut ens possibile obiectiuum, est diuersum ab ente actuali obiectiuo, solùm per diuersum statum, siuè modum essendi, non autem per diuersam entitatem; idque fundant in eo, quod hæc realitas negatiua distincta à forma positiua opposita, est superflua, & impossibilis: esse superfluam probant.

Primò, quia, vt suprà innuimus negatio realis lapidis, vel in aliquo subiecto, puta in ligno, vel extrà subiectum; saluatur per hoc, quod lapis est absens à ligno, vel est absens à tempore, in quo priùs esset, vel poterat esse; sufficienter enim lignum est non lapis per hoc, quod lapis non est in ligno; sed lapidem non esse in ligno, dicit idem, quod lapis in diuerso statu; sicut ens

actu

actu dicit illud ipsum,quod fuit possibile in priori naturæ, solùm secundùm diuersum statum; ergo negatio, v. g. lapidis in ligno, non dicit realitatem negatiuam intrinsecè diuisam à realitate lapidis; sed dicit idem, quod lapis in diuerso statu, nimirum dicit lapidem, quatenùs est absens à ligno, vel quatenùs non est in ligno.

Quod si eis dicas,negationem,siuè priuationem realem lapidis in ligno, in recto esse carentiam lapidis, in obliquo verò esse lapidem absentem à ligno;at carentia in recto entis realis positiui,est realitas distincta ab ente positiuo opposito; ergo, &c.

Statim respondent cum distinctione, negationem realem esse in recto carentiam, siuè nihilum, quod est ens positiuum quatenùs absens;non autem esse in recto carentiam, siuè nihilum, quod est realitas negatiua distincta ab ente positiuo opposito; quia hæc realitas negatiua distincta est omninò superflua: & ostenditur; quia lignum, v.g. est nō lapis;sufficiēter est per hoc,quod lapis est absens à ligno, in quo sensu negatio lapidis in ligno, dicit idem, quod lapis; sed in diuerso statu, quatenùs scilicet est absens à ligno; nimirum dicit idem, quod dicit lapis in recto, non in eodem statu, sed in diuerso; quia lapis, v. g. potest habere duplicem statum, potest nimirum esse existens in ligno, & absens à ligno; sicut possibile in recto dicit illud idem, quod dicit actuale; quia actuale, nimirum obiectiuum dicit ens in statu actualitatis, siuè præsentialitatis in aliqua differentia temporis,vel actualis, vel possibilis; ens verò possibile obiectiuum dicit illud met, sed quatenùs est in statu possibilitatis, qui est status prior natura statu actualitatis eiusdem;prius enim natura ens est possibile, quam sit actuale, quæ est doctrina Aristotelis in *meth.* vbi dicit, quod in vno, & eodem,prior est potentia, quàm actus; in diuersis verò prior est actus, quàm potentia: quod enim est in potentia reducitur in actum ab ente in actu, quod,cum sit causa,debet præcedere saltem natura.

Secundò,hoc non esse lapidis in ligno, est realiter separabile à ligno; quia est prædicatum accidentale commune, nimirum est extra essentiam ligni, nec fluit à ligno,in secundo modo dicendi per se: sed facta hac separatione saltem diuinitùs,adhùc lignum non est lapis, siuè non lapis; ego hoc esse non lapidis distinctum à lapide, est omninò superfluum;quandoquidem ratio cur ponatur hæc realitas negatiua lapidis in ligno, est; quia lignum separatum à lapide, nullo intellectu cogitante, est non lapis; hæc autem denominatio non potest esse sine sua forma denominante, quæ est negatio realis lapidis in ligno. Sed hæc ratio nulla est, dicunt Auctores sententiæ; quia hæc realitas negatiua realiter, si daretur, esset saltem diuinitus separabilis; facta autem separatione, adhùc lignum est non lapis formaliter, quod non alio modo contingit;nisi quia lapis est absens à ligno, quæ absentia si auferatur; nullo pacto lignum potest esse non lapis, & intelligitur separatio, siuè ablatio lapidis, non solùm actualis, sed etiam possibilis; si enim v.g. implicaret lapis, implicaret etiam lignum esse non lapidem; sicut si implicaret possibile fieri,implicaret etiam potentia factiua.

Quod si eis dicas,negationem realem lapidis in ligno, posse remoueri à ligno, sed per introductionem lapidis in ligno; opposita enim priuatiua mutuò se expellunt ab eodem subiecto; non autem sine introductione lapidis, quæ est forma opposita, qua introducta in ligno, non erit amplius lignum non lapis, sed erit lignum lapis, per vnionem accidentalem; Auctores autem sententiæ supponunt, posse separari negationem realem formæ positiuæ realis à subiecto sine introductione formæ positiuæ oppositæ.

Statim dicere possunt, hoc esse verum de potētia ordinaria Dei,nō autē de potentia absoluta,& de lege extraordinaria Dei; nam non apparet implicantia, concurrente ad id Deo per auxilium suum speciale, vel subtrahente Deo concursum suum ad introductionem oppositi; sed hac facta separatione diuinitùs negationis realis lapidis à ligno, adhùc lignum est non lapis.

Quod si secundò eis dicas,hanc doctrinam non esse vniuersalem; quia potest aliquo modo apparere vera de realitate priuatiua formæ positiuæ; non autem de realitate negatiua, quæ est negatio formæ extrà subiectum aptum recipere formam; nam potest lignum esse non lapis per absentiam lapidis à ligno; sed non potest, v. g. esse negatio hominis absolutè per solam remotionem hominis; nam non homo negat intrinsecè hominem, siuè aufert à rerum natura hominem; hæc autem negatio,cum sit intrinsecè,& essentialiter remotio hominis, non est non homo per solam absentiam hominis; sed per intrinsecam corruptionem, vel annihilationem hominis, quod est longè diuersum à negatione lapidis in ligno per solam absentiam lapidis à ligno.

Statim respōdere possunt, negando assum

sumptum, nam sicut forma apta nata esse in subiecto, potest esse absens à suo subiecto; ità forma non apta esse in subiecto, potest esse absens à tempore, vel actuali, vel possibili; nimirum ab aliqua differentia determinata temporis: & ideò dictum est supra sub distinctione, negationem realem entis positiui saluari, vel per absentiam entis positiui a suo subiecto, vel per absentiam eiusdem à tempore determinato, siuè actuali, siuè possibili; neque ad hoc necessarium est, vt ens positiuum desinat intrinsecè esse, vel per corruptionem intrinsecam, vel per annihilationem; alterutro enim modo fiat separatio semper, vel à subiecto, vel à determinata differentia temporis, potest esse absens forma positiua realis.

Tertiò, negatio realis entis positiui realis non est cognoscibilis, nisi intelligatur in recto ens positiuum oppositum non esse, vel in subiecto, vel in aliqua differentia temporis; nimirum non potest intelligi negatio realis hominis, nisi intelligendo hominem nō esse in aliqua differentia temporis, saltem possibilis in recto. Doctrinam hanc communiter docent Scholastici in 1. *sent.* quam pluribus in locis repetit S. Thomas, præsertim 1. *par. quæst.* 14. *art.* 9. sed hic modus cognoscendi non potest fundari in alio principio, nisi in hoc; quia negatio realis includit in recto ens positiuum oppositum, vt absens, vel à subiecto, vel à tempore determinato; modus enim cognoscendi fundatur in modo essendi; vnumquodque enim petit cognosci, sicuti est in sua natura; ergo negatio realis saluatur per hoc, quod forma positiua opposita est absens, vel a subiecto, vel à tempore determinato; ergo realitas negatiua distincta ab ente positiuo opposito, est omninò superflua.

Quod verò hoc esse negatiuum, distinctum ab ente positiuo opposito, sit impossibile; probant sequentibus rationibus.

Primò, non ens reale simpliciter negat omne ens, quod est purum nihilum; sed impossibile est purum nihilum reale, negans omne ens reale habere aliquod esse reale; quia simul negaret omne ens reale, & non negaret.

Quod si eis respondeas, non ens reale simpliciter, negare omne ens reale positiuū; non autem omne ens reale, tàm positiuum, quàm negatiuum: statim reijciunt responsionem, hoc medio; non ens simpliciter negat omne ens, secus non esset purum nihilum; quia ens, & non ens opponuntur contradictoriè; sed ens negatiuum est adhuc ens in generali; ergo non ens simpliciter negat non tantùm ens positiuum reale; sed etiam ens reale negatiuum, aliter non esset purum nihilum; quia non negaret omne ens. Explicatur magis vis argumenti, adhùc dabilis est negatio huius esse realis positiui; nimirum, quæ negat hoc esse reale positiuum; quia hoc esse reale positiuum secundùm se est contingens, non autem necessarium; omne autem esse contingens, & non necessarium, potest auferri per suam negationem; sed hæc negatio est non ens reale simpliciter; ergo negat non solùm esse reale positiuum, sed etiam esse reale negatiuum.

Secundò; causa, ob quam ponitur ab Auctoribus oppositæ sententiæ, hoc esse reale negatiuum, distinctum realiter ab esse reali positiuo opposito, est; quia lignum, in quo non est lapis, est negatio lapidis; siuè lignum, in quo non est albedo, est priuatio realis albedinis: sed hæc ratio non conuincit; quia est fallax fallacia non causæ, vt causæ, nimirum hæc consequentia est fallax, fallacia non causæ, vt causæ, lignum non est lapis; ergo negatio lapidis inexistit ligno: & probatur, accipiantur omnes negationes, & priuationes reales ex vna parte, & omne ens reale positiuum ex alia parte; vera est hæc propositio: omnis numerus harum negationum non est ens positiuum: & tamen non est vlla negatio, à qua omnes negationes non sint ens positiuum; quia supponitur in argumento, omnes negationes reales esse acceptas.

Tertiò, si daretur hoc esse negatiuum reale distinctum realiter ab ente positiuo opposito; darentur negationes actu infinitæ; sed hoc implicat contradictionem; quia, vt suo loco probabimus omnis multitudo est essentialiter potentialis; quia constat ex vno, quod est essentialiter potentiale, quod scilicet est in potentia ad speciem multitudinis maiorem, & maiorem; ergo, &c. sequela probatur; quia darentur negationes omnium possibilium; sed omnia possibilia sunt infinita; quia sunt sine limitatione ad determinatam speciem. Præterea istæ omnes negationes existerent in Deo; negatiò enim formæ realis positiuæ est in subiecto, ex eo quod subiectum non est forma positiua opposita; sed Deus non est omne possibile secundùm eius esse extra Deum; sed istæ negationes non possunt esse in Deo realiter ex isto capite; quia scilicet Deus non est omne possibile formaliter; ergo neque ex eo, v. g. quod lignum non est lapis, sequitur quod in ligno sit negatio realis lapidis, à qua realiter lignum est non lapis; antecedens

dens probatur; quia si istæ negationes reales essent realiter in Deo, facerent aliquam compositionem accidentalem cum Deo. Confirmatur secundò; quia ens reale diuiditur in substantiam,& accidens adæquatè; quia est indifferens ad vtrumque, genere autem existente indifferente datur contrahibilitas per oppositas differentias; sed hoc esse reale negatiuum, neque est substantia, neque est accidens; ergo non potest esse intrà ens reale, sicut quod non est infrà genus,non potest esse aliqua species generis.

Omnes prædictæ rationes acutæ quidem sunt, sed non demonstrant, neque superfluitatem, neque impossibilitatem esse negatiui realis, vt demonstrabitur tùm ratione, tùm etiam solutione earumdem omnium. Opposita sententia, quæ est nostra conclusio sumitur in terminis ab Aristotele, tùm 1. *physicor.* tùm 12. *metaph.* quibus in locis docet dari mutationem, tùm accidentalem, tùm substantialem in rebus generabilibus, & corruptibilibus; mutatio autem realis necessariò requirit ens reale positiuum, & ens reale negatiuum, distincta realiter; quia omnis mutatio est, vel de esse ad non esse, vel de non esse ad esse; sit enim, v. g. de non musico musicus: cuius ratio à priori est; quia mutatio est de contrario in contrarium, contrarietate nimirum priuatiua, non positiua; mutari ergo in suo conceptu essentiali, dicit subiectum aliter se habere nunc, ac se habebat prius;contrarietas autem dicit duos terminos distinctos distinctione realitatis à realitate; quia totum id, quod vnum ponit, aliud tollit. Verùm si esset distinctio realis, solummodò secundùm diuersos status eiusdem entis; vnum contrariorum cõtrarietate priuatiua non tolleret totum id, quod aliud ponit; quia non tolleret ens, sed solùm statum contrarium essendi, quo pacto opponuntur ens possibile, & ens actuale in ratione obiecti.

Respondent Aduersarij mutationem, siuè substantialem, siuè accidentalem, v. g. acquisitiuam esse inter duos terminos contrarios contrarietate priuatiua, nimirum à priuatione formæ in materia ad formam in eadem materia, quatenùs à parte rei in subiecto mutationis,à quo erat forma absens,fit virtute mutationis eadem forma existens in materia; non autem, quia per mutationem acquisitiuam expellitur a materia priuatio, vt realitas negatiua, & introducitur forma positiua opposita.

Quod si eis opponas, mutationem acquisitiuam dependere intrinsecè à priuatione præexistente sua realitate negatiua in subiecto mutationis, vt à termino à quo; hæc autem dependentia requirit distinctionem realem termini à quo,ad terminum ad quem.

Respondent, mutationem dependere à priuatione, posse intelligi in duplici sensu. Primus sensus est, quod subiectum, à quo erat absens forma,acquirit formam;vel quia subiectum, in quo non erat aliquid formæ, acquirit virtute mutationis formam: & hic sensus est verus. Secundus sensus est, quod mutatio pendeat à mutatione præexistente in subiecto; & hic sensus falsus est,vt multis suprà probauimus: & hunc sensum, quem Aduersarij putant esse falsum,conclusio nostra asserit esse verum.

Sed vtraque responsio reijcitur à priori; quia oppositio priuatiua, non solùm est oppositio secundùm diuersos status essendi vnius, & eiusdem entis; vt est oppositio inter ens possibile, & ens actuale in ratione obiecti, sed est oppositio formalis;hæc autẽ formalis oppositio requirit distinctionem realitatis à realitate, scilicet realitatis positiuæ à realitate negatiua; quia in oppositione formali vnum oppositorum negat totum id, quod aliud ponit; nimirum non solùm tollit statum oppositum alterius extremi, sed etiam ens formaliter; sine dubio, si inter formam, & priuationem formæ in eodem subiecto, esset sola oppositio secundùm diuersos status vnius, & eiusdem entis; solutio vera esset, sed hæc oppositio non est oppositio formalis entis, quæ est inter ens, & non ens formaliter. Et confirmatur ratio; quia priuatio formæ acquirendæ per mutationem; non solùm est priuatio formæ acquirendæ actualis, sed etiam possibilis, quod est dicere priuationem formæ acquirendæ per generationem, non solùm esse negationem formæ actualis, sed etiam formæ possibilis; hæc autem priuatio tollit ante generationem, quicquid est in forma acquirenda, & ens positiuum, & statum essendi, siuè existendi in materia. Conclusio probatur sequentibus rationibus; prima est sequens: secunda explicabitur post rationem septimæ conclusionis huius articuli, quia fundatur in *prædicta concl.* 7.

Prima ratio: in rerum natura datur oppositio contradictoria prima, & formalis; sed non potest saluari contradictio prima, & formalis, nisi ponatur ens reale negatiuum distinctum realiter ab ente reali positiuo; ergo, &c. Maior probatur; quia in vnoquoque genere debet dari vnũ primum, quod est causa cæterorum; sed dantur multæ species oppositionis formalis; ergo in

eis debet dari vna prima oppositio, quæ est causa prima cæterarum; remoto enim primo in vnoquoque genere, remouentur omnia secunda; sed hæc prima oppositio formalis, est contradictio formalis prima; prima enim oppositio est, quæ concernit ens reale, inquantùm ens reale; hæc autem est sola contradictio prima; quia aliæ species oppositionis concernunt ens contractum ad aliquod ens determinatum; ergo in rerum natura, datur prima oppositio formalis, quæ est oppositio contradictoria. Minor verò principalis argumenti, qua dicitur, oppositionem contradictoriam necessariò, & essentialiter requirere ens reale negatiuum distinctum realiter in ratione entis ab ente reali positiuo opposito. Probatur; quia in oppositione contradictoria prima, & formali, totum id, quod vnum extremorum ponit, aliud destruit, & negat; sed vnum oppositorum ex contradictorijs positiuum, non solùm ponit statum actualitatis extrà nihilum, sed etiam intrinsecè ponit ens reale positiuum; ergo aliud oppositum debet auferre, non solùm statum positiuum essendi extra nihilum, sed etiam ens formaliter positiuum: at hoc dicit distinctionem vnius oppositi ab alio, non solùm secundùm oppositos status essendi, sed etiam secundùm ens positiuum formaliter; ergo contradictio formalis, & prima, est inter ens, & inter non ens formaliter, distincta realiter. Verùm si distinctio inter contradictoria esset solùm positio, & ablatio vnius, & eiusdem status essendi tantummodò, non esset oppositio contradictoria in ratione entis formaliter; sed solùm secundum statum essendi vnius, & eiusdem entis.

Dices: creatura contradictoriè opponitur non creaturæ; sed in creatura ab æterno non est non creatura; ergo, &c.

Respondeo: contradictionem, aliam esse actualem, & completam, aliam incompletam, & aptitudinalem. Prima requirit actu vtrumque extremum; secunda in potentia, & aptitudine.

Respondeo secundò, simpliciter, & absolutè implicare creaturam ab eterno, vt suo loco probabitur.

Hæc autem cõtradictio prima, & formalis non solùm est inter ens reale positiuũ vt sic, & ens reale negatiuum vt sic; sed etiam inter ens reale, & non ens reale impossibilia; nam enti reali vt sic, præscindenti à positiuo, & negatiuo, contradictorium suum est impossibile simpliciter; contradictorium verò enti reali positiuo, est non ens reale possibile, modo, quo supra latè explicauimus; ex hac ratione infrà non difficilè soluentur omnes rationes in oppositum.

Sexta conclusio. Non ens reale actuale distinguitur ab ente actuali in actu in ratione obiecti, distinctione inter diuersos status eiusdem entis; non autem distinctione, seù diuisione entitatis ab entitate; terminos huius conclusionis suprà explicauimus, & quidem diuisio entis in ens in potentia, & in ens in actu; alia est in potentia, & in actu in ratione obiecti; & alia est in actu, & potentia in ratione subiecti. Præterea non ens duplex est, vt docet Aristoteles 12. *metaph*. aliud est non ens actuale, & aliud est non ens simpliciter; non ens actuale negat ens solùm quantùm ad statum actualitatis; non ens verò simpliciter negat, tàm ens actuale, quàm ens potentiale; quia negat ens secundùm formalem rationem entis; quia ablato primo in quocumque ente auferuntur omnia secunda; status, siuè modi actualitatis, & potentialitatis sunt rationes posteriores, quæ supponunt ens formaliter; ergo ablato ente formaliter, tolluntur è medio omnes status, & modi essendi: sed nõ ens simpliciter, & absolutè negat ens formaliter, nimirum quantùm ad formalem rationem entis; ergo negat etiam omnes status, & modos entis realis.

Fortè Doctores omnes, & Scholastici, qui negant negationem entis realis positiui, esse realitatem diuersam simpliciter ab ente reali positiuo opposito; loquuntur de non ente in actu, & non de non ente reali simpliciter, de quo nos loquimur, cum dicimus, negationem, & priuationem entis realis positiui esse realitatem distinctam realiter, & simpliciter, à forma positiua opposita. Tota hæc doctrina intelligitur de ente in actu, & de ente in potentia in ratione obiecti; non autem de ente in actu, & de ente in potentia in ratione subiecti; semper enim potentia subiectiua distinguitur realiter ab actu subiectiuo, quem in se recipit realiter, vt fusè probabitur cum sermo erit de distinctione essentiæ ab existentia in creatis. Fundamentum conclusionis est; quia illud ipsum, quod est in actu, in priori fuit in potentia in ratione obiecti; & è conuerso, cum sola variatione status.

Septima conclusio. Diuisio entis realis in ens reale positiuum, & in ens reale negatiuum, est diuisio formalis, scilicet per modos diuisiuos formales, non autem materiales; nimirum per modos diuisiuos materiales. Explicatur conclusio: diuisio superioris in sua inferiora, duplex est; alia per differen-

rentias, siuè per modos diuisiuos essentiales, aut formales per se; & alia est per differentias, siuè per modos diuisiuos materiales; differentiæ formales, & per se, sunt intrà latitudinem formalem diuisi; differentię verò materiales, sunt differentiæ diuisiuæ subiecti, in quo est diuisum: v.g. diuisio scientiæ in scientiam angelicam, & scientiam humanam, duplex est; alia est per differentias subiecti scientiæ, & huiusmodi est diuisio, qua diuiditur scientia in scientiam, quæ est in Angelo, & in scientiam, quæ est in homine, siuè in scientiam angelicam, & scientiam humanam, quæ sunt differentiæ subiecti, in quo est scientia; si verò diuidatur scientia, quæ est in Angelo, & in homine, in scientiam discursiuam, & non discursiuam, erit diuisio per differentias formales, & per se, scientiæ; in conclusione asserimus, diuisionem entis realis in ens positiuum, & negatiuum, esse per modos differentiales essentiales, & per se, quæ nimirum sunt intrà latitudinem realem entis realis; non autem per differentias materiales, vt cum diuiditur ens, de quo potest fieri vera propositio in ens positiuum, & ens negatiuum, diuisio est per differentias subiectiuas, & materiales.

In hac conclusione abstineo, an esse negatiuum, & esse positiuum reale, sint differentiæ formales, & proprię; & an sint differenti ęmodales formales: nũc autè solũ cõtẽdo, prędictam diuisionem esse per diuisiua formalia, siuè essentialia ad eum modum, quo omnes Metaphysici dicunt, ens positiuũ creatum diuidi diuisione formali, & per se, in substantiam, & accidens, non curando an perseitas, & inaseitas aptitudinales, sint differentiæ modales, an reales formaliter; nam ad rationem differentiæ formalem, & per se, satis est, vt prima differentia sit intrà rationem formalem diuisi; per hoc enim contradistinguitur à differentia materiali, & subiectiua, quæ est differentia subiecti diuisi.

Ratio fundamentalis est; quia diuisiua entis realis in reale positiuum, & reale negatiuum, sunt intrà latitudinem formalem entis diuisi; quoniam diuisum est possibile secundùm se, cum sit ens reale oppositum impossibili; sed ista diuisiua, nimirum esse positiuum, & esse negatiuum reale, sunt intrà rationem formalem possibilis; quia in suis conceptibus formalibus, & vltimis, non inuoluunt contradictionem; sed huiusmodi diuisiua sunt differentiæ formales, & per se; per hoc enim distinguuntur à diuisiuis materialibus, & subiectiuis, quæ sunt differentiæ subiecti diuisi; vt est diuisio, esse existentiale in esse humanum, & esse leoninum. Ex hac ratione deducitur alia ratio, qua demonstratur, diuisionem entis realis in negatiuum, & positiuum, esse per diuisionem intrinsecam entitatis diuisi; non autem per diuersos status vnius, & eiusdem entis: & hæc diuisio entis realis vniuersalissimi in negatiuum, & positiuum, est per differentias formales, & essentiales: sed hæc diuidunt ens in plura entia; quia diuidunt intrinsecè, & essentialiter ens; diuisio autem intrinseca, & essentialis, est diuisio entis in plura entia; ergo, &c. Probatur discursus inductione vniuersalissima, v. g. animal intrinsecè diuiditur in plura animalia diuisione multiplicatiua entis; quia diuisio animalis per rationale, & irrationale, est per differentias formales, & essentiales; idem dico de cæteris.

Quod si dicas, inductionem demonstratiuam debere esse vniuersalissimam, & adæquatam; sed hæc inductio non est vniuersalissima, & adæquata, secus esset petitio principij; quia assumitur, vt certum, quod est probandum; quia est in controuersia.

Respondeo, inductionem esse vniuersalissimam, & adæquatam, neque esse petitionem principij; quia medius terminus, qui assumitur ad demonstrationem, est quod diuisio per differentias essentiales, & formales, est diuisio intrinseca entis in plura entia; quia sunt intrà latitudinem formalem diuisi; huiusmodi autem non est diuisio entis per diuersos status essendi eiusdem; quia diuersi status vnius, & eiusdem entis, non sunt intrà rationem formalem diuisi.

Quod si secundò dicas: diuisio per differentias essentiales, & formales, est diuisio generis in suas species; sed in ente reali negatiuo non dantur, neque genus, neque differentiæ essentiales, neque species; quia genus, differentiæ, & species, sunt prædicata positiua: quod ex eo probatur, quod genus, & differẽtia explicãtur, siuè definiuntur per prædicata positiua, v. g. genus definitur, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid; differentia verò in quale quid, &c. hæc autem omnia sunt prædicata positiua.

Respondeo primò; cum distinctione in ente reali negatiuo non dantur genus, & differentiæ positiuæ, & concedo; non dantur genus, species, & differentiæ negatiuæ, & nego; quod si Aristoteles 4. *physi.* dicat, in non ente non dari genus, neque speciem, loquitur de genero, & specie positiuis; non autè de genere specie, abstrahendo à positiuis,

uis, & à negatiuis, neque de genere, & specie negatiuis; nam ad rationem generis, differentiæ, & specierum realium; satis est, vt sint ens reale formaliter vniuersalissimum, quod est ens oppositum impossibili; sed tàm ens reale positiuum, quàm ens reale negatiuum, sunt intrinsecè ens reale oppositum impossibili. Cum verò dicit oppone͠s, genus, & differentiam definiri per prædicata positiua. Respondeo, prædicata positiua esse duplicis conditionis: alia enim sunt prædicata positiua; quia ponunt aliquod esse extrà nihilum reale, siuè possibile, vt animal, & rationale: & alia sunt positiua; quia ponuntur simul, eo quod non sunt contradictoria; genus, & differentia entis negatiui realis explicantur per prædicata positiua, secundo modo, non primo modo: v.g. cum prædico de cæcitate nihilum reale, dicens, cæcitas est nihilum reale, non aliud significo, nisi nihil reale esse prædicatum essentiale cæcitatis, quod nihil positiui ponit in re.

Respondebam olim ad principale argumentum; ens negatiuum reale posse dupliciter sumi, vno modo, vt est infrà ens, quod opponitur nihilo impossibili; alio modo, secundùm quod est formaliter priuatio, siuè carentia entis realis positiui: concedebam in negatione realis, entis realis positiui, quatenùs negatio formaliter, non esse genus, & differentiam; quia negatio, vt negatio est potius remotio, quàm positio generis, & differentiæ; sed negabam non esse genus, & differentiam in non ente reali positiuo, quatenùs est infrà ens oppositum impossibili; quia genus, & differentia, hoc secundò modo, sunt intrinsecè ens reale positiuum.

Sed hæc responsio nunc non arridet; quia ad rationem generis satis est, vt sit prędicatũ essentiale predicabile de pluribus differe͠tibus essentialiter; ad ratione͠ verò differe͠tię requiritur, vt prędicetur in quale quid; sed hoc potest competere, tàm prędicato positiuo reali, quàm prædicato negatiuo reali; neque ex hoc fit aliquod ens rationis; quia ens rationis non fit, nisi cum falsò applicantur prædicata contradictoria, vt suprà latè pluries explicauimus; in his autem definitionibus nulla fit applicatio falsa terminorum incompossibilium.

Ex his facillimè soluuntur omnes rationes, oppositæ supradictis conclusionibus.

Ad primam rationem, qua probant hoc esse negatiuum reale distinctum ab ente positiuo reali, etiam quatenùs absente, esse superfluum, & impertinens.

Respondeo, nego maiorem. Primò; quoniam, vt iam demonstrauimus, datur co͠tradictio prima, & formalis in natura, quæ non potest saluari, nisi priuatio realis formæ realis positiuæ, sit realitas distincta. Secundò; quia diuisio entis realis in positiuum, & negatiuum, est diuisio intrinseca entis in diuersa entia. Ad probationem primam; cum dicunt opponentes, per hoc sufficienter, lignum, v. g. est non lapis; quia lapis est absens à ligno; at per hoc, quod lapis est absens à ligno, non datur negatio realis formaliter lapidis in ligno; quia negatio realis lapidis remouet intrinsecè à natura lapidem.

Respondeo cum distinctione, lignum, v. g. est non lapis causaliter, per hoc, quod lapis est absens à ligno, & concedo: est non lapis formaliter, quia lapis est absens à non ligno, & nego; quia lapis, & non lapis realiter, & formaliter in ligno sunt contradictoria formaliter, siuè opposita priuatiuè; oppositio autem, siuè contradictoria, siuè priuatiua esse͠tialiter requirit duo extrema, vnum positiuum, & aliud negatiuum in esse formali; vnum enim oppositorum non est oppositum realiter sibi ipsi. Cum secundò dicunt Aduersarij, hoc esse negatiuum distinctum realiter ab ente positiuo opposito esse, vel mente, vel realiter separabile à subiecto; v. g. à ligno; facta autem separatione, adhùc lignum non est lapis, vel est non lapis; ergo superfluè ponitur, &c.

Respo͠deo, duplicem esse negationem, vel priuatione͠ formæ realis positiuæ, aliam intrinsecam, & aliam extrinsecam; intrinseca est, quæ consequitur ens limitatum ad genus, speciem, & indiuiduum; hoc enim ipso, quod lignum: v. g. est limitatum ad speciem ligni, consequitur veluti passio, vt lignum non sit lapis, & hæc negatio est inseparabilis à suo subiecto, etiam diuinitùs; quia conuenit ligno in secundo modo dicendi per se, perseitate metaphysica, sicut indiuisio entis in se, quæ est vnitas trasce͠dentalis, solùm separabilis est separatione præcisiua, sine vlla falsitate; negatio verò extrinseca est, quæ aduenit subiecto, consequens separationem formæ realis positiuæ oppositæ, nimirum aduenit subiecto, ex eo præcisè; quia ab eo separatur forma positiua opposita; vel quia desinit esse intrinsecè, & hæc negatio realis est separabilis realiter à subiecto per aduentum formæ oppositæ; opposita enim priuatiuè nata sunt esse in eodem subiecto successiuè: & hæc negatio: v. g. albedinis, si remoueatur, vel mente, vel realiter à ligno, remanet lignum non al-

album per negationem intrinsecam, quæ consequitur lignum, quatenùs est limitatum ad speciem ligni; non autem remanet lignum non album negatione extrinseca albedinis; implicat enim dari effectum formalem primarium sine causa sua formali; sicut v. g. implicat dari album sine albedine; ità implicat dari non album sine negatione albedinis.

Remanet solùm hic examinandum, an negatio realis formæ positiuæ realis possit realiter separari à subiecto sine introductione formæ oppositæ, nimirum an possit separari à ligno negatio albedinis realiter sine introductione albedinis; quam difficultatem scriptam non reperio, tamen de ea potest esse duplex dicendi modus. Possunt enim aliqui dicere de lege ordinaria non esse realiter separabilem negationem realem formæ positiuę à subiecto sine introductione successiua formæ oppositæ; quia opposita nata sunt esse in eodem subiecto successiuè, nimirum opposita priuatiuè saltem. Alij verò dicere possunt absolutè, & simpliciter esse separabilem sine introductione formæ positiuæ oppositæ speciali concursu primæ causæ concurrentis ad separationem vnius, & non ad introductionem formæ positiuæ oppositæ: & fundamentum esse potest; quia non est essentialis dependentia separationis vnius oppositorum ad introductionem alterius.

Quod si fortè aliquis dicet, opposita mutuò se expellere ab eodem subiecto. Respōderi poterit, hanc mutuam expulsionem esse de lege naturali, & ordinaria; non autem de lege, & potentia absoluta Dei: quod probari potest eo medio; quia mutua expulsio oppositorum ab eodem subiecto, vel ab eodem tempore est aptitudinalis, non autem actualis; vel conuenit oppositis in modo essendi naturali, non autem absolutè, & simpliciter.

Equidem saluo meliori iudicio, puto, neque diuinitùs posse separari negationem realem albedinis, v. g. à ligno, nisi introducatur in ligno forma opposita, quæ est albedo. Et ratio esse potest; quia successio est prædicatum essentiale oppositorum, inquantùm opposita sunt; quia essentialiter opposita non possunt esse simul in eodem, sed eorum essentialis potentialitas est successiua; hæc autem aptitudinalis successio dicit essentialem cōnexionem successiuam vnius oppositorum cum alio; potentia autem absoluta Dei se extendit tantummodò ad id, quod non implicat contradictionem.

Ad tertiam rationem, qua Aduersarij probant negationem realem entis positiui inuoluere in recto formam positiuam oppositam in modo essendi per absentiam a subiecto, vel à tempore, ex eo quia non est cognoscibile non ens reale, nisi cognoscendo, ens reale oppositum non esse præsens subiecto, vel temporis, &c.

Respondeo dupliciter posse negationem entis realis positiui cognosci; vno modo per causam intrinsecam, alio modo per causam extrinsecam. Vel alijs terminis; vno modo, definitione formali; alio modo, definitione causali causalitate extrinseca: sine dubio negatio realis entis positiui realis nō potest cognosci cognitione, vel definitione causali, nisi cognoscatur in recto ens reale positiuū oppositū nō esse; quia causa cur sit in subiecto negatio, v. g. albedinis est; quia albedo est absens à subiecto: verùm cognitione formali, vel definitione formali potest cognosci, non cognoscendo ens reale oppositum esse absens, sed tantùm illud cognoscendo in obliquo. Et ratio est; quia negatio realis entis realis positiui, in recto includit tantummodò ens reale oppositum impossibili realiter, & ens reale negatiuum; quæ duo sunt prædicata formalia in recto entis formalis positiui. S. Thomas, & alij intelligendi sunt de cognitione non entis causali, non autem de definitione essentiali, & formali.

Ad primam rationem, qua probatur, negationem realem implicare contradictionem, esse realitatē distinctam realiter ab ente positiuo opposito; quia scilicet non ens reale simpliciter negat omne ens; quia est purum nihilum, &c.

Respondeo: concedo maiorem, si intelligatur non ens simpliciter non ens reale, quod negat rationem realem entis positiui, tàm in actu, quàm in potentia. Et distinguo minorem: impossibile est, purum nihilum reale habere aliquod esse reale positiuum, & concedo; negatiuum, & nego. Vel alijs terminis impossibile est, purum nihilum reale habere aliquod esse positiuum, & concedo: habere aliquod esse reale, quod opponitur impossibili, & nego. Distinctio hæc non indiget explicatione; quia remanet clara ex supradictis.

Quod si vrgeas: purum nihilum reale est negatio omnis entis realis; sed ens reale, quod opponitur impossibili, adhùc ens reale est; ergo, &c.

Respondeo, nos hìc loqui de puro nihilo reali positiuo, non autem de puro nihilo simpliciter, & absolutè; quia loquimur de non ente reali positiuo, quæ est pars subie-

biectiua entis realis, quod opponitur impossibili realiter; at purum nihil simpliciter, quod negat omne ens reale, etiam vniuersalissimum, est impossibile, siuè nihilum impossibile.

Ad secundam, qua dicitur, quod ratio ob quam ab Auctoribus nostræ sententiæ ponitur hoc esse reale negatiuum distinctum, est; quia in subiecto est negatio realis formæ realis positiuę, v.g. quia in ligno est non lapis, &c.

Respondeo, quod hæc non est ratio, sed assertio; ratio verò demonstratiua est; quia ens reale vniuersalissimum, quod scilicet opponitur impossibili, est intrinsecè diuisibile in ens reale positiuum, & in ens reale negatiuum per differentias essentiales, & formales; quia ab his differentijs formaliter præscindit. Secundò; quia datur contradictio prima, & formalis realis; hæc autem requirit duo extrema realia distincta intrinsecè in ratione entis. Tertiò; quia dato vnũ oppositorum in natura, debet dari reliquum saltem successiuè; quia oppositio saltẽ completur per duo distincta, sed datur in natura ens reale positiuum; ergo debet dari aliud oppositum intrinsecè negatiuum. Cum verò Aduersarij instant, has rationes non procedere ex causa, vt causa, quod probant illa hypothesi, accipiantur omnes negationes, & priuationes ex vna parte, &c.

Respondeo primò, suppositum esse impossibile, nimirum dari omnes negationes, & priuasiones reales, præter quas non est alia negatio realis; & dari omnia possibilia, præter quæ non est aliud possibile; quia possibilia sunt infinitum syncathecorematicè, vt probabitur in *quæst. de infinito*, implicat autem, syncathecorematicum infinitum esse totum in actu.

Respõdeo secundò; dato, & nõ cõcesso, casum esse possibilem, omnis numerus harũ negationum, non est omne ens positiuum per negationem superadditam extrinsecam, sed seipso; quia negatio realis est seipsa remotio, siuè carentia formæ positiuę sibi oppositæ, sicut etiam ens positiuum seipsum est non ens negatiuum. Cum denique dicitur, quod dabilis est negatio realis entis realis negatiui; hæc autem negatio realis nullum potest habere esse reale negatiuum; sicut negatio entis realis positiui, nullum potest habere in se intrinsecè ens positiuum.

Respondeo, nego maiorem; non enim est dabilis negatio negationis; quia negatio essentialiter est entis positiui immediata negatio, dico immediata; quia mediatè potest negatio negare aliam negationem, sicut negatio entis positiui immediata, est mediata negatio indiuisionis in ente, quæ est negatio diuisionis, nimirum plurium entium in ente.

Ad tertiam rationem, qua dicitur, ex hac doctrina sequi dari negationes actu infinitas, quod implicat, nego sequelam; quia negationes entium creabilium sunt essentialiter potentiales ad vlteriorem, & vlteriorem speciem multitudinis, vt suo loco probabitur.

Ad confirmationem, qua dicitur ex hoc sequi, omnes istas negationes entium realium possibilium esse actu in Deo, & cõsequenter poni in Deo aliquam compositionem, quod implicat.

Respondeo, nego sequelam, & ratio est; quia à Deo, tamquam à causa, sunt omnes creaturæ creatæ, & creabiles, nimirum omnes creaturæ creatæ, siuè creabiles sũt immediatè à Deo, vt prima causa; negatio autem formæ positiuæ non potest esse simul in eodem cum forma opposita.

Quod si dicas; Deus non est ens creatũ, vel creabile formaliter; ergo Deus habet in se negationes entium creatorũ, & creabiliũ.

Respõdeo, hanc propositionem duplicem posse habere sensum. Primus est, quod Deus habet in se negationem entiumcreatorum, & creabilium: & hic sensus falsus est, vt diximus. Secundus sensus est, quod Deus nõ dependet ab ente creato, & creabili, vt effectus a causa; & hic sẽsus verus quidem est, sed nõ probat in Deo esse negationes formaliter rerũ creatarũ, & creabilium.

Dicet fortè Aduersarius, quod hæc responsio explicat rationem, cur negationes extrinsecæ rerum creatarum, & creabilium, non possint esse in Deo, sed nõ excludit negationem intrinsecam omniũ possibilium; hæc autem cum sit distincta realiter ab esse Dei, non potest non facere aliquam compositionem cum Deo; compositio enim est positio plurium in vno.

Respondeo primò, quod negatio intrinseca alterius entis diuersi non datur in Deo; quia hæc negatio, vt suprà diximus, consequitur ens limitatũ ad genus, speciem, & indiuiduum; ens enim limitatum intrinsecè non est aliud ens diuersum; quia est limitatum ad vnum genus entis, & ad vnam speciem; at Deus est omninò illimitatus, tùm in perfectione formali, tum in perfectione eminentiali; Deus enim est eminentialiter omne ens creatum, & creabile.

Ad aliam instantiam, qua dicitur ab Aduersarijs, neque in ente limitato posse succedere negationem realem extrinsecam al-

alterius entis, ex eo quod aliud ens reale positiuum ab eo remouetur, etiã in sensu causali: quod probatur ex regula logica, quod non valet consequentia à propositione negatiua de prædicato finito ad propositionem infinitam de prædicato finito; nisi cum est constantia subiecti, sed in hac consequentia, scilicet Petrus non currit; ergo Petrus est non currens, non est constantia subiecti; ergo, &c.

Respondeo, nego minorem; nam cum dicimus valere hanc consequentiam, Petrus non currit; ergo Petrus est non currens: ratio nos mouens ad hoc dicendum est; quia est cõstantia subiecti in vtraque propositione; nam in antecedente, non currit, sumitur, vt causa; in consequente verò, non currens, sumitur, vt effectus, sed in eodem subiecto inuariato; non esset autem constantia subiecti, si poneretur aliqua conditio trahens subiectum ad aliam significationem, vt, v. g. si sic argueretur: Petrus secundùm se non currit; ergo Petrus est non currens; quia in antecedente, subiectum sumitur præcisiuè, in consequente verò positiuè.

Ad aliam cõfirmationem, dum dicitur ens reale adæquatè diuiditur in substãtiam, & accidens; sed negatio realis entis positiui non est substantia, neque accidens; ergo, &c.

Respondeo, quod ens reale vniuersalissimum, non diuiditur in substantiam, & accidens; quia hæc est diuisio entis creati, quod, vel est positiuum, vel est negatiuum reale; quia abstrahit ab vtroque: similiter substantia alia est positiua, & alia negatiua, sicut, & accidens aliud est positiuum, & aliud negatiuum.

---

## ARTICVLVS TERTIVS.

### Vtrum non ens reale positiuum possit simul esse cum suo opposito ente positiuo.

DIsputant Scholastici de hoc quæsito in 1. *physicor.* vbi tractantes de principijs mutationis naturalis rerum naturalium, occasione, qua suscipiunt examinandum articulum: quando, & quomodo priuatio principiat mutationem naturalem; an ante formam immediatè, an cum primò est forma in materia; disputant etiam an priuatio formæ positiuæ possit esse simul in eodem instanti temporis in materia, vel extrà materiam cum sua forma opposita positiua; & quidem mouentur ad hoc explicãdum; quia oppositio rerum naturalium pertinet ad obiectum physicæ, quod est ens, vel corpus naturale, siuè ens mobile: nos autem hunc eundem articulum examinandum suscipimus; quia priuatio est pars subiectiua entis realis, quod est obiectum metaphysicæ vniuersalissimæ. Vt autem ordine difficultates resoluantur, articulus diuiditur in duo puncta; primum est, an priuatio realis formæ realis positiuæ, possit esse in eodem instanti temporis, simul cum forma positiua opposita; secundum quando, & quomodo priuatio realis principiat mutationem naturalem.

### PVNCTVM PRIMVM.

DVO dicendi modi esse possunt circà hoc punctum, quantùm ad propositum facit.

Primus dicendi modus est eorum, qui dicunt, vt in eodem instanti temporis reperiantur simul forma, & priuatio formæ in materia, sed in diuersis instantibus naturæ; inquiunt, enim in eodem instanti intrinseco temporis, in quo fit mutatio esse duo instantia naturæ; vnum quidem, in quo est forma in fieri; alterum, in quo forma est in facto esse: & dum forma est in fieri volunt esse simul priuationem formæ; dum verò forma est in facto esse, dicunt non esse priuationem primò.

Quod si eis obijcias, formam, & non formam, esse contradictoria formaliter; contradictoria autem formaliter non possunt simul esse in eodem instanti; quia implicat idem secundùm idem esse, & non esse simul, quod est primum principium metaphysicum. Respondent, concedendo contradictoria formaliter non posse esse simul in eodem instanti naturæ; negant verò non posse esse simul in eodem instanti temporis, sed in diuersis instantibus naturæ: nimirum si daretur priuatio, & forma in eodem instanti naturæ; tunc proculdubio esset contradictio, quæ cessat, si priuatio, & forma ponantur coexistere vni instanti temporis, in diuersis instantibus naturæ; idque probant.

Primò: ratio à priori cur duo sint incompossibilia, est oppositio illorum; ità calidum in summo, & frigidum in summo in eodem subiecto, sunt incompossibilia; quia opponuntur inuicem in eodem subiecto; oppositio autem sequitur naturam terminorum; sed priuatio, & forma formaliter, & se-

ſecundùm ſe, abſtrahunt à tempore; ergo à tempore eorum incompoſſibilitas menſurari non debet; quia verò concernunt inſtantia naturæ (ſunt enim inſtantia naturæ, eſſentiæ, non exiſtentiæ) indè eorum oppoſitio, & incompoſſibilitas commenſurari debet, nimirum eorum compoſſibilitas eſt in eodem inſtanti naturæ, & non eodem inſtanti temporis: pariter oppoſitio inter formam poſitiuam, & eius formalem priuationem, ſiuè negationem, ſequitur naturam terminorum; proindè earum incompoſſibilitas eſt in eodem inſtanti naturæ, non in eodem inſtanti temporis, & conſequenter poſſunt eſſe in eodem inſtanti temporis, non in eodem inſtanti naturæ, ſed diuerſis.

Secundò: tunc duo termini ſunt incompoſſibiles, quando id, quod vnus terminus affirmat, alter pro eodem negat; (hęc eſt cõmuniſſima doctrina cõtradictoriorũ); ſed pro eodem inſtãti temporis priuatio in materia non tollit formam; ergo in eodem inſtanti temporis forma, & priuatio eſſe poſſunt in eodem ſubiecto. Tota difficultas eſt in propoſitione minori, quæ ſic probatur, & ſumitur argumentum à corruptione entis poſitiui. Corrumpitur, v. g. equus in inſtanti temporis primæ horæ diei, neceſſariò quando equus corrumpitur, eſt in materia equi forma equi cum priuatione formali eiuſdem. Probatur primò; quia formaliter illud deſinit eſſe quod eſt; ſed ſubſtantia deſinit per primum ſui non eſſe; ergo ſimul ſunt equus, & non equus formaliter in eodem inſtanti temporis; ſed non in eodem inſtanti naturæ, ſed diuerſis. Secundò, ſi quando corrumpitur equus, non eſt verum dicere, quod equus eſt; ergo ante hoc inſtans non erat; ergo in hoc inſtanti non corrumpitur. Tertiò, probatur hoc ipſum à priori; quia in corruptione ſubſtantiæ, & cuiuſcumque entis poſitiui, eſſe expellitur à non eſſe; ſed expellens debet eſſe ſimul cum expulſo; quia non expellitur id, quod non eſt, ſed illud quod eſt; ergo ſimul in eodem inſtanti eſt forma, quæ expellitur in corruptione, & priuatio expellens formaliter.

Secundus dicendi modus oppoſitus, eſt eorum, qui dicunt negationem, ſiuè priuationem realem non poſſe eſſe ſimul in eodem inſtanti, neque cum forma poſitiua oppoſita, neque in facto eſſe, neque in fieri. Sed hęc opinio poteſt habere duplicem ſenſum; quia poteſt intelligi de non ente reali actuali, & de non ente reali formaliter, vt in ſequentibus concluſionibus dicam.

Concluſio prima. Negatio, ſiuè priuatio realis formæ poſitiuæ actualis, eſt ſimul in eodem inſtanti temporis cum forma poſitiua oppoſita: termini explicati ſunt ſæpius; datur enim duplex non ens reale poſitiuum, nimirum non ens reale actu, & non ens reale poſitiuum ſimpliciter, quod ſcilicet negat ens actu, & ens in potentia: quæ diuiſio non entis poteſt intelligi, vel de non ente in actu, & in potentia in ratione ſubiecti, vel de non ente in actu, & de non ente in potentia in ratione obiecti; hic ſumitur non ens in actu, & in potentia in ratione obiecti, ſiuè termini; quia loquimur de non ente in productione; extrà autẽ propoſitionem, intelligitur etiam de non ente, adhùc in potentia; quia adhùc ens in potentia ſubiectiua eſt terminus comproductionis. Fundamentũ cõcluſionis eſt; quia nõ ens actuale poſitiuũ in ratione obiecti, eſt idẽ formaliter, quod poſſibile: ſed poſſibile eſt idẽ cũ ente, quod eſt in actu in eodẽ inſtanti temporis, ſed quatenùs in priori naturæ præcedit, in genere cauſæ formalis terminatiuæ, ſui productionem; quia non ens actuale, eſt formaliter ens poſſibile in ratione obiecti; quod enim non eſt actuale, nihil prohibet, quin ſit ſimul potentiale, ſiuè poſſibile; poſſibile autem eſt illud ipſum, quod eſt actuale, quatenùs in eodem inſtanti temporis, in genere cauſæ terminatiuæ, præcedit ſui productionem, vel præcedit ſtatum ſuæ actualitatis, vt pluries ſuprà oſtendimus, & fusè probabimus *quæſt.* 4. de ente reali poſitiuo poſſibili; ergo non ens actuale, eſt ſimul in eodem inſtanti temporis cum ente actuali oppoſito; ergo adhùc priuatio realis formæ poſitiuæ realis in eodem inſtanti temporis, eſt ſimul cum ente poſitiuo, ſcilicet cum forma poſitiua oppoſita.

Quod ſi dicas, ens poſſibile obiectiuum non poſſe dici non ens actuale; quia ad eſſe non ens actuale, requiritur carentia actualitatis ab ente; ſed hæc carentia non poteſt eſſe in poſſibili terminatiuo, ſiuè obiectiuo; quia poſſibile eſt illudmet, quod eſt in actu, quatenùs in eodem inſtanti temporis, prius natura eſt poſſibile, quam ſit in actu; prioritas autem naturæ non dicit negationem poſterioris in ſuo priori, ſed ſolùm independentiam prioris à ſuo poſteriori dependente.

Reſpondeo, dupliciter intelligi poſſe ens poſſibile obiectiuum, non eſſe ens actuale; vno modo, negatiuè, ſiuè præciſiuè; alio modo, excluſiuè: hoc ſecundo modo repugnat poſſibili, vt ſit non ens actu, & poſitiuè, ſed non primo modo.

Secunda concluſio. Negatio, ſiuè priuatio formæ poſitiuæ realiter; nimirum,

quæ negat ens positiuum, quatenùs ens positiuum formaliter, implicat esse simul in eodem instanti temporis, simul cum forma positiua opposita in eodem subiecto, vel extra subiectum. Hæc conclusio est contrà Auctores 1. *sent.* qui dicunt negationem, siuè priuationem formæ, esse simul cum forma opposita in eodem instanti temporis, & in diuersis instantibus naturæ.

Primû fundamẽtum cõclusionis est; quia ens reale positiuum, & non ens reale positiuum formaliter, sunt essentialiter contradictoria contradictione formali; sed hæc contradictio reperitur inter sua extrema, non solùm in eodem instanti naturæ, sed etiam in eodem instanti temporis; ergo, &c. Minor probatur; quia prædicata formalia, siuè essentialia essentiæ, conueniunt illi in omni statu; sed non ens reale formaliter, est essentialiter non ens formale; & ens formale positiuum, est essentialiter contradictorium non enti formali realiter; ergo hæc prædicata conueniunt illis in omni statu, siuè in facto esse, siuè in fieri, siuè in eodem instanti temporis, siuè in eodem naturæ; ergo, &c.

Secundum fundamentum est; quia non ens reale positiuum formaliter, & ens reale positiuum formaliter, si à parte rei existat, habebunt duas reales durationes oppositas; quia habebunt duas existentias reales oppositas; duratio autem est permanentia in esse, seu in existentia; sed duæ durationes reales non possunt esse simul in vno instanti temporis; quia daretur vna duratio realis instantanea, minor alia duratione instantanea, quod implicat: & probatur; quia minor esset duratio priuationis formæ in eodem instanti temporis, in quo est simul cum forma positiua opposita, quod implicat.

Rationes autem oppositæ sententiæ, non difficilè soluuntur; ad primam enim, qua dicitur: oppositio formalis sequitur naturam terminorum; sed forma positiua, & eius priuatio formaliter, siuè secundùm se, formaliter abstrahũt à tempore; ergo etiam earum oppositio, siuè priuatiua, siuè contradictoria, adhùc præscindit à tempore; ergo nõ est earum oppositio, secundùm idem tempus; ergo possunt simul esse in eodem instanti temporis secundùm eorum esse formale.

Respondeo; concedo maiorem, & distinguo minorem: abstrahunt à tempore; quia in suo conceptu essentiali non includunt tempus, & concedo: abstrahunt à tempore; quia non dicunt ordinem essentialem ad tempus, & nego: & huius ratio à priori est; quia omnis quidditas, siuè essentia extrà Deum, siuè illud sit ens positiuum, siuè ens negatiuum, est temporalis, non quidem per se, sed per aliud; nimirum dependenter ab existentia, siuè successiuè, siuè permanens; duratio enim in generali, est permanentia in esse, nimirum existentiale in creatis, quod est per se temporale; essentia verò existens per existẽtiam à se distinctam, est temporalis per aliud, nimirum dependenter ab existentia creata, quæ est per se temporalis: argumentum vim habet contrà eos, qui dicunt essentiam creaturæ in esse essentiæ non dependere à Deo, vt à prima causa efficiente, sed vt à prima causa ideali, vt suo loco fusè probabitur: in qua opinione essentia creaturæ, neque est temporalis, neque est eterna: in opinione verò contraria, quam nos sequimur, dicentium essentiam creaturæ in ratione essentiæ intrinsecè comproduci cum existentia, essentia; est intrinsecè temporalis per aliud, nimirum per dependentiam ad existentiam, quæ est per se temporalis.

Quod si dicas, hanc doctrinam repugnare doctrinæ communi omnium, dicentium, essentias rerum creatarum præscindere ab hic, & nunc, nimirum à loco, & à tempore; nam essentia præscindens ab hic, & nunc, nullo pacto dependet ab existentia in ratione essentiæ, sed solùm in ratione existentiæ.

Respõdeo, præscindere ab hic, & nunc in singulari; non autem in communi: sicut quidditas hominis, siuè entis naturalis, præscindit à materia singulari; non autem à materia in communi, vt latè suo loco dicetur. Distinctio autem de instantibus naturę nulla est; quia instantia naturæ non aliud dicunt, nisi independens à se dependente; vel non sunt aliud, nisi causa, & effectus, quæ possunt esse in eodem instanti temporis; solùm enim dicunt id, à quo aliud, & quod ab alio, & hæc possunt simul esse in eodem instanti; quia non sunt secundùm idem, nimirum non sunt contradictoria formaliter; hæc enim non possunt esse simul in eodem instanti temporis.

Ad secundam rationem, qua dicitur, quod tunc duo termini sunt incompossibiles in eodem instanti temporis, quando vnus tollit illud ipsum, quod alius ponit, &c.

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem; cum verò dicitur in argumento, quod corrumpitur id, quod est; non autem id, quod non est; sed in instanti intrinseco mutationis, corrumpitur priuatio formæ

mæ per formam aduenientem; ergo priuatio, & forma priuata formaliter sunt in eodem instanti temporis. Respondeo, nego maiorem, nam quod corrumpitur in instanti, quo corrumpitur, primò non est; quia in eodem instanti, primò est forma, quæ generatur. Neque obstat huic doctrinæ, quando dicitur, quod id, quod non est non corrumpitur; est enim aperta fallacia hic loquendi modus, nam corrumpi est priùs non esse, id quod corrumpitur. Explicatur hæc fallacia, quæ est æquiuocationis; dupliciter enim potest intelligi, id quod non est, non corrumpi: vno modo, quod illud, quod corrumpitur, nullo modo est, neque primò, neque antea; & in hoc sensu verũ est id, quod non est, non corrumpi: alio modo, quod illud, quod primò non est, non corrumpitur, & hic sensus falsus est; quia hoc proprium est corrumpi, nimirùm primò non esse, &c.

Quando tandem in argumento dicitur; non esse expellitur ab abueniente esse, sed non expellitur, nisi id quod est; ergo expulsum, & expellens debent simul esse in eodem instanti; ergo pariter priuatio formæ positiuæ formaliter, & ipsa forma positiua debent simul esse in eodem instanti intrinseco mutationis.

Responsio facilis est, vt fusè dicetur in *quæst.* de modo incipiendi, & desinendi; nullum enim sensum in illo modo loquendi admittere debemus, qui sit impossibilis: sensus verus hic est, esse formæ expellit non esse formæ; quia cessat non esse formæ cum primò forma, est nulla posita simultate inter esse, & non esse, nisi immediatæ consequentiæ.

Vrgebis id, quod non est, non expellitur; ergo expellitur id, quod est.

Respondeo, sensum huius propositionis esse hunc illud: quod expellitur primò non est, & quod antea immediatè erat.

Solet etiam huic doctrinæ, opponi doctrina Caieta. in 1. 2. vbi docet, oppositionem in actu exercito esse in statu perfecto oppositorum; quia oppositio præsertim contradictoria, est perfectissima oppositio, & consequenter perfecta exclusio vnius cõtradictoriorum ab alio. Sed hac posita doctrina, solùm sequitur, priuationem formalem formæ positiuæ non posse esse simul cum forma opposita in facto esse; non autem sequitur non posse esse simul cum forma in fieri; sed hoc satis est, vt priuatio, & forma priuata formaliter sint, & reperiantur simul in materia in eodem instanti temporis; ergo, &c.

Respondeo, hanc doctrinam Caietani veram esse de ente in actu, & de non ente in actu, non autem de ente formaliter, & de non ente formaliter; negatio enim entis positiui formaliter, est negatio omnis entis, & entis in actu, & entis in potentia; negatio enim prioris, negat etiam omne posterius mediatè; nos hic loquimur de priuatione formæ positiuæ formaliter; non autem de priuatione, siuè negatione, quatenùs est forma in actu.

Quod si denique dicas, priuationem posse suscipere magis, & minus; sed hoc sufficit, vt priuatio reperiatur in eodem instanti temporis simul cum forma in fieri.

Respondeo, priuationem formæ positiuæ habentis latitudinem formalem, siuè gradualem, posse suscipere magis, & minus; non verò priuationem formæ positiuæ non habentis latitudinem gradualem, siuè entitatiuam, & huiusmodi est priuatio formæ positiuę formaliter; quia formalitas rei consistit in indiuisibili, nimirum non potest esse formalitas rei, nisi sit tota; quia essentia rei est veluti numerus, qui per solam subtractionem, vel additionem vnitatis variatur specie, siuè essentialiter.

## PVNCTVM SECVNDVM.

Qvando, & quomodo priuatio principiat mutationem naturalem.

In hoc secũdo puncto duo inquiruntur; primò, instans, in quo priuatio principiat in actu secundo mutationem naturalem: secundò, inquiritur ratio formalis, per quam priuatio actu principiat: quæ ratio formalis duplex est, alia in actu primo, & alia in actu secundo; ratio formalis in actu primo, est per quam priuatio est potens principiare, vt terminus à quo, mutationem; ratio formalis principiandi in actu secundo est actus, quo priuatio de potente principiare, fit actu principians, nimirum fit priuatio actu terminus, à quo actu dependet actualis mutatio.

Circà primum, sunt quatuor varij modi dicendi Scholasticorum.

Primus dicendi modus est eorum, qui dicunt priuationem actu principiare in instanti intrinseco, in quo est mutatio, & forma; sed in priori instanti naturæ, in quo est forma in fieri, non in facto esse. Hunc dicendi modum substinent omnes illi, qui dicunt priuationem realem, & formam positiuam priuatam, reperiri simul in eodem instanti temporis, non quidem in vno, & eodem instanti naturæ; sed in diuersis instan-

ſtantibus naturæ; quia, inquiunt, priuatio, ſiuè negatio realis, & forma poſitiua negata, ſunt cōtradictoria in eodem inſtanti naturæ, non autem in eodem inſtanti temporis. Poteſt horum ſententia reddi intelligibilis exemplo materiæ, quæ in eodem inſtanti temporis eſt cauſa formæ, & cauſatur à forma, non in eodem genere cauſæ, ſed in diuerſo cauſæ genere. Et ratio à priori eſt; quia contradictio inter cauſam, & effectum eſt in eodem genere cauſæ; non autem in diuerſo: quod probatur; nam ratio cur, v. g. non poteſt materia eadem cauſare formam, & cauſari à forma in genere cauſæ materialis, eſt; quia contradictio eſt ſecundùm idem formaliter: ſed ſi ponantur materia, & forma ſeſe inuicem cauſare in eodē genere cauſę, ponuntur ſeſe cauſare, & nō cauſare ſecundùm idem. Fundamētū huius opinionis eſſe poteſt, implicat eſſe principiatū in actu ſine ſuo principio actu principiante, ſicut implicat eſſe effectum in actu non dependentem a ſua cauſa in actu; ſed in eodem inſtanti temporis principiatur actu mutatio; ergo debet eſſe in eodem inſtanti temporis priuatio actu principians ſuo modo.

Quod ſi eis reſpondeas, priuationem eſſe principium in actu ſecundo, in inſtanti immediatè ante inſtans mutationis, vel ſaltem in tempore indeterminato ante mutationem: non autem in inſtanti mutationis; quia vnum oppoſitorum principiat aliud per ſucceſſionem, non autem per influentiam eſſe; ad hūc autem modum principiandi, ſatis eſt, vt principium ſit in actu in inſtanti immediato ante mutationem.

Statim dicere poſſunt Auctores contrariæ ſententiæ, quod principium in actu ſecundo non debet eſſe tantùm potens principiare, ſed debet eſſe actu principians; at priuatio in inſtanti immediato ante mutationem eſt tantùm potens principiare, nimirum eſt terminus, à quo poteſt eſſe mutatio, non autem à quo actu eſt mutatio. Notanter loquutus ſum ſub diſtinctione, nimirum, vel in tempore indeterminato immediatè ante mutationem, vt ſatisfaciam diuerſitati opinionum de compoſitione continui; alij enim dicunt continuum componi ex indiuiſibilibus immediatè; alij verò, ſequentes Ariſtotelem, dicunt componi ſemper ex diuiſibilibus, in qua opinione immediatè ante, vel poſt punctum in continuo eſt quantitas, ſed indeterminata, non determinata, vt fusè ſuo loco demonſtrabitur.

Secundus dicendi modus eſt eorum, qui dicunt, quod tunc priuatio actu principiat mutationem naturalem, quando ipſa priuatio vltimò eſt, forma autem non eſt; ſed cum ſucceſſione vnius ad alium; quia ſcilicet nunc eſt non eſſe formæ, & immediatè poſt erit eſſe formæ. Hic dicendi modus probatur.

Primò; quia ſicut de ratione motus eſt ſucceſſiua mutatio, ita de ratione mutationis eſt inſtantanea mutatio, ſed eſſe motum non aliud dicit, niſi quod prima pars ſit ante ſecundam, & ſecunda ſit poſt primam partem motus; ergo pariter ad mutationem inſtantaneam requiritur, quod vnus terminus ſit ante alium, & alius poſt vnum.

Secundò: eſſentia mutationis, prout contradiſtinguitur à motu, formaliter ſaluatur per aliter ſe habere; ſed ſubiectum aliter ſe habet, dum prius eſt cum priuatione, & poſterius cum forma. Et ratio huius à priori eſt; quia dependentia mutationis à termino, à quo nō eſt dependētia ab influētia eſſe; ſed dependentiam per ſucceſſionem.

Tertiò: priuatio, vt terminus à quo, principiat deſinendo; ſed adhoc ſatis eſt, vt vltimò ſit immediatè ante mutationem, & probatur; quia ſicut aliquid dicitur deſinere intrinſecè; quia vltimò eſt, & immediatè poſt non erit, ità priuatio dicetur principiare deſinendo; quia vltimò eſt, & immediatè poſt non erit.

Quartò, omnia bene ſaluantur ſecundùm hunc modum dicendi, & non deſtruitur conceptus ille communiſſimus, quod aliud dum eſt exercet vim ſuam; ergo, &c.

Quintò, terminus, ad quem principiat actu quando eſt; ſed eadem ratio militat de termino per ſe mutationis acquiſitiuæ, quæ eſt priuatio: & probatur; nam principium non exercet ſuam vim, niſi dum eſt; quia vis competit principio quando eſt, non autem quando non eſt; hæc autem ratio militat, tàm in termino ad quem, quàm in termino à quo: nam ſi ſemel admittemus poſſe principium exercere ſuam priuationē, quando non eſt; poſſet quis dicere, adhùc terminum ad quem principiare, quando non eſt.

Tertius modus dicendi eſt, priuationem actu principiare, quando incipit fieri mutatio; diſtinguit hæc opinio in mutatione formam, fieri formam, factam eſſe, & formam incipere fieri: & dicit, quod licet ſint ſimul fieri, & factum eſſe formæ in mutatione inſtantanea; non tamen eſt ſimul incipere, & fieri formæ, ac proindè non ſequitur generationem, ſiuè mutationem incipere in inſtanti, in quo ſit; nimirum concedit hæc ſententia in inſtantaneis, ſimul eſſe, rem fieri, & factam eſſe in eodem inſtanti,

ti; at non est in eodem instanti rem incipere, & factam esse, sed quando res incipit fieri, non dum est eius forma, sed est immediatè post, scilicet in instanti sequente, in quo est iam terminus ad quem: sicut quando res corrumpitur, non dum est corrupta; sed immediatè post: & ideò per generationem fit res, quando est; sed incipit fieri, quando non est: sicut per corruptionem corrumpitur res quando est, iuxtà hanc opinionem, & immediatè post, est corrupta, scilicet non est; vt enim se habet terminus ad quem, respectu generationis; ità, & terminus à quo corruptionis: & tota doctrina fundatur in eo; quia fieri, & factum esse formæ, sunt simul in eodem instanti; incipere verò formę est in instanti immediatè ante.

Quod si obijcias: principium, seù initium rei in instantaneis, debet esse quando res est, quod competere non potest priuationi; quoniam in mutatione instantanea, vbi in instanti fit introductio formæ, iam non est illa priuatio; quia forma, & priuatio sunt contradictoriæ formaliter; contradictoria autem formaliter sunt, non solùm in eodem instanti naturæ, sed etiam in eodem instanti temporis.

Respondent fieri posse, vt principium non sit, quando principiatum est, vel fit; sufficit enim, vt principium tunc sit, quando res incipit; nō tamen est necesse, vt sit quando res est, aut fit: in qua sententia priuatio non est, quando est, vel fit generatio; fuit tamen priuatio, quando incepit generatio; instans autem inceptionis in mutatione instantanea est extrà instans, in quo est fieri, & factum esse formæ.

Quod si iterum vrgeas, quod generatio non incipit in instanti, in quo fit; quia quando fit generatio est terminus ad quem; ergo non incipit in instanti, in quo est terminus ad quem: sed in qua non sunt in eodem instanti terminus à quo, & ad quem, habet extensionem; ergo generatio substantialis, iuxtà hanc opinionem ponentem, incipere esse formæ distinctum à fieri, & ab esse eiusdem formæ; generatio substantialis habet extensionem, quod falsum est.

Respondent, quod habere extensionem dupliciter sumi potest; nam, vel significat successionem, quæ mensuratur tempore, & hoc est falsum; quia successio, quæ mensuratur tempore, est diuisibilis in semper mensurabilia: vel significat extensionem, quæ mensuratur duobus instantibus, & hoc verum est. Et huius non alia assignatur ratio; nam si res aliter se haberet, sequeretur in eodem instanti esse formam, quę generatur, & priuationem formæ.

Quod si denique obijcias: ex hac doctrina sequi debere dari duo instantia immediata, &c.

Respondent, concedendo consequentiam in diuersis durationibus; negando verò in vna, & eadem duratione.

Quartus, dicendi modus est communior asserentium, priuationem principiare in actu secundo mutationem, quando primò non est, in instanti intrinseco mutationis, in quo primò est, & forma, & fieri formę: quę sententia semper mihi placuit. Cæterum in assignanda ratione formali, tàm in actu primo, quàm in actu secundo, qua priuatio potest formaliter actu principiare, & actu principiat, neque Scholastici conueniunt pro diuersitate opinionum. Qui dicunt priuationem principiare, dum existit in eodem instanti temporis cum forma opposita, sed in priori naturæ ratione termini à quo; volunt rationem formalem in actu primo, & in actu secundo principiandi, esse vltimum esse ipsius priuationis. Alij eiusdem sententiæ Auctores dicunt esse actualem dependentiam mutationis à priuatione formę generandæ; proùt vltimò est in instanti intrinseco mutationis. Qui dicunt, priuationem principiare, quando vltimò est immediatè ante instans mutationis, dicunt actualem principiationem esse actualem successionem, vel actualem consequentiam mutationis, & formæ, quæ generatur à priuatione, vt vltimò existente immediatè ante mutationem. Idem dicunt etiam Doctores sustinentes priuationem actu principiare, inquantùm vltimò est in initio mutationis, siuè fieri formæ. Verùm maior difficultas, & controuersia est in assignando actualem principiationem, in opinione asserente, priuationem actu principiare cum primò non est in instanti, in quo est mutatio; an scilicet priuatio principians, quando ipsa primò non est, principiet per suum non esse, tamquam per rationem formalem; an verò tamquam per conditionem, vel aliquo alio modo.

Asserunt quidam principiare priuationem actu, dum primò non est in hoc sensu, non quasi principiet per negationem sui, tamquam per rationem formalem principiandi; sed quia principiat quando non est; faciendo, nimirum esse priuatiuum, rationem formalem principiandi in actu primo, quod tunc exerceat rationem termini à quo, quando accedit status non essendi priuationis, tamquam necessaria conditio.

Alij dicunt, actualem principiationem, qua

qua priuatio principiat per ſui deperditionem, vel derelictionem: idque probant; quia terminus à quo, & terminus ad quem, oppoſito modo actu principiant; ſed terminus ad quem principiat per ſui acquiſitionem; ergo ex oppoſito terminus à quo, per ſui deperditionem.

Aliqui denique dicunt, actu principiare per ſuum eſſe præteritum immediatū, nimirum priuatio eſt actu principians, vt terminus à quo, mutationem; quia ipſa immediatè præterijt. Et ratio huius eſſe poteſt; quia terminus ad quem mutationis principiat per ſui acceſſum; ergo ex oppoſito terminus à quo, debet principiare per ſui receſſum immediatè; quia terminus à quo, & terminus ad quem, ſunt oppoſiti oppoſitione priuatiua, qui immediatè ſibi mutuo ſuccedunt; poſt enim non eſſe rei, formaliter ſequitur eſſe. Quid autem ſentiendum ſequentibus concluſionibus explicabitur.

Concluſio prima. Priuatio formę poſitiuę formaliter, non principiat actu, quando vltimò eſt in inſtanti temporis, in quo eſt mutatio, ſiuè fieri formæ. Eſt contrà Auctores primæ ſententiæ, aſſerentes formam poſitiuam, & eius priuationem formalem eſſe ſimul in eodem inſtāti tēporis; ſed in diuerſis inſtātibus naturæ, modo explicato ſuprà.

Ratio fundamentalis concluſionis eſt; quia oppoſita ſententia ſupponit formam poſitiuam, & eius priuationem realem formaliter eſſe ſimul in eodem inſtanti temporis; ſed in diuerſis inſtātibus naturæ eiuſdem inſtantis temporis; ſed hoc eſt omninò impoſſibile; ergo, &c. Minor, in qua eſt difficultas, probatur; quia inter formam realem poſitiuam, & eius priuationem formalem, eſt prima contradictio formalis; quia eſt cōtradictio ſecundùm rationem entis formaliter, & non entis formaliter; prima enim cōtradictio eſt ſecundùm primam rationem entis, & non entis poſitiui; hac enim ratione, primum principium metaphyſicum eſt: idem ſecundùm idem, ſimul eſſe, & non eſſe; ſed hęc contradictio prima tollit non ſolùm compoſſibilitatem cōtradictoriorum in eodem inſtanti naturæ, ſed etiam in eodem inſtanti temporis; quia negat omnem rationē entis poſitiui, & formalem, & materialem; quia negat primam rationem entis poſitiui, quæ eſt ratio formalis entis poſitiui; remoto autem primo in vnoquoque, neceſſe eſt remoueantur omnia ſecunda in eodem.

Communiter Auctores noſtræ ſententiæ, probant hanc concluſionem hoc modo, & ſolo principio. In eo inſtanti reali temporis, in quo eſt forma, non eſt non eſſe formæ poſitiuæ; quia impoſſibile eſt, rem eandem eſſe ſimul, & non eſſe: quæ enim ſunt ſimul in eodem inſtanti reali temporis, ſunt abſolutè ſimul; quia ſcilicet inſtans temporis eſt abſolutè, & formaliter indiuiſibile; ſed priuatio formæ eſt non eſſe formæ: ergo non ſunt ſimul; eſſent enim duo prædicata contradictoria, vnū aliud negans; neque aliquid conducit, ſi dicatur, quod ſint in diuerſis inſtantibus naturæ; quia incompoſſibilitas contradictoriorum non menſuratur per ſigna naturæ, ſed per inſtantia realia, quæ ſunt inſtantia temporis.

Sed hæc ratio, ſic nudè prolata, non ſoluit rationem oppoſitæ ſententiæ; ſemper enim manet firmum hoc principium; contradictio eſt affirmatio, & negatio eiuſdem ſecundùm idem formaliter; at ſi ponantur forma poſitiua, & eius priuatio formaliter, non erit ſecundùm idem formaliter, ſed tantùm ſecundùm idem materialiter; identitas autem materialis, non eſt identitas contradictionis formaliter; quia hæc eſt ſecundùm idem formaliter, quod explicauimus ſuprà exemplo vnius materiæ, quæ in eodem inſtanti temporis, eſt ſimul independēs, & dependens abſque vlla contradictione; quia eadem materia eſt dependens, & independens in diuerſo genere cauſæ, quæ diuerſitas tollit, vt materia ſecundùm idem formaliter ſit dependens, & independens.

Neque hoc principium ſoluitur, ſi dicatur, quod contradictio debet eſſe ſecundùm idem formale reale, quæ quidem identitas formalis aufertur, adhùc per diuerſum formaliter reale: ſed inſtantia naturæ non ſunt realia; quia inſtans naturæ non dicit in quo eſt vnum, & non aliud; hoc enim eſt inſtans temporis, nam.

Statim dicent Aduerſarij, quod inſtans naturæ eſt inſtans, ſiuè ſignum reale naturæ antè omnem operationem noſtri intellectus; nam dicit realem independentiam vnius ab alio à ſe dependente realiter, ad differentiam ſigni, ſeù inſtantis naturæ à quo rationis: & hæc independentia, & dependentia ſufficiunt ad tollendum è medio cōtradictionem; quia hæc eſt ſecundùm idem formaliter; contradictio enim debet eſſe ſecundùm idem adæquatè. Verùm ratio, à nobis ſuprà allata, non patitur hanc inſtantiam; quia contradictio prima, & formalis, tollit omnem identitatem, & formalem, & materialem; quia tollit primam identitatem; quia eſt in ratione entis, & non entis formaliter.

Concluſio ſecunda. Priuatio non eſt principium, vt terminus à quo in actu ſecundo, mutationis naturalis, quando vltimò eſt immediatè antè mutationem, ſiuè vlti-



Digitized by Google

mum, in quo sit instans immediatè antè instans mutationis, siuè sit tempus indeterminatum: est contrà Auctores secundæ sententiæ. Et probatur primò: vbi nulla est acquisitio, nulla est mutatio; mutatio enim est actus entis in potentia, proùt in potentia; quia est actus imperfectus entis in potentia ad formam, quę est actus perfectus; vbi autem est actus imperfectus est aliqua acquisitio; sed subiectum existens in termino à quo, immediatè ante instans mutationis, & formæ, quæ est terminus ad quem, nihil acquirit; ergo non mutatur actu; at si priuatio esset principium actu principians cum vltimò est, immediatè ante mutationem subiectum esset sub mutari actu ante instans intrinsecum mutationis; implicat enim esse principium actu mutationis, & non esse mutationem; ergo, &c. Secundò, probatur: priuatione existente in subiecto formaliter, subiectum non actu transit, siuè non est actu transiens de vno termino ad alium; quia subiectum antè instans temporis mutationis est totaliter sub termino à quo, potente transire præcisè; nec aliter se habet intrinsecè subiectum, quàm se habebat antè vltimum instans immediatè pręcedens instans mutationis; nam transitus, siuè mutatio ex ipsa notione vocabuli, quod significat trãsitum de vno termino ad aliũ, dicit statum quemdam medium subiecti transeuntis, quod nec totaliter est in vno termino, nec totaliter in alio; sed transeundo de vno ad alium, acquirit terminum ad quem, deserendo terminum à quo. Hæc propositio differt ab illa, qua Aristoteles *6. physicor.* dicit, omne quod mutatur partim esse in termino à quo, & partim in termino ad quem, quę vera est de mutatione successiua.

Quod si dicas terminũ à quo, actu principiare per successionem immediatam, absque vlla influentia esse; quia mutatio specificatur à termino ad quem; vnumquodque enim specificatur à suo actu, actus autem mutationis acquisitiuæ est terminus ad quem: non autem actu principiat influendo; quia ab eo non specificatur mutatio; actualis verò principiatio per solam, & nudam successionem, solùm prærequirit terminum à quo, vltimò præexistere immediatè antè mutationem.

Cõtrà est primò; quia subiectum, quod actu mutatur, debet esse sub fieri formę; quia vt dixi, transitus, siuè mutatio subiecti de vno termino ad alium, dicit quemdam statũ medium subiecti transeuntis, quod totum quidem, sed nec totaliter est in vno termino, nec totaliter in alio; secùs non esset actus entis in potentia, proùt in potentia: vel secùs non esset via subiecti ad terminum, vel acquisitio termini ad quem; at immediatè antè mutationem, subiectum est totaliter sub priuatione termini ad quem.

Contrà est secundò; quia successio mutationis à termino à quo in subiecto, quod mutatur, debet esse successio naturæ, non successio temporis; successio autem naturæ requirit terminum à quo in actu in eodem instanti temporis. Maior probatur; quia si qua esset ratio in oppositum, ea esset; quia terminus à quo in actu, est incompossibilis cum termino ad quem; sed hæc ratio non conuincit, vt in quarta conclusione dicetur, nam terminus à quo in actu, non est priuatio in esse priuationis.

Contrà tertio est; quia, vt infrà dicemus, mutatio succedit ad priuationem, vt à termino à quo in actu; sed vt terminus à quo in actu est in eodem instanti cum forma, quæ acquiritur; ergo, &c. Nihil verò faciunt contrariæ sententiæ argumenta proposita in oppositum, & facilè soluuntur.

Respõdeo enim ad primum, esse diuersam rationem de mutatione instantanea, & de mutatione successiua; terminus enim à quo mutationis successiuę pręcedit tempore, vel indeterminato, vel instanti temporis, iuxtà varias opiniones de compositione continui, terminum ad quem; at terminus à quo mutationis instantaneæ pręcedit natura ipsam mutationem, & terminũ ad quem; mutatio enim instantanea est indiuisibilis; idq; probant rationes allatę pro cõclusione.

Ad secundum respõdeo, mutationẽ intrinsecam acquisitiuam significare subiectũ aliter se habere intrinsecè, nõ autem extrinsecè; at aliter se habere intrinsecè significat subiectum reperiri actu sub mutatione, quæ est via ad terminum; quia mutatio est actus entis in potentia, proùt in potentia. Verùm, vt probauimus, subiectum in instanti temporis, vel in tempore indeterminato ante instans mutationis, non est actu sub motu ad terminum ad quem. Confundo hìc mutationem, & motum in generali, ne videamur ludere verbis.

Ad tertium, respondeo priuationem, vt terminum à quo, principiare desinendo in ratione priuationis, non autem in ratione termini à quo in actu; proculdubio, vt ostendimus, in instanti intrinseco mutationis, in quo est forma, & fieri formæ, non est priuatio in esse priuationis; quia tunc primò non est priuatio, sed necessariò est in ratione termini à quo, vt infrà explicabimus.

Ad quartum, nego antecedẽs; quia subiectum, quod mutatur, debet actu esse sub fieri formæ; sed cum est fieri formæ nullo pa-

pacto est priuatio in esse priuationis; quia sunt contradictoria formaliter, saltem mediatè.

Ad quintum, respondeo; concedo maiorem, & nego minorem; quia terminus, ad quem acquiritur in mutatione; terminus verò à quo deperditur.

Conclusio tertia. Priuatio non principiat actu priuationem naturalem, quando vltimò est in initio mutationis naturalis, siuè fieri formæ. Est contrà Auctores tertiæ sententiæ dicentes, quod fieri, & factum esse formæ sunt simul; incipere verò, & fieri non esse simul: ac proindè non sequitur generationem incipere in instanti, in quo fit. Fundamentum conclusionis.

Primum est; quia contraria sententia fundatur in eo; quia distinguit incipere fieri rem, & fieri ipsum rei, quod est falsum: nam dum incipit fieri rei, siuè formæ, vel est aliquid rei, siuè formæ; vel non: si secundum dicatur, tunc res, siuè forma non incipit fieri; incipere enim est habere aliquod initium rei, vel formæ, quæ fit in subiecto: si dicatur primum; ergo falsum est priuationem esse in incipere fieri formæ, & non, dum est ipsum fieri formæ, quod contendit opposita sententia. Secundò, prædicta sententia difficultatem non soluit, quam putat suo discursu soluere; nam dum est mutatio, non est priuatio, sed non potest esse mutatio, dum non est priuatio, vt terminus à quo.

Aliqui impugnant hanc eandem sententiam hoc argumento; quia Auctores sententiæ ponunt duo instantia durationis, siuè temporis, sibi immediatè succedentia, quod falsum est; quia, vel faciunt extensionem durationis, & contrà est; quia sicut indiuisibile additum indiuisibili non facit maius in quantitate, ità instans additum instanti in tempore, non facit maiorem durationem, vel nō facit extensionem, & contrà est; quia simul esse, & incipere, & fieri formam, fieri formæ, & factum esse formę; sed hæc ratio vim habet in opinione dicentium, continuum permanens, siuè successiuum, non posse componi ex indiuisibilibus.

Conclusio quarta. Priuatio tunc principiat in actu secundo mutationem naturalem, vt terminus à quo, quando ipsa primò non est, scilicet quando ipsa primò deseritur; & subiectum acquirendo terminum ad quem, scilicet formam, deperdit terminum à quo, scilicet priuationem. Est contrà omnes Auctores primæ, secundæ, & tertiæ sententiæ. Ad hanc conclusionem probandam, Auctores huius conclusionis communiter vtuntur hoc medio, vnico præsupposito fundamento: quod repugnat esse actuale principium, sine actuali principiato; sed in instanti, in quo subiectum actu mutatur, est actu mutatio; ergo in instanti, in quo subiectum mutatur, debet esse adhùc priuatio actu principians, vt terminus à quo; sed quando est actu mutatio in subiecto, tunc non est primò priuatio; ergo priuatio tunc est actuale principium, vt terminus à quo, quando primò non est, siuè primò recedit, quod ei competit in instanti, in quo est mutatio. Maior probatur: principium actuale in actu secundo debet cōtradistingui à principio potentiali; sed si daretur principium actuale in actu secundo sine principiato, nó contradistingueretur a principio potentiali. Et probatur; quia principium sine suo principiato, non habet, sed potest habere principiatum; ergo adhùc est principium potentiale, & consequenter non est actuale in actu secundo. Sed hæc ratio, nisi aliquid addatur, non difficilè soluitur ab Auctoribus contrariæ sententiæ; possunt enim dicere principium aliud esse successionis, & aliud esse principium influentiæ, quod scilicet influit esse in principiatum; hoc secundum dicunt esse simul cum suo principiato, non autem primum; ad primum enim satis est, vt sit in actu secundo principians, quod sit actu id, à quo immediatè sequitur mutatio in instanti temporis sequenti immediatè, & per hoc distinguitur à principio potentiali successionis; quia principium potentiale, nondum habet illas conditiones, quibus constituitur formaliter principium, à quo aliud immediatè sequitur, in instanti immediatè temporis sequenti.

Ratio fundamentalis conclusionis est; quia terminus ad quem mutationis acquisitiuæ, & terminus à quo, principiant in actu secundo, modis primò contrarijs, & oppositis; sunt enim termini primò contrarij: sed terminus ad quem, scilicet forma, quæ acquiritur principiat in actu secundo per primum sui esse, siuè per primam sui acquisitionem, nimirum quando primò est; ergo ex opposito priuatio, vt terminus à quo in actu secundo principiat, quando primò non est: Quo solo fundamento innitimur cum constituimus rationem formalem, & actualem principiandi in priuatione esse intrinsecam derelictionem, siuè desitionem. Vel terminus ad quem principiat actu accedendo; ergo terminus à quo, actu recedendo. Veritas huius rationis magis ex solutione argumentorum in oppositum fiet clara.

Obijcies primò. Si priuatio in actu secundo principiaret, quando primò non est in instanti temporis mutationis, principiaret per contradictorium sui ipsius; sed hoc est falsum; quia vnum ex contradictorijs est destructiuum alterius. Sequela maioris probatur; quandoquidem priuatio tunc primò non est, quando primò est forma: sed primum esse formæ est contradictorium priuationis; quia priuatio formæ est non esse formæ; esse autem formæ, & non esse formæ, sunt contradictoria in eodem instanti.

Respondeo ad hoc argumentum: verum quidem esse, quod principiaret per cótradictorium sui in ratione priuationis existente; sed non in ratione termini à quo. Quā distinctionem hoc modo explico; priuatio dupliciter potest sumi: vno modo, vt priuatio formaliter: alio modo, vt terminus à quo; vt priuatio formaliter dicit non esse formę in subiecto apto nato illam recipere; vt verò terminus à quo dicit primam intrinsecam derelictionem, aut deperditionem, aut desitionem ipsius priuationis, cum primò est forma in subiecto: tollitur quidem priuatio in ratione formali priuationis causaliter; quia ponitur in subiecto esse formæ, quod expellit non esse formæ, quod est formaliter priuatio; sed per hoc, quod tollitur præexistens priuatio, secundùm quod priuatio formaliter, ponitur priuatio in ratione termini à quo; quia aduentu esse formæ in subiecto, causaliter desinit intrinsecè, & intrinsecè deperditur primò priuatio, per quam intrinsecam desitionem, & deperditionem constituitur priuatio formaliter terminus à quo in actu secundo: datur enim duplex desitio, alia formalis, & intrinseca; alia causalis, & extrinseca; causalis, & extrinseca, est ipsa mutatio, vt deperditiua, & expulsiua priuationis ab eodem subiecto; deperditio verò formalis, & intrinseca, est ipsa intrinseca deficientia, & desitio priuationis, quæ est modus quidam priuationis ei conueniens, cum expellitur à subiecto ab esse formæ, quæ acquiritur: sicut deperditio causalis est ipsa mutatio, quæ est acquisitio formæ, vt expulsiua priuationis, quæ vis expulsiua est ratio formalis in actu primo ipsius mutationis acquisitiuæ formę; priuatio. n. cõstituitur formaliter terminus à quo per desitionem intrinsecam, & formalem, non per causalem; quod facilè intelligitur in opinione, quam sequimur, priuationem esse realitatem oppositam impossibili.

Aliqui docti Scholastici, hanc ipsam conclusionem sequentes, putant priuationem constitui in ratione termini à quo in actu secundo per mutationem, vt est deperditiua, & expulsiua priuationis. Sed hæc doctrina nunquam mihi placuit, & ratio me mouens est; quia vnum contradictoriorum non potest constitui per rationem formalem, & exercitium formale alterius; & etiam quia causalitas est exercitium causæ, & complementum causæ in suo genere; sed terminus à quo per se mutationis acquisitiuæ, est negatiuus, vt deperdibilis; ergo etiam eius complementum, & exercitium in suo genere erit actualis deperditio; sed formalis, non autem causalis.

Obijcies secundò. Si priuatio principiaret, quando primò non est, principiaret per formæ acquisitionem; sed hoc impossibile est; quia forma, & priuatio sunt duo termini inuicem contradicentes. Sequela maioris probatur; quia non esse priuationis est negatio negationis, sed negatio negationis est affirmatio; ergo negatio negationis est positio formæ.

Respondent præcitati Auctores cum distinctione, quod principiaret quidem per acquisitionem formæ, non formaliter, vt acquisitio formæ est; sed vt deperditio termini à quo, per quam deperditionem tollitur quidē priuatio in esse priuationis; at nō tollitur, sed ponitur priuatio in ratione termini à quo, v. g. cum materia acquirit formam ignis; hæc acquisitio formæ ignis duo præstat in materia, & positionem formæ ignis, & deperditionem non esse ignis; quia, vt docet Aristoteles *lib. 1. de gen.* quod generatio vnius est corruptio alterius.

Sed hæc responsio deficit; quia non explicat, nisi deperditionem actiuam, & causalem, & relinquit passiuam, & formalem; priuatio fit terminus à quo formaliter per deperditionem intrinsecam passiuam, & formalem; non autem per deperditionem actiuam, & causalem; sed per causalem, & actiuam causaliter, tantùm priuatio fit terminus à quo mutationis acquisitæ.

Respondeo ergo, quod priuatio principiat in actu secundo, vt terminus à quo per acquisitionem formæ causaliter, non autem formaliter; etenim, vt suprà explicauimus, priuatio actu principiat per sui intrinsecam deficientiam, & desitionem formaliter; acquisitio autem formæ est solùm causa, vt priuatio intrinsecè deficiat, & deperdatur primò.

Obijcies tertiò, si priuatio principiaret actu, vt terminus à quo in instanti temporis, in quo est mutatio, principiaret per suum sui negationem; quia principiaret per suum pri-

primum non esse: sed hoc est impossibile; quia non datur negatio negationis formaliter.

Quod si dicas, priuationem constitui in ratione termini à quo in actu secundo per sui intrinsecam deficientiam, & desitionem, quæ est passiua expulsio priuationis à subiecto, quod mutatur; & hæc deficientia non est priuatio formaliter, sed modus priuationis; quia est deficientia intrinseca, & distinguitur ab ipsa priuatione.

Statim dicere possunt Aduersarij, hanc intrinsecam deficientiam adhùc esse negationem; quia est essentialiter non esse priuationis, sed negatio negationis est affirmatio; ergo, &c.

Respondeo, quod sicut in forma positiua est ratio entis formaliter, & modus formæ in fieri, vel in esse, qui quidem modus non est ens formaliter, sed ens materialiter, (vt clarè explicabitur cum sermo erit de modis intrinsecis entis), ità in priuatione, siuè negatione reali entis positiui, est ratio non entis realis positiui, & modus intrinsecus in corrumpi, & in esse in actu primo, & in actu secundo, qui modus non est realis formaliter; sed tantùm realis realitate sui modificati, qui distinguitur ex natura rei à suo modificato; nam modus intrinsecus, siuè in esse, siuè in fieri, & corrumpi, non est formaliter ens ex natura rei, neque positiuum, neque negatiuum; modificatum autem ex natura rei est, siuè positiuum, siuè negatiuum formaliter; qui modus intrinsecus, & formalis desinendi conuenit priuationi, ex eo quod causaliter expellitur ab accessu formæ negatio negationis, quæ est affirmatio, & negatio causalis negationis; non autem deficientia intrinseca, & passiua negationis.

Obijcies quartò, de ratione termini à quo, est, vt sit ante viam, scilicet ante mutationem; sed priuatio principiat, vt terminus à quo; ergo principiare debet ante mutationem: sed ante mutationem non est nisi vltimum tempus indeterminatum, vel instans; ergo priuatio non principiat quando primò non est; sed potius quando vltimò est ante mutationem.

Respondent aliqui primò per distinctionem maioris; nam in termino à quo, inquiunt, possumus duo distinguere, scilicet totum esse in actu primo termini à quo, & exercitium actuale ipsius termini à quo: ipsum esse termini à quo præcedere debet viam; exercitium verò actuale eiusdem esse debet simul cum via; nam exercitium termini à quo, est ipsius derelictio; derelictio autem priuationis est simul cum acquisitione formæ contrariæ.

Sed hæc responsio primò deficit; quia non distinguit inter derelictionem intrinsecam, & formalem termini, & derelictionem extrinsecam, & causalem. Secundò deficit; quia non distinguit in priuatione esse formale priuatiuum, & rationem termini à quo, quæ sunt duæ rationes reales distinctæ; nam si priuatio secundùm rationem formalem priuationis esset terminus à quo, priuatio in mutatione deperditiua, adhùc esset terminus à quo formaliter, quod est falsum; quia in mutatione deperditiua est terminus ad quem intrinsecè.

Respondeo equidem cum distinctione, dupliciter sumi potest priuatio; vno modo, vt priuatio realis formæ; alio modo, vt terminus à quo; vt priuatio formaliter dicit non esse formæ in subiecto mutabili; vt terminus à quo verò dicit formaliter esse priuatiuum, vt deperdibile per acquisitionem formæ positiuæ oppositæ, si consideretur priuatio, vt est terminus formaliter à quo in actu primo; si verò consideretur, vt terminus a quo in actu secundo, dicit intrinsecam, & passiuam deficientiam, seù derelictionem actualem intrinsecam. Vt priuatio formaliter, & vt terminus à quo in actu primo, antecedit instans intrinsecum, in quo in materia est via ad formam; inquantùm verò est terminus à quo, in actu secundo antecedit tantùm antecedentia naturæ viam ad formam acquirendam, quod non contradicit præcedenti doctrinæ; nam causæ, se se causant in diuerso genere causæ.

Obijcies quintò: si priuatio principiaret in actu secundo, quando primò non est, adhùc mutatio principiaretur quando non est, sed hoc est falsum; mutatio enim principiatur, sicut principiatur forma.

Respondeo, nego sequelam, & disparitas est; quia terminus à quo, & terminus ad quem, principiant modo opposito: forma quando primò est; è contrario verò priuatio, quæ est non ens exercitè, non potest principiare, nisi quando primò non est: & ratio à priori est; quia priuatio principiat, vt terminus à quo, terminus autem à quo, tunc exercet rationem formalem, quando primò non est, vt probauimus.

Obijcies sextò: hæc doctrina supponit, non posse esse mutationem naturalem, nisi ex priuatione præexistente ante instans mutationis in materia; sed hoc non est necessarium, & per se requisitum; nam si esset per se, & necessariò requisitum, reperiretur in omni mutatione naturali, quod est falsum; quia

quia hæc sententia procedit in generatione substantiali ab agente creato, quod est principium generationis medijs dispositionibus accidentalibus, quæ tempore præcedunt substantialem generationem; non autem de generatione accidentali vniuersaliter; quia datur aliqua generatio accidentalis, quæ fit ab agente creato in eodem instanti reali, quo primò est subiectum, vt Sol produxit in se lucem in eodem instanti, quo fuit ipse creatus. Prætereà in generatione, tàm substantiali, quàm accidentali, à solo Deo facta non requiritur priuatio; quia in prima rerum productione, simul Deus produxit materiam, & formam.

Respondent aliqui, mutationem dependere per accidens a priuatione, vt à termino à quo, præexistente saltem in actu primo, non autem per se; quandoquidem si priuatio, vt terminus à quo esset per se terminus mutationis, hæc dependeret essentialiter à priuatione præexistente; prædicatum enim per se est inseparabile; & quidem fundant hanc responsionem in Aristotele, tùm 1. *physi.* tùm 12. *metaph.* quibus in locis docet, mutationem materiæ dependere per accidens à priuatione præexistente, quatenùs scilicet mutatio fit dependenter à materia, cui accidit priuatio. Et ratio à priori huius est quia essentialiter mutatio sufficienter fit ex non ente in actu, quatenùs est ens in potentia.

Sed hæc responsio facilè reijci potest ex doctrina suprà explicata; dupliciter enim sumi potest priuatio formæ generandæ in materia; vno modo, vt priuatio formaliter; alio modo, vt terminus à quo in actu secundo. Primo modo, est principium per accidens mutationis naturalis; secundo modo, est principium per se. Cum Sol produxit in se lucem eodem instanti, quo fuit à Deo creatus, & in generatione substantiali à solo Deo facta, vt fuit in prima rerum productione, qua Deus produxit simul materiam, & formam, præfuit in priori naturæ priuatio, vt terminus à quo, non autem in sua ratione formali præexistens. Ratio huius est; quia hæc præexistentia in priori naturæ in ratione termini à quo, in actu secundo, sufficit, vt mutatio essentialiter sit transitus subiecti de priuatione ad formam; quia mutatio est à priuatione, vt à termino à quo, ad formã, vt ad terminum ad quẽ. Explicatur; nam ratio formalis termini à quo, est intrinseca deficientia, quæ dicit priuationem primò non esse secundùm exigentiam naturæ.

Alij respondent, priuationem etiam in esse priuationis necessariò, & per se præexistere in esse formali priuationis in materia in priori naturæ; non autem in priori durationis, siuè temporis. Sed hæc responsio nulla est, vt suprà ostendimus; quia priuatio in esse priuationis, & forma priuatiua opposita, sunt contradictoria formaliter; hæc autem nullo modo possunt esse simul, etiam in diuersis instantibus naturæ.

---

## ARTICVLVS QVARTVS.

### Vtrum non ens reale positiuum sit intrinsecè, & in recto cognoscibile, & per speciem intelligibilem propriam, an communem, ab intellectu creato.

IN hoc articulo proponuntur examinanda duo, quorũ vnum est difficillius alio. Primum est; an non ens reale positiuum formaliter, quatenùs scilicet est negatio realis entis positiui realis, sit intrinsecè cognoscibile, nimirum sua intrinseca cognoscibilitate, etenim potest aliquid esse cognoscibile dupliciter; vno modo per denominationem extrinsecam à potentia intellectiua, vt potente illud cognoscere; alio modo per denominationem intrinsecam à cognoscibilitate intrinsecè in eodem existente, siuè ea sit cognoscibilitas motiua, siuè terminatiua tantummodò. Secundum examinandum est; sit nè cognoscibile per sui speciem intelligibilem propriam, an per speciem intelligibilem communem, quæ est species entis oppositi impossibili. Pro resolutione vtriusq; quæsiti assignantur variæ diuisiones non entis realis: & quidem primò non ens reale, aliud est impossibile, & aliud est possibile. Primo opponitur ens reale vniuersalissimum, quod est idem, quod possibile secundùm se. Secundo opponitur ens reale positiuum. Non ens reale, siuè non possibile positiuum, aliud est non ens reale in actu; aliud est non ens reale simpliciter, siuè formaliter. In hoc articulo, sermo est de non ente reali positiuo simpliciter, siuè formaliter, & hoc etiam dupliciter sumi potest; vno modo, quatenùs est ens oppositum impossibili, & sic est idem formaliter, quod possibile secundùm se, & absolutè; alio modo, quatenùs est formaliter negatio entis realis positiui; neque enim vllam inuoluit con-

contradictionem, negationem realem entis realis positiui, esse non ens reale positiuum, & esse ens reale, quod opponitur impossibili realiter; quia ens, & non ens, non sumuntur secundùm idem; contradictio autem est affirmatio, & negatio vnius secundùm idem. Quæsitum controuerti potest de non ente reali vtroque modo, & inquantùm est ens oppositum impossibili, & inquantùm est non ens positiuum formaliter; sed communiter controuertitur de non ente reali, inquantùm non ens reale positiuum formaliter.

Conclusio prima. Non ens reale positiuum, inquantùm non ens reale positiuum formaliter, non est cognoscibile ab intellectu formaliter, nimirum non est cognoscibile ab intellectu ob rationem formalem obiectiuam; quia est nõ ens reale positiuum formaliter. Conclusio intelligitur in eo sensu, quo omnes Scholastici dicimus, sensum communem, v. g. non cognoscere visibile, quia visibile; & intellectum non cognoscere sensibile, quod est obiectum formale sensus communis, quia sensibile. Pariter non ens reale negatiuum non est cognoscibile ab intellectu creato formaliter; quia est non ens reale positiuum simpliciter, siuè formaliter. Conclusionem in hoc sensu, nemo est, qui neget; quia controuersia est inter Scholasticos solùm, an non ens reale positiuum in sensu formali sit cognoscibile cognoscibilitate sua intrinseca, siuè ea formalis sit, siuè materialis, nimirum siuè ea sit ratio formalis constitutiua obiecti materialis, quam Thomistæ cum S. Thoma appellant rationem formalem obiecti in genere entis; siuè ea sit ratio formalis obiecti in genere intelligibilis, quod est obiectum formale intellectus. Ratio fundamentalis conclusionis est; quia obiectum formale intellectus creati est intelligibile primum vt sic; intellectus enim in cognoscendo, est potentia vniuersalissima, & suprema; vniuersalissima autem potentia in cognoscendo est ex obiecto formali vniuersalissimo primario: sed non ens reale positiuum in sensu formali, non est intelligibile vt sic primarium: sed est intelligibile contractum ad negatiuum, quod est posterius; ergo non ens reale positiuum formaliter, vt non ens, non est formaliter cognoscibile ab intellectu creato, nimirum ratio formalis cur intellectus creatus cognoscit non ens reale positiuum, eo modo, quo potest, non est; quia illud est non ens reale positiuum; secùs intellectus esset intellectus, & non intellectus: intellectus, vt supponitur ob eam rationem; quia est intelligibilis primarij vt sic: non esset verò intellectus; quia non esset intellectiuus intelligibilis primarij vt sic; vndè implicat dari intellectum creatum, qui sit intellectiuus intelligibilis formaliter negatiui, vt negatiui; quia specificaretur ab intelligibili materiali, & secundario.

Conclusio secunda. Non ens reale positiuum formaliter, scilicet vt non ens reale positiuum, est directè cognoscibile ab intellectu creato materialiter. Conclusio intelligitur pariter eo sensu, quo omnes Scholastici dicimus, intellectum cognoscere quidditatiuè sensibile, siuè rationem formalem sensibilis materialiter, nimirum vt obiectũ, quod intelligitur. Conclusio hæc valdè controuersa est: etenim ferè omnes contendunt, non ens reale positiuum cognosci ab intellectu, quatenùs intellectus cognoscit ens reale negatum non esse in eo subiecto, vel in eo tempore, in quo erat, vel poterat esse, vel quatenùs intellectus cognoscit ens, quod negatur non existere; quia non ens vt sic, negat ens, quod est intelligibile.

Ratio fundamentalis huius conclusionis mihi est; quia non ens reale positiuum formaliter est pars subiectiua entis realis, quod opponitur impossibili; sed hoc sufficit vt sit obiectum materiale directè intellectus; ergo non ens reale positiuum directè, sed materialiter cognoscitur ab intellectu creato. Maior est certa; quia non ens reale positiuũ formaliter, & essentialiter, est possibile oppositum possibili positiuo; sed possibile oppositum positiuo est pars subiectiua possibilis, siuè entis oppositi impossibili. Minor verò principalis argumenti probatur; quia ens oppositum impossibili, est obiectum formale, & consequenter adæquatum intellectus creati; sed hoc continet sub se, vt partem inferiorem, siuè subiectiuam, & consequenter, vt obiectum materiale, non ens reale positiuum formaliter; quia non ens reale positiuum, est quoddam ens reale, & quoddam possibile; ergo, &c. Confirmatur; quia obiectum materiale, & directum intellectus est omne id, in quo reperitur formaliter obiectũ formale intellectus; quod est ens reale, proùt opponitur impossibili realiter; sed in nõ ente reali positiuo formaliter reperitur formaliter obiectum formale intellectus creati; quia hoc est ens reale vniuersalissimum, quod scilicet opponitur impossibili; sed ens reale vniuersalissimum reperitur formaliter, tàm in ente positiuo, quàm in non ente reali positiuo formaliter; vtrumque enim est essentialiter, & formaliter possibile oppositum impossibili; hac ratio-

tione soluuntur non difficilè rationes adductæ in oppositum suprà.

Contrà hanc doctrinam vrget valdè auctoritas S. Thomæ 1. *par. quæst.* 16. *art.* 3. *ad* 2. vbi dicit, quod non ens reale non habet in se vnde cognoscatur; sed cognoscitur, inquantùm intellectus facit illud cognoscibile. Et ratio esse potest; quia cognoscibile est passio entis; cognoscibile enim est vnumquodque, quia verum; verum autem est passio entis; sed non ens non habet in se vnde sit ens, nisi fiat à ratione ens, quandoquidem non ens est negatio entis; implicat autem negationem entis esse intrinsecè ens. Eandem doctrinam repetit S. Thomas *opusc.* 42. *cap.* 1. initio, dicens, quod obiectum intellectus primum, est ens; nihil enim, inquit, sciri potest, nisi secundùm quod est ens actu, vt dicitur 9. *meth.* non ens autem reale negat intrinsecè ens, & ideò non potest esse cognoscibile, nisi illud fingatur ens ab intellectu creato. Et huius potest addi alia ratio; quia obiectum formale intellectus debet esse primum cognoscibile, siuè intelligibile; hoc autem est ens reale positiuum; quia ens positiuum est ens in actu, ens autem in actu est prius, quam sit ens abstrahens ab ente in actu, & ab ente in potentia; quia huiusmodi ens, adhùc in potentia est ad differentias, quibus diuiditur; sicut animal est in potentia ad rationale, & irrationale.

Respondeo S. Thomam *locis cit.* loqui de non ente reali, quatenùs non ens reale formaliter, nimirum quatenùs est negatio entis realis positiui; non autem de non ente reali, quatenùs opponitur nihilo impossibili. Cum nos dicimus, non ens reale positiuum esse intrinsecè cognoscibile, & in recto; loquimur de eo, quatenùs est ens oppositum impossibili: quod est valdè considerandum in hac materia; quia hac distinctione facillimè soluuntur omnes rationes in oppositum. Et explicatur; nam non ens reale positiuum dupliciter accipi potest: vno modò, vt negatio realis formaliter entis positiui, & sic non est cognoscibile in recto, & per se, sed tantummodò per ens oppositum, vt absens; in quo sensu loquitur S. Thomas, cum dicit, negationem cognosci per habitum oppositum: alio modo, vt opponitur impossibili, & sic est cognoscibile per se, & in recto; quia in recto, & per se est essentialiter, quod est ens reale formaliter possibile.

Respondeo ad tertiam rationem, eam valere de non ente reali, quatenùs non ens reale positiuum formaliter; non autem de non ente reali, vt opponitur impossibili, & loquimur de cognitione vera, qua scilicet cognoscitur id, quod est esse, & quod non est non esse. Et ratio est; quia non ens reale positiuum, proùt opponitur nihilo impossibili, est intrinsecè ens reale vniuersalissimum, quia intrinsecè est possibile. Verùm si non ens reale definiretur, & cognosceretur per ens positiuum oppositum, vt absens, in recto non esset intrinsecè ens reale oppositum nihilo impossibili, quod est falsum. Explicatur hæc responsio, doctrina Scoti, qui vt dicemus *quæst.* 3. sequenti acutè docet, modum intrinsecum entis, non esse ens, neque esse per se cognoscibile, nimirum in recto; quia formaliter, & in recto non est ens, sed est tantùm ens materialiter, nimirum entitate entis modificati; vnde non ens reale positiuũ, vt possibile formaliter, est ens reale vniuersalissimũ, quod est obiectũ formale, & primum, terminatiuum intellectus creati, & ideò sub diuersa est ens, & nõ ens.

Respondeo secundò, non ens reale positiuum definiri, & cognosci per ens reale oppositum causaliter, non autem formaliter; quippe ens reale positiuum, vt absens, vel à subiecto, vel à tempore, in quo erat, vel poterat esse, est tantùm causa extrinseca, vt sit in subiecto, vel aliquo tempore, eius realis negatio, siuè priuatio; non autem est causa formalis intrinseca suæ negationis, seù priuationis realis: vel, sistendo in eadem distinctione, non ens reale, vt negatio entis realis positiui, definitur per ens positiuum oppositum, & in hoc sensu intelligendi sunt Scholastici cum dicunt negationem, siuè priuationem, cognosci per habitum oppositum, quatenùs verò opponitur impossibili, sic est per se, & in recto cognoscibile.

Tertia conclusio. Non ens reale positiuum in recto cognoscitur per speciem intelligibilem communem. Præcedentibus conclusionibus, quantùm possibile fuit, satisfecimus primo puncto articuli: vtrum nimirum non ens reale positiuum sit intrinsecè, & in recto cognoscibile ab intellectu creato. Hac tertia conclusione resoluimus secundum punctum quæsiti; vtrum non ens reale positiuum sit cognoscibile ab intellectu creato, per speciem intelligibilem propriam, an per speciem intelligibilem communem non enti, & enti positiuo, quod est quæsitum valdè metaphysicum, & difficillimę resolutionis scientificę. Intelligimus autem, nomine speciei intelligibilis, non speciem quæ imprimitur ab obiecto suo immediato; sed intelligimus formam intelligibilem, quæ est principium formale in genere obiecti, vel determinans intellectum ad produ-

ducendam cognitionem circà suum obiectum immediatum; vel influens, vt principium obiectiuum in genere causæ efficientis, in cognitionem sui obiecti immediati; quandoquidem de ratione speciei intelligibilis, quæ contradistinguitur à specie intellecta, siuè expressa (quam S. Thomas appellat speciem, siuè intentionem intellectam intrinsecè) non est, vt sit effectus causatus à suo obiecto influxu intelligibili; quoniam non omnis intellectus creatus intelligit per species acceptas à rebus intelligibilibus; sed solus intellectus humanus, proùt est intellectus animæ informantis corpus, est huius conditionis; intellectus autem Angelicus intelligit per species intelligibiles innatas in eo, productas à primo intelligibili, influxu intelligibili, vt suo loco probabitur; tamen in omni intellectu necessariò debet præcedere species intelligibilis: at si de ratione essentiali speciei intelligibilis foret, esse impressam, vel acceptam a suo obiecto, omnis intellectus creatus intelligeret per species acceptas à rebus, quod implicat; attamen communiter hęc species intelligibilis, quando est distincta à suo obiecto, dicitur species impressa; quia intelligibili influxu imprimitur intellectui, vt principium formale obiectiuum intellectionis; vel quia imprimitur intellectui à suo obiecto immediato, vt est species intelligibilis in intellectu humano; vel à Deo, vt primo intelligibili in instanti intrinseco creationis, vt est species intelligibilis in intellectu angelico, vel in instanti separationis animæ à corpore. Quomodo autem hæc species intelligibilis concurrat in intellectu creato ad actum intelligendi, duæ sunt Doctorum opiones celebres.

Vna est asserentium, speciem intelligibilem vniuersaliter non concurrere effectiuè; sed solùm formaliter, nimirum solùm per determinationem potentiæ cognoscitiuæ: ad eum modum, quo ferrum, v. g. determinatur per figuram, vt possit scindere; figura enim nullam habet efficientiam, sed solùm determinat ferrum, vt possit exercere actum scissionis, vel nimirum secandi, vel alio modo.

Alia opinio est dicentium, speciem intelligibilem esse principium formale effectiuum proximum actus intelligendi, sicut calor est principium formale effectiuum calefactionis in igne. Fundamentum primæ opinionis, quantùm nunc sufficit, est; quia species intelligibilis ponitur in potentia cognitiua, solùm propter indifferentiam ad intelligendum; sed indifferentia hæc completur per solam determinationem formalem speciei; nimirum completur à specie intelligibili, vt præcisè determinante ad suum obiectum cognoscendum. Fundamentum secundæ opinionis est; quia potentia intellectiua non potest intelligere, nisi in priori naturæ sit in actu in genere obiecti; quia intellectus intelligendo exprimit intra se similitudinem obiecti, quod intelligit; sed non est in actu in genere obiecti, nisi per formam intelligibilem; ergo debet in priori naturę esse actu per speciem intelligibilem; omnis autem forma cum sit actus primus, est principium effectiuum operandi; vnumquodque enim est actiuum, inquantùm est in actu; ergo, &c. In hac conclusione asserimus absolutè, & simpliciter non ens reale, quod opponitur nihilo possibili, non habere speciem propriam sibi, sed communem sibi, & enti reali positiuo, qua potest intelligi ab intellectu creato: præscindendo à quæstione; an huiusmodi species sit producibilis à suo obiecto immediato, influxu intelligibili; an verò à Deo. Sine dubio si species hæc intelligibilis ponatur produci à suo obiecto immediato, quod est ens reale oppositum impossibili; necessariò hoc non ens reale, debet esse ens obiectum motiuum intellectus creati; saltem in statu separationis animæ à corpore. Verùm si ponatur produci à solo Deo influxu intelligibili, ens reale, oppositum impossibili, erit tantùm obiectum formale terminatiuum: idem dico etiam de omni ente reali positiuo, quod est pars subiectiua entis realis, proùt opponitur impossibili. Hæc sententia, siuè conclusio veritatem habet, siuè dicatur, speciem intelligibilem esse principium formale obiectiuum, quo effectiuum actus intelligendi, siuè dicatur speciem intelligibilem concurrere tantùm formaliter ad intellectionem, nimirum determinando intellectum circà determinatum obiectum.

Ratio fundamentalis conclusionis est; quia intellectus creatus intelligit non ens reale positiuum materialiter, nimirum cognoscit illud; quia est ens reale vt sic: etenim intellectus creatus, vt intellectus creatus, est potentia vniuersalissima in cognoscendo; sed ad hunc modum cognoscendi vniuersalissimum, necessariò requiritur species intelligibilis communis enti reali positiuo, & enti reali negatiuo; siuè enti reali positiuo, & non enti reali positiuo; quia species intelligibilis est necessaria

ad concursum obiecti immediati, & primi; sed hoc est ens reale vt sic, quod opponitur impossibili; ergo non alia species intelligibilis requiritur ad hunc modum cognoscēdi, nisi species intelligibilis entis realis vt sic, quod opponitur impossibili realiter; sed hæc est species intelligibilis communis; ergo, &c.

Dicent fortè Aduersarij: ex hac ratione sequi, ens reale positiuum non cognosci, aut posse cognosci per propriam speciem; quia ens positiuum adhùc cognoscitur materialiter ab intellectu creato; quia ens reale positiuum non est obiectum formale intellectus creati, sed materiale; intellectus enim creatus formaliter est ad intelligibile vt sic, quod est ens reale vt sic, oppositum impossibili, scilicet non enti impossibili, sub quo materialiter continetur ens reale positiuum; quia est pars subiectiua entis realis vt sic: sed hæc sequela est falsa; ergo, &c.

Respondeo, nego sequelam; quia hìc nos loquimur de modo vniuersalissimo cognoscendi intellectus creati; non autem de modo intelligendi determinato in genere obiecti: siuè loquimur de cognitione scibilis materialiter, non autem scibilis formaliter; nimirum loquimur de cognitione, qua cognoscitur non ens reale positiuum materialiter. Cognitio de obiecto positiuo formaliter determinati in genere scibilis, necessariò fit per speciem propriam sui obiecti: neque hæc doctrina est opposita, & contraria doctrinæ communi, qua omnes dicimus, intellectum creatum esse intellectiuum intelligibilis vt sic, non autem talis intelligibilis; nam doctrina hæc communis intelligitur à Scholasticis de intellectu creato, inquantùm est potentia intellectiua formaliter, non autem de intellectu creato, quatenùs est determinatus in aliquo genere scibilis determinati: quæ determinatio in ratione potentiæ fit per aliquam speciem scientiæ: in genere verò obiecti, fit per speciem propriam obiecti; intellectus enim creatus, cum sit primus in genere cognoscendi, non est nisi vnus in vnoquoque; scientia verò, & scibile, sunt ratio posterior, extrà nimirum potentiam essentiæ intellectiuæ; ratio verò posterior potest esse multiplex, sicut quidditas substantiæ in vnoquoque indiuiduo substantiæ, non est nisi vna; quia est prima in eo, in quo est per se: primum autem in vnoquoque, cum sit causa cæterorum, non potest esse nisi vnum; potentiæ verò operatiuæ, cum sint rationes posteriores, possunt esse plures in vna substantia.

Dicent fortè secundò Aduersarij: species intelligibilis complet indigentiam formalem potentiæ intellectiuæ, quæ est carentia obiecti formalis intrà potentiam; cōplementum autem potentiæ intellectiuæ creatę, non potest esse ratio realis negatiua, intelligibilis, siuè obiectiua: sed si daretur species intelligibilis entis realis vt sic, hæc non esset perfectio completiua potentię intellectiuæ formaliter; quia præscinderet à positiua, & à negatiua; nam species intelligibilis est suum obiectum immediatum formaliter intrà potentiam, vt latè probabitur suo loco, vel per identitatem formalem, vel per formalem similitudinē. Cuius ratio pro nunc esse potest; quia quidditas obiecti pręscindit à quolibet essendi modo, tùm naturali, tùm intelligibili; sed hæc præcisio satis est, vt possit esse formaliter in vtroque modo, & extrà, & intrà intellectū; ergo, &c.

Respódeo, posse realitatem realem negatiuam intelligibilem complere intellectū, vt est potentia formaliter; quia vt supponimus probandum, species intelligibilis, complet indigētiam intellectus in genere intelligibilis, & non in ratione potentiæ; ad hoc autem satis est, vt species intelligibilis, sit suum obiectum immediatū formaliter, quod quidem potest esse, tùm ens reale negatiuū, tùm ens reale positiuum; quia hæc indigentia est carentia obiecti formaliter.

Obijcies primò: species, siuè forma intelligibilis ex suo genere, est principium formale influens in intellectu cum actu intellectionis; sed non ens reale positiuum non potest esse principium influens in actum intelligendi; ergo, &c.

Minor probatur; quia actus intellectionis est actus positiuus; hic autem non potest esse participatio, seù effectus sui principij formaliter positiui; sed ens reale vniuersalissimum, quo ad naturam subiectam vniuersalitati, præscindit ab ente reali positiuo, & ab ente reali negatiuo; ergo, &c.

Qui sustinent, speciem intelligibilem non cōcurrere effectiuè in actum intellectionis; sed solùm formaliter, nimirum determinando tantùm potentiam, vt possit intelligere; sicut dentatura serræ determinat ferrum, vt possit secare: facilè se expediunt ab hoc argumento; dicunt enim vim habere in principio formali effectiuo; nō autē in principio formali solùm determinatiuo potētię.

Sed hęc responsio patitur instantiā difficilem. Primò; quia per hanc responsionem trāsfertur difficultas ab actu efficiēdi ad actū determinandi formaliter; vterq; .n. est actus realis positiuus: sed actus positiuus nō potest ema-

emanare à principio formali, abſtrahente à poſitiuo reali, & à reali negatiuo; ergo, &c. Secundò: quia determinatio debet eſſe ab vltima differentia; ſed ens reale, quod opponitur impoſſibili, præſcindit ab omni differentia diuiſiua, & determinatiua; ſecùs non eſſet ens reale vniuerſaliſſimum, ſed eſſet determinatum ad aliquam ſpeciem entis realis.

Sed vtraque inſtantia non difficilè ſoluitur; ſicut neque difficilè ſoluitur argumẽtum principale, iuxtà opinionem dicẽtium, ſpeciem intelligibilem effectiuè concurrere ad actum intellectionis.

Reſpondeo, quantùm nunc video, hac ſuppoſita opinione de concurſu effectiuo ſpeciei in actum intellectionis; ſpeciem intelligibilem entis realis, prout opponitur impoſſibili, concurrere, & influere in actum poſitiuum intellectionis influxu reali intelligibili, non quidem poſitiuo, ſed reali contradiſtincto ab impoſſibili. Et ratio huius à priori eſſe poteſt; quia intellectio poſitiua habet duplicem rationem entis realis, aliam entis realis poſitiui, & aliam entis realis oppoſiti impoſſibili; intellectus quidem concurrit ad intellectionem, ſecundùm quod eſt actus poſitiuus realis; ſpecies verò intelligibilis entis realis contradiſtincti ab impoſſibili, concurrit ad intellectionem, quatenùs eſt ens reale oppoſitum impoſſibili: eo modo, v. g. quo intellectus, vt eleuatus lumine gloriæ producit in ſe viſionem ſupernaturalem Dei, ad quam concurrit, & intellectus, vt potentia poſitiua vitalis ſub lumine gloriæ, & lumen ipſum gloriæ; intellectus concurrit ad entitatem vitalem intellectionis, ſed vt eleuatus lumine gloriæ; lumen verò gloriæ ſeipſo concurrit ad eandem intellectionem, ſecundùm quod eſt ſupernaturalis; effectus enim, qui producitur à pluribus cauſis, conſtituentibus vnam cauſam adæquatam, eſt effectus omnium ſecundùm gradum perfectionis, qui in eo reperitur; non quidem, quia vnaquęque cauſa ſeorſim influit; ſed vnaquęque, quatenùs ſubordinatur alteri ſuo modo.

Obijcies ſecundò: ſpecies, ſiuè forma intelligibilis non poteſt eſſe, niſi obiecti in determinata ſpecie; quia forma intelligibiles eſt principium operandi, vel operatione effectiua, vel operatione formali; hoc autem principium debet eſſe in ſpecie determinata entis intelligibilis; ſed ens reale, prout opponitur impoſſibili præſcindit ab omni determinata ſpecie entis; quia præſcindit ab omnibus differentijs illud diuidentibus; ergo, abſolutè loquendo, ens reale, quod opponitur impoſſibili, non poteſt habere ſui ſpeciem intelligibilem propriam in intellectu creato, vel influxam ab ipſo ente reali vniuerſaliſſimo, vel à Deo, vt primo intelligibili.

Reſpondeo primò: nego maiorem; quia ſpecies intelligibilis eſt repræſentatiua in eo, in quo eſt ſimilis ſuo repræſentato formaliter; at repræſentatum formale poteſt eſſe, tùm ſpecies, tùm genus quantùm ad naturam ſubſtratam genereitati, & ſpeceitati.

Reſpondeo ſecundò, maiorem poſſe habere duplicem ſenſum. Primus eſt, quod forma, ſiuè ſpecies intelligibilis, eſt repræſentatiua tantùm obiecti in determinata ſpecie, & hic ſenſus falſus eſt; quia ſpecies eſt repræſentatiua ſui obiecti immediati, inquantùm eſt illius ſimilitudo; at poteſt eſſe ſimilitudo, tùm generis, tùm ſpeciei. Secundus ſenſus eſt, quod ſpecies repræſentatiua debet eſſe in determinata ſpecie in genere cognoſcibilis formaliter: & hic ſenſus eſt verus; nihil enim poteſt actu exiſtere, niſi ſit in aliqua determinata ſpecie ſui generis; ſed ſpecies intelligibilis eſt in genere cognoſcibilis formaliter intrà intellectum; ergo debet eſſe in aliqua ſpecie determinata cognoſcibilis formaliter, neque inconuenit formam intelligibilem repræſentatiuam entis extrà intellectum in genere, eſſe determinatam ſpeciem in genere cognoſcibilis; quia hæc prædicata non ſunt ſecundùm idem, ſed ſecundùm diuerſa, vt ſæpe repetiuimus; ens enim reale in genere entis vt ſic, in modo eſſendi extrà intellectum, eſt genus, ſiuè in genere entis genus eſt; ſed in genere cognoſcibilis formaliter intrà intellectum eſt determinata ſpecies cognoſcibilis; contradiſtinguitur enim in genere cognoſcibilis à ſpecie ſenſibili; contradiſtinctio autem intrà idem commune genus eſt diſtinctio ſpecifica.

Quod ſi dicas: ens reale, proùt opponitur impoſſibili in eodem modo eſſendi, contradiſtinguitur ab alijs entibus; & tamen per hoc non eſt ſpecies in modo eſſendi extrà intellectum.

Reſpondeo: nego primam partem antecedentis; nam ens contradiſtinctum ab impoſſibili non continetur ſub alio genere communiori reali; quia eſt ens reale vniuerſaliſſimum; forma autem intelligibilis continetur ſub genere cognoſcibilis formaliter; genus autem diuiſibile eſt in plures ſpecies, vt ſunt ſpecies intelligibilis, & ſpecies ſenſibilis.

Quod ſi ſecundò dicas: forma, ſiuè ſpecies

cies intelligibilis, iuxtà sententiam Aristotelis, & S. Thomæ, quam nos sequimur, est suum obiectum immediatum formaliter, nimirum, quantùm ad sua formalia, vel per identitatem formalem, vel per formalem similitudinē, tamen in modo essendi intelligibili, siuè in modo essendi intra intellectū: sed in esse quidditatiuo, & naturali entis realis vniuersalissimi nulla est differentia specifica: ergo neq; in esse formali entis vniuersalissimi in modo essendi intelligibili, est aliqua differentia essentialis, & specifica; sed solùm est modus essendi diuersus, qui est modus essendi intra intellectum, quidditatis obiecti, secundùm quod præscindit à modo essendi naturali extrà intellectum.

Respondeo, formam, siuè speciem intelligibilem entis realis vt sic, posse sumi dupliciter; vno modo, secundùm quod præcisè dicit cōuenientiam, siuè similitudinem cum suo obiecto formali extrà intellectum in quidditate; alio modo, secundùm quod est sub genere cognoscibili. Primo modo, habet solùm prædicata essentialia, quæ habet suum obiectum immediatum, & formale extrà intellectum. Secundo modo, prout scilicet est in genere cognoscibilis formaliter, habet differentiam essentialem; quia distinguitur species intelligibilis à specie sensibili sub genere communi cognoscibilis; istæ autem differentiæ essentiales diuisiuæ cognoscibilis, in sensibile, & in intelligibile, sunt diuersi gradus formales immaterialitatis, quorum vnus est superior alio; vtraque .n. species, & sēsibilis, & intelligibilis, est independens à materia: sed in diuerso gradu independētiæ; forma .n. intelligibilis est independens à materia subiectatiuè; forma verò sensibilis est independens à materia, non quidem subiectatiuè; sed solùm, quia non habet modum essendi naturalem, quam habet quidditas obiecti materialis, & sēsibilis: in quo sensu docet Aristoteles 3. *de ani.* commune esse omni sensui recipere formam sine materia, scilicet sine illo modo naturali essendi, quem habet quidditas obiecti sensibilis in sua natura existens extrà sensum, de quo fusè tractabitur in *quæst. de ente intelligibili*.

Quarta conclusio. Non ens reale positiuum, adhùc in modo cognoscendi, quem habet intellectus creatus humanus per dependentiam obiectiuam à sensibus, cognoscitur per speciem intelligibilem communem, quæ scilicet est species intelligibilis immediatè repræsentatiua entis realis, prout opponitur impossibili realiter. Explicatur conclusio; dupliciter potest intellectus humanus in se habere speciem intelligibilem communem enti positiuo reali, & nihilo reali positiuo; vno modo, ab obiecto per dependentiam obiectiuam à sensibus, medijs phātasmatibus, eleuatis, vel illustratis lumine intellectus agentis; alio modo per dependentiam à Deo tantùm, vt à primo intelligibili, siuè vt à primo efficiente. In præcedente cōclusione diximus, intellectum creatum humanum intelligere non ens reale positiuum materialiter; quia intelligit per speciem intelligibilem communem absolutè, siuè per non repugnantiam receptam a Deo, vt à primo intelligibili; in hac conclusione verò loquimur de specie intelligibili communi receptam ab obiecto per dependentiam obiectiuam à sensibus, medijs phātasmatibus eleuatis, vel illustratis lumine intellectus agentis: & conclusio intelligitur in eo sensu, in quo S. Thomas 1. *par. quæst.* 14. *art.* 11. *ad* 1. *& alijs in locis*, docet, intellectum humanum cognoscere singularia materialia per speciem intelligibilem naturæ specificæ abstractam à principijs illam indiuiduantibus; quomodo autem producatur hæc species abstrahens à conditionibus, & differentijs indiuiduantibus, sunt duo celebres dicendi modi. Primus est Caiet. in 1. *par. S. Thomæ quæst.* 79. *art.* 3. qui dicit produci ab obiecto medijs phantasmatibus illustratis lumine intellectus agentis, illustratione, non quidem formali, sed obiectiua, siuè abstractiua; illustratio formalis fit per hoc, quod intellectus agens suo lumine facit phātasma illuminatum in actu, sicut lumen facit diaphanum in actu, scilicet in actu lucidum; illustratio verò obiectiua, siuè abstractiua consistit in hoc, quod intellectus agens suo lumine facit, vt in phantasmate appareat natura, seù quidditas existens in eo, non apparentibus differentijs illam indiuiduantibus; sicut per abstractionem præcisiuam, in qua nō est mendacium, cognoscitur natura, v. g. humana, non cognitis singularitatibus, quibus illa diuiditur in plura singularia. Illustratur phantasma, non primo, sed secundo modo; non enim, inquit, Caiet. imaginandum est, quod ab intellectu agente fluat lumen in phantasma, & quod phantasma illo suffultum lumine producat, vt instrumentum obiecti, speciem intelligibilem; quemadmodum corpus illuminatum mouet visum; sed intellectus agens dicitur illuminatione abstractiua illuminare phantasma; quia ipse intellectus agens est lumen, quo resplendet

in phantasmate quidditas materialis in eo existens, non apparente eius singularitate, sicut abstractione præcisiua apparet natura, non apparente singularitate ei coniuncta; quia illuminatio obiectiua, idem est, quod abstractio naturæ à singularibus per intellectum agentem,& natura sic abstracta mouet intellectum possibilem, producendo in eo speciem intelligibilē. Adhibet ad hoc explicandum, Caiet. exemplum valdè aptum; sicut, inquit, lumen corporeum facit apparere colorem pomi, & non saporem, aut odorem; quia repugnat sapori, & odori reddi apparibiles lumine, non autem colori; ità lumen intellectus agentis facit apparere solam naturam in phantasmate,& non conditiones indiuiduantes obiecti; quia tali lumine repugnant conditiones indiuiduantes esse apparibiles in intellectu. Et huius ratio, inquit, à priori est;quia intellectus est vniuersalium formaliter; sensus verò est singularium formaliter, nimirum ratio cur intellectus cognoscit, v. g. Petrum, non est; quia Petrus est hic homo, siuè singularis; sed quia est homo; sensus verò cognoscit Petrum; quia est hic homo.Ex qua doctrina infert Caiet. quod phantasma, quæ est species sensibilis singularis materialis extrà intellectum est in duobus generibus, & in genere entis materialis,& in genere cognoscibilis, siuè intelligibilis, nimirum, & in genere repræsentatiuo sensibili, & in genere repræsentatiuo intelligibili; primo modo, est repræsentatiuum formaliter singularis materialis; secundò verò modo, est repræsentatiuum naturæ vniuersalis, nimirum, naturæ formaliter, non quidem in actu, sed in potentia, antequam illuminetur illuminatione abstractiua lumine intellectus agentis,quo resplendet in phantasmate,non totum quod est in eo, sed quidditas, seù natura, & non singularitas ei coniuncta; quia in abstractione, in qua non est mendacium, apparet natura, & non eius singularitas. Dicitur verò quidditas phantasmatis antè eius obiectiuam illustrationem intelligibilis in potentia;quia in illa antecessione,est tantùm in potentia, siuè fundamentaliter tantùm abstracta à singularitate, qua contrahitur ad esse speciem sensibilem, quæ est repræsentatiua singularis formaliter. Verùm actu illustrata quidditas,& natura phantasmatis est intelligibilis actu; quia præcipuè est separata à singularitate, & sic mouet intellectū possibilem,producendo in eo speciē intelligibilem, quæ est species repræsentatiua immaterialis immaterialitate per abstractionem, modo quo supra explicauimus cum S. Thomas 1. *par. quæst.* 14. *art.* 11. *ad* 1. & ratio huius est; quia natura, siuè quidditas existens in phantasmate, est obiectum motiuum intellectus; est enim suum immediatum obiectum formaliter, nimirum quantùm ad sua formalia;differt verò quidditas phantasmatis abstracta lumine intellectus agentis a specie intelligibili, ab ipsa producta in intellectu possibili;quia natura, seù quidditas existens in phantasmate, est tantùm intelligibilis in potentia; species verò intelligibilis á phantasmate producta, est intelligibilis actu; quia hæc est actu seiuncta à singularitate obiecti materialis; illa verò, est potentia tantùm seiuncta: quoniam phantasma adæquatè est repræsentatiuum naturæ singularis formaliter;hoc autem repræsentatiuum debet in se non solùm continere naturam; sed etiam singularitatē obiecti materialis extrà; & species intelligibilis à phantasmate illustrata illustratione abstractiua producta, repræsentat formaliter tantùm naturam indiuidui, vt rationem primam essendi; materialiter verò repræsentat singulare materiale, & ideò non debet in se continere in esse repræsentatiuo singularitatem sui immediati repræsentati.

Hanc Caietani opinionem sine nomine citat Ferrariensis in *lib.* 2. *contr. gen. cap.* 77. eamque acriter impugnat, vt alienam à S. Thoma, vt videre est eo loco, & affert in medium aliam celebrem explicationem, quæ est.

Secūdus modus dicendi circà modum, quo phantasma illustratur lumine intellectus agentis, qui est eiusdem Ferrarienis, qui dicit, quod phantasma fit de intelligibili in potentia intelligibile actu, prius natura, quam fiat species intelligibilis in intellectu; non quia lumine intellectus agentis apparet in phantasmate quidditas, & non eius singularitas; neque quia intellectus agens suo lumine aliquid ponit in phantasmate,quo ipsum phantasma fiat vigorosum, & in actu ad producendam speciem intelligibilem in intellectu possibili; sed causaliter tantùm, quatenùs nimirum facit phantasma in tali actu, vt possit secum concausare speciem intelligibilem in intellectu possibili.Et, ni fallor, his verbis Ferra. docet, phantasma illustrari ab intellectu agente per hoc, quod ei vnitur, vt concausa ad producendum speciem intelligibilem in intellectu possibili, eo modo, quo multi Theologi dicunt,posse intellectum creatum in se producere visionem beatificam, quæ in se est supernaturalis, per hoc præcisè, quod coniungitur lumini glorię,vt concau-

sæ

sæ tantummodò extrinsecę, nihil in se à lumine gloriæ recipiendo; quandoquidem Ferrari. sui asserti hanc assignat rationem, scilicet, phantasma in sua natura participat aliquid luminis intellectus agentis, sicut color in sua natura aliquid corporalis luminis participat, per quod redditur potens, simul cum intellectu agente, producere speciem intelligibilem, id quod non conuenit phantasmati bruti, sed solùm phantasmati hominis: & huius hanc assignat disparitatem Ferrariensis; quia virtus formatiua phantasmatum in homine radicatur in eadem essentia, in quo radicatur intellectus; & ex hoc, phantasma hominis participat aliquid, per quod redditur habile, vt possit simul cum intellectu agente, simul producere speciem intelligibilem, id quod non habet phantasma bruti. Hoc potest explicari apto exemplo diaphani, quod est susceptiuum colorum; diaphanum enim, vt oculus, si haberet tantùm de lumine, quod posset facere colores visibiles in actu, sicut quędam animalia in oculis habent aliquid de luce, sufficienter illuminaret obiectum visus; ità phantasma hominis, ex eo quod radicatur in anima intellectuali, participat aliquid luminis, per quod redditur habile ad comproducendum cum intellectu agente speciem intelligibilem reprę̨sentantis naturam singularis materialis extrà intellectum.

Hæc Ferrariensis opinio mihi non probatur, ex duplici capite. Primum est; quia ponit in instrumento formaliter materiali efficientiam in terminum immaterialem; nam phantasma etiam hominis est formaliter materiale; quia est formaliter sensibile: species verò intelligibilis est formaliter immaterialis, modo suprà explicato, quod implicat in terminis. Neque hæc ratio soluitur, si dicatur quod phantasma, siuè virtus formatiua phantasmatis præstat hoc, vt virtus animæ rationalis, vt causæ principalis; quia virtus formatiua phantasmatis, est virtus in genere cognoscibilis; non autem in genere agentis naturalis; non potest autem phātasma in genere obiecti compleri à causa in genere agentis naturalis.

Neque secundò hoc rectè impugnatur, si dicatur phantasma in homine esse habile ad concurrendum cum intellectu agente ad productionem speciei intelligibilis, non autem phantasma bruti; quia illud participat aliquid immaterialitatis intellectiuæ; hoc autem non; etenim hæc habilitas non eleuat phantasma ad esse immateriale intelligibile actu; quia eleuatio ad immateriale intelligibile est per abstractionem à materia indiuiduali; sed est habilitas huiusmodi intrà gradum sensitiui, quod est genus agentis naturalis, non obiecti; quomodo autem eleuetur phantasma in homine ad gradum immaterialitatis sensibilis, sufficienter explicat Caiet. dicens, quod lumine intellectus agentis illustratione abstractiua, abstrahitur quidditas phantasmatis à conditionibus indiuidualibus, quæ sunt à materia signata quantitate, vt principio radicali multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem. Secundum caput est; nam, vt suo loco ostendemus cum S. Thoma, materiale non potest eleuari ad effectum spiritualem, nisi per vires intrinsecas spirituales, & immateriales; sicut materiale non potest eleuari ad effectum formaliter supernaturale, etiam instrumentaliter, nisi per vires intrinsecas supernaturales, quæ sint virtus causæ principalis supernaturalis. Et ratio huius nunc esse potest; quia materiale manens materiale intrinsecè, est intrinsecè impotens secundùm se; hæc autem impotentia non aufertur, nisi per vires intrinsecas, nimirum, intrinsecè perficientes. Neque satisfit huic rationi si dicatur, quod sit potens per hoc, quod ei vnitur causa immaterialis extrinseca simul concurrens; nam virtus extrinseca non tollit intrinsecam impotentiam, v. g. materiale manens intrinsecè materiale, semper est impotens ad effectum immaterialem, nisi moueatur motu virtuoso, saltem immateriali, sed de hoc fusè suo loco.

Opinio Caietani mihi vera est, si rectè explicetur: & ratio est; quia per illustrationem obiectiuam, quidditas phantasmatis abstrahitur à conditionibus, & differentijs illam indiuiduantibus; sed hoc satis est, vt quidditas phantasmatis sit actu immaterialis per abstractionem, & consequenter intelligibilis; dicitur enim quidditas phantasmatis antè illustrationem obiectiuam, quæ fit ab intellectu agente suo lumine, intelligibilis in potentia; quia est abstrahibilis à conditionibus materialibus, quæ sunt conditiones diuidentes indiuidualiter intrà eandem speciem; eadem verò dicitur intelligibilis actu; quia actu est abstracta abstractione præcisiua ab intellectu agente à materia indiuiduali.

Quod si dicas: quidditas phantasmatis est similitudo entis materialis, quod essentialiter dependet à materia; hoc autem implicat, vt sit intelligibile etiam in potentia; quia implicat, quod est materiale, posse fieri intrinsecè immateriale.

Respondeo, quantùm nunc satis est du-

duplex esse immateriale; aliud scilicet est immateriale immaterialitate essentiæ; & aliud est immateriale immaterialitate abstractionis: siuè aliud est immateriale per seipsum, vt est anima rationalis; & aliud est immateriale per abstractionem à conditionibus, & differentijs indiuidualibus, quæ sunt ex diuisione materiæ per quantitatem; & huiusmodi est species intelligibilis, & etiam sensibilis, obiecti materialis; sed diuerso modo abstractionis: species enim intelligibilis est immaterialis per abstractionem à differentijs singularibus formaliter, & modaliter, nimirum per abstractionem non solùm à differentijs singularibus, vt differentijs singularibus formaliter; sed etiam à modo essendi naturali, quem habent in re extrà animam: species verò sensibilis, abstrahit tantùm à differentijs indiuiduantibus, quantùm ad modum essendi naturalem, quem habent in existentia naturali extrà animam. Et ratio huius diuersitatis est; quia intellectus formaliter est vniuersalium; sensus verò formaliter est singularium, vt dicit Aristoteles *lib.* 2. *de ani. tex.* 1. nimirum intellectus cognoscit singulare materiale, non quia singulare formaliter; sed quia eius natura abstrahit à singularitate: v. g. intellectus cognoscit Petrum, non quia Petrus; sed quia homo; sensus verò cognoscit Petrum; quia est hic homo. Neque ex hoc sequitur, quod species sensibilis Petri sit materialis, & non immaterialis; nam immaterialitas per abstractionem, vt dixi, est duplex, alia per abstractionem à conditionibus materialibus indiuiduantibus; alia est per abstractionē solùm à modo essendi naturali, quam habent res materiales, existentes in natura extrà animam. Hęc distinctio notāda est, & ea est S. Thomæ 1. *par. quæst.* 14. *art.* 11. *ad* 1. species enim sensibilis repræsentat singulare formaliter ad differentiam speciei intelligibilis, quæ repræsentat naturam formaliter, vt *loco modo cit.* docet S. Thomas; & hæc est immaterialis per abstractionem non à singularitate sui repræsentati, sed à modo essendi naturali, quem singularē habet in se extrà intellectum; sicut enim immaterialitas per essentiam, quæ est per independentiam à materia physica, habet plures gradus formales immaterialitatis; ità immaterialitas per abstractionem, adhùc habet plures gradus abstractionis, quorum vnus est vniuersalior, & superior alio, v. g. immaterialitas per abstractionem à singularitatibus formaliter, quæ conuenit speciebus intelligibilibus humanis; alia est immaterialitas per abstractionem, tantummodò à modo essendi naturali obiecti immediatè repræsentati, & hæc immaterialitas est speciei sensibilis; alia est vniuersalior, vt est abstractio non solùm à conditionibus indiuiduantibus, sed etiam à gradu formali rationalitatis, vt est abstractio animalis ab homine, & à Petro, & sic deinceps vsque ad immaterialitatem vniuersalissimam, quæ est immaterialitas metaphysica. Vna difficultas in hac materia resolui debet, quantùm materia exigit, & est; quia species intelligibilis in intellectu creato est materialis per essentiam; immaterialis verò per abstractionem, iuxta doctrinam à nobis traditam: sed ex his materialitas per essentiam extrahit speciem intelligibilem à ratione intelligibilis; quia species intelligibilis est principium formalis intellectionis, qui est actus immaterialis per essentiam; sed hoc principium non potest esse materiale per essentiam; implicat enim materiale in eo, in quo materiale, est operari extrà suam latitudinem formalem.

Qui sustinent, speciem intelligibilem concurrere ad intellectionem tantùm formaliter, determinando intellectum, & non effectiuè; facilè se expediunt ab hac difficultate: quia principium effectiuum actus immaterialis, & spiritualis, debet esse immateriale, & spirituale.

Qui verò tuentur, speciem intelligibilem concurrere effectiuè ad actum intelligendi, adhùc diuisi sunt: aliqui enim dicunt speciem intelligibilem non abstrahere ex suo genere à specie immateriali, & materiali; sed esse formaliter spiritualem, & immaterialem; quia est tantùm similitudo virtualis, non autem formalis sui obiecti immediati: illi verò, qui tuentur cum Aristotele, & S. Thoma, speciem intelligibilem, esse similitudinem formalem sui obiecti formalis, difficultatem nō mediocrem patiuntur; equidem quantùm nunc satis est. Respondeo, speciem intelligibilem dupliciter posse sumi; vno modo quantùm ad sua formalia præcisè, alio modo quatenùs imbibit in se potentiam intellectiuam, quæ est spiritualis; quoniam ex intellectu, & intelligibili, fit magis vnum, quam ex materia, & forma; eo quod materia non fit forma; intellectus autem fit ipsum intelligibile actu, & intelligibile actu est ipse intellectus in actu. Primo modo, species intelligibilis, est radicaliter tantùm principium intelligendi, non formaliter, sed eadem quatenùs imbibit in se potentiam intellectiuam, est principium effectiuum intellectionis; quia sic imbibit in se virtutem spiritualem intelligen-

ligendi; ſubordinatur enim ad inuicem intellectus, & intelligibile; in ſubordinatis verò, vnum operatur virtute alterius.

Reſpondeo ſecundò, magis à priori: intellectio eſt actus intellectus, & actus intelligibilis, quod præſcindit à ſubſtantia, & ab accidente: ſpecies intelligibilis obiecti materialis, concurrit ad intellectionem, vt eſt actus intelligibilis; ſed hoc fusè ſuo loco dicetur. His explicatis, aſſignanda eſt ratio concluſionis; cur ſcilicet intellectus intelligit non ens reale poſitiuum per ſpeciem intelligibilem communem, quæ eſt ſpecies entis realis, proùt opponitur impoſſibili realiter, nimirum nihilo impoſſibili, etiam in modo cognoſcendi per dependentiam obiectiuam à ſenſibus, & nunc hæc ratio occurrit.

Modus intelligendi per dependentiam obiectiuam à ſenſibus, & à phantaſmatibus, non immutat modum intelligendi eſſentialem, & proprium intellectus creati; ſed intellectus creatus intelligit formaliter entia creata per ſpecies intelligibiles, quæ ſunt vniuerſalium formaliter; ergo etiam in modo intelligendi per dependentiam obiectiuam a ſenſibus, & à phantaſmatibus illuſtratis, ſcilicet lumine intellectus agentis, intelligit ens reale vniuerſaliſſimum, quod opponitur poſſibili, per ſpeciem intelligibilem vniuerſaliſſimam in repræſentando, quæ eſt ſpecies communis repræſentatiua formaliter entis realis vniuerſaliſſimi. Maior probatur; quia dependentia obiectiua à ſenſibus, & a phantaſmatibus, non tollit, quin intellectus intelligat, vt potentia ſuprema, & vniuerſalis in cognoſcendo; quia hoc eſt prædicatum eſſentiale intellectus creati. Minor verò eſt certa; quia intellectus eſt vniuerſalium formaliter, ſenſus verò eſt ſingularium formaliter; tùm quia ſenſus eſt materialis; tùm quia ſenſus eſt potentia inferior intellectu; intellectus verò eſt potentia immaterialis, & conſequenter ſuprema; ſuperioritas autem, & vniuerſalitas potentiæ cognitiuæ formaliter eſt; quia habet obiectum formale vniuerſale; hæc autem ſpecies vniuerſaliſſima entis realis, quod opponitur impoſſibili, producitur ab intellectu agente, medijs phantaſmatibus illuſtratis illuſtratione abſtractiua, vt vult Caiet. vel illuſtratis illuſtratione formali, vt volunt alij; vel per hoc, quod intellectus agens concurrit ſimul cum phantaſmatibus ad productionem ſpeciei intelligibilis, vt vult Ferrarienſis; quouis enim modo loquamur, ſemper eadem ratio currit.

Quinta concluſio. Intellectus creatus, ſiuè abſolutè, & ſimpliciter, ſiuè per dependentiam à ſenſibus, & à phantaſmatibus, intelligit non ens reale poſitiuum per ſpeciem expreſſam communem, nimirum per ſpeciem, quæ eſt repræſentatiua entis realis, quod dicitur de ente reali poſitiuo, & de ente reali negatiuo: concluſio hæc ſequitur ex præcedentibus concluſionibus. Et ratio fundamẽtalis eſt: quoniam intellectus creatus intelligit non ens reale vt ſic, per ſpeciem intelligibilem communem; quia intellectus creatus intelligit vniuerſalia formaliter, quæ non poſſunt ſic cognoſci, niſi per ſpeciem vniuerſalem in repræſentando; ſed hæc ratio etiam militat in intellectu intelligente per ſpeciem expreſſam; quocumque enim modo intellectus intelligit, ſemper intelligit, vt potentia ſuprema, & vniuerſaliſſima in cognoſcendo; loquor hìc de ſpecie vniuerſali, non quidem in actu, vt eſt in Angelis, quæ eſt repræſentatiua formaliter plurium, ſed de ſpecie vniuerſali, quæ eſt repræſentatiua prædicati vniuerſalis formaliter, quatenus ſcilicet eſt prima ratio eſſendi cæteris inferioribus, quę cognoſcuntur materialiter, vel de ſpecie vniuerſali, quæ repræſentat tantùm prædicatum vniuerſale ſecundùm ſe.

Obijcies primò, ſpecies expreſſa, ſiuè intellecta entis realis vniuerſaliſſimi, non eſt dabilis; quia hæc deberet eſſe abſtrahens ab ente reali poſitiuo, & ab ente reali negatiuo: ſed non poteſt eſſe huiuſmodi; quia eſt terminus productus productione poſitiua; hìc autem neceſſariò, & intrinſecè debet eſſe poſitiuus. Maior probatur; quia ſpecies expreſſa eſt ſimilitudo immediata ſui obiecti; ſed obiectum reale vniuerſaliſſimum abſtrahit à reali poſitiuo, & à reali negatiuo; ergo ſi ens reale vt ſic, cognoſceretur per ſpeciem expreſſam communem enti reali poſitiuo, & negatiuo; ſibi verò propriam, hæc deberet eſſe adhùc abſtrahens à ſpecie expreſſa poſitiua, & à ſpecie expreſſa negatiua.

Reſpondeo cum diſtinctione; ſpecies enim expreſſa, idem dico de impreſſa, quæ ſcilicet cauſatur ab intellectu agente medijs phantaſmatibus illuſtratis illuſtratione, nimirum abſtractiua, eſt in duplici genere, & in genere entis poſitiui, & in genere intelligibilis, ſiuè cognoſcibilis formaliter. Et ratio eſt; quia non ſolùm eſt ſimilitudo ſui obiecti immediati, & formalis, ſed etiam eſt effectus potentiæ intellectiuæ media cognitione, ſiuè intellectione productiua, quarum vtraque eſt poſitiua in ſua ratione formali, & cum omnis eſt effectus obiecti poſitiui,

tiui, & fortè hac ratione motus Caiet. vniuersaliter docuit, speciem obiectiuam, siuè intelligibilem, aut intellectam, aut expressa esse in duplici genere, & in genere entis, & in genere intelligibilis; secundùm quod est in genere intelligibilis, species obiectiua nō necessariò est positiua; sed abstrahit à positiua, & à negatiua: species obiecti positiui formaliter, est adhùc formaliter positiua in repræsentādo, & in essendo; si verò eius obiectum formale, & primarium, sit tantùm ens reale oppositum impossibili, adhùc eius species intelligibilis, siuè intellecta, erit ens reale intelligibile, siuè intellectum, abstrahens ab ente reali negatiuo, & ab ente reali positiuo. Hęc doctrina est S.Thomæ, & Thomistarum omnium dicentium, quod species intelligibilis ex suo genere, neque est substantia, neque accidens; nimirum, in genere repræsentatiui; sed necessariò abstrahit à substantia, & ab accidente: permissiuè verò potest esse substantia, & accidens; si eius obiectum immediatum erit substantia, adhùc & ipsa species, substantia erit in esse intelligibili; si verò eius obiectum immediatum erit accidens, ipsa quoque species accidens erit. In re nostra, species intelligibilis, siuè intellecta entis realis, quod opponitur nihilo impossibili in genere intelligibilis, siuè repræsentatiui, non est ratio positiua, sed est ens intelligibile abstrahens à positiuo, & à negatiuo; si verò consideretur in genere entis, necessariò est positiua. Et ratio est; quia est effectus causæ positiuæ; differt verò hoc esse positiuum, quod nos ponimus coniunctū speciei intelligibilis, siuè intellectæ, ab esse entitatiuo positiuo, quod ponit Caiet. in specie intelligibili entis positiui in intellectu creato; quia hoc esse, quod ponit Caiet. est esse naturale; esse autem, quod nos ponimus, est quidem esse entitatiuum, sed nō naturale, sed intelligibile; quia est effectus causæ obiectiuæ, siuè causæ intelligibilis; hæc autem non potest causare, nisi influxu intelligibili effectum intelligibilem; omne enim agens causat sibi simile in forma.

Quod si dicas: esse intelligibile est esse in genere repræsentatiui; sed esse positiuum coniunctum speciei intelligibili, siuè intellectæ entis, quod opponitur impossibili realiter, non est in genere repræsentatiui; quia repræsentaret ens reale oppositum impossibili, quod est connaturale; ergo debet esse naturale, & in genere entis, quod per accidens conuenit speciei intelligibili, quatetenùs est in genere repræsentatiui.

Respondeo, hoc esse positiuum, adhùc esse in genere repræsentatiui; quia repræsentat ens positiuū formaliter, in quo reperitur ens reale oppositum impossibili; sunt enim in vna, & eadem specie intelligibili duo gradus formales intelligibilis; & entis, quod opponitur impossibili; & entis, quod opponitur nihilo possibili: quia species intelligibilis entis oppositi impossibili, est medijs phantasmatibus illustratis lumine intellectus agentis, causata ab obiecto positiuo, non autem ab obiecto negatiuo; hoc enim non cadit sub sensum: sed de hoc suo loco.

Obijcies secundò: ratio cur intellectus creatus est vniuersaliū formaliter, prima, & radicalis, nō alia est, nisi eius immaterialitas; nam immaterialitas est causa, vt intellectus sic causa vniuersalis, & suprema in cognoscēdo; sed hęc ratio nō est vniuersalis, & sufficiens; nam intellectus diuinus, & angelicus adhùc est immaterialis, & tamen nō est formaliter vniuersaliū; quia est cognitiuus formaliter, nō solùm vniuersaliū, sed etiā particulariū, vt probat S.Thomas 1.*p.q.*14.*ar.*11. *in corp.* quādoquidē Deus in ratione intelligibilis præhabet omnem rationem perfectiorem entis creati, vsque ad vltimam differentiam indiuidualem.

Respondeo, quod duplex est immaterialitas, alia est immaterialitas essentiæ, alia est immaterialitas abstractionis; immaterialitas abstractionis est causa, vt intellectus creatus humanus sit formaliter vniuersaliū tantùm, singularium verò materialiter; non autē immaterialitas essentię: immaterialitas autē diuini intellectus est immaterialitas essentię, nō abstractionis: idē dico de immaterialitate intellectus angelici. Argumētū vim haberet si immaterialitas vt sic, esset causa, quod intellectus noster nō cognosceret singularia formaliter, sed tātum vniuersalia; & ideò non omnis immaterialitas impedit cognitionē singularis formaliter, sed immaterialitas abstractionis: sed hoc radicitùs, & fusè explicabitur *quæst. de ente intelligibili*.

## ARTICVLVS QVINTVS.

### Vtrum ens reale vniuersalissimū sit diuisibile in ens reale, quod est, vel esse potest extrà nihilū reale possibile; & in ens reale, quod ex eo formaliter ens reale est; quia, vel est, vel esse potest realiter subiectum veræ propositionis.

SVmit articulus hìc motiuum sui examinis ab Aristo. qui 5.*met.c.*7. diuidit ens reale in ens reale, quod subdiuiditur immediatè in decē prima genera, quę dicūtur prima genera prędicamētalia, vt sūt substantia quantitas, qualitas, &c. & in ens reale; quod significat verū esse dictū propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ. Verū inexplica-

tatum relinquit Aristoteles, an hęc diuisio sit per diuersas possibilitates reales ambas intrinsecas; an verò sit per diuersas possibilitates reales ad existendum realiter, quarum vna est intrinseca, & alia extrinseca; dupliciter enim aliquid potest esse realiter subiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ; vno modo, quia ex suis intrinsecis aptum natum est esse realiter subiectum veræ propositionis; alio modo, quia intellectus potest de eo facere veram propositionem, siuè affirmatiuam, siuè negatiuam: sicut dupliciter potest aliquid dici producibile, seù creabile; vno modo, quia suis prædicatis essentialibus non repugnat existere realiter; alio modo, quia potest Deus illud creare; possibile primo modo est per possibilitatem intrinsecam; possibile verò secundo modo est per possibilitatem extrinsecam actiuam; quia est denominatio à potentia agentis potentis illud creare, vel producere, ità.

Hoc inexplicatum, & relictum ab Aristotele, suscipimus examinandum in hoc articulo, & circà hoc quæsitum duplex potest esse opinio.

Prima afferentium, diuisionem hanc esse per diuersas possibilitates reales, vnam intrinsecam, & aliam extrinsecam. Idque probatur primò; quia possibilitas ad existēdum realiter extra nihilum possibile, est possibilitas intrinseca; conuenit enim enti, inquantùm in eo prædicatum non repugnat suo subiecto, quæ sunt prædicata intrinseca, & essentialia; possibilitas verò ad esse prædicatum veræ propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ, conuenit enti modo opposito modo, quo enti competit posse existere realiter extrà nihilum possibile; quia omnis diuisio fit per oppositas differētias; in omnibus enim differentijs diuidentibus reperitur contradictio; sed ens potest esse realiter extrà nihilum possibile per intrinsecam possibilitatem; ergo ex opposito, posse esse realiter subiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ, est per possibilitatem extrinsecam à potentia intellectus potentis de eo formare veram propositionem, tàm affirmatiuam, quàm negatiuam.

Secundò; quia posse esse subiectum veræ propositionis conuenit tàm enti reali, quàm non enti reali; de quolibet enim ente potest intellectus formare veram propositionem, tàm affirmatiuam, quàm negatiuam; sed hæc possibilitas non potest esse ex suo genere realis intrinseca, sed potius abstrahens ab vtraque; ergo prædicta diuisio non est, aut esse potest per diuersas possibilitates intrinsecas ambas reales

Tertiò: posse esse subiectū realiter verę propositionis formaliter, idem est, ac esse scibile ab intellectu potente verè affirmare, vel negare prædicatum de suo subiecto; sed esse scibile est per denominationem extrinsecam ab intellectu potente scire, quę est denominatio extrinseca; ergo posse esse realiter subiectum veræ propositionis, dicit possibilitatē extrinsecam ab intellectu potente scire. Minor probatur; quia scibile dicitur ex eo quod scientia est ad scibile; non quia ipsū scibile est ad scientiam; scibile enim est terminus scientiæ, sed scientia est extrinseca scibili; ergo posse esse subiectum scientię per affirmationem, & negationem est denominatio extrinseca; ergo posse esse ens, vel scibile, quod est esse subiectū veræ propositionis est per possibilitatē realem extrinsecam; ergo prædicta diuisio entis nō est per diuersas possibilitates reales ambas intrinsecas.

Quartò: realitas, alia est per oppositionē ad impossibile, & alia est per realē affirmationē, vel negationē; sed illa est realitas intrinseca, ex eo quia est per oppositionē ad nihilum possibile: sed hæc ratio non reperitur in ente reali per realem affirmationem, vel negationem; quia adhoc satis est, vt intellectus possit illud cognoscere.

Quintò: ens, quod potest esse realiter subiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuę, quàm negatiuę, dicitur ens reale ab esse vel a verbo, est, prout est copula verbalis; sed esse, quod significat copula verbalis, est esse extrinsecum; nam hoc esse significat cōpositam propositionem, quam facit intellectus componens, & diuidens, quod totum est extrinsecum, de quo intellectus potest formare veram propositionē. Confirmatur; nam ens reale, de quo fieri potest vera propositio, contradiuiditur ab Aristotele 5. *met.* ab ente, quod diuiditur in decē prædicamēta; sed hoc est ens per esse intrinsecum; ergo illud debet esse ens per esse extrinsecū; hoc autem esse extrinsecum non aliud est, nisi esse veræ propositionis, quam facit intellectus diuidens, & componens intrà se.

Sextò: ens vniuersaliter dicitur ab esse, non autem à non esse; sed subiectū verę propositionis potest esse negatio formaliter entis positiui, quæ non habet in se aliquod esse, sed magis est negatio esse intrinseci; cęcitas enim non est aliquod esse in natura, sed potius est intrinsecè carentia alicuius esse.

Secūda opinio opposita est, hanc diuisionem entis realis esse per diuersas possibilitates reales ambas intrinsecas; quia ens reale vt sic, essentialiter idem est, quod possibile secundùm se; hoc autem est diuisibile per possibilitates diuersas ambas intrinsecas; quia est possibile intrinsecum, hoc autem

tem non est diuisibile, nisi diuersis possibilitatis intrinsecis.

Quæsitum dupliciter resolui potest, vel absolutè, & simpliciter, vel in mente Aristotelis; & in vtroque sensu quid sentiendum sequentibus conclusionibus explicabitur, vnica præuia distinctione entis realis vt sic, quod nimirum opponitur impossibili realiter: nam ens reale vt sic, duobis modis sumi potest; vno modo, vt est possibile intrinsecum in generali; alio modo, vt est possibile abstrahens ab intrinseco, & ab extrinseco possibili; sicut, v. g. possibile produci, potest sumi, proùt est possibile produci possibilitate sibi intrinseca; alio modo, vt abstrahit à possibili produci possibilitate intrinseca, & a possibili produci possibilitate extrinseca, quæ est denominatio extrinseca à potentia causæ potentis producere.

Prima conclusio. Ens reale vt sic, secundùm quod est possibile intrinsecum, nimirum secundùm quod suis prædicatis intrinsecis opponitur impossibili realiter, diuiditur in ens reale, quod potest esse realiter extrà nihilum possibile, & in ens reale, quod ex eo formaliter ens reale est; quia potest esse realiter subiectum veræ propositionis, per duas diuersas possibilitates reales intrinsecas, quarum vna est possibilitas intrinseca ad essendum realiter extrà nihilum reale, & alia est possibilitas ad essendum realiter, adhùc subiectum veræ propositionis. Ratio fundamentalis conclusionis mihi est; quia differentiæ diuidentes debent esse intra latitudinem formalem diuisi; sed diuisum est ens reale vt sic, quatenùs est idem, quod possibile intrinsecum; de hoc enim loquimur in conclusione; ergo differentiæ diuidentes, quæ sunt prædictæ duæ possibilitates ad essendum realiter diuersis modis, sunt possibilitates intrinsecæ reales. Confirmatur; nam si qua esset ratio in oppositum, ea esset; quia posse esse prædicatum veræ propositionis realiter, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ, est denominatio à potentia intellectus creati potentis de eo formare veram propositionem, quod ex contrario euidenter probatur; quia si intellectus creatus non posset formare veram propositionem, tàm de ente, quàm de non ente, non esset huiusmodi ens reale, quod ex eo reale est; quia de eo intellectus format veram propositionem, tàm affirmatiuam, quàm negatiuam. Sed hæc ratio non concludit necessariò; nam tantùm abest, vt hoc medium probet ens, proùt de eo possit formare intellectus veram propositionem, esse denominationē extrinsecā tātùm, vt potius probet oppositum; nam propositio est vera, vel falsa, ex eo quod id quod est, est, & quod non est, non est; sed hæc causalis supponit subiectum, de quo fit vera propositio, esse intrinsecè causam veritatis propositionis, vel supponit subiectum intrinsecè esse causam veritatis propositionis: v. g. hæc propositio, Socrates est albus, ideò causaliter est vera; quia intrinsecè, & in re Socrates est albus, & ideò hęc alia propositio Æthiops non est albus; quia verè, & realiter Æthiops non est albus in se; ergo, &c.

Secunda conclusio. Ens reale vt sic, proùt abstrahit ab intrinseco, & ab extrinseco, diuiditur per vnam possibilitatem intrinsecam, & per aliam possibilitatem; & in hoc sensu prædicta diuisio entis est per diuersas possibilitates reales, quarum vna est intrinseca, & alia est extrinseca; possibilitas nimirum ad essendum realiter extrà nihilum reale, est possibilitas intrinseca; possibilitas verò ad essēdum realiter subiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ, est possibilitas extrinseca.

Obijcies primò: possibilitas ad essendum realiter subiectum, vel obiectum veræ propositionis, siuè diuisum sit possibile intrinsecum, siuè diuisum sit possibile abstrahens ab intrinseco, & ab extrinseco, est ad actum realem essendi quidem, sed extrinsecum: sed hæc possibilitas extrinseca est; quia possibilitas specificatur à termino suo formali; terminus autem formalis huius possibilitatis est actus essendi extrinsecus, nimirum esse subiectum, vel obiectum veræ propositionis, quam intrà se diuidens, & componens.

Respondeo primò: possibilitas ad essendum realiter subiectum veræ propositionis est ad terminum extrinsecum constitutiuum, & concedo: ad terminum extrinsecum terminatiuum, & nego; nam actus ad essendum realiter subiectum veræ propositionis, est terminus formalis, non terminus materialis possibilitatis subiecti propositionis; terminus autem formalis est terminus intrinsecus; quia est intrà latitudinem formalem subiecti propositionis veræ.

Respondeo secundò: possibilitas ad essendum realiter subiectum veræ propositionis est ad actum essendi extrinsecum, supponentem in subiecto intrinsecam potentialitatem, & concedo: non supponentem in subiecto intrinsecam potentialitatem, & nego: ratio à priori est; tùm quia, vt dixi, propositio est vera, vel falsa, ex eo quod res est, vel non est causaliter; causa autèm in suo genere est per intrinsecam virtutem, & potentiam, non autem per potentiam extrinsecam; tùm etiam, quia diuisum est intrin-

trinſecè poſſibile; poſſibilitas autem intrinſeca eſt diuiſibilis per differentias intrinſecas.

Obijcies ſecundò, poſſibilitates intrinſecæ ad eſſendum realiter, ſunt modi diuiſiui entis realis poſitiui. Primò; quia eſt potentialitas ad actum exiſtendi realiter, qui eſt actus poſitiuus. Secundò; quia poſſibilitas quęcumque ad eſſendum realiter, eſt prędicatum affirmatiuum, non autem prædicatum negatiuum; prædicata autem affirmatiua ſunt propria entis poſitiui; ſed ens reale, quod opponitur impoſſibili abſtrahit à poſitiuo, & negatiuo; ac proindè ens, quod eſt, vel eſſe poteſt ſubiectum veræ propoſitionis realiter, poteſt eſſe tàm poſitiuũ, quàm negatiuum; ergo non rectè diuiditur ens reale vt ſic, in ens, quod poteſt eſſe realiter extrà nihilum reale, ſeù poſſibile; & in ens, quod poteſt eſſe realiter ſubiectum veræ propoſitionis.

Reſpondeo, concedendo, poſſibilitates intrinſecas ad eſſendum realiter eſſe modos intrinſecos per ipſas diuiſi; ſed nego, modos intrinſecos eſſendi eſſe formaliter ens, aut ex ſuo genere eſſe modos intrinſecos entis realis poſitiui; quia modus intrinſecus contradiſtinguitur à modificato; modus autem huiuſmodi non eſt formaliter ens, ſed tantùm materialiter, ad differentiam modificati, quod eſt ens formaliter; dupliciter enim aliquid poteſt eſſe ens, vel formaliter, vel materialiter, nimirum, vel entitate propria, vel entitate ſui modificati, vt fusè probabitur *quæſt. 3.* cum ſermo erit de modis intrinſecis eſſendi, & operandi. Qua poſita doctrina, ſuo loco probanda poſſibilitas, quæ eſt entis realis poſitiui eſt pòſitiua, ſed entitate poſitiua ſui veluti modificati; poſſibilitas verò entis rèalis negatiui, neque eſt formaliter ens reale negatiuum, ſed tantùm materialiter; quia eius modificatum intrinſecum eſt ens negatiuum; poſſibilitas denique entis realis vt ſic, formaliter neque eſt poſitiua, neque negatiua, ſed eſt materialiter ens reale præſcindens ab ente reali poſitiuo, & ab ente reali negatiuo, & loquor de poſſibilitate formali, quæ eſt paſſio entis; non autem de poſſibilitate naturali.

Ad primam probationem maioris, quã dicitur, poſſibilitatem ad eſſendum realiter eſſe potentialitatem ad actum exiſtendi, qui eſt poſitiuus; diſtinguo, poſſibilitas ad eſſendum realiter entis poſitiui, & concedo: poſſibilitas ad eſſendum realiter in eſſe reali negatiuo, vel in ente reali ad eſſendum vt ſic, præſcindendo à quolibet modo eſſendi realiter, & nego; poſſibilitas enim entis realis eſt ad actum ſibi proportionatum, non autem ad actum improportionatum, nimirum poſſibilitas entis realis negatiui eſt ad exiſtentiam realem negatiuam; poſſibilitas verò entis realis poſitiui eſt ad exiſtentiam poſitiui; poſſibilitas denique ad actum eſſendi in generali pariter eſt ad actũ exiſtendi in generali, pręſcindentem ab actu eſſendi negatiuo, & ab actu eſſendi poſitiuo: modi enim eſſendi realiter alij ſunt poſitiui, & alij negatiui; ſed intrà rationem formalem modificati poſitiui, & intrà rationem formalem modificati negatiui; quia modi eſſendi formaliter non ſunt ens; ergo formaliter, neque ſunt ens poſitiuum, neque negatiuum.

Quod ſi obijcias: ens poſitiuum, vel ens negatiuum inuoluit intrinſecè ens, & modum entis; quia ens poſitiuum, & ens negatiuum ſunt membra diuidentia ens per diuerſos modos intrinſecos eſſendi, ſed modi intrinſeci non datur alius modus; ergo neque ens reale poſitiuum, neque ens reale negatiuum poſſunt ſecundò *diuidi in* ens, quod pòteſt exiſtere extrà *nihilum* reale, & in ens, quod poteſt eſſe realiter ſubiectum veræ propoſitionis.

Reſpondeo, diſtinguo ad modum intrinſecum formaliter non datur alius modus intrinſecus, & concedo; ad modum intrinſecum materialiter non datur alius modus, & nego. Et ratio eſt, quantùm ad præſens pertinet; quia modus realis non eſt realis, niſi realitate ſui modificati; modus enim intrinſecus formaliter non eſt ens, vt fusè probabitur, ſed tantùm eſt ens materialiter, ſcilicet non entitate ſua propria, ſed entitate ſui modificati; vel non eſt ſua ratione formali ens, ſed ratione formali ſui modificati, & ideò non poteſt dari modus realis modi formaliter; quia modus intrinſecus formaliter eſſet ens à modo, quod implicat; illud autem, quod diuiditur per ſecundos modos, eſt illud ipſum ens, quod diuiditur per primos modos; quia vnum ens formaliter entificat primos, & ſecundos modos diuiſiuos; quod ſi ens eſt poſitiuum, modus vterque eſt poſitiuus, non formaliter, ſed materialiter; ſi verò ens, quod diuiditur, eſt negatiuum, modus intrinſecus eſt pariter negatiuus, non formaliter, ſed materialiter; verùm modus entis vniuerſaliſſimi, quod opponitur impoſſibili, neque eſt poſitiuus, neque negatiuus; quia modificatum, & diuiſum, eſt ens reale præſcindens à poſitiuo, & negatiuo.

Neque dicas: ens reale vniuerſaliſſimum, ſiuè ens reale vt ſic, non poteſt non eſſe

esse positiuum formaliter; quia formaliter est extrà nihilum; ens enim reale est contradictorium non enti reali; hoc autem est ens reale positiuum: ergo si omnes modi essendi intrinsecè realiter entificatur, & realizzantur entitate diuisi, & modificati, omnes modi diuisiui entis essent positiui; ergo falsum est, modos intrinsecos diuisiuos alios esse, positiuos, & alios esse negatiuos.

Respondeo ex dictis cum distinctione, ens reale vniuersalissimum, esse ens reale, quatenùs potest esse extrà nihilum impossibile, non autem extrà nihilum possibile; cum autem nos dicimus, ens reale vniuersalissimum diuidi, in ens reale positiuum, & ens reale negatiuum, sumimus ens positiuũ, prout significat ens extrà nihilum possibile; non autem sumimus ens extrà nihilum impossibile. Et hac distinctione soluitur etiam secunda ratio in oppositum, in qua dicitur, quod possibilitas, siuè radicalis, siuè formalis est prædicatum affirmatiuum; hoc autem ex suo genere positiuum est, quippè prædicatum affirmatiuum; aliud est per oppositionem ad nihilum possibile, & aliud est per oppositionem ad nihilum impossibile: siuè aliud est per affirmationem prædicatorum positiuorum compossibilium, vt hominem esse animal, & aliud per affirmationem prædicatorum negatiuorum compossibiliũ, vt cæcitatem esse negationem, & tenebras esse nihilum reale; ens reale vt sic, siuè ens reale vniuersalissimum est prædicatum affirmatiuum, siuè positiuum, tantummodò per oppositionem ad nihilum impossibile, vt sæpius repetiuimus.

Obijcies tertiò: omnis logica diuisio debet esse in membra opposita formaliter; quia omnis diuisio logica fit per differentias contrarias, in quibus inuoluitur contradictio; sed membra diuidentia in hac diuisione, qua diuiditur ens in ens, quod potest esse realiter extrà nihilum possibile, & in ens, quod potest esse realiter subiectũ veræ propositionis, non sunt opposita formaliter; quia vnum oppositorum non reperitur in alio formaliter; at vnum ex his membris diuidentibus in hac diuisione reperitur in alio formaliter, quoniam ens, quod potest esse realiter subiectum veræ propositionis reperitur formaliter in ente, quod potest esse realiter extrà nihilum possibile; & è contrà hoc reperitur in ente, quod ex eo est ens reale; quia potest esse realiter subiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ.

Respondebam olim huic argumento, quod posse esse realiter subiectum verę propositionis, dupliciter sumi potest; vno modo cum exclusione potentiæ ad essendum realiter extrà suum nihilum reale; alio modo sine hac exclusione. Primo modo, dicebam, quod reperitur solùm in ente reali negatiuo. Secundo modo, reperitur in vtroque membro diuidente, tàm positiuo, quàm negatiuo. Possibile reale ad essendum realiter subiectum verę propositionis, sumptum cum exclusione potentiæ ad essendum realiter extrà nihilum reale, est membrum diuidens in hac diuisione, non autem sumptum sine hac exclusione.

Sed hęc responsio patitur suam instantiam; quia esse ens reale, ex eo quod potest esse realiter subiectum veræ propositionis intrinsecè, imbibitur in ente reale, ex eo quod potest esse realiter extrà nihilum, & è contrario hoc imbibit intrinsecè, quod potest esse realiter subiectum veræ propositionis; quodlibet enim, quod intrinsecè reale est, potest realiter esse subiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ.

Respondeo directè ad principale argumentum, duplicem esse diuisionem per differentias, aliam per differentias subordinatas, vt differentiæ subalternæ, & differentiæ athomæ; aliam per differentias non subordinatas, vt sunt rationale, & irrationale, & vniuersaliter differentiæ athomæ, seù specialissimæ; quando diuisio fit per differentias subordinatas essentialiter, tunc differentia superior, siuè subalterna, necessariò est in alio membro diuidente formaliter; & huius conditionis est hæc diuisio entis realis in ens, quod potest esse realiter extrà nihilum possibile, & in ens, quod potest esse realiter extrà nihilum possibile; & in ens, quod potest esse realiter subiectũ veræ propositionis; quando verò diuisio est per differentias non subordinatas, tunc verum est vnum membrum diuidens, non esse, nec posse esse in alio formaliter.

Obijcies quartò: diuisum in omni diuisione debet esse vniuersalius quodlibet suo diuidente, sed ens reale vt sic, non est vniuersalius in hac diuisione quolibet suo diuidente; quia non est vniuersalius ente, secundùm quod potest esse realiter subiectum veræ propositionis; quia ens, per possibilitatem ad essendum realiter subiectum veræ propositionis, conuenit omni ente reali quocumque modo.

Respondeo, distinguo maiorem; quando diuisio est per differentias non subordinatas, & concedo: quando diuisio fit per proprietates inuicem subordinatas, & nego:

go, & huiusmodi est diuisio entis realis in ens, quod potest esse extrà nihilum reale; & in ens, de quo realiter potest fieri vera propositio; quia est diuisio per possibilitates formales, quarum vna est proprietas entis realis vt sic, vt posse esse subiectum veræ propositionis; alia est entis positiui realis.

Obijcies quintò: omnis logica diuisio fit per differentias vnius diuisi formaliter; vnum enim est, quod diuiditur in plura; sed hæc diuisio non est vnius diuisi formaliter; ergo, &c. Minor probatur; quia vna differentia diuidit ens reale, secundùm quod ens reale formaliter, vt est possibilitas ad essendum realiter extrà nihilum realem; alia verò diuidit ens, vt verum formaliter; verum autem, cum sit passio entis, est alia ratio formalis a ratione formali entis; nam ens, vt ens, est quod est, vel esse potest extrà nihilum; verum autem definitur, quod potest habere de se veram cognitionem: probatur, quod differentia, quæ est possibilitas ad essendum realiter subiectum veræ propositionis, diuidat ens reale, secundùm quod est verum reale formaliter; quoniam ens, quod est, vel esse potest subiectum veræ propositionis est ens formaliter per ordinem ad intellectum componentem, vel diuidentem.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem; diuisum enim in hac diuisione est ens reale vt sic, quod est radicaliter possibile ad essendum realiter, præscindendo ab omni determinato modo essendi realiter; quia possibilitas formalis ad essendum realiter, est proprietas entis realis.

Neque obstat cum dicitur, quod ens reale, quod ex eo est reale; quia potest esse realiter subiectum veræ propositionis, est verum; nam est verum radicaliter, non autem formaliter. Fundatur hæc responsio in S. Thoma 1. *par. quæst.* 16. *art.* 1. *ad* 3. vbi docet, quod esse rei, & non veritas eius, causat veritatem in intellectu, seù in propositione: & sumit respõsionem, & doctrinã hanc ab Aristotele, qui vbique docet, quod propositio, ex eo quod res est, vel non est, vera est, vel falsa; quia veritas propositionis est veritas rei per causam, & hoc verificatur non solùm de ente positiuo, sed etiam de ente negatiuo, & de ente abstrahente.

Dicent fortè, Aduersarij hanc responsionem repugnare doctrinę communi Scholasticorum; omnes enim Scholastici dicunt, veritatem obiectiuam, siuè trascendentalem esse causam veritatis formalis existentis in intellectu formante propositionem, vel affirmatiuam, vel negatiuam. Et ratio huius est; quia veritas obiectiua est mensura veritatis formalis saltem creatæ; mensura autem est causa sui mensurati in aliquo genere causæ, vel formalis terminatiuæ, siuè obiectiuæ, vel finalis.

Respondeo, Scholasticos intelligendos esse de causa instrumentali, non autem de causa principali; S. Thomas autem loquitur de causa principali, non autem instrumentali, quæ scilicet causat, vt virtus causæ principalis; in quo sensu loquitur Aristoteles cum dicit, ex eo quod res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est; nam Aristoteles tribuit esse causam veritatis propositionis, esse rei, non autem veritati rei. Ex his facilè soluuntur omnes rationes, quibus Auctores primę sententiæ probant, posse esse realiter obiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ, esse possibilitatem extrinsecam, quæ est denominatio à potentia intellectus potentis formare de quolibet veram propositionem, tàm affirmatiuam, quàm negatiuam.

Respondeo ad primam, qua dicunt posse esse realiter subiectum veræ propositionis esse possibilitatem à potentia extrinseca intellectus, vt potentis formare veram propositionem, tàm affirmatiuam, quàm negatiuam; ex eo quia hæc possibilitas cõpetit subiecto propositionis, modo opposito modo, quo competit enti positiuo posse esse extrà nihilũ possibile realiter. Respondeo, inquam, cum distinctione; si intelligatur diuisum esse possibile positiuum, vel possibile intrinsecum abstrahens à positiuo, & negatiuo; nego assumptum: quia possibile intrinsecum, non est diuisibile, nisi per possibilitates diuersas intrinsecas: si verò intelligatur diuisum esse ens reale, siuè possibile reale abstrahens ab intrinseco, & ab extrinseco; concedo assumptum; quia diuisibile diuiditur à differentijs, à quibus abstrahit formaliter; sed ens, quod commune est enti reali intrinseco, & enti reali extrinseco abstrahit à possibilitate intrinseca, & à possibilitate extrinseca; ergo per illas est diuisibile, quod totum satis explicauimus in conclusionibus.

Respondeo ad secundam, concedo maiorem, nimirum posse esse realiter subiectum veræ propositionis competere, tàm enti reali positiuo, quàm non enti reali; sed nego minorẽ, hanc .s. possibilitatem ex suo genere esse extrinsecam. Et ratio est; quia non solùm ens positiuum, sed etiam ens negatiuum est intrinsecè, & essentialiter ens reale, quod opponitur nihilo impossibili, & hoc

hoc poteſt dupliciter ſumi; vno modo, vt abſtrahit à poſſibili intrinſeco, & à poſſibili extrinſeco; alio modo, vt eſt poſſibile intrinſecum abſtrahens à poſitiuo, & à negatiuo, & de eo diſcurrendum eſt cum diſtinctione, quam explicauimus in duabus ſuprapoſitis cõcluſionibus. Hoc argumentum vim habet contrà eos, qui dicunt, negationem realem entis realis poſitiui eſſe purum non ens reale; quia poſſibilitas ad eſſendum realiter quocumque modo, eſt poſſibilitas entis, non autem non entis; & ideò poſſibilitas hæc, alia eſt actiua, & alia eſt paſſiua, in negatione entis realis, iuxtà horum opinionem; quia nullo modo poteſt eſſe paſſiua, cum negatio realis ſit pura carentia entis realis poſitiui, ponitur eſſe per extrinſecam denominationem à potentia intellectus, vt potentis formare veram propoſitionem, tàm affirmatiuam, quàm negatiuam, tàm de ente, quàm de non ente reali.

Reſpondeo ad tertiam, qua dicunt, quod poſſe eſſe realiter ſubiectum veræ propoſitionis eſt idem, quod ſcibile, aut intelligibile formaliter, quod denominatur extrinſecè à ſcientia, ſiuè ab intellectu; eo quia ſcibile, ſiuè intelligibile dicitur, ex eo quod ſcientia, vel intellectus eſt ad illud. Reſpõdeo, inquam, quod triplex eſt opinio, à quo ſcibile, vel intelligibile, denominetur ſcibile, vel intelligibile. Prima aſſerit, ſcibile non referri ad ſcientiam, ſiuè ad intellectum relatione formali; ſed tantùm relatione terminatiua, eo quod dicit tantùm aptitudinem terminandi relationem ſcientiæ, ſiuè intellectus. Secunda eſt aſſerentium, ſcibile, ſiuè intelligibile inuoluere relationem formalem, ſed ſine dependentia à ſcientia, vel ab intellectu ad differentiam ſcientiæ, vel intellectus, qui dicunt ordinem ad ſcibile, vel intelligibile, ſed cum dependentia à ſcibili, & intelligibili. Cum verò eis opponitur Ariſtoteles dicẽs, ſcibile non eſſe relatiuũ ad ſcientiã per relationẽ in eo exiſtẽtem, ſed eſſe relatiuum; quia ſcientia eſt ad ſcibile. Reſpondent, Ariſtotelem loqui de relatione cum dependentia, non autem de relatione ſine dependentia, de quibus fusè dicemus ſuo loco.

Iuxtà primam opinionem, reſpondeo, concedo maiorem, nempè poſſe eſſe ſubiectum realiter veræ propoſitionis, eſſe idem, quod ſcibile per affirmationem, vel diuiſionem intellectus componentis, vel diuidentis: & diſtinguo minorem; ſcibile enim eſſe, dupliciter ſumi poteſt, vno modo, vt eſt membrum diuidens ens reale, vt præſcindens ab ente reali intrinſeco, & ab ente reali extrinſeco; alio modo, vt eſt membrum diuidens ens reale intrinſecum. Primò modo, concedo minorem; ſecundò modo, nego; reſponſio hæc eſt iuxtà diſtinctionem entis realis vt ſic, quam explicauimus in vtraque concluſione. Cum verò dicit opponens, ſcibile non dicere ordinem, ſiuè relationem in eo exiſtentem ad ſcientiam, à quo poſſit denominari ſcibile intrinſecè, diſtinguo de relatione; non dicit relationem, ſiuè ordinem formalem exiſtentem in ſcibili ad ſcientiam, & concedo: non dicit relationem terminatiuum ad ſcientiam, & nego; quia ſcibile, vt ſcibile dicit intrinſecè potentialitatem, qua poteſt intrinſecè eſſe terminus ſcientiæ ad ipſum; implicat enim poſſe terminare relationem ſcientiæ ad ipſum ſine ratione formali intrinſeca potentis terminare. Neque huic doctrinæ obſtat Ariſtoteles 5. *meth. tex.* 20. dicens, quod eorum, quæ referuntur, ſeù ſunt relatiua; quia ſunt ad aliud formaliter, quædam vera ſunt relatiua; quia alia ſunt ad ipſa formaliter, inter quæ numeratur ſcibile, & menſura; nam ſenſus Ariſtotelis eſt, quod eorum, quæ referuntur, quædam referuntur formaliter; hoc eſt per relationem formalem in eis exiſtentẽ; quædã verò referũtur tantùm ratione terminatiua, quæ ſcilicet terminant relationem, aut dependentiam in alijs; nimirum, quia habent in ſe rationem formalem, qua poſſunt terminare; hæc autem ratio formalis potentis terminare, relatiua eſt; quia terminus, ſiuè ratio terminandi inquantùm huiuſmodi formaliter eſt alterius, & hoc modo docet Scotus in 1. *ſent. diſt.* 30. *quæſt.* 1. quod Deus refertur ad creaturas tantùm terminatiuè; quia terminat dependentiam creaturæ in ipſo, ſine omni reſpectu formali reali, & rationis. Hic vna difficultas eſt, an Deus in ſe terminet ſine vllo reſpectu formali relationem traſcendentalem creaturæ; an relationem prædicamentalem; & vniuerſaliter an relatio terminatiua in ſcibili, & in menſura, ſit terminus relationis prædicamentalis ſcientiæ, & menſurabilis; an ſolùm ſit terminus relationis traſcendentalis; ſed hæc difficultas plenè reſoluetur loco proprio in *quæſt. de relatione prædicamentali*; nunc, quantùm ſatis eſt, dico ſub diuerſa conſideratione formali rationem terminandi ſcibile, eſſe terminum relationis prædicamentalis, & relationis traſcendentalis ſcientiæ ad ſcibile, nimirum quatenùs ratio terminandi formaliter, eſt terminus relationis prædicamentalis ſcientiæ ad ipſum ſcibile; quatenùs verò eſt ratio formalis taliter terminandi, eſt terminus rela-

relationis trascendentalis existentis in scientia ad scibile, vt explicabitur radicitùs suo loco.

Iuxtà secundam opinionem, dico scibile inuoluere in se relationem formalem ad scientiam, sed sine dependentia. Neque huic doctrinæ obstat, si dicatur, quod mensura, & mensurabile, vt docet Aristoteles, non sunt relatiua mutua, sed non mutua; nam, vt suo loco explicabitur sunt non mutua, quantùm ad dependentiam, non autem quantùm ad relationem formalem.

Ad quartam rationem; respondeo ex dictis cum distinctione, quod realitas, siuè entitas; alia est entis realis præscindentis ab ente reali intrinseco, & ab ente reali extrinseco; & alia est entis realis intrinseci; prima est, quæ diuiditur in realitatē extrinsecā essendi extrà nihilum, & in realitatē intrinsecam per realem affirmationem, vel negationem; non autem realitas, siuè entitas realis entis intrinseci.

Ad quintam rationem respondeo eadem distinctione; nimirum, quod ens, proùt potest esse realiter subiectum veræ propositionis, tàm affirmatiuę, quàm negatiuę, dupliciter sumi potest; vno modo, proùt est membrum diuidens ens reale vt sic, abstrahens ab ente reali intrinseco, & ab ente reali extrinseco; alio modo, vt est membrum diuidens ens reale intrinsecum. Si consideretur primo modo dicitur ens ab esse extrinseco, quod est in intellectu componente, & diuidente sine falsitate: verùm si sumatur secundò modo, proculdubio dicitur ens ab esse intrinseco entis, quod opponitur nihilo impossibili realiter. Ad confirmationem, qua dicitur ens, de quo potest esse realiter vera propositio contradiuiditur ab Aristotele 5. *met.* in ens, quod subdiuiditur in decem prædicamenta. Respondeo, distinguo; contradiuiditur ab ente, quod subdiuiditur in decem prædicamenta, quatenùs ens diuisum in decem prædicamenta, est membrum diuidens ens reale intrinsecum, & nego; quatenùs est membrum diuidens ens reate vt sic, abstrahens ab ente reali intrinseco, & ab ente reali extrinseco, & concedo.

Ad sextam rationem, respondeo ex dictis, negationem realem entis realis positiui in diuerso significato formali, esse intrinsecè non ens reale, & ens reale; nimirum esse non ens reale, quod opponitur enti reali positiuo, & esse ens reale, quod opponitur nihilo impossibili realiter.

## ARTICVLVS SEXTVS.

### Vtrum ens reale vt sic, sit vniuocum Deo, & creaturis.

QVæsitum hoc cōmuniter omnes Sholastici cōtrouertunt de ente reali positiuo; nos verò illud examinandum suscipimus de ente reali, quod opponitur impossibili realiter; quia loquimur de obiecto metaphysicæ vniuersalissimę, quod non potest esse aliud, nisi ens reale vniuersalissimum: & ne in re difficillima verbis ludere videamur, determinandum est quæsitum, vt possit esse obiectum scientię; quęsitum enim scientificum debet esse determinati prædicati de determinato subiecto; hoc autem fieri non potest, nisi varijs diuisionibus, quibus diuidi solet ens reale, quod est *subiectum* quæsiti, & vniuocum, quod est *prædicatum*.

Prima diuisio entis realis, est in ens reale formaliter, & in ens reale in sua latitudine vniuersalissima, qua sub vno conceptu saltem confuso comprehendit ens formaliter, & ens materialiter. Ens reale formaliter appello id, quod est ens sua entitate, vel sua ratione formali, & huiusmodi est ens, quod diuiditur per diuersos modos essendi, vel quod contradiuiditur à modis intrinsecis, tàm essendi, quàm operandi; ens verò materialiter appello, quod est ens, siuè extrà nihilum entitate solummodò sui modificati, vel sui veluti subiecti intrinseci, & huiusmodi sunt omnes modi essendi intrinseci, qui non sunt ens, nisi intrà entitatem sui modificati, de quibus fusè sequenti *quæst.* 3. iuxtà acutissimam doctrinam Scoti, & Durandi. Ens reale, quod confundit in vnum hæc duo entia, dicitur ens reale in sua vniuersali latitudine, & hoc dicitur id, quod est, vel id quod est extrà nihilum realiter; nam dupliciter potest aliquid esse realiter extrà nihilum, vel nimirum entitate propria, vel entitate sui modificati, siuè, vel per seipsum, vel per aliud; ens verò formaliter est solummodò ens, quod intrinsecè modificatur, nimirum modo intrinseco; duplex enim est modus essendi, siuè operandi realis; alius intrinsecus, & alius extrinsecus; intrinsecus est, qui realizzatur, & entificatur entitate sui modificati; modus verò extrinsecus est determinatio entis, sed extrà entitatem modificati, v. g. perseitas, & inaleitas aptitudinales entis realis positiui sunt

modi essendi intrinseci; quia sunt determinationes puræ intrà entitatem modificati entis; perseitas autem, & inaleitas actuales sunt modi extrinseci; quia sunt quidem reales determinationes, sed extrà entitatem modificati.

Secunda diuisio entis realis est, in ens reale completum, & in ens reale incompletum, & in ens reale abstrahens à completo, & incompleto: dupliciter autem ens potest esse completum, & incompletum, vel scilicet completum, & incompletum in specie, siuè in ratione entis, vel completum, & incompletum in genere; ens completum in genere, est primus gradus entis abstrahibilis, tantummodò à cæteris prędicatis, quę sunt in ente completo, tàm in specie, quàm in ratione entis; ens verò incompletum, huic oppositum est gradus entis, qui essētialiter dicitur de omnibus gradibus entis cōpleti in specie, vel in ratione entis; hic enim gradus, cum sit cōmunis omnibus gradibus entis completi in specie, vel in ratione entis, dicit rationem inadæquatam omnium graduum entis in specie, vel in ratione entis. Cæterum ens completum in specie, est species quælibet, quæ est in recta linea prædicamentali, vt homo, equus, &c. ens incompletum, huic oppositum est pars speciei intrinseca, & essentialis, quæ est genus, vel differentia, vt in homine animal, vel rationale; completum verò ens in ratione entis est ens actu existens; incōpletum verò huic oppositum, est, vel sola essentia, vel sola existentia.

Tertia diuisio entis realis est in ens reale secundùm se, vel proùt est in seipso in rerum natura; & in ens secundùm quod est cognoscibile à nostro intellectu cōceptibus inadæquatis, & imperfectis, quod conuenit enti quatenùs est repræsentabile nostro intellectui, ex perfectionibus diuisis in alijs, v. g. substantia, quatenùs cognoscitur à nostro intellectu ex perfectionibus diuisis, quæ sunt, v. g. in homine, vel in leone. Vniuocum pariter habet suas diuisiones.

Prima diuisio est, qua diuiditur vniuocum, in vniuocum purum, & in vniuocum non purum. Primum contradistinguitur, nō solùm ab ęquiuoco puro, sed etiam ab analogo formaliter, quod propriè est analogum attributionis, vel proportionis, quod est medium inter purum vniuocum, & purū ęquiuocum. Vniuocum impurum formaliter, est analogum, vel attributionis, vel proportionis. Vniuocū purū est, quod significat plura vno cōmuni nomine significata omninò eadem, nimirum omninò similia, vt, v. g. homo proùt dicitur de Petro, & Paulo; vel animal, quod dicitur de bruto, & de homine. Æquiuocū purū dicit plura omninò diuersa significata vno communi nomine, vt gallus, qui dicitur de homine in Gallia nato, & de pullo. Analogum verò formaliter dicitur, quod in illo ipso, quod significatur vno communi nomine, dicit similitudinē, & dissimilitudinē, & hoc cōtingit quando in illo ipso, quod significatur vno cōmuni nomine includūtur differentię, siuè modi differentiales essentialiter diuersi; & huius conditionis, in cōmuni omniū opinione, est ens reale in sua latitudine vniuersali, qua comprehendit, & ens formaliter, & ens materialiter. Istæ explicationes sumuntur in terminis à definitionibus, quas Aristo. tradit de vniuocis, ęquiuocis, & analogis. Notanter dixi sæpius analoga formaliter; quia analoga inequalitatis, nō sunt analoga formaliter, sed tantùm materialiter; non enim dicunt diuersitatem in ratione formali significata vno cōmuni nomine, sed solùm dicunt diuersitatem in ratione formali contracta per differentias, quarum vna est perfectior alia.

Secūda diuisio est vniuoci puri, in vniuocum metaphysicum, & in vniuocū purū logicum: vniuocum metaphysicum, est, quod in re, siuè ex natura rei præscindit à differentij, siuè diuisiuis, nimirum quibus diuiditur formaliter ratio substantiæ significatę vno cōmuni nomine: vniuocum verò logicū est, quod præscindit à differentijs illud diuidentibus, in modo nostro intelligendi cōceptibus imperfectis, & inadæquatis, v. g. animal in bruto, & in homine, in opinione distinguentium gradus metaphysicos ex natura rei in eodem indiuiduo, est vniuocum metaphysicum; quia in re, non includit in ratione substantię significatę vno communi nomine rationale, & irrationale; in opinione verò distinguentium gradus metaphysicos, siuè essentiales, sola ratione concipiente gradum animalis conceptu inadæquato, & imperfecto, est vniuocū logicum; pariter ens formaliter, secūdùm multorum opinionem, dicitur vniuocū logicū; quia ens formaliter, etiam si imbibat in se tale, vel tale ens, & in re idem sit ens, quod tale ens; tamē cōceptu inadæquato præscindit à tali, vel tali ente, nimirum à substantia, & ab accidente; quia verè substantia, & accidens in ratione entis conueniunt, & discōueniunt, sed intellectus noster conceptibus inadæquatis, & imperfectis cognoscere potest conuenientiam, & nō disconuenientiam, & è cōuerso, & erit tunc abstractio imperfecta; quia intellectus non cognoscit ens secūdū cōceptus inadequatos.

Articulus hic intelligitur principaliter de ente reali formaliter nō autem de entia-

tiales, qui sunt modi differentiales diuisiui intrinsecè; ergo est etiam intrinsecè in potentia ad diuersas existētias. Ratio hęc tangitur à S. Thoma 1. *par. quæst. 3. in corp. 3. loco*, vbi probat Deum non esse in genere, nimirum quod est vnum diuisibile in plura intrinsecè; hoc medio: quæ sunt in genere vno, communicant in quidditate, vel essentia generis, quod prædicatur de eis in quid; differunt autem secundùm esse, v. g. brutum, & homo, in quæ diuiditur animal, tamquam genus in sua specie essentiali, conueniunt in quidditate animalis; tamen aliud est esse hominis, & aliud est esse bruti: non enim idem est esse hominis, & equi, nec huius hominis, & illius hominis ob rationem modo datam; quia existentia sequitur vltimam differentiam generis.

Dicere potest Scotus, & cū eo Trombetta, existentiam esse modum intrinsecum essentiæ, non autem actum entitatiuum, qui propriè est actus perfectiuus, non solùm in creatis, sed etiam in Deo; modus autem intrinsecus nullam præsupponit in ente potentialitatem; quia potentialitas est ens essentialiter imperfectum, nimirum carens aliquo gradu perfectionis; qui est actus, seù gradus entis formaliter.

Sed hæc doctrina Scoti in principijs S. Thomæ non admittitur, & ratio S. Thomæ, est: quia existentia est actus essentiæ in genere entis; est enim actus completiuus essentiæ in genere entis; quia essentia est essentialiter imperfecta in genere entis, nimirum ens actu potens existere; hæc autem potentia non completur, nisi ab actu entitatiuo formaliter, vt suo loco fusè probabitur. Secundò; quia existentia, in opinione Scoti, est modus extrinsecus, non intrinsecus.

Secundò, eadem prima responsio reijcitur etiam; quia ens quod intrinsecè diuiditur in plura, & diuersa entia per diuersos modos essendi intrinsecos, est essentialiter imperfectum in genere entis; quia non est totum in sua latitudine formali; sed huiusmodi ens essentialiter est potentiale in ratione entis; quia non est ens, quod est essentialiter actu omne ens; ergo ens diuisibile intrinsecè in Deum, & in creaturam, est essentialiter ens potentiale; quia est in potentia plura entia, siuè essentialia, siuè existentialia.

Tertiò, reijcitur; quia ens diuisibile intrinsecè in plura entia, est in potentia ad plures species entis; quia diuisibile in plures species non est essentialiter plures species, in quas diuiditur: sed quod non est plures species est in potentia ad species; sed hæc est potentialitas entitatiua; quia est potentialitas ad diuersas species sub vno genere; ergo, &c.

Quartò; quia potentialitas, alia est entitatiua, & alia est modalis, dato quod ens sit in potentia passiua tantùm ad modos intrinsecos, adhùc hæc potentialitas repugnat Deo; quia est potentia passiua ad modum intrinsecum distinctum ex natura rei.

Facilè etiam reijcitur secunda responsio Trombettæ, qua dicit potentiam passiuam intrinsecam reperiri tantummodò in ente finito; ens autem, quod diuiditur in ens finitum, & infinitum, abstrahit à finito, & infinito; ergo, &c. quandoquidem hoc ens diuisibile in ens infinitum, & ens finitum, commune Deo, & creaturis, abstrahit à potentia, quæ est vnum ex membris diuidentibus; non autem abstrahit à potentia intrinseca passiua ad diuidentia, siuè diuidentia sint differentiæ, siuè sint modi intrinseci; quia diuisibile intrinsecè secundùm se non est sua diuidentia; hæc autem est potentialitas passiua intrinseca, quæ repugnat actui puro.

Neque dicas primò, quod potentialitas intrinseca passiua est pars subiectiua entis, quod intrinsecè diuiditur, non autem est ipsum ens, quod diuiditur; nam ens vt sic, est diuisibile in actum, & potentiam; omne autem diuisibile in plura inferiora præscindit à suis inferioribus formaliter, nimirum à diuisiuis, & constitutiuis suorum inferiorum, in quæ diuiditur; at nos dicimus ens, quod est diuisibile in plura, nimirum in actum purum, & in ens essentialiter potentiale, esse essentialiter adhùc ipsum potentiale, quod implicat; quia ens potentiale in prædicta diuisione est pars subiectiua entis, quod dicitur de Deo, & de creaturis; ens autem, quod diuiditur, præscindit à differentijs formaliter inferiorum, in quæ diuiditur; esse verò potentiale, est differentia propria vnius membri diuidentis, quod dicitur ens essentialiter potentiale; nam.

Respondetur primò, quod ens diuisibile præscindit à potentia opposita actui condiuidenti; non autem à potentia ad diuidentia, scilicet ad modos diuidentes. Secundò; quia omne diuisibile intrinsecè, etiam per diuersos modos essendi intrinsecos, est in potentia ad esse, vt suprà probauimus ratione S. Thomæ; at implicat ens, quod dicitur de Deo, & de creaturis secundùm se esse essentialiter potentiale; ergo implicat dari ens diuisibile intrinsecè in Deū, & in creaturam, tamquam nimirum communicatione

& indistinctionem, vt scilicet in quibusdam distinguatur, propter eorum finitatem, & limitationem; in Deo verò non distinguantur, propter eius summam infinitatem in formalitatibus, & modis; sicut, v. g. substantia secundùm se, neque est materialis, neque immaterialis; non quidem positiuè, & exclusiuè, sed tantum præcisiuè, siuè negatiuè: pariter ens reale secundùm se præcisiuè, & negatiuè, neque est à se, neque est ab alio, qui sunt duo primi modi intrinseci diuersificantes ens. Hæc responsio fundatur in hoc, quia distinctio est ex limitatione; indistinctio verò, & vnificatio fundatur in illimitatione; ens autem formaliter vt sic, præscindit à limitatione, & illimitatione; diuiditur enim ens in ens finitum, & in ens infinitum.

Statim potest Scotus insurgere primò, dicens, ex suis principijs falsum esse, omnem distinctionem oriri ex limitatione; indistinctionem verò ex illimitatione in vno, & eodem indiuiduo; nam datur duplex distinctio ex natura rei; alia, quæ fundatur in limitatione formali; & alia quæ fundatur in pura determinatione intrinseca, & essentiali entis. Prima est essentialiter permixta imperfectioni; quia prima radix limitationis est potentia in genere entis, eo quod limitatio est quædam imperfectio; prima autem radix imperfectionis est prima potentia, quæ est potentia in genere entis. Verum distinctio, quæ fundatur in pura determinatione entis formaliter, præscindit à limitatione, & imperfectione; quia imperfectio, & limitatio sunt prædicata entis formaliter; determinatio autem intrinseca, cum sit purus modus intrinsecus, non est ens formaliter. Præterea ens formaliter vt sic, præscindit ab imperfectione, & perfectione; quia præscindit ab actu, & potentia, tàm in ratione obiecti, quàm in ratione subiecti; ens reale formaliter vt sic, & secundùm se distinguitur ex natura rei a limitatione in creaturis, & ab illimitatione in Deo, non quidem præcisiuè, aut negatiuè, sed exclusiuè, & positiuè; quia est intrinsecè determinatum determinatione pura, & essentiali; nam ens reale formaliter, non solùm est ens, sed est ens formaliter, quod inuoluit intrinsecam, & puram determinationem, qua contradistinguitur à limitatione, & illimitatione; qui quidem sunt modi intrinseci, sed accidentales ad differentiam modorum intrinsecorum, & essentialium; qui sunt, v. g. modus essendi à se, & modus essendi ab alio, vt à causa; & esse ens formaliter, & esse ens materialiter, vt fusè infra *explicabitur. Ens reale vt sic*, & modi, qui *sunt limitatio, & illimitatio*, secundùm se *in suis conceptibus abstractissimis*, & absolutissimis, *essentialiter*, & exclusiuè distinguuntur ex natura rei; quia secundùm se, & essentialiter, inuoluunt prædictas essentiales determinationes; sed hæc prædicata conueniunt enti formaliter reali, & limitationi in ente creato, & etiam enti formaliter in Deo, in quo est cum illimitatione.

Responsio data Scoto, vera est, quando distinctio consequitur differentias, siuè modos, quibus diuiduntur conceptus absolutissimi, & abstractissimi; non autem quando distinctio consequitur determinationem intrinsecam, & essentialem conceptus abstractissimi, & absolutissimi; nam ens formaliter distinguitur ab ente materialiter; quia, vt prædicatum essentiale, & formale includit modum, per quem contradiuiditur ab ente materialiter. Hic insurgit difficultas; quia potest dicere aliquis Aduersarius, quod hæc responsio, & doctrina, distinguit modum essentialem à modo accidentali intrinseco, id quod confundit quidditatem modi intrinseci entis, quippè modus intrinsecus dicitur, ex eo quia est intrà quidditatem, & entitatem modificati; hic autem est modus essentialis.

Respondeo, quantùm nunc satis est; modum essentialem distingui à modo intrinseco accidentali ex duplici capite. Primò; quia essentialis est primus in ente; accidentalis est secundarius. Secundò; quia modus essentialis, non solùm est intrà entitatem, & quidditatem entitatiuam entis formaliter; sed etiam est intrà rationem formalem, quæ communis est entitati, & quidditati entitiuæ entis formaliter, & formalitati modali, quam dicimus modalitatem intrinsecam; ratio enim formalis est vniuersalior, quàm formalitas entitatiua, & formalitas modalis seorsim; modus verò intrinsecus accidentalis, est quidem intrà entitatem, & quidditatem entitatiuam entis formaliter, sed non intrà rationem formalem, quæ communis est rationi formali entitatiuæ, & rationi formali modali. Sine dubio hæc doctrina dura est apud eos, qui non distinguunt essentiam ab existentia; sed apud eos, qui distinguunt essentiam ab existentia, est luce clarior; in horum enim opinione, quam nos sequimur, entitas alia est quidditatiua, siuè essentialis, & alia est existentialis: hanc appellamus entitatem; illam verò appellamus formalitatem entitatiuam, ad differentiam formalitatis modalis, quæ dicitur modalitas; quia modalitas non

non est ens formaliter, sed tantùm materialiter; nimirum entitate, & formalitate entitatiua, sui veluti modificati.

Quod si secundò Scoto dicas, distinctionem realem, aliam esse, quæ fundatur in actu; & aliam esse, quæ fundatur in potentia: quia distinctio ex natura rei consequitur ens; ens autem aliud est actu, aliud in potentia. Distinctio, quæ fundatur in actu, reperitur tantummodò in diuinis personis; quia hæc distinctio est producentis, & producti; distinctio verò, quæ fundatur in potentia, nullo pacto potest esse in Deo; quia Deus est actus purissimus, qui excludit à se omnem intrinsecam potentialitatem passiuam; sed distinctio inter ens, & modum intrinsecum entis, non potest esse distinctio fundata in actu; quia hæc est distinctio producentis, & producti; ens autem non est productiuum sui modi intrinseci; ergo deberet esse fundata in potentia: sed implicat in Deo omnis potentialitas passiua; ergo in Deo ens formaliter, & modus intrinsecus etiam secundarius, non possunt reperiri in Deo cum distinctione.

Statim respondebit Scotus, distinctionem inter ens formaliter, & ens materialiter, qui est modus intrinsecus, esse distinctionem fundatam in actu virtualiter, non autem in actu formaliter veluti informato relatione originis actiuæ, quæ fundatur in eo quod Deus est actus purus. Hæc distinctio duplicis actus virtualis, & formalis, persimilis est distinctioni causæ in causam virtualiter, & in causam formaliter.

Secundum fundamentum Scoti est; quia ens reale formaliter, reperitur in Deo, & in creaturis essentialiter; sed ex hoc necessariò infertur, ens reale formaliter esse vniuocum Deo, & creaturis; ergo, &c. Maior ex suis terminis proprijs est manifesta; quia ens reale formaliter secundùm se, non est aliud, nisi quod inuoluit prædicata nõ contradictoria; vel, quod in idem redit, est ens reale per solam non contradictionem terminorum essentialium; sed huiusmodi ens formaliter reperitur, tàm in Deo, quàm in creaturis; quia non inuoluunt potentialitatem, vel subiectiuam, vel obiectiuam, quæ est radix omnis imperfectionis, sed solùm non contradictionem; prædicata autem, quæ præscindunt ab omni imperfectione, in communi omnium Theologorum opinione, reperiuntur in Deo formaliter; Deus enim est omnis perfectio excludens imperfectionem, cum sit ens perfectissimum in tota latitudine entis excludentis a se imperfectionem; ergo, &c. Minor principalis argumenti probatur; quia quod est formaliter, siuè essentialiter in pluribus diuersis, non includit essentialiter, in sua definitione essentiali, significata vno communi nomine differentias essentialiter illas diuersificantes: sed ex hac ratione adæquatè est vniuocum purum, vt supra ostendimus; quippè in hoc distinguitur vniuocum purum ab analogo formaliter; quia analogum in illo ipso, in quo dicit similitudinem, dicit etiam dissimilitudinem; vniuocum verò in ratione substantiæ significatę vno communi nomine, nullam dicit diuersitatem essentialem; quia ratio substantiæ significatæ vno communi nomine in vniuoco, debet esse omninò eadem, per identitatem formalem in diuinis personis; in creatis verò per omnimodam similitudinem: omnimoda autem similitudo, non est ex alio capite, vt ex causa adæquata, nisi quia vniuocum in ratione substantiæ, nimirum in definitione essentiali essentiæ significatæ vno communi nomine, non includit differentias essentiales, illas essentialiter diuersificantes; & ob hanc rationem animal in bruto, & in homine, est vniuocum purum metaphysicum. Maior probatur; primò, quia essentiæ rerum sunt veluti numeri, vt docet Aristoteles 8. *metaph*. qui per solam additionem, vel substractionem vnius vnitatis variatur specie; quippè vnitas est prædicatum essentiale numeri, seù multitudinis; & ideò essentia consistit in indiuisibili, non quia non est diuisibilis in plura prædicata essentialia; sed quia non potest pati, neque additionem, neque substractionem prædicati essentialis; verum si essentia entis realis vt sic, non excluderet à se differentias essentialiter illam diuersificantes, non posset reperiri formaliter, & essentialiter in Deo, & in creaturis; quia non posset reperiri cum omnibus suis prædicatis essentialibus, & consequenter in neutro esset ens formaliter, & essentialiter, neque in Deo, neque in creatura. Secundò probatur, quia si ens reale vt sic formaliter, includeret essentialiter differentiam essentialem vnius membri diuidentis, non posset reperiri formaliter, siuè essentialiter in alio membro diuidente; sicut, v. g. si animal in sua definitione essentiali includeret rationale, non posset reperiri in bruto; & si essentialiter includeret irrationale, neque posset reperiri formaliter, neque essentialiter in homine; implicat enim opposita esse simul in vno, & eodem.

Quod si Scoto respondeas, ad rationem essentialem vniuoci puri requiri, vt non includatur essentialiter in differentijs inferiorum;

rum; sed ens reale vt sic, formaliter; prout scilicet contradiuiditur ab ente materialiter, includitur essentialiter in differentijs, etiam vltimis suorum inferiorum; nam quilibet modus entis diuisiuus, est intrinsecè ens; nihil .n. est extrà ens, nisi non ens; quia ens formaliter, & non ens sunt contradictoria, inter quæ nullum medium esse potest. Maior probatur; quia vniuocum purum, in eo quod vniuocum, non debet includere differentias, siuè modos illud diuersificantes; quia debet esse omninò idem, vel omninò simile in suis vniuocatis, aut inferioribus; at quod includitur essentialiter in differentijs, etiam vltimis suorum inferiorum, includit etiam in sua definitione differentias vltimas: & probatur quandoquidem ratio adęquata, & à priori, cur ens includitur essentialiter in differentijs inferiorum, & illas adhuc essentialiter in se includit, est; quia nihil est extrà ens, nisi non ens; modi autem, & differentiæ etiam vltimæ sunt essentialiter ens, quæ autem sunt intrà ens, includitur in ratione formali entis; secùs ens reale vt sic, non esset ratio vniuersalissima essendi extrà nihilum.

Respondebit statim Scotus suis principijs, ens reale vt sic, formaliter includi in modis essendi diuisiuis, vt prædicatum entitatiuum; non autem vt prædicatum formale genericum: est autem prędicatum formale genericum modis diuidentibus intrinsecis, modalitas intrinseca entis, siuè entis determinatio; quia modus formaliter nō est ens, sed est modalitas intrinseca; esse verò ens formaliter, est proprium prædicatum entis, quod modificatur; adhoc autem, vt ens formaliter sit vniuocum, solùm requiritur, vt modi diuidentes nō sint prædicatum formale entis formaliter in eo, in quo est ens formaliter; totum autem hoc habet ens formaliter vt sic; quia modi diuidentes ens intrinsecè, formaliter nō sunt ens, sed tantum materialiter; & ideò ens formaliter in eo, in quo est ens formaliter, non includit formaliter, scilicet in prædicatis essentialibus entis formaliter, modos intrinsecos; quia modi intrinseci non sunt formaliter ens, & ideò modi diuisiui intrinseci sunt extrà rationem entis formaliter, nec aliud requiritur ad vniuocum purum, nisi vt in illo ipso, in quo est vniuocum, non includat formaliter modos, siuè differentias diuersificantes illud essentialiter. Cum primò dicit opponens, quod, vt ens, inquantum ens, includat essentialiter modos diuisiuos; satis est, vt ipsum includatur essentialiter in differētijs, siuè modis intrinsecis vltimis diuisiuis. Respondere potest Scotus, hoc esse verū quando ens includeretur in suis modis intrinsecis, & essentialibus diuisiuis, vt prædicatū formale, non vt prædicatum entitatiuum modo explicato. Doctrina hæc clara est illis, qui profundè speculantur prima principia Scoti, quæ vt infrà videbimus, non sunt aliena à principijs S. Thomæ. Cum secundò opponens dicit, extra ens reale vt sic, non esse nisi non ens; sed modi intrinseci entis sunt intrinsecè ens, vel modi intrinseci non entis, non sunt intrinsecè non ens. Respondebit statim Scotus, quod est extrà ens adęquatè, esse præcisè non ens, siuè nihilum; esse verò extrà ens inadæquatè, non item, & huiusmodi est modus intrinsecus; quia hic formaliter, scilicet per se primo, siuè per seipsum non est ens, sed est ens per aliud; nimirum entitate sui veluti modificati; vt autem ens reale vt sic, formaliter sit vniuocum, satis est, vt modi intrinseci entis sint extrà ens inadæquatè, nimirum quantùm ad modum essendi ens formaliter; ratio enim entis formalis, quæ est ratio essendi extrà nihilum diuiditur per duos diuersos modos intrinsecos essendi, qui sunt esse ens per se primò, & per aliud, modo explicato.

Sunt aliæ rationes pro sententia Scoti, quas refert Caiet. *sup. opusc. de ente, & essentia cap.* 2. & alij recentiores.

Secunda sententia opposita, est S. Thomæ 1. *par. quæst.* 13. *art.* 5. *in corp.* vbi asserit, quod impossibile est, aliquid prædicari de Deo, & de creaturis vniuocè, id quod repetit multis alijs in locis, vt in disputatis *quæst.* 7. *de simplicit. diuinæ essentiæ art.* 7. quibus verbis, non solùm negat ens reale vt sic, non posse esse vniuocum, sed etiam quodlibet prædicatum, quod dicitur de Deo, & de creaturis.

Prima conclusio. Impossibile est, ens reale formaliter secundùm se, & quodlibet etiam prædicatum, quod dicitur de Deo, & de creaturis secundùm se esse vniuocum metaphysicum Deo, & creaturis. Conclusio in terminis est S. Thomæ *locis sup. cit.* conclusio probatur primis principijs S. Thomæ.

Primum principium est; quia vniuocum metaphysicum diuisibile in plura inferiora, est essentialiter potentiale: sed implicat quodcumque potentiale esse formaliter in Deo; ergo implicat ens reale vt sic, sicut, & quodlibet aliud prædicatum esse vniuocum metaphysicum Deo, & creaturis. Minor est per se nota; quia Deus est actus purissimus. Primò; quia in Deo essentia est essentialiter sua existentia. Secundò; quia Deus est ens perfectissimum, eo quod est ens omni-

omninò independens à priori causa; ens autem perfectissimum, sicut, & actus purissimus, excludunt à se omnem passiuam potentialitatem. Maior, in qua est controuersia cum Scotistis, probatur primò; quia vniuocum metaphysicum in pluribus inferioribus, ideò causaliter est diuisibile intrinsecè; quia non est essentialiter totum in sua latitudine formali, quod ex opposito demonstratur, quod enim est totum in sua latitudine formali non est diuisibile in plura, nimirum Deus non est diuisibilis in plures Deos, qui essentialiter est vnus actus, qui est omnis actus: Angelus non est diuisibilis in plures Angelos intrà eandem speciem; quia est totus, & perfectus in sua latitudine specifica; ergo ex opposito ens ex eo adæquatè potest esse diuisibile in plura entia inferiora; quia non est essentialiter omne esse in sua latitudine formali: sed non esse totum in sua latitudine formali est essentialiter potentiale; egro, &c. Secundò; quia ens diuisibile non est sua diuisiua, hoc est potentiale.

Ad hoc primum principium S. Thomæ, Antonius Trombetta *in quæst. de vniuocat. entis. & in tract. formalitatum Scoti, 2. par. 2. ver. pro declaratione*, quomodo differentia importet realitatem distinctam à genere, duplicem adhibet responsionem.

Respondet primò, diuisibile in plura inferiora esse duplicis conditionis, aliud nimirum esse diuisibile per differentias, quæ sunt gradus entis formaliter, & hoc concedit esse intrinsecè potentiale; aliud verò esse diuisibile solùm per diuersos modos intrinsecos essendi, & hoc negat esse necessariò ens potentiale. In re nostra, ens quod est vniuocum Deo, & creaturis, inquit, non esse diuisibile per primas differentias, quæ sunt gradus entis formaliter, sed tantùm per primos modos essendi intrinsecos, qui sunt dependentia, & independentia a priori causa, & finitas, & infinitas simpliciter. Huius autem diuersitatis, Tromb. hanc causam assignat; quia potentialitas est ens perfectibile in ratione entis; ens autem formaliter non est intrinsecè perfectibile à modis intrinsecis essendi; quia modus intrinsecus, cum formaliter non sit ens, non potest esse perfectiuus in ratione entis; sed tantùm est perfectibilis à differentijs formalibus entis; quia differentiæ sunt gradus entis formaliter.

Quod si Trombettæ respondeas, quod modus intrinsecus essendi, est intrinseca determinatio entis; hæc autem supponit in ente intrinsecam determinabilitatem; sed intrinseca determinabilitas, est intrinseca entis potentialitas. Et ratio huius est; quia omnis determinatio intrinseca est à forma, quæ est actus formalis; sed actus formalis non est, nisi entis potentialis.

Respondebit statim Trombetta, modum intrinsecum esse determinationem intrà entitatem sui modificati, non extrà entitatem modificati; actus perfectiuus in ratione entis, debet esse extra entitatem sui determinabilis, & perfectibilis. Et ratio huius in doctrina Scoti est; quia perfectio est ab esse, siue ab actu in ratione entis; modus autem intrinsecus formaliter non est ens, ideò non fert secum modificationem, qua perficitur prædicatum in ratione entis.

Respondet secundò, alia distinctione, dicens, duplex esse ens diuisibile in plura inferiora, aliud nimirum diuisibile in ens finitum, & in ens infinitum, quod est ens, quod diuiditur in Deum, & in creaturam; & aliud est ens diuisibile immediatè in plura genera finita, & limitata, vt ens, v. g. quod diuiditur immediatè, & adæquatè in decem prima genera prædicamentalia; ex his ens, quod diuiditur in ens finitum, & in ens infinitum, inquit, non esse ens potentiale; quia ens potentiale est essentialiter ens finitum; at ens quod diuiditur in ens finitum, & infinitum præscindit à finito, & infinito formaliter, & consequenter præscindit ab ente potentiali; quippè potentiale essentialiter finitum est; quia finitum caret aliquo gradu perfectionis.

Sed vtraque responsio eodem fundamento S. Thomæ facilè reijcitur, & quidem. Prima responsio, qua dicitur potentiam passiuam esse ad gradum entis, non autem ad modum intrinsecum; facilè refellitur. Primò; quia ens, quod diuiditur intrinsecè per diuersos modos primos, & essentiales in diuersa inferiora, aut in diuersa entia, est essentialiter in potentia, non solùm ad diuersos modos essentiales intrinsecos, sed etiam ad diuersa esse existentialia; sed hæc potentialitas est in genere entis, seù entitatiua; quia est ad diuersos actus entitatiuos existentiales; hæc autem potentialitas est prima radix omnis imperfectionis; sed actus purus excludit à se essentialiter radicem omnis imperfectionis, siuè potentialitatis intrinsecæ. Maior probatur; quia existentia in genere entis consequitur vltimam differentiam essentialẽ entis, & etiam indiuidualem; quia existentia est vltimus actus entis; complet enim ens in genere entis, sed diuisibile intrinsecè in diuersa entia, est in potentia ad diuersos modos essentia-

tia-

ente reali in sua latitudine, qua comprehendit in vnum ens formaliter, & ens materialiter, tàm secundùm se, quàm secundùm quod est conceptibile conceptibus inadæquatis, & imperfectis, & intelligitur etiam de vniuoco puro: & de eo.

Duæ sunt præcipuæ contrariæ sententiæ; prima est Scoti in 1 *sent. dist.* 8. *quæst.* 3. qui concedit, ens reale formaliter esse vniuocum Deo, & creaturis: quam sequuntur omnes discipuli. Solùm dissentio est inter Scotistas; quia aliqui dicunt, Scotum loquutum esse de ente reali formaliter secundùm se, & de vniuoco puro metaphysico, & isti sunt Antonius Thombetta in *tractatu formalitatum Scoti*, *artic.* 2. 1. 2. *Mayron. quæst.* 1. *art.* 2. & alij apud ipsum, qui adhùc tenent de mente Scoti, existentiam in Deo distingui ex natura rei à sua essentia; alij verò dicunt Scotum loquutum esse de ente formaliter, proùt cognoscibile est à nostro intellectu conceptibus imperfectis, & diuisis, & de vniuoco logico; equidem puto cum Antonio Trombetta, acutissimo metaphysico, Scotum loquutum esse de ente reali formaliter, & secundùm se, & de vniuoco metaphysico. Ratio autem me mouens est adhoc dicendum, quoniam Scotus ponit distinctionem ex natura rei in Deo, inter ens formaliter, & modum eius intrinsecum essendi; distinctio autem ex natura rei competit enti reali secundùm se, & non secundùm quod est conceptibile conceptibus inadæquatis; duplex autem est distinctio ex natura rei apud Scotum, adhùc in diuinis perfectionibus: alia est formalis, & alia est modalis intrinseca; formalis est inter duas formalitates in vna indiuisibili entitate; modalis verò est inter ens formaliter, & eius modum intrinsecum essendi, vel operandi. Formalitas est gradus entis formaliter; modus verò intrinsecus essendi est pura determinatio entis entificata, & realizzata in sua modalitate entitate reali sui modificati; nisi quis dicat, rem difficillimã captu esse, scilicet, vel quod modus intrinsecus entis, sit ens formaliter, vel quod modus intrinsecus entis sit non ens simpliciter.

Fundamenta præcipua Scoti, iuxtà eius prima principia sunt duo.

Primum est; quia ea, quæ in conceptibus suis absolutissimis, & simplicissimis secundùm se distinguuntur; distinguuntur pariter in quocumque reperiantur; sed ens reale formaliter secundùm se, & eius modi intrinseci, quibus veluti diuiditur in ens finitum, & in ens infinitum, secundùm se in suis conceptibus absolutissimis simplicissimis distinguuntur; ergo pariter distinguuntur in Deo infinito, & creaturis finitis, in quibus reperiuntur; sed hæc distinctio est sufficiens causa, vt ens reale formaliter sit vniuocum metaphysicum Deo, & creaturis; illa enim sunt vniuoca metaphysica, quæ secundùm se in eo, in quo assimilantur, non habent differentiam diuersificantem, sed solùm distinctionem; quæ tantùm abest, vt tollat vniuocationem metaphysicam, nimirum omnimodam similitunem, vt sine illa non possit esse omnimoda similitudo; nisi enim duo distinguantur, non possunt esse similia, sed potius sunt idem per omnimodam identitatem formalem; hac enim ratione animal in bruto, & in homine est vniuocum purum; ex opposito verò si animal in ratione animalis includeret formaliter rationalitatem, & irrationalitatem per impossibile, sine dubio esset analogum formaliter; quia ex inclusione essentiali rationalis, & irrationalis in sua quidditate in eo, in quo dicit similitudinem, diceret etiam dissimilitudinem; ergo omnimoda similitudo, quæ constituit vniuocum est ex eo; quia vniuocum in eo, in quo est vniuocum, non includit differentias diuersificantes essentialiter.

Maior principalis est manifesta ex terminis; quia prædicata, quæ conueniunt conceptibus secundùm se absolutissimis, & abstractissimis, sunt eorum prædicata essentialia secundùm se; prædicata autem essentialia essentiæ secundùm se conueniunt illi in quocumque reperiatur, v. g. vbicumque reperitur animal, reperiuntur in eo gradus viuentis, & gradus sensitiuus; quia his prædicatis essentialibus constituitur essentialiter animal. Minor verò eiusdem principalis, in qua est difficultas. Probatur; quia ens formaliter secundùm se non est modus intrinsecus formaliter, qui est finitas; neque è contrà modus intrinsecus, qui est finitas, siuè limitatio est formaliter ens; quia modus intrinsecus, qui est limitatio formaliter non est ens; ac si ens formaliter secundùm se, esset modus essentialiter, qui est limitatio, siuè finitas, esset secundùm se ens formaliter, & non esset secundùm se ens formaliter; quia modus intrinsecus entis formaliter non est ens; sed esse ens formaliter, & non esse ens formaliter, in terminis secundùm se sumptis, dicunt distinctionem ex natura rei modalem intrinsecam; ergo, &c.

Quod si Scoto respondeas, hoc principium esse falsum; nam esse potest, quod aliqui conceptus absolutissimi, & abstractissimi sint indifferentes, quoad distinctionem, & in-

& in sua inferiora. Responsio procedit ex suppositione, quod detur ens diuisibile in Deum, & in creaturam intrinsecè; hoc autem suppositum implicat in terminis, quia est intrinsecè, & essentialiter potentiale in ratione entis; quia est in potentia ad esse: hæc autem potentialitas ad esse, est prima potentia in ratione entis, quæ est essentialis, & propria entis creati, inquantùm ens creatum formaliter; ac proindè non est dabile ens commune diuisibile intrinsecè in Deum, & in creaturam; neque dabile est ens diuisibile in ens finitum simpliciter, & in ens simpliciter infinitum. Hoc principium primum, nimirum dari ens diuisibile in Deum, & in creaturam per diuersos modos intrinsecos, est vnum ex primis principijs Scoti, quo vtuntur Scotistæ ad varias conclusiones demonstrandas; pręsertim ad demonstrandum, in Deo distingui ex natura rei, essentiam ab existentia, intellectum à voluntate, essentiam à suis attributis, &c. sed illud expresè negatur à Sancto Thoma.

His rationibus reijcitur adhuc secunda responsio Trombettę, qua dicit, ens, quod diuiditur in ens finitum, & in ens infinitum, non esse essentialiter potentiale; quia ens potentiale est essentialiter ens finitum; ens verò, quod diuiditur in ens finitum, & in ens infinitum, præscindit à finito, & infinito formaliter; nam hoc principium, ens, quod diuiditur in ens finitum, & in infinitum, præscindit à finito, & infinito: non solùm est falsum, sed etiam est impossibile, vt suprà ostendimus. Primò; quia omne diuisibile intrinsecè, etiam per diuersos modos intrinsecos essendi, est essentialiter in potentia ad existentiam, siuè ad esse existentiale, nimirum quia non est essentialiter sua existentia, quod ex opposito demonstratur; quia quod est essentialiter, & secundùm se sua existentia, vt est Deus, non est secundùm se diuisibile in plura entia: ergo è contrario, ens diuisibile intrinsecè in plura entia, non est essentialiter sua existentia; ac proindè ens diuisibile intrinsecè in plura inferiora, est prædicatum proprium entis creati formaliter.

Secundò: impossibile est, ens diuisibile in ens infinitum simpliciter, & in ens simpliciter finitum, præscindere à potentialitate ad existentiam; quia quoad ponitur diuisibile intrinsecè in plura entia, necessariò debet esse potentiale ad diuersas existentias suorum inferiorum. Neque obstat cum dicitur, quod diuisibile in ens potentiale pręscindit à potentia; quia quod est diuisibile in plura entia inferiora, præscindit à suis diuisiuis formalibus; ergo impossibile est, ens reale vt sic, diuidi intrinsecè in ens finitum simpliciter, & in ens infinitum simpliciter, siuè diuisibile esse in Deum, & in creaturam; quia diuisibile intrinsecè in plura inferiora, est essentialiter potentiale, quod implicat esse in Deo; at si ens reale vt sic, diuideretur in Deum, & in creaturam, esset in Deo ens essentialiter potentiale: & ratio est; quia vt dixi, quod diuiditur in ens potētiale, & actuale, præscindit à potentia, quæ est vnum membrum diuidens, non à potentia ad diuidentia. Quod si dicas: communiter diuiditur ens in ens finitum, & infinitum: facilis est responsio; quia hæc diuisio intelligenda est, vel de diuisione entis in ens finitum determinatum, & in ens infinitum syncathecorematicum, quod est finitum indeterminatum, iuxtà opinionem asserentium implicare contradictionem, dari infinitum in actu, etiam intra genus: vel intelligenda est, non de diuisione vnius communis in plura inferiora, sed de *diuisione*, quæ est enumeratio plurium sub vno tantùm communi nomine conuenientium.

Secundū principium S. Thomæ ostensiuum conclusionis, quod desumitur à S. Thoma 1. *par. quæst.* 13. *art.* 5. *in corp.* licet alijs verbis explicatum, est hoc. Quicquid est in Deo, est essentialiter primum; quicquid verò est in creatura, est essentialiter secundum; sed implicat ens secundum essentialiter vniuocari, & parificari in quocumque gradu entis primi essentialiter; ergo implicat ens, quod dicitur de Deo, & de creaturis, esse vniuocum metaphysicum vtrique. Maior probatur; quia ens, & quodcumque aliud prædicatum, existens in Deo, est in eo cum omnimoda independentia à priori causa; hoc autem est ens essentialiter primum; ens autem, quod est in creatura, est in ea cum essentiali dependentia à prima causa; hoc autem est ens essentialiter secundum; ergo, &c. Minor principalis argumenti probatur; quia implicat ens essentialiter secundum eleuari ad rationem primi entis; sed si creatura vniuocaretur, vel parificaretur cum Deo in ratione entis, ens essentialiter secundum eleuaretur ad rationem primi entis, quod implicat in terminis. Hoc voluit demonstrare S. Thomas *loco sup. cit.* probans impossibile esse, aliquid esse vniuocum Deo, & creaturis: ex eo quia Deus est essentialiter prima causa; sed implicat, creaturam esse effectum adæquantem perfectionem aliquam primæ causæ. Hæc ipsa ratio potest alijs verbis explicari, ens rea-

reale in Deo est essentialiter primum; quia in Deo est cum omnimoda independentia à priori causa; sed implicat ens existens in creatura eleuari ad rationem primi entis, quia est ens essentialiter secundum; nam in creatura ens est cum essentiali dependentia à Deo.

Respondent communiter Scotistæ, vt videre est apud Recentiores, creaturam vniuocari cum Deo, seù parificari cum ente abstrahente à Deo, & à creaturis; non autem in ente contracto ad diuinum; sicut, v. g. brutum parificatur cum homine in gradu animalis abstrahente à rationali, & irrationali; non autem in animali contracto ad rationale. Primum, inquiunt, docet Scotus, non secundum; nam ens reale secundùm se præscindit ab ente diuino, & ab ente creato formaliter. Cum verò dicitur à nobis ens, quod est in Deo, est essentialiter primum: distinguunt Scotistæ de ente, quod est in Deo; potest enim sumi dupliciter, vno modo secundùm rationem cummunem entis realis; alio modo secundùm quod dicit rationem entis contractam ad ens diuinum, siuè creatum; hoc secundò modo est ens essentialiter primum; primo autem modo abstrahit ab ente primo, & ab ente secundo.

Sed hęc responsio reijcitur primò; quia supponit dari in Deo ens abstrahens à primo, & secundo essentialiter, quod implicat in terminis; non solùm quia, vt probauimus prima ratione hoc ens est essentialiter potentiale, quod implicat esse in Deo; sed etiam quia, vt ostendit hæc secunda ratio, ens, quod est in Deo, secundùm se sumptum, est cum essentiali independentia ab alio priori ente, nimirum est essentialiter independens à priori causa.

Neque dicas, hanc independentiam essentialem à priori causa, conuenire enti existenti in Deo, non inquantùm est ens essentialiter; sic enim etiam ens in creatura esset cum independentia essentiali à prima causa; sed quatenùs est ens diuinum, quod habet ratione suæ veluti differentiæ: sicut homini conuenit discurrere, non quatenùs animal; secus adhùc brutum discurreret, quia conuenit cum homine in animali; sed quatenùs est rationalis, nimirum ratione suæ differentiæ, qua contrahitur animal ad hominem; nam apud Scotum, ens verè contrahitur per modum intrinsecum ad ens diuinum.

Neque enim dicas hoc, primò; quia ens huiusmodi præscindens, & consequenter contrahibile intrinsecè, est imperfectum; quia non includeret essentialiter independentiam à priori causa, quæ est prima perfectio in Deo. Neq; dicta imperfectio excluditur à Deo, per hoc quod contrahitur ad esse diuinum; nam prædicata, quæ conueniunt enti secundùm se, conueniunt ei in quocumque reperiatur; sed præscindere ab hac perfectione independentię a priori causa, est prædicatum essentiale entis realis vt sic, in opinione Scoti (loquor de præcisione fundamentali, non autem actuali) non aufertur per hoc, quod ens contrahitur ad diuinum; quia distraheretur à ratione essentiali entis realis formaliter vt sic; essentiæ enim rerum, vt docet Aristoteles 8. *metaph.* sunt veluti numeri, qui sola substractione, vel additione vnitatis essentialiter variantur.

Secundò; quia ens reale perfectiùs ponitur in Deo, si in eo ponatur includere in ratione entis essentialiter independentiam à priori causa in ratione entis; perfectionibus enim diuinis ille modus essendi tribuendus est, qui absolutè est melior; præsertim si alius inuoluat imperfectionem: sed perfectiori modo ponitur ens reale in Deo, si illud ponatur in ratione entis essentialiter includere independentiam à priori causa. Maior probatur; nam si modus perfectior non ponatur in Deo, Deus non est ens perfectissimum; quia careret aliqua perfectione; nulla verò imperfectio potest cadere in Deum.

Aliæ rationes assignantur ad ostendendam hanc conclusionem, quæ nisi reducantur ad prædicta duo principia non difficilè habent solutionem, quarum.

Prima est, si ens reale formaliter secundùm se esset vniuocum Deo, & creaturis; ens reale formaliter ex natura rei esset prius, quam Deus: sed hoc implicat, quia Deus est primum simpliciter in tota latitudine entis, & etiam independens ab omni alia causa priori. Cuius ratio à priori est; quia Deus est essentialiter actus purus; posterioritas verò fundatur in dependentia, & hæc in potentialitate; actus verò purus excludit à se omnem potentialitatem; hæc ratio in terminis est S. Thomæ 1. *par. quæst.* 3. *art.* 5. *in argumento, sed contrà*; vbi sic arguit ad probandum Deum non esse in genere aliquo, Deus est prius eo, quod genere continetur; sed nihil est prius Deo, nec re, nec ratione; ergo, &c. Sequela maioris probatur; quia genus est primum omnium, quæ sunt in specie. Ratio huius est; quia secundum Scotum, prioritas ex natura rei, est præsuppositio huius ab hoc; sed genus præsupponitur omnibus differentijs, vt ani-

mal præsupponitur in homine ab omnibus differentijs illud diuidentibus.

Ad hanc rationem respondent Scotistæ, ens reale formaliter secundùm se esse prius prioritate vniuersalitatis fundamentaliter; Deum verò esse primum simpliciter primitate causæ. Implicat dari prius Deo prioritate causæ; non autem implicat dari prius Deo prioritate vniuersalitatis fundamentalis: quod ostenditur primò exemplis; nam non implicat dari ens, quod est prius alio, vt causa, & posterius posterioritate communitatis; v. g. materia prima secundùm se in ratione causæ est prior; quàm sit materia communis; est autem posterior materia communi, posterioritate etiam fundamentali. Motus primus est prior, quàm sit motus in communi prioritate causæ; è conuerso verò motus in communi est prior, quàm sit motus primus prioritate communitatis. Pariter in re nostra dicendum; non enim implicat idem esse prius, & posterius alio in diuerso genere prioritatis; & posterioritatis; quippè contradictio est secundùm idem. Secundò, demonstratur ratione à priori; quia prioritas communitatis rei, siuè fundamentalis, est præsuppositio huius ab hoc; hæc autem necessariò est in Deo virtualiter, quia est prioritas sine vlla imperfectione; omnis enim imperfectio oritur ex diuisione intrinseca esse; sed prioritas, & posterioritas virtualiter sunt in Deo sine vlla diuisione intrinseca esse.

Responsio hæc acuta quidem est, sed supponit ens reale formaliter vt sic, esse intrinsecè diuisibile in ens creatum, & in ens increatum; sed hoc implicat contradictionem, vt ostendimus. Assumptum probatur, nam supponit ens reale formaliter secundùm se esse vniuocum metaphysicum; hoc autem est intrinsecè diuisibile; quia in ratione substantiæ significatæ vno communi nomine, non includit differentias essentialiter diuersificantes; hoc autem est intrinsecè diuisibile: ob hanc enim rationem animal est diuisibile in brutum, & in hominem, ens creatum est diuisibile in substantiam, & accidens, &c.

Secunda ratio. Deus est essentialiter ens à se; sed si ens reale formaliter esset vniuocum metaphysicum Deo, & creaturis, non esset essentialiter ens à se; quia esset ens à se per modum essendi intrinsecum distinctiuum, qui est extra Dei essentiam, & quidditatem; ens autem essentialiter à se, includit modum essendi à se intrà suam quidditatem; sicut homo includit in sua quidditate, rationale.

Respondere possunt Scotistæ, quod Deus quatenùs Deus, est essentialiter ens à se; non autem quatenùs ens reale formaliter: nam ens reale formaliter abstrahit ab ente à se, & ab ente ab alio, vt à causa; sicut, v. g. homo est discursiuus, quatenùs homo, non autem quatenùs animal. Quod si dicas, Deum, adhuc quatenùs ens reale formaliter, esse ens à se. Statim dicet Scotus, hâc esse petitionem principij. Quod si iterum dicas, Deum, quatenùs ens, esse sine dependentia à priori causa; hoc autem sufficit, vt ens, quod est in Deo, sit ens à se.

Statim respondebit Scotus, hoc prædicatum conuenire Deo ratione modi essendi intrinseci à se, non autem ratione entis realis formaliter, sicut ens in substantia creata est sine dependentia in esse inhæsionis; non quia ens reale formaliter, sed ratione perseitatis, qui est modus differentialis contrahens ens ad substantiam.

Tertia ratio. Implicat Deum esse in aliquo genere vniuoco; sed si ens reale formaliter esset vniuocum Deo, & creaturis, Deus esset in genere vniuoco cum creaturis; ergo implicat ens reale formaliter esse vniuocum Deo, & creaturis. Maior probatur à S. Thoma 1. *par. quæst.* 3. *art.* 5. *in corp.* tribus rationibus. Prima est; quia omne genus vniuocum habet admistam potentialitatem; sed Deus est actus purus, qui excludit à se omnem potentialitatem; ergo Deus non potest esse in aliquo genere vniuoco. Maior probatur; quia genus vniuocum non est essentialiter sua differentia, sed quod non est sua differentia est in potentia ad illam; sicut, v. g. essentia, quæ non est essentialiter sua existentia, est in potentia ad existentiam, vt est essentia subiectiua in creatis.

Secūda ratio. Si Deus contineretur in aliquo genere vniuoco, tunc quidditas generis, non esset essentialiter suum esse; sed implicat, essentiam in Deo, etiam quatenùs ens, non esse sua existentiam. Sequela maioris probatur; quia existentia competit enti ex differentijs; quia esse est actus formæ; differentiæ verò sunt gradus formæ, sed quidditas generis vniuoci, non est essentialiter sua differentia; ergo si Deus contineretur in aliquo genere vniuoco; quidditas generis in Deo non esset essentialiter sua existentia. Hæc ratio explicatur à S. Thoma alijs verbis: esse in Deo est eius essentia, sed si Deus esset in aliquo genere vniuoco, oporteret quod genus eius esset ens; nam genus, inquit, significat essentiam rei, cum prædicetur in eo, quod quid est; sed ens

non

non potest esse genus, vt ostendit Aristoteles in 3. *metaph.* quia omne genus habet differentias, quæ sunt extrà essentiam generis; nulla autem differentia potest inueniri, quę sit extrà ens; quia extrà ens non est nisi non ens, cum sint contradictoria formaliter: sed non ens, non potest esse differentia entis; quia ens quid positiuum est. Quod autem genus Dei esset ens, si Deus esset in aliquo genere, probatur etiam; quia genus est primum omnium in re, de quibus prædicatur in quid; sed ens formaliter est primum in quocumque, de quo prædicatur. Tertia ratio: omnia, quæ sunt in vno genere, communicant in quidditate, vel essentia generis, quod prædicatur de eis in quid: differunt autem secundùm esse; quia esse consequitur differentias, etiam indiuiduales: sed differentiæ inter se sunt diuersæ essentialiter; ergo etiam debent esse diuersa esse: sed in Deo non potest differre esse ab essentia; quia Deus non esset essentialiter actus purus, sed esset essentialiter potentiale; potentia autem essentialis in quocumque, est potentia ad esse; ergo Deus nullo pacto est in genere; sicut, v. g. species sub animali, vel sub substantia prædicamentali; loquitur autem S. Thomas in hac *quæst.* non de esse essentiæ, sed de esse existentiæ: & vis rationis S. Thomæ fundatur in hoc, quod Dei essentia esset potentialis essentialiter ad existentiam, quod implicat; omnis autem ratio essentialis præscindens ab esse existentiæ, non potest esse diuina; quia non potest esse actus purus.

Omnes istæ rationes, si reducantur ad prædicta dua prima principia S. Thomæ, sunt quidem demonstratiuæ; à quibus si pręscindatur à Scotistis, non difficilè solui possunt.

Respondere enim potest Scotus; primò, duplex esse genus vniuocum, aliud trascendens, & aliud prædicamentale: in genere trascendente conuenit Deus cum creaturis; quia hoc genus trascendens, abstrahit à genere potentiali, & à genere non potentiali, vt suprà probauit Trombetta; tùm quia præscindit genus trascendens à finito, & infinito; tùm etiam, quia est diuisibile solùm per modos intrinsecos, & primos essendi: solùm implicat Deum esse cum creaturis in aliquo genere prædicamentali; quia hoc est essentialiter potentiale, & finitum.

Quod si Scoto respondeas, omne diuisibile intrinsecè in inferiora esse potentiale, vt probat S. Thomas prædictis rationibus; semper poterit instare, hoc principium verum esse de diuisibili per differentias; non autem per modos intrinsecos essendi, & primos; vel esse verum de diuisibili finito, non autem de diuisibili in ens finitum, & ens infinitum: quæ duo prima principia Scoti nõ possunt è medio tolli, nisi primis principijs S. Thomæ, quibus etiam satisfieri potest omnibus rationibus Scoti in oppositum adductis.

Respondeo enim ad primam rationem Scoti, qua probat ens reale formaliter in Deo, distingui ex natura rei distinctione modali intrinseca à modo, quo est diuisum ab ente creato, &c. duplicem esse modum intrinsecum in Deo (idem dico de ente creato) alium essentialem, & alium accidentalem (sumo hic accidentale, vt distinguitur contrà essentiale, non autem, vt distinguitur contrà substantiam) Modus essentialis est prima taleitas intrinseca, siuè prima intrinseca determinatio entis intrà quidditatem entis essentialiter inclusa, sicut, v. g. animal rationale includitur intrà essentiam hominis, & esse in Deo est intrà quidditatem Dei, & huiusmodi sunt modus essendi à se, & modus essendi per essentialem dependentiam à causa priori; isti enim modi sunt primæ determinationes intrà quidditatem entis; modus verò intrinsecus accidentalis consequitur intrinsecè essentiam entis, vt ratio posterior suam rationem priorem adæquatam: sicut, v. g. in opinione Scoti indiuisio in ente consequitur taleitatem entis, qua ens est tale, quod non patitur in se diuisionem; prius enim est esse ens, nimirum extrà nihilum, secundum est esse tale, quod est exclusiuum in se diuisionis, vt probabitur in *quæst. de passionib. & trascendentalib. entis*; isti modi intrinseci conueniunt in hoc, quia vterque est ens entitate, tàm existentiali, quàm essentiali sui modificati: distinguuntur verò inter se. Primo; quia modus essentialis est intrà quidditatem entis, à quo realizzatur, & entificatur; modus verò accidentalis entificatur quidem, & realizzatur ab entitate modificati, sed non est intrà quidditatem entis, à quo entificatur; differunt etiam, quia essentialis est primus modus intrinsecus; essentiale enim est primum in re; modus verò accidentalis non est intrà quidditatem, vt eius prædicatum essentiale. Explico; modus intrinsecus, vt modus intrinsecus vt sic, non est posterior suo modificato, vt ratione priori adæquata, sed vt ratione priori præscindente à ratione adæquata, & inadęquata; ideò potest esse essentialis, & accidẽtalis.

Quod si dicas modus intrinsecus ex suo genere, ęst intrà entitatem, tùm existentia-

lem, tùm essentialem; sed hoc satis est, vt modus intrinsecus sit essentialiter intrà entitatem entis, à quo modificatur, & realizzatur.

Respondeo primò cum Trombetta in *tract. formalit. Scoti art. 2. par. 2. vers. pro declaratione*, quæ datur de modo intrinseco circà medium: quod dupliciter potest intelligi, modum intrinsecum esse intrà entitatem entis, à quo realizzatur, vel esse idem enti, à quo entificatur; vno modo positiuè; alio modo negatiuè; ille modus est intrà quidditatem entis positiuè, quod est prædicatum essentiale entis, eo modo, quo rationale est essentiale homini; ille verò est intrà formalitatem entis negatiuè, qui non habet distinctam entitatem, neque distinctam formalitatem, nimirum entitatem essentialem ab entitate, & formalitate entitatiuæ entis, à quo entificatur, & realizzatur. Pariter; dupliciter potest intelligi modus intrinsecus distingui ab ente, à quo modificatur; vno modo negatiuè; alio modo positiuè; negatiuè, quia non est prædicatum essentiale entis, à quo distinguitur; positiuè, quia habet distinctam entitatem existentialem, & essentialem: & hæc duo, inquit Trombetta, concurrunt ad perfectam, & completam distinctionem formalem; sicut illa duo concurrunt ad perfectam, & completam identitatem modalem. Modus intrinsecus essentialis est positiuè intrà entitatem entis, à quo entificatur. Cùm dicit Scotus, ens,& modum entis intrinsecum distingui ex natura rei; intelligendus est de modis intrinsecis accidentalibus, non autem de modis intrinsecis essentialibus; & de distinctione completa modali; non autem incompleta, & imperfecta.

Ad secundam rationem, qua Scotus probat,ens reale formaliter esse vniuocum Deo, & creaturis; quia reperitur essentialiter in Deo, & in creaturis. Respondeo cum distinctione;dupliciter enim intelligi potest, in Deo reperiri ens reale formaliter; vno modo intelligendo, nomine entis realis formaliter, ens essentialiter primum; & nomine entis formaliter in creatura intelligendo ens essentialiter secundum; siuè intelligendo in Deo esse formaliter ens à se, & in creatura esse formaliter ens ab alio; alio modo intelligẽdo nomine entis formaliter, ens intrinsecè diuisibile in ens primum essentialiter, & in ens secundum; primo modo,concedo ens formaliter reperiri in Deo, & in creaturis: secundo modo, nego reperiri ens formaliter in vtroque; quia hoc ens diuisibile intrinsecè in Deum, & in creaturam, omninò implicat, vt suprà ostendimus principijs S. Thomæ, loquendo de ente reali formaliter secundùm se; quia vt dicemus, si loquamur de ente reali formaliter, prout est repræsentabile nostro intellectui conceptibus inadæquatis, & imperfectis; aliter dicendum: sed hic loquimur de ente reali formaliter secundùm se,quod nõ aliud importat primò, & formaliter, nisi ens essentialiter primum, & essentialiter secundum, quatenùs dicit proportionem in ratione causæ, & causabilis,vt in sequenti articulo probabitur.

Quod si dicas: ens reale formaliter secundùm se prædicatur in quid de Deo, & de creaturis diuisim; sed non posset prædicari diuisim, nisi præscinderet ex natura rei à modis essentialiter diuersificantibus ens in Deo, & ens in creaturis; quod enim prædicatur de pluribus,debet esse vnum vnitate perfecta; at vnitas perfecta non potest haberi, nisi ex præcisione entis ex natura rei à differentijs diuersificantibus essentialiter, quod prædicatur de pluribus.

Responsio in promptu est: ens reale formaliter dupliciter sumi potest; vno modo absolutè, & extrà prædicationem, siuè propositionem; alio modo intrà propositionem, seù prædicationem; ens, quod prædicatur seorsim de Deo, & de creaturis, non est ens extrà propositionem; sed intrà propositionem, seù prædicationem.Et cum dicitur Deus est ens reale formaliter; sensus est Deus est primum ens essentialiter; quia in propositione prædicatum contrahitur à subiecto. Similiter cum dicitur, creatura est ens reale formaliter; sensus est, creatura est essentialiter ens secundum. Et ratio à priori est; quia ens reale formaliter secundùm se, immediatè,& primò significat ens primum, & ens secundum, prout dicunt proportionem in ratione causæ, & causabilis; hæc autem duo non possunt simul prædicari seorsim de Deo, & de creaturis; quia nec sunt, nec possunt esse simul in Deo, & creaturis; sumendo Deum, & creaturam seorsim; dico ens reale formaliter secundùm se; quia si ens reale formaliter sumatur, vt repræsentabile nostro intellectui cognitione inadæquata, non repugnat, vt prædicetur seorsim de Deo, & de creaturis; quia ens reale formaliter,vt cognoscibile cognitione inadæquata, præcisiuè abstrahit præcisione rationali, à modis essendi, non solùm accidentalibus, sed etiam essentialibus, vt dicam, & probabo *quæst. seq.*

Dicet fortè Scotistę: ens reale formaliter vt sic, est perfectio simpliciter simplex; quia est

est perfectio præscindens ab omni imperfectione; dicit enim præcisè rationē primam, & formalem essendi extrà nihilum realiter; hæc autem est perfectio præscindens ab imperfectione: sed perfectio præscindens ab imperfectione, præscindit etiam à potentialitate; hęc autem perfectio reperitur in Deo formaliter, & etiam in creaturis; ergo ens reale formaliter, quod est in Deo, & in creaturis, non est essentialiter potentiale, cuius oppositum dictum est cum S. Thoma.

Respondeo primò: nego suppositum, nam maior supponit dari ens formaliter diuisibile in Deum, & in creaturam intrinsecè, quod est impossibile; supponit enim dari ens reale formaliter, quod secundùm se est prædicabile de Deo, & de creaturis; hoc autem est impossibile; quia ens reale formaliter vt sic, non potest esse in Deo, & in creaturis, eo sensu, quo intendunt Scotistæ, nisi ponatur intrinsecè diuisibile; hoc autem necessariò est ens potentiale.

Respondeo secundò: distinguo maiorem; ens reale formaliter dupliciter sumi potest; vno modo secundùm se; alio modo, vt repræsentabile intellectui cognitionibus inadæquatis ex perfectionibus diuisis aliorum: si sumatur primo modo, nego illud dari in re; quia sic præscindit à modis essentialiter illud diuersificantibus; hoc autem est ens chimericum: si sumatur secundò modo, proculdubio est perfectio sine imperfectione, non quidem in modo essendi in re, sed in modo essendi, quem habet in intellectu imperfectè, & inadæquatè illud concipiēte; & in hoc sensu erit perfectio sine imperfectione obiectiua, & rationalis pura, non autem perfectio realis: hìc nos loquimur de perfectione simpliciter simplici reali.

Respondeo tertiò: nego assumptum; quia ens vt sic, est essentialiter potentiale.

Secunda conclusio. Ens reale formaliter, si sumatur secundùm quod est cognoscibile à nostro intellectu cognitione inadęquata, & imperfecta; non implicat, vt sit vniuocum logicum Deo, & creaturis. Sumo hanc conclusionem à S. Thoma *1. par. quæst. 13. art. 9. in corp.* vbi docet, quod Deus si consideretur, vt est in se, seù prout est in seipso, est realiter incommunicabilis pluribus Dijs, siuè indiuisibilis in plures Deos; si verò consideretur, quatenùs est cognoscibilis ab intellectu nostro ex creaturis cognitionibus imperfectis, & abstractiuis, sub ipsa ratione formali, & in isto modo, quo intelligitur, non implicat, vt sit communicabilis pluribus Dijs in eodem modo essendi, quem habet in intellectu inadæquatè cognoscente. Et huius hanc assignat rationem; quia Deus ex creaturis cognitione imperfecta est cognoscibilis, non cognita eius singularitate; natura autem qualibet, quatenùs præcisiuè abstrahit à singularitate, non repugnat, vt sit in illo statu communicabilis pluribus inferioribus, communicatione intellectuali; non autem reali. Exemplificat hanc doctrinam exemplo naturę Solis, quæ non est communicabilis pluribus secundùm rem, sed tantùm secundùm rationem; potest enim, inquit, S. Thomas, natura Solis intelligi, vt in pluribus suppositis existens; & hoc ideò, quia intellectus noster intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singulari; vndè infert, quod esse in vno supposito singulari, vel in pluribus est præter intellectum speciei; quia scilicet esse in vno tantùm, competit naturæ, quatenùs est singularis; est verò in pluribus suppositis quatenùs abstrahit à singularitate. Pariter in re nostra dicere possumus, ens reale, quod dicitur de Deo, & de creaturis secundùm se, siuè prout est in seipso, esse omninò indiuisibile in Deum, & in creaturam; quia sic non præscindit ex natura rei à modo essendi à se, & à modo essendi ab alio, vt à causa; verum si consideretur quatenùs cognoscitur ab intellectu nostro cognitione inadæquata simili cognitioni, qua, v. g. cognoscitur ens, quod diuiditur in substantiam, & accidens per abstractionem à perseitate, & inaleitate, & non repugnat, vt sit diuisibile diuisione intellectuali in Deum, & in creaturam. Et ratio est; quia, vt stat sub illa cognitione inadæquatà præcisiuè abstrahit à modo essendi à se, & à modo essendi ab alio. Contrà hanc doctrinam potest esse communis instantia, & est: non potest esse præcisio vnius ab alio sine falsitate, vt docuimus cum S. Thoma sæpe, nisi quando vnum non est in ratione alterius; sed modus essendi à se, est in ratione formali entis, quod est in Deo, & modus essendi à causa priori, est in ratione essentiali entis formaliter, quod est in creaturis; ergo non potest præscindi ens formaliter sine falsitate à modo essendi à se, & à modo essendi ab alio, vt à causa. Sed hæc instantia distinctione facillimè soluitur; ens enim reale formaliter vt sic, dupliciter sumi potest, vno modo secundùm se, & absolutè, siuè quod idem est in modo essendi, quem habet secundùm se: alio modo in modo essendi, quem habet in intellectu creato, illud co-

cognoſcente cognitione inadęquata ex perfectionibus, quæ ſunt diuiſim in creaturis: quam diſtinctionem doctè, & acutè explicat S. Thomas 1. *par. quæſt*. 13. *art*. 4. *per totum*; modi eſſendi à ſe, & à cauſa priori, ſunt quidem in ratione entis realis formaliter in modo eſſendi, quem habēt ſecundùm ſe, & abſolutè, ſine vllo reſpectu ad intellectum cognoſcentem inadæquatis conceptibus; ſed non ſunt in ratione entis realis formaliter in modo eſſendi, quem habent in intellectu creato cognoſcente illud ex perfectionibus diuiſis in creaturis; neque impoſſibile eſt, & falſum, idem eſſe in ratione eſſentiali alterius, & non eſſe in diuerſo eſſendi modo; quia eſſe, & non eſſe in diuerſo modo eſſendi, non ſunt ſecundùm idem; in quo conſiſtit contradictio formaliter; ſed ſolùm eſt impoſſibile in eodem modo eſſendi, vnum eſſe intrà rationem alterius eſſentialem, & non eſſe intrà rationem eſſentialem alterius: & ità eſt in re noſtra; ens enim reale formaliter, quod dicitur de Deo in modo eſſendi, quem habet ſecundùm ſe, ſeù prout in ſe eſt, includit eſſentialiter modum eſſendi à ſe; verùm in modo eſſendi, quem habet in intellectu cognoſcente illud cognitione inadęquata pręciſiuè, ſiuè negatiuè, non includit modum eſſendi à ſe. Et ratio huius à priori eſt; quia in hoc modo eſſendi, ſiuè cognoſcendi, ens reale formaliter, quod eſt in Deo, repræſentatur intellectui inadæquatè; in modo verò eſſendi in re, & ſecundùm ſe, ens formaliter in Deo non eſt cognoſcibile niſi, vt ratio adæquata Dei; quia ità eſt in Deo ſecundùm ſe. Ratio autem adæquata Dei ſecundùm ſe; non ſolùm eſt ens formaliter, ſed etiam ens à ſe, nimirum ſine dependentia ab alia cauſa priori. Cuius ratio eſt; quia dependentia fundatur in potentialitate eſſentiali, tamquam in prima radice; hæc autem eſt potentialitas ad eſſe, quæ dicit eſſentiam, quæ ſecundùm ſe eſſentialiter non eſt ſua exiſtentia; at eſſentia Dei eſt eſſentialiter ſuum eſſe; quia eſt eſſentialiter actus purus; vndè cum dicitur, quod præciſio vnius ab alio fundatur in eo, in quo vnū nō eſt in ratione alterius; propoſitio hæc eſt vera, ſeruata eadem proportione terminorum; præciſio enim alia eſt diuidens, & alia eſt in modo cognoſcendi.

Dicent fortè Aduerſarij: Deus eſt vna formalitas, omninò indiuiſibilis eſſentialiter; hæc autem non eſt conceptibilis, niſi cognoſcatur tota, & adæquatè; indiuiſibile enim formaliter, ſicut non eſt diuiſibile in re, neque in cognoſci; quia eſt eſſentialiter indiuiſibile.

Reſpondeo cum diſtinctione, Deum eſſe formalitatem omninò indiuiſibilem; ſtat dupliciter, vel in modo eſſendi, quem habet in ſeipſo abſolutè, vel in modo eſſendi, quem habet in intellectu inadæquatè cognoſcente conceptibus inadæquatis; vel alijs terminis, vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm quod eſt conceptibilis ab intellectu creato ex perfectionibus diuiſis, quæ ſunt in creaturis; primò modo, concedo maiorem; ſecundò modo, nego. Et ratio huius diuerſitatis eſt iam ſuprà explicata; quia in modo eſſendi in ſeipſo, Deus non eſt repræſentabilis diuiſim, & inadæquatè, ſed ſolùm adæquatè; in modo verò eſſendi, quem habet in noſtro intellectu imperfectè cognoſcente ex imperfectionibus creaturarum, in quibus perfectiones ſunt diuiſæ, Deus inadæquatè concipitur; quia repræſentatur noſtro intellectui perfectionibus inadæquatis, & diuerſis, neque in huiuſmodi conceptione eſt vlla falſitas; quia per hanc inadæquatam conceptionem intellectus creatus non affirmat, quod Deus *in ſe ſit* ens diuiſibile, aut compoſitum, *ex pluribus perfectionibus*; ſed ſolùm *concipit* Deum, ſecundùm quod eſt vna perfectio, non concipiendo, quod ſit etiam omnis alia perfectio; ſicut cum intellectus creatus concipit in ſubſtantia ens, non concipiendo in ea perſeitatem, nimirum cum intellectus creatus concipit ſubſtantiam eſſe ens, non concipiendo eſſe ens per ſe; nulla in hac cognitione eſt falſitas; quia concipit ſubſtantiam inadæquatè, quod nullam ponit contradictionem in ſubſtantia creata; nam ens in ſubſtantia, licet imbibat ſecum eſſe ens per ſe; tamen verè ſubſtantia eſt ens, & per ſe ens, & cum intellectus concipit ſubſtantiam eſſe ens; verè concipit, quod eſt in ſubſtantia, ſed inadæquata cognitione, & per hanc inadæquatam conceptionem præciſiuè ens in ſubſtantia, non includit perſeitatem. Prętereà in hac cognitione inadæquata, & abſtractiua, non eſt vlla falſitas; quia intellectus cognoſcendo cognitione abſtractiua ens in ſubſtantia, non cognoſcendo ens in ſubſtantia, eſſe ens per ſe, intellectus non affirmat, quod ſubſtantia eſt ens, & non per ſe; ſed ſolùm cognoſcit, quod eſt in ſubſtantia inadæquatè cognitione directa; ſi verò reflectatur ſuprà ſe intellectus, & cognoſcat ſe cognoſcere in ſubſtantia ens, & non perſeitatem; hoc dupliciter poteſt contingere, vno modo affirmando in ſubſtantia eſſe ens, & non perſeitatem in re, & hæc cognitio eſt omninò falſa; alio modo denotando ens, vt ſtat ſub illa cognitione, præciſi-

cisiuè non esse per se, vel solùm denotando illam præcisionem conuenire enti ex nostro modo imperfecto cognoscendi ex creaturis tantummodò; & hæc cognitio est absque vlla falsitate, & si in ea est aliqua imperfectio, tota reducitur in imperfectionem nostri intellectus, qui ex perfectionibus diuisis creaturarum, non potest cognoscere totum id, quod est in obiecto, vnica cognitione. Pariter discurrendum est de Deo, quando Deus sumitur, vt cognoscibilis cognitionibus inadæquatis ex perfectionibus diuisis in creaturis; nam, vt aliquid sit cognoscibile, satis est, vt reperiatur in re, quæ cognoscitur, siuè cognitione adæquata, siuè cognitione inadæquata.

Putant aliqui, hanc doctrinam in terminis esse Scoti, reprehendentes eos, qui Scoto attribuunt, quasi docuerit ens esse præcisum, & vniuocum in re: legant, inquiunt, si placet Scotum in 1. *senten. dist. 3. quæst. 3. in fin. §. consimiliter Philosophus docet*; vbi notandum est illud verbum, est vniuocatio quantùm ad logicum, qui ponit diuersos conceptus, &c. & in *quæst. 2. §. &*, ne fiat contentio de nomine vniuocationis, conceptum vniuocum dico, &c. & in *dist. 8. quæst. 3. §. sed hic est vnum dubium:* in quibus locis, & alijs etiam, Scotus non aliud intendit, quam distinctionem ex meris conceptibus, & illis quidem adhùc imperfectis, negando omninò in ente præcisionem in re entis, & talis entis. Sed vt suprà initio huius articuli diximus, mens vera Scoti ea est, quæ est conformis suis primis principijs; principium autem primũ Scoti in hac materia est, quod modificatum intrinsecè distinguitur distinctione modali ex natura rei à suo modo intrinseco; non quidem à modo intrinseco essentiali, sed à modo intrinseco accidentali; qua distinctione duplicis modi intrinseci possunt conciliari varia loca Scoti; nimirum vbi dicit Scotus, vniuocationem entis esse ex conceptibus imperfectis, & esse vniuocationem logicam, intelligendus est Scotus de modis essentialibus; vbi verò dicit esse vniuocum ens, Deo, & creaturis, absolutè intelligendus est Scotus de ente, & de modis entis accidentalibus.

Obijcies primò, contrà primum principium S. Thomæ, quo diximus non dari ens reale formaliter secundùm se, Deo, & creaturis vniuocum; quia huiusmodi ens est intrinsecè potentiale, &c. vna ex rationibus, qua contenditur, ens reale formaliter non esse vniuocum metaphysicum secundùm se Deo, & creaturis est; quia ens vniuocum metaphysicum est essentialiter potentiale; quia est intrinsecè diuisibile in plura inferiora: sed hæc ratio non necessariò concludit, quia distinctione non difficilè soluitur; nam potest dicere Trombetta cum Scoto, ens reale formaliter, quod dicitur de Deo, & de creaturis esse essentialiter potentiale per solam non repugnantiam; non autem per potentiam metaphysicam, vel physicam; potentia autem per solam non repugnantiam terminorum dicere potest Aduersarius, quod competit Deo; quia hæc nullam dicit imperfectionem: tùm quia omnes Scolastici dicunt possibile per solam non repugnantiam conuenire Deo, & creaturis; tùm etiam quia omnes etiam Scolastici dicunt, potentiam per non repugnantiam terminorum, non aliud importare, nisi quod prædicatum non repugnat suo subiecto: sed totum hoc nullam in se dicit imperfectionem; quia non dicit potentialitatem ad aliquem actum perfectiuum; similiter diuisibile in plura entia, aliud est per solam non repugnantiam, aliud est per repugnantiam præcisè, & aliud est diuisibile per potentialitatem intrinsecam ad actum diuisiuum; primum diuisibile solùm dicit, quod non includit contradictionem, vt sit aliquid; hoc autem non repugnat enti reali formaliter, quod dicitur de Deo, & de creaturis, sed solùm possibile per potentiam physicam, & metaphysicam ad actum perfectiuum. Ratio huius doctrinæ potest esse; quia apud Scotum, ea solùm diuisibilitas entis dicit imperfectionem, quæ est potentia etiam per non repugnantiam ad intrinsecam diuisionem esse, & hac ratione plures formalitates actu distinctæ in Deo, non dicunt imperfectionem, neque compositionem; quia vtraque oritur ex intrinseca diuisione esse; pluralitas autem formalitatum in Deo, est sine vlla intrinseca diuisione esse.

Respondeo, nego minorem; ad probationem autem nego dari ens reale, siuè possibile reale per solam non repugnantiam communem Deo, & creaturis; quia hoc necessariò debet esse potentiale potentialitate ad intrinsecam diuisionem esse; id quod inuoluit essentialiter imperfectionem. Et cum dicitur, quod Deus secundùm se est ens possibile per non repugnantiam, quod etiam conuenit creaturæ. Respondeo, Deum secundùm se esse ens reale per non repugnantia, sed cum repugnantia ad sui diuisionem; creatura verò est ens reale, & nõ repugnans essentialiter cum intrinseca sui diuisibilitati. Aduersarijs incumbit ostendere, ens, quod diuiditur in Deum, & creaturam, non esse in-

Intrinsecè diuisibile, & quod ex natura rei præscindit à modis essentialiter diuersificantibus ens reale formaliter. Opinatur Trombetta satisfacere huic primo principio S. Thomæ, dicens: ens reale formaliter vt sic, quod dicitur de Deo, & de creaturis, esse potentiale potentia logica, non autem potentia physica, aut metaphysica; quia ens potentiale potentia logica nullam dicit imperfectionem; sed solùm ens potentiale potentia physica, vel metaphysica, inuoluit essentialiter imperfectionem; quia hæc est potentialitas ad actum perfectiuum. Sed hęc responsio est fuga potius, quam solutio; quandoquidem ens potentiale potentia logica, vel est prædicatum conueniens enti reali, prout est cognoscibile cognitione inadæquata abstractiua ex perfectionibus diuisis in creaturis, in quibus habet suum fundamentum; vel est prædicatum conueniens enti, quod in re, & in modo essendi extrà intellectum est diuisibile, vt est animal in homine, & in bruto, & ens creatum, quod diuiditur in substantiam, & accidens; quæ duo entia habent fundamentum in seipsis, vt possint abstrahi à modis, siuè differentijs suis diuisiuis. Si ens potentiale potentia logica sumatur primo modo, vltrò iam concessimus ens reale vt sic, siuè ens reale, ex nostro modo intelligendi imperfecto fundato in creaturis, non in Deo, esse diuisibile in Deum, & in creaturam. Si verò sumatur ens potentiale, & diuisibile logicum, quod habet fundamentum suæ abstractionis in ipsomet; nullo modo concedi potest, dari ens commune, & diuisibile Deo, & creaturis; sed hoc pręedicatum est proprium entis realis creati formaliter, vt suo loco fusè probabitur. Tota hæc doctrina, & responsio fundamẽtum habet in distinctione, quā explicauimus prædictis duabus conclusionibus, distinguendo ens reale formaliter in modo essendi, quem habet in se; & in ens reale in modo essendi, quem potest habere in intellectu cognoscente, & abstrahente ens ex perfectionibus diuisis in creaturis, vt cum intellectus creatus cognoscit ens, quod est in Deo cognitione abstracta à cognitione, qua cognoscit ens creatum, illud abstrahendo à substantia, & accidente.

Obijcies secundò: contrà secundam conclusionem, qua diximus ens reale formaliter, secundùm quod est cognoscibile cognitione abstractiua ex creaturis, esse vniuocum logicum; vniuocum logicum non est ex alio capite, nisi quia est abstrahibile à modis illud essentialiter diuersificantibus; sed ens reale formaliter vt sic, non est abstrahibile à modo essendi proprio Dei, & à modo essendi proprio entis creati, qui sunt esse independens, & esse dependens à priori causa; quia impossibile est, ens præscindi intellectu à suo prædicato essentiali; sed ens formaliter, quod dicitur de Deo, includit essentialiter in eo, in quo est ens, independentiam à priori causa. Neque dicas esse independens à priori causa, non conuenire Deo inquantùm ens increatum, non inquantùm ens formale realiter; quia vt suprà probatum est, implicat hoc ens reale formaliter abstrahens à Deo, & à creaturis.

Respondeo, duplex esse vniuocum logicum, aliud habens fundamentum suæ abstractionis in seipso existens, & in modo essendi, quem habet extrà animam, & intellectum cognoscentem; & aliud est, quod habet fundamentum suæ abstractionis à suis inferioribus, non seipso, sed in alijs extrà se. Primum vniuocum non potest habere locum, nisi in entibus creatis, in quibus datur ens intrinsecè diuisibile in plura entia; secundum vniuocum logicum habet locum solùm in ente, quod dicitur de Deo, quatenùs est cognoscibile præcisè à nostro intellectu ex creaturis, in quibus reperitur ratio entis intrinsecè diuisa, & multiplicata. Neque huic doctrinæ obstat cum dicitur ab opponente, ens non potest præscindi ab aliquo prædicato suo essentiali; sed ens, quod dicitur de Deo essentialiter est ens à se, vel ens increatum; ergo non potest concipi in Deo ens, non concipiendo illud esse ens increatum. Nam respondeo primò, ens in Deo si sumatur secundùm se, vel in modo essendi, quem habet in seipso extrà animam, vtique non potest præscindi à tali ente; si verò sumatur, vt est cognoscibile ab intellectu creato ex perfectionibus diuisis in creaturis, potest præscindi ab intellectu; quia prout est in illo modo essendi negatiuè, non includit modum essendi à se; in modo verò essendi à se à parte rei, repugnat præscindi ab intellectu; quia essentialiter includit modum essendi à se, idest non ab alia causa priori, & ideò qui cognoscit ens reale, prout est in Deo secundùm se, ea cognitione non potest cognoscere ens, & tale ens; quia in illo modo essendi essentialiter includit tale ens; oppositum autem contingit, si ens in Deo cognoscatur ex ente, quod est in creaturis, in quibus non includit essentialiter modos essendi, quibus intrinsecè multiplicatur, & diuiditur. Mihi hìc vna occurrit difficultas soluenda.

An hæc præcisio, sit præcisio diuidens obie-

obiectum essentialiter, vt est cognitio præcisiua, qua cognoscitur animal, nullo pacto cognoscendo rationale, & irrationale, quæ sunt differentiæ; an sit præcisio tantummodò in modo cognoscendi minùs claro, quam communiter vocant cognitionem imperfectam in modo cognoscendi; quia per illam cognoscitur totum obiectum, sed modo inadæquato, & imperfecto minùs claro: quam præcisionem plures Recentiores admittunt negantes omnem præcisionem obiectiuam; & per hanc cognitionem dicunt de vno, & eodem obiecto cognosci vnum prædicatum clarè, & aliud simul minùs clarè.

Responderi potest primò, quod duplex est præcisio intellectualis, alia diuidens vnum prædicatum essentiale ab alio in suo obiecto, in quo sunt coniuncta, vt est cognitio, qua cognoscitur in homine animal, non cognoscendo rationale iunctum animali: & alia est cognitio in modo cognoscendi tantùm explicito, & claro, vt est cognitio, qua cognoscitur clarè vnum, & aliud, cum quo est iunctum minùs clarè, seù obscurè, vt est cognitio, qua intellectus cognoscit ens clarè, non cognoscendo illud clarè esse ens increatum, vel creatum: qua posita distinctione huius duplicis præcisionis, dicunt vniuocum præcisum præcisione diuidente esse potentiale, saltem potentialitate modali intrinseca ad suos modos intrinsecos: vniuocum verò præcisum præcisione tantùm in modo cognoscendi claro, & explicito, non item; quia potentialitas requirit distinctionem ex natura rei. In subiecta materia, ens, quod dicitur de Deo, & de creaturis, nullam dicit potentialitatem, neque realem, quæ est potentialitas ad gradum formalem entis, qualis est differentia contradistincta à modo intrinseco, neque modalis, quæ est potentialitas ad modum; quia non præscindit præcisione diuidente, siuè ex natura rei, sed tantùm præcisione in modo cognoscendi claro, & explicito, qui nullam ponit in Deo imperfectionem, sed tantùm in modo cognoscendi Deum ex creaturis à nostro intellectu.

Sed hæc responsio primò, non est vniuersalis, & adæquata; solùm enim satisfacit opinioni dicentium in creatis, ens non præscindere ex natura rei, à modis quibus diuiditur in decem prædicamenta, sed tantùm præcisione in modo cognoscendi explicito, & claro: sed difficultas remanet soluenda in alia opinione asserentium ens in creatis formaliter præscindere ex natura rei modaliter à suis modis essendi, ex qua distinctione oritur, vt ens in Deo secundùm quod est repræsentabile nostro intellectui ex creaturis præscindit à suo modo essendi præcisione diuidente ens à modo, proùt substat intellectui cognoscenti Deum ex creaturis.

Respondeo, quod duplex est cognitio præcisiua diuidens; alia, quæ supponit in obiecto vnum prædicatum distinctum ex natura rei ab alio, vt est in se, vt est cognitio præcisiua, qua cognoscitur animal in homine, & non rationale; alia verò est præcisio, quæ non supponit distinctionem ex natura rei inter prædicata essentialia sui obiecti, sed tantùm distinctionem conuenientem illis ex modo nostro intelligendi suum obiectum ex perfectionibus diuisis in aliis. Prima præcisio supponit in prædicato præciso intrinsecam potentialitatem; secunda verò nullam supponit potentialitatem intrinsecam; quia intrinseca potentialitas est prædicatum proprium creaturæ.

---

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

### Vtrum ens reale formaliter vt sic, sit analogum Deo, & creaturis, & qua analogia.

INtelligitur articulus de ente reali formaliter, & de Deo, & creaturis, proùt sunt in seipsis; non autem proùt sunt in modo essendi, quem habet in intellectu creato, cognoscente cognitione inadæquata. In præcedente articulo iam diximus ens reale formaliter secundùm se, non esse vniuocum Deo, & creaturis, proùt sunt in seipsis; vel quod in idem redit, non esse vniuocum metaphysicum: nunc remanet discutiendum an sit eisdem analogum, & ne in re difficili fiat quæstio de vocabulis.

Distinguo duplex analogum; vnum est analogum formaliter, & aliud est analogum materialiter; analogum formaliter appello, quod in ratione substantiæ secundùm se significatæ vno communi nomine, includit differentias illud essentialiter diuersificantes: vel, vt alij loquuntur, appello illud, quod in eo, in quo dicit conuenientiam, dicit etiam disconuenienciam essentialiter, & huiusmodi est in omnium opinione, ens, quod in vnum confundit ens formaliter, & ens materialiter; quale est id, quod est, vt suprà sæpe repetiuimus; quia id, quod est, in illo

ipso, in quo dicit conuenientiam, essentialiter includit disconuenientiam; hæc autem definitio analogi formaliter duplicem potest habere sensum. Primus est, analogum formaliter in suo conceptu formali adæquato inuoluere duo prædicata inadæquata; vnum, in quo conueniunt sua analogata, siuè inferiora, & aliud, quo vnum analogatum diuersum est ab alio. Secundus sensus est, analogum formaliter in illo ipso prædicato, in quo sua analogata conueniunt includere essentialiter differentias illud diuersificantes. Plures intelligunt definitionem analogi in primo sensu, idque probant definitione, quam communiter tradunt de analogo, nimirum illud esse analogum formaliter, quod habet definitionem substantiæ, partim eandem, partim diuersam; sed horum sententia mihi numquam placuit. Primò; quia hæc definitio competit analogo, etiam inequalitatis, quod est analogum materialiter, non formaliter; quia est analogum in esse, quod habet in suis analogatis; non autem in quidditate substantiæ significatæ vno communi nomine, quale est animal in homine, & in bruto, in quibus inadæquatè est simile, & inadæquatè est dissimile; quia scilicet perfectius esse habet in vno, quam in alio. Secundò; quia analogum formaliter contradistinguitur ab vniuoco puro: sed vniuocum purum in illo ipso, in quo dicit conuenientiam, non includit differentias essentialiter diuersificantes; ergo ex opposito analogum formaliter, quod est analogum perfectum perfectione essentiali in illo ipso, in quo dicit conuenientiam debet includere differentiam essentialiter diuersificantem, & huiusmodi est, vt dixi, ens, quod in vno significato comprehendit ens formaliter, & ens materialiter. Hoc analogum formaliter duplex est, aliud est analogum proportionis, & aliud est analogum attributionis, a qua diuisione excluditur analogum inęqualitatis, quod est vnum ex membris diuidentibus in sua communissima significatione, in qua scilicet analogum sub se comprehendit analogum formaliter, & analogum materialiter.

Analogum proportionis definitur, quod habet rationem substantiæ significatæ communi nomine; eandem, siuè similem proportionaliter; est autem similitudo proportionalis, quæ in illo ipso, in quo dicit conuenientiam, includit etiam essentialiter diuersitatem, & huiusmodi est differentia, v. g. essentialis, quæ dicitur de pluribus differentijs essentialibus; hæc enim in eo ipso, in quo dicit conuenientiam plurium differentiarum in ratione differentiæ, dicit etiam diuersitatem. Et probatur; quia differentia vt sic, imbibit, non solùm rationem, quæ est communis; sed etiam diuersitatem, qua vna differentia est diuersa ab alia: & hoc analogum proportionis manifestè asseritur ab Aristotele *primo ethicor., cap. 6.* hinc intelligitur, quomodo in proportione, seù in analogia proportionis, non sunt quatuor termini, nisi materialiter: quam veritatem, nisi fallor, non attingit Caiet. qui alioquin profundissimè scripsit de hac materia in *opusc.* proprio de analogia.

Analogum attributionis, quod est difficillioris explicationis, definitur à Caiet. *opusc. de analog. nom. cap. 2.* quod habet definitionem substantiæ significatæ communi nomine, eandem secundùm terminum, diuersam verò secundum diuersam habitudinem ad illum terminum. Hâc analogi attributionis definitionem communiter explicant exemplo sani; sanum enim dicitur non solùm animal, sed etiam medicina, pulsus, & vrina; quippè sanum significat sanitatem existentem formaliter in sanitate, quatenùs ad illam medicina, pulsus, & vrina, dicunt diuersas habitudines; nam sanitas est in animali, tamquam in subiecto, in medicina tamquam in causa, in vrina verò, & in pulsu, tamquam in signo.

Hoc exemplum præbet rationem dubitandi omnibus; an terminus, qui significatur vno communi nomine in analogis attributionis sit existens formaliter in primo analogato, quatenùs est respectus varijs respectibus à secundis analogatis, an sit intrinsecè in primo, & in secundis analogatis; in primis quidem cum independentia à secundis; in secundis verò cum dependentia intrinseca à primo.

Caietanus in *opusculo* citato de nominum analogia, tuetur terminum significatum nomine communi analogo attributionis, reperiri tantummodò formaliter in primo analogato, ad quod secunda dicunt varios respectus, vel causæ, vel signi; idque primò probat exemplo sani, quod est analogum attributionis plurium ad vnum, vel quod dicit vnum, ad quod plura dicunt attributionem, siuè respectum. Secundò ratione; quia ratio substantiæ significatæ nomine communi analogi attributionis debet esse eadem secundum terminum; diuersa ve-

verò secundùm diuersas habitudines: sed terminus plurium habitudinem non potest esse nisi tantùm in primo analogato; quia in primo tantùm analogato existens, variè respicitur à secundis. Tertiò; quia si qua est ratio in oppositum; ea est, quia ens quatenùs est analogum attributionis ad substantiam, & accidens, existit formaliter in primo, & in secundo analogato; sed in substantia cum independentia ab accidente; in accidente verò cum dependentia à substantia. Et hæc ratio nulla est, & probatur; quia ens, quatenùs est analogum attributionis ad substantiam, & accidens, non significat quod est extrà nihilum formaliter, nimirum sua ratione formali; quia sub ista ratione formali ens est analogum proportionis, quod trascendit omnes modos, & differentias suorum inferiorum; sed significat ens, quatenùs in vno est, variè respectum à pluribus, & huiusmodi non potest esse nisi ens existens in substantia, quod varijs respectibus respiciunt accidentia, quæ in eo subiectantur, nimirum quantitas respicit substantiam, quatenùs extendibilem in se, & in loco: qualitas, vt qualificabilem, &c. sed hæc ratio soluitur facilè doctrina Caietani, nimirum conceditur, ens reale esse analogum attributionis, etiam ad substantiam, & accidens. Sed ens est formaliter, & intrinsecè in substantia, & accidente; distinguitur minor; ens quatenùs analogum proportionis est intrinsecè substantiæ, & accidenti, & conceditur: quatenùs est analogum attributionis, & negatur. Et ratio disparitatis est; quia ens quatenùs est analogum proportionis significat, quod est extrà nihilum; quatenùs verò est analogum attributionis significat ens, ad quod plura dicunt attributionem, siuè ordinem diuersum, & hoc intrinsecè in generali loquendo reperitur tantùm in substantia, quæ est primum analogatum.

Oppositam sententiam sequuntur doctissimi Scholastici, qui distinguunt duplex analogum attributionis, vnum attributionis intrinsecæ, & aliud attributionis extrinsecæ; sanum quod significat sanitatem formaliter, quæ est temperies quatuor qualitatum, est analogum attributionis extrinsecę; quia significat sanitatem, existentem in animali, quatenùs variè respectam à medicina vrina, & pulsu. Ens autem, quatenùs intrinsecè est in substantia cum independentia ab accidente, & in accidente, cum dependentia à substantia, est analogum attributionis intrinsecæ: & rationem assignant; quia ens quatenùs est in substantia cum independentia, & in accidente cum dependentia intrinseca, est analogum formaliter contradistinctum, nimirum à puro vniuoco; quia in illo ipso, in quo dicit conuenientiam vno communi nomine significatam essentialiter inuoluit discõuenientiam; quia inuoluit modos essentialiter diuersificantes, quales sunt dependentia, & independentia; sed vt sic non est analogum proportionis; ergo debet esse analogum attributionis: & in hac opinione analogum attributionis in generali, præscindit ab analogo attributionis intrinsecè, & ab analogo attributionis extrinsecè; hæc enim duo analoga attributionis sunt ex diuisione formali analogi attributionis vt sic; diuisibile autem formaliter in plura abstrahit à diuidentibus: & ratio huius esse potest; quia analogum attributionis dicit rationem substantiæ significatæ vno communi nomine, eandem secundùm terminum; diuersam verò tamen diuersam habitudinem ad illum, nimirum dicit vnum terminum variè respectum à pluribus; sed hic terminus potest esse formaliter, non solùm in primo analogato, vt variè respectu à secundis, sed etiam potest esse in primo, & in secundis analogatis, vt est ens, quod in substantia respicitur ab accidentibus respectu dependentiæ; in accidente verò respicitur à substantia respectu causali sine dependentia; ergo, &c. & hæc sententia semper mihi arrisit.

Neque contrarium docet S. Thomas 11. *metaph. lect.* 3. vbi ad saluandam analogiam attributionis entis inter accidens, & substantiam, ait: accidens, non dici ens ex eo quod habet entitatem; sed quia aliquo modo est affectiuum substantiæ; nam hoc loco S. Thomas loquitur de ente, quatenùs est analogum attributionis extrinsecæ ad substantiam, & accidens. Et ratio est; quia ens non solùm est analogum proportionis; sed etiam duplici analogia attributionis, & intrinsecæ, & extrinsecæ; quatenùs est analogum attributionis extrinsecæ non significat quod est extrà nihilum; sed significat ens, quod est substantia, vt variè respectum ab accidentibus; quatenùs verò est analogum attributionis intrinsecæ, significat ens, quod est extrà nihilum in substantia cum independentia intrinseca ab accidentibus; in accidentibus verò cum intrinseca dependentia à substantia.

Neque dicas, quod omnes Metaphysici explicant analogiam attributionis in generali, exemplo sani, quod dicitur de animali intrinsecè, de medicina, pulsu, & vrina extrinsecè.

Respondeo enim hoc fieri à Scholasticis, & à metaphysicis; quia hæc species analogiæ attributionis extrinsecæ est clarior; quia purior, & simpliciter, quàm sit analogum attributionis intrinsecæ, quod habet admistam analogiam proportionis; nec explicatio generis analogi in vna sua specie distrahit illud à sua generica ratione; nam satis est explicare essentialem definitionem analogi in vna tantùm specie, præsertim in opinione Scoti, & S. Thomæ, quam sequemur, dicentẽ, ens creatũ formaliter pręscindere ex natura rei à suis modis intrinsecis.

Prætereà analogum attributionis intrinsecæ duplex est; aliud est multorum ad vnum; sicut est ens, quod prædicatur de qualitate, & quantitate per respectum ad substantiam: & aliud est analogum analogia attributionis causæ ad suum effectum; siuè prioris ad suum posterius; quæ distinctio explicatur à S. Thoma *quæst. 7. de potentia lib. 1. contra gentes cap. 4. & 1. par. quæst. 13. art. 5.* His explicatis, & præmissis, resoluitur directè propositus *articulus sequentibus conclusionibus*:

Prima conclusio. Ens reale formaliter secundùm se, non est analogum proportionis propriè, neque impropriè Deo, & creaturis. Conclusionem hanc scriptam non reperio; eius tamen veritas est luce clarior; fundamentum mihi est hoc; quia in Deo non potest esse alia analogia cum creaturis; nisi quæ fundatur in actu; sed analogia proportionis in ratione entis non potest fundari in actu ex parte Dei; ergo in Deo non potest esse analogia proportionis cum creaturis in ratione entis. Maior probatur; quia in Deo, non est nisi actus; est enim essentialiter Deus actus purissimus, qui est formaliter omnis actus, & omnis perfectio, demptis omnibus imperfectionibus; ergo non potest esse alia analogia in Deo cum creaturis, nisi ea, quæ fundatur in actu; sed hęc (& est minor principalis argumenti) non potest esse analogia proportionis; quia analogia proportionis non dicit actiuitatem; quæ est causæ ad effectum; analogia autem; quæ fundatur in actu debet esse causæ ad effectum. Maior huius argumenti est euidens; quia analogia proportionis solùm dicit conuenientiam imperfectam in ente, nimirum dicit solummodò conuenientiam proportionalem in ente, præscindendo à ratione primi, & secundi entis; sed ratio entis præscindentis à ratione actiui, implicat esse in Deo; quia hæc est essentialiter potentialis; ob hanc rationem in Deo, nec potest esse alia relatio, nisi originis, nec alia ratio causæ, nisi causæ præscindentis ab imperfectione, vt est ratio causæ effectiuæ, & ratio causæ terminatiuæ, & ratio causæ exemplaris; quia istæ causæ vt sic, non inuoluunt imperfectionem; causa verò materialis, & formalis in ratione entis non possunt esse in Deo; quia inuoluunt essentialiter imperfectionem; inuoluunt enim essentialiter rationem partis.

Obijcies primò: Deus, & creatura; non solùm conueniunt in ratione causæ, & effectus, sed etiam in ratione essendi extra nihilum; tàm enim Deus, quàm creatura in suo esse formali sunt extrà nihilum realiter, sed in ratione entis, & in hoc saluatur analogia proportionis propriè.

Quod si dicas ratio entis, quod est extrà nihilum realiter præscindit à potentia, & ab actu; hic autem conceptus non implicat, vt sit in Deo; quia vt aliquod prædicatum sit in Deo formaliter, satis est, vt in suo formali non includat imperfectionem; sicut, v. g. in Deo est formaliter relatio originis; omnis autem relatio vt sic, formaliter præscindit à perfectione, & imperfectione, vt suo loco probabitur cum S. Thoma, & Scoto: ità pariter, vt in Deo sit ratio entis formaliter, quæ est ratio essendi extrà nihilum possibile, siuè reale; satis est, vt præscindat ab omni imperfectione.

Contrà est; quia omne prædicatum in Deo, debet fundari in actu; adhoc autem non sufficit, vt præscindat a perfectione, siuè ab actu, & à potentia; sed necessariò requiritur, vt consequatur actum virtualiter; sed analogia proportionis nullo pacto potest fundari in actu; quia non est ratio causæ primæ, nec requirit fundamentum, quod sit actus; potest enim analogia proportionis esse inter duas potentias subiectiuas, vt, v. g. proportio, quæ est inter materiam horum inferiorum, & materiam Cælorum, inter materiam primam, & materiam secundam. Exemplum autem, quod affertur de relatione originis non satisfacit; quia relatio originis, licet formaliter non sit perfecta; tamen essentialiter exigit fundari in actu, qui in Deo est esse.

Respondeo autem ad oppositionem primam, distinguo maiorem, quæ potest habere duplicem sensum; primus est, quod Deus, & creatura conueniunt in ente extrà nihilum reale; quia conueniunt in ente pręscindendo à ratione primi, & secundi entis secundùm se, & hic sensus, est falsus; quia hoc ens secundùm se, est essentialiter potentiale; implicat autem in Deo esse ens potentiale, cum sit actus purissimus. Secundus sen-

ſenſus eſt, quod Deus, & creatura conueniunt in ratione entis extrà nihilum; quia Deus eſt primum ens, creatura verò eſt eſſentialiter ſecundum ens: & hic ſenſus verus eſt; ſed ex eo non ſequitur, quod contendit opponens, nimirum ens in Deo, & ens in creatura, eſſe analogum proportionis; quia ens, quod eſt in Deo, non eſt ens, in quod diuiditur ens reale vt ſic ſecundùm ſe; quia hoc non eſt dabile, ſed eſt purè chimericum, ſed eſt ens eſſentialiter primum; primum autem ens inuoluit rationem primæ cauſæ, quæ excludit à ſe analogiam proportionis cum creaturis; quia excludit à ſe omnem potentialitatem; analogia autem proportionis ſemper eſt permixta cum potentialitate; quia eſt ſine actiuitate. Cæterum, exemplum de relatione originis, quæ etiam in Deo abſtrahit à perfectione, & imperfectione, nihil probat; quia licet formaliter non ſit perfectio relatio originis, attamen fundatur in perfectione; quia fundatur in eſſe, quod eſt Dei eſſentia; in Deo autem nihil poteſt eſſe formaliter, niſi quod fundatur in actu puro. Cum dicitur ab opponente: in Deo poteſt eſſe prædicatum præſcindens à perfectione, & imperfectione; ſenſus eſt, quod poteſt eſſe prædicatum præſcindens ab actu ſimpliciter, & ab actu ſecundùm quid, non verò præſcindens ab actu, & potentia.

Dices: analogia cauſæ primæ, & cauſati, ſiuè cauſabilis in creatis non tollit ab analogatis analogiam proportionis, ſed eadem ratio militat in Deo, analogiæ primæ cauſæ ad cauſatum; ergo nulla eſt repugnantia, vt in Deo analogia cauſæ ad effectum compatiatur etiam analogiam proportionis. Maior probatur; quia Cęlum eſt prima cauſa rerum ſublunarium, & inferiorum, & tamen hæc primitas cauſæ, non tollit quin Cælum habeat analogiam proportionis cum effectibus inferioribus; ſicut etiam ſubſtantia creata eſt prima cauſa accidentium, cum ſit primum genus entium, & tamen ſubſtantia, & accidens, non ſolùm ſunt analogum attributionis in ratione entis, ſed etiam analogum proportionis propriè. Minor principalis argumenti probatur; quia ratio ob quam non ponitur in Deo analogia proportionis cum creaturis in ratione entis, eſt, quia Deus in ratione entis, eſt primum ens, ſed Cælum adhùc in ratione cauſæ rerum corporalium eſt prima cauſa; quia eſt primum corpus: ob hanc enim primitatem corpus celeſte obtinet locum ſuprà omnia elementa; ergo eadem ratio militat in Deo; quia eſt primum ens, quæ militat in corpore cæleſti, vt eſt primum in genere corporis; quia Cælum eſt independens ab omnibus corporibus elementaribus; hæc autem independentia fundatur in eo; quia Cælum eſt primum in genere corporum, & conſequenter prima cauſa rerum omnium ſublunarium.

Reſpondeo, diſtinguendo maiorem; duplex enim eſt prima cauſa; alia eſt prima ſimpliciter, & abſolutè, alia eſt in vno determinato genere. Ratio primæ cauſæ ſimpliciter excludit omninò à ſe analogiam proportionis; quia proportio analogica fundatur in ente potentiali, vel in ente permixto potentialitate; prima autem cauſa ſimpliciter, & abſolutè cum ſit actus purus excludit à ſe omnem potentialitatem intrinſecam. Cæterum prima cauſa intrà genus compatitur, imò neceſſariò fert ſecum, analogiam proportionis; quia eſt permixta eſſentialiter potentialitati. Argumentum vim haberet, ſi prima cauſa vt ſic, abſtrahendo à prima ſimpliciter, & extrà genus, & à prima in determinato genere excluderet à ſe analogiam proportionis cum ſuis effectibus; ſicut, v. g. ſi animal inquantùm animal excluderet à ſe gradum viuentis, nullum animal inferius eſſet eſſentialiter viuens; ſed hoc habet prima cauſa ſimpliciter, & abſolutè, ex eo quod eſt prima cauſa ſimpliciter, quod eſt prædicatum proprium Dei; & ideò Deus, qui eſt prima cauſa non poteſt admittere cum analogia attributionis cum creaturis, etiam analogiam proportionis.

Auctores autem contrariæ ſententiæ decipiuntur in eo; quia opinantur, analogiam proportionis fundari in ente, inquantùm ens formaliter; & quod ens reale, inquantùm ens reale formaliter, præſcindendo à ratione primi, & à ratione ſecundi reperiatur in Deo formaliter; ſed vtrumque eſt falſum. Primò; quia proportio fundatur in ente eſſentialiter potentiali; quia analogia proportionis ex ſuo genere non eſt actiua, ſed ſine actiuitate; vbi autem non eſt actiuitas eſt potentialitas; quia vbi eſt actiuitas formaliter eſt actus, qui opponitur potentiæ.

Vrgebis ſecundò: tota vis allatæ rationis fundatur in hoc, quod in Deo non eſt, nec poteſt eſſe aliud, niſi quod eſt actiuũ, vel ad intrà, vel ad extrà formaliter, nimirum ſcilicet, quod eſt actiuum ſua ratione formali: ſed hæc ratio non conuincit; quia multa prædicata ſunt in Deo formaliter, quæ non ſunt actiua formaliter: probatur hoc; quia in Deo formaliter eſt ſcientia viſio-

sionis creaturarum; sed hæc formaliter non est actiua circà creaturas visas: pariter in Deo est formaliter immensitas, quæ non est actiua locorum extrà Deum.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem; nam vt dicemus loco suo, sciētia intuitiua, seù visionis in Deo, est formaliter actiua, nimirum Deus intuendo, & sciendo efficit; idem dico de immensitate, quandoquidem in Deo quicquid est formaliter, fundatur in actu.

Quod si dicas: relatio originis formaliter nullo pacto potest esse actiua; quia formaliter non est ens, sed est tantùm materialiter ens,

Respondeo primò: concedo relationem originis in Deo, formaliter sumptam non esse actiuam, sed nego relationem non fundari in actu puro. Quod est in Deo formaliter non necessariò debet esse sua ratione formali actiuum; sed, vel debet esse formaliter actiuum, vel debet formaliter fundari in actu: in re nostra, relatio originis formaliter, licet formaliter non sit actiua, tamen fundatur in actu. E contrà verò analogia proportionis, neque est formaliter actus, neque fundatur in actu.

Respondeo secundò, in probabili opinione eorum, qui dicunt relationem formaliter non præscindere à perfectione, negando relationem originis, non esse actiuam in Deo. Proculdubio relatio originis in creatis formaliter non est actiua; quia est tantùm ad terminum in actu, cum sit limitata, & extrà essentiam causæ producentis; verùm in Deo relatio originis est actiua; quia est intrà esse diuinum, quod veluti modificatum relationibus originis, est actiuum ad intrà, & inquantùm est primum esse est actiuum ad extrà; sed de hoc ex professo disputabimus suo loco.

Secunda conclusio. Ens reale, quod est in Deo, & in creaturis, non est analogum attributionis intrinsecè, quod dicitur de pluribus in ordine ad tertium; sed est tantùm analogum attributionis causæ primæ ad effectum, siuè primi entis ad secundum ens. Conclusio hæc in terminis est S. Thomæ, tùm 1. *par. quæst.* 13. *art.* 5. *in corp.* & *quæst.* 7. *de simplicitate diuinæ essentiæ*, & alijs in locis: in *quæst. enim septima de simplicitate diuinæ essentiæ*, docet ens, quod dicitur de Deo, & de creaturis diuisim esse analogum secundùm se Deo, & creaturis; explicans autem, qua specie analogiæ sit analogum; distinguit duplicem modum analogiæ, vnus est, quo ens prædicatur de pluribus per ordinem ad tertium, sicut ens dicitur de qualitate, & quantitate per respectum ad substantiam; alius modus est, quo ens prædicatur de duobus, per ordinē vnius ad aliud, sicut ens dicitur de substantia, & quantitate: qua posita distinctione duplicis analogiæ, asserit S. Doctor, ens, quod dicitur de Deo, & de creaturis, non esse analogum, quod dicitur de pluribus in ordine ad tertium, & huius hanc assignat rationem; quia in hoc modo analogiæ oportet vnum esse prius duobus, ad quod ambo respectum habent, sicut quantitas, & qualitas respectum habent ad substantiam; Deo autem nihil potest esse prius; sed ipse est prior omni creatura creata, & creabili. Cuius ratio à priori est; quia Deus est prima causa simpliciter, & absolutè. Hæc ipsa ratio assignatur à S. Thoma 1. *par. quæst.* 13. *art.* 5. *in corp.* dicens ens analogicè prædicari de Deo, & de creaturis; sicut sanum dicitur de medicina, & de animali, inquantùm medicina est causa sanitatis, quæ est in animali, & ens prædicatur de substantia, & de quantitate.

Neque opus est hìc distinguere de analogo attributionis, & proportionis; nam S. Thomas semper loquitur de analogo per ordinem vnius ad aliud, vel per ordinem causæ ad effectum, siuè prioris ad posterius, quod vt sic, formaliter est analogum attributionis, non quidem plurium ad vnum, sed vnius ad aliud, vt causæ ad effectum, vt rectè notat Ferrariensis *in lib.* 1. *contrà gentes, cap.* 34. *§. potest etiam*; conclusio hæc duas habet partes. Prima asserit ens, quod dicitur de Deo, & de creaturis, diuisim non esse analogum attributionis plurium ad vnum, vel quod dicitur de pluribus in ordine ad tertium. Secunda asserit ens reale formaliter secundùm se esse analogum Deo, & creaturis analogiæ causæ ad effectum, siuè prioris ad suum posterius simpliciter, & absolutè, non autem in vno determinato genere; quia hæc analogia est permixta potentialitate; hoc autem analogum significat formaliter plura, quatenùs vnum est causa prima simpliciter alterius.

Et ratio vtriusque partis à priori assignatur à S. Thoma *locis supra cit.* præsertim in *disput. quæst.* 7. & explicatur; quippè in Deo nō potest esse alia analogia ad creaturam, nisi, vel quæ dicit perfectionem sine vlla imperfectione, vel quæ fundatur in perfectione, nimirum in actu; quia Deus essentialiter est actus purissimus, & ens perfectissimum; sed modus analogiæ, in quo vnum dicitur de pluribus in ordine ad tertium, includit essentialiter imperfectionem

nem

nem in primo analogato, vt probat S. Thomas, quippè ponit Deum dicere ordinem ad tertium, quod est prius ipso Deo, & creaturis; secundus autem modus analogiæ, ponit in Deo summam perfectionem; quia ponit in Deo rationem causæ primæ, quæ dicit independentiam omnimodam à creaturis à se essentialiter dependentibus; contrarium huius sententiæ defendit Scotus, & cum eo alij, qui dicunt ens reale formaliter vt sic, esse vniuocum Deo, & creaturis.

Tertia conclusio. Ens reale formaliter vt sic, quatenùs est repræsentabile nostro intellectui cognitione inadæquata, & abstractiua ex perfectionibus diuisis est vniuocum logicum, non autem analogum. Hanc conclusionem explicauimus præcedente articulo, & ratio fundamentalis est; quia ens reale formaliter, quatenùs cognoscibile cognitione inadæquata, & abstractiua, desumpta à cognitione, qua intellectus creatus cognoscit in substantia, & in accidente ens, non cognoscendo perseitatem, & inaleitatem; obiectiuè præscindit à modis primis essendi, qui sunt esse à se, & esse ab alio, vt à causa; hæc autem abstractio satis est, vt sit vniuocum logicum; duplex autem est vniuocum logicum, vnum habens fundamentum suæ vniuocationis in seipso, vt, v. g. est animal, aliud verò habet fundamentum in alio, ex quo est cognoscibile; conclusio intelligitur de vniuoco logico, non primo, sed secundo modo, quod dicitur vniuocum logicum ex modo nostro tantùm imperfecto cognoscendi. Doctus Palumbus ad *quæst. 3. 1. par. de Dei simplicit. cap. 3. dicto 5.* putat de hoc vniuoco loquutum esse Scotum *dist. 8. quæst. 3.* cum asserit, & concedit ens esse vniuocum Deo, & creaturis; nam in Deo concipimus ens in vniuersali cognitione inadæquata, qua cognitione in Deo non attendimus adhùc vllam contractionem, siuè per differentiam, siuè per modum, vt dicit Scotus; deindè concipimus ens tale modificatum per esse diuinum. Ens conceptum in Deo in vniuersali, dicitur vniuocum logicum; quia, vt stat sub illa cognitione præscindit, siuè non includit modum, quo ens contrahitur ad Deum; hoc autem sufficit, vt ens conceptum in Deo in vniuersali, sit vniuocum logicum; quia vniuocum, ex eo est vniuocum; quia in eo, in quo dicit conuenientiam, siuè similitudinem cum alio, non includit differentiam diuersificantem. Sed hæc responsio, vt supra adnotaui, repugnat principijs Scoti, quandoquidem Scotus ponit in diuinis perfectionibus, siuè prædicatis distinctionem ex natura rei, tàm formalem, quàm modalem, vbi autem est distinctio ex natura rei, potest esse perfecta vniuocatio, vel metaphysica, vel logica; cum fundamento tamen in ipsa vniuoci natura: sed de hoc iterum sermo erit in *quæst. seq.*

---

## ARTICVLVS OCTAVVS.

### Vtrum ens reale vniuersalissimum, habeat sui causas in essendo.

ARticulus intelligitur, tùm de ente reali formaliter secundùm se, tùm de ente reali, proùt est cognoscibile à nostro intellectu ex creaturis, nimirum proùt cognoscibile est cognitione inadæquata consimili cognitioni, qua cognoscitur ens creatum, proùt abstrahibile a substantia, & accidente. Explicantur termini; causæ aliæ sunt in essendo, & cognoscendo; aliæ sunt tantùm in cognoscendo. Causæ in essendo, & cognoscendo; aliæ sunt realiter, quæ scilicet causant effectum realiter diuisum in esse, & aliæ sunt virtualiter, de quibus fusè tractat Caiet. *lib. poster.* causa in essendo virtualiter, est nuda, & prima ratio, vt insit alia in eodē subiecto: quo sensu omnes Scholastici dicunt immutabilitatem in Deo, esse causam in essendo virtualiter æternitatis, & intellectum in Deo esse causam virtualiter, vt sit voluntas, Caiet. *loco cit.* definit causam virtualem, illam quæ si distingueretur, causaret aliquem effectum realiter, & exemplificat definitionem exemplo Aristotelico. Dicit enim Aristoteles, motum Cæli causari ab oriente, non quia cæpit ab oriente; nam motus Cæli in opinione Aristotelis, est æternus, sed dicitur incepisse ab oriente; quia si cæpisset, non nisi ab oriente cæpisset.

Voluerunt nonnulli, ens reale vniuersalissimum habere sui causas in essendo virtualiter; in hoc sensu, quatenùs scilicet in primo ente reperitur vna perfectio sequens ex alia priori virtualiter, v. g. æternitas ab immutabilitate; & esse Deum volentem oritur virtualiter, quia Deus intelligens est.

Sed hæc positio quantùm video, aliud determinat, quam in Aristotele quæritur. Quæsitum enim est, an ens reale vniuersalissimum habeat sui causas in essendo virtua-

tua-

tualiter, & determinatio est in primo ente, secundùm perfectiones reales, quarum vna dicitur causa virtualis alterius; vbi clarè apparet, quod diuisio non est de ente reali vniuersalissimo, quod dicitur de primo, & de secundo ente, sed tantùm de ente primo; certum enim est in Diuinis perfectionibus, vnam esse causam virtualē alterius. Verum in hoc articulo quæritur, an sit assignabilis causa in essendo entis realis formaliter vniuersalissimi.

Tres possunt esse sententiæ circà hoc quæsitum, directè huic quæsito respondentes, &c.

Prima potest esse dicentium, ens reale vniuersalissimum habere sui causam in essendo virtualiter; hanc autem causam, esse recessum realem entis à suo nihilo, quod probari potest; quia recessus realis à suo nihilo competit omni enti, vt ratio prior in essendo; quoniam omne ens reale, eo modo, quo ens reale, est extrà suum nihilum; omne enim ens reale habet suum contradictorium non ens; ex contradictorijs autem vnum est extra aliud, quandoquidem implicat idem simul esse, & non esse. Hic recessus, inquiunt, in ente creato est formaliter, & realiter; in ente verò primo, est tantùm virtualiter; sicut enim, v. g. intellectus in Deo est ratio, vt in eo sit voluntas, ità etiam recessus à nihilo, est virtualiter causa, vt Deus sit primum ens. Et explicatur; quia si quæratur, quare Deus sit primum ens formaliter, huius quæsiti potest assignari hæc ratio; quia Deus est necessariò extrà nihilum; & hæc veritas clariùs probari potest, si vtamur definitione causę virtualis, quam tradit Caiet. scilicet causa virtualis est, quæ verè, & realiter causaret effectum, si esset distincta ab eo realiter.

Quod si Auctoribus huius sententiæ obijcias implicare, ens reale vniuersalissimum habere sui causas virtualiter in essendo. Hac ratione; quia si haberet sui causam virtualiter in essendo, vel hæc realis esset, vel non realis; si realis ergo causa esset ens reale, quæ est pars subiectiua entis realis vniuersalissimi; quia ens reale competit omni enti reali quocumque modo; si verò non esset realis, luce clariùs apparet, quod non esset causa in essendo virtualiter entis realis; effectus enim est expressio formalis, siuè participatio suæ causæ.

Respondere possunt, hunc recessum realem à nihilo, esse realem, vt viam virtualiter ad terminum; non autem, vt terminum viæ: via enim ad terminum non est formaliter terminus, sicut motus non est terminus motus: causa realis, quæ est pars subiectiua entis realis, debet esse causa realis contradistincta à via ad terminum. Præterea via ad esse in generali est adæquans esse; pars verò subiectiua non adæquat esse, siuè ens vniuersalissimum.

Quod si dicas etiam viā ad terminum esse partem subiectiuam entis realis vniuersalissimi; ens enim reale vniuersalissimum dicitur de omni, quod quocumque modo reale est; at pars subiectiua non potest esse causa, etiam virtualiter sui superioris, v. g. homo non potest esse causa animalis.

Respondere possunt primò, quæsitum in articulo esse de ente reali vniuersalissimo formaliter, quod contradistinguitur à suo modo, siuè virtuali, siuè reali, & formali. At recessus realis à nihilo, non est pars subiectiua entis realis formaliter; quia cum sit modus non potest esse formaliter ens reale, sed tantùm identicè; & hoc satis est, vt recessus virtualis à nihilo, sit causa virtualiter in essendo entis realis formaliter, & non pars subiectiua.

Respondere possunt secundò, quod via ad terminum, siuè recessus à nihilo, adæquant ens vniuersalissimum; quia ens vniuersalissimum, vel virtualiter saltem, abstrahitur à suo nihilo; causa autem, quæ est pars subiectiua non adæquat ens vniuersalissimum.

Secunda sententia potest esse aliorum, qui possunt dicere, causam in essendo entis realis vniuersalissimi formaliter, non esse recessum realem à nihilo virtualiter; quia recessus realis à nihilo habet potius rationem causæ materialis, cum recessus à nihilo, sit entis potentialis; sed causam virtualem in essendo esse accessum ad ens: quia hic accessus ad ens, non solùm est prior, quam sit recessus entis à suo nihilo, quod probatur; quia ens accedendo ad esse causaliter recedit à suo non esse; sed etiam quia accessus ad ens fundatur in actu, præscindendo ab actu puro, & ab actu permixto potentialitate; actus autem vt sic, competit tùm Deo, tùm creaturis. Præterea actus simpliciter est prior, quàm potentia, & ideò primitas actus potest competere, tàm enti secundo, quàm primo.

Quod si Auctoribus huius sententiæ respondeas, recessum realem à nihilo realiter, & formaliter esse entis potentialis, non autem recessum realem à nihilo virtualiter; hic enim fundatur in perfectione; sicut causa intrinseca in essendo realis fundatur in actu permixto potentialitate; causa verò in essendo virtualis fundatur in sola perfectione, seù in solo actu.

Sta-

Statim dicere possunt, quod recessus à nihilo implicat, vt sit virtualis; quia recessus à nihilo realis inuoluit rationem potentiæ; virtualis verò rationem actus; at implicat potentiam transire in actum; quia sunt opposita formaliter.

Tertia sententia potest esse dicentium, causam in essēdo virtualem entis realis formaliter vniuersalissimi, esse possibilitatem absolutam, siuè possibile absolutum, quod est possibile per non repugnantiam terminorum, idque probare possunt; quia ratio prima cur ens sit reale formaliter, est quia inuoluit prædicata essentialia non contradictoria, quod ex opposito est manifestum; quia quod inuoluit prædicata contradictoria, non potest esse reale.

Quod si obijcias in articulo quæsitum esse, non de causa veluti formali, sed de causa veluti actiua; at prædicata essentialia non contradictoria sunt causa formalis intrinseca, vt ens sit reale, non autem veluti effectiua intrinseca, vt est recessus à nihilo, vel accessus ad esse. Accessus enim ad esse, vel recessus à nihilo, sunt veluti causa effectiua; quia non sunt prædicata essentialia entis realis formaliter.

Respōdere statim possunt, possibilitatē absolutam, esse causam, veluti effectiuam.

Resoluitur articulus, qui curiosus est, & subtilis, sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio. Implicat ens reale formale vniuersalissimum habere sui causam in essendo virtualiter. Conclusio hæc est contrà tres sententias suprà explicatas. Ratio fundamentalis; quia si ens reale formaliter vniuersalissimū haberet sui causam in essendo virtualiter, adhùc primum ens simpliciter, quod est Deus, haberet sui causam virtualem in essendo; sed omninò contradicit primo enti simpliciter, habere sui causam in essendo virtualiter; ergo, &c. Sequela probatur; quia prædicata, quæ conueniunt termino superiori secundùm se, siuè in primo, siuè in secundo modo dicendi per se, conueniunt ei in quocumque suo inferiori; prædicata enim per se sunt inseparabilia; ergo si ens reale formaliter haberet secundùm se sui causam in essendo virtualiter, adhùc primum ens simpliciter haberet sui causam virtualem in essendo; sed hoc implicat, quia primum ens simpliciter dicit omnem primitatem in essendo; quia est essentialiter entis perfectio in tota latitudine entis; sed hoc ens secundum totum excludit à se omnem causam in essendo; quia causa, siuè formaliter, siuè virtualiter, est prior suo effectu.

Respondere fortè possunt Aduersarij, primum ens simpliciter excludere à se omnem causam, & omnem primitatem in essendo realiter, non autem omnem causam in essendo virtualiter, & huius hanc possunt assignare rationem; quia primum ens simpliciter excludit omnem causam, à qua dependeat in essendo, nō autem causam à qua formaliter non dependeat, sed à qua est tantùm, & præcisè virtualiter; quia dependentia est ex potentialitate, quæ causat diuisionem in esse. Causa verò virtualis est indiuisa in ente à suo effectu; exemplificare possunt distinctionem exemplò non inepto. Ens diuinum, quod est primum ens simpliciter, excludit dependentiam à causa in essendo realiter, sed tamen non excludit esse ab alio, vt à principio consubstantiali; quia esse à principio consubstantiali, nullam dicit potentialitatem; esse verò à causa in essendo realiter, dicit essentialem dependentiam in causato, & consequētur intrinsecam diuisionem in esse. Causa virtualis in essendo est veluti principium consubstantiale: quia est indiuisa intrinsecè in esse à suo effectu; pariter dicendum in re nostra.

Sed contrà primò; quia hic loquimur de ente primo secundùm totum, quod est ens primum simpliciter, quod excludit omnem prioritatem, tam realiter, quàm virtualiter; quia est primū in tota latitudine formali primi; hoc autem negat omnem sui causalitatem à causa priori, secùs non esset ens primum simpliciter. Neque huic obstat cum dicitur, quod primitas, seù prioritas causę in essendo realiter, tollit à Deo primitatem causæ simpliciter; non autem primitatē, seù prioritatē causæ in essendo virtualiter. Cuius disparitas est; quia causa in essendo realiter supponit dependentiam à suo priori, quæ repugnat primæ causæ; dependentia enim fundatur in potentialitate, quę contradicit actui puro; sed causa in essendo virtualiter nullam supponit dependentiam à suo priori, quam nō habet causa virtualis; quia causa in essendo virtualiter, non est diuisa in esse à suo causato; solùm enim est ratio, vt insit alia ratio in eodem subiecto.

Respondetur, quod hìc loquimur de prima causa secundùm totum, cui repugnat omnis prioritas, seù primitas causę in essendo, quæ ponitur causa, vt Deus sit, quocumque modo contradicit primæ causæ; quia prima causa simpliciter rapit ad suam primitatem formaliter omnem primitatem in essendo, & in causando; hæc autem primitas excludit essentialiter omnem rationem priorē ipsa prima causa simpliciter. Neque di-

distinctio de causa supponente dependentiā aliquam, habet vim; nam causa virtualis in essendo, potest tantummodò esse causa virtualiter alicuius perfectionis in vno, v.g. potest intellectus in Deo esse causa virtualiter, vt Deus sit volitiuus; quia volitiuū est posterius intellectiuo, sed nō potest dari causa, vt Deus sit; quia Deus est prima causa simpliciter. Similiter esse prius origine, cōpetit in Diuinis personę producenti, sed implicat dari prius origine, quàm sit prima persona ꝓducēs in Diuinis; nos autē hic inquirimus, an possit dari causa in essēdo virtualiter primi entis, quę est prima causa omnis entis nō implicantis contradictionem extra Deum secundùm totum; similiter inquimus, an possit dari causa in essendo virtualis entis vniuersalissimi formaliter vt sic, & asserimus hoc implicare; quia implicat dari aliquid prius Deo; quia est primum simpliciter in omni genere causæ in essēdo realiter, & virtualiter; & hac ipsa ratione S. Thomas, & omnes Theologi probant, Deum esse, nō esse demonstrabile demonstratione per causā, nimirum non posse concludi existentiam de Deo, per præmissas continentes causam, vt Deus sit. Cuius ratio est; quia existentia in Deo, est essentialiter eius essētia; Deus enim est essentialiter actus purus; sed essentia Dei non potest habere sui causam in essendo, neque formaliter, neque virtualiter; quia est prima simpliciter in Deo; primū autem simpliciter non supponit in eo, in quo est primum aliud prius; esset enim primum simpliciter, & non simpliciter; ergo non potest assignari causa, vt Deus sit.

Plures docti Scotistæ, vt Trombetta, & Mairon. *locis sup. cit.* putant, hanc rationem non esse demonstratiuam, & eorum fundamentum est; quia opinantur existentiam in Deo esse prædicatum distinctum ex natura rei ab essentia. Sed hoc fundamentum est omninò repugnans in terminis; nam Deus essentialiter est actus purus, scilicet essentia Dei est essentialiter actus purus in primo modo dicendi per se, & est essentialiter primum ens in primo modo dicendi per se; sed hoc includit in primo modo dicendi per se existentiam, etiam vt exercitam; quia essentia, quæ est essentialiter actus purus, & primum ens, est essentialiter completa in ratione entis; at existentia est vltimus actus entis in ratione entis; ergo, &c. quod euidentiùs apparet ex opposito; nam essentia creaturæ, ideò non est essentialiter sua existentia in primo modo dicendi per se; quia essentia creaturæ, cum sit limitata ad vnum genus entis, non est essentialiter primum ens, neque actus purus, & ideò includit essentialiter primam potentialitatem, quæ est potentia ad esse, siuè ad existentiam.

Neque satisfaciunt prædicti Scotistæ, dicentes, Dei essentiam entitatiuè esse suam essentiam in primo modo dicendi per se, non autem formaliter, siuè in sensu formali, & huius hanc assignant rationem; quia existentia est modus intrinsecus essentiæ.

Nam contra est; quia essentia Dei est essentialiter primum ens, & essentialiter actus purus in primo modo dicendi per se, nimirum includit actum purum, & rationem primi entis simpliciter, non entitatiuè, sed formaliter; quia ens primum simpliciter, est ens essentialiter perfectissimum in tota latitudine entis, vltrà quod non est dabile aliud perfectius; sed hoc includit essentialiter in primo modo dicendi per se existentiam formaliter, & non entitatiuè pręcisè; nam perfectius est ens, includens essentialiter existentiam formaliter, & entitatiuè simul, quàm includens existentiam tantùm entitatiuè; sed de hoc fusè dicetur *quæst. de essen. & existen. in Deo*; & confirmatur discursus, nam essentia, vt contradistincta formaliter ab existentia, formaliter non est alia realitas, quam essentialis, quæ est ipsissima realis essentia; huiusmodi verò essentia non est perfectissima formaliter in ratione entis formaliter; quia non includit intrà realitatem essentialem, realitatem existentialem; ergo si ponatur essentia Dei, non includens intrà suam quidditatem in primo modo dicendi per se existentiam, vt exercitam, essentia Dei non erit ens perfectissimum, & primum in tota latitudine entis; quia daretur alia essentia perfectior, & hæc esset Deus, non illa; quia omnes intelligimus nomine Dei ens primum simpliciter, & quo maior excogitari non potest.

Hanc conclusionem alij probant alijs rationibus, quarum.

Prima est; quia ens reale formaliter vniuersalissimum est prima ratio essendi in quocumque ente; quia est ratio essendi realiter vniuersalissima irresolubilis in aliam vniuersaliorem; sed primæ rationi vniuersalissimæ contradicit habere sui causam in essendo virtualiter; quia haberet super se aliam vniuersaliorem rationem essendi.

Secunda ratio est: causa, quæ ponitur causa, vt Deus sit virtualiter, vel est ens diuinum, vel non; si primum hoc est formaliter Deus, qui est prima causa simpliciter; quia ens diuinum est essentialiter suum esse, & hoc non potest esse causa, etiam

etiam virtualiter, vt Deus sit; quia causa debet esse prior suo effectu; implicat autem dari aliquid prius Deo, etiam virtualiter. Si dicatur secundum. Contrà est; quia quod non est intrinsecè diuinum; implicat, vt sit causa entis diuini; prçter quam quod implicat dari aliquid prius Deo, cum Deus sit prima causa simpliciter.

Sed respondere possunt Aduersarij. Primò, ad primam rationem, quod ens reale formaliter vniuersalissimum, est prima ratio essendi primitate vniuersalitatis, & prædicationis, non autem primitate causæ; nos autem hic loquimur de primitate causæ. Probare possunt distinctionem exemplis; nã sicut datur primus motus, & motus in communi; & sicut datur materia prima, & materia in communi; ità datur primum ens, & ens in communi; & sicut motus in communi est prior prioritate vniuersalitatis motu primo; & è contrà motus primus est prior motu in communi primitate causæ; (idem dicendum de materia in communi, & de materia prima), ità etiam ens reale vniuersalissimum, est prius Deo prioritate vniuersalitatis, & posterius posterioritate causæ.

Secundò possunt respõdere, quod causa in essendo, vt Deus sit, est diuina, non quidem formaliter, sed virtualiter. Diuinum autem virtualiter, potest esse causa entis diuini formaliter; ad eum modum, quo Scotus docet, quod agens potest esse in actu virtuali, & eminenti, & in potentia formali respectu eiusdem, in quo sensu explicat etiam quomodo saluatur contradictio.

Rationes oppositarum sententiarum, ex dictis facilè solui possunt; ad primam enim, qua dicitur, causam in essendo virtualiter, vt Deus sit, esse recessum realem à nihilo, vel accessum ad esse.

Respondeo, nego assumptum. Primò; quia recessus à nihilo, & accessus ad esse; sunt modi, siuè prædicata entis potentialis; quia intrinsecè dicunt viam ad terminum, vel à termino per se; via autem est essentialiter potentialis, tum quia secundò, quam vt diximus implicat dari aliquid prius Deo, cum Deus sit primum ens simpliciter.

Quod si dicas, saltem non implicare dari aliquod prius Deo prioritate vniuersalitatis, & quod hæc primitas satis sit ad saluandam causam virtualem, vt Deus sit.

Respondeo nos hic loqui de causa virtuali in re, non autem de causa virtuali in nostro modo imperfecto cognoscendi; ens autẽ reale vniuersalissimũ, est prius prioritate vniuersalitatis nostro modo concipiendi abstractiuo, & imperfecto tantummodò; & hoc dico ad differentiam eius, quod est prius in prædicando, & in essendo suo inferiori, vt animal quod est prius homine in essendo, & in prædicando, quod non potest competere enti reali vniuersalissimo; quia hoc est vniuersalius Deo præcisè ex nostro modo intelligendi imperfecto ex creaturis.

Quod si secundò vrgeas, hanc nostram responsionem veram esse de recessu reali à nihilo formaliter, & de actu reali ad esse formali; non autem de recessu à nihilo, & accessu ad esse virtualiter: & disparitas est; quia in recessu reali formaliter, sicut, & in accessu formaliter ad esse, est essentialiter permixta potentialitas; in recessu verò, & accessu virtualiter nulla est permixta potentialitas, sicut in causa intrinseca realiter inuoluitur potentialitas; in causa verò intrinseca virtualiter excluditur omnis potentialitas; ergo sicut in Deo potest dari causa in essendo virtualiter; ita potest dari recessus realis à nihilo virtuali, & accessus virtualiter ad esse.

Respondeo, nego paritatem; nam causa virtualis in Deo est actiua in creatis; causa autem actiua potest denudari ab imperfectione; quia fundatur in actu; at recessus à nihilo, sicut, & accessus, sunt prædicata entis potentialis, vt suprà ostendimus; ens autem potentiale non potest absolui ab imperfectionibus; quia potentialitas, est essentialiter radix omnis inperfectionis.

Ad rationes, quibus Auctores tertię sentētię probãt, causam virtualem in essẽdo entis realis formaliter, & consequenter Dei, vt existat, esse prædicata non contradictoria, quæ competunt tàm Deo, quàm creaturis, & sunt causa formaliter, vt ens sit existens; nam prima ratio, vt ens sit existens formaliter in genere causæ formalis est; quia possibile est formaliter; nisi enim esset possibile, numquam esset existens, & actuale realiter.

Respondeo, possibile absolutum in ente creato habere rationem causæ essendi; in ente verò reali, quod dicitur de primo ente, & de secundo, de quo nunc loquimur, non item, & ratio est; quia possibile secundùm se, esset causa primæ causæ; prædicata enim, quæ conueniunt enti secundùm se, conueniunt ei in quocumque inferiore, de quo est prædicabile, & existit; at implicat primam causam simpliciter habere ante se aliam causam; esset secundùm idem prima, & non prima causa simpliciter. Explicatur

N 2 n do-

doctrina apto exemplo, in probata opinione multorum, accidens essentialiter supernaturale, non implicat esse in accidenti non vitali; implicat verò in accidenti vitali, vt est potentia intellectiua creata: & ratio disparitatis est; quia si esset accidens vitale supernaturale, supponeret substantiam supernaturalem creatam, quæ implicat in terminis; quia intellectus essentialiter supernaturalis, est formalis potentia substantiæ supernaturalis increatæ, vel quia est virtus instrumentalis substantiæ creatæ supernaturalis: si verò ponatur in accidente creato non vitali, non habet necessariò hanc sequelam; quia accidens essentialiter supernaturale non vitale, saluatur per solam subordinationē nō vitalem ad primā causam supernaturalē, quę est Deus. Pariter in re nostra discurrimus; implicat, vt possibile secundùm se, sit prima causa essendi in ente reali secundùm se; quia ex hoc necessariò sequitur, vt sit causa essendi primæ causæ simpliciter, quod non habet cum ponitur in ente reali creato; quia ens reale creatum ex suo genere dicit dependentiam à priori causa in essendo, & hoc verificatur non solùm de ente reali, vt repræsentabili nostro intellectui ex ente creato, vel creabili in generali, sed etiam de ente reali secundùm se; quia ens reale secundùm se dicit primum, & secundum ens, vt sunt vnum vnitate analogica causæ ad effectum, siuè prioris ad posterius. Et ratio est; quia prædicatum causæ potius conuenit primo enti, quàm secundo, vel potius competit causæ, quam effectui; sed in hoc coniuncto, quod dicit primum, & secundum ens, quatenùs sunt vnum vnitate analogica causæ ad effectum, ens primum habet rationem causæ simpliciter; ergo si possibile secundùm se esset prima causa essendi simpliciter, esset etiam causa prima essendi causæ primæ simpliciter, quod implicat in terminis.

Præterea possibile secundùm se inadęquatè, nimirum quantùm ad suam inadæquatam rationem, præscindit ab actuali, & non actuali; at causa essendi, necessariò debet esse actualis; quia est causa veluti actiua actus existendi. Discursus est euidens; quia vt supradiximus possibile secundùm se, non est reale formaliter; sed tantùm virtualiter, & veluti in potentia; quia ens ex eo est reale formaliter, tamquam à causa; quia est possibile: in Deo autem non habet locum, nisi actus; quia Deus cum sit ens omninò independens in essendo à priori causa, est actus purissimus excludens à se omnem potentialitatem passiuam. Hæc doctrina quibusdam duriuscula videtur; mouentur autem ex eo quia putant idem esse in sensu formali possibile absolutum, quod ens reale; quoniam possibile absolutum, opponitur impossibili, & enti rationis puro; sed hoc non est ens reale formaliter; quia est impossibile absolutum; ergo ex opposito, possibile absolutum debet esse ens reale formaliter. Sed hæc ratio distinctione duplicis realis soluitur faciiè; potest enim reale sumi in radice, & in suo esse formali; possibile formale potest esse passio in radice; ex eo .n. quod aliquid est possibile secundùm se, potest realiter existere, quod est ens reale formaliter; sed passio potest sumi formaliter, & radicaliter; sicut, v. g. rationale potest sumi pro principio radicali discursus, & pro potentia proxima, & formali ad actum discurrendi; pariter reale potest sumi pro realitate formali, & per radice huius realitatis; quæ sunt prædicata essentialia, non contradictoria, siuè ea negatiua sint, siuè positiua.

Quod si dicas: possibile absolutum reperitur formaliter in ente reali vniuersalissimo, & reperitur etiam in Deo, & in creaturis formaliter; sed hoc est sufficiens principium, vt sit ens reale.

Respondetur: quod sicut ens reale formaliter potest sumi, vt ens formaliter abstrahens ab actuali, & potentiali, & pro ente, quod est formaliter primum, vel formaliter secundum ens, itá possibile absolutum potest sumi pro possibili abstrahente à possibili in actu, & à possibili in potentia, & pro possibili formaliter secundo. Possibile abstrahens, nec reperitur in ente, quod dicitur de Deo, & creaturis, nec reperitur in Deo, vt suprà ostendimus præcedente articulo; sed in Deo reperitur possibile primum absolutum, & in creaturis reperitur possibile absolutum secundum. Ens verò reale vt sic, secundùm se dicit ens primum, & ens secundum, quæ sunt plura entia, quatenùs sunt vnum vnitate analogica per attributionem posterioris ad prius; est enim analogum effectus ad causam, quod in eo, in quo dicit prioritatem, dicit etiam posterioritatem. Cæterum si consideretur ens reale vt sic, vt est repræsentabile intellectui ex ente reali creato; sic est vniuocum logicum, & non analogum, vt suprà explicauimus, quod vt subest abstractioni, est prædicabile de Deo, & de creaturis vniuersaliter: vt cum dicimus, Deus, & creatura sunt ens reale: sicut cum dicimus; omnes homines particulares sunt vnus homo, quæ prædicata conueniunt enti reali in consideratione nostri intellectus ex creaturis; non autem

tem in modo essendi naturali in rebus ipsis; verùm si ens reale sumatur secundùm se, potest prædicari de Deo, & de creaturis simul, & vnitim, & seorsim, & diuisim; sed in diuerso sensu: etenim cum dicimus; Deus, & creaturæ sunt ens reale secundùm se; sensus est, quod Deus, & creatura sunt ens primum, & ens secundum, quatenùs sunt vnum per analogiam causæ ad effectus; cum verò seorsim ens reale prædicatur de Deo, vt cum dico, Deus est ens reale secundùm se; sensus est, quod Deus est ens primum: & cum dico; creatura est ens reale secundùm se; sensus est, quod creatura est ens secundum. Et radix huius diuersitatis est; quia ens reale aliam significationem habet extrà prædicationem, & propositionem, & aliam significationem formalem habet intrà significationem, & propositionem; quia extra propositionem, non habet in se vnde limitetur; quia omnis limitatio prædicati est à subiecto propositionis; intrà verò propositionem, limitatur, & restringitur à subiecto propositionis.

Secunda conclusio. Ens reale, quod dicitur de Deo, & de creaturis, siuè sumatur secundùm se, siuè vt cognoscibile ex creaturis, nimirum ex ente creato in generali, habet sui causam tantùm in cognoscendo. Causã in cognoscendo tantùm appello effectum, proprium causæ notiorem, & clariorem illa, qui quidem dicitur causa in cognoscendo tantùm; quia est medium, vt cognoscatur eius causa coniungi cum subiecto in conclusione, vt videre est in demonstratione à posteriori. Dicitur effectus proprius causæ; quia effectus sunt duplicis generis; alij sunt effectus communes, & non conuersibiles cum suis causis; alij sunt effectus proprij vnius determinatæ causæ. Effectus communis non infert vnam determinatam causam; quia cum vnus effectus communis possit dependere à pluribus causis diuisim, non habet necessariò connexionem, potius cum vna, quam cum alia causa, vt calor qui potest esse ab igne, & à viuente naturali; effectus verò proprius infert necessariò in conclusione suam causam determinatam; quia non potest esse nisi ab vna tantùm causa determinata, vt, v. g. materia prima non potest esse effectus, nisi tantùm primæ causæ; quia materia prima non est producibilis, nisi per creationem; at virtus creatiua non potest competere, nisi solùm primæ causæ. Cuius ratio est; quia causa creatiua est productiua entis realis ex nihilo formaliter inquantùm huiusmodi; quia est productio entis creabilis, seù producibilis ex nihilo subiecti; productio autem ex nihilo subiecti, tendit ad ens causabile in sua latitudine formali; quia non habet limitatiuum terminus producibilis, quod est subiectum: & hæc ratio ostendit etiam virtutem creatiuam, non esse communicabilem creaturæ, etiam vt causæ instrumentali, alioquin creatura posset creare seipsam; quia creatura adhùc est ens ex nihilo, siuè causabile, vt fusè probabitur suo loco.

His explicatis dicimus in conclusione; ens reale, quod dicitur de Deo, & de creaturis, siuè secundùm se, siuè, vt cognoscibile ex ente reali creato à nostro intellectu habere sui causam tantùm in cognoscendo, nimirum esse demonstrabile eius existentiam per suum proprium effectum.

Ostenditur conclusio: datur intellectus creatus; nam experimur nos intelligere, intelligere verò est actus intellectus; sed intellectus creatus necessariò supponit ens reale vniuersalissimum; nam intellectus creatus est ad intelligibile reale vt sic; hoc autem conuertitur cum ente reali vniuersalissimo; verum enim est passio entis quarto modo. Minor principalis argumenti probatur, primò; quia intellectus creatus est potentia cognitiua immaterialis, nimirum excludens à se dependentiam à materia; hæc autem potentia est ad obiectum reale vniuersalissimum; quia non habet in se vndè limitetur ad determinatum obiectum; nam limitatiuum actus, non est nisi materia; intantùm enim actus est hic, vel ille determinatus actus, inquantùm est actus huius, vel illius materiæ, v.g. anima rationalis, intantùm est hæc determinata forma, inquantùm est huius determinatæ materiæ. Secundò probatur; quia potentia intellectiua creata est suprema potentia cognitiua; hæc autem non est nisi ad verum reale formaliter; quia non est nisi ad verum supremum; hoc autem est verum reale vniuersalissimum. De his rationibus fusè dicetur suo loco.

(.·.)

AR-

## ARTICVLVS NONVS.

### An ens reale vniuersalissimum habeat sui causas complexas.

DEmonstrauimus præcedente articulo, non posse ens reale vt sic, habere sui causas incomplexas in essendo, quæ sunt causæ in cognoscendo, & in essendo simul; remanet examinare, an habeat sui causas complexas. Explicantur termini. Causæ aliæ sunt incomplexæ, & aliæ complexæ. Incomplexæ sunt simplex medium, quod est causa in essendo, vt prædicatum, siue passio, insit subiecto in conclusione, & hoc medium est simul causa in cognoscendo. Causæ verò complexæ sunt propositiones vniuersales per se noscibiles, quæ nimirum ex sola explicatione propria suorum terminorum, scilicet subiecti, & prædicati, concludunt, & declarant prædicatum in conclusione inesse suo subiecto, & hæ propositiones veritatem habent ex nuda veritate sui obiecti, iuxtà illud Aristotelis. Ex eo, quod res est, vel non est propterea vera, vel falsa est; nimirum illa propterea est vera, quæ significat, quod est, esse; & quod non est, non esse: illa verò falsa, quia significat, quod est, non esse; & quod non est, esse. Ex his propositionibus aliæ sunt primæ, & communissimæ, aliæ sunt secundæ. Primæ, & communissimæ sunt; quia concernunt ens reale vt sic, quod est reale vniuersalissimum; vt, v.g. impossibile est, idem simul esse, & nõ esse, vel idem secundùm idem esse verum, & falsum. Non posse idem secundùm idem esse in potentia, & in actu. Propositiones verò per se notæ secundæ sunt; quia concernunt ens determinatum, vt, v. g. totum esse maius sua parte, & huiusmodi.

De propositionibus per se notis doctissimè tractat Caiet. in *lib. 1. poste. cap. 3.*

Plures difficultates sunt apud Scholasticos de propositione per se nota, sed duæ sunt præcipuæ.

Prima est, an propositio per se nota secundùm se, sit ea tantùm, in qua prædicatum est intrà quidditatem sui subiecti, sicut animal, & rationale sunt intrà quidditatem hominis, & existentia est intrà quidditatem Dei.

Plures docti Scholastici, quos sequitur Hieronymus Fasolus *1. tom. in 1. par. S. Thomæ quæst. 2. art. 1. dubit. 2.* tuentur, propositionem per se notam secundùm se, esse solùm illam, in qua prædicatũ est intrà quidditatem sui subiecti, nimirum est prædicatum constitutiuum quidditatis sui subiecti, idque probat, & auctoritate S. Thomæ, & ratione; nam S. Thomas *art. 1. in corp. quæst. 2. 1. par.* Vtrum Deum esse, sit per se notum; postquam præmisit diuisionem per se noti, in per se notum secundùm se, & quoad nos loquens de propositione per se nota secundùm se, dicit quod ex hoc aliqua propositio est per se nota; quia prædicatum includitur in ratione subiecti, & exemplificat hoc in propositione, in qua prædicatum est constitutiuum essentiale sui subiecti, vt, v.g. est hæc propositio, homo est animal; si igitur, infert Fasolus, dicta propositio homo est animal, ex hoc est per se nota; ergo sine hoc nõ est per se nota, sicut si dicas, ex hoc alius syllogismus est demonstratiuus; quia constat ex necessarijs, expresè significans, syllogismum non constantem ex necessarijs, nõ esse demonstratiuum. Hoc ipsum clarius, inquit, docet S. Thomas *quæst. 10. de verit. art. 12.* paulòpost principium corporis. Ad hoc, quod aliquid sit per se notum, nihil aliud requiritur, nisi vt prædicatum sit de ratione subiecti, & huius hanc assignat rationem; tunc enim subiectum cogitari non potest sine hoc, quod prædicatum sibi inesse appareat. Ex hac auctoritate sic discurrit Fasolus; si hoc requiritur, & nihil præterea; ergo si hoc adsit, etiam si quodlibet aliud adsit non habebitur essentialis, & necessaria quidditas propositionis per se notæ. Insuper si proprium propositionis per se notæ est, vt subiectum cogitari perfectè non possit, sine hoc quod prædicatum ei inesse appareat; ergo in omni propositione per se nota, debet prædicatum includi in ratione subiecti; secùs posset perfectè cogitari subiectum, & non cogitari inesse illi prædicatum. Hic modus arguendi Fasoli sumptus est ex regula, qua Scholastici vtuntur ad cognoscendum, quænam sint prædicata constituentia essentialiter essentiam rei, nimirum illa sunt prædicata essentialia adæquatè constituentia essentiam rei, quibus positis, remoto quocumque alio, ponitur essentia, & vno illorum remoto, quocumque alio posito, non ponitur ea. Ratione etiam probari potest hæc opinio; quia per se notum excludit à se medium in essendo, vel causam in essendo, vt sit cognoscibile, sed hoc non habetur, nisi quando prædicatum propositionis est intrà quidditatem sui subiecti; hæc enim duo sufficiunt, vt sit propositio non scibilis per se, nimirum ex suis tantùm terminis.

Con-

Contrarium tuetur Caieta. *loco supra citat.* docens, propositionem per se notam secundùm se, esse non solùm illam, in qua prædicatum est constitutiuum intrinsecum quidditatis sui subiecti, vt est hæc; homo est animal, vel homo est animal rationale; sed etiam propositionem, in qua prædicatur immediata passio de suo subiecto, vt est hæc, homo est discursiuus esse per se notam secundùm se, & etiam nobis. Fundamentum Caietani est, hoc nimirum;per se notum non aliud importat, nisi quod non est notum per aliud, scilicet in quo prædicatum est essentialiter immediatum suo subiecto; nisi fiat quæstio de nomine, sed hoc habet suam latitudinem formalem; aliud enim est per se notum, scilicet notum non per aliud; quia in eo prædicatum est immediatè immediatione essentiali, & positiua infrà quidditatem sui subiecti, vt est hæc propositio, homo est animal rationale: & aliud est per se notum; quia in eo inest immediatè suo subiecto, scilicet non per aliam causam mediam; datur enim duplex causa vnius effectus, scilicet causa immediata, & remota, siuè causa mediata, & proxima, & huiusmodi est propositio, in qua prima passio prædicatur de suo subiecto; quia est immediatio virtualis, & causalis, & etiam immediatio positiua; in vtraque enim propositione prædicatum inest suo subiecto sine medio, vel non per aliud; secùs enim esset passio immediata sui subiecti. Neque Sanctus Thomas docuit oppositum cum dixit,ad propositionem per se notam secundùm se, non aliud requiri, nisi vt prædicatum sit in ratione sui subiecti, scilicet in definitione essentiali sui subiecti, vel cum dixit propositionem ex eo esse per se notam, nimirum tamquam ex causa adæquata, quod prædicatum includitur in ratione subiecti; nam dupliciter potest includi prædicatum in ratione subiecti, nimirum in definitione essentiali subiecti, vel in essendo, vel in causando, scilicet, vel in definitione subiecti,quatenùs est causa immediata sui prædicati; nam propositio per se nota immediata excludit medium prius in essendo in eo genere, in quo est per se nota; ad eum modum, v. g. quo quodlibet principium per se mutationis naturalis, est primum in eo genere, in quo est principium, quod si in alio genere, in quo non est principium habeat medium, non tollitur ab eo primitas in suo genere, vt diximus in Phys.

Neque primò dicas: prima, & immediata passio dicitur de suo subiecto in secundo modo dicendi per se; hic autem modus dicendi per se est mediatus; quia passio, quæ dicitur de subiecto in secundo modo per se, inest suo subiecto, medio prædicato formali, quod dicitur de subiecto in primo modo dicendi per se; passio enim specifica, quæ conuenit soli speciei, & omni inferiori illius speciei, consequitur subiectum ratione formæ, siuè differentiæ formalis, à qua est species formaliter. Et fortè hæc ratio mouet Aduersarios contrà Caietanum, asserentem,propositionem, in qua prædicatur prima, & immediata passio de suo subiecto, non esse per se notam secundùm se; quia scilicet habet ante se aliam propositionem continentem medium in essendo, vt passio insit suo subiecto; repugnat enim propositioni per se notæ esse demonstrabilem per aliam priorem in essendo, vt ex terminis ipsis notissimum est.

Respondeo, quod prima, & immediata passio de aliquo subiecto, dupliciter sumi potest; vno modo in ordinem ad suum subiectum, inquantùm est ens in essendo, scilicet,inquantùm est quoddam ens; alio modo in ordinem ad suum subiectum, inquantùm est causa immediata ipsius passionis. Primo modo, habet sui causam in suo subiecto, quæ est forma, siuè differentia formalis subiecti, & sic propositio, in qua prædicatur prima passio, & immediata de suo subiecto non est propositio immediata, siuè per se nota; at secundo modo, scilicet passio in ordine ad suum subiectum, quatenùs est causa ipsius passionis, sic est prædicatum propositionis per se notæ; quia nihil mediat inter subiectum, & eius primam passionem, quatenùs subiectum est causa passionis; nam subiectum est immediata causa; causa autem immediata negat aliam causam mediam, & immediatio sufficit, vt propositio, in qua prædicatur passio prima, & immediata de suo subiecto, sit propositio immediata, siuè per se nota, & rationem huius iam modo assignauimus; nam propositio per se nota, negat aliam priorem in essendo tantùm in eo genere, in quo est per se nota, siuè immediata, cui per accidens est, vt in alio genere habeat medium in essendo, vel propositionem priorem in essendo.

Instabis: medium in demonstratione à priori,est definitio subiecti;sed definitio mediat inter subiectum, & passionem in conclusione; ergo, &c.

Re-

Respondeo, medium in demonstratione, qua demonstratur passio prima de suo subiecto, esse definitionem subiecti, inquantùm est causa immediata primæ passionis propositionis per se notæ, & non definitionis subiecti, inquantùm est quoddam ens, vt modo diximus. Subiectum, inquantùm est quoddam ens, continet in se causam passionis; quia causat illam media sua forma, vel differentia formali; sed subiectum, vt est causa immediata, non causat passionem alia media causa, & definitio subiecti inquantùm est causa immediata suæ passionis, facit propositionem per se notam, & immediatam cum sua passione: & hæc est ipsissima doctrina S. Thomæ, & Caietani; nam propositio per se nota, seù immediata in opinione vtriusque est, in qua passio includitur in definitione subiecti; sed in eo genere, in quo est per se nota, & immediata; non autem in alio genere, in quo non est per se nota, vel immediata.

Neque secundò dicas cum Ariminensi, & alijs, passio prima, & immediata est accidens; subiectum verò potest esse substantia; sed accidens non ponitur in ratione subiecti, quod est substantia; quia substantia præsertim creata non est actiua, & consequitur non potest esse propter per se nota in genere causæ influentis.

Respondeo, duplex esse accidens aliud proprium, & aliud commune; accidens proprium necessariò includitur in definitione sui subiecti, quatenùs est ipsius causa immediata, non autem in definitione substantiæ, quatenùs est quoddam ens. Distinctio hæc intelligenda est modo, quo supra, nimirum substantiam creatam posse sumi, vt est ens quoddam, scilicet vt ens per se, & vt causa intrinseca immediata. Cum enim dicit opponens, quod substantiæ creatæ contradicit actiuitas immediata in opinione Sancti Thomæ; vera est hæc propositio de causa extrinseca, & de causa media actione, non autem de causa actiua intrinseca, & per naturalem sequelam, vt suo loco dicetur fusè; substantia autem creata est causa intrinseca, & per naturalem sequelam suæ passionis, non verò media actione.

Hac distinctione etiam soluitur argumentum, quod Fasolus *loco sup. cit.* refert esse Capr. Siluest. & aliorum, quo probant propositionem, in qua prima passio prædicatur de suo subiecto, non esse per se notam; quia hæc propositio potest demonstrari per definitionem passionis, sic: omne aptum ad discurrendum est discursiuum, omne animal rationale est aptum ad discurrendum; ergo omne est rationale est discursiuum; nam inquit Fasolus cum citatis Auctoribus, hanc non esse demonstrationem à priori, & per causam passionis; quia inquit, aptitudo ad discurrendum, non est causa homini, vt habeat discursiuitatem; quia est ipsamet aptitudo ad discurrendum, & ideò non destruit propositionem per se notam secundùm se, sicut neque tollit propositionem immediatam, & per se notam.

Respondet Fasolus, quod dicta propositio non est per se nota; quia hæc debet esse ea, in qua prædicatum includitur in ratione subiecti, itaùt subiectum cognosci nequeat sine suo prædicato, &c.

Sed hæc responsio non est ad rem. Primò; quia actus discurrendi non est prima, & immediata passio sui subiecti; sed immediata passio est aptitudo ad discurrendum. Nos autem hìc loquimur de propositione, in qua, prima, & immediata passio dicitur de suo subiecto; quia propositio est immediata, & per se immediatione causæ, non immediatione essentiali, & constitutiua.

Secundò; quia propositio per se nota est, in qua prædicatum includitur in ratione subiecti, sed hoc habet latitudinem.

Tertiò: propositio per se nota negat propositionem priorem in essendo in eo genere, in quo est prima, non autem in alio genere, in quo non est per se nota, & immediata; nam certum est, vt diximus, quod propositio per se nota in alio genere potest esse mediata, & non per se nota.

Ex hac doctrina colligitur, definitionẽ propositionis per se notæ, & immediatæ secundùm se, quam tradit S. Thomas *loc. sup. cit.* esse veram, & adæquatam definitionem propositionis per se notæ, si intelligatur de propositione per se nota in suo genere, non autem in alio genere: & re vera intelligendus est S. Thomas de definitione propositionis per se notæ in suo genere, & de inclusione prædicati in definitione essentiali sui subiecti, sed in generali.

Solùm remanet circà hoc, soluendum dubium de propositione, qua vnum prædicamentum negatur de alio; an sit intrà latitudinem formalem propositionis per se notæ secundùm se, de quo est aliqua controuersia; equidẽ puto definitionẽ propositio-

tio-

tionis per se notæ allatam à S. Thoma, verificari etiam de propositione, in qua vnum prædicatum negatur de alio; nam satis est, vt prædicatum, vel sit immediatum vnitum subiecto, vel sit exclusum immediatè à suo subiecto. Et probatur; quia satis est, vt prædicatum propositionis per se ingrediatur definitionem sui subiecti in eo genere, in qua est propositio per se, & immediata, siuè, vt inclusum, siuè, vt exclusum in definitione subiecti; eadem enim est causa oppositorum, sed alio, & alio modo; vnius effectus enim immediati, est causa immediata influendo in illum; alterius verò illum excludendo immediatè, sed hic est vltimus gradus propositionis per se notæ.

Propositio enim per se nota in genere, est, in qua prædicatum non includitur in ratione sui subiecti, nimirum in definitione essentiali sui subiecti, præscindendo à quolibet modo inclusionis essentialis. Et ratio est; quia propositio per se nota, dicitur ex eo quia est cognoscibilis non per aliud, siuè non per medium, sed hæc per se cognoscibilis ex eo oritur, tamquam à prima radice; quia prædicatum propositionis includitur in definitione essentiali sui subiecti, nimirum quia prædicatum est pars definitionis essentialis sui subiecti, sed pars essentialis definitionis est seipsa, & sine medio pars essentialis; ergo propositio per se nota est, in qua prædicatum includitur in definitione essentiali sui subiecti; diuiditur verò propositio per se nota in propositionem, in qua prædicatum includitur in ratione sui subiecti, vt pars essentialis sui subiecti, vt est hæc, homo est animal, vel, homo est animal rationale; alia est, in qua includitur prædicatum in ratione sui subiecti, vt eius effectus formalis, & necessarius, & hæc homo est aptus ad ridendum; nam per se notum non reperitur, nisi vbi adest necessaria veritas, & illa quidem immediata inter subiectum, & prædicatum; ac proindè in veritatibus contingentibus, prout contingentes sunt, non potest esse ratio per se nota; sicut nec in veritatibus, & propositionibus mediatis, vt mediatæ sunt, quandoquidem perseitas dicit necessariam connexionem prædicati cum subiecto, & alia propositio per se nota est, in qua prædicatum immediatè, & per se negatur de suo subiecto, nimirum in qua prædicatum ingreditur rationem sui subiecti, nimirum definitionem, vt exclusum à subiecto, v. g. est propositio, in qua negatur vnum genus prædicamentale de alio, vt est hæc substantia, non est quantitas, neque qualitas; substantia enim est ens per se; ens autem per se, non est ens inhærens alij subiecto inhæsionis. Huic doctrinæ videtur obstare exemplum, quod Sanctus Thomas affert 1. *par. quæst. 3. art.* 1. ad manifestandum, quæ sit propositio per se nota; dicit enim, quod propositio per se nota est, in qua prædicatum includitur in definitione subiecti, vt animal in definitione hominis. Sed hoc non obstat, nam exemplum allatum est ad declarandum inclusionem, non autem modum inclusionis prædicati in ratione subiecti, & hoc est per se euidens; nam Sanctus Thomas definiens propositionem per se notam, definit illam, in qua prædicatum ponitur in ratione subiecti, in qua definitione non explicatur modus, quo prædicatum ingreditur rationem sui subiecti, qui triplex esse potest, vt diximus, neque ad explicandam rationem alicuius generis requiritur, vt ea manifestetur in omnibus suis speciebus; sed satis est, vt in aliqua sui specie explicetur,

Videtur obstare secundò argumentum; passio prima, & immediata demonstratur per definitionem sui subiecti à priori; sed definitio mediat inter subiectum, & passionem primam. Secundò per se notum, est esse notum, siuè noscibile non per aliud; sed connexio passionis primæ cum suo subiecto, demonstratur per causam existentem in suo subiecto, quæ est definitio essentialis sui subiecti.

Respōdetur primò, concedo minorem, & nego maiorem; nam definitio, & definitum, sunt idem à parte rei cognoscibilis, non autem sunt diuersæ formalitates; nam definitionem, & definitio sunt prædicata; quia conueniunt rei respectu nostri modi intelligendi; definitum enim dicitur id, quod confusè cognoscitur; definitio autem dicitur eiusdem clara, & distincta cognitio; nos autem hìc loquimur de per se noto secundùm se, quod est prædicatum conueniens rei absolutè, secundùm sua essentialia præcisè.

Ex his tribus propositionibus per se notis; propositio, in qua prædicatum includitur in ratione sui subiecti, tamquam constitutiuum essentiale, est perfectissima species propositionis per se notæ; aliæ duæ sunt imperfectæ, non quidem imperfectione essentiali; sed imperfectione intensiua, nimirum quantùm ad modum intensionis. Doctrinam hāc sequuntur in re ferè omnes Thomistæ antiqui, vt Ferrariensis 1. *contra* gen-

*gentes cap.* 11. Capreol. in 1. *fenten. distinct.* 2. *quæst.* 2. *art.* 1. *&* 3. Syluester *tom.* 1. *conflict. quæst.* 2. *art.* 1. & alij.

His explicatis inquiritur in articulo, an ens reale vniuersalissimum habeat sui causas complexas, & quas, quod quæsitum examinandum proponitur; quia est necessarium, vt ens reale vniuersalissimum possit esse obiectum vnius scientiæ, quam nos appellamus metaphysicam vniuersalissimam.

Prima conclusio, ens reale vniuersalissimum habet sui causas complexas, non quidem in eo sensu; quia connexio prædicati cum subiecto, seù quia veritas conclusionis obiectiua pendeat ex illis, tamquam principijs vniuersalissimis in essendo; sed tantùm declaratiuè; quia scilicet prædictæ propositiones vniuersalissimæ, tales sunt, quæ sola explicatione propria suorum terminorum exponunt, & declarant connexionem prædicati cum suo subiecto, vel disunionem prædicati à subiecto, & quæ etiam declarant exclusionem entis à non ente; quia est prima veritas obiectiua; hæc conclusio certissima est apud omnes, qui rectum rationis vsum habent, vt loquitur Aristoteles; nam delirarunt aliqui ex antiquis, confundentes contradictoria, & dicentes, quod nihil prohibet idem esse simul verum, & falsum. Explico conclusionem; ens, qua ens formaliter dicitur, quod est extrà suum nihilum realiter; quia per suam intrinsecam entitatem, siuè per affirmationem obiectiuam sui esse, excludit suum non ens. Super hoc fundamento fundantur multæ propositiones vniuersales, quæ sunt veluti regulæ, quibus declaratiuè probatur, non ostensiuè, quod ens excludat suum contradictorium non ens; verè tamen causæ non sunt, sed solùm declarationes.

Fundamentum conclusionis est. Si quis proferat, v. g. quodlibet, aut est, aut non est, impossibile est idem secundum idem esse simul verum, & falsum; veritas harum propositionum petenda est ab ipso obiecto, non autem ab aliqua causa in essendo; quia ens, vt probauimus articulo præcedente, non habet sui causam in essendo; ergo hæc prima principia declarant solùm non causant veritatem, exclusionis non entis ab ente; similiter si quis probet animal rationale, esse essentiam hominis, vel quia animal rationale in homine, est primum omnium, quæ sunt in homine, vel ex principio vniuersalissimo; quia primum in re est essentia rei, vel ex alio principio vniuersalissimo; illa sunt prædicata essentialia, constituentia essentialiter essentiam; quibus positis, & remoto quocumque alio ponitur essentia, & quibus remotis, vel vnum eorum remoto, positis quibuscumque alijs, non ponitur essentia; sed positis his prædicatis solùm, & remoto quocumque alio ponitur homo; quia his tantùm prædicatis ponitur species tantùm distincta à brutis; veritas harum propositionum, non petitur ab aliqua causa in essendo, sed ab ipsomet obiecto, de quo sunt propositiones, nec continent causam in essendo connexionis prædicati cum subiecto; sed solùm declarant connexionem prædicati cum suo subiecto in conclusione.

Hinc intelligis quomodo metaphysica per principia complexa, non probet ostensiuè; nam probare ostensiuè est afferre causam in essendo connexionis prædicati cum subiecti; in his verò principijs complexis nullam continetur causa in essendo; sunt enim propositiones vniuersalissimæ, & per se notæ; sed solùm declaratur, & explicatur connexio prædicati cum suo subiecto, & ideò hæc probatio, non est ostensio, sed potius reductio ad impossibile; quia his principijs immedium adductis; manifestatur contradictio entitatiua esse, & non esse; vndè compellitur Aduersarius, vt hac euidenti manifestatione facta, concedat contradictoria non se excludere.

Secunda conclusio. Hæc probatio per prima, siuè vniuersalissima, siuè per propositiones per se notas, dicitur esse per principia, & causas, non quidem in cognoscendo tantùm; quia causa in cognoscendo tantùm, est effectus proprius causæ, neque est per causam in essendo; quia hæc excluditur à propositionibus per se notis, siuè illæ sint primæ, siuè secundæ, sed tantùm dicitur probatio declaratiua, est explicatiua, & etiam dicitur probatio per reductionem ad impossibile.

Fundamentum conclusionis est; quia huiusmodi propositiones vniuersales, & per se notæ, declarant exclusionem entis à suo non ente, non causant. Exclusio non entis ab ente effectus causalitatis est; quia est per contradictoria, sed exclusio est immediata, non mediata, & ideò non est in ente causa media, vt excludat subiectum ens.

Dicet fortè Aduersarius, quod hæc probatio est per causam; quia veritas princi-

ci-

cipiorum mensuratur ab obiecto; sed obiectum, seù mensura, est causa; ergo.

Respondetur, quod hæc probatio tantùm declarat causam, sed non continet causam exclusionis non entis ab ente. Probatio autem ostensiua debet esse per mediũ, quod est causa in essendo. Verum quidem est, propositionẽ esse veram, vel falsam, ex eo quod res est, vel non est, quod appellant veritatem propositionis mensurari ab obiecto, sed hoc probat tantùm, veritatem propositionis esse veritatem effectus per causam, nõ autem probat propositionem continere in se causam, vt ens excludat suum non ens: præterea hoc non tollit propositionem esse per se notam; quia veritas propositionis per se notæ, est immediatus effectus sui obiecti.

Tertia conclusio. Hęc principia prima sunt illa omnia, quæ concernunt ens, inquantùm ens in sua prioritate, scilicet secundùm quod præcisè ens est, & huiusmodi sunt sine dubio hæc. Quodlibet aut est, aut non est. Impossibile est, idem secundùm idem simul esse, & non esse. Non potest idem secundùm idem, esse simul in potentia, & in actu. De quodlibet, aut verum est affirmare, aut negare. Hæc conclusio controuersa est; putant enim nonnulli, omne totùm esse maius sua parte, esse primum principium ea primitate, qua est illud; impossibile est idem secundùm idem simul esse, & non esse; sed hæc opinio sola explicatione terminorum reijcitur; quia principium primum est, quod concernit ens, inquantùm ens; quia ens est conceptus primus omnium in quocumque ente; primus enim transitus ad non ens, est ad ens; at totalitas aliquid superaddit enti præcisè sumpto, vndè non habet hoc principium primitatem vniuersalissimam. Ità discurrendum de alijs principijs. Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia; in ente enim præcisè sumpto non est numerus, neque partitio, neque totum, neque pars, & consequenter nec est æqualitas, nec inæqualitas; ac proindè hęc principia non sunt prima summa primitate.

Ex his deducitur quomodo veritates inferiores in scientijs inferioribus metaphysica reducuntur adhæc prima principia; fit verò hæc reductio. Primum; quia nisi ens suo non enti contradiceret, nihil simpliciter esset, & consequentur omnis veritas tolleretur; per hoc igitur veritates omnes in speciali ad contradictiones entis cum non ente reducuntur. Præterea in speciali, si dicatur, v. g. aliquid, quod falsum est, tamquam verum; falsitas euidentissimè manifestatur per hoc; quia idem secundum idem simul esset, & non esset: ostensa enim veritate causæ, si sub causa sumatur effectus non suus, idem secundùm idem simul esset, & non esset; esset quidem ex suppositione, non esset verò simpliciter; quia subsumeretur effectus sub causa non sua, qui processus valdè materialis est, & fundatur in hoc; quia veritas effectus habetur per esse suum, quod pendet à sua causa; aliter, vt diximus, esset simul secundùm idem effectus, & non esset effectus; si enim causa sua non est, non est effectus, & tamen supponitur esse.

Multa alia inquiri possunt de ente reali vniuersalissimo, quod opponitur nihilo impossibili; nimirum, an ad essendum, hìc, vel ibi, secluso quocumque corpore extrinseco, siuè quacumque superficie extrinseca corporis continentis; satis est dari spatium possibile, vel infinitum in actu, vel infinitum in potentia. Ratio pro parte affirmante esse potest; quia præscindendo à quocumque superficie continente actuali, datur denominatio essendi hìc, vel ibi realiter; verè enim nec fictitiè, nec chimericè denominatur hic mundus esse hìc, etsi creatus fuisset, vbi potest creari alius mundus, nec chimericè, nec fictitiè esset alibi, denominatio autem essendi hìc, vel alibi, inuoluit terminum extrinsecum immobilem; hic autem terminus non potest esse alius, nisi spatium realiter possibile vndequaque; quia ad denominationem realem essendi hìc, requiritur terminus realis extrinsecus. Maior manifestatur, & probatur simul; quia potest Deus creare alium mundum contiguum isti; hic mundus autem esset in termino contiguo realiter, probatur; ponamus quod Deus de facto creet duos mundos; certè post vnum mundum est alius. Deindè ponamus, quod Deus faciat, vt vnus mundus penetret se cum alio immobili, sine dubio mundus hic, nunc est intrà alium mundum, vbi ante erat extrà; ergo istæ denominationes reales sunt, non fictitiæ, & chimericæ; ergo debet assignari terminus extrinsecus immobilis; hic autem non potest esse alius, nisi spatium reale possibile, quæ opinio si vera sit, valdè conducit ad probandum, Deum esse actu positiuè extrà Cælum; nam ratio mouens plures doctos Theolo-

gos, & Metaphysicos ad negandum, Deum de facto esse positiuè extrà Cælum; quia extra Cælum est negatio realis omnis spatij positiui; Deus autem non est in nihilo, sed de hoc quęsitum, quod valdè curiosum est, fusè disputabitur suo loco. Est etiam aliud quæsitum vtrum esse ens reale oppositum nihilo impossibili sufficiat, vt nihilum reale positiuum sit intrinsecè cognoscibile, saltem materialiter; sed directè, de quo, quid sentiendum diximus suprà, nimirum sufficere nihilo reali positiuo esse ens intrinsecè reale oppositum nihilo impossibili, vt sit cognoscibile materialiter, sed directè ab intellectu creato; essent, & multa alia inquirenda, sed iam dicta sufficiunt, vt de omnibus suis locis distinctè disputetur.

# QVÆSTIO TERTIA.

## DE METAPHYSICA VNIVERSALISSIMA.

### De ente reali positiuo, & eius modis intrinsecis essendi.



Quæstionem hanc plures Metaphysici confundunt cum quæstione de ente reali positiuo formaliter, & de ente reali positiuo materialiter; sed decipiuntur: quoniã omnes Metaphysici reales concedunt in entibus realibus realiter modos intrinsecos essendi, & operandi reales; sed non omnes dicunt modos intrinsecos essendi, & operandi realiter, esse ens materialiter. Quod si prædictæ quæstiones confunderentur, vel eædem essent, idem esset quærere, an dentur modi essendi, & operandi reales; ac inquirere an dentur realiter entia materialiter, & in creatis, & in Deo. Appello ens formaliter, quod sua ratione formali est extrà nihilum possibile, siuè reale, vel, vt alij loquuntur, quod sua entitate est extrà nihilum possibile. Ens verò materialiter appello, quod est extrà nihilum reale, siuè possibile, non entitate propria, aut sua ratione formali; sed solùm entitate, siuè ratione formali sui veluti subiecti, quod communiter appellant modificatum. Quæ est acutissima doctrina Scoti; nec aliena à doctrina Doctoris Angelici; eam enim priùs docuit Doctor Angelicus, sed non longo, aut diffuso sermone, sicut Scotus. Omne ens reale positiuum modificatum, siuè modo diuidente, siuè modo adæquante, est ens reale formaliter; omnis verò modus intrinsecus essendi, vt infrà ostendam cum Scoto, & Scotistis, est ens materialiter, v.g. perseitas, & inaleitas, aptitudinales. Hoc quæsitum valdè difficile, & controuersum, est; sunt enim ex doctissimis Metaphysicis, qui mordicùs contendunt, modos intrinsecos essendi, & operandi entis, & causæ realis, esse adhùc ens formaliter, sed differenter ab ente, quod modificatur; opinantur enim ens reale formaliter diuidi intrinsecè in ens reale, & in tale ens reale, v. g. in substantia creata distinguunt ens, & tale ens: ens appellant, quod est diuisum per perseitatem aptitudinalem; perseitatem verò aptitudinalem appellant tale ens; ex opposito autem Scotus cum suis, vt dicam infrà, in articulis, vult ens in substantia, & accidente esse ens formaliter; perseitatem verò, & inalei-

leitatem, aptitudinales, esse ens tantùm materialiter, nimirum esse ens tantummodò entitate entis diuisi. In hac quæstione duo accuratè examinantur. Primum est, an actu dentur in rebus isti modi intrinseci essendi, & operandi.

Secundò, an isti modi sint ens reale tantùm materialiter; an verò ens formaliter, nimirum an sit formaliter tale ens, quod est esse ens entitate propria, quam aliqui appellant entitatem modalem; & hæc duo discutientur priùs in ente creato, quàm in ente increato; non autem in ente reali positiuo vt sic; quia huiusmodi ens reale positiuum commune Deo, & creaturis secundùm se, & realiter, non datur, vt ostendimus præcedente quæst.

---

## ARTICVLVS PRIMVS.

### Vtrum in entibus creatis dentur modi intrinseci reales essendi, & operandi: & an isti sint ens formaliter, vel ens tantùm materialiter.

IN hoc articulo contentio est non solùm cum Nominalibus, qui, vt osores rerum, negant in rebus realibus positiuis, non solùm omnes modos extrinsecos, vt sunt, motus, vnio, actio, &c. sed etiam modos intrinsecos essendi, & operandi realiter. Eorum fundamentum præcipuum de modis extrinsecis est; quia putant modos omnes extrinsecos saluari per sola connotata extrinseca realia. Fundamentum verò præcipuum de modis intrinsecis est; quia omnes isti modi intrinseci saluantur per realitatem essentialem; essentia enim realis est, quæ potest realiter existere ex suis intrinsecis; non potest autem realiter existere ex suis intrinsecis, nisi sit essentialiter determinata; determinatio verò est essentialis realitas; ens enim indeterminatum, sicut, & ens commune non est capax realis existentiæ; istæ autem realitates essentiales appellant Nominales, modos intrinsecos essendi, de quibus plenus sermo erit in quæst. de essentia, & existentia.

Sed etiam præcipuè contentio est cum Metaphysicis realibus, qui ponunt quidem in rebus realibus modos reales intrinsecos essendi; nimirum independenter ab intellectu fingente; verùm non est vnus illorum sensus; aliqui enim dicunt, prædictos modos essendi esse suis rationibus formalibus tale ens, nimirum esse ens realitate, & entitate propria, quam appellant tale ens; alij verò, quos sequemur, contendunt, modos omnes reales intrinsecos essendi, & operandi esse intrinsecè ens, entitate solummodò sui modificati, de quibus quæsitis acutissimè, & fusissimè disputat Scotus cum suis, & Durandus, locis infrà citandis.

Prima conclusio. In entibus realibus positiuis creatis dantur realiter modi essendi intrinseci; præscindendo nunc, an isti modi intrinseci essendi, & operandi, sint reales realitate tantùm modificati; an realitate, vel entitate propria, quam alij appellant entitatem modalem, alij taleitatem realem formaliter.

Loquor in hac conclusione, tàm de modis intrinsecis diuidentibus, quàm de modis intrinsecis adæquantibus. *Modi intrinseci diuidentes* sunt, quibus *diuiditur* ens creatum, v. g. in decem prima genera prædicamentalia; modi verò intrinseci adæquantes ens, in opinione Scoti, & S. Thomæ, sunt passiones entis, vt videre est apud S. Thomam 1. *par. quæst.* 5. *art.* 3. *ad* 1. vbi dicit, quod substantia, quantitas, & qualitas, & ea, quæ sub eis continentur contrahunt ens; applicando ens ad aliquam quidditatem, seu naturam. Bonum autem addit tantùm suprà ens rationem appetibilis, & perfectionis, quæ competit enti, in quacumque natura sit; quia competit enti, *inquantùm* ens formaliter, & actu. Qualitas, quantitas, & substantia continent modos intrinsecos, quibus diuidunt ens. Bonum verò, est modus, non diuidens, & contrahens ens, sed adæquans ens, vt sequela illi adæquata; quia non excedit ens, neque ab illo exceditur, vt suo loco probabitur cum eodem S. Thoma. Conclusio hæc est omniū Metaphysicorum realium, contrà Nominales, è medio tollentes omnem modum realem, tàm extrinsecum, quàm intrinsecum in rebus creatis, vt suprà innuimus.

Aliqui Metaphysici reales probant hanc conclusionem hoc medio. In natura rerum extrà Deum datur ens reale intrinsecè, & realiter diuisum in decem prima genera prædicamentalia, qualia sunt substantia, quantitas, qualitas, &c. in quibus reperitur intrinsecè diuisum ens reale; sed hęc diuisio non potest esse, nisi per modos intrinsecos reales, per se primò diuersos; ergo, &c.

Sed hæc ratio non est vniuersalis, demon-

monstrat enim dari tantùm modos intrinsecos entis diuisiuos; in conclusione autem dicimus dari modos intrinsecos entis, tàm diuisiuos, quàm non diuisiuos, quales sunt modi intrinseci adæquantes ens, vti sunt passiones entis trascendentales, quæ adhùc sunt modi intrinseci reales, vt quæstione de passionibus entis ostendetur.

Prima, ergo ratio vniuersalis conclusionis est; quia dato vno contrariorum in rerum natura debet dari, & aliud; contrarietas enim adminus requirit duo; sed datur in natura rerum creatarum ens reale formaliter, quod est vnum contrariorum extra nihilum possibile; ergo datur etiam aliud contrarium, quod est ens materialiter, quod scilicet est tantummodò ens entitate sui velati subiecti; sed ens reale materialiter est modus intrinsecus; quia est intrinseca determinatio realis realitate sui modificati, qui ens est intrà entitatem modificati; hanc autem determinationem, appello modum intrinsecum entis, siuè essendi; ergo dantur in rerum natura modi intrinseci essendi reales.

Secunda ratio generalis est; quia dantur in rebus creatis modi reales extrinseci, qui sunt taleitates, siuè determinationes, sed extrà entitatem modificati, vt motus, vnio, extentio localis in actu, &c. sed modus extrinsecus realis, necessariò supponit modum intrinsecum in suo modificato; ergo dantur modi essendi reales intrinseci. Minor probatur, quoniam omne posterius supponit suum prius; sed modus realis extrinsecus, est posterior in modificato, quam sit modus essendi intrinsecus; quia modus intrinsecus est immediatius enti, quod modificatur, & est prior in vnoquoque, quam sit modus essendi extrinsecus; quia est intrà entitatem modificati; hac ratione verum est prius, quam bonum in ente; quia est immediatius enti, quod est primum, quam sit bonum; verum enim competit enti, inquantùm ens præcisè, & absolutè; bonum verò competit enti, secundùm quod est in actu, vt ostendit S. Thomas 1. *par. quæst.* 16. *art.* 4. *in corp.*

Tertia ratio generalis est; quia modus realis entis diuisibilis est in modum realem intrinsecum, & in modum realem extrinsecum; modus enim realis præscindit formaliter ab vtroque, solùm enim dicit in suo essentiali determinationem entis realis; sed quodlibet genus in vniuersitate creaturarum debet esse completum formaliter; hoc enim exigit vniuersi perfectio; ergo data vna differentia diuidente, datur, & alia intrà idem genus; ergo dantur in rebus creatis, non solùm modi reales essendi extrinseci, sed etiam modi reales essendi intrinseci, nimirum modi reales intrà entitatem modificati, & modi reales extrà entitatem modificati.

Sunt, qui possunt dicere hoc argumẽtum non conuincere; quia potest saluari genus in vna tantùm specie, neque vna differentia diuidens dependet ab alia; ergo data diuisibilitate vnius generis per suas differentias, non sequitur necessariò dandas esse duas species sub vno genere, aut actu dari duas differentias actu, diuidentes vnum genus; vndè dato modo extrinseco, quæ est vna differentia diuidens modum vt sic, non necessariò sequitur dari modum intrinsecum, quæ est alia differentia vi huius argumentationis; sed hæc ratio non concludit primò; nam data vna differentia sub vno genere, non est danda alia vi huius argumentationis, ex eo quod genus exigat, vt actu diuidatur per plures differentias; sed danda est alia differentia actu, ex eo quod quodlibet genus debet esse completum formaliter ob perfectionem vniuersi, nimirum debet esse diuisum actu suis differentijs formalibus, non autem differentijs materialibus, vti sunt differentiæ indiuiduales intrà eandem speciem athomam.

Secũda cõclusio, ex ratione quidditatiua modali modi intrinseci entis, nõ sunt ens formaliter, sed tantùm ens materialiter; sensus huius conclusionis est hic, quod modi essendi intrinseci, non sunt ens sua ratione formali, siuè entitate propria non sunt ens, scilicet per hoc autem non tollitur, quin sint tantùm ens intrinsecè quidem; sed entitate suorum modificatorum, conclusio valdè cõtrouersa est, eamque fusè pertractat Suarez 1. *tom. suæ metaph. disp.* 2. *sect.* 5. *à num.* 1. & est expressa, & acutissima sententia Scoti *in* 1. *sent. dist.* 3. *quæst.* 3. *& dist.* 8. *quæst.* 2. *& in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 6. & alijs in locis, qui docet ens nimirum formaliter, non includi in modis intrinsecis, quibus ad prima decem genera determinatur, neque in suis proprijs passionibus, quæ cum ipso conuertuntur, vt sunt vnum, verum, & bonum, de quibus opinatur ipse esse positiuas, & reales proprietates, vt videre est in 2. *dist.* 3. *quæst.* 1. *ad argumenta*, neque in vltimis differentijs, quod autem intelligat Scotus per vltimas differentias infrà explicabo.

Complures docti Metaphysici opinantur hanc Scoti sententiam esse implicantem in terminis, & intolerabilem, quoniam ex ea sequitur modos intrinsecos entis esse intrin-

trin-

trinsecè non ens; hoc autem implicat,& est intolerabile; quia modus intrinsecus entis est intrà ens; implicat autem non ens formaliter esse intrà ens cum sint contradictoria formaliter.

Sed qui sic opinantur, non assequuntur mentem acutissimi Scoti; non enim Scotus sentit, modos intrinsecos entis realis, & positiui, cum dicit, modum intrinsecum entis, non esse ens formaliter, esse formaliter non ens, quæ est negatio entis formaliter; sed solùm contendit, modum intrinsecum entis sua ratione formali, non esse ens, scilicet extrà nihilum reale, id quod non tollit quin modus intrinsecus sit ens intrinsecè alio modo, nimirum entitate intrinseca sui modificati, quod est esse ens intrinsecè, sed materialiter, quod est valdè diuersum ab esse non ens intrinsecè, & absolutè; vel, vt loquuntur extrà propositionem, aut diuisionem; etenim non ens est sola negatio entis realis positiui, quæ negat omne ens, tàm formaliter, quàm ens materialiter: verùm non esse ens sua ratione formali, tollit solùm, vt modus intrinsecus sua ratione formali non sit ens, sicut est ens modificatum, sed non tollit quin remaneat ens intrinsecè quidem, sed materialiter, nimirum entitate, siuè ratione formali sui modificati, & hoc clarè intelligitur auferendo æquiuocationem à non ente formaliter; dupliciter enim potest intelligi, vt supradixi, modum intrinsecum non esse ens formaliter. Primò; quia est negatio entis formaliter, nimirum carentia entis, quod est ens sua ratione formali. Secundò; quia modus sua ratione formali, quæ est pura determinatio, siuè modalitas, non est ens, sicut est ens suum modificatum; acutissimus Scotus docens modos intrinsecos entis non esse ens formaliter, sumit non ens formaliter secundo modo, non primo.

Oppositam sententiam mordicùs defendit Suarez *loco sup. cit.* complures doctos Metaphysicos. Conclusio duas habet partes, prima asserit modos intrinsecos reales positiui formaliter, scilicet suis puris rationibus formalibus, non esse ens formaliter, sicut est ens modificatum. Secunda asserit modos intrinsecos entis realis positiui esse intrinsecè ens materialiter, nempè entitate, siuè ratione formali sui modificati, quod est veluti subiectum, & materia ipsius modificati.

Prima pars conclusionis probatur: modus intrinsecus entis contradiuiditur à differentia formali in ratione determinationis; nam tàm modus intrinsecus, quàm differentia formalis sunt formaliter determinatio, sed differentia formalis sua ratione formali est ens reale; quia differentia formalis est gradus formæ; forma autem est formaliter ens, cum sit formaliter principium essendi; ergo ex opposito modus intrinsecus entis formaliter, scilicet sua ratione formali, non est ens; oppositorum enim oppositæ debent esse rationes, & vnum oppositorum sua ratione formali, excludit à se rationem formalem alterius.

Secunda pars, adhùc probatur, modus intrinsecus entis realis est intrinsecè,& realiter ens; sed non est formaliter ens reale; ergo est materialiter ens reale; ens enim reale adæquatè diuiditur in ens formaliter, & in ens materialiter; quia reducuntur ad terminos contradictorios, inter quos nihil medij esse potest, sicut substantia, & accidens adæquatè diuidunt ens reale; quia reducuntur ad contradictoria, inter quæ non potest esse medium, quod enim est per se, non est in alio, vt subiecto inhæsionis, & quod est in alio, vt subiecto inhæsionis, non est per se; at modus essendi intrinsecus entis, formaliter non est ens, secùs esset differentia formalis, quod implicat; quia ens non habet differentias, neque diuisiuas, neque adæquantes; differentiæ enim formales sunt extra quidditatem generis; nihil autem potest extrà quidditatem entis formaliter, nisi solùm non ens, quod est negatio, & carentia non entis formaliter, cum ens formaliter sit vniuersalissima ratio essendi extrà nihilum, vt docet Aristoteles in *libris metaphysicorum*.

Neque hæc doctrina contraria, est doctrinę Scoti explicatæ in conclusione dicentis *locis sup. cit.* ens non includi in differentijs vltimis, nam differentiæ vltimæ, adhùc differentiæ sunt potest dicere Aduersarius; at differentia, vt differentia formaliter, est ens; ergo modus intrinsecus non distinguitur à differentia formali; quia hæc formaliter est ens extrà nihilum; modus verò formaliter non est ens, scilicet sua ratione formali.

Non, inquam, contrariatur Scoto, & ratio, quæ nunc occurrit est; nam differentiæ vltimæ sunt differentiæ indiuiduales, non autem differentiæ formales athomæ, siuè specialissimæ; nam hæ sunt formaliter ens; differentiæ verò materiales non sunt formaliter ens: & ratio huius diuersitatis est; quia differentiæ formales sunt formaliter gradus formæ, quæ est principium formale essendi; differentiæ autem indiuiduales in rebus materialibus sunt à materia; materia autem non est principium essendi,

sed

ſed pura potentia, in rebus immaterialibus, vt in Angelis, ſunt radicaliter differentiæ ſpecificæ, quarum quælibet adęquat ſuam ſpeciem. Scotus appellat differentias vltimas, differentias indiuiduales; & hanc ob cauſam probauimus ſuprà, modum intrinſecum entis, tàm in eſſendo, quàm in cauſando, non eſſe formaliter ens, quia contradiuitur à differentia formali, quæ eſt formaliter gradus formæ, & hæc eſt principium formale eſſendi ens; & ideò ratio formæ reperitur etiam in Deo, qui eſt eſſentialiter actus purus.

Aliqui docti Methaphyſici probant, modos intrinſecos entis, tàm in eſſendo, quàm operando, eſſe ens materialiter, nimirum entitate ſui modificati; quia includunt in recto ens modificatum: modus enim intrinſecus in recto, dicit ens taliter ſe habens.

Sed hoc principium, niſi reducatur ad ſenſum à nobis expoſitum, non concludit modos intrinſecos entis eſſe ens materialiter tantùmodò; quia eſſe ens in recto conuenit, tàm enti formaliter, quàm enti materialiter; at ex communi prędicato, nō poteſt inferri vnum determinatum inferius.

Alij probant alio modo concluſionem, nempè modum intrinſecum contradiſtingui à ſuo modificato; ſed ens modificatum eſt ens formaliter, nimirū ſua ratione formali eſt extra nihilum reale; ergo ex oppoſito modus intrinſecus entis eſt ens entitate ſolùm ſui modificati.

Sed ſtatim reſpondebit Aduerſarius: adhuc modus extrinſecus entis contradiſtinguitur à ſuo modificato; & tamen modus intrinſecus entis formaliter eſt ens, vt infrà dicetur.

Alij confirmant concluſionem hoc alio medio; quia ſcilicèt modus eſſendi intrinſecus eſt purus modus eſſendi; ſed ſi non eſſet ens entitate ſui modificati, quod eſt eſſe ens materialiter, non eſſet purus modus eſſendi, ſed eſſet formaliter modificatum; nam includeret entitatem, & modalitatem.

Sed hæc ratio facilè ſolui poteſt; ſtatim enim dicet Aduerſarius, argumentum hoc eſſe manifeſtam petitionem principij; Supponit enim modum eſſendi ſua ratione formali eſſe puram modalitatem, & non entitatem.

Dices: Scotus *locis ſupra citatis*, apertè aſſerit, ens non includi in modis intrinſecis; ſed hoc eſt contrarium concluſioni, qua diximus, modos intrinſecos entis eſſe intrinſecè ens; ſed entitate ſuorum modificatorum: nam ens non includi in modis intrinſecis, tollit à modis intrinſecis eſſe ens entitate ſui modificati.

Reſpondeo, verba Scoti duplicem poſſe habere ſenſum. Primus ſenſus eſt, quod ens formaliter non includitur in modis intrinſecis, quia ens formaliter non eſt ratio formalis modi, ſicut eſt modalitas, vel ſicut animal rationale eſt ratio adæquata hominis. Secundus ſenſus eſt, quod ens formaliter non includitur in modis intrinſecis; quia ens formaliter, quod eſt ens modificatum, non entificat, & realizat intrinſecè ſua entitate, aut ratione formali eſſendi, modos intrinſecos entis. Primus ſenſus verus eſt; primò, quia ens formaliter, eſt prima ratio eſſendi extra nihilum reale; hæc autem ratio non includitur vt prędicatum formale in modis intrinſecis, quia modus intrinſecus, non eſt prima ratio eſſendi extra nihilum; eſſe enim tale ens ſupponit eſſe ens. Scotus loquitur in primo ſenſu, non autem in ſecundo; hæc autem duo non ſunt contradictoria, ens formale non includi in modis intrinſecis, vt prædicatum formale, ſicut modalitas, ſiuè determinatio intrinſeca; & ens formaliter includi in modis intrinſecis materialiter entificando, nempè modum in ſua modalitate; quia contradictio eſt affirmatio, & negatio eiuſdem de eodem ſecundùm idem; at hæc duo non ſunt ſecundùm idem formaliter, quia non eodem modo. Et hæc doctrina valdè adnotanda eſt.

Tertia concluſio. Modus intrinſecus entis, tàm in eſſendo, quàm in cauſando entificatur intrinſecè, entitate exiſtentiali, ſi ſit modus exiſtentiæ; entitate verò eſſentiali, ſiuè quidditatiua, ſi ſit modus eſſentiæ; Concluſio eſt Scoti, & omnium Scotiſtarum *locis ſupra citatis*, eamque apertiſsimè omnium declarat, & probat Antonius Trombetta *in tractatu formalitatum Scoti*, *articulo ſecundo*, *parte ſecunda*. Eſt Sancti Thomæ, vt dicemus *in quæſtionibus de Sanctiſsima Trinitate*, vbi apertiſsimè docet, relationes originis in Deo, ſeù in Diuinis Perſonis realizari, & entificari ab eſſe, quod eſt Dei eſſentia; omnis enim realitas in Deo, vt ſuo loco probabitur, eſt ab exiſtentia, quæ eſt vni-

Pp ca

ea tantum realizans, & entificans, etiam relationes originis formaliter. Eandem doctrinam apertè docet S. Thomas in 5. *Methaphysicæ*, explicans diuisionem, quam tradit Aristoteles entis per se in decem prima genera predicamentalia docet, quod ens non potest diuidi in decem prædicamenta per differentias; nam differentia, inquit, non participat genus, & est extrà essentiam generis; nihil autem potest esse extrà essentiam entis, quod per additionem ad ens, aliquam speciem entis constituat: nàm quod est extrà ens, nihil est, & differentia esse non potest; vndè in 3. *Methaphysicæ* probat Aristotiles, quod ens genus esse non potest: quia, scilicet genus non potest prædicari de differentia; ens verò prædicatur de omnibus differentijs: vndè oportet, infert, quod ens contrahatur ad diuersa genera, secundùm diuersum modum prædicandi, qui consequitur diuersum modum essendi. Hoc discursu, luce clarius S. Thomas ponit, modos essendi intrinsecos entificari entitate sui modificati; quia ponit modos diuisiuos entis intrà ens, non extrà; modus autem essendi intrà ens appellatur à nobis modus intrinsecus, qui intantùm, est modus realis, inquantùm est intrà entitatem modificati: quoniam verò entitas modificati, alia est essentialis, siuè quidditatiua, quam Thomistæ appellant essentiam, siuè quidditatem entis; & alia est existentialis, quam appellant existentiam, siuè esse existentiale: ens enim, vt *quæstion.* 5. latè probabitur, aliud est ens essentiæ, & aliud est ens existentiæ. Oritur difficultas inter Methaphysicos, an modus intrinsecus entis, sit intrinsecè ens entitate sui modificati, an etiam sit ens entitaté existentiæ modificati. Sunt, qui dicunt, modum intrinsecum essendi esse intrà entitatem existentiæ sui modificati, non autem intra entitatem essentiæ; diuidunt enim realitatem, siuè quidditatem realem, in quidditatem realem modificati, & in quidditatem realem modalem, quæ in hoc differt ab entitate modificati; quia quidditas modalis, non potest existere, nisi in modificato; quidditas verò modificati potest existere realiter, sine modo illam modificante. Sed hæc opinio non explicat essentialiter modum intrinsecum entis, siuè in essendo, siuè in operando; modus enim intrinsecus, ideò causaliter est realis, quia est intrà entitatem modificati; per hoc enim differt modus essendi intrinsecus à modo essendi extrinseco; quia modus essendi extrinsecus, cum sit separabilis realiter à modificato, non est intrà entitatem; quia est omninò inseparabilis ab entitate modificati; vndè modus intrinsecus formaliter, idest sua ratione formali, non est ens, siuè essentiale, siuè existentiale, nisi entitate essentiali, & existentiali sui modificati; quia modus essendi intrinsecus potest esse modus intrinsecus, tùm essentiæ, tùm existentiæ, at non est alia ratione modus intrinsecus existentiæ, vel essentiæ, nisi quia est intra entitatem, vel essentiæ, vel existentiæ.

Hæc doctrina, siuè conclusio, non est intelligenda in sensu collectiuo vniuersaliter, quod scilicet modus intrinsecus omnis debet esse intrinsecè ens entitate essentiæ, & entitate existentiæ; quia datur modus intrinsecus solius essentiæ, & modus intrinsecus solius existentiæ in entibus creatis, in quibus distinguitur essentia ab existentia, iuxta opinionem S. Thomæ, realiter realitate entitatiua; quia iuxtà opinionem S. Thomæ in creatis, aliud est ens essentiæ, & aliud ens existentiæ. Sed intelligenda est conclusio in sensu diuisiuo, nimirum, quod modus essendi intrinsecus entis essentialis, non habet aliam entitatem, nisi essentiæ; modus verò intrinsecus existentiæ, non habet aliam entitatem, nisi quam habet existentia, quæcumque illa essentia sit; nàm in esse existentiæ, adhùc distingui potest essentia ab existentia; sed diuersa significatione ab ea, qua distinguitur essentia ab existentia in ente creato completo in genere entis, quod est ens actu existens, vt fusè dicetur quæstione quinta. Cæterum quando modus intrinsecus indiuisibiliter est modus essentiæ, & existentiæ, tunc sine dubio modus intrinsecus habet essentiam, & existentiam sui modificati, vt est modus essendi entis actu existentis, in quo simul est essentia, & existentia. Hoc ipsum verificatur, etiam in opinione Scoti, qui distinguit in creatis existentiam ab essentia, vt modum a modificato; sicut enim in existentia, quæ est entitas distincta ab essentia in creatis, iuxtà opinionem Sancti Thomæ, distingui potest essentia, & existentia in ratione termini, siue obiecti; ità etiam in existentia, quæ est modus essentiæ, iuxtà Scoti opinionem.

Ra-

Ratio fundamentalis conclusionis est; quia modus intrinsecus, non est ens, nisi entitate sui modificati; sed modificatum intrinsecè potest esse, tùm ens essentiæ, tùm ens existentiæ; quia modificatum est ens formaliter; at ens formaliter diuiditur in ens essentiæ, & in ens existentiæ, quæ duo in creatis distinguuntur realiter, vt probabitur suo loco cum S. Thoma: in Deo verò essentia est sua existentia; quia scilicet essentia rapit ad sui formalitatem, etiam existentiam, sicut; v. g. natura humana includit in sua essentia, & animal, & rationale; ergo modus intrinsecus essentiæ est ens entitate essentiæ; modus verò intrinsecus existentiæ est ens entitate existentiæ, quod si modus intrinsecus sit indiuisibiliter modus essentiæ, & existentiæ, vt vnio existentiæ cum essentia in creatis; modus erit ens entitate essentiæ, & existentiæ.

Quod si denique modus intrinsecus sit entis formaliter vt sic, quod abstrahit ab ente essentiæ, & ab ente existentiæ; modus intrinsecus erit ens materialiter entitate abstrahente ab essentia, & existentia; quandoquidem modus non est ens, nisi entitate sui modificati; sed modificatum non solùm potest esse ens essentiæ, vel ens existentiæ; sed etiam potest esse ens abstrahens ab vtroque; ergo etiam modus potest esse ens entitate abstrahente ab essentia, & existentia: & hic est verus sensus Scoti, & S. Thomæ *locis sup. cit.* quem apertissimè sequitur Durand. in 3. *dist.* 35. *quæst.* 1. *& in* 1. *dist.* 33. *quæst.* 1. quod est mirandum, sæpe enim Durandus solitus est, dum libet discedere à S. Thoma.

Hæc doctrina, ex eo quod asserit ens formaliter, non includi, vt prædicatum formale, etiam in vltimis differentijs, durissima videtur pluribus Metaphysicis, præsertim Suarez *loco sup. cit. sect.* 5. & difficultas præcipuè oritur in explicando; quid intelligat Scotus per differentias vltimas. Alij dicūt, à Scoto vocari vltimam differentiam, differentiam indiuidualem, quam vocat Ecceitatem. Alij dicunt vocari vltimum gradum formæ. Alij denique dicunt, intelligi à Scoto per vltimam differentiam taleitatem, qua vna differentia non est alia. Prima explicatio vera est; quia indiuidualitas formalis non est gradus entis, præcedens existentiam, vel subsistentiam in re; sed tantùm modus; quia est intrinseca determinatio entis. Secunda explicatio contradicit omninò sententiæ Scoti, & S. Thomæ; nam modus intrinsecus entis, siuè in essendo, siuè in causando formaliter, non est ens; quilibet verò gradus formalis, siuè vltimus, siuè non vltimus formaliter est ens; modus autem intrinsecus formaliter non est ens.

Tertia verò explicatio etiam veritatem continet, & ratio esse potest; quia vltima differentia debet esse irresolubilis in cōceptum differentiæ, & talis differentiæ; secùs non esset vltima, sed hoc non potest verificari, nisi de taleitate, qua vna differentia est talis, & determinata; & huiusmodi taleitas est differentia signata, v. g. Petreitas, & Pauleitas, quæ conueniunt in ratione differentiæ indiuidualis formalis, sed diuersificantur; quia Petreitas est hæc determinata Ecceitas, quæ non est Pauleitas.

Obijcies primò ex Suarez *loco sup. cit. num.* 8. vel modi intrinseci entis realis positiui, sunt positiui formaliter, & realiter, vel non: hoc secundum neque à Scoto dicitur, neque est verum; quia modi intrinseci præsertim diuisiui, constituunt formaliter decem prima genera prædicamentalia, quæ sunt genera entium primò diuersorum, etiam secundùm vltimam sui rationem formalem, seù determinationem; implicat autem esse genus positiuum per rationem non positiuam, v. g. substantiam per non substantiam; ergo modi intrinseci debent esse formaliter positiui, nimirum sua ratione formali; sed positiuum est ens formaliter; quia est extrà suum nihilum; ergo modi intrinseci entis realis formaliter sunt ens; ergo debet concedi primum, quod scilicet modi intrinseci entis realis positiui formaliter sunt positiui; sed quod est formaliter, hoc est sua ratione formali positiuum, est formaliter ens.

Respondeo cum distinctione; dupliciter enim intelligi potest, modos intrinsecos entis realis positiui, esse intrinsecè reales, & positiuos. Vno modo formaliter, alio modo materialiter; nimirum vno modo sua ratione formali, siuè sua entitate: alio modo, formalitate, vel entitate sui modificati; positiuum enim vt sic, dicit quod est extrà nihilum præcisè; hoc autem contingit dupliciter, formaliter, & materialiter; quia positiuum vt sic, præscindit à quolibet modo determinato essendi extrà suum nihilum. Modi intrinseci entis realis positiui sunt intrinsecè positiui materialiter; non autem formaliter, modo satis explicato.

Quod si argumentum Suarez proponatur his terminis: vel modi intrinseci entis realis positiui formaliter sunt positiui, vel non, &c.

Respondeo, modos intrinsecos essendi formaliter non esse positiuos, scilicet sua ratione formali non esse positiuos; sed ex

hoc non sequitur, modos intrinsecos essendi entis positiui realis esse intrinsecè non ens, nimirum carentiam entis positiui; quia dupliciter est ens positiuum: aliud est positiuum sua ratione formali, aliud est positiuum ratione formali positiua sui modificati; quod non est vno modo positiuum, nō tolletur, quin sit alio modo positiuum; quia hæc prædicata non sunt secundùm idem, sed secundùm diuersa; & hæc est vera, & acutissima sententia Scoti, quæ non est aliena à doctrina S. Thomæ, vt sæpe repetiui; cum enim dicit Scotus, modos intrinsecos entis non esse ens, non intendit Scotus asserere, modos intrinsecos entis esse intrinsecè non ens, quod est formaliter carentia entis positiui; sed solùm mens Scoti est docere, modos entis intrinsecos sua ratione formali non esse ens; hoc autem non tollit, quin sit ens ratione formali modificati.

Quod si dicas primò, quod non est sua ratione formali ens, sua ratione formali negat à se ens formaliter; sed hoc est formaliter, & intrinsecè carentia entis positiui; ergo si modus intrinsecus entis realis positiui formaliter non est ens, est intrinsecè non ens formaliter, quæ est negatio non entis formaliter. Minor probatur; quia quod non est ens formaliter, negat primam rationem essendi ens positiuum; remoto autem primo, remouentur omnia secunda.

Probatur discursus; quia ens formaliter est prima ratio essendi extrà nihilum; modus essendi intrinsecus negat esse ens formaliter; ergo negat primam rationem essendi ens; ergo etiam negat à se esse ens materialiter; quia priùs est, ens esse ens formaliter, quàm ens materialiter; sed non est ens formaliter; ergo neque ens materialiter.

Respondeo dupliciter intelligi posse, modum intrinsecum sua ratione formali, non esse ens formaliter; vno modo, quia formaliter, & in recto est non ens; alio modo, quia non est sua ratione formali ens formaliter, quod sua ratione formali non est ens formaliter, tantùm abest, vt sit intrinsecè negatio entis realis formaliter, vt potius sit ens intrinsecè, sed entitate sui modificati, vel sui veluti subiecti. In re nostra, modus intrinsecus entis realis positiui, dicitur non esse ens formaliter; quia sua ratione formali non est ens formaliter; non autem quia est contradictoriū enti formaliter; quia modus intrinsecus est materialiter ens, quod est esse ens entitate modificati, siuè sui subiecti. Et ratio huius est; quia quod est extrà nihilum vt sic, præscindit ab omni modo essendi extrà nihilum, nimirum possibile, seù reale; hoc autem diuisibile est in ens, quod est extrà nihilum formaliter; nempè in ens, quod est extrà nihilum sua entitate, siuè sua ratione formali, & in ens, quod est extrà nihilum entitate, siuè ratione formali sui modificati.

Quod si secundò dicas, modus intrinsecus entis realis positiui, vt distinctus à suo modificato, est intrinsecè, & essentialiter realis, & positiuus; sed hoc non potest esse ex alio capite nisi, quia modus intrinsecus sua ratione formali est ens positiuum, nimirum extrà nihilum reale, seù possibile: nam contradistinguitur à suo modificato sua ratione fomali; sed contradictio per suam rationem formalem à suo modificato, est; quia ratio formalis modi est positiua formaliter; etenim hęc contradistinctio non est contradictoria formaliter, sed veluti præcisiua, vt modò dictum est.

Respondeo, distinguo maiorem: modus intrinsecus entis realis positiui, vt contradistinctus à suo modificato intrà entitatem ipsius modificati, est intrinsecè realis, & positiuus, & concedo: vt contradistinctus extrà entitatem sui modificati, & nego; implicat enim in terminis, modum intrinsecum entis positiui realis esse realem extrà entitatem modificati; ideò enim causaliter modus dicitur modus intrinsecus essendi realis; quia est intrà entitatem realem sui modificati, & hoc non aliundè oritur, nisi quia modus intrinsecus contradiuiditur à suo modificato intrinsecè; quia suum modificatum est ens formaliter, nimirum sua ratione formali, vel sua entitate; modus verò intrinsecus ex opposito esse debet ens tantummodò entitate sui veluti modificati; quia scilicet realizatur, & entificatur in sua ratione formali, ab entitate sui modificati.

Neque dicas, quod diuisio modi intrinseci in modum realem, & in modum non realem, est diuisio formalis, non diuisio materialis; quia modus intrinsecus vt sic, præscindit realiter à modo intrinseco reali, & à modo intrinseco non reali; diuisio autem formalis fit per diuisiua, quę suis rationibus formalibus sunt ens, vel reale, vel rationis.

Non, inquam, hoc dicas; quia diuisio modi intrinseci in realem, & non realem, est diuisio subiectiua, non autem formalis; quia modus intrinsecus ex sua ratione formali, est intrinsecus; quia est intrà entitatem sui modificati; per hoc enim distinguitur à modo essendi extrinseco; at modificatum est subiectum virtualiter sui modi intrinseci. Cum verò dicit opponens, modum præscindere à modo intrinseco reali, & non rea-

reali formaliter. Respondeo cum distinctione; dupliciter enim potest intelligi, modum intrinsecum vt sic, præscindere a modo intrinseco reali, & non reali formaliter. Primò; quia præscindit à realitate, & non realitate, tamquam à diuisiuis formaliter; alio modo, tãquã à diuisiuis materialiter. Primo modo falsa est maior; quia vt dixi modus nõ est ens, nisi entitate sui modificati. Secundo modo, vera est, sed non conducit ad probandum, diuisionem modi intrinseci in realem, & non realem esse per diuisiua formalia; nam diuisibile in sua ratione formali, neque includit diuisiua formalia, neque diuisiua materialia, & subiectiua: vt, v. g. figura quantitatis diuisibilis est diuisione formali, & diuisione materiali, v. g. diuisibilis est in ligneam, & ferream, & in circularem, & quadratam; prima diuisibilitas est per differentias materiales, & subiectiuas; secunda est per differentias formales, & vtraque diuisibilitas competit figuræ; quia præscindit à diuidentibus formaliter, sed alio, & alio modo, vt explicatum est.

Neque tertiò dicas à propositione negatiua de prędicato finito valet consequentia ad propositionem affirmatiuam de prædicato infinito, iuxtà regulas logicæ: sed modus intrinsecus entis realis positiui formaliter non est ens; ergo formaliter est non ens; ergo non potest modus intrinsecus entis realis realizari, & entificari à suo modificato intrinseco; quia modificatum, & modus intrinsecus opponuntur inter se; modificatum enim est formaliter ens; modus verò intrinsecus non est formaliter ens; vnum autem oppositorum non realizatur à realitate alterius oppositi.

Respõdeo, maiorem esse veram, quando in consequentia est constantia subiecti; falsam verò quando non est constantia subiecti; in prædicta consequentia non est cõstantia subiecti; nam in antecedente, siuè in vna propositione, subiectum stat præcisiuè; in consequente verò stat contradictoriè, vt suprà diximus, modus intrinsecus entis realis, præcisiuè non est ens reale, non autem contradictoriè.

Obijcies secundò: modus essendi intrinsecus entis realis positiui habet suam rationem formalem contradistinctam à nihilo, quod est carentia entis realis positiui; est enim modus intrinsecus entis positiui, intrinseca determinatio, & modalitas entis realis; hæc autem formalitas, siuè ratio formalis, est distincta non solùm à formalitate entis modificati, sed etiam a nihilo reali, quod est carentia entis realis positiui; quia habet definitionem quidditatiuam diuersam à definitione quidditatiua entis modificati, & à definitione nihili realis positiui; at si modus intrinsecus entis positiui entificaretur, & realizaretur ab entitate sui modificati; modus intrinsecus non contradistingueretur à nihilo reali formaliter, quod scilicet est negatio entis realis formaliter, nec à quidditate, seù entitate sui modificati, nec haberet rationem formalem propriam; ergo falsum est, modum intrinsecum entis entificari intrinsecè ab entitate sui modificati; ergo est adhùc suo modo formaliter ens.

Respondeo formalitatem esse duplicis conditionis, aliam nimirum entis, & aliam modi, siuè aliam entitatiuam, & aliam modalem intrinsecam; prima formalitas est ratio formalis essendi extrà nihilum possibile, seù reale; formalitas verò modalis est intrinseca determinatio, vel taleitas entis, sed intrà entitatem modificati, non extrà; per hoc enim distinguitur modus intrinsecus entis à modo extrinseco, vt sæpè repetiuimus; quia modus extrinsecus sua ratione formali, inquantùm est determinatio est extrà nihilum; modus verò intrinsecus, non est extrà nihilum, nisi inquantùm est intrà entitatem modificati; isti enim sunt duo modi diuersi essendi ens, nimirum extrà nihilum. Modus intrinsecus entis positiui habet propriam formalitatem, siuè rationem formalem modalem, non autem entitatiuam, siuè in ratione entis formaliter: & cum Scotus dicit, modum intrinsecum non habere aliam formalitatem, nisi sui modificati loquitur de formalitate entis formaliter, non autem de formalitate, siuè de ratione formali modali, quæ contradistinguitur quidem à nihilo, quod est carentia entis formaliter; non quia modalitas intrinseca sit ratio formalis essendi extrà nihilum; sed quia modalitas intrinseca est intrà entitatem modificati, à qua intrinsecè realizatur, & entificatur, & hoc satis est, vt modus intrinsecus contradistinguatur à nihilo; nam nihilum, quod est carentia entis realis, nullo modo potest intrinsecè realizari, & entificari ab ente formaliter; modus verò intrinsecus entis positiui, non implicat, vt realizetur, & entificetur ab entitate sui modificati: & disparitas est; quia carentia entis realis positiui, est contradictoria formaliter enti formaliter; quia est carentia entis formaliter, scilicet est carentia rationis formalis essendi extrà nihilum possibile, siuè reale; at modus intrinsecus entis est taleitas, siuè determinatio intrà taleitatem modificati. Quod

Quod si dicas: modus intrinsecus entis, vt modus formaliter intrinsecus, constituit intrinsecè speciem entis positiuam, sed non potest hoc præstare, nisi sit sua ratione formali positiuus, & realis; constituit enim, præbendo seipsum formaliter; sicut, v. g. non potest anima vegetatiua virtualiter constituere speciem negatiuam virtualiter; quia forma formaliter constituit, nimirum sua ratione formali.

Respondeo, distinguo maiorem modus intrinsecus entis diuisiuus, quatenùs est intrà entitatem diuisi, siuè quatenùs est intrinsecè realizatus entitate sui modificati, constituit positiuam speciem entis realis, & concedo: quatenùs est extrà entitatem modificati, licet ei conjunctus, & nego; quia sic non est realis formaliter, neque est modus intrinsecus entis realis; ideò enim modus est intrinsecus; quia est intrà entitatem sui modificati.

Objicies tertiò ex Suarez *loco sup. citi num.* 11. vnus modus intrinsecus entis realis est inæqualis alij in perfectione entitatiua; sed hæc maior perfectio non potest esse ex alio capite, nisi quia modus intrinsecus est formaliter gradus entis; vel quia modus intrinsecus formaliter, est ens entitate, ratione saltem distincta, aut distinguibili ab entitate sui modificati. Maior probatur; quia perseitas aptitudinalis, quæ cum ente constituit substantiam, est modus essendi intrinsecus perfectior, quam sit inaleitas aptitudinalis; quia perseitas est per independentiam à subiecto inhæsionis; independentia autem fundatur in perfectione; quia fundatur in actu; inaleitas verò est per dependentiam à subiecto inhæsionis; independentia autem fundatur in potentialitate; sed hæc maior perfectio, & inæqualitas in perseitate, & inaleitate, non est in substantia, vel in accidente ratione entis, quod diuiditur in substantiam, & accidens, quod est modificabile; quia in ente parificantur substantia, & accidens, & probatur; nam substantia non est perfectior accidente, quia ens; sed quia est per se, scilicet independens à subiecto inhæsionis; at si perseitas aptitudinalis esset ens entitate entis diuisi, siuè modificati; substantia non esset perfectior ratione perseitatis, quam sit accidens; ergo perseitas ratione sui formaliter est gradus perfectionis superadditus enti: & confirmatur primò; nam ens creatum (de hoc enim loquimur) non est aliud, nisi quod est extrà nihilum reale sua ratione formali; his enim prædicatis tantummodò, saluatur essentialiter ens creatum, non quidem in esse obiectiuo, sed in suo esse reali à parte rei, & secundùm se. Quod dico propter eos, qui asserunt allatam definitionem entis reali, non esse definitionem entis realis creati secundùm se, siuè in ente reali, sed esse definitionem entis, prout cognoscitur ab intellectu creato cognitione inadæquata, & generica, quam opinionem sic impugno; quia si ponantur hæc duo tantùm prædicata realiter; remoto quocumque alio ponitur essentialiter ens formaliter; in hac autem definitione essentiali conueniunt, tàm substantia, quàm accidens; ergo substantia creata non est perfectior accidente; quia est ens, sed quia est per se, nimirum ratione perseitatis, quæ seipsa, siuè ratione sui est perfectior, quàm sit inaleitas aptitudinalis; quandoquidem in substantia creata, de qua loquimur, non sunt nisi ens, & perseitas, sicut in accidente non sunt nisi ens, & inaleitas; ergo perseitas, quæ est modus intrinsecus entis secundùm se, siuè ratione sui est perfectior, quàm sit inaleitas, sed perfectio est prædicatum entis formaliter; quia perfectio fundatur in actu; actus autem est formaliter ens, nimirum sua ratione formali. Confirmatur secundò; quia in substantia sunt ens, & tale ens, sed tale ens seipso est tale ens; non autem quia entificatur ab ente, quod contrahit; quia ens contradistinguitur à tali ente. Confirmatur tertiò, nam modus, quo constituitur substantia formaliter sua ratione formali debet esse substantialis, etenim vt dicit Aristoteles 1. *physic. cap.* 6. substantia non constituitur ex non substantia, sed substantia, siuè substantialitas, est ens formaliter; quia est primus gradus entis; ergo substantialitas, siuè perseitas, per quam constituitur substantia simul cum ente, debet esse formaliter ens: idem etiam proportionaliter dicendum est de modo, quo constituitur accidens. Confirmatur quartò, nam in modis intrinsecis, quibus diuiditur ens in substantiam, & accidens, reperiuntur omnes passiones entis formaliter, sunt enim aliquid; quia non sunt nihil formaliter: sunt vnum, nam vnusquisque modus intrinsecus est in se indiuisus, & distinctus à quolibet alio. Est quoddam bonum, quia habet perfectionem sibi debitam: est verum; quia est intelligibile sicuti est.

Hoc argumentum torquet multorum ingenia, & rationabiliter; attamen quantùm nunc video, non habet sui difficilem solutionem.

Respondeo ergo primò; distinctione, qua soluimus præcedens argumentum, quod perfectio duplex est, sicut, & ratio forma-

malis, siuè formalitas, alia est entitatiua, & alia est modalis intrinseca; & ratio huius distinctionis fundatur in hoc, tanquam in primo principio, quia perfectio vt sic, & in generali, est idem, quod determinatio, siuè completio; Sed hic conceptus cōuenit, tàm actui entis, quàm actui modali; vterque enim est determinatio, siuè completio entis: sed actus in genere entis complet ens, intrà genus entis formaliter; actus verò modalis, siuè modus intrinsecus complet ens, siuè modificatum in genere determinati intrinsecè. Hac posita distinctione, in forma ad argumentum dico, quod perseitas est inæqualis in perfectione inaleitati, & est perfectior illa, perfectione modali intrinseca; non autem perfectione entitatiua, siuè in genere entis, & cum hoc stat, quod substantia est perfectior accidente, non quidem ratione entis, in quo conuenit cum accidente, sed ratione perseitatis; quia perseitas in genere modi, est perfectior, quàm inaleitas. Argumentum desumptum ex Suarez, concluderet sine dubio, si perfectio vt sic, in sua communissima significatione ex suo genere esset perfectio entitatiua; sed hoc est falsum, vt modò ostendimus. Prædicta distinctione soluuntur etiam omnes confirmationes; & hæc doctrina, valdè adnotanda est pro defensione sententiæ Scoti, qui vult, ens creatum formaliter esse vniuocum substantiæ, & accidenti, & quidem allata responsio, & distinctio Methaphysicis realibus duriuscula videtur; quia inquiunt, tollit à substantia creata gradum formalem perfectionis entitatiuæ.

Respondere possunt secundò, quod ens creatum formaliter, & vt sic, continet omnes gradus entis formalis; sed sine modis illud diuidentibus; aliud enim est ens creatum formaliter vt sic, & aliud est ens creatū diuisum: sicut humanitas vt sic alia est, v.g. humanitas diuisa in plures humanitates; nàm humanitas vt sic est vna. quæ est omnis humanitas; quia est humanitas non diuisa in plures humanitates; sed cum potentia ad diuisionem: in hoc enim differt humanitas, v.g. à natura Angelica; quia natura Angelica, cum sit in ente reali independens à materia diuisa à quantitate, est perfecta in sua latitudine specifica, & consequenter non est diuisibilis in plures naturas angelicas numero solùm distinctas: natura verò humana; quia dependet a materia signata quantitate, vt suo loco probabimus cum S. Thoma, mente separata à differentijs, illas diuidentibus indiuidualiter, est quidem vna, quæ est omnis humanitas, tamen diuisibilis formaliter in plures humanitates numero diuersas; paritèr ens creatum formaliter, vt sic, quia non includit in sua ratione formali, & essentiali, modos quibus diuiditur in prima decem genera prædicamentalia, qui sunt diuersi primi gradus entis, qui distinguuntur inter se diuersis modis essendi generalibus; ens creatum vt sic, est quodlibet ens formaliter, sine vlla actuali diuisione, sed solùm cum diuisibilitate, inter quos gradus entis formaliter, vnus est perfectior alio, quia graduat ens in sua latitudine formali, sed graduatione syncatecorematica, non catecorematica; hæc enim est propria entis increati, in quo omnes gradus perfectionis formalis adunantur sub vna eminentiori formalitate cum omnimoda indiuisibilitate, ad distinctionem entis creati formaliter vt sic, in quo sunt gradus formales entis sine diuisione actuali, non quidem positiuè, & contrariè; sed præcisiuè, siuè negatiuè, ad differentiam entis increati, quod essentialiter, & positiuè includit omnes perfectiones, demptis imperfectionibus; & ideò ens increatum, non est diuisibile in plura entia formaliter diuersa, sicut est diuisibile ens creatum formaliter vt sic. Potest hoc aptiori exemplo explicari, nimirum exemplo continui, quod antequam diuidatur, continet in se plures species quantitatis continuæ, quarum vna est perfectior alia, vt sunt bicubitum, tricubitum, &c. nec his speciebus quantitatis continuæ, vt sunt vnum actu in continuo, & plura in potentia, deest aliud, nisi diuisio actualis per diuersos modos; pariter ens creatum formaliter vt sic, continet in se cum potentialitate syncatecorematica diuersos gradus entis formalis, nimirum gradum substantiæ, gradum qualitatis, quantitatis, &c. & generaliter continet substantiam, & accidens, quantùm ad gradus formales, quorū, gradus substantiæ est perfectior gradu accidentis; sed sine vlla diuisione, aut distinctione actuali, sed solum cum diuisibilitate, quæ reducitur in actum per perseitatem, & per inaleitatem aptitudinales; hac posita doctrina.

Respondere possunt in forma ad argumentum: ex modis intrinsecis, vnus est inæqualis alij, & alio perfectior materialiter, perfectione, scilicet, & inæqualitate entis modificati, & concedo: formaliter idest perfectione, & inæqualitate diuidentium intrinsecè, & nego; quia perfectio, & inæqualitas perfectionis sunt prædicata en-

tis formaliter: modus autem intrinsecus essendi, non est ens formaliter, sed tantùm materialiter, nimirum entitate sui modificati; sicut vnio materiæ cum forma spirituali entitatiuè, partim est spiritualis, partim materialis; formaliter verò neque est spiritualis, neque materialis.

Quod si dicas primò, perseitas ratione sui est perfectior, quàm sit inaleitas: tum quia perseitas ratione sui est sine dependentia à subiecto inhęsionis; inhęsio verò ratione sui est cum dependentia à subiecto inhesionis: tum quia substautia est perfectior accidente, non in ratione entis, quia in ente conueniunt, ergo ratione perseitatis; substantia enim creata adæquatè resoluitur in conceptum obiectiuum entis, & in conceptum obiectiuum perseitatis; ergo prædicti modi formaliter sunt inęquales, & vnus perfectior alio, non autem materialiter, seù entitatiuè entitate modificatorum.

Possunt respondere, quod perseitas habet hanc independentiam, non quia perseitas est extrà gradum substantiæ; quia modus intrinsecus extrà modificatum est confictus, non realis; sed habet ex eo quia est intra gradum substantiæ; ad eum modum, v.g., quo relationes originis in Deo, ideò causaliter sunt independentes à causa, quia sũt intrà esse Diuinum, quod est actus purus, & consequenter independens à priori causa; at relatio originis secundùm se, & formaliter, neque est independens, neque dependens à causa, sicut neque dicit perfectionem, neque dicit imperfectionem.

Quod si secundò dicas ex hoc sequi dari in ente creato gradum substantiæ formaliter, siuè dari substantiam formaliter sine perseitate.

Respondere posśunt, quod duplex est perseitas; alia entitatiua, & alia est modalis; semota perseitate modali, remanet perseitas entitatiua: ad eum modum quo in continuo ante diuisionem, sunt partes quãtùm ad entitatem, non autem quantum ad actualem distinctionem, & loquor de partibus, non solùm, quæ sunt diuersæ in specie; vt bicubitum, & tricubitum, sed etiam de partibus, quæ differunt solo numero, vt duo bicubita, vel tria bicubita. Sic in ente creato, quatenus abstractum à modis intrinsecis, quibus diuiditur in decem prima genera prædicamentalia reperitur substantia, siuè ens per se, quantùm ad entitatem, & non quantùm ad modalitatem per se formaliter; ad denominationem autem entis per se, quantùm ad entitatem, non requiritur perseitas modalis formaliter, sed satis est entitas entificans, & realizans perseitatem ipsam modalem. Hæc doctrina fit clara, & euidens exemplo continui, in quo ante diuisionem reperiuntur bicubitum, & tricubitum quantum ad entitatem, non autem quantum ad actualem distinctionem; cum verò diuiditur continuum, solùm acquiritur distinctio, siuè modalitas, quam appellant tantitatem, qua cõtinuum est actu bicubitum, vel actu tricubitum; ità cum diuiditur ens creatum formaliter in substantiam, & accidens, per diuisionem non fiunt substantia, & accidens, quantùm ad entitatem substantiæ, & entitatem accidentis; sed resultant intrà entitatem entis creati diuersi modi essendi, quibus distinguuntur inter se actu entitas substantiæ, & entitas accidentis.

Quod si dicas, substantiam, & accidens non posse esse simul, quia sunt opposita; opposita autem non possunt simul esse, sed mutuò se excludunt ab eodem.

Respondere possum dupliciter intelligi posse substantiam, & accidens esse opposita; vno modo, quatenus sunt perfectiones diuisæ formaliter; alio modo quatenus non sunt perfectiones diuisæ formaliter; Primò modo, substantia, & accidens sunt perfectiones oppositæ; Secundo modo non sunt oppositæ; quia ad oppositionem requiritur actualis distinctio, hæc autem oritur ex diuisiuis; at in ente creato antequam sit diuisum actu, nulla est distinctio actualis, sed solùm in potentia, sicut, v.g., si a Petro generante, & Paulo genito abstrahatur natura ipsa humana, abstracta est, tàm natura Petri, quàm natura Pauli formaliter, nimirum quantum ad sua prædicata formalia, sine dependentia vnius naturæ ab alia; quia hęc dependentia requirit diuisionem, siue distinctionem actualem vnius naturæ ab alia; quæ diuisio, & distinctio non est in natura humana abstracta, quia distinctio hæc dependet ex differentijs indiuidualibus diuidentibus naturam, à quibus est abstracta ipsa natura.

Quod si iterum dicas, adunationem plurium perfectionum in vnam sublimiorem perfectionem, & earundem indiuisionem esse ex illimitatione, siuè infinitate formali; nam sicut diuisio est ex intrinseca limitatione, ita ex opposito adunatio, & indiuisio in vnam entitatem sublimiorem, est quia perfectiones in vna sublimiore sunt illimitatæ, sed ens creatum est formaliter limitatum, ergo &c.

Respondere statim possunt, duplicem esse indiuisionem, & adunationem, vnam per

per abstractionem à diuidentibus, aliam, per essentiam, siuè vnam præcisiuè excludentem diuidentia; alia verò contrariè, & positiuè excludentem diuidentia; siuè vnâ cum potentialitate ad diuisionem, aliam sine potentialitate ad diuisionem: & ex his primam non esse ex infinitate, sed solùm ex eo, quia conceptus communis formaliter præscindit à suis inferioribus formaliter; secundam autem esse ex illuminatione. Hanc esse propriam Dei, illam verò esse entis creati.

Possunt dicere Contrarij, quod hæc doctrina longo sermone explicata facilè reijcitur; Primò; quia ens creatum adæquatè resoluitur in ens, & in modum essendi à primo ente simpliciter; sicut substantia creata adæquatè diuiditur in ens, & perseitatem, ergo ista plenitudo perfectionum sine vlla diuisione, etiam per abstractionem non reperitur in ente crato vt sic; sicut neque gradus entis distinctus ab ente vt sic, & à perseitate non reperitur in substantia creata ob eandem rationem.

Secundò à priori; quia perfectiones graduantes ens secundum suam absolutam rationem, quarum vna scilicet est perfectior alia, sunt gradus formales formæ; at ens creatum vt sic præscindit à materia, & à forma; sicut quidditas realis præscindit ab actu, & à potentia in ratione subiecti: ergo ens creatum vt sic, dicit gradum entis, præscindentis à gradibus suorum inferiorum, qui sunt gradus substantiæ, & gradus accidentis, & huiusmodi; & remanet in abstractione solum ens, quod contradistinguitur à non ente vt sic: sicut, v.g., animal abstractum à rationali, & irrationali, non remanet in se rationale, & irrationale, sine diuisione; sed solum remanet animal, quod est omne animal tantùm; quia abstractio animalis non est solum à distinctiuis, & diuisiuis: rationali, & irrationali ab inuicem, sed vt abstractio à gradu rationali, & à gradu irrationali: pariter ens creatum formaliter vt sic, quia abstrahit à materia, & à forma, abstrahit etiam à gradibus materiæ, & à gradibus formæ, & consequenter remanet solùm ens creatum vt sic, negatiuè præscindens ab omni gradu, & materiæ, & formæ.

Difficultas hic solùm est, quia possunt dicere Aduersarij reperiri disparitatem inter animal respectu suarum differerentiarum, & inter ens formaliter vt sic, quia animal non est prædicatum trascendens plura prima genera prædicamentalia, vel abstrahens à decem primis generibus prædicamentalibus; sed est restrictum ad vnum gradum generis prædicamenti substantiæ: ens verò creatum formaliter transcendit intimè omnia decem prima genera prædicamentalia, qui sunt diuersi gradus formales generales entis formaliter, à quibus abstrahens formaliter præscindit, tantùmodò à modis intrinsecis generalibus diuisiuis entis in decem prima genera: & ideò sicut animal abstrahens à cæteris gradibus formalibus inferioribus, remanet vnum animal, quod est omne animal; ità ens creatum abstrahens tantùm à modis diuisiuis entis in decem prima genera prædicamentalia, remanet vnum ens, quod est omne genus entis prædicamentale, modo supra explicato, sed hæc difficultas facilè soluitur, respondendo ad duas prædictas instantias in oppositum.

Respondeo enim primò ad primam, qua dicitur ens creatum diuiditur in ens, & in modum entis; distinguo assumptum. ens creatum resoluitur in ens, prout dicit primum gradum entis, qui est primus gradus omnium, qui sunt in quodlibet genere prædicamentali, & nego; diuiditur in ens formale, quod præscindit tantummodò à modis intrinsecis generalibus, quibus diuiditur ens creatum in decem prima genera prædicamentalia, & concedo. Ens primo modo præscindit, non solùm à modis diuisiuis in decem prima genera prædicamentalia, sed etiam ab ipsis primis generibus; prior enim in quocunque prædicamento est gradus entis vt sic, quàm gradus, v. g., substantiæ, quæ est primum genus prædicamentale, &c. Ens verò creatum formaliter, cum sit commune, non solùm primo gradui entis, sed etiam omnibus gradibus inferioribus, præscindit tantummodò à modis diuisiuis entis in decem prima genera prædicamentalia; hoc autem ens per abstractionem est omne genus entis, sicut animal abstractum à differentijs illud diuidentibus est vnum animal, quod est omne animal.

Ad secundã, respondeo concedo maiorem, quod perfectiones graduantes ens, sunt gradus formales, & huiusmodi sunt decem prima genera prædicamentalia; nam gradus quilibet genericus in quolibet prædicamento, est primus gradus in qualibet specie, species autem est à forma formaliter, vt suo loco fusè probabitur: neque verum est, quod quodlibet genus prædicamentale abstrahit à materia, & à forma, quia vt dixi gradus genericus est primus in specie; species autem formaliter est à forma; dicitur

verò genus ſumi à materia in materialibus radicaliter, tanquam à radice, non autem formaliter.

Quod ſi dicas, ens creatum eſse analogum; analogum autem dicit vnum proportione, vel attributione vnius ad aliud, quod vnum ſunt plura ſimilia ſimilitudine analogica; at vnum per præciſionem debet eſſe vniuocum.

Reſpondetur, quod ens creatum dupliciter ſumi poteſt, vno modo formaliter, alio modo vt confundit ens formaliter, & ens materialiter. Ens primo modo, eſt vniuocum; ens verò ſecundo modo, eſt analogum, tùm analogia attributionis, tùm analogia proportionis, quæ dicit plura actu, nō quidem ſimpliciter, & abſolutè, ſed plura, vt proportionaliter ſimilia; ſed de hoc fusè dicetur, cum ſermo erit; an ens reale creatum formaliter, ſit vniuocum, an analogum ſuis inferioribus.

Quarta concluſio. In entibus creatis, non ſolùm dantur modi intrinſeci eſsentiales, ſed etiam accidentales; Concluſio hæc prima fronte exiſtimatur quibuſdam acutis Methaphyſicis contradictoria; ſed hæc apparens contradictio ſolùm terminorum explicatione repellitur; quādoquidem dantur modi intrinſeci primi, & ſecundi, ſiuè immediati, & mediati; primi, & immediati ſunt eſſentiales; prædicatum enim eſſentiale eſt primum in quocunque ente: & illud duplex eſt; aliud eſt primum inadæquatum, & hoc eſt, vel ſolùm prædicatum genericum, vel ſolùm prædicatum differentiale; adæquatum verò eſt tota eſſentia; prædicatum verò differentiale, poteſt eſse, vel differentia formalis quæ eſt gradus entis, ſiuè formæ; vel modalis, quæ eſt modus intrinſecus, ſed primus omnium, quæ poſſunt eſſe in eodem ente. Hic autem modus eſsentialis, ſiuè primus in ente creato eſt eſſe dependens à cauſa; in ente verò increato eſt eſſe à ſe .ſ. ſine vlla dependentia intrinſeca à cauſa priori; vt enim probatum eſt quęſt. 2. nō eſt diſtinguere ex natura rei in Deo ens formaliter à modo intrinſeco eſſendi à ſe; neque in creatura eſt diſtinguere ex natura rei, ens formaliter à modo intrinſeco eſsendi à cauſa; quia daretur in Deo ens eſſentialiter potentiale, quod omninò contradicit Deo, qui eſt actus puriſsimus; modi verò accidentales in entibus creatis, ſunt modi poſteriores, & mediati, vt modus eſſendi per ſe, & modum eſsendi in alio, vt ſubiectum inhæſionis; eſſe ad terminum, & eſſe abſolutum à puro termino, & huiuſmodi; in Deo verò ſunt, v.g., relationes originis, ſiuè modus eſsendi abſolutus; ſicut enim in creatis, perſeitas, & inaleitas aptitudinales, ſupponunt modum eſſendi per intrinſecam dependentiam à cauſa prima; quia ſupponunt ens creatum formaliter, quod eſt diuiſibile intrinſecè in ſubſtantiam, & accidens: ità modus eſsēdi abſolutus, & modus eſſendi relatiuus originis in Deo, virtualiter ſupponunt modum eſſendi eſſentialem à ſe, quia ſcilicèt ens à ſe virtualiter intrà Deum, diuiſibile eſt in abſolutum, & relatiuum.

Ratio fundamentalis ponendi in ente reali poſitiuo iſtos dictos modos intrinſecos, accidentalem, & eſſentialem, eſt; quia datur modus eſſendi poſterior, qui non eſt ens formaliter modo ſuprà latè explicato; ſed omnis ratio poſterior in ſuo genere ſupponit rationem priorem; nimirum datur modus poſterior in genere modi; quia datur modus intrinſecus, qui formaliter non eſt ens; ſed omnis ratio poſterior in ſuo genere ſupponit rationem priorē in eodem genere; remoto enim primo, remouentur omnia ſecunda in eodem genere. Maior probatur, quia in creatis datur perſeitas, & inaleitas aptitudinales, ſed hæ ſunt modi intrinſeci poſteriores, & accidentales: non ſolùm quia formaliter non ſunt ens; ſed etiam quia ſupponūt modum intrinſecum, & priorem eſſendi per depēdentiam eſſentialem à cauſa; pariter in Deo datur modus eſſendi independenter à cauſa abſolutus, & modus eſſendi relatiuus ſecundùm originem; iſti autem modi ſunt virtualiter modi poſteriores, & veluti accidentales.

Circà hanc concluſionem hæc ſola difficultas occurrit, quæ pluribus cauſa eſt aſſerendi hanc diuiſionē modi intrinſeci eſſe fictitiā, & incuidētē: & ratio difficultatis eſt; quia modus intrinſecus ex ſuo genere, non habet, neq; formalitatē, neq; entitatem, niſi entitatē, & formalitatē ſui modificati; dicitur. n. modus intrinſecus; quia eſt intrà entitatē, ſiuè formalitatē ſui modificati; ſed dato hoc implicat dari modū intrinſecū eſsētialem, & accidentalem, quia daretur modus intrinſecus intrà formalitatem modificati; & ſimùl non intrà, ſed extrà formalitatem ſui modificati, quia daretur modus intrinſecus accidentalis, qui ex eo quod eſt modus intrinſecus eſt intrà formalitatem ſui modificati; ex eo verò, quod eſt accidentalis, non eſt intrà, ſed extrà formalitatem ſui modificati.

Reſpondeo ex doctrina Antonij Trōbettæ *in tract. formalitatum, art. 2. verſ. ſiuè*, §. 4. notandum eſt, quod modus intrinſecus, pro tanto dicitur intrinſecus, ꝙ dupliciter po-

potest dici modus intrà formalitatem modificati; Vno modo positiuè, alio modo negatiuè. Positiuè, dicitur modus intrinsecus intrà formalitatem modificati, qui est prædicatum essentiale modificati, eo modo quo rationale est intrà essentiam hominis. Negatiuè, dicitur modus intrinsecus intrà formalitatem modificati; quia modus intrinsecus non habet distinctam formalitatem entitatiuam à formalitate sui modificati; Primo modo, modus essentialis est intrà formalitatem modificati; vt sunt, v.g., modus essendi à causa, essentialis enti creato, & modus essendi à se, qui est essentialis enti increato; perseitas verò in substantia creata est intrà entitatem modificatam negatiuè; quia non habet aliam formalitatem entitatiuam ab entitate, quæ in substantia contrahitur per perseitatem: & hęc distinctio, quam latè explicat Trombetta, notanda est, qua posita distinctione in forma ad argumentum; Concedo, quod modus intrinsecus dicitur, quia est intrà entitatem, siuè formalitatem sui modificati, sed abstrahendo à determinato modo essendi intrà modificatum; quippè esse intrà modificatum contingit dupliciter: modus intrinsecus essentialis est intrà entitatem, & formalitatem modificati positiuè; modus verò posterior, siuè accidentalis intrinsecus, est intrà entitatem modificati negatiuè; Cum verò dicit opponens esse implicans in terminis, modum intrinsecum essendi, vel operandi esse accidentalem, & posteriorem ratione priori adequata; quia modus intrinsecus est intrà formalitatem ex eo, quod est modus intrinsecus; ex eo verò, quod est accidentalis est extrà formalitatem sui modificati; esse autem intrà, & extrà entitatem, & formalitatem vnius eiusdem modificati, secundùm diuersa nõ est contradictio.

Respondeo, quod modus intrinsecus dicitur accidentalis, quatenùs non est positiuè intrà entitatem, & formalitatem sui modificati; non autem dicitur accidentalis, quia habet formalitatem extrà formalitatem sui modificati, & in hac significatione formali diuersa, nulla ponitur contradictio, quia contradictio semper est secũdùm idem adæquatè; sed de hoc redibit sermo in sequente articulo, in quo proponuntur examini, an modus intrinsecus distinguatur ex natura rei, sinè aliqua distinctione actuali, à suo modificato.

Ex his quæ diximus, facillimè intelliguntur plura dicta Scoti.

Primum est, modos intrinsecos entis non esse ens; germana interpetratio huius dicti est, modos intrinsecos entis, non esse ens extrà entitatem modificati, sicut sunt modi extrinseci essendi, vel operandi, vt motus, vnio, extensio localis, &c. Per hoc enim contradistinguuntur modi intrinseci entis à modis extrinsecis, quia isti sunt ens suo modo formaliter extrà modificatum; illi verò sunt ens intrà modificatum, & consequenter non sunt ens extrà entitatem modificati; neque aliquid probatur in oppositum cum aliqui extendunt hanc doctrinam de modis intrinsecis, etiam ad modos extrinsecos separabiles à modificato; hoc medio, in definitione modi intrinseci ponitur etiam in recto modificatum, v.g., in definitione extensionis localis ponitur quantitas dimensiua, scilicet extensio localis est, quantitatem dimensiuam suis partibus actu correspondere partibus loci: vnio formæ cùm materia definitur, formam actu esse in materia, &c. Sed hoc signum est, modificatum entificare etiam suos modos extrinsecos; prædicatum enim in recto includitur in subiecto, de quo prædicatur, ad differentiam eius, quod prædicatur de suo subiecto in aliquo, vt cum definitur accidens, entis ens, idest substantiæ ens.

Aliter enim prædicatur in recto modificatum de modo intrinseco, & aliter de modo extrinseco; nam de modo intrinseco, etiam in abstracto prædicatur in recto, de modo verò extrinseco in concreto prędicatur in recto.

Secundum dictum Scoti est, quòd modus intrinsecus pro tanto dicitur intrinsecus: quia non ingreditur quidditatem sui modificati; Sensus huius dicti est, quod modus intrinsecus accidentalis existens intrà entitatem modificati, non ingreditur quidditatem sui modificati; quia modus intrinsecus non est prædicatum essentialiter per se primò modificati, nec genericum, nec vel nisi differentiale: & rationem huius assignat idem Trombetta versiculo immediatè suprà, versiculo pro declaratione, quæ datur de modo intrinseco, est aduertendum: quia nullum posterius est de essentia sui prioris, scilicèt intrà essentiam sui prioris; dupliciter enim potest intelligi esse de essentia; vno modo quia est, vnum de prędicatis constituentibus essentiam, & hoc modo animal, vel rationale dicitur de essentia hominis; alio modo dicitur de essentia, quod fluit ab essentia, & hoc pacto risibile dicitur de essentia hominis; maior, quæ dicitur nullum posterius esse de essentia prioris, intelligitur primo modo; scilicèt nullum posterius est intrà essentiam prio-

ris secundùm suum esse formale; nam secundùm suum esse causale, posterius est intrà essentiam sui prioris; quia esse causale effectus, est ipsamet causa potens causare: sed modus intrinsecus accidentalis est posterior quidditate sui modificati, vt perseitas est posterior entitate, quæ est in substantia.

Tertium dictum Scoti est, quod modus intrinsecus non est per se intelligibilis; sensus huius dicti est, quod modus intrinsecus, non est intelligibilis extrà entitatem sui modificati; quia in sua definitione essentiali includit in recto modificatum: siuè quia modus intrinsecus non est ens, nisi entitate sui modificati; vnumquodque autem est intelligibile inquantùm est ens; & in hoc differt modus intrinsecus à modo extrinseco entis; quia modus intrinsecus, tàm in concreto, quàm in abstracto, includit in recto modificatum; modus verò extrinsecus in concreto includit in recto modificatum; in abstracto verò includit modificatum tantùm in obliquo. Ad hoc vnam responsionem Aduersarij adducunt, scilicèt quod entitas modalis distinguitur per hoc ab entitate non modali, quia exigit essentialiter semper coniungi modificato.

Sed hæc responsio, quantùm video, methaphysico principio adducto non satisfacit, scilicèt quod modus intrinsecus in abstracto in recto includit modificatum: at si modus intrinsecus esset sua ratione formali entitas modalis in recto, non esset modus intrinsecus entis, sed esset formaliter modificatum, quia esset in recto entitas modalis, neque includeret in recto modificatum, sed in obliquo.

Hæc doctrina de natura modi intrinseci etiam apertè traditur ab Aristotile *lib. 7. methaphysicæ*, præsertim *cap. 22.* vbi docens modos definitionum, dicit, quædam esse, quæ si definiantur, accipiunt subiectum in recto; vt, v.g., concauum est nasus curuus, &c. eamque apertissimè sequuntur Scotus cum suis, & etiam S. Thomas *loc. sup. cit.*

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### Vtrum Ens creatum formaliter distinguatur distinctione reali à suis modis intrinsecis.

ALiud est inquirere, vtrum Ens reale reale formaliter distinguatur reali distinctione à suis modis intrinsecis: & aliud est inquirere, an Ens creatum formaliter, distinguatur realiter, siuè ex natura rei, à suis modis intrinsecis; in primo enim quæsito, ens reale formaliter sumitur pro ente reali formaliter, quod dicitur de Deo, & de creaturis, & de hoc sufficienter diximus præcedente quæstione: in secundò verò quæsito, ens reale formaliter sumitur pro ente reali formaliter, proùt cōtractum ad ens reale formaliter creatum; ens autem reale formaliter contractum ad creatum, dupliciter sumi potest, vel vt contradistinguitur ab ente materialiter, vel pro ente reali creato in sua latitudine formali absoluta, quod communiter definitur id, quod est, vel esse potest extrà suum nihilum, cùm dependentia à sua causa efficiente: in hoc articulo sumitur esse formaliter creatum primo modo, non secundo modo; quoniam vt diximus præcedente articulo, huiusmodi ens inuoluit essentialiter in suo conceptu obiectiuo modum essendi intrinsecum in generali, etenim definitur essentialiter id, quod est; sed hoc confundit, non solùm id, quod est formaliter, scilicèt sua ratione formali, sed etiam id, quod est materialiter, scilicèt entitate, siuè ratione formali sui veluti subiecti, aut modificati; modi verò intrinseci essendi intelliguntur tàm modi intrinseci diuisiui entis, quàm modi intrinseci non diuisiui, vt sunt modi essentiales, & modi accidentales, qui fluunt naturali sequela intrà quidditatem sui subiecti ab ipsamet quidditate, veluti à causa virtuali, vt sunt passiones trascendentales entis saltem bonitas, & veritas; dico, saltem veritas, & bonitas, ne fiat quæsitum de subiecto non supponente, quoniam vnitas transcendentalis dubium est apud Methaphysicos, an sit realitas negatiua, an positiua. Scotus apertissimè docet, esse modalitatem, siuè taleitatem positiuam, quæ opinio semper mihi arrisit, nec est aliena à principijs Sancti Thomæ, vt suo loco dicam; cæteri verò Methaphysici contendunt, vnitatem transcendentalem esse negationem realem di-

ui-

uisionis in ente; modi denique diuisiui intrinseci, sunt modi intrinseci contrahentes ens ad aliquam speciem, siuè naturam, siuè ad aliquod genus determinatum, vt sunt perseitas,& ineitas aptitudinales; esse absolutum, & esse respectiuum, scilicèt modus essendi in se, siuè à se, & modus essendi ad terminum distinctum realiter; & vocamus in controuersiam, an ens formaliter creatum distinguatur aliqua distinctione reali, siuè ex natura rei à suis modis intrinsecis, non quidem essentialibus, sed accidentalibus, quos præcedente articulo explicauimus.

Distinctio autem, quod est prædicatum quæsiti, alia est realis, quàm Scotistæ appellant ex natura rei, & alia est rationis, siuè obiectiua; distinctio realis dicitur, quæ reperitur in ipsa rerum natura independenter ab intellectu cognoscente vnam rem pluribus inadæquatis cognitionibus; distinctio verò rationis dicitur, quæ reperitur in re vt cognita ab intellectu, diuidente illam in plures conceptus obiectiuos partiales, & hæc dicitur obiectiua, quia reperitur in re, prout est obiectum intellectus illud distinguentis in plures conceptus, vt est distinctio, qua distinguitur intellectus creatus in intellectum apprehensiuum, iudicatiuum, & discursiuum. Distinctio realis, siuè ex natura rei, alia est fundamentalis, siuè virtualis, & alia est actualis; actualis, est actualis exclusio vnius ab alio, siuè actualis non inclusio vnius in alio; distinctio verò fundamentalis, siuè virtualis, est fundamentum, prout distinguibile in plura, siuè virtus, qua vnum est distinguibile in plura in ipsa rei natura: & hæc fundamentalis, siuè virtualis distinctio, alia est, quæ sequitur virtutem, siuè potentiam passiuā, & alia est, quæ sequitur virtutem, siuè potentiam actiuam, v. g., distinguibilitas, seù diuisibilitas vnius continui in plura continua minora in opinione illorum, qui dicunt partes in continuo non esse actu distinctas, sed potentia tantùm; dicitur distinctio fundamentalis, siuè virtualis, virtualitate, & potentialitate passiua; virtus verò, qua, v.g. vna causa potest producere plures effectus actu distinctos, vel qua causa distinguitur ab effectu, quem potest producere, dicitur distinctio virtualis virtualitate, siuè potentialitate actiua, & hæc vt suo loco dicetur, alia est extrinseca, & alia est intrinseca; extrinseca est virtus, qua causa potest producere effectum à se distinctum realiter; intrinseca verò qua causa virtualis distinguitur à suo effectu virtuali intrà idem esse, quàm distinctionem plures docti, & solemnes Theologi, ponunt inter intellectum, & voluntatem in Deo, inter esse immutabile Dei, & eius æternitatem.

Distinctio realis actualis, quæ est actualis non inclusio vnius in alio, siuè non inclusio, qua vnus terminus actù non est alius realiter. In creatis adæquatè diuiditur in distinctionem realem entitatiuam, in distinctionem realem formalem, & in distinctionem realem modalem; modalis verò diuiditur in modalem intrinsecam, & in modalem extrinsecam. Distinctio realis entitatiua, est per intrinsecam diuisionem entitatis, siuè esse existentiæ, ad quam consequitur etiam diuisio esse essentiæ, distinctio realis formalis, siuè distinctio ex natura rei formalis, est per diuisionem intrinsecam plurium quidditatum realium in vna tantùm entitate, cùm omnimoda inseparabilitate vnius quidditatis ab alia, & huiusmodi in opinione Scoti, est distinctio vnius gradus formalis methaphysici ab alio in eodem indiuiduo, v. g., distinctio gradus substantiæ, qui est genus summum prædicamentale à gradu corporis, vel spiritus, & gradus corporis substantialis à gradu viuentis, &c. Distinctio denique modalis ex natura rei est distinctio modi à suo modificato, quæ rectè definitur non inclusio modi in ratione formali modificati, quæ distinctio, si modus est extrinsecus, dicitur distinctio realis modalis extrinseca, qualis est distinctio inter vnionem, & vnibilia; inter motum, & mobile: si verò modus est intrinsecus, siuè sit in essendo, siuè sit in operando dicitur distinctio realis, siuè ex natura rei modalis intrinseca, & huiusmodi in opinione Scoti est distinctio in substantia creata inter ens, & perseitatem aptitudinalem, & inter ens, & inaleitatem aptitudinalem in accidente.

Quæritur in hoc articulo, an ens formaliter, vt sic distinguatur aliqua distinctione ex natura rei in eodem indiuiduo à suis modis intrinsecis, siuè diuisiuis, siuè non diuisiuis, vt sunt modi intrinseci adæquantes ens formaliter; dixi, an ens reale formaliter vt sic, quia hic loquimur de omni ente reali formaliter, tàm adæquato, quàm inadæquato, & de adæquato, & inadæquato ente, tàm in specie, quàm in ratione entis, est ens completum in ratione entis ens actu existens; incompletum ex opposito, est essentia, vel existentia: ens verò completum in specie, est, v.g., homo, vel equus; ens verò incompletum in specie, est pars quidditatis, vt vel sola materia, vel sola for-

forma; difficultatem resolutioni huius articuli præbet hæc ratio dubitandi; quia distinctio ex natura rei dicit non inclusionē actualē vnius in alio, sed ens formaliter includitur in omnibus suis modis intrinsecis; qā ens formaliter est ratio vniuersalissima essendi extrà nihilum, & prædicatur in recto de omnibus modis intrinsecis; & è contrà, modus intrinsecus, siuè in essendo, siuè in operando, includitur intrà rationem formalem entis modificati. Primò, quia in hoc distinguitur modus intrinsecus à modo extrinseco, quia hic est extrà entitatem modificati, siuè entitas modificati sit essentialis, siuè existentialis; illa verò est intrà entitatem modificati. Secundò, quia per hoc distinguitur modus intrinsecus à differentia, quia differentia est extrà essentiam sui generis diuisi; cùm sit gradus entis formaliter; modus verò intrinsecus non potest esse differentia ex natura rei, quia non est extrà essentiam entis modificati, & ideò vt docet Aristotiles *3. methaphysicæ*, genus non potest prædicari de differentijs, sicut ens prædicatur de modis. Tertiò, à priori: nihil potest esse extrà essentiam entis, quod per additionem ad ens aliquam speciem entis constituat; nam quod extrà ens, nihil est: nihil autem non potest esse modus intrinsecus entis, quia modus intrinsecè est ens, cui contradicit negatio entis; vnum autem contradictoriorum implicat esse aliud. Resoluitur articulus sequentibus conclusionibus, cuius resolutio erit fundamentum ad videndum, an ens creatum formaliter præscindat à suis inferioribus, & an eis sit vniuocum.

Prima conclusio. Ens creatum, & positiuum formaliter, distinguitur realiter, siuè ex natura rei, siuè secundùm se, à suis modis intrinsecis, tàm diuisiuis, quàm non diuisiuis, distinctione nimirùm reali in generali, non descendendo ad determinatam speciem distinctionis realis. Conclusio hęc controuersa est, non solùm inter Antiquos, sed etiam inter Recentiores. Illam expressè docent Scotus, & Scotistæ, cùm docent modos intrinsecos entis ex natura rei, non esse ens formaliter, sed solùm esse ens materialiter, nimirùm entitate modificati, quæ sententia non est aliena à doctrina S. Thomæ, eam enim acutè docet Angelicus Doctor, præsertim *in quæstione de Sanctissima Trinitate*, loquens enim de Diuinis relationibus, docet eas non esse ens, nisi entitate, siuè esse Diuinæ essentiæ, vt suo loco fusè probabitur. Oppositam sententiam tuentur plures docti Methaphysici, quos sequitur, & doctè explicat *Suar. to. 1. suæ methaphys. disp. 2.* Sensus autem conclusionis est, quod ens positiuum creatum formaliter, quod scilicèt sua ratione formali, vel entitate sua propria est ens, distinguitur distinctione reali in generali, siuè ex natura rei, siuè secundùm se positiuè à suis modis intrinsecis, tàm diuisiuis, quàm non diuisiuis. De modis intrinsecis diuisiuis entis creati formaliter, est specialis ratio demonstratiua, sed difficultas est in assignanda ratione de modis intrinsecis realibus entis creati formaliter, in generali. Communiter à Scotistis, huius conclusionis hæc assignatur ratio, quia ens creatum formaliter secundùm se, est sua ratione formali, seù sua entitate ens formaliter; modus verò intrinsecus secundùm se; non est ens formaliter, scilicèt non est ens sua ratione formali; sed hæc contradictio necessariò fundat distinctionem realem inter ens creatum formaliter, & inter modos eius intrinsecos; quandoquidem distinctio realis, siuè ex natura rei, dicit vnum terminum realiter non esse alium; totum autem hoc dicit contradictio conueniens enti reali formaliter, & modis eius intrinsecis secundùm se: & hæc ratio, non solùm competit enti, & modis entis in diuersis indiuiduis, sed etiam in vno, & eodem indiuiduo, de quo est præcipua difficultas inter Recentiores, qui solùm contendunt in vno, & eodem indiuiduo, ens formaliter ex natura rei non distingui à suis modis intrinsecis; putà in substantia creata ens formaliter non distinguitur ex natura rei à perseitate aptitudinali, neque in accidente ens formaliter distinguitur ex natura rei ab inaleitate aptitudinali; sed solùm concedũt ens formaliter, quod est in substantia creata, distingui realiter ab inaleitate, quæ est in accidente; primùm ex his eadem ratione ostendunt, quia prædicata, quæ conueniũt naturæ secundùm se positiuè, conueniunt ei in quocunque suo inferiori, sed ens creatum formaliter, est sua ratione formali ens secundùm se; modus autem intrinsecus secundùm se formaliter non est ens entitate sua, siuè sua ratione formali; ergo in quocunque inferiori, siuè in pluribus, siuè in vno, & eodem conueniunt hæc prædicata contradictoria enti creato formaliter, & eius modis intrinsecis, dixi naturæ secundùm se, quia vt cautè explicat Caietanus *in opusc. S. Tho. de ente, & essentia, cap. 4.* cùm dicitur natura secundùm se, seù natura absoluta; & in re nostra, cùm dicitur ens formaliter secũdùm se, duo dicimus, naturam, & solitudinem, scilicèt naturam, non cùm

alio

alio iunctam, & alibi docet eandem distinctionem alijs verbis dicens, quod natura secundùm se sumitur dupliciter, positiuè, & negatiuè: natura secundùm se positiuè, significat idem, quod natura quantùm ad sua prædicata essentialia, tàm in primo, quàm in secundo modo dicendi per se; natura verò secundùm se negatiuè, significat naturam non coniunctam cùm alia; in hac conclusione sumitur ly secundùm se positiuè, cùm dicimus ens creatum formaliter secundùm se, nimirum quantùm ad prædicata sua intrinseca, & essentialia; non autem quantùm ad solitudinem, quæ est conditio extrinseca conueniens naturę per abstractionem à suis diuisiuis.

Sed hæc ratio, nisi aliud addatur, vt infrà dicam, non demonstrat conclusionem; non statim possunt dicere Aduersarij, ens formaliter in Deo secundùm se, adhùc in Deo non esse ens formaliter, scilicèt sua ratione formali, vt sunt relationes originis formaliter; & tamen ens formaliter in Deo, non distinguitur ex natura rei ex suis modis intrinsecis secundùm originem; ergo aliquid aliud addi debet, vt ens formaliter in creatis secundùm se, siuè ex natura rei, distinguatur à suis modis intrinsecis.

Ratio ergo prima conclusionis est, quia ens reale creatum formaliter, secundùm se est limitatum in ratione entis formaliter: sed huiusmodi ens est distinctum ex natura rei à suis modis intrinsecis; ergo ens creatum formaliter secundùm se, siuè ex natura rei est distinctum à suis modis intrinsecis. Minor probatur; nam ens limitatum in ratione entis formaliter, est restrictum ad ens tantùm formaliter, quod scilicèt est ens tantùm sua ratione formali; hoc autem non est formaliter modus intrinsecus; modus enim intrinsecus secundùm se non est ens formaliter, vt ostendimus præcedente articulo. Maior, in qua est difficultas, probatur, quia ens creatum formaliter est essentialiter potentiale; in ente enim creato essentialiter esse, non est sua essentia formaliter, sed potentialitas in ente creato formaliter, vel est formalis limitatio, vel est radix limitationis; est quidem formalis limitatio, quia est prima differentia entis: primæ enim differentiæ entis, sunt potentia, & actus, & in vno, & eodem prior est potentia, quàm actus; differentia verò est formalis limitatio, quia differentia est formalis determinatio entis; est verò radix omnis limitationis, quia limitatio omnis est quædam imperfectio; prima autem radix omnis imperfectionis in quolibet ente est prima potentia; hæc autem prima est potentia essentiæ ad esse, ergo, &c.

Dixi notanter, ens creatum formaliter esse limitatum in ratione entis formaliter, & non dixi esse limitatum in ratione formali: quoniam duplex est formalitas, siuè ratio formalis, alia est entitatiua, & alia est modalis; formalitas entitatiua, est ratio formalis essendi extrà nihilum reale; formalitas verò modalis, siuè ratio formalis modi, est pura determinatio intrinseca entis; Ens creatum formaliter est limitatum ad rationem formalem entitatiuam, non autem ad rationem formalem in generali; quia sic clauderet formaliter, vel raperet ad suam rationem formalem essentialiter, etiam formalitatem modalem: hæc autem inclusio in ratione formali vt sic, non potest competere enti creato formaliter, vt probauimus, sed solùm enti increato formaliter, quod est formaliter limitatum in ratione formalitatis vt sic, præscindentis ab omni imperfectione; quia in solo ente increato essentia est essentialiter suum esse: ob quàm illimitationem formalem, ens Diuinum est formaliter omnis formalitas, quod nullo pacto dici potest de ente creato, quia in ente creato est essentialiter potentia ad esse, siuè hæc potentia sit in ratione subiecti, vel in ratione obiecti; iuxtà varias Methaphysicorum opiniones; plures enim Methaphysici non agnoscunt in ratione entis creati, aliam potentiam nisi obiectiuam; S. Thomas verò, quem sequuntur plures etiam acutissimi Methaphysici, agnoscit in ente creato completo in ratione entis, potentialitatem subiectiuam ad existentiam.

Huic rationi opponitur principaliter ratio dubitandi supra explicata, de qua fusè loquitur Suarez *disp. 2. à sect. 5.* quia scilicèt omnis distinctio actualis ex natura rei debet esse non inclusio actualis in re vnius in alio, vel actualis exclusio vnius ab alio: sed ens creatum formaliter includitur essentialiter in omnibus modis essendi intrinsecis realibus, sub quacunque vltima replicatione formali; omnis enim modus intrinsecus entis realis positiui est essẽtialiter ens formaliter, quia est essentialiter extrà nihilum reale; & è conuersò, ens formale realiter, adhùc in sua realitate includit modum intrinsecum essendi, quod demonstrari potest hac alia ratione methaphysica, quia ens reale ex eo reale est, quia potest existere realiter; sed non potest existere realiter, nisi includat intrinsecè modum; quia non potest existere realiter, nisi

sit

sit determinatũ intrinsecè; at determinatio intrinseca modus: est. Discursus est clarus; nam quod commune est, non potest existere realiter, quia est indeterminatum.

Sed hæc dubitandi ratio, distinctione non difficilè soluitur; dupliciter enim intelligi potest, ens includi essentialiter in modis intrinsecis: vno modo, vt prædicatum modale formaliter, vel generale, vel specificum; sunt autem prædicata formaliter modalia, modalitas, & talis modalitas, siuè modus, & talis modus, siuè intrinseca determinatio, & taleitas determinationis intrinsecæ: alio modo, vt prædicatum identicum entitatiuum, quatenus scilicèt eadem entitas indiuisibilis modificati, entificat, etiam in sua ratione formali, modos intrinsecos. Neque hæc entitatiua identitas tollit non inclusionem formalem mutuam modi in suo modificato: & ratio est manifesta, quia inclusio secundùm entitatem, est diuersæ rationis ab inclusione formali modi intrà formalitatem modificati; nam hæc non inclusio consistit in hoc, quod formalitas modificati est, vt sit ens sua entitate, vel sua ratione formali; formalitas verò modi est, vt non sit ens sua ratione formali, tunc autem inclusio entitatiua excluderet à se non inclusionem formalem modi in modificato, & è contrà; quando essent inclusio, & non inclusio secundùm idem, vt infrà clariùs explicabitur: sed inclusio, & non inclusio modi intrinseci in suo modificato, non sunt secundùm idem, quia vna est inclusio entitatiua, & alia est non inclusio formalis modalis.

Ad rationem autem qua Aduersarij probant, ens reale formaliter includi in modis intrinsecis, quia prædicatur de illis essentialiter; modus enim intrinsecus entis realis, realis est, & ens.

Respondeo distinguendo assumptum; predicatur ens reale formaliter de suis modis intrinsecis essentialiter in sensu entitatiuo & concedo; in sensu formali & nego: cùm enim dicitur; modus intrinsecus entis est ens intrinsecè, & essentialiter, sensus huius prædicationis est entitatiuus; nimirum modus intrinsecus entis, non est ens nisi entitate sui modificati; sensus verò formalis est falsus: est autẽ sensus formalis hic; modus intrinsecus sua ratione formali est ens; qui sensus est omninò falsus, vt acutissimè probauimus cùm Scoto: vel etiam sensus formalis potest esse hic alius, quod ens modificatum, sit prædicatum formale sui modi intrinseci, vel genericum, vel differentiale, quia adhùc est falsus, quia prædicatum genericum formale modi est modalitas; prædicatum verò velut differentia est taleitas modalitatis, ens autem formaliter, neque est modalitas, neque talis modalitas. Doctrina hæc acuta quidem est, & difficilis, sed ratione demonstratiua fit euidens. Primò, quia modus intrinsecus non est ens, nisi in quantùm est intrà entitatem modificati. Secundò, quia si esset formaliter ens, sicut est modificatum; modus intrinsecus non esset modus, sed gradus formalis entis; neque esset modus intrinsecus, sed modificatum formaliter, quia in sensu formali diceret modalitatem, & entitatem.

Dicunt fortè Aduersarij, quod isti conceptus obiectiui sunt diuersi ex nostro modo concipiendi imperfectè, & inadæquatè, non autem in re; nam in re essentialiter ens reale essentialiter includit modum, quia ens reale in re essentialiter est determinatum in ratione entis; hæc autem intrinseca determinatio modus intrinsecus est, & probatur, quia ens reale essentialiter, saltèm in radice includit posse existere realiter; per hoc enim contradistinguitur essentialiter ens reale ab ente reali puro, quia hoc neq; est, neque potest esse realiter; illud verò intrinsecè potest existere realiter saltem in radice, sed non potest ens existere realiter nisi sit intrinsecè determinatum, secùs daretur natura vniuersalis existens extrà singularia; hæc autem intrinseca determinatio non est nisi modus intrinsecus.

Respondeo nego assumptum; ad probationem respondeo, duplicem esse determinationem intrinsecam, aliam essentialem, & aliam modalem; essentialis est prædicatum essentiale differentiale entis; modalis verò, non est prædicatum essentiale entis, neque genericum, neque differentiale; quia modus intrinsecus, vt dixi, non est ens intrinsecè formaliter, sed tantùm materialiter, quia modus intrinsecus sua ratione formali non est ens, secùs non esset modus intrinsecus, sed gradus formalis entis, & non modus intrinsecus: quod autem hic sit quidditatiuus conceptus modi intrinseci, probatur illa regula generali; conceptus quidditatiuus vniuscuiusque est, quo posito, remoto quocunque alio ponitur illius quidditas, & quo solo remoto, & posito quocunque alio, non ponitur, sed posito hoc solo conceptu quidditatiuo, scilicèt quod modus est intrinseca determinatio, quæ non est ens formaliter, sed solùm entitate sui modificati, quocunque alio remoto, statìm ponitur quidditatiuè modus intrinsecus; & hoc solo remoto, quocunque alio po-

posito, non ponitur modus intrinsecus; & totum hoc verum est in re, non in imperfecto nostro modo cognoscendi: & probatur; quia posito hoc conceptu quidditatiuo in re, antè omnem operationem nostri intellectus, remoto quocunq; alio, ponitur modus intrinsecus, &c.

Totum hoc à priori ostendit ratio fundamentalis conclusionis, nimirum quia modus intrinsecus secundùm se, non est ens formaliter, quia secundum se modus intrinsecus contradiuiditur, non solùm à suo modificato; sed etiam à differentia ex natura rei, quæ est gradus entis formaliter: sed prædicata conuenientia essentię secundùm se, conueniunt illi in re antè omnem operationem nostri intellectus; prædicata enim quæ conueniunt essentiæ ex nostro modo intelligentiæ, non sunt prædicata essentialia essentiæ secundùm se.

Instabunt fortè Aduersarij, totus hic noster discursus fundatur in eo principio, tanquam in prima radice, quia ens creatum formaliter est intrinsecè, & formaliter limitatum in ratione entis formaliter; sed hæc limitatio entis creati, non est sufficiens ad fundandam distinctionem realem in generali inter modificatum, & eius modum intrinsecum: & probatur; nam ad fundandam distinctionem hanc, requiritur limitatio intrinseca partis, non autem limitatio totius; quia est sermo de distinctione vnius ab alio in vno, & eodem indiuiduo; ad hanc autem distinctionem requiritur limitatio partis, non totius: sed ens creatum formaliter est limitatum limitatione totius indiuidui entis; quia indiuiduum est indiuisibile, inquantum indiuiduum; limitatio autem conuenit enti, inquantum est hoc ens, non in quantum est ens, etiam in quantum est ens creatum.

Respondeo, nego limitationem entis creati formaliter, non esse limitationem partis, quatenus scilicèt modificatum, vt contradistinguitur à modis intrinsecis, est pars totius coniuncti ex entitate, & modo intrinseco, & ratio à priori est; quia limitatio enti creato formaliter conuenit, in quantùm in ente creato formaliter, essentia non est sua existentia; est enim ens creatum essentialiter ens potentiale; sed hæc potentialitas conuenit per se primò enti creato, inquantùm est ens creatum formaliter, quod est pars huius coniuncti, ex ente, & modo intrinseco.

Instabunt secundò Aduersarij: ens reale est essentialiter determinatum; est enim ens reale ex eo reale, quia possibile est existere, quod autem potest existere est intrinsecè determinatum; ergo determinatio est prædicatum essentiale entis realis: sed hæc determinatio intrinseca, modus est intrinsecus: ergo modus est prædicatum essentiale entis; ex hoc autem sequitur, quod ens reale formaliter non distinguitur ex natura rei à suis modis intrinsecis.

Respondeo, duplicem esse determinationem entis realis, aliam essentialem, & aliam accidentalem, sed intrà entitatem; sicut datur duplex modus, alius accidentalis, & alius essentialis, sed intrà entitatem; vt ostendimus; realitas intrinseca entis est determinatio essentialis, non autem accidentalis; ens reale formaliter à Scoto, ponitur ex natura rei distinctum à modis intrinsecis accidentalibus, non autem à modis essentialibus, cùm dicit *in primum sententiarum distinct. 3. quæst. 3. & distinctione 8. quæstione secunda, & in secundum distinctione 3. quæstione 6.* ens non includi in suis modis intrinsecis, neque in suis proprijs passionibus, neque è contrà, modos intrinsecos entis esse ens formaliter.

Obijcies ex Suarez *disp. 2. dist. 3. num. 8.* si in substantia creata ens formaliter distingueretur ex natura rei à sua perseitate aptitudinali; quæritur, quale ens est illud, quod distinguitur à perseitate aptitudinali: aut enim, inquit, est ens commune, & ab omni singularitate abstractum, aut determinatum ad singulare ens; primùm est euidenter falsum; quia daretur realiter existens natura vniuersalis, quod repugnat, quia non potest existere, nisi quod determinatum est; natura autem communis non est determinata; igitur dicendum est necessariò secundum; quia non datur medium inter determinatum, & non determinatum, cum reducantur ad contradictoria: & tunc de hoc iterum inquirit, an in hoc ente singulari distincto ex natura rei à perseitate aptitudinali, sit aliqua distinctio ex natura rei inter ens, & singularitatem; si sit distinctio ex natura rei redit idem argumentum à capite; quia illud ens non potest existere realiter, nisi in priori naturæ sit determinatum, vndè oportebit resoluere illud ens in duos conceptos obiectiuos, & sic in infinitum: si verò non est distinctio ex natura rei inter illos duos conceptus obiectiuos habetur intentum, quod ens formaliter non distinguitur à suis modis intrinsecis; quia inuoluit ens reale, vt prædicatum essētiale, determinationem intrin-

Rr secam-

secam. Idem argumentum facit Suarez ad probandum, quod neque modus intrinsecus ex natura rei distinguitur ab ente modificato, vt videre est loco citato.

Respondeo eadem distinctione, duplicem esse determinationem entis creati formaliter, aliam essentialem, & aliam accidentalem; sed intrà eius entitatem, essentialis, est ipsa intrinseca realitas entis formaliter, vt rectè probat Opponens: qua posita distinctione, sine dubio ens, quod in substantia, v. g., creata distinguitur à perseitate aptitudinali ex natura rei in generali, est determinatum determinatione essentiali, seù essentiæ; ex hoc autem non potest inferri, quod ens determinatum determinatione essentiali, sit resolubile in alios duos conceptus obiectiuos, ex natura rei distinctos. Primò, quia determinatio essentialis est intrà essentiam entis realis, sicut rationale est intrà essentiam hominis. Secundò, quia determinatio essentialis est prima in genere determinationis: primum autem in quodlibet genere est irresolubile in aliud prius; quia simùl esset primum, & non primum secundùm idem in suo genere.

Quod si quæras sit nè hoc ens essentialiliter determinatum indiuiduum, seù singulare actu; an non indiuiduum, & non singulare actu: non potest dici, quod sit formaliter, & actu singulare, nam singularitas, & ratio indiuidui in creatis est extrà essentiam rei, solùm enim Deus est essentialiter singularis; ergo debet esse illud ens non singulare, & non indiuiduum: sed hoc est impossibile, quod existat realiter; quia quod potest existere debet esse actu, & formaliter determinatum; existentia enim est vltimus actus in genere entis, qui supponit essentiam completam vsque ad indiuiduationem formalem.

Respondeo, quod ens formaliter distinctum ex natura rei à perseitate, est determinatum determinatione incompleta in genere entis, quia est determinatum determinatione essentiæ; essentia autem est incompleta, & complebilis in genere entis; completur verò in genere entis per existentiam, vt suo loco fusè probabitur, & hæc determinatio essentiæ satis est, vt essentia sit realis, & possit existere realiter.

Cùm denique quæritur ab Opponente, an hęc determinatio essentiæ, sit singularis, an non singularis, & indiuidua.

Respondeo, quod hæc realitas essentialis, in vno, & eodem indiuiduo, est singularis fundamentaliter, non autem formaliter; singularitas enim formalis est modus intrinsecus, sed extrà quidditatem sui modificati; vel est actualis existentia, iuxta varias Methaphysicorum opiniones, v. g., ens, in quod resoluitur substantia creata cum diuiditur in ens, & perseitatem formaliter, siuè essentialiter, est determinatum determinatione essentiæ, siuè actualitatis essentialis, quæ est realitas essentialis; quia, vt sępè repetiuimus, id quod reale est, necessariò debet habere posse existere, nunquam verò potest existere, quod non est determinatum intrinsecè, quod enim commune est, nunquam potest existere realiter; solùm enim reale, determinatum est; hoc autem reale essentiale in re, est singulare, non quidem formaliter, sed fundamentaliter, quatenus scilicèt est fundamentum, siuè radix indiuiduationis formalis, quæ vel est perseitas aptitudinalis extrà quidditatem essentiæ, vel est ipsa formalis existentia.

Respondeo secundò, ens reale realitate essentiæ in substantia, vel in accidente, proùt contradistinguitur à modo intrinseco accidentali, esse singulare quoad entitatem, non autem quantùm ad indiuiduationem, siuè singularitatem formalem; ad eum modum, v. g., quo dimidium in continuo ante diuisionem, siuè bicubitum, vel tricubitum in continuo ante diuisionem, reperitur quantùm ad entitatem, non autem quãtũ ad tantitatem, quæ est intrinseca determinatio; hæc enim non est actu, & formaliter, nisi consequenter ad diuisionem.

Sed potest Aduersarius instare; dicens, quod substantia creata adæquatè diuiditur in ens, & perseitatem; ex membris autem diuidentibus, vnum excludit aliud formaliter: at si dicatur, quod ens, quod est vnum membrum diuisionis substantiæ in ens, & perseitatem esse singulare fundamentaliter, siuè radicaliter, siuè entitatiuè; ens, quod est membrum diuisionis non excludit à se perseitatem, quia non potest ens esse indiuiduum etiam fundamentaliter, nisi præsupponantur in eo omnes differẽtiæ essentiales vsq; ad vltimam? prior enim est in ente differentia essentialis, quàm accidentalis; quia accidentalis supponit essentiam completam iam constitutam; ergo, &c. Quod si dicatur ens, quod est vnum membrum diuisionis esse ens per se perseitate essentiali, ens non erit membrum diuidens, sed ipsum diuisum, quod est substantia creata.

Respondeo, hanc instantiam posse solui, iuxtà duas opiniones; prima est substãtiam creatam diuisione totius actualis diuidi in ens reale, quod secundùm se, neque est substantia, neque accidens, & in perseitatem

tatem essentialem, sicut homo diuiditur in animale, & in rationale; secunda est dicentium, substantiam creatam diuidi in ens, quod est per se, quoad entitatem; & in perseitatem, per quam ens, quod erat per se quoad entitatem, fit actu modaliter per se: vel, quod idem est, substantiam creatam diuidi, in ens quod fundamentaliter est per se, & in perseitatem actualem: quæ sententia sumitur ab Aristotile 8. *metaphys. cap. vlt. textu* 16. vbi dicit, quod ens seipso absque vllo addito determinatur ad substantiam, qualitatem, & quantitatem.

Iuxtà primam opinionem, respondeo ens, quod in substantia creata contradistinguitur à perseitate accidentali, diuiditur in primum gradum omnium graduum, qui sunt in quolibet ente singulari, & in perseitatem essentialem: sicut, v. g., diuiditur homo in substantiam rationalem; substantia enim est primùm genus prædicamentale, quod diuiditur per differentias vsque ad substantiam indiuiduam, in qua diuisione præsupponitur perseitas essentialis; sicut enim, cùm definitur homo substantia rationalis, rationalitas quæ est differentia supponit omnes alias differentias essentiales intermedias, quæ sunt corporeitas, siuè gradus corporis substantialis, gradus viuentis, & gradus sensitiui: pariter cùm definitur substantia creata ens per se, ly ens per se, supponit pro primo gradu entis, qui est in quolibet singulari cuiuscunque prædicamenti, sed contracto per perseitatem essentialem, ad quam immediatè consequitur indiuiduatio formalis, quia perseitas, qui est modus intrinsecus accidentalis, præsupponit differentiam omnem essentialem, vsque ad indiuiduationem; sicut differentia accidentalis, præsupponit omnem aliam differentiam essentialem, vsque ad indiuidualem.

Iuxta verò secundam sententiam, substantia creata diuiditur in ens, & perseitatem intrinsecam accidentalem; ens verò supponit etiam pro ente contracto à perseitate essentiali; quia perseitas accidentalis necessariò debet præsupponere perseitatem essentialem, quæ scilicèt est modus essentialis substantiæ; implicat enim esse posterius non supposito suo priori, vel dari secundum in vno genere, non præsupposito primo in eodem genere, & sic in vtraque sententia ens reale, quod est vnum membrum diuidens substantiam creatam diuisione totius actualis in suas partes actuales, est ens reale per se perseitate essentiali completum, vsque ad indiuiduum formale; est autem indiuiduatio, siuè singularitas formalis, vel modus intrinsecus medius inter essentiam, & existentiam, vel ipsa existentia formaliter, de quo suo loco fusè dicetur; vndè ens reale in substantia, proùt distinguitur à perseitate intrinseca, sed accidentali, est determinatum determinatione essentiæ, vsque ad indiuiduationem.

Suarez verò, vt eius discursus demonstrat, supponit ens, quod in substantia contradistinguitur à perseitate, esse primum, & purum gradum omnium graduum qui sunt in quolibet ente particulari; sed hoc veritatem non continet, quia substantia creata, proùt distinguitur à sua actuali existentia habet duas perseitates in ratione essentiæ; aliam essentialem, & aliam accidentalem; ad perseitatem autem essentialem, cùm sit vltima veluti differentia immediatè consequitur indiuiduatio formalis; ipsa verò perseitas essentialis, dicitur indiuiduatio fundamentalis, siuè radicalis; quia est radix, & fundamentum indiuiduationis formalis, eo quod est differentia essentialis realis; differentia autem essentialis realis non potest esse, scilicèt existere realiter, nisi vt determinata vltima determinatione essentię, quę comprehendit etiam indiuidualem determinationem in radice.

Quod si dicas, nunquam datur modus in eodem genere ad alium modum, e. g., non datur actio ad actionem; seipsa enim actio formaliter est actio; ad motum, non datur motus, ad creationem non datur creatio, ad figuram non datur figura, &c. sed perseitas essentialis est modus; ergo non potest dari in eodem genere modi, alius modus accidentalis. Confirmatur, quia non sunt multiplicandi modi sine vlla rationabili necessitate, quando nimirum vnus modus est sufficiens ad omnia, sed in substantia creata sufficit tantùm modus essendi per se essentialis, ergo, &c.

Respondeo distinguo maiorem, non est dabilis modus ad alium modum ad eundem effectum indiuisibilem causandum, & concedo: non est dabilis modus ad alium modum ad diuersos effectus formales, & nego.

Respondeo secundò, concedo maiorem, & minorem, sed nego consequentiam; quia modus accidentalis non est in eodem genere cùm modo essentiali: vel dici potest, quod non est dabilis modus ad modum in eodem genere, & ordine; sed nihil prohibet, quin detur modus ad modum in eodem genere, sed in diuerso ordine, vt, v. g., in indiuiduo substãtiæ datur vltima differentia

tia indiuidualis, & datur exiſtentia, quæ eſt vltimus actus; ſed indiuiduatio eſt actus vltimus in ordine eſſentiali, exiſtentia verò eſt vltima in ordine exiſtentiali.

Reſpondeo tertiò, quod non datur modus ad modum in eodem genere cùm modo primitatis,& concedo: non datur modus ad modum in diuerſo genere,quorum vnum eſt prius alio, & nego; ratio primi eſt, quia non dantur duo prima in eodem genere, ſecùs primum in vno genere, non eſſet cauſa cæterorum in eodem genere; ratio ſecundi eſt, quia hæc explicata contradictio non reperitur in modis, quorum vnus eſt prior alio in diuerſo genere;in re noſtra, modus eſſentialis eſt prior modo accidentali intrinſeco in eodem genere, ideò poteſt dari modus poſterior ad modum priorem, qui eſt modus eſſentialis.

Dicet fortè Aduerſarius, quod hæc reſponſio non euacuat difficultatem principalem, quæ eſt in explicando quale ſit eſse reale, in quo ſubſtantia creata cōuenit cùm accidente, & quod ſupponitur diſtingui ex natura rei in generali, à modo contrahente illud ad eſse ſubſtantiæ: aut enim,inquit Suarez, eſt ens commune, & ab omni ſingularitate abſtractum, aut determinatum ad ſingulare ens; Primum eſt euidenter falſum, quia commune non poteſt exiſtere realiter; quod enim exiſtit realiter debet eſſe in priori naturæ determinatum; ergo dicendum eſt ſecundum: & tunc inquirit Suarez, an ens præciſum à modo ſubſtantiali, ſit diſtinctum ex natura rei, an indiſtinctum à modo illo ſubſtantiali; non poteſt dici diſtinctum ex natura rei, nam ens diſtinctum eſt adhùc reſolubile in infinitum, quod implicat; ſi verò eſt indiſtinctum ex natura rei,ſequitur euidenter concluſionem noſtram eſse falſam.

Reſpondeo, modum eſſentialem eſse duplicis conditionis, alium ſcilicèt diuiſiuum intrinſecè cōceptus obiectiui communis ex natura rei, & alium non diuiſiuum; inaleitas,v.g., & perſeitas aptitudinales eſſentiales, & primæ, ſunt modi eſſentiales diuiſiui intrinſecè, & ex natura rei; realitas autem entis prima, & radicalis in generali, non eſt diuiſiua intrinſecè, ſicut eſſe à ſe in Deo; ſed conſtituit adæquatè ens reale, ſicut eſſe à ſe conſtituit adæquatè ens increatum,& eſse dependens à cauſa prima conſtituit ens creatum adæquatè; in quibus ex natura rei non eſt diſtinguibile ens reale commune vtrique, quia hoc vt probauimus præcedente queſtione,eſt ens chymericum, ens formaliter diſtinguitur à modis diuiſiuis eſſentialibus, non autem à modis non diuiſiuis,& adæquatè conſtituentibus, v.g., in ente reali, in quo ſubſtantia creata conuenit cùm accidente, non eſt diſtinguere ex natura rei ens a realitate; quia, vt dixi, realitas eſt modus eſſentialis adæquans ens ex natura rei, ſicut eſſe à cauſa prima adæquat ens creatum eſſentialiter, ſed ſolùm hoc ens diſtinguitur ex natura rei à perſeitate, tùm eſſentiali, tùm accidentali, ſiuè a perſeitate,tùm prima, tùm ſecunda.Cùm verò inquirit Suarez, quale ſit hoc eſse,quod diſtinguitur à perſeitate, ſit nè commune, an ſingulare.

Reſpondeo, eſse ens ſingulare in ſenſu materiali, & ſpecificatiuo; non autem in ſenſu formali, ſcilicèt eſt id,quod eſt ſingularizatum, non autem eſt ens ſingularizatum, ſicut animal in homine eſt ſingulare in ſenſu materiali, & ſpecificatiuo, non autem in ſenſu formali; nimirum eſt animal, quod eſt diuiſum ſingulariter, & formaliter per ſingularitatem, quia animal, vt gradus eſſentialis diſtinguitur ex natura rei à ſingularitate: pariter ens reale in ſubſtantia, eſt quidem ens per ſe in ſenſu materiali, & ſpecificatiuo, non autem in ſenſu formali; & hoc ſufficit, vt ſit potens exiſtere realiter in priori naturæ, antequam exiſtat. Hæc explicatio conformis eſt doctrinæ probabiliori dicentium, dari in rerum natura vniuerſale, non quidem per abſtractionem ab omnibus diuiſiuis, ſed per omnimodam ſimilitudinem, quæ non tollit diuiſionem intrinſecam per differentias extrà eſſentiam diuiſi, ſiuè illæ ſint eſſentiales, ſiuè materiales, ſiuè indiuiduales. Hæc doctrina multis dura videtur, pręſertim Nominalibus, qui putant non ſolùm ſuperfluos, verùm etiam impoſſibiles, tot modos reales intrinſecos; ſed hæc durities ratione demonſtratiua pellitur; nam vt ſuprà diximus, dantur in rebus realiter modi intrinſeci accidentales, qui nimirum ſunt extrà quidditatem modificati, quatenus nō ſunt prædicata, neque generica, neq; differentialia intrà quidditatem modificati, ſed modi accidentales neceſsariò pręſupponunt modos exiſtentiales; ergo, &c. ſed ex modis eſsentialibus, & primis, alij ſunt diuiſiui, & alij ſunt non diuiſiui, ſed conſtitutiui adæquatè, vt ſuprà explicauimus, ergo, &c. Maior probatur; quia dantur modi intrinſeci diuiſiui entis realis in decem prima genera prædicamentalia, & dantur etiam modi eſsentiales,non diuiſiui, vt ſunt eſse à ſe, & eſſe ab alio vt à cauſa, & realitas in generali. Sunt multa alia argumen-

gumenta, quibus Suarez *loco citato*, oppositum probat, sed soluentur infra.

Secunda conclusio. Hæc distinctio inter ens, & modum entis intrinseca, tam in substantia creata, quàm in accidente, est distinctio realis actualis modalis intrinseca. In præcedente conclusione probauimus hanc distinctionem esse realem, siuè ex natura rei in generali; nunc asserimus illam esse distinctionem modalem intrinsecam, & actualem: est quidem realis, quia reperitur in rebus ante omnem operationem nostri intellectus; modalis, quia est inter rem, & modum eius; est intrinseca, quia est inter rem, & modum eius intrinsecum; est denique actualis, quia est actualis non inclusio modi intrinseci intrà quidditatem modificati; nàm modificatum secundùm se est ens formaliter: modus autem intrinsecus formaliter, non est ens secundùm se; & consequenter actu: hoc vltimum multis videtur contradictorium; quia modus intrinsecus essentiæ, est intrà essentiam; essentia autem, quædam quidditas est: ergo contradictorium est, modum intrinsecum esse extrà quidditatem sui modificati: sed hæc difficultas soluta est supra cùm Antonio Trombetta *in tract. formalitatum, art. 2. par. 2. vers. pro declaratione definitionis*; quæ datur de modo intrinseco circa medium, quod dupliciter intelligi potest, modum intrinsecum esse intrà quidditatem sui modificati, positiuè, & negatiuè; concedit modum intrinsecum Trombetta esse intrà quidditate modificati positiuè, non autem negatiuè, & sic esse intra, & extrà, sed sub diuersa consideratione formali, quæ tollit omnem contradictionem; contradictio enim est secundùm idem.

Respondeo secundò alijs terminis, modum intrinsecum esse intrà entitatem modificati inadæquatè, non adæquatè; quia includitur intrà entitatem modificati vno modo tantùm, scilicèt materialiter; non autem omni modo, scilicèt, & materialiter, & formaliter: inclusio vnius in alio formaliter est, quando vnum est prædicatum essentiale, vel genericum, vel differentiale, v.g. animal includitur formaliter, & essentialiter in essentia hominis, quia animal est prædicatum genericum hominis; rationale verò includitur formaliter, siuè essentialiter intrà hominis essentiam vt prædicatum essentiale differentiale; modus intrinsecus non includitur intrà entitatem, vel formalitatem modificati, neque vt prædicatum essentiale genericum, neque vt prædicatum essentiale differentiale: ostenditur; nam definitio essentialis entis creati est esse ens sua ratione formali, inter hæc prædicata essentialia, nullo modo includitur modus intrinsecus vt prædicatum essentiale; quia modus intrinsecus formaliter non est ens, nimirum sua ratione formali non est extra nihilum reale, sed solùm includitur intra entitatem, & formalitatem sui modificati materialiter, quatenus modus intrinsecus non est ens, nisi entitate sui modificati; vel quia modus intrinsecus intantùm dicitur ens, inquantùm est intrà entitatem sui modificati, quod est subiectum entificans modum, sed materialiter non formaliter, quia prædicata entis formalia, siuè essentialia, non sunt prędicata essentialia modi intrinseci; modus enim intrinsecus essentialiter, siuè formaliter, non est nisi intrinseca determinatio entis. Totum hoc explicat Antonius Trombetta *loco suprà citato*, dicens, quod modus intrinsecus est idem cùm modificato formaliter, non quidem positiuè, sed negatiuè; positiuè, inquit, illud est idem formaliter alicui, quod est de intrinseca formalitate ipsius, eo modo, quo animal est de essentia hominis; negatiuè verò illud est idem formaliter alicui, quia non habet aliam formalitatem, qua entificatur nisi formalitatem sui modificati; intelligendus est autem prędictus Methaphysicus de formalitate entitatiua, non autem de formalitate modali. Consimiliter, inquit, dupliciter intelligi potest, modum esse distinctum à suo modificato; vno positiuè, alio modo negatiuè; negatiuè quidem, quia non est de essentia illius, à quo distinguitur; positiuè verò, quia habet distinctam formalitatem, nimirum vt ego interpretor, quia habet distinctam formalitatem entitatiuam; vt, v.g., vnus gradus methaphysicus distinguitur ab alio in vno, & eodem indiuiduo in doctrina Scoti; ex quo discursu colligitur, quod modus intrinsecus, vno modo est intrà formalitatem modificati; alio modo non est intrà, sed extrà; intra modificatum est, vt inquit Trombetta, negatiuè, quia non habet distinctam formalitatem, vel quia eadem est formalitas entitatiua, & modi; extra verò positiuè est, quia modus non est prædicatum essentiale, siuè formale modificati.

Ratio fundamentalis conclusionis est, quia ens creatum formaliter secundùm se est limitatum intrinsecè ad ens formaliter, sed hęc limitatio est causa distinctionis actualis modalis entis modificati à suis modis intrinsecis secundis, siuè accidentalibus, de quibus hic loquimur; ergo ens creatum

for-

formaliter distinguitur secundùm se distinctione reali modali à suis modis intrinsecis secundis; dico, à suis modis intrinsecis secundis, ad differentiam modorum, qui sunt modi essentiales, constituentes essentialiter ens, vt est modus essendi à prima causa, qui cõstituit essentialiter ens creatum. Maior demonstrata est in præcedente conclusione; quia scilicèt ens creatum essentialiter includit potentialitatem ad esse; hæc autem per se primò est entis creati formaliter, sed hæc potentialitas per se primò limitat ens creatum ad ens formaliter, quia potentialitas ad esse est prima radix omnis limitationis; quoniam est prima potentialitas in quocunque ente creato: prima autem potentialitas est prima radix limitationis, vt suprà ostendimus, sed hęc potentialitas per se primò conuęnit enti creato formaliter, ergo, &c. Minor verò principalis argumenti recipitur ab omnibus; nam limitatio intrinseca est causa, vt vna realitas non sit alia, quod patet ex opposito; nam in Deo vna perfectio non distinguitur ab alia, quia non est limitata intrinsecè ad vnam. Dicitur hæc distinctio realis modalis, quia est distinctio realis entis à suo modo: dicitur modalis intrinseca, quia est distinctio modalis à suo modo intrinseco: dicitur deniq; actualis, quia est ex actuali limitatione entis ad ens tantùm formaliter.

Dicent Aduersarij, ens creatum formaliter esse limitatum limitatione totius, non autem limitatione propria entis, proùt diuiditur à suo modo intrinseco, idque probant; quia idem formaliter est ens formaliter, ac ens tale formaliter: sed ens creatum formaliter, est limitatum ad ens formaliter; ergo etiam idem est, ac esse limitatum ad tale ens; hæc autem est limitatio totius, non autem limitatio partis coniuncti; ad distinguendum autem ens formaliter à suo modo intrinseco, requiritur limitatio partis coniuncti, quæ limitat ens ad ens tantùm formaliter.

Sed contra est; quia vt suprà diximus, ratio prima limitationis in creatis, est potentia ad esse; hæc autem potentialitas, formaliter est propria entis creati formaliter; quia potentia ad esse, est prima differentia entis formaliter, modus autem intrinsecus formaliter non est ens; ergo potentia ad esse formaliter, & per se primò limitat ens creatum formaliter, quod scilicèt est ens sua ratione formali.

Quod si dicas, potentialitatem ad esse, limitare etiam modum intrinsecum, quia est prima potentialitas in quocunque ente creato, siuè per se, siuè cum alio; prima autem potentialitas est prima radix omnis limitationis; hoc autem posito, sequitur euidenter, hanc potentialitatem ad esse, non solùm limitare ens creatum ad ens creatum formaliter, sed etiam ad tale ens intrinsecè.

Respondeo, formaliter, & per se primò, potentiam ad esse, limitare ens creatum ad ens formaliter; secundariò verò, & consequenter limitare etiam modum in ratione modi; at hoc ostendit limitationem entis creati ad ens formaliter esse priorem, quàm sit limitatio formalis, & intrinseca modi ad formalitatem modi.

Obijcies primò: ratio pręcipua, cur modus intrinsecus in ente creato distinguitur distinctione reali modali à suo modificato, ea est, quia modus intrinsecus formaliter non est ens; hic autē conceptus, vbi habet locū limitatio formalis, necessariò est distinctus ex natura rei à modificato, quia contrahitur formaliter per limitationem; sed hæc ratio, recedit à veritate; ergo, &c. Maior, quoad primam partem, conceditur à nobis cum Scoto; quantùm ad secundam verò probatur, quia formalitas quæcunque, siuè entitatiua, siuè formalis, pręscindit à distinctione, & indistinctione, quia præscindit à limitatione, & illimitatione formali; vbi habet locum limitatio formalitas est limitata; in ente verò, in quo reperitur illimitatio formalis, est illimitata formaliter, vt i Deo; Minor principalis argumenti probatur, quia modus intrinsecus formaliter est realis, & est positiuus; sed realitas positiua est prædicatum entis; ergo modus formaliter est ens; sed hoc posito, implicat modum intrinsecum distingui ex natura rei modaliter à suo modificato; ergo, &c.

Quod si dicas vt suprà, modum intrinsecum esse reale positiuum intrà entitatem modificati, non autem extrà; vel esse realem positiuè realitate sui modificati, non autem realitate propria, & formali, &c.

Statim Aduersarij argumentantur contrà: formalitas quælibet est realis formaliter, & adæquatè, ex eo quia inuoluit prædicata non contradictoria; sed totum hoc habet modus intrinsecus, quatenus modus formaliter intrinsecus; ergo modus intrinsecus entis positiui formaliter, est positiuus & realis, sed hæc sunt prædicata entis formaliter; ergo modus est formaliter ens.

Respondeo ad principale, concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem distinguo maiorem: modus intrinsecus sua ratione formali intrà entitatem sui modificati,

cati,

cati, est realis, & positiuus & concedo, sua ratione formali, extrà entitatem sui modificati, & nego; modus enim intrinsecus, non potest esse realis, nisi intrà entitatem sui modificati: extrà verò, non potest esse modus intrinsecus realis; realitas enim præsertim positiua est prædicatum entis formaliter. Quod difficultatem facit Suarez, est quia ens formaliter includitur essentialiter in omnem modum essendi intrinsecum, inclusio autem essentialis contradicit distinctioni reali actuali, quin hæc dicit negationem inclusionis vnius in alio; sed hęc difficultas, distinctione modo data, facillimè pellitur: quandoquidem ens formaliter includitur vno tantùm modo inclusionis essentialis, non omni modo, nimirum includitur tantùm, vt prædicatum intrinsecum materiale entificans modum intrinsecum in sua ratione formali; non verò includitur etiam vt prædicatum formale, neque genericum, neq; differentiale; quia ens formaliter, formaliter neque est determinatio intrinseca, neque talis determinatio intrinseca: sicut è conuerso, modus intrinsecus includitur materialiter tantùm in entitate modificati, quatenus scilicèt modus intrinsecus non est ens, nisi entitate sui veluti subiecti, & modificati; sed non includitur formaliter, quia non est prædicatum, neq; genericum, neque formale entis modificati: nam modificatum, cum sit ens formaliter in suo adæquato conceptu essentiali, & formali, solùm dicit, quod sua ratione formali est extrà nihilum, in quibus prædicatis essentialibus, non includitur, neque vt prædicatum essentiale genericum, neque differentiale, modus intrinsecus. Distinctio ex natura rei modalis intrinseca actualis consistit in hoc, quod modificatum, quatenus est ens formaliter, non includitur in ratione formali modali, neque vt prædicatum essentiale genericum, neque differentiale; quia prædicatum genericum modi intrinseci, inquantùm modi, est intrinseca determinatio; prædicatum verò essentiale est talis intrinseca determinatio, siuè taleitas determinata intrinsecæ modalitatis: & ideò dicitur hæc, distinctio, non identitas actualis formalis, & est hæc distinctio similior, & propinquior distinctioni formali reali, quã distinctioni reali entitatiuæ: sicut enim distinctio realis formalis est inter duas quidditates, seù inter duas formalitates, quæ sunt duo gradus formales entis in vna entitate, ità formalitas modificati, quæ est formalitas entitatiua, & formalitas modalis, sunt distinctæ actu in vna, & eadem entitate modificati.

Obijcies primò: substantia creata, siuè quæ distinguitur contra accidens, siuè quæ est genus primum prædicamentale, est diuersus gradus entis formaliter à cęteris primis generibus prædicamentalibus: sed si perseitas aptitudinalis esset purus modus intrinsecus distinctiuus substantiæ à cæteris generibus; substãtia, quæ est genus primum prædicamentale, non esset formaliter gradus specialis entis formaliter: sicut si gradus corporis substantialis esset purus modus essendi, gradus corporis non esset gradus entis formaliter, neque esset differentia substantiæ prędicamentalis; ergo perseitas aptitudinalis cõstituens substantiam, quod est genus summum prædicamentale, aut constituens substantiam contradistinctam ab accidente, non est purus modus intrinsecus.

Respondeo, ex dictis suprà ad obiectionem tertiam contra tertiam conclusionem; quod sicut ens formaliter, dupliciter sumi potest; vno modo, proùt significat primum gradum, siuè primum prædicatum, quod reperitur in quolibet genere prædicamentali, vel saltem in tribus primis prædicamentis, quæ sunt substantia, qualitas, & quantitas; alio modo pro ente formaliter, quod est omnis gradus entis per abstractionem à suis inferioribus, modo, quo ibi explicauimus; ità substantia, siuè quę distinguitur contra accidens, siuè quæ est genus prædicamentale, dupliciter sumi potest; vno modo, vt graduat ens formaliter tanquam perfectio simpliciter; alio modo, vt dicit ens contractum per solum modum perseitatis; hoc secundo modo, substantia dicit solum primum gradum entis omnium, quæ sunt in quolibet genere entis prædicamentalis, contractum per modum intrinsecum, qui dicitur perseitas aptitudinalis; & modum accidentalem, nimirum, extra formalitatem modificati: sicut, v.g., hoc animal dicit gradum animalitatis contractum per differentiam indiuidualem. Substantia verò primo modo dicit primum gradum entis, vt graduatum, & perfectum gradu perfectionis substantialis, diuisæ per perseitatem modalem: etenim vt sæpè repetiui, gradus substantialis in ente graduabili, præscindit à suis diuisiuis. Neque ex hoc sequitur, quod gradus entis per se, sit differentia per se entis, quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia; nam (vt infrà suo loco ostendam, cùm sermo erit de gradibus methaphysicis) primus gradus entis, qui abstrahitur ab omnibus generibus prædicamentalibus, in quæ immediatè diui-

uiditur, non distinguitur secũdùm se à gradibus, siuè perfectionibus graduãtibus ens, sicut distinguitur genus prædicamentale substantiæ à gradibus suis essentialibus, & inferioribus, qui sunt gradus corporis, gradus viuentis, &c. & ratio huius, quantùm nunc satis est, esse potest; quia substantia, v.g., quæ est genus primum prædicamentale; est gradus formalis, siuè est gradus formæ, nam est abstractus à specie completa; gradus verò entis, qui diuiditur in decem prima genera prædicamentalia abstrahit ab omni actu formali; distinctio autem ex natura rei, & actualis, sequitur actũ, siuè differentiam. Hæc doctrina dura videtur Aduersarijs; quia opinantur substãtiam, quæ est genus primum prædicamentale adæquatè resolui in ens, quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, & in modum perseitatis aptitudinalis: fundant verò opinionem in eo principio, quod ens formaliter diuiditur formaliter in decem prima genera prædicamentalia tantùm, per diuersos modos essendi, siuè prædicandi intrinsecos; eo quod ens non potest habere extrà se differentias, cum sit ratio vniuessalissima essendi, & hanc doctrinam sequitur etiam S. Thomas, vt suprà diximus.

Sed hoc principium est verum, intellectum de diuisione mediata, non autem de diuisione immediata; quia intelligitur de ente, qui est primus gradus omnium, quæ sunt in quolibet prædicamentum; falsum verò est, si intelligatur de diuisione immediata, & de ente formaliter, proùt abstrahit ab omnibus gradibus primis, qui sunt decem prima genera; prima enim decem genera prædicamentalia sunt perfectiones graduantes ens, & ideò ens immediatè abstrahens à prædictis decem primis generibus, non dicit ens formaliter, proùt contradistinguitur ab omnibus gradibus entis; sicut animal abstractum ab homine, & à bruto, dicit animal præcisè, quod est omne animal; sed dicit ens formaliter, quod est omnis gradus entis formaliter; non quidem in esse reali, sed per abstractionem, quam doctrinam latè explicauimus suprà *loco cit.* & de hoc ente, verum est, quod ens formaliter immediatè diuiditur in decem prima genera prædicamentalia; falsum verò est, si intelligatur de ente, primo modo, proùt præcisè significat ens, quod contradistinguitur à cætetis gradibus entis.

Obijcies secundò: sola distinctio ex nostris conceptibus inadæquatis, satis est ad saluanda omnia, quæ dicuntur de ente formaliter creato, & de modis eius intrinsecis. Primò; semper enim potest Aduersarius negare in re, aliud esse, ens formaliter; & aliud, eius modum intrinsecũ; nam vt concipiantur hæc duo distinctis, & adęquatis conceptibus sine falsitate, satis est, vt reperiantur in ente creato ens formaliter, & modi entis intrinseci; nam aliud est in ente creato reperiri ens formaliter, & modos entis intrinsecos; & aliud est, hæc duo distingui ex natura rei inter se, vt patet in Deo, in quo formaliter sunt, intellectus, & voluntas; sed sine distinctione: in natura verò intellectuali creata, sunt adhùc iutellectus, & voluntas formaliter, sed cum distinctione reali: & ratio à priori est, quia perfectio simpliciter, siuè formalitas secundùm se præscindit à distinctione, & indistinctione reali; quoniam secundùm se, formalitas præscindit à limitata, & illimitata formaliter. Secundò, quia ens formaliter est trascendens omnia; quia est ratio vniuersalissima essendi; sed sola distinctio ex nostris conceptibus inadæquatis, præsupposita tamen existentia entis formaliter, & modi intrinseci in ente creato, magis saluat transcendentiam entis formaliter: & probatur; nam distinctio ex solis nostris conceptus inadæquatis, non tollit ab ente creato transcendentiam, siuè inclusionem entis formaliter, in omnibus modis intrinsecis; quia transcendentia, siuè inclusio entis formaliter in suis modis intrinsecis conuenit enti creato secundùm se, siuè proùt est in suo modo essendi reali: distinctio verò ex nostris conceptibus inadęquatis conuenit enti in modo essendi, quem potest habere in intellectu cognoscente, cognitionibus inadæquatis, & imperfectis; quæ duo prædicata non sunt contradictoria, quia non sunt secundùm eundem modum essendi; ergo superflua vt impertinens, est distinctio ex natura rei actualis inter ens formaliter, & modos entis intrinsecos in creatis.

Respondeo, nego antecedens, & ratio est, quia ens creatum formaliter secundùm se est limitatum ad ens tantùm formaliter, quia ens creatum formaliter est essentialiter potentiale; potentialitas autem essentialis entis creati, est prædicatum entis formaliter, quia dicit potentiam ad esse; at potentialitas ad esse, est prima, & immediata radix limitationis entis formaliter, prius verò, & immediatiùs conuenit potentialitas ad esse enti creato formaliter, quàm eidem conueniat modus essendi intrinsecus, & accidentalis. Limitatio intrinseca, quæ conuenit enti creato formaliter secundùm

se,

se, non solùm est radix distinctionis actualis entis creati formaliter à suis modis intrinsecis; sed etiam conuenit enti creato formaliter independenter ab omni operatione nostri intellectus.

Ad primam probationem; respondeo quod perfectio, siuè formalitas, quæ præscindit à distinctione, & indistinctione; est quæ præscindit à limitatione, & illimitatione formali, non autem est perfectio siuè formalitas secundùm se limitata ad rationem entis formaliter: v.g., sapientia, vt sapientia secundùm se, neque est distincta, neque indistincta realiter ab alijs adiunctis perfectionibus; quia sapientia secundùm se, neque est limitata, neque illimitata formaliter; sapientia verò creata est formaliter limitata, quia est essentialiter potentialis.

Ad secundam probationem antecedentis, nego distinctionem ex nostris conceptibus inadæquatis, magis saluare trascendentiam, & inclusionem entis formaliter in in suis modis, quàm distinctio ex natura rei modalis intrinseca: & ratio est, quia transcendentia, & inclusio entis creati formaliter in suis modis intrinsecis, est materialis, non autem essentialis; siuè est inadęquata, non adæquata; siuè est negatiuè, non positiuè; sine dubio magis saluaret transcendentiam entis formaliter, quando transcendentia, & inclusio entis realis formaliter in suis modis intrinsecis, esset transcendentia, & inclusio essentialis, non materialis, siuè entitatiua.

Dices: hæc responsio supponit in substantia, v.g., creata præter perseitatem accidentalem modaliter, quæ est modus intrinsecus, reperiri formaliter, etiam gradum entis per se: sed hoc est falsum; ergo & antecedens. Minor probatur; quia substantia adæquatè conflatur ex ente formaliter, & perseitate aptitudinali; substantia enim creata adæquatè est substantia; per hoc quod est independens à subiecto inhæsionis; sed totum hoc sufficienter habetur per ens formaliter, & per perseitatem aptitudinalem, quæ est purus modus essendi, independens à subiecto inhæsionis.

Respondeo, transeat maior; dico, transeat; quia adhoc, vt modus intrinsecus in substantia creata distinguatur ex natura rei distinctione actuali modali intrinseca, satis est, vt modus non sit ens, nisi entitate sui veluti modificati, & subiecti; hoc autem potest saluari, siuè in substantia creata ponatur solus gradus entis, cum perseitate aptitudinali, & modali, siuè ponatur gradus entis realis, priùs contractus per gradum entis per se, quàm perperseitatem aptitudinalem modalem: sed nego minorem; nimirùm non dari hunc gradum entis per se in substantia creata; pręsertìm quæ est genus primum prædicamentale; & ratio cur detur hic gradus entis per se formalis præter perseitatem modalem in substantia prædicamentali; datur enim perseitas modalis; sed hæc necessariò præsupponit gradum entis per se; etenim perseitas modalis est accidentalis; hæc autem supponit gradum entis per se essentialem; sicut omnis forma accidentalis supponit formam substantialem. Secundò; quia in substantia creata datur ens per se materialiter; ergò necessariò debet dari ens per se formaliter; dato enim vno oppositorum in natura, debet dari & aliud, saltem de possibili. Antecedens est certum; quia datur perseitas aptitudinalis, quæ est modus intrinsecus. Tertiò; quia dato hoc, ponitur in Deo maior perfectio; nàm dato hoc Deus est participabilis, non solùm in modo essendi per se; sed etiam in gradu entis per se, quæ est maior perfectio. Quartò; quia decem prima genera prædicamentalia, sunt primi gradus perfectionis, & entis formaliter; gradus autem entis formaliter distinguitur ex natura rei à modis intrinsecis.

Neque obstat si dicas, ens reale formaliter diuidi in decem prædicamenta per diuersos modos essendi intrinsecos; nàm vt suprà diximus, hoc verum est de diuisione mediata, non autem immediata; prima enim diuisio entis realiter creati est in diuersos gradus formales entis generales, qui sunt genera prima prædicamentalia; quodlibet enim genus primum prædicamentale, est ens formaliter diuersum à cæteris.

Obijcies vltimò; ens formaliter, non solùm reperitur in substantia creata; sed etiam in substantia increata puta in Deo; sed in Deo ens formaliter non distinguitur à perseitate ex natura rei actu; ergò neque in substantia creata.

Neque dicas, quod ens in substantia increata non distinguitur à suis modis; quia est cum illimitatione formali, in

in substantia verò creata, est cum limitatione formali, nàm.

Contra potest quis arguere, dicens pro Suarez, quod perseitas, & consequenter modus intrinsecus, distinguitur ab ente modificato ex natura rei in creatis, ex eo quia perseitas, siuè modus intrinsecus formaliter non est ens; sed etiam in Deo modus intrinsecus formaliter non est ens; ergo vtrobique est par ratio; Sed adhoc impertinenter se habet, & materialiter limitatio formalis, vel illimitatio formalis entitatiua.

Hæc obiectio præbet nobis occasionem examinandi hanc difficultatem in præsenti articulo.

---

## ARTICVLVS TERTIVS.

### An etiam in Deo sint puri modi essendi intrinseci: & an distinguantur ab esse Diuino, actu ex natura rei.

PRima Conclusio. In Deo non sunt modi essendi intrinseci diuisiui formaliter: sunt modi intrinseci diuisiui formaliter, quibus intrinsecè ens formaliter multiplicatur in plura entia, vt sunt perseitas, & inaleitas aptitudinales, quibus intrinsecè diuiditur ens formaliter in substantiam, & accidens; & modi intrinseci, quibus ens formaliter diuiditur in decem prima genera prædicamentalia. Conclusio est contra eos Scotistas, quos sequitur, & explicat Antonius Trombetta in *tractatu formalitatum, articulo 2. secunda parte versic. pro declaratione; quomodo differentia importat realitatem distinctam à genere*: asserentes, ens reale formaliter diuidi in ens increatum, & in ens creatum, & in ens finitum, & in ens infinitum, infinitudine nimirùm formali, per primos modos essendi intrinsecos, qui sunt esse à se, scilicèt sine vlla dependentia à causa priore, & esse per dependentiam intrinsecam sui esse à priori causa, & finitas, & infinitas; primò enim, & immediatè ens diuiditur, inquiunt, in ens finitum, & in ens infinitum formaliter; & in ens creatum, & in ens increatum: posteriùs verò ens creatum, siuè finitum diuiditur in substantiam, & accidens, & in decem prima genera prædicamentalia. Ratio fundamentalis Conclusionis est, quam latè explicauimus præcedente quæstione; quia modi intrinseci diuisiui diuidunt intrinsecè ens potentiale passiuum; sed contradicit esse Diuino omnis potentialitas passiua; ergò implicat, in Deo esse modos intrinsecos diuisiuos. Maior probatur; quia ens intrinsecè diuisibile, est ens, quod non est essentialiter omne esse demptis imperfectionibus, nàm quod est essentialiter omne esse, non est diuisibile in plura entia: hac enim ratione natura, v. g. humana est diuisibilis in plures naturas humanas, numerò diuersas; quia natura humana non est essentialiter omnis humanitas; natura verò vnius cuiuslibet Angeli, in modo essendi naturali, est tota in sua latitudine specifica; at ens quod non est essentialiter omne ens est potentiale; quia est essentialiter imperfectum in latitudine entis; proindè, non est dabile ens reale formaliter, quod diuidatur in Deum, & in Creaturam, quia hoc ens esset intrinsecè potentiale; implicat autem in Deo omnis potentialitas passiua; quia Deus est essentialiter actus purissimus.

Respondet Antonius Trombetta *loc. sup. cit.*, ens, quod diuiditur intrinsecè per differẽtias, quæ sunt gradus entis formaliter, esse intrinsecè potẽtiale, nõ verò ens formaliter, quod diuiditur intrinsecè per modos intrinsecos; quia potẽtia passiua est ad gradũ entis formaliter; dicit enim realitatem realiter complebilem suo actu perfectiuo; at modi intrinseci entis formaliter, non sunt ens.

Sed hæc responsio, præter dicta in præcedẽte quæstione, reijcitur facilè. Primò, ratio enim Conclusionis, directè per se primò nõ contendit, modũ diuisiuũ intrinsecũ esse diuisiuũ entis, quod est in potẽtia ad gradum entis diuisiuũ; sed solùm cõtendit modos intrinsecos diuisiuos entis esse essentialiter diuisiuos entis, quod non est essentialiter omne esse; sed in potentia ad plura esse inferiora; hoc autem ens est essentialiter potentiale, potentialitate passiua ad existentiam, & ad plura esse suorum inferiorum.

Secundò reijcitur; quia modi intrinseci diuisiui, sunt essentialiter extrà quidditatem diuisi; diuisibile enim realiter secundùm se abstrahit à diuidentibus; sed hæc extreitas essentialis ex natura rei, & secundùm se supponit necessariò in ente diuiso potentialitatem ad esse; hęc enim est prima potentialitas, quæ est radix omnis potentialitatis; in quocunque enim genere debet dari vnum primum, quod est causa cæterorum in eodem genere.

Tertiò reijcitur; quia duplex est potẽtialitas passiua; alia est entitatiua, & hęc est potẽtialitas passiua ad gradũ entis formaliter,

com-

completiuum in genere entis; & alia est potentialitas passiua modalis, & hęc ad modum intrinsecum distinctum ex natura rei modaliter, ab entitate sui modificati, & hæc etiam repugnat esse in Deo; quia Dei essentia est infinita infinitudine, & illimitatione formali, quæ negat omnem distinctionem realem actualem, excepta distinctione ex oppositione originis personali; quia hęc distinctio personalis ex oppositione originis, est sine vlla diuisione intrinseca esse Diuini: præterea hæc personalis distinctio fundatur in perfectione simpliciter, vt fusè probabitur.

Secunda Conclusio. Sunt in Deo formaliter modi intrinseci non diuisiui, tàm absoluti, quàm relatiui relatione originis; eo, nimirùm, modo, quo in Deo sunt formaliter intellectus, & voluntas, & omnis perfectio simpliciter. Conclusio hæc est, tùm Scoti, tùm S.Thomæ, & probatur primò; quia in Deo sunt formaliter passiones entis trascendentalis, quæ sunt vnum, verum, & bonum; istę autem passiones, vt suo loco fusè probabitur cū Scoto, & etiam cum S.Thoma, sunt intrinseci modi essendi entis, nimirùm sunt intrinsecè taleitas entis. Secundò, sunt in Deo relationes originis formaliter, sed relationes formaliter sunt modi intrinseci entis; non enim sunt ens, nisi entitate sui modificati, vt etiam suo loco fusè demonstrabitur. Tertiò, quia modi intrinseci non diuisiui entis præscindunt à perfectione, & imperfectione formaliter; nam perfectio, & imperfectio, formaliter sunt potentia, & actus, quæ sunt primæ differentiæ entis formaliter; sed modi intrinseci entis formaliter non sunt ens, vt supra ostendimus; ergo formaliter, neque sunt potentia, neque actus in genere entis; quod enim formaliter non est ens, non potest esse formaliter aliqua species entis: quod enim non est in genere, neque potest esse in aliqua specie generi; Sed nihil prohibet prædicata, quæ præscindunt à perfectione, & imperfectione esse in Deo, imò si ponantur in Deo arguunt maiorem perfectionem diuini esse; quia supponunt esse diuinum entificare sua realitate formali, non solùm perfectiones formales in Deo, sed etiam modos intrinsecos, qui formaliter nō dicunt, neque perfectionem, neque imperfectionem. Quartò, ens Diuinum est ens formaliter; sed posito in Deo ente formaliter, necessariò poni debent modi intrinseci non diuisiui; nam modi intrinseci sunt ens materialiter, nimirùm sunt ens entitate sui modificati; sed in Deo est completum in tota sua latitudine; ergo si datur in Deo ens Diuinum formaliter, debet dari etiam ens Diuinum materialiter; debet enim dari in Deo ens demptis omnibus imperfectionibus. Solùm difficultas est intèr Scholasticos, & Theologos; quomodo prædicti modi intrinseci non diuisiui distinguantur in Deo ab esse Diuino, præsertìm inter Scotum, & S.Thomam.

Scotus cum suis ponens in Deo distinctionem formalem ex natura rei, ponit etiā distinctionem ex natura rei modalem; diuiditur enim distinctio ex natura rei in formalem, actualem, & in modalem intrinsecā actualem; S. Thomas verò cum suis simpliciùs, & puriùs discurrendo de Diuinis perfectionibus, nullam ponit distinctionē actualem ex natura rei, nisi inter personas Diuinas, quæ distinguūtur per oppositionē originis; scilicet, quia vna producitur ab alia, sine vlla diuisione esse, vel cum communicatione eiusdem numero naturæ, quæ est in persona producente. In hac controuersia sequor opinionem S.Thomæ, quam duabus sequentibus conclusionibus explicabo.

Tertia Conclusio, in Deo modi intrinseci, non diuisiui, tàm absoluti, quàm relatiui, non distinguuntur distinctione reali actuali ex natura rei. Conclusio est contra Scotum, & Scotistas, qui vt dixi, ponunt in Diuinis personis, duplicem distinctionem ex natura rei actualem; aliam formalem, & aliam modalem; ea tamen est vniformis principijs S.Thomæ, qui in Deo nullam aliam agnoscit distinctionem actualem ex natura rei, nisi vnius personæ ab alia ex oppositione relatiua originis.

Ratio prima fundamentalis est: In entibus creatis modi intrinseci distinguuntur actu ex natura rei ab entitate modificati; quia modificatum secundùm se in creatis, est limitatum ad ens formaliter; sed hęc limitatio non reperitur in ente Diuino; ergo modi intrinseci essendi in ente Diuino, seu increato non sunt distincti ex natura rei distinctione modali actuali ab esse Diuino. Minor probatur; quia prima radix limitationis ad ens formaliter in ente creato, est ex eo quia in ente creato formaliter est potētialitas esētialis ad esse; Sed hæc contradicit Deo; quia potentialitas esētialis ad esse in creatis est, quia in eis essentia secundùm se, siuè essentialiter non est suum esse existentiale; Sed in Deo essentia est essentialiter suum esse; ergo in Deo non est prima radix limitationis ad ens formaliter.

Fasolus *in PP. S.Thomæ tomo 1. super Quæst. 4. Articul. 2. Dubitation. 6. numer. 37.*

distinguit duplicem distinctionem actualem ex natura rei; vnam, quæ importat negationem idētitatis duarum formalitatem, vi cuius, antè omnem operationem intellectus, verum est dicere; hęc non est illa; quę ortum ducit ex eo quod duo, quorum alterum de altero negatur, habent finitas, & limitatas formalitates: & aliam, quæ importat puram negationem inclusionis essētialis, vi cuius ante omnem operationem intellectus, verum est dicere, quod essentia diuina, v. g. secundùm se, non includit essentialiter modos intrinsecos essendi non diuisiuos; sicut claudit alia prædicata, v. g. substantiæ, spiritus, &c. & hæc distinctio puræ non inclusionis essentialis, vel fundatur in eo præcisè, quia prædicata essentialia vnius formalitatis, non sunt prædicata essentialia alterius formalitatis (sicut nos diximus de prædicatis essentialibus modi intrinseci, & de prædicatis essentialibus entis formaliter) vel, ni fallor, fundatur in hoc principio; quia essentiæ, siuè formalitates rerum sunt veluti numeri, qui sola subtractione vnius vnitatis, vel additione variantur formaliter; ex his duabus distinctionibus, prima, inquit, reperitur in creatis, & non in Deo; secunda verò est propria diuinarum perfectionum.

Sed hæc responsio, vel diuisio duplicis distinctionis actualis ex natura rei, nisi aliud addatur, facilè impugnatur: primò; quoniam omnis distinctio actualis contradistincta à diuisione originis in Deo, omninò repugnat; quia distinctio actualis realis, adæquatè diuiditur in distinctionem, quæ fundatur in actu; & in distinctionem, quæ fundatur in potentia; distinctio enim actualis consequitur differentias diuisiuas, sed prima differentia entis sunt potentia, & actus; hæc non inclusio essentialis modi intrinseci in quidditate modificati in Deo non fundatur in actu, quia hæc est distinctio originis; origo autem in Diuinis, non est nisi vnius personæ ab alia; ergo fūdatur in potentia; sed potentia, nimirum passiua est prima radix omnis limitationis; ergo distinctio actualis, quæ est non inclusio actualis essentialis consequitur limitationem formalem, quæ repugnat Deo; ergo falsum est, quod non inclusio essentialis vnius in alio, consequitur nudas formalitates, siuè nudas essentias rerum; sed fundatur in differentijs diuisiuis entis, quæ sunt potentia, & actus.

Secundò reijcitur responsio; quia quidditas, siuè entis, siuè modi secundùm se, præscindit à distinctione, & indistinctione actuali ex natura rei, quia præscindit à primis differentijs diuisiuis, & consequenter præscindit à limitatione, & illimitatione formali; distinctio autem sequitur intrinsecam, & formalem limitationem; ergo non inclusio essentialis non conuenit formalitatibus, & quidditatibus secundùm se.

Quod si dicas distinctio actualis consequitur immediatè vnitatem; quia vnum est indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio: sed vnitas consequitur ens in quātùm ens, quod formaliter reperitur in qualibet formalitate, & quidditate etiam modali; ergo datur hæc distinctio actualis per non inclusionem vnius in alio, vndè apparet, quod non inclusio, seù distinctio actualis, supponit vnum.

Respondeo ex dicendis in quæstione de passionibus entis, quod distinctio vnius entis ab alio, seù vnius quidditatis ab alia quidditate, non consequitur vnitatem trascendentalem entis in quantùm ens; quia hæc vnitas consequitur ens, in quantum contradicit suo contradictorio non enti: sed consequitur vnitatem aliam, quæ competit enti in quantùm distinguitur ab alijs entibus; hæc autem vnitas est taleitas, qua vnum ens, non patitur diuisionem in se, quæ est in alijs entibus. Ens autem, proùt contradicit suo contradictorio non enti, præscindit ab vnitate, quę consequitur ens, proùt distinguitur ab alijs entibus, & etiam præscindit à multitudine, quæ est pluralitas entium; totum hoc ferè probabitur in quæstione de passionibus entis, nunc satis est supponere, quod in ente, proùt cōtradicit suo cōtradictorio nō enti, nō solū reperitur ratio entis; sed etiam taleitas, qua ex-excludit suum contradictorium non ens, in qua taleitate consistit formaliter vnitas, quæ est prima passio trascendentalis entis; ens enim ex eo quod ens, est tale, quod non patitur in se diuisionem, quæ est inter ens, & non ens; Cæterum distinctio vnius entis ab alio ente, siuè formaliter, siuè materialiter, consequitur taleitates, quæ sunt differentiæ entis; non autem ens, quod præscindit à taleitatibus plurium entium.

Respondent secundò alij Scotistæ, quod sequitur idem Fasolus *in eadem distinctione à numer.* 38. infinitatem entis increati, seù diuini, non tollere ab ente diuino hanc non inclusionem essentialem vnius quidditatis in alia, vel modi intrinseci; Satis enim est, inquit, ad conceptum essentialem entis simpliciter illimitati, si habeat inclusas essentialiter identificatas in sua sim-

ſimpliciſſima entitate omnes alias formalitates, quæ in Deo ſunt; non eſt autem neceſſarium, vt omnes formalitates habeat incluſas eſſentialiter in ſuo conceptu quidditatiuo: & rationem huius aſſignat hanc; quia eſſe Diuinũ eſt irreceptum in eſſentia, ſcilicet eſſe Diuinum eſt incluſum, vt predicatum eſſentiale intrà eſſentiam; ſed hæc infinitas, cum ſit entitatiua, dicit omnes perfectiones, & formalitates in ſua ſimpliciſſima entitate incluſas, & non in formalitate, quæ eſt incluſio entitatiua, non eſſentialis; & hæc incluſio entitatiua compatitur ſecùm non incluſionem eſſentialem, & quidditatiuam vnius formalitatis in alia; quia non ſunt contradictoria; cõtradictio enim eſt ſecundùm idem; incluſio autem in entitate, & in formalitate non ſunt ſecundùm idem.

Sed neq; hæc reſponſio euacuat rationẽ; primò, quia eſſe Dei eſt eſſentialiter infinitum infinitate formali, non infinitate materiæ, ſiuè materiali; eſt enim eſſe Dei actus puriſſimus, qui excludit à ſe poſitiuè omne limitatiuum receptiuum; actus autem purus non eſt infinitus, niſi ſola infinitate formali, quia eſt puriſſima forma; & infinitas formalis dicit incluſionem omnem eſſentialem; quia eſt infinitas in ratione formali, & non in ratione materiali; ergo eſſe diuinum includit in ſua ratione formali omnes modos intrinſecos eſſendi, ſicut eſſentia in Deo includit quidditatiuè, & eſſentialiter ſuam exiſtentiam; etenim eſſentia Dei eſt eſſentialiter actus purus. Secundò, quia incluſio eſſentialis prædicatorum in eſſentia diuina eſt maxima; ſed hic exceſſus incluſionis importat in ſe omnem incluſionem prædicati præſcindentis ab imperfectione in diuina eſſentia; nam maxima incluſio dicit exceſſum incluſionis, vltrà quem non poteſt eſſe maior; hic autem exceſſus non poteſt eſſe incluſio modorum, & formalitatum tantùm in eſſe, ſed etiam in quidditate; quia maior incluſio eſt in entitate, & quidditate ſimul, quam in entitate tantùm: diſcurſus eſt euidens; omnes enim concedunt maiorem eſſe perfectionẽ entis, quod non ſolum adunat in ſe omnia prædicata entitatiua eſſentialiter; ſed etiam prædicata formalia intrà quidditatem, quando ea non inuoluunt imperfectionem.

Neque dicas, quod hæc ratio, ſi vim haberet, excluderet à Deo Trinitatem perſonarum; etenim adunatio formalis in Deo adunat diuinas perſonas cõſideratas reſpectu eſſentiæ; non autem comparatas inter ſe: & ratio à priori eſt; quia adunatio formalis in Deo eſt ex ſumma perfectione naturæ Diuinæ; hæc autem requirit pluralitatem diuinarum perſonarum, quia pluralitas perſonarum in Deo eſt ex actu intelligendi, & volendi, qui dicunt in Deo perfectionum ſimpliciter ſimplicem; eſt verò perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ ſua ratione formali perficit ens abſolutè. Quæ doctrina, hìc obiter prolata, notanda eſt, nam de hac re ex profeſſo dicemus ſuo loco; nec vnitas eſſentiæ, & pluralitas Diuinarum perſonarum ſunt contradictoria in Deo; nam vnitas, & pluralitas perſonarũ, non ſunt reſpectu eiuſdem termini formaliter conſiderati; quia vnitas eſt in natura, Trinitas verò in perſonis: hanc veritatem acutiſſimi Theologi probant eo medio; quia diuina eſſentia identificatur identitate formali inadæquatè cum Diuinis perſonis; non autem adæquatè; nimirùm, rapit ad ſuam rationem formalem perſonas Diuinas, non quatenus inter ſe opponuntur oppoſitione relatiua originis; ſed quatenus non ſunt oppoſita cum ipſa diuina eſſentia; qua diſtinctione acutè ſoluunt illud commune argumentum; quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; hoc enim verùm eſt de ijs, quæ ſunt eadem vni tertio, identitate formali adęquata; non autem identitate formali inadæquata, & hæc inadæquatio identitatis in Deo oritur ex ſumma perfectione naturæ Diuinæ, in qua eſſe debent omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices; pluralitas autem diuinarum perſonarum, vt ſuprà diximus eſt ex actu intelligendi, & volendi, qui dicunt in Deo perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ſed de hoc adhuc ſermo erit cum examinabitur articulus, vtrum in Deo diſtinguantur actu ex natura rei perfectiones attributales à diuina eſſentia.

Quarta concluſio. In Deo ens, & modi entis intrinſeci, prout ſunt in ſeipſis, ſiuè ſecundùm ſe conſideratis, diſtinguuntur diſtinctione reali modali intrinſeca virtualiter; diſtinctio realis virtualiter, vt ſuprà explicauimus, eſt ſpecies diſtinctionis realis in generali, quæ abſtrahit ab actuali, & potentiali; diuiditur enim diſtinctio realis in generali in actualem, & potentialem; potentialis ſubdiuiditur in potentialem potentialitate paſſiua, & in potentialem potentialitate actiua; & hęc iterum ſubdiuiditur in potentialem actiuam intrinſecam, & extrinſecam: ſumitur verò hìc potentia actiua abſtrahẽdo ab actiua actiuitate cauſali, & ab actiua actiuitate ſolius originis; diſtinctio verò actualis ſubdiuiditur in entita-

tita-

titatiuam formalem, & modalem; & hæc in modalem intrinsecam, & modalem extrinsecam: in hac conclusione asserimus, ens in Deo secundùm quod in se est, distingui à suis modis intrinsecis, tam absolutis, quàm relatiuis, distinctione quidem reali, sed virtuali, non actu, & formaliter; distinguuntur intèr se istæ duæ distinctiones; distinctio scilicet realis actualiter, & distinctio realis virtualiter; quia actualis semper est cum diuisione intrinseca esse, vel formalitatis, siuè entitatiua, siuè realis; virtualis verò est sine vlla diuisione intrinseca, tàm esse, quàm formalitatis; & hoc verũ est, tàm de distinctione vnius causę virtualis extrinsecę ab alia, quã de distinctione virtuali causali, & intrinseca: nàm distinctio virtualis causalis dicitur virtus causæ, quatenùs participabilis est à pluribus effectibus, vel quatenùs potest causare plures effectus actu distinctos; adhoc autem non requiritur, vt suprà explicauimus, vt in causa perfectiones virtuales effectuum sint actu distinctæ, sed sat est, vt in ea actu reperiantur, & præexistant. Cæterum distinctio virtualis intrinseca in Deo non est, nisi intèr causam, & effectum virtualiter; quia in Deo non potest esse alia distinctio intrinseca, vbi non obuiat relatiua originis oppositio, nisi quæ fundatur in actu ad terminũ intrinsecum; et hac distinctione in Deo virtualiter distinguitur essentia à relationibus originis formaliter; quia essentia in Deo est virtualiter causa, vt in eo sint relationes originis, eo modo, quo esse immutabile in Deo est causa virtualiter, vt sit ęternus, & ratio huius, quæ nunc occurrit est; quia essentia Diuina, cum sit essentialiter suum esse existẽtiale, est actus purissimus; at actus purissimus fundat actiuitatem per se primò purissimam, & perfectissimam, quæ veluti modificata relatione originis dicit vim producẽdi ad intrà, sine vlla diuisione esse, aut naturæ; absolutè verò, & secundùm se, est causa virtualiter, vt in Deo sint relationes originis.

Complures doctissimi viri explicant distinctionem virtualem intrinsecam in Deo, per æquiualentiam ad distinctionem virtualem intrinsecam in creatis; sed decipiuntur; quia virtualitas intrinseca in Deo, est respectu termini intrà Deum, ad differẽtiam distinctionis virtualis intrinsecæ, & causalis, quæ explicatur respectu effectuum extrà Deum, vt virtus creatiua refertur ad creabile, quod est extrà Deum; sed de hoc pertractabitur fusè suo loco.

Ratio fundamentalis conclusionis est; primò, quia ens in Deo, est causa virtualiter passionum trascendentalium, quæ sunt vnitas, veritas, & bonitas; istæ enim sunt passiones entis formaliter inquantùm ens; Deus autem est adhuc ens formaliter; quia hoc prædicatum est perfectio simpliciter simplex; sed prædictæ veritates trascendentales, vt suo loco probabitur, sunt modi intrinseci entis formaliter, sunt enim taleitates intrinsecæ entis: & probatur; quia ens, ex eo quod ens formaliter, est tale, quod non patitur in se diuisionem, non solùm, quæ reperitur in pluribus entibus, sed etiã, quæ reperitur intèr ens, & non ens. Præterea ex eo quod ens formaliter est tale, quod potest esse obiectũ veræ cognitionis, est verùm, &c. Secundò, quia ens in Deo, ex eo quod est immutabile, est virtualiter causa, vt sit ęternus: & vt actus purus est causa, vt in Deo sint relationes originis personales; at æternitas formaliter, & relationes originis formaliter sunt modi intrinseci; ergo, &c. Sed causa, & effectus virtualiter distinguuntur ex natura rei, sed virtuali distinctione; ergo, &c.

Contra hanc quartam conclusionem sũt tres diuersę opiniones Scholasticorum, & Methaphysicorum.

Prima est Scoti cum suis, asserentis in Deo esse duplicem distinctionem ex natura rei actualem, aliam actualem formalem, quæ est intèr plures formalitates, quarum quælibet est ens formaliter; v.g. inter intellectum, & voluntatem, intèr sapientiam, & iustitiam, &c. aliam verò inter ens diuinum formaliter, & eius modos intrinsecos, tàm absolutos, quàm relatiuos originis. Argumenta Scoti proponentur, & soluentur, cum sermo erit de distinctione relationum originis, & attributorum à Diuina essentia; ne pluries eadem inutiliter repetantur, solum hic proponitur sequens argumẽtum soluendum, præcipuum autem est.

Ens formaliter secundùm se, est sua ratione formali ens, nimirùm extrà suum nihilum reale; modus verò intrinsecus entis realis formaliter secundùm se non est ens; sed hæc duo prædicata requirunt realem actualem distinctionem; quia hæc prędicata sunt contradictoria formaliter; hæc enim prædicata sunt esse secundùm se ens formaliter, & secundùm se non esse ens formaliter; contradictoria autem prædicata necessariò requirunt distinctionem realem actualem.

Secunda opinio est eorum, qui dicunt, omnem distinctionem in Diuinis perfectionibus, siuè materialiter, siuè formaliter

sal-

saluari per identitatem inadæquatam, quæ est omninò diuersa à distinctione reali virtualiter: fundamentum est; nàm essentia Diuina distinguitur secundùm se, v.g. à Paternitate, & à Filiatione, quia essentia Diuina secundùm se est communicabilis tribus Diuinis personis per generationem, & spirationem, sine vlla intrinseca diuisione naturæ; Paternitas verò sicut, & Filiatio secundùm se est absoluta; Paternitas verò, sicut & Filiatio est relatiua formaliter relatione originis; Sed hæc duo prædicata verificantur in re de essentia, & diuinis relationibus; quia essentia, & relationes, sunt idem formaliter identitate formali inadæquata.

Tertia opinio est eorum, qui dicunt, omnem distinctionem prçter distinctionem personarum in Deo, saluari per hoc; quia essentia secundùm se præscindit à Diuina, & à creata præcisione fundamentali conuenienti essentiæ secundùm se: quandoquidem prædicata conuenientia essentiæ, siuè naturæ secundùm se, cum conueniant illi in primo, vel in secundo modo dicendi per se, sequuntur illam inseparabiliter; sed posita hac præcisione fundamentali, superflua est distinctio realis modalis virtualiter; ergo, &c. Probatur quia distinctio modalis intrinseca supponit intrinsecam terminationem, tùm modi, tùm modificati; at distinctio ex præcisione fundamentali, est independens ab omni intrinseca terminatione, & taleitate; ergo, &c.

Sed prædictę rationes eodem fundamẽto facillimè reijciũtur; nàm in Diuinis perfectionibus, in quibus non reperitur oppositio relatiua originis, non est ponenda alia distinctio, nisi quæ fundatur in summa perfectione; quia non est ponenda alia distinctio, nisi, quæ fundantur in actu puro; Sed hæc est distinctio realis virtualiter intèr causam, & effectum intrinsecum virtualiter; ergo necessariò hæc distinctio ponenda est in Deo præter distinctionem ex oppositione relatiua originis. Minor probatur; quia actus purus, inquantùm actus purus formaliter, est actiuus priùs ad intra, quàm ad extra; priùs enim est actiuus termini primarij, & formalis, quàm secundarij: sed terminus primarius actiuitate ad intrà, vbi non est relatiua originis oppositio, non potest esse circa effectum ad intrà virtualiter.

Neque dicas, actiuitatem actus puri ad intrà esse actiuitatem originis personalis: nàm statim dici potest, actiuitatem originis personalis fundari in actu puro, in quãtùm est veluti modificatus relatione actiua originis; nos autem hic loquimur de actiuitate actus puri absolutè, & formaliter, quæ actiuitas est prior, quam actiuitas personalis ad intrà; priùs enim sunt essentialia, & absoluta in Deo, quàm relatiua relatione originis. Ex his.

Respondeo, ad fundamentum primæ opinionis cum distinctione; ens enim formaliter distinguitur à modo intrinseco, nõ inquantùm ens formaliter, sed in quantùm est ens formaliter; limitatum ad rationem entis formaliter; loquendo de distinctione ex natura rei formali: cæterum loquendo de distinctione reali virtualiter, ens formaliter, non in quantùm ens formaliter; sed in quantùm est causa virtualiter, distinguitur distinctione reali virtuali à suis modis intrinsecis: sicut in creatis ens creatum formaliter distinguitur à suis modis intrinsecis, non inquantùm ens formaliter, sed in quantùm est limitatum ad ens formaliter; ens enim formaliter vt sic, præscindit ab omni distinctione, & indistinctione reali. Ad fundamentum secundæ opinionis.

Respondeo, duplicem esse identitatem formalem inadæquatam, siuè non adæquatam; aliam, quæ fundatur in virtualitate actiua; & aliam, quæ non fundatur in virtualitate actiua: quæ fundatur in virtualitate actiua, eadem est cum distinctione virtuali, & hæc saluat omnia, vt in Deo non sint cotradictoria: identitas formalis inadæquata, quæ non fundatur in virtualitate actiua, nullo pacto reperitur in Deo; quia in Deo non est, nisi actus, vel formaliter, vel actualitate sui modificati; ob quam rationem in Deo non datur alia relatio, nisi originis.

Neque obstat, si dicas in Deo reperiri etiam relationem originis passiuè, quæ est propriè personæ productæ ab alia; quoniam duplex est origo passiua, alia est personæ productæ cum diuisione naturæ; & hęc fundatur in potentialitate passiua, quæ dicit essentialiter imperfectionem, estque propria entis creati: & alia, quæ est sine diuisione naturæ, siuè cum communicatione eiusdem numero naturæ; & hæc fundatur in actu puro, non in potentia; & hęc reperitur formaliter in personis productis in Deo: & ex his patet responsio ad fundamentum tertiæ opinionis.

A R-

## ARTICVLVS QVARTVS.

### Vtrum substantia, quæ est genus primum prædicamentale, distinguatur distinctione reali formali à cæteris gradibus essentialibus inferioribus in eodem indiuiduo.

PRoponitur hic articulus examinandus, seorsum ab articulo communi; vtrùm gradus methaphysici, siuè essentiales, distinguantur intèr se distinctione formali actuali, in vno, & eodem indiuiduo; quoniam hic articulus habet maiorem apparentem paritatem cum ente reali; quod non distinguitur distinctione reali formali, à suis diuisiuis formalibus; quia diuisiua entis realis formaliter sunt modi intrinseci differentiales; modi autem intrinseci non distinguntur distinctione reali formali à suis modificatis; quoniam modi intrinseci formaliter non sunt ens: ad distinctionem autem formalem realem requiritur, vt vtrumque exstremum distinctionis sit gradus entis formaliter in eodem esse. Cæterum ens reale includitur essentialiter entitatiuè in suis modis intrinsecis, & hæc inclusio intrinseca prębet nobis motiuum examinādi hunc articulum seorsum ab illo communi; etenim inclusio essentialis vnius in alio contradicit distinctione reali actuali.

Fasolus in PP. S. Thomæ, examinans hunc articulum, *tomo 1. in quæstione 3. articulo 5. dubitatione 4.* licet sub alijs terminis articulum proponat; an nimirum substantia prędicamentalis sit vniuoca; asserit non posse assignari rationem concludentem, substantiam prædicamentalem, quæ est genus primum esse vniuocam, & consequenter distinctam à differentijs illam diuidentibus, quæ sunt corporeitas, & in corporeitas, &c. idque probat paritate entis realis, quod definitur, id quod potest existere realiter; hunc in modum: ens reale ideò est analogum, & non vniuocum, nimirùm, ideò ens reale formaliter, non distinguitur distinctione formali reali, à sui diuisiuis formalibus; quia ens formaliter includitur essentialiter in differētijs inferiorum, idest, in perseitate, quæ est differentia substantię, & inaleitate, quæ est differentia accidentis; sed substantia, idest, id quod potest subsistere, scilicèt extrà Deum, includitur essentialiter in diuisiuis formalibus substantię prædicamentalis, quæ sunt spiritualitas, & corporeitas; quia non solùm Spiritus, & Corpus, sunt essentialiter substantia; sed etiam ipsamet spiritualitas, & corporeitas, sunt essentialiter, quædam substantialitas, non accidentalitas, quod idem Fasolus probat super *articul. 6. eiusdem quæstionis, dubitatione vnica, numer. 4.* hoc medio; quia spiritualitas, & corporeitas, sunt essentialiter ens reale; sed ens reale creatum adæquatè diuiditur in substantiam, & accidens; quoniam substantia, & accidens reducuntur ad contradictoria, intèr quæ nullum medium esse potest; ergò prædictæ differentiæ, vel sunt accidens, vel substantia: non sunt accidens formaliter; quia constituunt duas species substantiæ formaliter, accidens autem non potest constituere speciem substantiæ; ergò nenessariò sunt substantiæ formaliter. Præterea ens reale, quod diuiditur in substantiam, & in accidens, non potest esse vniuocum, vt probat S. Thomas *PP. quæst. 3. art. 5. cum Aristotile tertio libro Methaphysicæ*; etenim genus vniuocum non includitur in suis differentijs, neque de illis prædicatur in recto; at ens reale in recto prædicatur de suis diuisiuis; paritèr neque substantia prędicamentalis potest esse vniuoca suis inferioribus, & cōsequenter distincta ex natura rei formaliter à suis diuisiuis, quia includitur essentialiter, & in recto in differentijs suorum inferiorum; vbi autem est inclusio essentialis vnius in alio, non est distinctio formalis ex natura rei; quia hæc est negatio inclusionis vnius in alio, vel exclusio vnius ab alio.

Communior responsio ad hoc argumentum est, duplicem esse substantiam creatam; aliam completam, & hæc est vniuoca, & primum genus in prædicamento substantiæ; & aliam esse præscindentem negatiuè à completa, & incompleta, & hęc est analoga, & non primum genus prædicamenti substantiæ; quādoquidem primum genus prædicamenti substantiæ, cum sit genus vniuocum, non potest includi essentialiter in differentijs suorum inferiorum; includi autem in suis differentijs competit substantiæ negatiuè præscindentis à substātia completa, & à substantia incompleta; non autem competit substantiæ completę; nàm differentiæ substantiæ non sunt completa substantia, sed incompleta.

Sed hæc responsio impugnatur è Fasolo hoc medi; ostatim enim, inquit, Aduersarius obijciet, ens reale pariter, aliud esse completum, & aliud esse abstrahens à comple-

pleto, & incompleto; hoc secundum commune est entibus completis,& incompletis, idque analogum, & non distinctum à differentijs suorum inferiorum; primum verò, quod est completum,commune est omnibus inferioribus entibus completis, idque vniuocum; quia est distinctum à differentijs diuidentibus ens, siuè non inclusum essentialiter in differentijs suorum inferiorum; quia differentiæ suorum inferiorum sunt entia incompleta.

Hanc responsionem impugnat Fasolus *loco cit.num.*18. *in fine*, dicens esse absurdum in vera doctrina Aristotelis; quia, inquit, cum summa genera decem prædicamentorum communiter ponantur esse entia completa,sequeretur illa non esse prima,& summa genera, ac primò diuersa; sed habere aliud prius, & superius genus entis completi, in quo conuenirent, & differrent, non minus, quam inferiora genera, posita sub vno aliquo genere generalissimo, v.g., corpus, & spiritus sub substantia.

Sed hæc impugnatio non difficilè reijci potest ab aduersarijs; possunt enim dicere, ens completum, aliud esse transcendens, & aliud esse contractum ad determinatum prædicamentum; vnumquodq; autem genus prædicamentale dicere possunt esse generalissimum, & supremum; quia non habent aliud superius in eodem prædicamento, non autem quia non habet aliud genus superius transcendens omnia genera prædicamentalia; nimirum genus primum in prædicamento substantiæ dicitur genus generalissimum prædicamenti substantiæ, quia non habet aliam substantiam supra se,quæ sit primum genus prædicamentale, vt infrà fusè, & clarè probabitur.

Suarez *in Methaphysica disput.* 2. & alij, concedunt rationem maximè propriam, cur prædicta paritas substantiæ cum ente, non conuincat esse; quia conceptus entis completi communis accidentibus, & substantijs in recta linea prædicamentali constitutis, & non in alijs, est impossibilis; idq; hoc medio probant: substantiæ incompletæ sunt perfectiora entia, quam accidentia completa; v.g.,materia prima,vel rationalitas,est quid perfectius albedine;ens autem completum, multò magis debet respicere entia perfectiora,quàm imperfectiora:cuius ratio est; quia ens perfectius magis accedit enti completo,quàm imperfectius;ergo ens commune ad substantias completas, & accidentia completa, multò magis erit commune ad substantias incompletas, quia magis respicit substantiam, vt ens perfectius, quàm accidens: ergo ad quodlibet habens entitatem, nam hæc conuenientia in entitate, facit solùm, vt ens sit commune ad accidentia, & substantias, tàm completas, quàm incompletas.

Hęc disparitas impugnatur à Fasolo *loco suprà citato num.* 19. duplici motiuo. Primum est, quia ea non est efficax ad asserendam disparitatem. Secundum, quia neque est efficax ad probandum intentum: non est efficax ad asserendam disparitatem; quia sicut Suarez ad probandum, quod conceptus entis completi, communis accidentibus, & substantijs, in recta linea prædicamentali constitutis, & non in alijs, sumit substantiam incompletam esse quid perfectius in genere entis, quàm sit accidens completum; ità aliquis sumere potest aliquam incompletam substantiam, verbi gratia, spiritualitatem, esse quid perfectius substantia aliqua completa ignobilissima, verbi gr., terra; & indè pariter deducere posset, impossibilem esse cenceptum substantiæ completæ communem omnibus, & solis substantijs completis. Neque probat intentum, quia distinctione facilè soluitur; nam respondet, distinguendo antecedens; substantiæ incompletæ sunt perfectiora entia, quàm accidentia completa, quia sunt in genere entis perfectiori, & concedit: sunt perfectiora in ratione entis completi, & negat: & huius hanc assignat rationem, quia albedo, verbi gratia, est ens completum in suo genere qualitatis, positum in recta linea prædicamentali, compositum ex genere, & differentia: at rationalitas in genere substantiæ est ens incompletum, nec ad illud prædicamentum pertinet directè, sed tantùm reductiuè; neque est compositum ex genere, & differentia, sed est præcisè differentia diuidens genus, & componens speciem hominis. Secundò, neque probat intentum, inquit Fasolus; quia euidentissimè constat, dari conceptum entis completi, quod neque est substantia tantùm, neque accidens; nam inter substantiam, sicut dantur aliquæ completæ, & aliquæ incompletæ, sic etiam in genere accidentium, dantur quædam accidentia completa, vt species, & quædam incompletæ vt differentiæ; ergo sicut ob has differentias, & conuenientias in inferioribus entibus, omnes admittimus superiorem cõceptus entis,præscindentem à completo, & incompleto, vel solùm conceptum entis incompleti communem tantùm entibus in-

completis, ità etiam admittendus est ab omnibus conceptus superior entis completi, communis solùm particularibus entibus completis, & superior conceptus superior completi communis solis, & omnibus particularibus accidentibus completis.

Totus hic discursus doctus est, & à doctiore viro prolatus, sed supponit ens completum, quod dicitur de omnibus entibus completis in recta linea prædicamentali, tantummodò esse ens completum ex genere, & differentia in communi, nam vt ipsemet probat *loco citato num.* 19. esse completum suprà communissimum conceptum obiectiuum entis, non potest aliud addere nisi conceptum positiuum compositionis ex genere, & differentia; quomodo completa esse dicuntur omnia inferiora genera, & species: vel conceptum negatiuum, vt scilicèt, non sit pars componens, & complens aliud; quæ negatio, inquit, fundatur in perfecta, & absoluta natura alicuius entis, quomodo completa sunt Deus, Angelus, &c. qui secundus completionis conceptus reperiri potest sine primo; nam Deus est substantia completissima sine vlla compositione in se: sed hoc suppositum omninò à nobis negatur, quia vt infrà probabimus, præter ens completum, tàm simplex, quàm compositum datur aliud ens completum, quod prædicatur de omnibus entibus completis in recta linea prædicamentali constitutis.

Assignantur etiam ab alijs aliæ disparitates, de quibus non potest perfectè ferre judicium, nisi explicetur, quid sentiendum in hoc *methaphysico artic.*, an substantia, quæ est genus primum prædicamentale distinguatur distinctione reali formali à suis differentijs essentialibus in vno, & eodem indiuiduo; dico distinctione formali reali, & non modali; quia differentiæ, quibus diuiditur vnumquodque genus primum prædicamentale, non sunt modi intrinseci diuisiui, sed gradus entis formaliter; sunt enim gradus formæ, quæ est principium existendi, & consequenter ens formaliter.

Vnica conclusio. Substantia, quæ est genus primum in prædicamento substantiæ, distinguitur distinctione formali reali ab omnibus differentijs essentialibus in vno, & eodem indiuiduo, nimirum à gradu corporis, & spiritus, à gradu viuentis, à gradu sensitiuo, & rationali, v.g. in Petro; pono hanc vltimam particulam in vno, & eodem indiuiduo, vt satisfaciam Recentioribus, qui solùm concedunt, gradum substantiæ, quæ est genus primum prædicamentale, existentem in vno indiuiduo distingui realiter à gradibus essentialibus diuidentibus substantiam in alio indiuiduo; explico terminos, substantia creata alia est, quæ distinguitur contra accidens in generali, & alia est, quæ est genus primum in prædicamento substantiæ. Substantia primo modo præscindit ab omni substantia, tàm completa, quam incompleta, siuè in specie, siuè in genere entis; substantia verò secundo modo restringitur ad ens per se, quod est abstrahibile tantùm ab omnibus substantijs completis in recta linea prædicamentali, sed vt prædicatum primum omnium inferiorum, quæ sunt in eodem indiuiduo; & hæc substantia dicitur completa, non quidem in specie, vt homo, equus, &c. vel in genere entis, vt homo actu existens, sed dicitur completa, vt genus, quia nimirum est primum prædicatum per se omnium graduum essentialium inferiorum, quæ sunt in vna, & eadem specie posita in recta linea prædicamentali ad differentiam substantiæ completæ, quæ dicit naturam completam, ex genere, & differentia in generali; hæc enim substantia completa ex genere, & differentia in generali, non est tantùm genus substantiæ primum prædicamentale, sed est composita ex genere primo prædicamentali, & differentia essentiali, abstrahente à differentia intermedia, & à differentia athoma, siuè specialissima.

Fundamentum cōclusionis mihi est *hoc*; quia substantia, quæ est genus primum in prædicamento substantiæ, est ens per se, quod est causa prima, vt cæteri gradus differentiales sint ens per se; sed hoc prædicatum distinguitur distinctione reali formali à cæteris gradibus essentialibus, quibus contrahitur in vno, & eodem indiuiduo; ergo substantia, quæ est genus primum prædicamentale, distinguitur distinctione reali formali ab omnibus suis gradibus inferioribus ab indiuiduo. Maior, in qua est difficultas probatur, quia substantia, quæ est genus primum prædicamentale restringitur, & limitatur ad primum prædicatum per se, quod est in speciebus substantiæ, collocatis in recta linea prædicamentali; hoc autem non solùm est ens per se, sed etiam primum ens per se, quod est in qualibet specie inferiori tantummodò; sed huiusmodi ens est prima causa, vt cæteri gradus differerentiales sint ens per se, nimirum

mirùm intrà latitudinem formalem entis per se, quod est primum genus; primum enim in vno quoque genere, est causa cæterorum in eodem genere; ergo, &c. Minor verò principalis argumenti probatur; quia non includitur essentialiter, & secundùm se in suis differentijs essentialibus, & probatur; nàm differentiæ essentiales, siuè formales contrahentes genus primum substãtiæ prædicamentalis, non sunt primus gradus essendi per se, abstrahibilis tantum à substantia completa in specie; at esse ens per se; quod est prima causa, vt cæteri gradus sint ens per se, conuenit primò enti per se; quod est in substantia completa in specie. Ratio hæc sumitur ab Aristotile 3. *Methaphysicæ textu* 10. vbi docet, quod omne genus perfectum, quod est genus in quolibet prædicamento substantiæ est extrà essentia suarum differentiarum, idque probat; quia genus prædicameti non prædicatur in recto de suis differentijs; & ratio huius est; quia non includitur essentialiter in suis differentijs; non enim gradus rationalis essentialiter est gradus animalis, siuè gradus viuentis; gradus enim rationalis, sumitur à gradu intellectiuo formæ.

Obijciunt primò Aduersarij rationem dubitandi suprà explicatam. Differentiæ contrahentes substantiam prędicamentalem in vno, & eodem indiuiduo, vt gradus viuentis, & gradus rationalis includunt essentialiter substantiam prędicamentalem; sunt enim essentialiter ens per se creatum, nimirùm independens à subiecto inhæsionis; sed substantia, quæ de illis est prædicabilis non potest esse, nisi substantia, quę est genus primum; nàm de dictis differentijs non potest prædicari, nisi substantia prædicamentalis, hęc autem est genus primùm; ens enim creatum formale diuiditur in decem prima genera prædicamentalia.

Respondeo, distinguo de substantia prędicamentali; alia enim est substantia prædicamentalis, proùt distinguitur contra accidens in sua latitudine formali, & alia est secũdùm quod est genus primùm, omnium substantiarum, quæ sunt in recta linea prædicamentali. Substantia prædicamentalis primo modo includitur essentialiter in omnibus differentijs essentialibus substantiæ, & etiam in genere primo prædicamenti substaantiæ; substantia autem, quæ est genus primum, vt suprà ostendimus, non includitur in differentijs, siuè gradibus essentialibus substantiæ; quia hæc substantia est ens per se, quod est prima causa, vt cęteri gradus sint ens per se; at ratio prima non includitur in differentijs essentialibus substantiæ, quia differentiæ, per se, & formales substantiæ, non sunt primus gradus entis per se.

Quod si dicas primò: differentia essentialis substantiæ constituit essentiam substantiæ; sed essentia est prima ratio in re; ergo differentia est primùm in ente per se.

Respondeo distinguo maiorem; constituit essentiam substantiæ, vt gradus differentialis, & concedo; vt gradus genericus, & nego; at primus gradus differentialis in essendo est posterior suo gradu generico; gradus enim genericus est impotentia ad gradum differentialem; gradus verò differentialis est gradus perfectiuus, & contractiuus; at vt docet Aristotelis *in Methaphysica, lib. quinto*, in vno, & eodem prior est potentia, quàm actus; prius enim est, ens esse incompletum, quàm completum.

Quod si secundò dicas: huic doctrinæ obstat paritas entis formaliter, quandoquidem ens formaliter adhùc distinguitur in ens, quod diuiditur contra non ens formaliter; & in ens, quod est primum prædicatum in quolibet ente completo in specie, vel in genere entis; sed ens, quod est primum in quolibet ente includitur essentialiter in omnibus suis differentijs; ergo pariter substantia, quæ est primum genus prædicamentale includit essentialiter in omnibus suis differentijs essentialibus. Probatur discursus; quia ens, quod est primum in quolibet ente completo, est ens formaliter, sed ens formaliter est ratio vniuersalissima entificans omnia, quæ sunt in ente completo.

Neque dicas, quod ens formaliter præscindit à completo, & incompleto; at ens, quod est primum in quolibet ente completo abstrahitur tantùm ab entibus completis in specie; nam.

Statim dicent Aduersarij: ens formaliter adhuc est abstrahibile ab entibus completis, vt gradus integer, & completus, nàm secundùm omnem sui rationem est ens, quod est esse ens completum; ergò licet primo aspectu ens formaliter videatur abstrahere ab ente completo, & ab ente incompleto, tamen hoc rationabiliter dici non potest, vt probatum est.

Respondeo, ens creatum formaliter dupliciter sumi posse, vel in ordine ad decem prima genera prædicamentalia, vel in ordine ad differentias essentiales, siuè formales, quibus vnumquodque genus primum prædicamentale diuiditur in sua inferiora in recta linea prædicamentali posita.

sita. Primo modo ens non distinguitur actu ex natura rei à primis decem generibus; quia ens formaliter vt sic, est indeterminatum, distinctio autem sequitur intrinsecam entis determinationem, & de hoc ente non currit paritas cum substantia, quæ est primum genus prædicamentale; quia hęc substantia est intrinsecè determinata ad genus vnius tantùm prædicamenti. Cæterum, ens creatum formaliter secundò modo, distinguitur actu ex natura rei à gradibus & differentijs inferioribus; quia mediat limitatio, seù determinatio, qua ens formaliter determinatur, & contrahitur ad genus primum prædicamenti substantiæ, & de hoc ente currit paritas de ente formaliter, & de substantia, quæ est genus primum prædicamentale.

Quod si petas, quodnam est ens, quod in recto, & formaliter prædicatur de differentijs essentialibus, quibus diuiditur genus primum prædicamenti substantiæ.

Respondeo, esse ens abstrahens ab adæquato, & inadæquato, & abstrahens à gradu generico, & à gradu differentiali; hoc enim ens formaliter est vniuersalius, quàm ens formaliter, quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia; quia hoc est ens completum, non quidem in specie entis, neque in genere entis; sed est ens completum, vt primus gradus omnium prædicatorum, quæ sunt in quolibet ente completo in recta linea prædicamentali; sicut enim est gradus substantiæ completus, qui est primus in qualibet specie substantiæ prædicamentali; ità debet esse completus gradus entis, qui est primus gradus in qualibet specie cuiuscumque prædicamenti.

Obijcies secundò. Adhùc substantia, quæ distinguitur contra accidens (obiectio est contra rationem fundamentalem conclusionis) est prima ratio essendi per se; imò est prior ratio essendi per se, quàm sit substantia secundùm quod est genus primum prædicamentale; quia est primus conceptus obiectiuus per se omnium, quæ sunt in qualibet substantia completa in recta linea prædicamentali: quod probatur; quia cōceptus entis per se vt sic, est irresolubilis in alium superiorem conceptum entis per se; sed ex hac primitate, non habet substantia contradistincta ab accidente, vt non includatur in omnibus differentijs inferioribus substantiæ prædicamentalis; quia quælibet differentia substantiæ prædicamentalis est intrinsecè ens per se, quatenus distinguitur contra accidens; nimirùm est independens à subiecto inhæsionis.

Respondeo, primum esse duplicis cōditionis; aliud est primum, vt causa in essēdo; & aliud est primum primitate vniuersalitatis præcisè; primum vt causa, intrinsecè est distinctum à secundis, in quo est primum; quia primum, vt causa est determinatum; nam primum, vt causa in priori naturæ est in actu, quod autem est actu, determinatum est: cæterum primum primitate vniuersalitatis, non est distinctum ex natura rei à cæteris in eodem genere; quia hoc primum est indeterminatum; substantia, quæ diuitur contra accidens, est primū prædicatum primitate vniuersalitatis, non autem primum primitate causę in essendo; ideò, &c. at substantia, quæ est genus primum in prædicamento substantiæ, est primum ens per se, vt prima causa in essendo, cæterorum graduum formalium, & differentialium substantiæ; quia est ens per se determinatum, non solùm ad genus; sed etiam ad ens actu, quod requiritur necessariò ad rationem primi primitate causæ.

Obijcies tertiò; Alias rationes, quibus Fasolus ostendit summum genus prædicamenti substantiæ esse analogum, & consequenter indistinctum ex natura rei à suis differentijs, quibus contrahitur, &c.

Prima est; quia substantia generalissima, quę in recta linea prædicamenti substantiæ, primo loco ponitur, verè & in re non est completa: nam omnis substantia, quatenùs substantia, præscindendo à quacunque alia ratione particulari, importat id, quod essentialiter actu est per se independenter à subiecto inhæsionis; hoc autem ens verè, & in re, non est completum; ergò debet addi aliud supra hunc conceptum communissimum obiectiuum, vt substantia generalissima sit substantia completa; non potest aliud addi, quàm conceptus positiuus compositionis ex genere, & differentia; quo modo completa esse dicuntur omnia inferiora genera, & species; vel addi debet conceptus negatiuus; vt scilicèt non sit pars componens, & complens aliud, qui secundus completionis cōceptus reperitur in substantia simplici, vt in Deo; sed neutra ex his cōpletionibus potest competere substantiæ, quæ est genus generalissimum in prædicamento substantiæ; quia cum ipsa sit primum, & generalissimum genus, non potest esse composita ex ex alio superiori genere substantiali, & substantiali differentia. neque, inquit, dici potest composita ex genere, quod sit entitas, & ex differentia, quæ sit perseitas; nàm perseitas-

sei-

seitas, inquit, essentialiter est entitas; ergò perseitas non potest esse differentia; quia differentia est extrà quidditatem generis.

Secunda ratio; quia substantia, quæ est genus generalissimum in recta linea prædicamenti substantiæ est omnium incompletissima; quia in toto prædicamento substantiæ sola generalissima est, quę componit omnia inferiora, & non componitur; sed contradicit substantię incompletissimę esse aliquo modo substantiam completam; quia esset, & non esset incompletissima omnim; ergo, &c.

Quod si respondeas, substantiam, quę est primum genus prædicamentale, esse completam ex modo significandi; quia significat partem illam per modum totius, quod ex eo communiter probatur: nàm substantia; quia est nomen concretum, contradistinctum à substantialitate, quæ est nomen ab illa abstractum, significat ex vi vocabuli, habens substantialitatem.

Contra arguit Fasolus, quando quæstio est de distinctione, & vniuocatione alicuius gradus, nulla habetur ratio significationis, seù modi significandi; sed potius rei significatæ, & conceptus obiectiui; alioquin nullus gradus esset distinctus, & perfectè præcisus; nàm quilibet ex modo significandi in concreto significat omnia prorsus inferiora sua, v. g. animal si consideretur, prout est habens animalitatem, significat omnia sua inferiora, vt hominem, brutum, Petrum, &c. ergò, &c.

Respondeo, ad primam distinguo antecedens; substantia, quæ est genus generalissimum in prædicamento substantiæ, non est completa, vt species substantiæ, & concedo: nõ est completa, vt genus supremum, & primum omnium, quæ sunt in qualibet specie substantiæ, quæ est substantia completa in specie, & nego. Fasolus vtitur his rationibus; quia non ponit aliam substantiam completam: nisi, vel quæ componitur ex genere, & differentia, vt homo, equus, leo, &c. vel substantia completa simplex: quomodo completa sunt Deus, & Angelus; incompletam verò dicit esse partem speciei, quæ est, vel genus, vel differẽtia essentialis, vt animal, & rationale seorsum; sine dubio substantia, quæ est genus generalissimum est incompleta in specie; sed est completa, vt genus supremum prædicamentale, quod, scilicèt, in recto prædicatur de omnibus speciebus, quæ sunt in recta linea prædicamenti substantię: tantùmodo, & non de differentijs, quibus diuiditur substantia, quæ est genus generalissimum, de quibus omnibus prædicatur substantia, quæ distinguitur contra accidens; hæc enim præscindit à substãtia, tùm completa, tùm incompleta: tam in genere, quam in specie. Neque inconueniens est, substantiam, quæ est primum genus prædicamentale esse completam, & incompletam in re in diuersa suppositione formali, sed solùm inconueniens est, esse completam, & incompletam in eadem suppositione formali; nàm secundum idem esset completa, & incompleta, quæ esset manifesta contradictio.

Respondeo ad secundam rationem eadem distinctione substantiæ completæ, & incompletæ, vel in specie, vel in genere: cùm enim dicit Fasolus, substantiam, quæ est genus generalissimum, esse omnium incompletissimam; hoc verùm est de incompletissimo in specie, non autem in genere, nam substantia quæ est genus generalissimum, est contracta ad ens, quod est prima causa, vt cæteri gradus sint per se, & hoc ens est prædicabile tantummodò de substantijs completis in specie.

Obijcies quartò rationem, qua Suarez probat esse impossibilem conceptum entis completi communem accidentibus, & substantijs in recta linea prædicamentali constitutis, & non differentijs; & sic arguitur: si substantia, quæ est genus primum prædicamentale, est prædicabilis tantummodò de substantijs completis in specie in recta linea prædicamentali constitutis, & non de differentijs lateralibus, daretur etiam ens completum, commune tantùm accidentibus, & substantijs in recta linea prædicamentali constitutis: sed hic conceptus est impossibilis; quia, vt inquit Suarez, substantiæ incompletæ sunt perfectiora entia, quàm accidentia completa, v. g., materia prima, vel rationalitas, est quid perfectius albedine; sed hoc posito implicat dari ens completum formaliter commune tantùm accidentibus, & substantij completis, in recta linea prædicamentali constitutis, & non differentijs essentialibus, & probatur, quia ens completum formaliter perfectiori modo reperitur in omnibus perfectioribus, quam imperfectioribus, perfectius enim ens, est propinquius enti completo, & immediatius, quam ens imperfectius: verùm si ens completum vt sic, includeretur tantùm in omnibus entibus completis in specie, non includeretur etiam in entibus incompletis perfectioribus aliquibus entibus completis in specie; esset enim commune ad entia completa tantùm in specie, & non es-

esset commune eisdem secundùm idem; quia esset commune etiam entibus incompletis perfectioribus; & confirmatur: nàm, non solum cōueniunt in ratione entis formaliter entia completa in specie, sed etiam entia incompleta in specie; quia ratio entis formaliter est ratio entis vniuersalissima.

Respondeo distinguendo de ente completo; aliud enim est ens completum, vt genus primum omnium, quæ sunt in entibus completis in specie, collocatis in recta linea prædicamenti, tàm substantiæ, quàm accidentium; & aliud est ens completum, vt causa passionum; ens completum secundo modo non implicat esse commune etiam entibus incōpletis in specie; nam essentialiliter nō est restrictū ad esse tantùm in entibus completis in specie, quod est genus vniuocum omnibus entibus completis in specie; genus autem vniuocum, non potest esse commune differentijs, quæ sunt entia incompleta, quia genus non prædicatur essentialiter de rationali; ens autem completum primo modo implicat esse commune entibus completis in recta linea prædicamentali, & esse commune differentijs, quæ sunt entia incompleta; hoc est quia ens cōpletum in ratione causæ passionum, abstrahēs ab ente completo, & ab ente incompleto in specie; hoc autem implicat non esse commune simùl entibus completis in specie, & incompletis; forte Suarez loquutus est de ente completo vt causa passionum. Neque inconuenit idem secundum diuersam considerationem formalem, esse completum, & abstrahere ab ente incompleto, & ab ente completo in specie; totus autem sequens discursus Suarez verificatur de ente completo vt causa passionum, quod scilicèt est adæquata causa passionum.

## ARTICVLVS QVINTVS.

### Vtrum omnes gradus metaphysici, siuè essentiales, distinguantur inter se distinctione formali reali in vno, & eodem indiuiduo.

GRadus methaphysici essentiales sunt gradus genericus, & gradus differentialis essentialis, qui dicuntur gradus essentiales; quia per eos tanquam per quosdam gradus ascendimus ad cognitionem quidditatiuam rerum, de his tantummodò inquiritur in articulo, an actu sint distincti distinctione reali formali inter se in eodem indiuiduo; quoniam de distinctione naturæ, siuè graduum essentialium ab indiuiduali differentia proponetur specialis articulus: perstringimus autem hanc controuersiam de distinctione graduum essentialium inter se in eodem indiuiduo, vt satisfaciamus Recentioribus, qui dicunt hanc quęstionem non posse fieri dę gradibus essentialibus, prout sunt in diuersis indiuiduis, quia controuersia est de re dubia; at euidens est, & per se notum, gradum essentialem existentem in vno indiuiduo, distingui realiter ab alio gradu essentiali existenti in alio indiuiduo; v.g., certum, & euidens est gradum animalis existentem, v. g., in Petro esse distinctum realiter, non solùm à gradu animalis existente in Leone; verùm etiam à gradu animalis existente in Paulo; sed decipiuntur, nam si ponatur vnus gradus essentialis secundum se, non includere essentialiter alium, sed negatiuè ab alio prę scindere, necessariò sequitur, gradum, v.g., animalis existentem in Petro, non solùm distingui à gradu animalis, & à gradu rationali existentibus in Paulo, sed etiam, non includere essentialiter in sua quidditate gradum rationalem existentem in eodem Petro.

Quæsitum hoc hìc controuertitur cùm Realibus, non cùm Nominalibus; Reales.n. supponunt in vno indiuiduo substantiæ prædicamētalis reperiri formaliter gradum genericum, & indifferentialem; & controuertunt solùm, an sint distincti ex natura rei, nàm aliud est reperiri in vno indiuiduo gradus essentiales formaliter, & aliud est illos esse distinctos, vel indistinctos ex natura rei inter se: verùm Nominales negant in vno indiuiduo reperiri gradus essentiales obiectiuos plures, etiam distinguibiles ratione ratiocinata; quia omnia, quæ dicuntur de gradibus, saluantur per vnum simplex principium, varijs modis conceptum, scilicèt in ordine ad varias operationes, & hoc est falsum; nam vel hoc dicitur quia gradus sunt indistincti omninò ex natura rei, & hoc non probat, quia aliud est gradus methaphysicos, non esse formaliter in vno indiuiduo substantię prædicamentalis, & aliud est eos inter se non distingui: vel ratio est, quia gradus essentiales nullo modo reperiuntur, & hoc falsum est etiam, nam datur substantia prædicamentalis; hęc autem est diuisibilis per varios gradus formales differentiales; Secundò, quia in vno indiuiduo reperiuntur operationes formaliter

liter diuersæ; istæ autem necessariò supponunt principia formalia diuersa formaliter; hac enim ratione distinguitur intellectus à sensu.

Resolutio articuli explicabitur sequenti conclusione.

Prima conclusio. Gradus essentiales in vno, & eodem indiuiduo, sunt realiter distincti inter se distinctione formali; est autem distinctio realis actualis, siuè formalis, quæ reperitur in natura rerũ ante omnem operationem intellectus: vel vt alij loquuntur independenter ab omni operatione nostri intellectus inter plures quidditates reales formaliter in vna entitate; hanc assertionem defendit Scotus cum suis, *in 2. distinct. 1. quæst. 1. & quodlib. quæst. 2. & 7. methaphys. quæst. 16.* neque hæc opinio est aliena à mente S. Thomæ, vt infra probabitur; neque obstat si dicatur, S. Thomam sæpè docuisse vnum gradum distingui ab alio gradu essentiali in eodem indiuiduo, ratione; nam confundit S. Thomas ly, ratione, cum formalitate obiectiua.

Contrariam opinionem tuentur plures docti Methaphysici, quos refert, & sequitur Suarez *disp. 6. methaphys. sect. 9. num. 9. & disp. 5. sect. 2. num. 8.*

Prima ratio fundamentalis conclusionis est: quia gradus substantiæ, quæ est genus primum in prædicamento substantiæ, est prima causa, vt cæteri gradus sint ens per se; sed hic gradus distinguitur distinctione actuali, siuè formali reali à cæteris gradibus inferioribus; ergo, &c. Minor est manifesta; quia cæteri gradus inferiores non sunt prima causa, vt cęteri gradus sint ens per se, vt suprà ostendimus; nam distinctio realis formalis est per hoc, quod vnus gradus formalis, non includitur in alio essentialiter in eadem entitate, sed prima causa essendi per se cęteris in prædicamento substantiæ, non includitur essentialiter, & secundùm se in cæteris gradibus; quia prædicaretur essentialiter de cæteris gradibus inferioribus, sed non prædicatur essentialiter, & secundùm se, quia gradus inferiores non sunt causa prima essendi per se, cæteris in genere prædicamentali substantiæ; quia non sunt primus gradus essendi per se: primus enim gradus essendi per se, est qui præsupponitur à cæteris gradibus in genere prædicamentali, nam hic gradus est genus generalissimum in prædicamento substantię. Maior principalis argumenti adhùc certa est, quia genus generalissimum in prædicamento substantiæ præsupponitur à cæteris gradibus differentialibus, gradus enim differentiæ, vt suprà ostendimus, semper supponit suum genus; differentia enim est actus, genus verò potentia; in vno autem, & eodem, prior est potentia, quàm actus.

Respondere possunt Aduersarij, hanc rationem non concludere, quia in vno, & eodem indiuiduo, substantię prædicamentalis datur gradus substantię formaliter contradistinctæ ab accidente, qui est prior genere summo prædicamentali, & probatur, quia est vniuersalior; de pluribus enim prædicatur substantia, quæ est contra accidens, quam pręedicatur substantia, quæ est genus primum prædicamentale de speciebus tantùm, quæ sunt in recta linea prædicamentali; substantia verò quæ distinguitur contra accidens prædicatur, non solùm de omnibus decem prędicamentis collocatis in recta linea prædicamentali, sed etiam de gradu generico, & de gradibus differentialibus; isti enim tres gradus secundum se sunt ens intrinsecè independens à subiecto inhæsionis.

Sed hæc, responsio facilè impugnatur, primo disparitate; quia substantia, proùt distinguitur cõtra accidens est prior, quam substantia, quæ est genus summum prædicamentale prioritate vniuersalitatis, siuè prędicationis; non autem primitate causæ essendi per se, cęteris secundis in eodem genere: at substantia secundùm quod est genus primum prædicamentale, est prima omnium, quæ sunt in speciebus constitutis in recta linea prædicamentali, vt causa prima essendi per se cæteris: & ratio est, quia substantia quę est genus primum prędicamentale, sumitur à primo gradu formæ substantialis; omnes enim gradus formales in specie sunt à forma, quatenus actuat, & perficit materiam; substantia verò proùt contradistinguitur ab accidente, pręscindit à forma, & a materia substantialibus, ratio autem primæ causæ fundatur in actu, non verò in ratione abstrahente ab actu, & à potentia. Secundò, quia ratio primæ causę graduum formalium, debet esse primus gradus formalis; hic autem est genus primum in prędicamento substantiæ, non autem substantia secundùm quod distinguitur ab accidente, quia hæc substantia præscindit ab omni gradu, & generico, & differentiali; ergo esse primam causam essendi per se cæteris gradibus inferioribus substantia, conuenit generi generalissimo in recta linea prædicamenti substantiæ; quia hic est primus gradus qui præsupponitur à cęteris omnibus gradibus inferioribus; substantia au-

autem, proùt distinguitur ab accidente, præscindit ab omni gradu entis, & superiori, & inferiori; quia est communis omnibus gradibus in prædicando, & gradui generico, & gradui differentiali, & specifico.

Secunda ratio conclusionis est; quia substantia, quæ est primum genus in prædicamento substantiæ secundùm se, est limitata limitatione generis; sed hæc limitatio est causa sufficiens vt distinguatur actu distinctione formali à cæteris gradibus inferioribus; nam esse limitatum ad genus, siuè limitatione generis, dicit genus, v.g., primum in prędicamento substantiæ, esse intrinsecè genus, & non differentiam; ergo, &c.

Respondent contrarij, genus, v.g., supremum in prædicamento substantiæ esse limitatum ad genus limitatione totius indiuidui substantiæ; non autem limitatione intrinseca, & partiali propria generis.

Sed hæc responsio facilè impugnatur; nam genus, v.g., supremum substantiæ, est limitatum in intrinseca ratione generis; dicitur enim genus primum vnius prædicamenti limitatum ad genus, non solum quia est vnum genus diuersum à cæteris; sed etiam quia est intrinsecè, & secundùm se genus, & non differentia diuisiua generis, & constitutiua speciei; nam alia est limitatio generis, siuè ad genus determinatum, & alia est determinatio ad speciem, quæ est per differentiam; & hoc non aliundè oritur, nisi quia gradus genericus in vno, & eodem indiuiduo, est gradus tantùm genericus, & differentia formalis, siuè gradus formalis differentialis, est tantùm gradus differentialis; & probatur hoc à priori; quia gradus genericus prædicamentalis secundùm se est diuisibilis intrinsecè, & contrahibilis ad determinatam speciem; sed non esset intrinsecè diuisibilis per oppositas differentias, & contrahibilis per vnam ad determinatam speciem determinati generis; nisi gradus genericus esset intrinsecè limitatus limitatione propria, & intrinseca generis: nam diuisibilitas per oppositas differentias conuenit gradui generico, quia gradus genericus, est indifferens ad oppositas differentias; sed non potest habere hanc indifferentiam, nisi esset limitatus limitatione intrinseca generis, qua scilicèt est intrinsecè genus, & non differentia, quia secùs esset essentialiter indifferens ad seipsum, quod implicat, & hæc ratio sumitur ab Aristotile 3. *methaphysicæ*, vbi docet, quod differentiæ formales, quę scilicèt sunt gradus formæ extrà essentiam sui generis, ad differentiam generis transcendentis; sed non possunt differentię esse extrà essentiam sui generis, nisi gradus genericus sit intrinsecè limitatus limitatione propria, & partiali, quæ est propria, & intrinseca generis; etenim extreitas dicit exclusionem actualem vnius ab alio; at actualis exclusio sequitur intrinsecam limitationem, qua vnus gradus formalis est ipse intrinsecè, & non alius.

Ad hoc clariùs intelligendum, sciendum est, quod conceptus proprij formalitatum, aut essentiarum in creatis, non sunt mutandi, quando eas concipimus secundùm se, vel proùt sunt in seipsis, nisi aliundè aliquod impedimētum intersit, ratione cuius, conceptus quidditatiuus vnius formalitatis secundùm se, qui erat adæquatus, fiat inadæquatus: v.g., conceptus quidditatiuus proprius adæquatus animalis secundùm se, non est alius quàm principium sentiendi; quia his tantùm prædicatis habetur essentialiter gradus animalis; hic idem conceptus quidditatiuus, qui ex limitatione sua est adæquatus, & in hoc tantùm saluatur, si transferatur ad illimitationem, & infinitatem; quoniam perdit suam limitationem, & acquirit illimitationem, rapit ad sui formalitatem adhuc conceptum quidditatiuū rationalitatis; nam gradus animalis, qui in creatis erat propter limitationem, principium sentiendi tantùm; cum transfertur ad illimitationem formalem, relinquens limitationem, & induens illimitationem, est non solùm principium sentiendi, sed etiam ratiocinandi: & hæc ratio radix est, cur omnia in Deo sunt vnum, & conceptus, qui sunt limitati in creaturis, cum in eis sit prima potentialitas, quæ est potentia ad esse, per quam erāt conceptus adæquati in creaturis, cum transferuntur ad illimitationem formalem, sunt conceptus inadæquati, qui adunantur in vna sublimiori formalitate, quæ est omnis formalitas; quod volens aduertere Scotus induxit fortè *in primum sententiarum*, inter attributa in Deo, distinctionem ex natura rei actualem, siuè formalem, ante omnem intellectus creati operationem, quod aduertens S. Thomas, puriùs de Deo loquutus est, negans vnum attributum ab alio, & omnia attributa ab essentia Diuina distingui distinctione formali actuali in Deo; & hæc est vna ex rationibus, quæ nobis causa est ponendi gradus formales distinctos ex natura rei in essentia finita, & limitata, & stabiliendi fixum principium de distinctione ex natura rei, vbi est distinctio, siuè alietas concep-

tuum

tiuum quidditatiuorum adæquatorum; neque enim est ratio denegandi hâc regulam, vbi conceptus quidditatiui, & definitiui secundùm se, possunt habere locum sub sua limitatione intrinseca.

Conantur Aduersarij soluere hoc principium distinctione duplicis limitationis, nempè partialis, & totalis, qua distinctione adhibita, dicunt vnum gradum essentialem, & formalem, in vno indiuiduo esse limitatum limitatione indiuiduali, quæ est limitatio totalis, & adæquata; non autem limitatione partiali, & intrinseca, sed hęc ratio, non concludit vt suprà diximus. Primò, quia gradus quilibet formalis in vno, & eodem indiuiduo, est intrinsecè, & essentialiter limitatus in ratione gradus essentialis, qui est gradus formalis essentialiter potentialis, hic autem intrinsecè est limitatus in ratione gradus: & probatur ex opposito, nam in Deo, gradus, v.g., intellectiuus, essentialiter est illimitatus illimitatione formali, quia est essentialiter actus purus; ergo ex opposito, gradus intellectiuus in creatis est limitatus intrinsecè limitatione formali, quæ est limitatio in ratione gradus intellectiui; qui est essentialiter potentialis, nimirum potentialitate ad esse; oppositorum enim oppositæ sunt rationes formales. Secundò, quia limitatio totalis, quæ est limitatio totius indiuidui, est limitatio extrinseca, non intrinseca; quia est limitatio esse totalis, quod est esse extrinsecum partibus, sicut esse totale, est extrinsecum partibus componentibus vnum totum: sed limitatio gradus totalis, vel generici, vel differentialis propria, est limitatio intrinseca, quia est limitatio esse partialis, quod est esse intrinsecum partis: explicatur hęc doctrina, nam partes in suo toto, habent duplex esse, esse intrinsecum partiale, & hoc est inseparabile; & habent esse totale, quod est esse totius, & hoc est extrinsecum partibus, & ab eis separabile. Tertiò, quia vt suprà diximus, gradus formales in hoc distinguũtur à modis intrinsecis non sunt extrà entitatem modificati; gradus autem formales, vt sunt differentiæ formales, sunt extrà entatem, & quidditatem generis, quod contrahunt, & determinant, qua ratione probat Aristotiles 3. & 5. *methaphysicæ*, non prædicari essentialiter de suis differentijs.

Dicent fortè primò Aduersarij, quod gradus, v. g., genericus in prædicamento substantiæ, putà gradus animalis secundùm se, est principium sentiendi, sed inadæquatè, non autem adæquatè; quia gradus animalis in homine secundùm se, non solùm est principium sentiendi, sed etiam discurrendi, & hoc quia principium sentiendi, & discurrendi in vno, & eodem homine, adunantur sub vna ratione formali viuentis; at principia inadæquatè, non distinguuntur actu inter se; quia hæc distinctio actualis est ex distinstinctione formali principij vitalis: hæc autem distinctio est ex distinctione formali obiecti formalis, sed principia, quæ conueniunt in vna ratione formali, & principij operatiui, & obiecti formalis, non habent hanc prærequisitam distinctionem formalem; ergo, &c.

Sed hæc instantia facilè soluitur, & impugnatur; Soluitur quidem primò, quia dupliciter possunt principia diuersa adunari sub vna ratione formali, vel vt diuersa principia adunantur, in vno principio vniuersaliori, sicut scientiæ inferiores adunantur sub vna scientia vniuersaliori, quo pacto scientia formaliter practica, & scientia formaliter speculatiua, adunantur in vna scientia sublimiori, & vniuersaliori, quæ formaliter, neque est practica, neque speculatiua; sed sublimior, practica, & speculatiua, materialiter verò simùl practica, & speculatiua inadæquatè, quo pacto scientiæ inferiores, practicæ, & speculatiuæ adunantur materialiter, & inadæquatè in theologia sacra, vel in methaphysica vniuersalissima, vel adunantur, vt rationes formales in vna eminentiori formalitate sine vlla diuisione, quomodo perfectiones formaliter adunantur in Deo, sub vna eminentiori, & sublimiori formalitate. In re nostra, gradus methaphysici, siuè essentiales, putà gradus animalis, & gradus rationalis, non adunantur in vno, & eodem indiuiduo hoc secundo modo; quoniam hęc adunatio formalis, est ex illimitatione formali; at in creatis in nullo indiuiduo potest reperiri, vna formalitas sublimior illimitata formaliter. Cæterum, primo modo, gradus inferiores, in vno, & eodem indiuiduo, possunt quidem adunari materialiter, sub vno gradu superiori, v. gr., gradus sensitiuus, & vegetatiuus, sub gradu rationali, siuè intellectiuo; sicut sensus particulares materialiter adunantur sub sensu communi: sed hęc adunatio non tollit distinctionem formalem, & actualem vnius gradus ab alio in ipsis gradibus inferioribus; solùm enim dicit principia inferiora subordinari vni principio superiori, quatenus obiecta formalia, graduum, & principiorum inferiorum fiũt obiecta materialia principij superioris, quomodo sensus parti-

culares, & exteriores adunantur sub sensu communi, quæ adunatio non tollit, vt dixi, distinctionem, & pluralitatem actualem, & formalem, sensuum exteriorum. Verùm in opinione non distinguentium gradus metaphysicos distinctione formali, necessariò cōcedenda est illimitatio formalis in gradibus metaphysicis, quia ponuntur gradus methaphysici formaliter adunati in vna sublimiori formalitate, quæ est formaliter omnis gradus, quia hæc illimitatio formalis est propria Dei, quia fundatur in eo, quod in Deo existentia, est essentialiter suum esse; hoc autem est proprium Dei, & consequenter incommunicabile simpliciter creaturis. Ex hac responsione impugnatur, & reijcitur supradicta respōsio, adhoc, vt vnum, & idem principium in vno homine inadæquatè, sit principium sentiendi, & inadæquatè principium ratiocinandi, prærequiritur, vt vna formalitas substantialis sit formaliter sensitiua, & intellectiua, sine vlla diuisione intrinseca, sed hoc repugnat creaturæ in vniuersum, quia adhoc requiritur illimitatio formalis, quæ cùm sit propria Dei, vt ostendimus, est incommunicabilis creaturæ.

Quod si dicas prærequiri infinitatem formalem ad hunc effectum, quando ponuntur adunari rationes formales adęquatæ, quæ propter illimitationem, quam acquirunt per adunationem, fiunt rationes inadæquatæ; at gradus essentiales in vno, & eodem homine, sunt rationes formales inadęquatè, quæ proindè possunt adunari in vna ratione formali adæquata, non quidem per illimitationem formalem, sed per nobiliorem modum essendi.

Contrà est, quia gradus methaphysici, siuè essentiales in vno, & eodem indiuiduo in ratione gradus, siuè principij operatiui formaliter sunt principia adæquata, non autem inadæquata; quoniam, vt diximus, distinguuntur radicaliter ex distinctione formali suorum obiectorum formalium, licet sint principia inadæquata in specie, v.g., substantiæ prædicamentalis; ista verò principia possunt tantùm adunari sub vno principio vniuersaliori, & sublimiori materialiter, & inadæquatè; sicut sensus exteriores adunantur sub vno sensu communi interno; hoc autem non possunt habere nisi principia inferiora; verùm in homine, non potest dari hoc principium superius, & vniuersalius omnibus gradibus essētialibus hominis collectiuè sumptis; supremus enim gradus in homine est gradus rationalis.

Tertia ratio fundamentalis conclusionis est, intrà distinctionem realem in generali in creatis datur distinctio realis formalis, quæ dicit plures formalitates in actu in vna entitate; sed hæc non potest commodiùs esse, quàm in gradibus essentialibus in vno, & eodem indiuiduo, v.g., substantiæ; ergo in gradibus methaphysicis, siuè essentialibus in vno, & eodem indiuiduo substantiæ reperitur distinctio realis formalis; Minor est certa, quia gradus methaphysici sunt gradus formales vnius formæ; sed his propriè conuenit, vt sint formalitates; ergo distinctio formalis propriè conuenit gradibus essentialibus in vno, & eodem indiuiduo; Maior principalis argumenti probatur, quia distinctio realis actualis in genere præscindit ab omni specie distinctionis actualis; sed vbi est genus præscindens ab inferioribus formaliter, datur diuisibilitas per oppositas differentias.

Quod si dicas, hac ratione demonstrari tantùm possibilitatem distinctionis realis formalis, non autem actualitatem.

Contrà est primò, quia in hoc vniuerso quodlibet genus est completum in sua latitudine formali; perfectio autem vniuersi requirit omnes gradus formales, & specificos in actu; ergo, &c. Secundò, quia actu in creatis reperiuntur formalitates limitatæ in vna, & eadem entitate; sed in his formalitatibus necessariò reperitur distinctio realis formalis, & actualis.

Quarta ratio conclusionis est; quia gradus supremus substantię, qui est genus summum in prædicamento substantiæ, secundùm se, & absolutè fundamentaliter præscindit à gradibus differentialibus inferioribus; nimirum secundùm se, neque est spiritualis, neque corporalis: sed hac posita fundamentali præcisione, non potest gradus genericus supremus substantiæ prędicamentalis non esse distinctus ex natura rei à suis gradibus inferioribus; ergo, &c. Maior probatur, quia in definitione sua essentiali secundùm se non includuntur, neq; gradus spiritualis, neque gradus corporalis; definitio enim substantiæ prædicamentalis secundùm se, vel est solùm ens per se formaliter limitatum ad vnum genus, vel est ens per se, quod est prima causa, vt cętera entia sint ens per se; nam his est substantia prædicamentalis, & hoc significat substantia prædicamentalis; sed in hac definitione essentiali, non cadunt gradus spiritualis, & gradus corporalis: ergo, &c. hac ratione Sanctus Thomas PP. *quæst. 3. artic. 3. in corpore*, probat, quod in rebus compositis, ex materia, &

& forma, differunt essentia, vel natura, & suppositum nimirum singulare, quia inquit Sanctus Doctor, essentia, vel natura comprehendit in se illa tantùm, quæ cadūt in definitione speciei hominis; his enim homo est homo, his. s. essētialiter homo est homo, sed materia indiuidualis, non cadit in definitione speciei, quæ tamen cadit in definitione huius hominis.

Quod si dicas, dictam definitionem esse definitionem substantiæ prędicamentalis, secundùm quod est conceptibilis à nostro intellectu cognitione inadęquata, nimirum in ordine ad actum tantùm subsistendi, non autem esse definitionem substantiæ prædicamentalis in se, vel proùt est in suo modo essendi reali; in hoc autem articulo controuersia est de substantia prædicamentali secundùm se, siuè proùt est in suo modo essendi naturali.

Contra est, quia his tantùm prædicatis essentialibus, saluatur quidditas substantiæ prædicamentalis secundùm se; illa enim ex regula communi sunt prædicata essentialia vnius essentiæ, vel vnius quidditatis, quibus tantùm positis, & remoto quocunq; alio, ponitur quidditas, & quibus remotis posito quocunque alio, vel vno ex illis remoto, posito quocunque alio non ponitur quidditas, seù essentia; sed prædictis tantùm prædicatis positis, quocunque alio remoto ponitur substantia prędicamentalis, & vno ex illis tantùm remoto, non ponitur secundùm se, & realiter; ergo, &c. quæ regula si negetur, nullum daretur argumentum efficax ad distinguendum essentiam secundùm se à seipsa, proùt est in aliquo statu; omnes autem Methaphysici communiter distinguunt naturam vniuscuiusq; entis in triplicem considerationem, vel statum; nimirum in naturam secundùm se, in naturam secundùm quod est in statu actualis existentiæ, & in naturam vt repræsentabilem nostro intellectui cognitionibus inadæquatis, & imperfectis.

Quod si iterum dicas prædictis prædicatis constitui substantiam prędicamentalem, non quidem secundùm se, & absolutè, sed in modo essendi, quem potest habere in intellectu cognoscente illam cognitionibus inadæquatis, & imperfectis.

Contrà est; quia prædicta prædicata sunt inseparabilia à quidditate substantiæ prædicamentalis, & illis solis positis ponitur essentialiter substantia prædicamentalis: prætereà hæc sunt prima prædicata omnium, quæ possunt competere substantiæ prædicamentali in quocunque statu, & in quacunque consideratione; at prædicata, quæ conueniunt naturæ, vel essentiæ tàm in statu existentię realis, quàm in statu existentiæ obiectiuæ in intellectu, sunt prędicata extrinseca, & secundaria, & consequenter separabilia, ergo, &c.

Minor principalis argumenti, nimirum quod posita hac præcisione, necessariò in priori naturæ saltem substantia, quæ est primum genus prædicamentale, debet esse distincta realiter à cęteris gradibus inferioribus, probatur doctrina S. Thomæ *in 3. de Anima lect. 12. circa fin.*, vbi asserit abstractionem, siuè præcisionem vnius ab alio, sine falsitate fundari tanquam in prima radice in hoc, quod vnum in sui ratione, non includit aliud, nimirum in sua definitione essentiali secundùm se; his verbis: *Eorum quæ sunt in rebus coniuncta, contingit, vnum sine altero intelligi, & verè, dummodò vnum eorum, nō sit in ratione alterius, si enim, inquit, Socrates sit musicus, & albus, possum intelligere albedinem, nihil de musica intelligendo; non autem possum intelligere hominem nihil intelligendo de animali, quia animal est de ratione hominis.*

Hac auctoritate probatur etiam opinionem distinguentium vnum gradum methaphysicum ab alio in eodem indiuiduo esse adhùc opinionem S. Thomæ, quia fundatur in veris principijs, quæ docet S. Thomas, quorum vnum est hoc; quia non potest vnum abstrahi ab alio sine falsitate, nisi, quando vnum secundùm se non includitur in quidditate alterius, hæc autem non inclusio, non est nisi distinctio realis vnius ab alio; è conuersò autem, tunc vnum non distinguitur ex natura rei ab alio saltem tanquam à signo, quia non potest præscindi ab alio sine falsitate; at vt probauimus, substantia, quæ est genus primum prædicamentale potest præscindere sine falsitate à gradibus omnibus inferioribus; ergo necessariò debet præsupponi distincta ex natura rei ab illis, quoniam gradus non potest præscindere nisi à prædicatis, quæ in sua ratione non includit.

Objicies primò, principium radicale intellectiuum, & volitiuum, sunt vnus gradus simplicissimus viuentis, sed eadem est ratio de gradu vegetatiuo, & sensitiuo; ergo gradus essentiales sunt vnus simplicissimus gradus, qui est principium plurium, & diuersarum operationum; ergo gradus essentiales in vno, & eodem indiuiduo, non sunt plures gradus distincti realiter. Maior probatur; quia volitio, & intellectio sunt operationes subordinatæ, sed operationum subordinatarum vnum est principium simplicissimum formale, quia vnitas principij

ſumitur ex vnitate primæ operationis; ſpecificatio enim eſt à ratione priori: ſed in operationibus ſubordinatis vna tantùm eſt prima; ergo, &c. Minor principalis argumenti probatur; etenim ratio, cur intellectionis, & volitionis eſt vnum ſimpliciſſimum principium, non eſt alia, niſi quia intellectio,& volitio ſunt operationes eſſentialiter ſubordinatæ; in ſubordinatis autem vnum eſt principium, & cauſa vtriuſq;, vel quia vnitas principij ſumitur ab actu priori; in operationibus autem eſſentialiter ſubordinatis, vnicus eſt primus actus operandi: ſed ſenſatio, & vegetatio ſunt operationes eſſentialiter ſubordinatæ, vna enim eſt ſuperior, & alia inferior; ergo,&c.

Reſpondent aliqui negando maiorem, quia, inquiunt, gradus volitiuus eſt poſterior gradu intellectiuo; cauſa enim,v.g.,cur ſubſtantia ſpiritualis eſt volitiua, eſt quia eſt intellectiua, & hac ratione Theologi demonſtrant à priori in Deo eſſe voluntatem, quia in Deo eſt intellectus formaliter; at gradus poſterior, & gradus prior, ſunt duo gradus actu diſtincti: eadem ratione oſtenditur etiam in Deo proceſsionem Spiritus Sancti, non eſſe generationem, ſicut eſt proceſſio Verbi à Patre, quia generatio eſt actus naturæ; volitio autem qua procedit Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non eſt actus naturę,quia actus naturę eſt actus, prior:volitio autem eſt actus poſterior, ſupponens alium priorem ante ſe, qui eſt intellectio, vel quia natura eſt prima ratio omnium, quæ ſunt in re; at prima ratio in ſubſtãtia ſpirituali eſt gradus intellectiuus; gradus verò volitiuus eſt poſterior,vel quia per ſe communicatur à Patre Verbo Diuino principium intellectiuum, quod eſt natura in Deo, proceſsio Verbi in Deo eſt generatio; non autem proceſſio Spiritus Sancti; etenim Spiritui Sancto per ſe, & primò communicatur volitiuum, quod in Deo non eſt natura, quia eſt gradus poſterior, gradu intellectiuo.

Sed hæc reſponſio, vt in ſuo loco probabitur, reijcienda eſt,quia non ſaluat æqualitatem Diuinarũ Perſonarum, quælibet.n. eſt per ſe Deus, nec verum eſt volitiuum radicale, & intellectiuum pariter radicale, non eſſe vnum ſimplex principium, & ratio eſt quantum nunc ſufficit; Primò, quia intellectiuum eſt viuens ſupremum, hoc autem comprehendit ſub vna ratione formali ſimpliciſſima intellectiuum, & volitiuum. Secundò, quia ſubſtantia eſt intellectiua, quatenus eſt ſpiritualis, ſed ſubſtantia ſpiritualis eſſentialiter eſt intellectiua, & volitiua, ità quod ſine volitiuo eſt diminuta,in ratione ſubſtantiæ ſpiritualis.

Quod ſi dicas:in ſubſtãtia ſpirituali creata diſtinguuntur formaliter, & realiter potentia volitiua, & potentia intellectiua, ſed hæc diſtinctio ſufficienter arguit diſtinctionem formalem actualem, inter gradum intellectiuum,& volitiuum: & probatur,quia potentia ſenſitiua, & potentia diſcurſiua diſtinguuntur inter ſe actu formaliter;quia ſunt potentiæ graduum, ſeù principiorum inter ſe diſtinctorum;ſed eadem eſt ratio de intellectu, & voluntate; ergo, &c.

Reſpondeo, concedo maiorem, & nego minorem, diſparitas eſt; quia intellectus, & voluntas ſunt potentiæ vitæ ſupremæ; hęc autem vita non poteſt eſſe niſi vna; at potentia ſenſitiua, & potentia negatiua, ſunt potentiæ vitæ inferioris: vita autem inferior, poteſt eſſe multiplex, quia non eſt prima in genere vitæ, ſed ſecunda; vita autem ſuprema eſt prima in genere vitæ; primum autem in quolibet genere vnum eſt, quod eſt cauſa cæterorum, & de hoc fuſiùs dicetur cum ſermo erit de conſtitutiuo eſſentiali diuinæ naturæ.

Obijcies ſecundò: omnes gradus eſſentiales in vno, & eodem indiuiduo ſubſtantiæ ſunt ſingulares vnica ſingularitate; ſed hoc poſito, non poſſunt gradus eſſentiales in vno, & eodem indiuiduo eſſe realiter diſtincti diſtinctione reali formali; ergo, &c. Minor probatur, quia, quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; ergo poſito, quod gradus eſſentiales, ſiuè formales ſunt ſingulares eadem numero ſingularitate, ſunt ijdem vni ſingularitati indiuiſibili; ergo ſunt ijdem inter ſe.Maior adhuc probatur, quia ſingularitas formalis, eſt vltima omnium differentiarum ſuperiorum, & eſſentialium; conſtituit enim ſingulare, quod eſt incommunicabile pluribus inferioribus: ſed vltima differentia ſingularizat, & determinat omnes gradus ſuperiores ad vnum indiuiduum; non enim determinat, & ſingularizat gradum intermedium formalem, niſi vt contractum gradu formali inferiori, v.g., Petreitas non ſingularizat gradum animalis, niſi quatenus eſt completus, & contractus gradu rationalis.

Sunt qui reſpondent, negando maiorem, & dicunt quemlibet gradum formalem in vno, & eodem indiuiduo ſingularizari ſua propria ſingularitate, ſed inadæquata toti indiuiduo; idque probari poteſt. Primò, quia quilibet gradus eſſentialis, ſiuè formalis, eſt intrinſecè realis; ſed quod eſt reale eſt intrinſecè ſingulare, quia ens reale ex

eo

eo reale est, quia potest realiter existere, quia non potest existere nisi quod est determinatum, quod autem determinatum est singulare est. Secundò, quia quilibet gradus essentialis in vno, & eodem indiuiduo est intrinsecè limitatus limitatione partiali, & propria, sed eodem est ratio de singularitate formali, quia hæc adhuc est limitatio ad indiuiduum; datur enim limitatio ad genus, ad speciem, & ad isidiuiduum, & hæc, vel est partialis, vel totalis, quia indiuiduatio formalis est intrinseca determinatio entis realis; at gradus quilibet essentialis in vno, & eodem indiuiduo, vnum intrinsecum, & proprium, & aliud totale, & extrinsecum.

Sed hæc opinio facillimè repellitur eadem ratione supra explicata, quia singularitas in ordine graduum essentialium est vltima differentia, quæ determinat gradum superiorem, & contractum gradu inferiori: ad primam probationem.

Respondeo distinguo maiorem, quilibet gradus essentialis in vno, & eodem indiuiduo est realis realitate intrinseca, & propria essentiali, & concedo: formalitate indiuiduali, & nego; quia differentia indiuidualis cum sit vltima, non est nisi essentiæ completæ vsque ad vltimam differentiam formalem, & hoc prædicatum est essentiale differentiæ indiuiduali, inquantum indiuiduali formaliter, ad eum modum, v. g., quo existentia, cum sit vltimus actus existentiæ in genere entis, non actuat nisi essentiam completam vsque ad vltimam differentiam etiam indiuidualem; priùs enim natura primus gradus essentialis in vno, & eodem indiuiduo completur vsque ad vltimam differentiam essentialem, quæ est differentia constitutiua speciei specialissimæ: in posteriori verò naturæ fit indiuiduus præsuppositis omnibus intermedijs gradibus; denique in tertio signo naturæ fit existens, sed mediantibus intermedijs gradibus complentibus primum, vsque ad speciem specialissimam. Ad probationem verò, qua dicit opponens gradum quemlibet essentialem, non posse esse realem, nisi sit determinatus, quia, quod commune est, existere realiter non potest, eo quod est determinatum.

Respondeo cum distinctione, nam ad rationem essentialem entis realis, satis est, vt possit existere realiter immediatè, vel mediatè, siuè vel per se, vel per aliud; & concedo: immediatè, & per se tantùm, & nego: & ratio est manifesta, nam ens reale, est contradistinctum enti chimerico, sed hæc contradistinctio sufficienter habetur per hoc, quod ens reale potest existere, vel immediatè, siuè per se, vel mediate, siuè per aliud; etenim ens chimericum est, quod nullo pacto potest existere realiter, nam eius essentia in eo sita est, vt non possit existere, nisi præcisè cum illud cognoscitur.

Quod si dicas posita distinctione reali formali inter gradus methaphysicos essentiales in eodem indiuiduo, gradus essentiales sunt plures actu; sed hæc pluralitas, est pluralitas indiuidualis per plura indiuidua inadæquata, & partialia, nam non est actu existens distinctum à cæteris, nisi indiuiduum.

Respondeo posita distinctione reali formali inter gradus essentiales in vno, & eodem indiuiduo, ipsi gradus essentiales sunt actu plures pluralitate participantium vnam differentiam indiuidualem, & vnam existentiam, non autem sunt plures pluralitate, & diuisione differentiæ indiuidualis, & existentiæ: ad eum modum, v. g., quo in opinione S. Thomæ materia, & forma in composito physico sunt plures entitates actu existentes, non pluralitate, & diuisione existentiæ, sed pluralitate entitatum essentialium participantium eandem existentiam, & in communi omnium opinione materia, & forma materialis, in composito materiali sunt plures entitates quantæ, non pluralitate, & diuisione quantitatis, sed pluralitate entitatum participantium eandem quantitatem. Ad secundam probationem principalis argumenti, qua opponens dicit, quemlibet gradum essentialem in vno, & eodem indiuiduo, esse intrinsecè limitatum limitatione intrinseca, & partiali, sed eadem est ratio de limitatione, &c.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem, & disparitas est, quia limitatio formalis est prædicatum essentiale entis creati, ens enim creatum est essentialiter potentiale; vnde est pluralitas formalis, non indiuidualis; insuper cum diuiditur ens creatum in plura entia partialia diuiditur, & multiplicatur etiam cum sua limitatione formali; cæterum differentia indiuidualis est predicatum extrà essentiam in creatis, præsertim in rebus materialibus. Cùm denique opponens, dicit ex hac opinione ponentium omnes gradus essentiales in vno, & eodem indiuiduo, indiuiduari vnica tantùm differentia indiuiduali, modo explicato, necessariò sequi gradus omnes essentiales in vno, & eodem indiuiduo esse indistinctos inter se ex natura rei; quia quæ sunt eadem vnitertio sunt eadem inter se, sed

sed omnes gradus essentiales in vno, & eodem indiuiduo vniuntur ijdem vni tertiæ differentiæ indiuiduali; ergo sunt ijdem inter se.

Respondeo, hoc argumentum petere quo pacto, quæ sunt eadem vni tertio, sint eadem inter se, quod fusè, & latè explicabitur *in quæst. de Trinitate Diuinarum Personarum in vna, & eadem numero natura*. Sed quantum facit ad propositum: Dico quod quæ sunt eadem vni tertio adæquatè sunt eadem consequenter inter se, quæ verò in tertio inadæquatè sunt eadem, non sunt eadem inter se.

Explico, quæ dico, sint, A, & B, extrema, & C, tertium, & supponatur, A, dicere etiam, F; & B, dicere, G; non valet consequentia, A, & C, sunt idem in C; ergo, F, & G, sunt idem inter se; ratio fallaciæ est, quia C, non identificat sibi, A, &, B, secundum, F, &, G, sed solùm inadæquatè secundùm, A, & B, tantùm; sensus huius a priori est, quod quandocumque tertium vi sua claudit duo extrema, nihil illorum relinquendo, tùm quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; cæterum quando tertium vi sua relinquit aliquod extremorum, tunc quæ sunt eadem vni tertio, non sunt eadem inter se; exemplifico regulam obiter in Diuinis; Pater, & Filius, sunt idem in Deitate, nam Pater est Deus, & Filius est Deus, sed non valet consequentia; ergo Pater est Filius; nam Deitas non identificat sibi paternitatem, & filiationem, secundùm oppositionem relatiuam originis, nam ratio formalis relationis originis non est per hoc, quod est in essentia Diuina, sed per hoc, quod est ad suum terminum formalē; vndè semper remanet distinctio inter oppositas personas. Do etiam exemplum in physicis, actio, & passio sunt idem in motu, non tamen inuicem identificantur; quia, scilicèt motus, non identificat sibi actionem, & passionem, secundum oppositionem causæ, & effectus; semper enim remanet distinctio passionis ab actione, sed inadæquata; & regula generalis sit inspicere, quomodo tertium includat in se extrema.

Applicando ad propositum. Argumentum Aduersariorum erat huiusmodi: gradus essentiales vniuntur vni differentiæ indiuiduali indiuisibili; ergo sunt idem inter se, quia sunt idem vni tertio.

Respondeo: gradus essentiales sunt idem vni tertio differētiæ indiuiduali inadæquatè, & concedo: adæquatè, & nego; & ratio est, quia differentia indiuidualis non identificat sibi, v.g., gradum animalis, & gradum rationalis adæquatè, nihil illorum relinquendo, sed inadæquatè, relinquendo, scilicèt aliquid illorum, quippè gradus animalis, & gradus rationalis, non solùm sunt gradus indiuiduabiles in vno indiuiduo, sed gradus animalis est essentialiter superior vniuersalitate gradu rationali: præterea gradus animalis est potentia perfectibilis à gradu rationali; gradus verò rationalis est gradus formalior, & perfectiuus, & sunt principia diuersarum operationum formaliter; Differentia indiuidualis, v.g., Petreitas, identificat sibi gradum animalē, & gradum rationalem, secundum quod sunt indiuiduabiles in vno indiuiduo, relinquendo alia prædicata eorundem.

Obijcies tertiò: nulla est implicantia, vt gradus, v.g., animalis, & gradus rationalis adunētur in vno indiuiduo creato in vnam sublimiorem formalitatem, quæ sit simùl formaliter, gradus animalis, & gradus rationalis; at si gradus animalis secundùm se esset distinctus ex natura rei à gradu rationali, hoc implicaret; ergo irrationabiliter dicitur vnum gradum formaliter distingui ex natura rei formaliter ab alio, in vno, & eodem indiuiduo: minor est euidens, quia omnis distinctio realis est ex differentijs oppositis, quia est ex limitatione intrinseca, & formali; maior in qua est difficultas probatur. Primò, quia nulla est assignabilis rationabilis implicantia. Secundò, quia vnus gradus essentialis secundùm se in sua ratione formali, negatiuè præscindit ab alio, nimirum neque includit, neque non includit positiuè alium gradum, v.g., gradus animalis definitur secundùm se principium sentiendi, hic autem conceptus diffinitiuus, & quidditatiuus animalis secundum se à rationali, & non rationali, vel ab inclusione essentiali in sua ratione, & non inclusione rationalis, vbi autem est præcisio formalis, non est oppositio. Tertiò, gradus animalis si adunaret in sua ratione formali gradum rationalem, adhùc esset ens creatum, quia esset dependens; tùm quia tale ens non esset ens a se, tùm quia talis gradus animalis non esset omnis formalitas, sed aliqua formalitas sublimior.

Respondent aliqui concedendo identitatem de possibili, negando verò identitatem formalem de facto; quia non omnis perfectio possibilis de facto ponenda est, nisi aliquod inditium rationabile habeamus, & hic non est assignabile hoc inditium rationabile.

Sed hæc responsio non subsistit, nam stan-

ſtante limitatione eſſentiali creaturæ, ſiuè vnius gradus eſſentialis, implicat, vt vnus gradus eſsentialis, v.g., gradus animalis, & gradus rationalis adunentur ſub vna ſublimiori indiuiſibili formalitate. Primò, quoniam, vt oſtendimus, conceptus diffinitiuus cuiuſcunque gradus eſſentialis ſecundùm ſe eſt adæquatus, v.g., principium ſentiendi primum, eſt conceptus adæquatus diffinitiuus animalis ſecundùm ſe; conceptus autem adæquatus, & eſſentialis formalitatis ſecundùm ſe, niſi miſceatur ei illimitatio formalis, ſemper remanebit ſub ſua limitatione formali, & conſequenter ſub diſtinctione formali, quod cauſa mihi fuit ad dicendum, non poſſe dari creaturam, quæ in vno indiuiſibili formali conceptu, ſit ſibi ſua ſubſiſtentia; & propter eandem rationem, eſſentia ſubſtantiæ creatę, diſtinguitur ab indiuiduo ſubſtantiæ. Secundò, in oppoſitum ſunt omnes aliæ rationes, quibus probauimus concluſionem.

Ad primam probationem maioris iam aſſignauimus rationes ſufficientes, quibus oſtenditur implicantia. Ad ſecundam rationem. Reſpondeo, negando maiorem, nam conceptus diffinitiuus formalitatis ſecundùm ſe, negatiuè præſcindens a cæteris perfectionibus debet præſcindere, non ſolùm à limitatione, & illimitatione formali, & conſequenter à diſtinctione, & indiſtinctione ex natura rei; ſed debet negatiuè præſcindere à conceptu eſſentiali adæquato, & inadæquato; at, vt oſtendimus, conceptus diffinitiuus cuiuslibet gradus formalis, eſt conceptus adæquatus eiuſdem ſecundùm ſe; conceptus autem diffinitiuus formalitatis ſecundùm ſe in creatis, niſi miſceatur illimitatio, ſemper remanet ſub ſua diſtinctione, & limitatione; vt enim ſuprà oſtendimus, conceptus diffinitiuus, qui eſt adæquatus in creatis propter limitationem formalem, non poteſt fieri indiſtinctus ab alia formalitate, niſi fiat inadæquatus; non poteſt autem fieri inadęquatus, niſi miſceatur limitatio formalis: v.g., ſapientia ſecundùm ſe, præſcindit à conceptu quidditatiuo adæquato, & à conceptu quidditatiuo inadæquato; quia præſcindit à limitatione, & illimitatione formali, & hac ratione oſtendi poteſt, etiam definitionem eſſentialem gradus animalis ſecundùm ſe, eſſe rationem adæquatam, quia eſt conceptus quidditatiuus, & eſſentialis animalis, limitatus formaliter, v.g., ratio vitæ ſecundùm ſe, præſcindit à vita adæquata, & à vita inadæquata, quia præſcindit à vita illimitata, & à vita limitata; quia vita illimitata eſt ratio adæquata vitæ, eo quod eſt vita illimitata; ergo ex oppoſito, quia vita in animali eſt limitata, debet eſſe vita adæquatè, quia ſcilicèt eſt eſſentialiter integra vita animalis.

Ad tertiam rationem; nego maiorem, qua dicitur gradum animalis ſi ponatur, adunari cum gradu rationali formaliter in vna ſublimiori formalitate, quæ ſit formaliter principium ſentiendi, & principium diſcurrendi præciſè, non diſtrahi à ratione creaturæ; nam non poteſt gradus animalis adunari formaliter cum gradu rationali, niſi ſemota limitatione, transferatur ad illimitationem formalem; illimitatio autem formalis eſt prædicatum eſſentiale entis increati, vt fusè ſuo loco probabitur in quæſtione, nimirum de infinito ſecundum formam: vel.

Reſpondeo ſecundò cum diſtinctione, data hypotheſi, non diſtrahitur gradus animalis à ratione naturæ cum ſuo contradictorio & concedo; ſine ſuo contradictorio & nego; data enim hypotheſi gradus animalis, non diſtrahitur à ratione creaturæ ex hypotheſi, quia ſupponitur adunatus tantùm formaliter cum gradu rationali; diſtrahitur verò à ratione creaturæ, quia transfertur, & eleuatur ad illimitationem formalem; nam ratio, quę in creatis erat ob limitationem adæquata, ob illimitationem fit ratio inadæquata; adunatio enim rationum adæquatarum, non eſt niſi per illimitationem formalem.

Quod ſi dicas, poſſunt rationes formales adæquatè adunari ſub vna ratione formali ſublimiori ſine illimitatione formali, v.g., ſcientia purè practica, & ſcientia purè ſpeculatiua poſſunt adunari in vna ſcientia vniuerſaliori, nimirum vt adunantur in theologia ſacra viatorum, & in metaphyſica vniuerſaliſſima, ſed eadem ratio eſt de gradu animalis, & de gradu rationalis; & probatur, quia ſi aliqua ratio eſset in oppoſitum, ea non alia eſse poſſet, niſi quia gradus animalis, & gradus rationalis, ſunt rationes formales adæquatæ; ſed hæc ratio non concludit, quia adhuc ſcientia adæquatè practica, & adæquatè ſpeculatiua, poſſunt adunari in vna ſublimiori ſcientia, non obſtante, quod ſint duæ rationes formales adæquatæ.

Reſpondeo ex præcedente *quæſt.* 1. rationes adæquatas in creatis, poſſe adunari in vna ſublimiori formalitate adhuc creata, & finita, quatenus ſunt differentiæ materiales, non autem quatenus ſunt differentiæ formales. Quandoquidem quando ſunt dif-

differentiæ formales sunt rationes adęquatæ, quia vt sic nulli rationi superiori subordinantur; quatenus verò sunt differentiæ materiales, sic sunt rationes inadęquatæ.

Respondeo secundò alijs terminis; rationes formales adęquatas materialiter, posse adunari sub vna ratione formali sublimiore finita, non autem adunatione formali, vt explicauimus latè in præcedente quæstione; hic autem loquimur de adunatione formali rationum adæquatarum in vna sublimiori formalitate, quæ non potest fieri nisi ex illimitatione formali.

Obijcies quartò: omnia, quibus probatur conuenire gradibus essentialibus, siuè formalibus existentibus in vno, & eodem indiuiduo, quomodo saluari possunt per distinctionem virtualem, tùm extrinsecam, tùm intrinsecam: sed hæc distinctio est formaliter, & genere diuersa à distinctione formali reali; ergo sine rationabili fundamento, gradus essentiales in vno, & eodem indiuiduo existentes ponuntur distincti ex natura rei formaliter. Minor probatur, quia distinctio virtualis, tàm extrinseca, quàm intrinseca, est sine vlla intrinseca diuisione esse, tàm entitatiui, quàm quidditatiui; distinctio autem realis formalis, est cum diuisione esse quidditatiui in vno simplici esse quidditatiuo. Maior probatur; distinctio virtualis intrinseca non est, nisi virtus, potens causare plures effectus, vel plures operationes inter se actu distinctas; sed ad hoc non requiritur, vt in causa præexistant plures gradus formales actu distincti, sed satis est, vt in causa præexistat virtus productiua effectuum diuersorum; quia ad diuersos effectus producendos ab vna causa, non concurrit distinctio virtutis causæ, sed tantùm præexistentia perfectionis effectus in causa: & hoc videre est in intellectu humano creato, qui cum sit simplex virtus intelligēdi, est productiuus simplicis appræhensionis, iudicij, & discursus, quæ sunt tres operationes formaliter, & actu inter se distinctæ; & in virtute Solis, qui albefacit pannos lineos, denigrat carnem, indurat lutum, liquefacit ceram.

Distinctio autem virtualis intrinseca adhuc reperiri potest in creatis, & hæc sufficit ad saluandum omnia, quæ attribuuntur gradibus formalibus existentibus in vno, & eodem indiuiduo. Maior probatur, quia distinctio virtualis intrinseca, est inter causam, & effectum virtualiter ad intrà; sed in creatis in vno, & eodem indiuiduo dantur virtualiter causa, & effectus ad intrà; nam in ente creato, ens formaliter est causa virtualiter passionum transcendētalium, quæ sunt vnitas, veritas, & bonitas, datur causa etiam realis virtualiter, durationis, siuè successiuę, siuè simultaneæ, quæ sunt effectus virtualiter ad intrà; pariter cùm dicitur à nobis, quod gradus substantiæ, quæ est primum genus prędicamentale, est prima causa ad intrà, vt cæteri gradus inferiores sint ens per se, & sic de cæteris; hoc potest verificari, & saluari tantummodò, si dicatur gradum substantiæ, quæ est genus primum prædicamentale, esse causam primam virtualiter, vt cæteri gradus sint ens per se.

Respondeo primò; nego maiorem, de causa, & effectu virtualiter ad intrà, vel de distinctione virtuali intrinseca; hæc enim est propria Dei, propter eius infinitatem formalem: neq; oppositum probant exempla suprà explicata; nam ens formaliter in creatis, est causa realis formaliter suarum passionum, quia passiones entis, sunt modi intrinseci entis realis formaliter; isti autem modi in creatis, distinguuntur *distinctione* actuali modali intrinseca à suo modificato: idem dico de duratione, siuè successiua formaliter, siuè successiua virtualiter, sunt enim prædictæ durationes modi intrinseci entis creati; loquendo verò de distinctione virtuali extrinseca.

Respondeo: hanc distinctionem virtualē dari in causis creatis in ordine ad effectus diuersos, & distinctos materialiter; non autem in ordine ad effectus diuersos formaliter, vt, v. g., intellectus creatus humanus producit tres operationes diuersas, vt differentias materiales; non autem vt differentias formales; intellectus enim creatus producit prædictas tres operationes, quatenus conueniunt sub ratione intelligibilis, quod est obiectum formale intellectus creati: eodem modo pariter theologia sacra viatorum producit, & actum scientificum practicum, & actum scientificum speculatiuum; sed quatenus sunt differentiæ materiales, vt latè explicauimus præcedente quæstione.

Ad aliud exemplum de virtute Solis. Respondeo eodem modo, & eadem distinctione; etenim virtus Solis producit varios effectus, specie diuersos, sed vt terminos materiales, non vt effectus formales, à quibus scilicèt specificatur; virtus enim Solis, est virtus primæ causæ in genere corporis. Prima autem causa non specificatur à termino extrà se, sed à termino intrà se; quia est forma completa, & perfecta in sua latitudine formali; hęc autem habet terminum

for-

malem intrà se; secus non esset forma completa, & perfecta in sua latitudine specifica, & formali; est enim vnumquodq; corpus cęleste completum in tota sua latitudine formali, sicut est essentia vniuscuiusque Angeli, vt suo loco probabitur cum S.Thoma: pro nunc ratio huius esse potest; quia vnumquodque corpus cęleste est primum in suo genere, quia est corpus supremum; Primum autem est intrà se perfectum, quia est causa cæterorum in suo genere.

Neque obstat si dicas, quod natura Angeli est perfecta in sua latitudine formali, quia est forma irreceptibilis in materia in esse naturali; sed vnumquodque corpus cęleste dicit formam receptam in materia.

Respondeo, quod essentia Angeli est tota in sua latitudine formali, & consequenter immultiplicabilis in esse naturali, solo numero intrà eandem speciem; quia est forma irreceptibilis in esse naturali in materia, etiam vt diuisibili, siuè diuisa per quantitatem, vt probabitur suo loco; at forma substantialis corporis cælestis, est recepta in materia non diuisibili per quantitatem; quandoquidem materia cuiuslibet corporis cęlestis est perfecta in sua latitudine; non quia inuoluat aliquem actum intrà rationem materiæ; est enim materia in potentia ad omnem actum, & formalem, & existentialem; differt verò à materia horum inferiorum; quia materia horum inferiorum, cum non sit tota, & perfecta in sua latitudine, est diuisibilis per quantitatem; materia autem corporis cęlestis, cum sit tota in sua latitudine, non est diuisibilis per quantitatem; est verò tota in sua latitudine; quia est materia corporis primi, & supremi absolutè, & simpliciter; hoc autem cum sit corpus in actu, & primum debet esse ex tota sua forma, & ex tota sua materia.

Obijcies quintò: vna ex rationibus, quibus à nobis probatur vnum gradum metaphysicum distingui ab alio in vno, & idem indiuiduo est; quia gradus metaphysici habent diuersas definitiones essentiales adæquatas: definitio autem essentialis adæquata in rebus finitis, necessariò supponit distinctionem realem formalem vnius quidditatis ab alia quidditate; sed hęc ratio non concludit necessariò. Probatur minor, quia definitio essentialis adæquata potest esse quidditatis: prout est in suo esse reali, & potest esse quidditatis vt cognoscibilis à nostro intellectu cognitione inadæquata; vel potest esse definitio quidditatis in modo essendi, quem habet in se, & in modo essendi, quem habet in intellectu cognoscente cognitionibus inadæquatis: e. g. sapientia in Deo potest cognosci secundùm quod in se est, & sic sapientia in Deo definitiuè, non solùm est sapientia, sed etiam est omnis alia perfectio, & formalitas, cùm qua non habet oppositionem; Si verò consideretur; vt repræsentabilis nostro intellectui, sic præcisiuè, est sapientia tantùm, & non alia formalitas. Et definitio sapientiæ secundùm quod est repræsentabilis ex sapientia creata, est adęquata definitio sapientiæ Diuinæ, prout repræsentatur nostro intellectui cognitione abstractiua à sapiētia creata: & huius conditionis dicunt contrarij, esse definitionem vnius gradus metaphysici, vt cùm definitur animal, principium sentiendi, hæc definitio competit animali, non secundùm quod in se est; quia sic animal, & rationale, sunt vnum simplicissimum principium, quod inadæquatis cognitionibus conceptibile est, vel vt principium sensationis, vel vt principium discursus; incumbit autem nobis ostendere hanc definitionem animalis, esse definitionem animalis, prout est in se à parte rei.

Respondeo hoc esse suprà demonstratum rationibus, quibus probauimus conclusionem. Primò, quoniam conceptus, quos nos formamus de quidditatibus rerū in creatis, non sunt mutandi, nisi intercedat aliquod rationabile impedimētum, quod aliud non esse potest, nisi quando conceptus quidditatiuus de limitatione transfertur ad illimitationem. Secundò, quia danda est in creatis distinctio realis formalis, sed hæc necessariò esse debet inter gradus metaphysicos, siuè essentiales, in vno, & eodem indiuiduo; quia prædicti gradus, sunt propriæ formalitates; sunt enim gradus formales entis, siuè formæ in vna simplici entitate, distinctio namque realis formalis, est inter duas quidditates in eadem simplici entitate. Tertiò, quia vt ostendimus, quilibet gradus formalis secundùm se, est intrinsecè limitatus, &c. Additur etiam hæc alia ratio, quia quilibet gradus formalis secundùm se, præscindit à cæteris gradibus inferioribus formaliter; vbi autem est hęc præcisio, realiter concedenda est contrahibilitas per oppositas differentias; at hęc contrahibilitas non potest esse nisi gradus essentiales, in vno, & eodem indiuiduo ponantur distincti ex natura rei; quia diuisiuum, & contractiuum realiter, est extrà essentiam contrahibilis.

## ARTICVLVS SEXTVS.

## Vtrum ens reale, quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, sit distinctum ex natura rei ab omnibus suis diuisiuis formalibus.

FErè omnes Scholastici, paucis exceptis, asserunt, ens reale diuidi in decem prima genera prædicamentalia; sed circà hanc diuisionem insurgunt duo quæsita difficillima. Primum est, an prædicta diuisio fiat per decem modos intrinsecos generales; an per decem gradus entis, essentialiter diuersos. Secundum est; an ens, quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, sit distinctum ex natura rei à suis diuisiuis formalibus: quæ duo quæsita non possunt plenè resolui, nisi explicentur variæ diuisiones entis realis positiui.

Prima diuisio entis realis positiui est in ens reale, quod contradistinguitur ab entibus materialiter, siuè à modis intrinsecis; & in ens reale, quod est primum prædicatum cæterorum, quæ sunt in quolibet ente completo, collocato in recta linea cuiuscunque prædicamenti. Hæc diuisio persimilis est diuisioni, qua diuiditur substantia creata in substantiam, prout contradistinguitur ab accidente; & in substantiam secundùm quod est genus primum prædicamentale; ens reale primo modo abstrahit ab ente completo, & ab ente incompleto, tàm generico, quàm differentiali, nimirum tàm ab entibus completis in specie, quæ sunt collocata in recta linea prędicamentali cuiuscunque prædicamenti, quàm à gradu generico, & à gradu differentiali, quibus completur species in qualibet recta linea prædicamentali: & ratio est, quia ens reale primo modo dicit nudam, & formalem rationem essendi extrà nihilum realiter; hæc autem ratio essendi intrinsecè imbibitur in quolibet ente, tam completo, quàm incompleto; ens verò reale secundo modo restringitur ad ens reale, quod est primum prædicatum cæterorum, siuè omnium, quæ sunt in quolibet ente completo in specie, & in recta linea prædicamentali constituto, quod quidem est imperfectissimum omnium; quia est in potentia ad cæteros gradus inferiores differentiales.

Secunda diuisio entis realis est in ens formaliter, & in ens, quod confundit in vnum ens reale formaliter, & ens materialiter: ens formaliter, est quod in vnoquoq; ente contradiuiditur à modis intrinsecis, & dicitur ens formaliter; quia sua ratione formali est extrà nihilum reale; ens verò quod cōfundit in vnum, ens formaliter, siuè ens modaliter, explicatur his verbis; id, quod est extrà nihilum realiter, præscindendo à modis, quibus esse potest extrà nihilum, qui duo sunt, esse formaliter extrà nihilum, & esse extrà nihilum materialiter, nimirum esse extrà nihilum sua ratione formali, siuè sua entitate, & esse extra nihilum entitate, siuè formalitate sui modificati, siuè subiecti. Hęc diuisio dura est pluribus Metaphysicis, qui contendunt impossibile esse, aliquid esse ens intrinsecè, & essentialiter entitate alterius; quia, inquiunt, esse ens entitate alterius, importat esse ens extrinsecè; at quod est essentialiter ens, est ens intrinsecè; quæ duo fundant contradictionem; sed distinctione, non solùm soluitur hæc ratio; verùm etiam explicatur, & fit clara data diuisio; nam dupliciter contingit esse ens intrinsecè, & essentialiter; vno modo; quia est intrà entitatem alterius; alio modo, quia est extrà entitatem sui modificati, quod est ens extrà entitatem modificati, implicat fieri ens intrinsecè entitate alterius; quod verò non est ens extrà entitatem modificati negatiuè, non implicat esse ens entitate modificati, & huiusmodi sunt modi intrinsecè entis; quia isti entificantur, & realizantur in suis modalitatibus, entitate modificati: & ratio à priori huius duplicis entis est; quia esse extrà nihilum, pręscindit à modo essendi extrà nihilum formaliter, & à modo essendi extrà nihilum materialiter.

Tertia diuisio entis realis est, in ens reale completum, & in ens reale incōpletum; ens completū subdiuiditur in enscompletū, vt species; & in ens completum vt genus, in recta linea prædicamentali; pariter ens incompletum, subdiuiditur in ens incompletū in genere, & in ens incompletum in specie; ens incompletum in specie, est pars speciei, vt gradus animalis in natura humana; ens incompletum in genere est pars, siuè ratio incōpleta conceptus quidditatiui generis; v.g., conceptus adęquatus substantiæ, quæ est primum genus prædicamentale, est ens per se, quod est prima causa, vt cæteri gradus sint ens per se; ens per se seorsum, est ens incompletum in genere substantiæ, quæ est primū genus predicamentale: sicut, v.g., animal est incompletè homo, quia est pars hominis, cum homo sit essentialiter, & cōpletè animal rationale: solet etiam diuidi ens, in ens completum, & in ens incompletum in genere entis; ens completum in genere entis, est ens actu existens in aliqua temporis differentia; ens verò incom-

completum in genere entis, est vel sola essentia, quæ existit, vel sola existentia, qua essentia actu, de potente existere fit existens.

Circa prædictas diuisiones, duæ insurgunt difficultates valdè difficiles. Prima est, quodnam sit ens reale formaliter, quod diuiditur in decem prima, & summa genera prædicamentalia; & ratio dubitandi est, quia ens formaliter, aliud est abstrahens ab ente completo, & incompleto, tùm in genere, tùm in specie; & aliud est formale completum in specie, vel in genere.

Secunda est; an ens quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, diuidatur in ea immediatè, an mediatè, & hanc secundam difficultatem fusè controuertit Caietanus *in opusc. S. Thomæ de ente, & essentia, quæst. 2.*

Circa primam, sunt, qui dicunt ens reale, quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, esse ens reale formaliter, præscindens ab ente completo, & ab ente incompleto: idque probant primò; quia diuisio entis in decem prima genera prædicamẽtalia comprehendit omnia entia creata; sed hæc adæquatè comprehenduntur sub ente reali formaliter positiuo, abstrahente à completo, & incompleto, quia diuisum huiusmodi debet esse communissimum omnibus entibus creatis; at hoc non potest esse nisi ens reale positiuum abstrahens à completo, & incompleto. Secundò, quia quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, debet esse abstrahibile à suis diuidentibus; sed inter decem prima genera prædicamentalia, alia sunt entia completa, vt substantia, qualitas, & quantitas; & alia sunt incompleta, vt actio, passio, &c. ergo, ens quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, debet esse ens abstrahens à completo, & incompleto.

Alij verò dicunt, diuisum in decem genera prædicamentalia esse ens completum, quod, inquiunt, docet Aristotiles *3. lib. metaphysicæ, cap. 3.* vbi negat genus prædicamentale dici de differentijs, quibus contrahitur, non alia ratione, nisi quia sunt entia incompleta; genus verò prædicamentale est ens completum: vndè manifestè colligitur, inquiunt, ens quod in decem prædicamenta diuiditur, oportere esse completum, & ostenditur, quia ens completum dicitur, quod abstrahitur ab entibus completis; sed genera prima prædicamentalia sunt entia completa, tùm quia sunt in recta linea prędicamentali, tùm etiam quia sunt prima; primum autem in suo genere debet esse completum, & perfectum.

Sed hęc controuersia distinctione facillimè soluitur, quia tota dependet ex varijs significatis entis completi, & entis incompleti; & quidem primò, ens quod diuiditur in decem prima genera, non potest esse ens formaliter, idest sua ratione formali ens abstrahens ab entibus completis, & incompletis in specie; sed debet esse ens formaliter abstrahibile tantùm, vt primum prædicatum, siuè vt primus conceptus obiectiuus, & genericus ab omnibus entibus completis in specie, & in recta linea prædicamẽtali constitutis in quolibet prædicamento: & ratio fundamentalis est; quia debet esse ens reale formaliter, abstrahibile tantùm à primis decem generibus prædicamentalibus, sed ex primis generibus prædicamentalibus: vnumquodque est genus supremum, & completum, in ratione generis, omnium prædicatorum, quæ sunt in speciebus collocatis in sua recta linea prædicamentali; ergo ens, quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, debet esse abstrahibile tentùm à primis generibus completis in ratione generis prędicamentalis tantummodò; at hoc non potest esse, nisi ens formaliter secundùm quod est completum in ratione primi generis prædicamentalis vt sic in communi; ergo, &c. Maior probatur, quia diuisum non est abstrahibile nisi ab ijs, in quæ adęquatè diuiditur; sed ens reale formaliter secundùm quod est completum in ratione primi generis, vt sic adæquatè diuiditur in decem prima genera prædicamentalia; omnia enim entia creata reducuntur, vel directè, & per se, vel lateraliter ad decem prima genera prædicamentalia; ergo.

Quod si primò dicas, ens reale formaliter, etiam secũdùm quod est genus primum prædicatur essentialiter, non solùm de speciebus; quæ collocantur in recta linea cuiuscunque prædicamenti, sed etiam de differentijs, quibus vnumquodque genus prædicamentale diuiditur in suas species: sed hoc est abstrahibile, non solùm à primis generibus prædicamẽtalibus, sed etiam à differentijs, illud formaliter diuidentibus; ergo falsum est, ens, quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia esse diuisibile tantùm, siuè adæquatè, in decem prima genera prædicamentalia. Maior probatur; quia non solùm quodlibet primum genus prædicamentale est essentialiter ens formaliter, sed etiam secundùm quod est genus essentialiter diuersum ab alijs, est essentialiter ens formaliter, ad eum mo-

modum quo, non ſolùm ſpiritus, & corpus, quæ ſunt duæ ſpecies ſubſtantiæ prædicamentalis, ſunt accidentaliter ſubſtantia prædicamentalis; ſed etiam ipſamet ſpiritualitas, & ipſamet corporeitas, ſunt eſſentialiter ſubſtantia prædicamentalis; ſunt enim ſub vtraque ratione formali, ſubſtantia creata eſſentialiter; ſubſtantia autem creata eſſentialiter eſt prædicamentalis.

Reſpondeo: nego maiorem; ad probationem diſtinguo maiorem, non ſolùm quolibet genus primum prædicamentale, ſed etiam ſecundùm quod eſt genus eſſentialiter diuerſum ab alijs, eſt eſſentialiter ens formaliter, quod contradiuiditur ab entibus materialiter, ſiuè à modis ſuis intrinſecis, & concedo: ſunt eſſentialiter ens formaliter, ſecundùm quod eſt primum genus in omnibus entibus completis, conſtitutis in rectà linea cuiuſcunque prædicati, & nego: quia hoc primum genus prædicatur tantummodò de entibus completis in ſpecie: & probatur, quia huiuſmodi ens, non ſolùm eſt ens formaliter, ſed etiam eſt prima cauſa ſaltem virtualiter, vt cætera diuiſiua per ſe entis ſint ens formaliter; primum enim in vno quoque genere, eſt cauſa cæterorum; at ratio primæ cauſæ non includitur in diuiſiuis entis formaliter, vt generis primi in decem prædicamenta. Hęc diſtinctio facillimè intelligitur paritate ſubſtantiæ creatæ, quæ duplex eſt; alia, quæ diſtinguitur contra accidens; & alia, quæ eſt genus primum in prædicamento ſubſtantiæ. Ex his ſubſtantia, quæ eſſentialiter prædicatur, non ſolùm de ſubſtantia, quæ eſt genus primum prædicamentale, verùm etiam de differentijs diuiſiuis, quæ ſunt ſpiritualitas, & corporeitas, eſt ſubſtantia, quæ diſtinguitur cõtra accidens; non verò ſubſtantia ſecundùm quod eſt genus primum prædicamentale; quoniam hæc eſt ens per ſe, ſecundùm quod eſt prima cauſa, vt cæteri gradus ſubſtantiæ ſint ens per ſe; ratio autem huius primæ cauſæ non includitur, vt ſupra diximus, in differentijs per ſe ſubſtantiæ prædicamentalis, quæ ſunt ſpiritualitas, & corporeitas; ſed ſolùm includitur in his differentijs ſubſtantiæ ſecundùm quod diſtinguitur contra accidens, quia huiuſmodi ſubſtantia præciſè dicit, quod eſt independens à ſubiecto inhæſionis; pariter ens quod prædicatur eſſentialiter de primis decem generibus adhuc, ſecundùm quod prima decem genera diſtinguuntur inter ſe genere, eſt ens formaliter ſecundùm quod diuiditur contra entia materialia, ideſt contra modos intrinſecos eſſendi, qui tantummodò ſunt ens materialiter, non autem eſt ens formaliter ſecundùm quod eſt primum genus in entibus tantummodò completis, vel in ratione generis prædicamentalis, vel etiam in ſpecie conſtitutis in recta linea prædicamentali; quoniam huiuſmodi ens exprimit ſuprà ens formaliter vt ſic, rationem primi generis, quod eſt cauſa prima, vt cætera prædicata, quæ ſunt in entibus completis in ſpecie, ſint ens formaliter.

Quod ſi ſecundò dicas: ens formaliter ſecundùm quod diſtinguitur contra entia materialia, ſiuè modos intrinſecos entis, adhuc eſt primum genus omnium, quæ ſunt in entibus completis in ſpecie; imò eſt prius, quàm ſit genus entis, abſtractum tantum ab entibus completis; ſed diuiſio entis in decem prima genera prædicamentalia potiori iure conuenit generi primo entis, quam generi ſecundo; ergo, &c.

Reſpondeo: nego maiorem; nam ens formaliter ſecundùm quod diſtinguitur contra entia materialia, non ſolùm abſtrahitur à primis generibus, ſed etiam à differentijs primorum generum prædicamentalium; dicit enim præciſè rationem eſſendi extrà nihilum, quæ intrinſecè reperitur etiam in modis intrinſecis, ſed non addit huic rationi formali eſſendi extrà nihilum, neq; quod ſit ens abſtrahibile tantùm ab entibus completis in ſpecie, ſicut ſubſtantia prædicamentalis abſtrahitur à corpore, & à ſpiritu; neque exprimit ſupra rationem formalem eſſendi extrà nihilum realiter, rationem completi primi generis, quod eſt cauſa prima, vt cætera in ente completo ſint ens formaliter; nam genus primum dicit ens formaliter ſecundùm quod eſt primum in entibus completis, quæ collocantur in recta linea prædicamentali; cæterum ens formaliter, quatenus contradiſtinguitur ab entibus materialiter, ſiuè à modis intrinſecis diuiſiuis, non eſt reſtrictum ad ens, quod eſt primum genus completum in ratione primi, ſed vagatur per omnia genera prædicamentalia, tranſcendens, non ſolùm genera prima, ſed etiam gradus entis generales, quibus, & diuerſificantur decem prima genera prædicamentalia, & quibus formaliter diuiditur vnumquodque genus prædicamentale in ſuas ſpecies, vt ſunt ſpiritualitas, & corporeitas, &c.

Neque dicas, quod hoc, ſi eſſet verum, competeret enti creato formaliter, quatenus eſt extrà quolibet genus determinatum; ſed eſſe extrà quodlibet genus creatum eſt proprium entis increati, quod poſitiuè à ſe ex-

excludit omnem limitationem, scilicèt ad genus, ad speciem, & ad indiuiduum.

Respondeo enim, dupliciter ens posse dici extrà quodlibet genus determinatum; vno modo præcisiuè, siuè negatiuè; alio modo positiuè, siuè contrariè: esse extrà quolibet genus determinatum positiuè, & contrariè, est proprium entis increati, quia est ens illimitatum illimitatione secundùm formam, quæ est omninò irreceptibile in subiecto, tàm physico, quàm metaphysico; esse verò extrà quolibet genus determinatum præcisiuè, & negatiuè, est proprium entis creati formaliter vt sic.

Circà secundam difficultatem, adhuc sūt duæ opiniones inter se oppositæ.

Prima est dicentium, ens reale etiam secundùm quod est ens completum, vt genus vniuersalissimum, immediatè diuidi in decem prima genera prædicamentalia, sicut, v.g., substantia, quæ est genus primum prædicamentale, immediatè diuiditur in spiritum, & in corpus, idest in substantiam incorpoream, & in substantiam corpoream. Hanc sententiam tuetur Caietanus *in opusc. S.Thomæ de ente, & essentia, cap.1. quæst.2. vers.2. Est ista*, sed his verbis: *Ens significat vt conceptum obiectalem, aliquod reale inuentum in omnibus generibus, distinctum secundum rationem à proprijs conceptibus obiectalibus omnium generum, nullum gradum supra genera prima exprimens.*

Primum, & præcipuum fundamentum Caietani est hoc: si conceptus obiectalis entis, quod scilicèt diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, esset aliquis gradus supra gradus genericos, & specificos; tunc consideratis præcisè gradibus genericis, & specificis, cum eorum præcisè passionibus, non esset in eis, vt sic inuenire passiones entis; hoc est falsum; ergo, &c. Consequentia sic declaratur à Caietano, quia animal dicit alium gradum ab homine, ideò homini secundùm differentialem conceptum præcisè, non insunt passiones animalis, vt ostendit falsitas istius reduplicatiuæ: homo, in quantum rationalis, est bipes; circumloquendo per ly, bipes, passionem animalis propriam: similiter si ens dicit alium gradum à substantia, sequitur quod considerata præcisè ratione constitutiua substantiæ, substantia non est vna, nec vera, nec bona, quæ sunt passiones entis transcendentales; falsitas consequentis, sic ab eodem probatur: homo inquantum rationalis præcisè, est vnum quid vnitate, quæ est passio entis: homo inquantum rationalis, dicit alium gradum ab ente, vt dicit opposita opinio, contra quam, inquit, sic arguo; ergo passio entis conuenit alijs gradibus ab ente præcisè, vt sic acceptis, quod est oppositum consequentis; alia Caietani fundamenta ponentur infra, & radicitùs soluentur.

Secunda opinio opposita, inquit Caietanus, colligitur ex Scoto, qui *in 1. sententiarum dist.3. q.1. & 3. & dist.8. quæst.2.* opinatur, quod ens, quod diuiditur in decem prima genera, significat decem prima genera mediatè; imaginantur enim Scotus, inquit Caietanus, quod à quibuscunque similibus, sit abstrahibilis vna realitas obiectiua vtrisque communis, & prior vtrisque, v.g., cum substantia, & accidens conueniant in ratione entis completi in specie, ab eis est abstrahibilis vna ratio obiectalis, vtrique communis, & prior, tàm substantia, quàm accidente, quæ significatur nomine entis completi, quia scilicet est abstrahibilis ab entibus completis, idem dicitur de cæteris: hæc opinio mihi semper arrisit; eamque probo.

Primò, ratione negatiua; nulla est assignabilis ratio in oppositum; vbi autem nulla est oppositio; conclusio, quæ asseritur, vera est, saltem veritate negatiua, & per non repugnantiam. Maior probatur; nam ratio præcipua in oppositum, est, quæ assignatur à Caietano *loco suprà citato*; sed hæc ratio facillimè soluitur, & ratio à priori est; quia, vnum, verum, & bonum, sunt passiones transcendentales entis realis formaliter, prout contradistinguitur à suis modis intrinsecis; sed ens formaliter intrinsecè reperitur, non solùm in prædicatis genericis, sed in omnibus prædicatis differentialibus. Sine dubio, si prædictæ passiones transcendentales, essent passionis entis formaliter secundùm quod est genus primum, quod abstrahitur præcisè ab entibus completis, tùm in genere, tùm in specie, demonstraret ratio Caietani suprà explicata; at hoc est falsum, quia ens formaliter secundùm quod est genus primum, est pars subiectiua entis formaliter; hoc enim diuiditur in ens completum, & in ens incompletum in specie; & ens incompletum subdiuiditur in gradum genericum, & in gradum differentialem. Distinctio hæc duplicis entis formaliter vtique subtilissima est, sed ea facillimè intelligitur, & explicatur illa persimili distinctione substantiæ creatę in substantiam secundùm quod distinguitur contra accidens, & in substantiam secundùm quod est genus primum prædicamentale; substantia primo modo imbibitur intrin-

trinsecè in omnibus substantijs completis, & incompletis in specie; substantia verò secundùm quod est genus primum reperitur, tantummodò in substantijs completis in specie, constitutis in recta linea prædicamentali.

Secundò, probo opinionem ratione positiua: ens creatum formaliter, diuisibile est immediatè in ens genericum primum, & in ens differentiale; ens autem genericum primum deindè subdiuiditur in decem prima genera prædicamentalia; sed hoc sufficienter probat ens creatum formaliter diuidi immediatè in decem prima genera prædicamentalia; ergo, &c. Minor ex terminis est clara; diuisio enim mediata superioris in inferiora fit, quando diuisio fit intermedio aliquo superiori prędicato, vt cum, v.g., diuiditur animal in Petrum, & Paulum; diuisio hæc est mediata, quia fit intermedio rationali, quod est prædicatū superius, & ideò animal mediatè diuiditur in Petrum, & Paulum; diuisio verò immediata fit quando inter diuisum, & membra diuidentia non mediat aliquod prædicatum superius, vt cum animal diuiditur in hominem, & brutum; & homo in sua indiuidua. Hęc terminorum explicatio est Caietani *loco sup. cit. initio q. 2.* sed inter ens formaliter, & decem prima genera prædicamentalia mediat ens genericum primum, quod est superius omnibus decem generibus prædicamentalibus; quoniam omnia genera prædicamentalia conueniunt in hoc, quod vnumquodque est primum genus; prædicatum autem immediatè superius, & communius mediat inter ens creatum formaliter, & decem prima genera prædicamentalia. Maior principalis argumenti probatur; Primò, quia communius est, & vniuersalius ens creatum formaliter, quàm esse primum genus, quoniam ens creatum formaliter commune est enti generico, & enti differentiali, ens verò genericum, non comprehendit sub se ens differentiale, sed restringitur, & limitatur tantùm ad ens genericū, sicut substantia, quæ est genus primum prædicamentale, non est commune spiritualitati, & corporeitati, quæ sunt differentiæ illam diuidentes in spiritum, & in corpus. Secundò probatur à priori; quia ens formaliter præscindit immediatè ab ente generico, & ab ente differentiali; hæc enim est immediata prædicatio inferioris de suo superiori, ens genericum est ens formaliter; sed vbi est immediata præcisio formalis datur contrahibilitas per oppositas differentias; ergo, &c. Totam hanc rationem Scotus explicat alijs verbis, nec explicatio est imaginaria, vt imponitur Scoto à Caietano *loco suprà citato*, quod à quibuscumque similibus fit abstrahibilis vna realitas obiectiua, illis communis, & prior, hanc propositionem explicat Caietanus *loco supra citato*, inductione, quia, v. g., Socrates, & Plato, v.g., conueniunt in humanitate, & non cum Brunello, ab eis potest abstrahi humanitas communis, & prior eis; & quia homo conuenit cum Brunello in sensitiuitate, & non cum planta, potest ab eis abstrahi animalitas communis, & prior eis, & sic de cæteris; & quia substantia, quæ est genus primum prædicamentale, cum alijs generibus prædicamentalibus in ratione primi generis prædicamentalis potest ab eis abstrahi esse primum genus prædicamentale vt sic, quod est communius, & prius substantia secundum quod est genus primum prædicamentale, & cæteris generibus prædicamentalibus accidentium. Denique quia ens primum genericum, & differentia prima prædicamentalis, conueniūt in ratione entis formaliter, ab eis est abstrahibilis ratio obiectiua entis formaliter, quæ est illis communis, & prior: neque hæc inductio abstractionis est imaginaria; quia supponit realiter realitatem obiectiuam abstrahibilem, siuè illa ponatur distincta ex natura rei, vel ratione; nam ad abstractionem fundamentalem satis est, vt reperiatur in rebus formalitas, non inclusa in ratione alterius, siuè hæc inclusio fit ex natura rei, siuè conueniat formalitati in modo essendi; quem habet in intellectu potente cognoscere cognitionibus inadæquatis, quod etiam ostendit ipsemet Caietanus *in prædicabilibus capite de specie*, ostendens, naturam Angeli non repugnantur, posse prædicari de pluribus differentibus solo numero in modo essendi, quem potest habere solùm in intellectu creato; hæc Scoti sententia, quæ non est aliena à doctrina S.Thomæ, potest pati suas instantias, quæ facilè soluuntur.

Prima instantia est; hæc doctrina Scoti supponit inter ens creatum formaliter, & prima genera prædicamentalia mediare gradum entis communem, & priorem decem primis generibus prædicamentalibus; sed hoc est falsum, & probatur, nam vt docet Sanctus Thomas cum Aristotile *in quintum metaphysicæ lect. 9.* ens reale formaliter, quod vocat ens extrà animam diuiditur in decē prima genera, per diuersos modos essendi intrinsecos generales, non autem per differentias: at modi intrinseci

entis

entis in doctrina Scoti, formaliter non sunt ens, neque gradus entis; per hoc enim distinguuntur modi intrinseci entis à differētijs, quibus diuiditur vnumquodque genus prædicamentale; nam differentia prædicamentalis, cum non participet genus (non enim genus prædicatur essentialiter de differentijs, vt probat Aristotiles *3. metaph.*) est extrà essentiam generis, & est gradus entis formaliter; modus autem intrinsecus entis, non est ens, nisi inquantum est intrà entitatem sui modificati; indè enim dicitur modus intrinsecus modificati, & hoc ostenditur etiam alia ratione à S. Thoma *loc. cit.* quoniam nihil potest esse extrà essentiam entis, quod per additionem ad ens, aliquam speciem entis constituat; tùm quia ens formaliter est ratio vniuersalissima essendi; hæc autem est ratio entificans, & realizans quicquid est in ente; tùm etiam quia quod est extrà ens formaliter nihil est, & differentia esse non potest; & hac ratione Aristotiles *3. metaphysicæ* probat, quod ens, genus esse non potest; hæc autem inconuenientiæ non sequuntur, ponendo ens formaliter diuidi per solos modos intrinsecos essendi diuersos in decem prima genera prædicamentalia; quia modi intrinseci entis formaliter non sunt ens, quæ est acutissima doctrina Scoti, & S. Thomæ. Hæc instantia non difficilè soluitur, licèt acutissima.

Respondeo enim distinguendo maiorem, supponit gradum medium inter ens formaliter, & decem prima genera prædicamentalia distinctum ex natura rei ab illis, & nego: distinguibile ab illis ratione ratiocinata, & concedo. In primo sensu, concedo minorem, quam nego in secundo sensu, vt infrà fusè probabitur. Cùm S. Thomas autem docet ens reale, siuè extrà animam, creatum diuidi in decem prima genera prędicamentalia, loquitur de diuisione mediata, non autem de diuisione immediata; hæc distinctio licèt non sit verbaliter Sancti Thomæ, est tamen conformis principijs Sanctissimi Doctoris; quandoquidem ens creatum formaliter vt sic, præscindit ab ente formaliter generico, & ab ente formaliter differentiali; vbi autem est abstractio formalis datur diuisibilitas, est quidem abstrahibile, quia in vtroque reperitur formaliter; sed ratio entis secundùm quod est primum genus vt sic, est communior, & prior, quàm sint decem prima genera prędicamentalia, quia est communis omnibus primis decem generibus prædicamentalibus; vnumquodque enim est primum in suo genere, & hæc est ratio entis superior, quæ mediat inter ens formaliter vt sic, & decem prima genera prædicamentalia, quod autem hæc doctrina, vt vtar verbis Caietani, sit conformis principijs S. Thomæ, censorem constituo versatum in doctrina Angelici Doctoris.

Neq; obstat, si opponas doctrinam Sancti Thomæ, quam docet *in 5. metaphysicæ* Aristotelis, *lect.9.* dicens, ens reale diuidi in decem prima genera prædicamentalia, non per differentias, sed per puros modos essendi intrinsecos; nam vt suprà dixi, Sanctissimus Doctor loquitur de diuisione entis realis mediata, non autem de diuisione entis in decem prædicamenta immediata: & ratio huius à priori est, quia quod immediatè diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, est ens completum in ratione primi generis transcendentis; ens autem creatum formaliter vt sic, est communius, & vniuersalius, non solùm omnibus decem generibus prædicamentalibus, sed etiam primo generi transcendenti; quia ens formaliter vt sic, competit etiam enti incompleto in ratione generis, & in specie: abstrahit enim ens formaliter ab omni ente completo, & ab omni ente incompleto.

Secunda instantia est, quam proponit Caietanus sumpta ab Aristotile 8. *metaph. tex. com.26.* vbi soluens quæstionem; quare quidditas sit vna, dicit quod in substantijs separatis, non est quærenda alia causa; quia in eis non est nisi forma, quæ statim seipsa est ens, & vnum; quemadmodum ens statim seipso est substantia, & quantitas, & cætera prædicamenta, non expectans aliud faciens ipsum naturas prædicamentales; ex qua auctoritate sic arguit Caietanus: Ens significat quandam realitatem priorem prædicamentis; ergo expectat aliquid contrahens ipsum ad prædicamenta; at hoc est contra Aristotilem; ergo à destructione consequētis ad destructionem antecedentis, ens reale non significat realitatem priorem prædicamentis. Addit etiam Caietanus auctoritatem Commentatoris ad hoc ipsum probandum 10. *metaph. com.* 18. qui dicit, quod hoc nomen ens vnum significat id, quod significat in prædicamento substantiæ quantitatis, & qualitatis prima significatione sine medio, & non mediante aliquo communi; quo nil clarius dici potest.

Respondeo, Aristotilem loqui de ente completo in ratione generis primi, non autem de ente abstrahente ab omni ente completo, & ab omni ente incompleto: & ratio huius clara est, quia loquitur de ente, quod diuiditur immediatè in decem prædicamenta;

camenta; hoc autem in opinione omnium Scholasticorum admittentium diuisionem entis in decem prima genera prædicamentalia, debet esse ens completum, non quidem in specie, aut in genere entis, neque ens completum, vt gradus differentialis; sed completum vt genus primum, quod scilicèt est abstrahibile, tantummodò à primis decem generibus prædicamentalibus; hoc enim ens seipso, est substantia, qualitas, & quantitas: & hæc doctrina facillimè intelligitur ex alia doctrina, quam supra alio articulo explicauimus, nimirum quod ens reale, quod diuiditur immediatè in decem prima genera, si abstrahatur ab omnibus modis intrinsecis essendi generalibus, quibus actu distinguuntur prima decem genera prædicamentalia inter se, est ens, quod est omne genus primum entis prędicamentalis: ad eum modum, quo, v.g., natura humana, si abstrahatur à differentijs illam diuidentibus in plures singulares naturas, est vna natura, quæ est omnis in sua latitudine specifica: & ratio est, quandoquidem ens in decem summa genera diuiditur per diuersos modos generales intrinsecos, à quibus ens est abstrahibile; quia vt docuimus cum Scoto *locis sup. cit.*, ens formaliter non includitur essentialiter in omnibus modis intrinsecis entis, tàm diuidentibus, quàm non diuidentibus: & hæc ipsa doctrina adhuc faciliùs intelligetur, cùm ostendemus ens formaliter esse vniuocum suis inferioribus.

His principijs positis, & explicatis, commodè resoluitur articulus; an ens reale creatum sit distinctum ex natura rei ab omnibus suis diuisiuis formaliter.

Prima conclusio. Ens reale creatum, quod in se confundit, tàm ens formaliter, tàm ens materialiter, nullo modo distinguitur ex natura rei à suis inferioribus, & à modis illud diuidentibus; termini suprà explicati sunt, scilicèt aliud est ens reale formaliter, & hoc est ens, proùt contradistinguitur à suis modis intrinsecis, qui sunt ens materialiter, & aliud est ens reale, quod in vnum, vtrumque confundit, quod explicatur his terminis; id quod est: ratio fundamentalis est, quia distinctio ex natura rei cōsequitur intrinsecā determinationem entis, quod distinguitur ab alio; sed ens reale creatum, proùt in se confundit, & ens formaliter, & ens materialiter, est indeterminatum, quia dicit id, quod est, abstrahendo à modis quibus est, vel esse potest extrà suum nihilum reale; hoc autem est ens indeterminatum, quia determinatio intrinseca est à modis intrinsecis essēdi; ergo, &c.

Dices ens creatum est intrinsecè limitatum, limitatio autem est intrinseca determinatio entis; at ens creatum proùt confundit in se ens formaliter, & ens materialiter, est adhuc ens intrinsecè limitatum; quia est essentialiter potentiale, sed potentialitas essentialis est radix omnis limitationis, vt suprà sæpè est demonstratum.

Respondeo distinguo maiorem: ens creatum est intrinsecè limitatum limitatione indeterminata; & concedo; limitatione determinata, & nego; etenim vt dicemus *in quæstione de infinito*, finitum, siuè limitatum, aliud est determinatum, vt quantitas palmaris, bipalmaris, bicubita, &c. & aliud est indeterminatum, vt quantum, multitudo, &c. Distinctio porrò sequitur limitationem determinatam, & non indeterminatam; quomodo autem sumi debeat indeterminatio, siuè limitatio indeterminata, infrà clariùs explicabitur.

Secunda conclusio. Ens creatum formaliter vt sic, sicut, & ens medium, est indistinctum ex natura rei, non solùm ab ente intermedio, & superiori, sed etiam ab omnibus decem primis generibus prędicamentalibus; termini adhuc sunt suprà explicati, & ratio fundamentalis est similis præcedenti, quoniam ens creatum formaliter pręscindit ab omni limitatione determinata; sed distinctio ex natura rei, sequitur intrinsecam limitationem determinatam, sicut, v.g., æqualitas, & inæqualitas sequuntur quantitatem determinatam; ergo, &c. maior probatur, quia ens creatum formaliter pręscindit formaliter ab omni modo essendi intrinseco; sed modi sunt intrinsecè determinationes entis; ergo, &c.

Dices: ens creatum formaliter contradistinguitur, seù contradiuiditur ab omni ente materialiter; sed hæc contradistinctio, non est nisi per intrinsecam determinationem; ergo, &c. Confirmatur, quia ens creatum esse ens formaliter, dicit specialem modum intrinsecum essendi ens, siuè esse extrà suum nihilum; dupliciter enim id, quod est, est extrà suum nihilum; vno modo formaliter; alio modo materialiter; ergo esse ens formaliter dicit modum intrinsecum essendi extrà nihilum reale diuersum à modo essendi extrà nihilum reale materialiter; sed distinctio ex natura rei, sequitur specialem modum essendi realiter; ergo, &c.

Respondeo distinguo maiorem: ens creatum formaliter contrastinguitur ab entibus materialiter per limitationem determinatam & nego; per limitationem indeterminatam

natam, & concedo; distinctio autem ex natura rei, & actualis, sequitur limitationem determinatam distinguibilium, non autem indeterminatam. Ad confirmationem, distinguo maiorem, si per specialem limitationem intelligatur limitatio determinata, & nego; si intelligatur limitatio determinata, & concedo; distinctio ex natura rei actualis, sequitur, vt dixi, limitationem determinatam, exemplum huius doctrinæ manifestum est in partibus continui in actu intrà continuum; vna enim pars signata, vel signabilis in continuo, non distinguitur ab alio actu, quia intrinsecè est indeterminata; v. g. post partem signatam in continuo palmari, sequitur quantitas, & quod mirabile est, nihil diuisibile mediat inter partem signatam, & quantitatem sequentem, post partem signatam; & huiusmodi quantitas, nullo intellectu cogitante, quantitas continua est, & illa non est actu distincta, solùm quia quantitas indeterminata est in re; quia essentialiter est ens extrà se tendens: pariter ens creatum formaliter, sicut & ens medium inter ens formaliter, & decem prima genera prædicamentalia, non sunt actu distincta à primis decem generibus, quia sunt quidem ens limitatum, sed indeterminatum ad determinatum genus.

Tertia conclusio. Ens creatum formaliter, & ens medium, secundùm quod est diuisum in decem primis generibus prædicamentalibus, est distinctum actu ex natura rei ab omnibus gradibus, & differentijs essentialibus, quibus diuiditur vnumquodq; genus prædicamentale in suas species. Conclusio hæc valdè controuersa est inter Metaphysicos: eam enim negant expressè, qui contendunt quolibet genus primum prędicamentale includi essentialiter in differentijs illud diuidentibus: eandem etiam negant, qui dicunt ens creatum formaliter trascendere intrinsecè, quicquid est extrà nihilum realiter extrà Deum, idque probant; quia ens creatum formaliter est ratio prima, & vniuersalissima essendi extrà nihilum realiter; hæc autem transcendit intrinsecè, non solùm omnia genera prima prædicamentalia, sed etiam omnes differentias, quibus vnumquodque genus prædicamentale diuiditur in sua inferiora; quicquid enim quodcumq; modo est extrà nihilum reale, siuè possibile, est ens formaliter; hoc est includit intrinsecè ens formaliter, quia est extrà nihilum reale; at non potest esse extrà nihilum reale intrinsecè, nisi per rationem formalem essendi extrà nihilum; implicat enim esse effectum formalem sine sua causa formali; hæc autem ratio formalis, est ratio formalis entis formaliter.

Fundamentum conclusionis est; quia ens formaliter, & ens mediū in vnoquoq; genere primo prædicamentali, diuisum intrinsecè, est limitatū ad vnumquodq; genus determinatū; sed hoc est sufficiēs, vt vtrūq; ens sit distinctū actu ex natura rei ab omnibus gradibus formalibus, siuè differētijs, quibus diuiditur vnūquodq; primū prædicamentale in sua inferiora; ergo ens creatum formaliter, & ens mediū superius, vt est diuisū in primis decē generibus prędicamentalibus, est distinctū actu ex natura rei à cęteris primis gradibus prædicamētalibus. Minor probatur; quia distinctio actualis ex natura rei sequtur limitationē intrinsecā entis determinatā, sed ens formaliter, & ens mediū in vnoquoq; primo genere pdicamētali sūt limitata, & determinata ad vnū determinatū genus prędicamentale: ergo sūt actu ex natura rei distincta à cęteris gradib⁹ formalibus, quibus diuiditur vnūquodq; primum genus prędicamentale: ratio hæc fit manifesta ex eo, quia ratio vt diximus cur ens formaliter, vel ens mediū superius, sit indistinctū ex natura rei à primis generibus prædicamētalibus, est quia licet prędicta entia sint creata, & sint limitata; tamē eorū limitatio intrinseca, non est limitatio determinata, sed indeterminata; at ens creatū formaliter, & ens mediū, prout sunt diuisa in primis generibus prędicamentalibus, sunt restricta, & limitata ad vnumquodq; genus primū prędicamentale; ergo habent in se, vnde actu ex natura rei distinguantur à cæteris gradibus inferioribus. Confirmatur, quia vnūquodq; genus primū prędicamētale; ex eo quod est limitatū intrinsecè ad vnū tantū genus primū prædicamētale, distinguitur actu ex natura rei à gradibus inferioribus, quibus diuiditur; sed ens formaliter, & ens mediū secūdū quod est diuisū in prima genera pdicamētalia, eadē limitatione determinata est limitatū ad vnūqq; genus determinatū, ergo, &c.

Ratio Auctorum contrariæ sententiæ facillimè soluitur: est enim vera de ente formaliter, & de ente medio secundùm se; non autem secundùm quod sunt diuisa, & limitata limitationibus proprijs, & determinatis, ad determinata prima genera prędicamentalia. Cùm verò dicunt opponētes: ens creatum formaliter, & ens mediū, prędicātur essentialiter, & in recto, non solū de primis generibus prędicamētalibus, sed etiā de omnibus differētijs inferioribus essentialibus, vera est hæc propositio de ente creato formaliter, & de ente medio secundùm se

Yy con-

cõſideratis, nõ autẽ de ente creato formaliter, & de ente medio ſecundũ q̃ sũt diuiſa intrinſecè, & limitata ad vnumquodque genus primum prædicamentale, quodlibet per intrinſecam limitationem ad vnum determinatum genus prædicamentale; ad eum modum, v.g., quo ſubſtantia, quæ prædicatur, de ſpiritualitate, & corporeitate, non eſt ſubſtantia, prout contradiſtinguitur ab accidente, quæ eſt ſubſtantia creata ſecundùm ſe, & abſolutè; ſed eſt ſubſtantia ſecundùm quod eſt contracta ad primum genus prædicamentale ſubſtantiæ, & ſicut ſubſtantia creata ſecundùm ſe, non eſt actu diſtincta ex natura rei à ſpiritualitate, & corporeitate; quia vt ſic non eſt limitata intrinſecè ad primum genus prædicamentale prædicamenti ſubſtantiæ. Secundùm verò quod eſt primum genus prædicamentale; quia eſt limitata intrinſecè ad primum genus, actu ex natura rei diſtinguitur à ſpiritualitate, & corporeitate: pariter dicendum de ente creato formaliter, & de ente medio; quia vtrobique eſt par ratio.

Dicent fortè Aduerſarij primò: tota hęc doctrina fundatur in eo principio, quod diſtinctio; ſequitur intrinſecam limitationem vnius diſtincti ab alio cùm diſtinctione, ſeù diuiſione eſse: ſed hoc non eſt verùm vniuerſaliter; nam Deus eſt diſtinctus ab omni alio, quod non eſt Deus, & tamen non eſt limitatus; ergo limitatio cùm diuiſione eſse, non eſt cauſa diſtinctionis realis, ſiuè ex natura rei vnius ab alio, ſiuè cum diuiſione intrinſeca eſse; ergo, &c.

Reſpondeo, doctrinam vniuerſaliter eſſe veram de diſtinctione ex natura rei, quæ fundatur, vel in potentia, vel in actu in potentia recepto, qualis eſt diſtinctio omnis in rebus creatis, & limitatis ad genus; quia omnis diſtinctio in rebus creatis, & finitis, radicaliter eſt per primas differentias entis, quæ ſunt primæ differentiæ entis creati formaliter; diſtinctio autem Dei à creaturis eſt diſtinctio fundata in actu puro, quatenus eſt actiuus ad extrà: dico, quatenus eſt actiuus ad extrà; quia actus purus eſt actiuus per ſe primò ad intrà. Secundariò verò eſt actiuus ad extrà, actiuitas actus puri ad intrà, fundat diſtinctionem actualem, ſinè vlla intrinſeca eſſe diuiſione, qualis eſt diſtinctio Diuinarum perſonarum inter ſe; quia eſt ad terminum productum primarium, & formalem; actiuitas enim actus puri ad extrà, fundat diſtinctionem Dei à creaturis cum diuiſione eſſe, ab eſſe diuino; quia eſse creatum, eſt effectus materialis cauſæ primæ; effectus autem materialis non eſt intrà eſſe diuinum.

Dicent ſecundò: diſtinctio realis actualis, eſt cum reali ſeparabilitate vnius ab alio ſaltem non mutua; ſed neque ens diuiſum in decem primis generibus, neque quolibet primum genus prædicamentale eſt ſeparabile realiter à gradibus inferioribus in eodem indiuiduo; ergo, &c. Maior probatur, quia identitas, & indiſtinctio formalis, & diuerſitas, ſiuè diſtinctio formalis, ſunt oppoſitæ; identitas enim formalis dicit incluſionem vnius in alio; diſtinctio verò formalis eſt negatio incluſionis vnius in alio; oppoſitorum autem oppoſitæ debent eſſe rationes; ſed identitas formalis, eſt cauſa inſeparabilitatis realis; ergo ex oppoſito diſtinctio formalis debet eſſe cauſa ſeparabilitatis realis.

Reſpondeo, duplicem eſse diſtinctionem realem: aliam entitatiuam, quæ eſt, vel per diuiſionem intrinſecam in plura eſse, vel per variationem eſse, vt eſt diſtinctio inter materiam, & formam; quia materia mutat exiſtentiam, quam habet à forma, per tractum ad exiſtentiam alterius formæ; iuxtà verò opinionem S. Thomæ de pura potentialitate materiæ primæ: & aliam ſine diuiſione eſse entitatiui cum ſola pluralitate quidditatum formalium in vnica exiſtentia; ſeparabilitas realis conſequitur diſtinctionem realem entitatiuam, non autem diſtinctionem formalem realem, & diſparitas eſt; quia illa eſt cum diuiſione eſse hęc verò eſt ſine vlla eſſe diuiſione, aut variatione. Cum verò dicunt Aduerſarij ad probandam maiorem; identitas formalis eſt cauſa inſeparabilitatis; ergo ex oppoſito diſtinctio formalis realis debet eſſe cauſa ſeparabilitatis realis. Reſpondeo, quod ſeparabilitas in exiſtentia ſequitur per ſe, & primò, ſeparabilitatem actus, qui eſt principium formale exiſtendi, & conſequenter inſeparabilitas debet ex oppoſito conſequi inſeparabilitatem actus, qui eſt principium exiſtendi, quando ergo identitas, ſiuè formalis, ſiuè entitatiua includit actum formalem inſeparabiliter, tunc identitas eſt cauſa inſeparabilitatis; quando verò non includit per ſe, & inſeparabiliter actum formalem, qui eſt principium exiſtendi, non eſt cauſa per ſe inſeparabilitatis. Cæterum quæ diſtinguuntur ſola diſtinctione formali reali, includunt inſeparabiliter actum formalem, ad quem conſequitur eſſe; non enim gradus ſuperior eſt capax exiſtentiæ realis, niſi inquantùm eſt perfectum vſque ad differentiam vltimam formalem, & iuxtà probabiliorem opinionem, neque eſt capax exiſtentiæ, niſi ſit etiam perfectus, & completus ſingularitate.

AR-

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

### Vtrum gradus essentiales distinguantur ex natura rei à singularitate, in vno, & eodem indiuiduo; & an singularitas formalis sit modus intrinsecus essentiæ, pariter distinctus ex natura rei, ab existentia.

QVæsitum hoc alijs verbis proponi solet: an nimirum natura specifica sit actu distincta ex natura rei à singularitate, qua fit indiuidua, & singularis; scilicet incommunicabilis pluribus inferioribus; quãdoquidem natura specifica formaliter constituitur ex omnibus gradibus essentialibus, quorum vnus est superior alio secundùm se; intelligitur autem quæsitum de singularitate, siuè indiuiduatione formali, non autem indiuiduatione radicali: duplex enim est singularitas, siuè indiuiduatio; alia formalis, & alia radicalis, tàm in rebus materialibus, quàm immaterialibus, putà in Angelis; formalis singularitas, est differentia vltima contrahens omnes gradus superiores, vt constituentes vnam specificam naturam ad vnum indiuiduum, vt, v.g., petreitas in rebus materialibus; Micheleitas in Angelis, &c. singularitas verò radicalis, siuè fundamentalis, est primum principium intrinsecum, vndè oritur differentia formalis indiuiduans, quæ est vltima differentia constituens naturam formaliter incommunicabilem pluribus inferioribus; vt, v.g., est, in opinione S. Thomæ, in rebus constantibus ex materia, & forma, materia prima signata quantitate. Verùm dupliciter materia prima potest intelligi esse principium radicale indiuiduationis formalis; vno modo, inquantùm est singularitas, siuè indiuiduatio formalis; alio modo, inquantùm est indiuiduatio formalis, diuidens vnam naturam ab alia intrà eandem speciem; quoniam indiuiduatio formalis, seù singularitas vt sic, alia est contrahens naturam ad indiuiduum, diuidendo illam ab alio indiuiduo intrà eandem speciem, & huiusmodi sunt formalitates in rebus materialibus sublunaribus, in quibus natura specifica diuisibilis est in plura indiuidua intrà eandem speciem athomam; vt natura humana, ęquina, &c. singularitas autem, & indiuiduatio formalis non diuidens, sed adæquãs naturam specificam in sua latitudine formali specifica, est, quæ reperitur in corporibus cęlestibus; vnum etenim cęlum differt ab alio, non solùm numero, sed etiam specie athoma, & eiusdē conditionis est etiam singularitas in vno quoque Angelo; quandoquidem natura Angelica in esse naturali, non est multiplicabilis, tantummodò intrà eandem speciem, vt suo loco probabitur cum Sanctissimo Doctore Angelico. Materia prima in rebus materialibus sublunaribus, est principium radicale indiuiduationis formalis, siuè singularitatis formalis, pręcisè inquantùm est vltimum subiectum receptiuum, quod scilicet non recipitur in alio subiecto; est verò eadem, principium radicale, siuè radix intrinseca indiuiduationis, siuè singularitatis formalis, quatenus est vltima determinatio, seù differentia diuidens, ex eo quod materia prima est signata quantitate, hoc est diuisa quantitate; aliud enim est esse principium radicale indiuiduationis formalis, & aliud est esse principium radicale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem athomam, seù specialissimam; in corporibus verò cęlestibus materia est tantùm principium radicale, siuè radix intrinseca singularitatis adæquantis, & non diuidentis naturam specificam vnius cęli, quæ etiam est opinio S. Thomæ, vt suo loco dicetur; Cæterum in Angelis in quibus nulla est materia physica, quę est pura potentia ad omnem actum, & formalem, & existentialem, est tantùm singularitas formalis adæquans naturam specificam in sua latitudine formali; principium verò radicale huius singularitatis in Angelis, est eadem Angeli essentia, seù forma, quatenus in esse naturali, est irreceptibilis in alio subiecto, siuè materia, quod quidem solùm competit naturæ Angelicæ, quatenus est in suo esse naturali, vt suo loco probabitur doctrina Angelici Doctoris.

Articulus hic, extenditur ad omnem singularitatem in rebus creatis, & finitis, & de hac difficultate fusissimè omnium, quantum ad Metaphysicum pertinet, tractat doctus Suarez *tomo 1. suæ metaphysicæ à disp.* 5. quem sequuntur omnes recentiores suæ societatis ab eo solùm verbis differentes.

Abstineo hìc à quæstione; vtrum singularitas formalis in rebus creatis, sit existentia, quæ est vltimus actus entis in opinione S. Thomæ, an sit solùm modus intrinsecus, essentiæ: sed solùm examinandum propono, an scilicèt natura specifica in vno, & eodem indiuiduo in creatis sit distincta actu ex natura rei à sua singula-

gularitate formali, siuè à sua indiuiduatione formali, quę vocatur à Scotistis ecceitas, & communiter ab alijs differentia indiuidualis; & an singularitas in creatis formalis sit modus essentiæ antè existentiam.

Prima conclusio. In rebus creatis vniuersaliter natura specifica actu ex natura rei, distinguitur à singularitate in vno, & eodem indiuiduo. Hæc conclusio est opinio Scoti *in 2. dist. 3. quæst. 1. & in quodlib. q. 2. & 7. metaph. q. 16.* quem ibidem sequitur Antonius Andreas *q. 17. & Fonseca lib. 5. q. 3. sect. 2. q. 5.* nec est aliena à principijs Sancti Thomæ, qui solùm in Deo ponit indiuiduationem formalem prædicati intrà essentiam, quod est efficax argumentum ad probandum in creatis naturam specificam actu ex natura rei esse distinctam à singularitate in vno, & eodem indiuiduo, tàm in rebus constantibus ex materia, & forma, vt sunt corpora cęlestia, & corpora sublunaria; quàm in Angelis, quæ sunt puræ formæ immateriales, excludentes nimirum non solùm potentiam, vt partem intrinsecam componentem, sed etiam vt subiectum in obliquo, & terminatiuè, ad differentiam animæ rationalis, quæ excludit quidem materiam, vt partem intrinsecam componentem, sed non excludit materiam vt subiectum receptiuum. Conclusio hæc directè est contra reales Metaphysicos, qui ponunt singularitatem positiuam formaliter in rebus, sed solùm negant illam esse distinctam actu ex natura rei ab essentia, siuè à natura in vno, & eodem indiuiduo; aliud enim est singularitatem positiuam reperiri formaliter in rebus, & aliud est illam esse distinctam, vel indistinctam, ex natura rei à natura, siuè essentia; Nominales autem quos refert Suarez *disp. 5. sup. cit. sect. 1. n. 5.* dicunt, indiuiduationem formalem, siuè singularem formalitatem, solùm addere naturæ specificæ reali negationem, ad eum modum, quo plures Metaphysici reales substinent, cùm diuiditur continuum in plura minora continua, vel cùm diuiditur quantitas continua in plures partes; vnam partem addere sibi solùm negationem alterius: & fundamentum huius est, quia natura realis ex eo præcisè, quod realis est, singularis est; quia est sufficienter, & adæquatè potens existere realiter; at non potest realiter existere nisi quod singulare est, natura enim communis realiter existere non potest. Secundò, quia singularitas est quædam vnitas; sed vnitas addit solam negationem diuisionis in ente; ergo singularitas suprà naturam specificam realem non aliud addit, nisi negationem diuisionis.

Sed hæc Nominalium opinio iure à Metaphysicis realibus reijcitur; etenim aliud est non dari singularitatem positiuam in rebus formaliter, & aliud est illam esse indistinctam à natura reali: sicut pariter, aliud est, non dari in rebus singularitatem positiuam formaliter; & aliud est, naturam realem esse sua intrinseca entitate indiuiduam, & singularem formaliter; semper enim quæstio de distinctione, vel indistinctione supponit extrema; de quibus quæritur, an vnum distinguatur ab alio, nimirum an in eis reperiatur distinctio, quæ reperitur in alijs. In hac conclusione supponimus in rebus creatis dari singularitatem formalem positiuam, in quo conueniunt omnes Metaphysici reales, vt videre est apud Suarez *loco sup. cit. sect. 2. num. 8.* & etiam Nominales, qui in hoc differunt à Realibus, qui dicunt singularitatem formalem esse solam negationem identitatis entitatiuæ vnius cum alio: alij verò dicunt singularitatem formalem, esse intrinsecam entis realitatem; ratio suppositionis est; quia non potest ens reale existere proximè, & immediatè, nisi sit vltimatè completum, & determinatum in ratione entis; sed vltima determinatio in ratione entis, est singularitas formalis, seù formalis indiuiduatio positiua; quia debet esse completiua in ratione entis; hoc autem complementum, & determinatiuum, necessariò debet esse positiuum; quia est intra rationem entis, quod positiuum est. Controuersia nunc est, an hæc intrinseca determinatio, indiuiduans, & singularizans, faciens ens incommunicabile pluribus inferioribus, sit aliqua distinctione reali distincta ab essentia, quæ realizatur, & singularizatur; in conclusione asserimus eam, esse actu distinctam ex natura rei distinctione actuali in generali, non descendendo ad speciem determinatem distinctionis actualis realis.

Ratio fundamentalis est; quia essentia, siuè natura in quolibet indiuiduo creato entis positiui secundum se, siuè prout est in seipsa, non est essentialiter suum esse existentiale; sed hoc est sufficiens, vt essentia entis creati sit actu distincta à sua singularitate formali; ergo, &c. Maior probabitur ex professò *q. 5.* nunc autem hæc ratio occurrit, quia in quolibet ente creato essentia secundùm se non est actus purus; sed essentia, quæ est essentialiter suum esse, est actus purus: ergo essentia in quolibet ente creato, quod est ens actu existens ex nihilo, non est essentialiter suum esse, nimirum, existentiale.

tiale. Minor principalis argumenti probatur, primò ex opposito; nam in Deo essentia est essentialiter singularis; quia Dei essentia secundùm se, est essentialiter sua existentia; ex eo enim, quod in Deo essentia est sua existentia, essentia Dei est essentialiter completa in tota latitudine entis formaliter; quia est essentialiter actus purus, qui essentialiter est omnis actus sine vlla imperfectione; singularitas autem, siuè formalis indiuiduatio, est vltimus actus; quia est vltima determinatio entis; sed ens creatum, quod est actu existens ex nihilo, est oppositum formaliter enti increato; ergo in ente creato essentia; quia non est essentialiter suum esse existentiale, non est essentialiter singularis; oppositorum enim oppositæ debent esse rationes formales; sed hæc est distinctio actualis ex natura rei, quia conuenit essentiæ rei secundùm se. Secundò probatur eadem minor directè; essentia, quæ secundùm se, non est suum esse existentiale, est prima potentia subiectiua in ente creato, quod est existens actu ex nihilo; sed prima potentialitas est sufficiens causa, vt essentia specifica distinguatur actu ex natura rei à sua singularitate; quia prima potentia subiectiua in ente, est prima causa, vt essentia sit limitata in ratione essentiæ; at essentia limitata in ratione essentiæ, non est sua singularitas formalis; secùs non esset limitata intrinsecè in ratione essentiæ, nimirum, terminata in ratione essentiæ: & probatur; quia, non sisteret in ratione essentiæ; eo quod raperet ad sui rationem essentialem etiam singularitatem, & esset natura, seù essentia in creatis, essentialiter singularis, nimirum singularitate intrà essentiam, quod implicat, quia hoc est proprium primi entis; implicat autem essentiam creaturæ eleuari ad rationem primi entis: esset enim essentialiter essentia creaturæ, & non esset essentia creaturæ.

Obijcies ex *Suar. disp. 5. sect. 1. num. 20.* natura siuè essentia in vno, & eodem indiuiduo creato, quatenus distincta actu à sua singularitate formali, vel est communis, vel incommunicabilis pluribus inferioribus: inter hæc enim duo nō datur medium; quia sunt contradictoria saltem virtualiter, inter quæ medium esse non potest: & probatur; quia natura communis est communicabilis solùm pluribus inferioribus; natura verò formaliter singularis est incommunicabilis pluribus inferioribus; sed neq; potest dici communis, aut singularis, aut incommunicabilis: ergo natura, siuè essentia in vno indiuiduo creato, non potest esse singularis singularitate extrà essentiam. Minor probatur: non potest esse communis, quia realiter actu existit; quod verò commune est, impossibile est quod existat; actus enim existendi, est actus determinatæ essentiæ vltima determinatione ante existentiam: neque est singularis; quia natura accipitur, proùt est intrinsecè distincta à sua singularitate; distinctio autem actualis naturæ à singularitate dicit non inclusionem singularitatis intrà naturam. Confirmatur primò: natura, v.g., humana, quæ est in Petro, vt distincta à petreitate, quæ est differentia indiuidualis, vel singularitas formalis, vel est seipsa realiter distincta à natura, quæ est in Ioanne, proùt etiam in Ioanne, distinguitur ex natura rei ab eius singularitate, siuè ecceitate formali, vel vt sic non est distincta: si hoc secundum dicatur, natura in Petro erit communis; quia nondum diuisa, & multiplicata singulariter: si dicatur primum, necesse est, inquit Suarez, illas naturas vt sic, esse indiuiduas, & singulares; quia natura humana in Petro, & natura humana in Ioanne, distinguuntur solo numero intrà eandem speciem athomam; ergo natura in vno indiuiduo creato non distinguitur ex natura rei actu à sua singularitate. Confirmatur secundò: si natura, siuè essentia, siuè singularitas in vno, & eodem indiuiduo distinguerentur actu ex natura rei, vnaqueq; earum ea ratione, qua distinguitur actu ab alia, haberet per seipsam suam vnitatem: tùm quia non potest intelligi duo esse actu distincta, nisi sint vnum, & vnum; multitudo enim, siuè numerus supponit vnitates: tùm quia vnumquodque est vnum, inquantùm est ens; sed prædicta sunt duo entia actu; ergo sunt duo vna; hoc posito, vel natura, vt distincta a sua singularitate actu, habet vnitatem indiuidualem, vel est vna vnitate indiuiduali, vel est vna vnitate vniuersali, & communi; Primum dici non potest in nostra sententia; alioquin natura esset indiuidua antè differentiam indiuidualem; neque dici potest secundùm, quia implicat natura vna, vnitate vniuersali, existere realiter, quia est indeterminata; existentia autem est actus determinati.

Qui defendunt in singularibus non posse existere naturam actu vniuersalem. Respondent, naturam, siuè essentiam, proùt distinguitur à sua singularitate in vno indiuiduo esse singularem radicaliter, siuè fundamentaliter; sed in explicando, per quid natura specifica in vno indiuiduo, proùt

proût distinguitur à sua singularitate; siuè ecceitate formali, sit radicaliter, siuè fundamentalis, non conueniunt.

Thomistæ enim primò dicunt, naturam in vno indiuiduo esse radicaliter singularem per materiam, vt signatam quantitate, scilicet vt diuisam quantitate; quoniam materia vt signata quantitate est prima radix multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem athomam; at essentia, siuè natura, proût distincta à sua singularitate formali in vno, & eodem indiuiduo, est diuisa indiuidualiter à natura existente in alio indiuiduo intrà eandem speciem; ergo includit materiam, vt signatam quantitate, signatione nimirum intrinseca, non extrinseca.

Hęc responsio veram, & acutam continet doctrinam in rebus materialibus, quæ diuiduntur quantitate; sed nisi aliud addat, potiùs transfert difficultatem à singulari formaliter ad singulare radicaliter, siuè fundamentaliter; quàm soluat illam. Statim enim possunt instare contrarij eodem argumento: essentia, siuè natura in vno indiuiduo, adhuc distinguitur actu ex natura rei à materia, quatenus signata quantitate, quia vt probat S. Thomas PP. *q. 3. art. 3. in corpore*, natura, vel essentia in sublunaribus comprehendit in se tantùm illa, quæ cadunt in definitione speciei, sicut humanitas comprehendit in se ea tantùm, quæ cadunt in definitione hominis, quæ sunt animal rationale; his enim homo est homo: sed materia vt signata quantitate, quæ est materia indiuidualis, non cadit in definitione naturæ specificæ; ergo est distincta à materia indiuiduali, à qua radicaliter est indiuidua, siuè singularis; & de hac natura, vt distincta à materia indiuiduali, potest fieri idem argumentum, vel scilicet est communis, vel singularis, vel est vna vnitate communi, vel vna vnitate singulari.

Secundò, alij dicunt, quod essentia, vel natura in vno indiuiduo est radicaliter, siuè fundamentaliter radicalis, sua realitate essentiali; nam ens reale ex eo pręcisè, quod reale est, potens est realiter existere; at hoc est sua realitate determinatum, siuè singulare radicaliter; quia quod commune est impossibile est, quod existat realiter: sed indè non sequitur, inquiunt, quod essentia sit formaliter singularis, siuè indiuidua, quia indiuiduatio formalis est existentia: quod probant; quia singularitas formalis est vltima determinatio entis realis; vltima autem determinatio entis est existentia; existentia verò est extrà essentiam in creatis, & consequenter essentia in creatis, non est essentialiter singularis formaliter.

Sed hæc expositio, & responsio, patitur instantiam. Primò; quia, vt probabimus infrà, indiuiduatio, siuè singularitas formalis supponitur ab existentia actuali in natura. Secundò, quia realitas essentialis in natura, est formalis; hæc autem est à forma, quæ dat speciem: vndè realitas non potest esse nisi specifica; quoniam, vt suprà ostendimus, essentia specifica, siuè forma, à qua est species, est intrinsecè limitata in ratione formæ, siuè essentiæ; hæc autem limitatio est limitatio ad speciem, non ad indiuiduũ.

Tertiò, alij dicunt, naturam, siuè essentiam in vno indiuiduo, esse fundamentaliter, siuè radicaliter singularem ab vltimo gradu formali, siuè differentiali, idq; probant; quia singularitas, siuè indiuiduatio formalis, aut ecceitas immediatè sequitur vltimum gradum formæ; quia vltimus gradus formæ constituit speciem athomam; species autem athoma immediatè diuiditur in plura solo numero differentia, in rebus materialibus diuisibilibus per quantitatem; qua posita opinione essentia, vt completa vltimo gradu formali, dicitur radicaliter singularis, & fundamentaliter; quia est fundamentum immediatum multiplicationis numeralis.

Sed hæc expositio patitur eandem instantiam, quam patitur prima; nam transfert difficultatem à singulari formaliter ad singulare fundamentaliter.

Respondeo quartò, saluo semper meliori iudicio, quod essentia, siuè natura in vno indiuiduo, quatenus est distincta ex natura rei actu à sua singularitate formali, est indiuidua radicaliter, siuè fundamentaliter; nos autem hìc loquimur de singularitate, siuè indiuiduatione formali, quæ est differentia reddens singularem formaliter essentiam completam vsq; ad vltimum gradum essentialem: eo modo, v. g., quo essentia substantiæ creatæ seipsa est potens agere tantùm fundamentaliter, siuè radicaliter; formaliter verò est potens per potentiam superadditam extrà suam quidditatem. Eadem responsione respondetur ad aliam instantiam; natura specifica, v. g., in Petro, vt distincta à singulatitate, quæ est Petreitas habet suam intrinsecam vnitatem; vel igitur vnitatem indiuidualem, vel communem: etenim natura, vt distincta à sua singularitate formali in vno indiuiduo, habet vnitatem indiuidualem fundamentalem, siuè radicalem; non autem formalem, de qua est controuersia.

Quod

Quod si dicas: singularitas formalis est ad reddendam naturam specificam, formaliter incommunicabilem pluribus inferioribus; quia constituit indiuiduum naturæ formaliter: indiuiduum autem formale, est formaliter incõmunicabile pluribus inferioribus; sed radicalis indiuiduatio constituit naturam intrinsecè incommunicabilem pluribus inferioribus; quia hæc radicalis indiuiduatio est vltima determinatio naturæ completæ vsque ad vltimum gradum formalem, siuè essentialem; ergo eadem est singularitas formalis, ac radicalis.

Respondeo eadem distinctione; indiuiduationem radicalem, siuè fundamentalem reddere naturam specificam incommunicabilem radicaliter, siuè fundamentaliter pluribus inferioribus; non autem incommunicabilem formaliter, sicut potentia actiua formalis extrà essentiam substantiæ creatæ reddit formaliter essentiam substantiæ, quæ seipsa erat tantùm potens agere fundamentaliter, potentem agere formaliter, & proximè; causa autem huius duplicis indiuiduationis radicalis, & formalis, est primò; quia in quolibet ente creato, potente existere realiter, singularitas præscindit a radicali, & à formali; vbi autem est præcisio formalis fundamentalis, est contrahibilitas per oppositas differentias. Secundò, quia singularitas radicalis in ente creato, est prima potentialitas, quia indiuiduatio est limitatio intrinseca naturæ ad vnum tantùm indiuiduum; prima autem radix limitationis est prima potentialitas; sed dato prima potentialitate, debet dari secundò in eodem genere; primum enim in vnoquoque genere, est causa cæterorum in eodem; ergo data prima potentialitate in natura creata, limitante illam ad indiuiduũ radicaliter, & per se primò, debet dari alia secunda, limitans eandem naturam ad idem indiuiduum formaliter.

Dicent fortè primò Aduersarij; omnis singularitas in ente creato, debet esse extrà essentiam, vt nos suprà ostendimus in probatione conclusionis; sed posita hac duplici formalitate, alia radicali, & alia formali; falsa est vniuersaliter maior in omni ente creato; nam in Angelis, & corporibus cælestibus, sola singularitas formalis, est extra essentiam; quandoquidem essentia cuiuslibet Angeli essentialiter est immultiplicabilis numero intrà eandem speciem; sed hæc immultiplicabilitas, est radicalis, & tamen intrà essentiam Angeli; ergo, &c.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem, nego essentiam Angeli, etiam in opinione S. Thomæ, essentialiter, siuè secundùm se, esse immultiplibalem numero intrà eandem speciem; hæc enim incommunicabilitas intrà eandem speciem pluribus indiuiduis, conuenit essentiæ Angeli, non secundùm se; sed proùt est in esse suo naturali, contradistincto ab esse suo intelligibili, vt suo loco fusè probabitur cùm eodem Angelico Doctore.

Dicent secundò, ratio cur in substantia creata distinguitur actiuitas radicalis ab actiuitas radicalis ab actiuitate formali, & proxima est; quia actio in creatis est accidens ad actionem autem in genere accidentis, necessariò debet dari potentia actiua formalis, quæ etiam sit accidens; sed hæc ratio non militat de indiuiduo, quia indiuiduum vt sic, non est actiuum; solùm enim dicit intrinsecam incommunicabilitatem naturæ pluribus indiuiduis; ergo data doctrina non est vniuersaliter vera.

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem, de indiuiduo substantiæ. Alia ratio vniuersalis est; quia essentia substantię creatæ est essentialiter limitata ad principium primum subsistendi.

Dicent tertiò, quod hæc nostra doctrina vsque modo explicata, non plenè euacuat rationem in oppositum aduersariorum: nam ratio aduersariorum potest adhuc fieri de natura specifica, proùt contradistinguitur à sua indiuidualitate radicali, seù fundamentali; sed confugere ad indiuiduationem radicalem, non conducit ad soluendam rationem; quia natura prout distinguitur à sua indiuiduatione radicali, non potest præhabere aliam priorem radicalem; tum quia daretur processus in infinitum in indiuiduationibus radicalibus, cum non sit maior ratio de vna, quam de alia; tùm etiam quia indiuiduatio radicalis est à prima potentialitate, quæ est potentia ad esse, præter hanc autem non datur alia potentia prior; ergo, &c.

Respondeo, nego maiorem; quia hìc loquimur de limitatione ad indiuiduum speciei athomæ, non autem de limitatione ad speciem; at natura, proùt distinguitur ab indiuidualitate radicali, habet solùm limitationem ad speciem; datur enim triplex limitatio intrinseca, ad genus, ad speciem, & ad indiuiduum.

Cum verò opponitur: natura, v.g., humana debet esse vna etiam, proùt distinguitur ab indiuiduatione radicali; vnitas autem adæquatè diuiditur in vnitatem communem, & in vnitatem singularem; sed vnitas naturæ non potest esse communis;

nis;

nis; quia natura secundùm se est potens, saltem radicaliter, existere; at quod commune est, existere non potest; neque potest esse vnitas singularis; quia supponitur natura contradistingui ab omni singularitate, tùm radicali, tùm formali, &c.

Respondeo, quod natura specifica, prout contradiuiditur à singularitate radicali, neque est singularis radicaliter, aut formaliter, neque est vniuersalis, sed fundamentaliter ab vtraque præscindit; est enim secundùm se definibilis sine his prædicatis; hoc autem prædicatum, esse, nimirum, fundamentaliter abstrahibile, conuenit naturæ specificæ, etiam existenti in singularibus, & in indiuiduis suis; eo modo, quo abstractio fundamentalis à materia, in opinione omnium Metaphysicorum, præexistit in obiecto formali scientiæ ante omnem scientificam considerationem; vnde habet abstractio fundamentalis à materia, vt possit esse specificatiua scientiæ realis.

Cùm verò denique opponitur, quod natura specifica vt distincta, vel vt abstrahens fundamentaliter ab omni singularitate, tàm formali, quàm singulari, non est realis; quia non potest sic realiter existere.

Respondeo, nego assumptum; & ratio est. Primò; quia natura specifica, vt distincta à singularitate adhuc radicali, vel vt abstrahens fundamentaliter ab ea, non negat à se vnionem, cum singularitate, & radicali, & formali; sed solùm dicit non inclusionem essentialem vtriusque singularitatis, cùm qua est completè potens realiter existere. Secundò; quia hæc abstractio est fundamentalis, non actualis: sine dubio, cum abstractione actuali, non est completè potens existere; quia existentia est actus essentiæ completæ vsque ad differentiam indiuidualem; sed cum sola abstractione fundamentali, actu existit realiter; quia vt dixi non excludit à se vnionem cum singularitate per quam est completè capax existere realiter. Tertiò, quia ad conceptum essentialè entis realis, sufficit existere per aliud, quo, quæ chymerica sunt, carent; & non valet si arguatur; natura humana, v.g., sine omni singularitate non potest existere; ergo non est realis; nam ens eò reale est, tanquam à signo, quia potest realiter existere; nam distinctione facilè soluitur, non potest existere per se, siuè seipsa præcisè, & concedo: non potest existere per aliud, & mediatè, & nego: & hoc sufficit vt sit natura realis vt dixi; doctrina hæc est S. Thomæ, & omnium asserentium, materiam primam non existere nisi existentia formæ; nam vt materia prima sit realis, satis est, vt possit existere per aliud, scilicèt per formam, quippè per hoc contradistinguitur sufficiēter ab ente chymerico puro.

Quod si iterum instes, natura abstracta à singularitate, est vniuersalis; quia est vna actu in multis, cum sit abstracta à singularitatibus illam diuidentibus, & multiplicantibus.

Respondeo, distinguo: natura abstracta à singularitate abstractione actuali, & concedo; natura abstracta fundamentali à singularitatibus, est actu vniuersalis, & nego; quia vt sic abstracta non excludit à natura à se vnionem cum singularitatibus, quibus actu multiplicatur, & intrinsecè diuiditur. Sunt & alia argumenta in oppositum, quæ soluentur contra sequentem tertiam conclusionem, vndè natura abstracta abstractione fundamentali est exercitè singularis, sicut abstracta abstractione actuali est exercitè vniuersalis.

Secunda conclusio. Singularitas, siuè indiuiduatio formalis, vel vt loquitur Scotus, ecceitas, non est existētia formaliter, sed est determinatio prior existentia, scilicèt, quia post essentiam specificam, immediatè est ecceitas, siuè differentia indiuidualis essentiam specificam determinans ad hanc numero naturam. Conclusio hæc duas habet partes, & quoad vtramque partem controuersa est; eam enim negant doctissimi Metaphysici, asserentes naturam specificam formaliter singularizari per existentiam; opposita sententia, quæ est nostra conclusio, est expressa sententia Scoti *locis suprà cit.*, neque est aliena à principijs Sancti Thomæ, sed potiùs conformis illis; quia in principijs S. Thomæ, existentia est vltimus actus essentiæ in genere entis; est enim existentia actus, quo essentia potens realiter existere fit actu existens; sed non potest esse potens formaliter existere, nisi sit singularis formaliter; quia debet esse essentia completa in suo esse essentiali; at vltimum complementum in esse essentiali est singularitas; ergo in principijs S. Thomæ singularitas in essentia præsupponitur in priori naturæ ante existentiam.

Probatur conclusio. Primò, ratione, quæ vt dixi, non est aliena à principijs S. Thomę, imò fundata in illis; essentia specifica præcisè, non est completè capax existentiæ, quippè essentia præcisè communis est (in opinione S. Thomæ, communitate potentiali; ideò enim causaliter natura potest fieri vniuersalis; quia in sua quidditate non includit essentialiter singularitatem) nihil

verò

verò, quod commune est, qua tale, immediatè capax est existentiæ: quare vt capacitas inducatur in communem essentiam, debet illis attribui ratio formalis determinans, quæ, nisi fiat quæstio de vocabulis, est ecceitas, siuè differentia formalis indiuiduans; hæc autem determinatio in essentia est antè existentiam; ergo non est existentia formaliter.

Secundò: singularitas formalis, est differentia contrahens, & diuidens, in materialibus, naturam ad indiuiduum, quod est infrà naturam; est enim differentia contrahens, & diuidens gradum superiorem ad plura inferiora; sed hoc non habet existentia, neque vt existentia formaliter, neq; vt existentia creata; non quidem vt existentia formaliter; quia conueniret omni existentię, quod est falsum: neque vt existentia creata; existentiæ enim proprium est, constituere essentiam de potente existere, actu existentem.

Quod si dicas: existentia seipsa est singularis, saltē in creatis; sed hoc propriū est differentiæ indiuidualis formaliter, ergo, &c.

Respondeo, nego maiorem; existentia etenim est singularis materialiter, non formaliter, nimirum est singularis radicaliter per singularitatem sui subiecti, quod est essentia, vt receptiua existentiæ; quoniam existentia diuiditur per diuisionem sui subiecti, siuè receptiui, & probatur: nam existentia, vt suo loco dicetur *quæstione quinta*, intantùm est determinata, inquantùm est applicata naturæ, scilicèt est determinata, inquantùm est humana, vel angelica: hæc autem determinatio materialis est; ergo adhuc eius singularitas diuiditur diuisione materiali, & subiectiua; consequitur enim singularitas differentias, quibus diuiditur specificè existentia. Remanet vt explicetur opposita opinio asserentium, singularitatem formalem, esse formaliter existentiam, & eius fundamenta soluantur; dicunt enim prædicti Auctores, non posse stare, quod existentia sit posterior; quia illam præcedit ecceitas formalis, vt gradus, vel modus medius inter essentiam, & existentiam; idque.

Probant primò, quia existentia formaliter est vltima determinatio essentiæ; est enim vltimus actus essentiæ, actus autem est vltima determinatio: hanc, nisi fiat quęstio de vocabulis, appellamus singularitatem, siuè ecceitatem formalem: secundò, omnis alius gradus intermedius, inter essentiam, & existentiam, est impertinens, & ab existentia est vltima determinatio entis realis; ergo ab existentia est formalis indiuiduatio, siuè ecceitas; Probatur discursus, si enim ponitur illa ecceitas, sine dubio ponitur ad determinandam naturam, siuè essentiam, quæ est communis, modo explicato: sed ex hoc capite, natura determinata est seipsa, quia est intrinsecè realis; omne autē ens reale, ex eo quod reale est, determinatū est; quia ens reale, est potēs realiter existere.

Quod si dicatur, quod existentia non indiuiduat formaliter, quia solùm per existētiam res est extrà causas; at ratio formalis essendi extrà causas, supponit rem extrahibilem, potentem realiter existere intrinsecè.

Statim dicunt, quod natura, siuè essentia est determinata determinatione essentiæ, quæ est determinatio entis incompleta; hęc autem non completur, nisi per existentiam; vltimò: scilicèt per existentiam essentiæ determinatur completè in ratione entis, quod est indiuiduari: neq; facienda vis est de existere, de esse, & de hic; quod est concretū indiuiduale essentiæ; nā inquiunt, quod existere formaliter, est complere in in ratione entis; complere verò formaliter, est determinare; determinare autem completè, est indiuiduare.

Quod si secūdò eis obijcias: quod ab existentia nō potest esse indiuiduatio formalis, quia indiuisio formalis est vltima differentia; at existere, siuè existentia, non est vltima differentia; quia, v. g., Petrus existens, & Paulus existens in existendo conueniunt; vltimæ verò differentiæ non conueniunt.

Statim insurgunt primò contra obijcientes, retorquendo argumentum; nam etiam ecceitas, & ecceitas, siuè singularitas, & singularitas, conueniunt in ratione ecceitatis. Secundò insurgunt soluendo obiectionem; nam cōuenientia prædicta est analoga; vltimis differentijs solùm repugnat conuenientia vniuoca. Tertiò; quia gradus essentiales à primo genere, vsq; ad vltimam differentiam specificam, actuales sunt; quia sūt gradus formæ, quæ est actus formaliter; gradus autem formalis determinans est, vndè omnis alia intermedia determinatio, impertinens est; quia essentia seipsa est actualis actualitate, nimirùm, incompleta, quę est actualitas essentialis.

Secundò, probant assumptum principale auctoritate S.Th. iuncta rationi: auctoritas S.Th. est quia *in disp. vnic. de anima, art.* 1. *ad* 2. dicendum, inquit, quod vnumquodq; secundùm idem habet esse, & indiuiduationē, ex quo concludit, quod anima rationalis extrà corpus, non amittit suam indiuiduationē, quia non amittit suum esse: quo nihil

clarius dici potest ad demonstrandũ indiuiduationem formalẽ esse existentiã formaliter. Ratio, quam dicunt esse ex principijs Aristotelis, & S. Thomæ, sic ab eis formatur; illa est formalis indiuiduatio, quæ cõstituit formaliter ens indiuisũ, & vnũ vnitate numerica; sed hoc non potest haberi formaliter, nisi per existentiam; Primò, quia per existentiam, ens est incommunicabile pluribus inferioribus; Secundò, quia ens existens est completè vnum; hoc autẽ est indiuiduũ. Aliqui adhoc magis probandũ dicunt, quod essentia est realis per dependentiam ab existentia; sed hæc est dependentia essentiæ, quoad eius indiuiduationẽ; quia est dependentia ab vltimo actu, vndè est vltima determinatio, per quam ens est incommunicabile pluribus inferioribus.

Respondeo ad primam rationem, quod singularitas, siuè ecceitas formalis, est vltima determinatio essentiæ in ratione essentiæ realis; non autẽ in genere entis: existentia verò non est vltima determinatio essentiæ, in ratione essentiæ, sed in genere entis; ideò existentia non est singularitas, siuè ecceitas formalis, quæ constituit concretum indiuiduale essentiç, q. s. est incõmunicabile plurib⁹ ĩferiorib⁹ eiusdẽ essẽtiç, siuè naturç.

Cùm verò contrarij opponunt, quod essentia realis seipsa est determinata, quia est potens existere realiter; non potest autẽ ens realiter existere, nisi sit determinatum.

Respondeo ex dictis, essentiam, siuè naturã realẽ, seipsa esse determinatam intrinsecè determinatione ad speciem, nimirum quãtũ ad naturã substractaã vniuersalitati; non autẽ determinatione ad indiuiduum, quod est cõcretũ indiuiduale essentiç. Neq; obstat cum dicitur, quod non potest existere realiter nisi essẽtia indiuidua, indiuiduatione saltem incompleta, & radicali; sed essentia, seù natura specifica, seipsa non potest existere realiter.

Respondeo, distinguo maiorem: dupliciter potest ens essẽtiale realiter existere; vno modo per se; alio modo per aliud; vel vno modo immediatè, alio modo mediatè: indiuiduũ naturç, est potẽs existere immediatè, & per se; natura verò specifica non potest existere nisi mediatè, & per aliud, scilicèt, media indiuiduatione formali, contrahente essentiam, siuè specificam naturam ad indiuiduũ essentiale, quod est concretum essentiale naturæ, & hoc sufficit, vt natura specifica, etiã vt contradistincta à singularitate, tã formali, quã radicali, sit natura realis; quia per hoc sufficienter distinguitur ab ente puro chymerico, quod nullo modo potest realiter existere. Explicatur distinctio: ad cõceptum entis realis vt sic, satis est, vt possit aliquo modo existere, præscindendo à modo determinato existendi. Ad rationẽ entis realis contradistincti à singularitate satis est, vt possit existere realiter mediatè; ad rationem deniq; entis realis contracti ad indiuiduũ essentiæ, requiritur, vt possit immediatè existere; quia dicit essentiã completam vsque ad vltimam differentiam indiuidualem. Ad secundã rationem, quantum ad auctoritatem S. Thomæ. Aliqui

Respõdẽt, quod mẽs S. Tho. est, quod vnũquodq; secundũ idem habet esse, & indiuiduationẽ quatenus vnumquodq; ens ab eodem principio habet esse specificum, nimirum esse essentiale, & esse existentiæ, quod dicunt esse indiuiduationem formalem.

Sed hæc expositio non est ad mentem S. Thomæ, vt dicũt; quia indiuiduatio formalis sequitur principiũ radicale indiuiduationis; hoc autẽ in rebus materialibus, in manifestissima sentẽtia S. Thomç, est materia signata quantitate: at existentia sequitur formam; quia existentia est actus secundus in genere entis; principium autem huius actus, est actus quidditatiuus, siuè formalis.

Resp. secũdò, S. Thomã loqui de principio ꝓximo indiuiduationis formalis, q. est forma, quatenus diuisa, & indiuiduata radicaliter à materia signata quãtitate; nõ autem de principio primo, & radicali indiuiduationis formalis, q. st materia signata quãtitate, vt infra probabitur, quæ nullo modo est principiũ existẽdi secũdũ se; q. a secũdũ se est potentia pura in genere entis; actus verò existẽtiæ, cũ sit vltimus, & secũdus actus in genere entis, non potest esse, nisi ab actu primo, seù quidditatiuo, qui est sola forma, vt probabitur *quæstione* 5.

Difficillior est alia authoritas S. Thomæ *3. par. q. 4. art. 4. ad 3.* vbi dicẽdũ, inquit, quod natura humana Christi Domini assũpta est in indiuiduo; quia assũpta est, vt sit in indiuiduo; sed per assũptionem natura humana Christi, non aliud requirit nisi existere, & subsistere in Verbo; ergo si est assumpta, vt sit in indiuiduo; & euidẽter sequitur naturam Christi Domini, esse assumptã à Verbo, vt fiat indiuidua ꝑ existẽtiã Verbi Diuini.

Respõdeo, S. Thomã *loc. cit.* loqui de indiuiduo personali, nõ autẽ de indiuiduo naturæ, quod s. est præcisũ cõcretũ naturç, quæ cõtrahitur prius per indiuiduationẽ, quàm per existentiã, quod idẽ S. Thomas declarauit *loc. cit. ar. 2 ad* 1. vbi dicẽdũ inquit, quod Verbum assumpsit naturam humanam, vt sit in indiuiduo, quod non est aliud à supposito Verbi Diuini. Ad rationem verò.

Respondet, cõcedo maiorẽ, & nego mino-

norem: quia, vt dixi, essentia est actus vltimus existentiæ in genere entis; hic autem est actus essentiæ completæ vsque ad vltimam differentiam indiuidualem, quæ à Scoto etiam numeratur in ordine differentiarum essentiæ; neq; verum est, quod per existentiam, ens, nimirum, essentiale est incommunicabile pluribus inferioribus; quia indiuiduum naturæ, nempè natura singularis est immediatum receptiuum existentiæ, vel saltem subsistentiæ, & supponit naturam indiuidualem formaliter.

Neq; obstat cum secundò dicitur, quod ens existens est completè vnum; hoc autem est indiuiduum formaliter.

Responsio enim in promptu est; ens existens est completè vnum existentiale, siuè in genere entis; non autem est completè vnum præcisè in ratione entis essentialis: indiuiduum naturæ, quod est concretum naturæ specificæ, est completè vnum in ratione essentiæ, quod supponitur determinatum vsque ad singularitatem independenter ab existentia in genere causæ materialis.

Neque vltimò obstat, cum dicitur, quod essentia, est realis per dependentiam ab existentia in genere causæ formalis, saltem terminatiuæ; sed hæc est dependentia quantum ad indiuiduationem.

Respondeo enim, quod essentia realis dependet ab existentia, vt sit actualis essentia realiter, non autem vt sit indiuidua, vel radicaliter, vel formaliter; etenim essentia est indiuidua independenter ab existentia, quia est singularis, & indiuidua in genere causæ materialis, in quo genere causæ, essentia est independens ab existentia.

Tertia conclusio. In creatis natura distinguitur distinctione reali formali à sua singularitate. Conclusio duas habet partes; Prima asserit, naturam in creatis distingui realiter à sua singularitate. Secunda asserit, hanc distinctionem realem, esse distinctionem realem formalem; quantùm ad primam partem, est contra non solùm Nominales, qui dicunt, singularitatem naturæ esse ipsissimam naturæ realitatem; sed etiam contra Reales, qui ponunt in natura creata formaliter singularitatem, sed distinguibilem tantùm ratione; aliud enim est in natura creata esse singularitatem; aliud verò est, singularitatem esse distinctam, vel indistinctam à natura, siuè re, siuè ratione. Quãtum verò ad secundam partem est cõtrouersia cum Realibus, quorum aliqui dicunt naturam specificam distingui à singularitate, distinctione reali tantùm modali intrinseca; alij verò, distinctione reali formali. Causa diuersitatis est, quia primi opinantur, singularitatem in rebus creatis esse modum intrinsecum; secundi verò opinãtur, singularitatem esse vltimum gradum entis in genere entis essentialis naturæ specificæ, non quia differentia indiuidualis sit gradus formalis; sed quia est gradus essentialis sequens essentiam, quatenus est in potentia ad esse, sub qua ratione formali essentia realis præscindit à forma. Hæc opinio quam nos sequimur fundatur in Aristotile 1. *Physicorum*, vbi docet, materiam primam esse diuersam numero in genito, & in corrupto positiuè, esse verò in vtroque eandem numero tantùm negatiuè; Ex quo principio sequitur, quod differentia indiuidualis in creatis ex suo genere, non est indistincta indistinctione reali formali ab essentia; nam si esset indistincta hac specie indistinctionis realis, non esset separabilis realiter à materia, quod est cõtra Aristotilem, vt diximus, & etiam contra rationem; etenim differentia singularis, siuè indiuiduatio formalis, contradistincta nimirum à radice indiuiduationis, sequitur immediatè gradum specificum vltimum, cum sit vltima differentia naturæ; at materia prima secundùm se, est nullius speciei, quandoquidem omnis species est ab actu formali; materia verò prima est pura potentia in genero entis, vt probabitur *q.5.* cum S. Thoma, & ideò materia prima, est vna numero negatiuè in genito, & in corrupto secundùm se; quia, quantum est ex se, nullum dicit actum formalem, post quem sequitur indiuiduatio formalis; sequitur enim differẽtia indiuidualis formam, secundùm quod est indiuiduata radicaliter à materia signata quantitate.

Neque contrarium huius docuimus suprà, cum diximus indiuiduationem formalem in creatis esse modum intrinsecum; nam ibi loquuti sumus, iuxtà opinionem dicentium, singularitatem formalem esse modum intrinsecum naturæ; quia nondum determinauimus hoc quæsitum; nunc loquimur absolutè, & simpliciter.

Fundamentum conclusionis est; quia singularitas formalis, est extrà essentiam naturæ in creatis adæquatè; at modus intrinsecus est intrà naturam creatam inadęquatè, quatenus scilicèt entificatur in sua modalitate ab entitate suî modificati, tàm essentiali, quàm existentiali; ergo singularitas non est differentia modalis; ergo est differentia realis; differentia enim adæquatè diuiditur in realem, & modalem; sed dif-

ferentia realis distinguitur distinctione ex natura rei formali à cęteris gradibus; Maior principalis argumenti probatur. Primò, quoniam singularitas in Deo est adæquatè intrà naturam diuinam; quia natura diuina est essentialiter actus purus; sed omnis natura creata est essentialiter potentialis ad esse; ergo ex opposito, singularitas in creatis, debet esse adæquatè extrà naturam creatam. Secundò probatur; quia in rebus materialibus, differentia indiuidualis sequitur post omnes gradus formales formæ, sed omnis gradus est differentia realis, quæ est formaliter gradus entis; ergo, &c.

Quod si dicas gradus formæ vt sic, non est separabilis à cæteris gradibus; sed differentia singularis formalis, est separabilis à forma; ergo non potest esse vltimus gradus formæ. Minor probatur, quia in rebus materialibus singularitas formalis conuenit formæ à materia signata quantitate, vt à prima radice; sed ex hoc capite est separabilis; ergo nõ potest esse gradus formę, & consequenter non distinguitur distinctione reali formali à cæteris gradibus; quia gradus formæ sunt omninò inseparabiles: & hanc ob causam Scotus docet, distinctionem formalem ex natura rei, esse distinctionem plurium quidditatum, siuè formalitatum, cum omnimoda inseparabilitate; adhoc autem absurdum auferendum non aliud dici potest, nisi differentiam singularem formaliter esse modum intrinsecum, & consequenter distingui solùm ex natura rei modaliter à natura in creatis.

Respondeo, duplicem esse gradum formalem indiuidualem, alium prouenientem à sola forma, vt est in Angelis, in quibus tota radix primæ indiuiduationis est à sola forma, quatenus irreceptibilis est ī materia; aliũ verò, qui est à forma in materia signata quantitate, vt à prima radice. Singularitas primo modo est realiter inseparabilis à natura; singularitas verò secundò modo est separabilis, & causa diuersitatis est; quia dependentia à forma, est dependẽtia intrinseca, & essentialis; cum à forma sit essentia siuè species: dependentia verò à materia signata quantitate, est dependentia extrinseca, nimirum à principio extrinseco, quia materia est extrà formam. Cum Scotus docet formalitates, quæ distinguuntur ex natura rei, in vna simplici entitate esse omninò inseparabiles realiter, loquitur de formalitatibus, quæ sunt tantummodò gradus formæ, non autem de formalitatibus, quæ dependent etiam à principio extrinseco.

Quod si secundò dicas cum Suarez, & alijs, si essentia specifica, v.g., natura humana in Petro, distingueretur ex natura rei formaliter à sua singularitate formali, quæ est Petreitas, daretur natura vniuersalis in singularibus existens, consequens est falsũ; ergo, & antecedens. Sequela probatur, quia natura humana, v. g., distincta formaliter à Petreitate, non est singularis, quia singulare est effectus singularitatis; at natura vt distincta à singularitatę vt sic, non includit singularitatem.

Respondeo, quod natura humana, vt distincta à sua singularitate formali, est singularis radicaliter; quia est diuisa, & determinata à materia signata quantitate, quæ est radix indiuiduationis in rebus materialibus; diuisibilis per quantitatem.

Quod si dicas. Hæc responsio transfert difficultatem à singularitate formali ad singularitatem radicalem, non soluit: probatur assumptum, quoniam natura in vno, & eodem indiuiduo in rebus materialibus adhuc distinguitur realiter à materia indiuiduali, quæ est materia quatenus signata quantitate, sicut distinguitur ex natura rei à sua singularitate formali.

Respondent aliqui, naturam humanam, v.g., in Petro, esse separabilem realiter à Petreitate, quæ est eius singularitas formalis propter rationem suprà allatam; non esse verò separabilẽ realiter à materia singulari, nimirum diuisa quantitate; quia hæc indiuiduatio radicalis est intrinsecè à materia, à qua fluit quantitas, vt à suo primo principio, sicut passio, siuè proprietas quarto modo, sequitur essentiam sui subiecti.

Sed hęc responsio facilè reijcitur; *Primò*, quia quantitas dimensiua est separabilis realiter ab essentia substantiæ materialis, vt fides docet in augustissimo Sacramento Eucharistiæ. Secundò, quia ratio cur singularitas formalis in materialibus est separabilis à forma, est quia hæc singularitas dependet etiam à principio extrinseco, quod est materia indiuidualis; sed indiuiduatio materiæ adhuc dependet à principio extrinseco, quę est quantitas dimensiua; ergo, &c.

Respondeo, quod dupliciter loqui possumus de materia prima signabili, vel diuisibili per quantitatem; vno modo, antequã sit diuisa per quantitatem dimensiuam; alio modo, postquam diuisa est sub quantitate dimensiua; primo modo, materia nullo pacto est singularis, aut singulariter diuisa, sed in pura potentia, & sic neque est singularis, neque est vniuersalis, sed præcisiuè ab vtroque præscindit: neque ex hoc sequitur, quod

quod huiusmodi materia nō sit realis; nam vt sit realis modo, quo suprà explicauimus, satis est, vt possit existere mediatè, quæ est doctrina apertissima S. Thomæ, qui docet materiam primam, vt distinctam ab omni forma substantiali, esse realem intrinsecè: cuius ratio est; quia ad conceptum quidditatiuum entis realis, satis est aliquo modo existere realiter; quia per hoc sufficienter contradistinguitur ab ente chymerico, quod nullo modo potest realiter existere. Si verò sumatur materia prima postquam diuisa est per quantitatem dimensiuam; materia prima etiam vt distincta à quantitate dimensiua, est singularis radicaliter; quia est per quantitatem dimensiuam intrinsecè diuisa à materia alterius indiuidui: & ratio est; quia materia prima non est singularis radicaliter per inclusionē quantitatis dimensiuæ diuisæ ab alia quantitate; sed per diuisionem sui esse, quam habet ex diuisione quātitatis dimensiuæ; vt enim dicemus in sequenti articulo, principium radicale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem, est materia signata quantitate; non scilicèt, quia materia prima est radix multiplicationis indiuidualis, quatenus est radix quantitatis, vt docet Caiet. *in opusc. de ente, & essentia*; sed quia est diuisa per quantitatem: nam diuisio remanet in materia, si ab ea diuinitus separetur omnis quantitas dimensiua, postquam diuisa est sub quantitate: vnde si separetur quantitas dimensiua à materia, sicut etiam si separetur ab essentia materiali, postquam diuisa est per quantitatem, adhuc remanet, & materia, & quidditas materialis, vna numero radicaliter; quia diuisio entitatiua materię, & quidditatis materialis, non est effectus primarius quantitatis dimensiuæ, sed effectus secundarius, resultans ex diuisione intrinseca quantitatis dimensiuæ. Hæc doctrina adnotanda est, quia soluit euidenter omnia argumenta Suarez *loc. sup. cit.* præsertim *sect.* 2. *num.* 12. vbi contendit, quod duæ naturæ duorum indiuiduorum eiusdem speciei, v.g., natura humana in Petro, & natura humana in Paulo, præcisis ab illis differentijs indiuidualibus, non possunt esse actu distinctæ numero; quia non potest intelligi, neque esse distinctio indiuidualis intrà eandem speciem; nisi per differentias indiuiduales, & consequenter docet, quod abstractis differentijs indiuidualibus, v. g., per intellectum, resultat natura vniuersalis; quia resultat natura, non diuisa in plures naturas, vt stat sub abstractione intellectus abstrahentis illam à differentijs illam multiplicantibus numero.

Hæc, & similia argumenta, data doctrina facilè soluuntur; natura enim humana in Petro, & natura humana in Paulo, si ab eis separentur Pauleitas, & Petreitas, quæ sunt duæ differentiæ singulares formales, remanent prædictæ naturæ plures, & singulares radicaliter; si verò ab eis separentur diuisiones, quæ illis conueniunt per quantitatem dimensiuam (si hæc separatio fiat tantummodò mente præscindente naturam ab omni suo diuisiuo indiuidualiter, tam formali, quàm radicali) resultat natura vniuersalis, saltem in potentia proxima; quia resultat natura non diuisa singulariter in recto, licet in obliquo in suis singularibus, sit diuisa numero realiter; si verò hæc separatio fiat realiter Diuina Omnipotentia, prædictæ naturæ reducuntur ad nihilum; quia non possunt existere realiter, nisi sint singulares saltem radicaliter, & hoc in opinione dicentium, essentiam creaturæ etiam in ratione essentiæ intrinsecè creari cum existentia; nam si velimus substinere essentiam creaturæ in ratione essentiæ, non causari à Deo, vt à prima causa efficiente; sed tantùm vt à prima causa ideali idealitate essentiæ, prædictæ naturæ remanent vna natura actu, & plures potentia, sicut partes in vno continuo in actu sunt plures in potentia, quod fusiùs explicabitur *q.* 5. in qua fusè examinabitur hæc quæstio.

Quod si iterum dicas: abstractis per intellectum relationibus diuinis à Diuinis Personis, non remanent hypostases, seù Diuinæ Personæ; sed solùm remanet natura diuina communis; vt docet S. Thomas PP. *q.* 3. *art.* 3. *in corp.* cuius ratio est, vt docet idem Angelicus Doctor; quia relationes diuinæ ferunt secum sua supposita; sed abstractis suppositis, siuè suppositalitatibus, non remanent hypostases; ergo abstractis per intellectum relationibus diuinis, non remanent hypostases; sed eadem ratio est de differentijs singularibus; ergo abstractis à naturis existentibus in pluribus indiuiduis tantummodò, non remanent naturæ singulares etiam radicaliter.

Respondeo assignando disparitatem; quoniam distinctio personalis in diuinis adæquatè est tantummodò à relationibus originis; distinctio, siuè diuisio indiuidualis intrà eandem speciem in creatis, non est adæquatè à differentijs indiuidualibus formaliter; sed solùm vt à principio formali indiuiduationis; à materia verò signata quantitate, vt à principio causali, & radicali,

tali, ac proindè si separentur naturæ à suis singularitatibus formalibus, remanent naturæ singulares radicaliter; quia remanet principium radicale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem. Cęterum abstractis relationibus originis per intellectum à diuina natura, nullum remanet principium distinctiuum in natura diuina.

Quod si dicas, hoc sequi saltem quando separatur realiter natura à principio etiam radicali indiuiduationis; quia tunc remouetur à natura omne diuisiuum indiuiduale intrà eandem speciem, quod nos negauimus.

Respondeo, nego assumptum, si loquamur de separatione naturæ à materia indiuiduali, postquam diuisa est sub quantitate: & disparitas est; quia natura in creatis per principium multiplicatiuum indiuiduale intrà eandem speciem, diuiditur intrinsecè, & in re; quia natura in creatis, non est essentialiter tota in sua latitudine formali; at relationes originis distinguendo personas diuinas inter se, nullo pacto diuidunt naturam diuinam, quia solùm ponunt relationes originis inter personas, non autem in essentia.

Obijcies vltimò: Ratio cur natura distinguitur à sua singularitate, est, quia natura est principium adæquatum conuenientiæ vnius indiuidui cum alio indiuiduo intrà eandem speciem; sed hæc ratio nulla est. Primò, quia adhuc vna differentia indiuidualis vnius indiuidui, vt differentia indiuidualis, est principium adęquatum conuenientię vnius indiuidui cum alio indiuiduo intrà eandem speciem; vtrumque enim indiuiduum est formaliter indiuiduum; ergo differentia indiuidualis vt sic adæquatè reperitur in vtroq; indiuiduo. Secundò; quia si aliqua esset ratio in oppositum ea esset, quia hæc est conuenientia imperfecta, non perfecta.

Sed contrà est; quia natura huius indiuidui intrinsecè distinguitur ab alia; sed hæc distinctio intrinseca ponit intrinsecè in naturis aliquam etherogeneitatem, siuè diuersitatem, quæ tollit omnimodam conuenientiam.

Respondeo, distinguendo maiorem; natura enim vnius indiuidui secundùm se est principium perfectæ, & omnimodæ conuenientiæ, siuè similitudinis cum natura alterius indiuidui intrà eandem speciem, quæ est conuenientia, & similitudo vniuoca, at similitudo, & conuenientia singularitatis vnius naturæ, cum singularitate alterius naturæ etiam intrà eandem speciem, est cōuenientia analoga, & imperfecta, quæ analoga conuenientia in eo ipso, in quo dicit conuenientiam, dicit disconuenientiam; & ratio huius est, quia talis indiuiduatio est intrà indiuiduationem formalem indiuiduationis vt sic; distinctio verò à natura vnius indiuidui à natura alterius indiuidui intrà eandem speciem, est distinctio ab extrinseco principio; quia est distinctio solùm indiuidualis, quę est à materia diuisa quantitate, siuè à materia indiuiduali; omnis autem indiuiduatio in creatis est extrà essentiam, siuè naturam; & confirmatur, quia differentia indiuidualis, est vltima differentia; hæc autem seipsa, idest suis intrinsecis, distinguitur ab alia differentia indiuiduali.

---

## ARTICVLVS OCTAVVS.

### Quodnam sit Principium radicale multiplicationis indiuidualis, intrà eandem speciem athomam.

PRæcedenti articulo ostendimus, essentiam specificam in materialibus inferioribus esse intrinsecè diuisibilem in plura inferiora, solo numero differentia per diuersas singularitates formales, quæ non solùm sunt rationes formales indiuiduantes formaliter naturam; sed etiam sunt intrinsecè multiplicantes, & diuidentes naturam in plures naturas, solo numero differentes. Remanet nunc examinandum, & inquirendū, quodnam sit principium primum, & radicale, vt natura specifica sit intrinsecè diuisibilis per plures differentias singulares formaliter: hoc autem quæsitum dupliciter controuerti potest; vno modo in rebus materialibus sublunaribus; alio modo absolutè, & simpliciter, inquirendo, quodnam sit principium primum, & radicale, siuè prima radix, cur natura sit intrinsecè multiplicabilis in plura solo numero differentia, quod nedùm est quæsitum difficile; sed valdè curiosum. Notanter dixi, quodnam sit principium radicale, siuè prima radix multiplicationis indiuidualis naturæ intrà eandem speciem athomam; quia non omnis singularitas, est differentia diuisiua naturæ; sicut enim datur natura specifica intrinsecè diuisibilis, & multiplicabilis in plura indiuidua, vt est in manifesto, natura in quolibet ente materiali sublunari; ità dantur singulari-

laritates, siuè ecceitates formales, aliç adęquantes specificam naturam, quam singularizant, vt sunt singularitates, siuè ecceitates corporum cęlestium, & singularitates, siuè indiuiduationes formales in Angelis, iuxtà opinionem S. Thomæ, & Aristotelis, vt infrà dicemus, quam ob causam, non est idem formaliter princepium radicale, siuè radix prima indiuiduationis formalis, & principium radicale multiplicationis indiuidualis naturæ intrà eandem speciem; est ratio huius in promptu est; quia datur singularitas adæquans naturam specificam, vt est in quolibet Angelo, & in quolibet corpore cælesti, & datur singularitas, quæ cõtrahit, & diuidit naturam specificã aliorum indiuiduorum. Verùm, si idem esset formaliter principium radicale multiplicationis indiuidualis naturæ, & principium radicale indiuiduationis formalis in creatis, in quibus singularitas est extra essentiam; nulla daretur natura, vel saltem dabilis esset absolutè, & simpliciter natura creata, quæ foret in esse naturali intrinsecè immultiplicabilis in plura solo numero differentia; sed omnis natura creata esset intrinsecè diuisibilis differentijs singularibus, quod valdè controuertitur intèr Scotum, & S. Thomam: hoc alijs verbis docet Caietanus in *opusculo de ente, & essentia cap. 2.* vbi fusè hanc quæstionem pertractat.

Scotus *in secundum sententiarum distinct. 3. quæst. 6.* quam sequũtur omnes Scotistæ, opinatur, quod principium primum multiplicationis indiuidualis intra eandem speciẽ, sunt proprietates indiuiduales, quas vocat ecceitates, quod multis probatur apud Caietanum *loco citato*. Primò, principium indiuiduationis, diuidentis naturam est ad quod primò sequitur vnitas numeralis, siuè indiuidualis intrà eandem speciem; sed id ad quod sequitur primò hæc vnitas numeralis, qua vnum indiuiduum, est indiuisum in se, & diuisum à quocumque alio intrà eandem speciem, est ecceitas, siuè proprietas indiuidualis; quia per proprietatem indiuidualem natura diuiditur in plura incommunicabilia pluribus inferioribus intra eandem speciem; ergo, &c. Secundò principium primum multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem, sunt primò diuersa; sed huiusmodi sunt ecceitates, siuè differentiæ indiuiduales; quia istæ, cum sint vltimæ differentiæ, sunt seipsis diuersæ; hæc autem sunt primò diuersa; ergo, &c. Maior probatur; quia primum in vno quoque genere est causa cæterorum; sed primò diuersa intra eandem speciem, sunt prima diuersificantia; ergo sunt causa prima, seù principium primum, & radicale, vt natura multiplicetur indiuidualiter intrà eandem speciem. Sed hæc, & alia argumenta, vt acutissimè omnium aduertit Caietanus, non aliud probant nisi ecceitates, seù proprietates indiuiduales, esse principia formalia, seù differentias formales, quibus natura intrinsecè multiplicatur in plura indiuidua; sed hic controuersia est de principio primo, seù de prima radice cur natura sit diuisibilis per plures ecceitates; differentiæ enim indiuiduales supponunt naturam, quam diuidunt indiuidualiter, esse intrinsecè diuisibilem, & multiplicabilem intrà eandem speciem; nàm priùs est, naturam esse intrinsecè diuisibilem intrà eandem speciem, quam esse actu diuisam; nec omnis natura, etiam in actus creatis, licet sit singularis formaliter per singularitatem extra essentiam; huius autẽ diuisibilitatis in plura solo numero differẽtia intrà eandem speciem, inquiritur, quodnam sit principium primum, & radicale.

S. Thomas acutissimè, & profundè inquirens principium primum raddicale huius multiplicabilitatis; tum *libro 1. contra Gentes*, tùm *3. par. quæst. 77. art. 2.* vbi in responsione ad argumenta, rem totam paucis egregiè complectens, determinat hoc principium primum radicale esse materiam signatam quantitate; hoc est vt infrà ostendemus, esse materiam diuisam per quantitatem.

Fundamentum huius assertionis sumitur primò ab Aristotile in *libr. de Cęlo cap. 2.* vbi docet, ea esse vnum numero, quorum vna est materia; ex quo sequitur, quod ea sunt plura numero, nimirùm, intrà candem speciem, quæ sunt diuersa in materia, quod ipsemet Aristotiles docet *7. Methaphysicæ cap. 8.* dicens, quæcumque numero plura sunt, esse diuersa in materia; quod idem est, ac si dicatur diuersitatem vnius indiuidui intrà eandem speciem oriri ex materia; sed hæc loca, nisi afferatur clarior auctoritas ab aduersarijs, de facto soluuntur; quia scilicet in his locis non loquitur Aristotiles vniuersaliter de materia partis; sed solùm de materia totius; ità respondent Antonius Andreas, & alij Scotistæ, qui distinguũt duplicem materiam; aliam vocant materiam partis, & hanc dicunt esse materiam receptiuam formæ in composito physico; & aliam vocant materiam totius, & hanc dicunt esse ecceitatem, siuè singularitatem formalem, quæ congruè, & propriè vocatur materia, quatenus constituit naturam

ram

ram in esse vltimo subijcibili, & materiali; non autem in esse formali; quia non est differentia essentialis: & de hac materia non de prima, dicunt loquutum esse Aristotilem locis citatis, cum dixit, quod illa sunt vnum numero, quorum materia est vna; & illa esse plura numero, quæ sunt diuersa in materia: & quod hęc sit mens Aristotelis probant, quoniam subiungit Aristoteles, quod illa sunt vnum specie, quorum ratio est vna; ratio autem sumitur pro quidditate, quę dicitur forma respectu esse indiuidualis, quod dicitur materia totius; quia est vltimum receptiuum totius quidditatis. Dari hanc duplicem materiam ratione ostendunt; quoniam materia, & forma opponuntur, vt dicitur 2. *Physicorum*; materia enim est potentia, forma autem est actus, & quot modis dicitur vnum oppositorũ, tot modis dicitur, & reliquum *primo topicorum capite primo*; sed forma, quantùm ad præsens spectat, alia est forma partis, quæ est altera pars compositi; & alia est forma totius, quæ est essentia; ergo ex opposito materia, alia est materia, quæ opponitur formæ partis, & hæc est materia, quæ est principium essentiale constituens cum forma, vnum ens per se: & alia est materia, quæ opponitur formæ totius; & hęc est extrà essentiam, & dicitur materia totius; quia in eo vltimò recipitur essentia, quæ est forma totius.

Hæc expositio reijcitur à Thomistis eodem medio; quia diuisio per materiam totius, est diuisio per indiuiduationem formalem; materia enim totius idem formaliter est, quod singularitas; sed hìc inquiritur principium radicale, siuè prima radix multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem; nimirùm, inquiritur prima radix, cur natura sit diuisibilis ecceitatibus, siuè singularitatibus, in plura solo numerò differentia; sine dubio natura sit hæc, & indiuidua formaliter diuisa ab alia natura in alio indiuiduo existente per ecceitatem, siuè singularitatem determinatam; radix verò, & principium causale huius multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem non est differentia singularis; sed est quia materia partis in vno indiuiduo est diuisa à materia partis alterius indiuidui per quãtitatem; quod idem est, ac dicere, principiũ radicale huius diuisionis indiuidualis intrà eandem speciem, esse materiam signatam quantitate, quemadmodum profundè determinauit S. Thomas, tùm *libro 1. contra Gentes*, tùm *3. par. quæst. 77. art. 2.* in responsionibus ad argumenta, &c.

Instare possunt Scotistæ contendendo naturam, quæ non est sua singularitas, esse diuisibilem per diuersas singularitates formales; non quia in ea, forma est recepta in materia signata quantitate à materia alterius naturæ singularis; sed quia natura ipsa creata, est essentialiter potentia ad esse, quæ potentia non est prædicatum extrà quidditatem essentiæ, sicut est materia, vt signata quantitate; sed est prædicatum essentialissimum essentiæ creatæ; & ideò non est quærenda radix prima, siuè principium primum causale, cur natura in creatis sit diuisibilis intrinsecè in plura solo numero differentia intrà eandem speciem, & instantia probari potest primò, ab opposito; nam ratio cur Deus sit essentialiter singularis, & consequenter indiuisibilis in plures Deos solo numero diuersos, est; quia in Deo essentia, non est essentialiter potentia ad esse, cum sit essentialiter suum esse; ergo ex opposito, vbi natura est essentialiter in potentia ad esse; quia natura essentialiter non est suum esse, natura est intrinsecè diuisibilis in plura inferiora solo numero diuersa. Secundò ex Scoto in *2. sententiarum, distinct. 3. quæst. 7.* omnis quidditas in creatis quantùm est ex se, est intrinsecè communicabilis; quia omnis quidditas in creatis de se non est essentialiter singularis: & confirmatur; nàm, vel communicabilitas, siuè diuisibilitas in plura solo numero differentia, repugnat naturæ, siuè quidditati, ratione suæ perfectionis; vel ratione imperfectionis: neutrum obstat; non ei repugnat ratione perfectionis; quia diuisibilitas est quędam potentialitas: neque ratione imperfectionis; quia quidditas substantiarum compositarum est imperfecta, & hæc communicabilis est pluribus indiuiduis, solo numero distinctis. Tertiò: omnis quidditas intelligibilis sub ratione vniuersali absque contradictione, est plurificabilis numero; implicat enim intelligi naturam sub ratione vniuersalis, & esse hanc; sicut ab opposito, naturam diuinam implicat intelligi sub ratione vniuersalis; quia est natura de se, hæc; sed natura quælibet creata est intelligibilis sub ratione vniuersalis; ergo, &c.

Sed hęc instantia facilè impugnatur primò; quia si vera esset, ostenderet, neque de possibili posse dari naturam creatam in suo esse naturali indiuisibilem in plura solo numero differentia, quod est falsum: probatur sequela; quia omnis natura creata est essentialiter in potentia ad esse; quia omnis natura creata, non est essentialiter suum esse. Secundò, quia ponitur à Scoto omnis quid-

quidditas, siuè essentia specifica creata, intrinsecè multiplicabilis in plura inferiora, solo numero differentia per diuersas singularitates formales, quæ à Scoto dicuntur ecceitates, & materiæ totius; sed hæc diuisibilitas essentialiter, & necessariò supponit diuisibilitatem naturæ per intrinsecam diuisionem materiæ partis per quātitatem. Probatur minor; quia diuisio, siuè diuisibilitas per singularitates formales, est posterior diuisione, siuè diuisibilitate naturę per diuisionem materiæ partis per quātitatem; quia priùs recipitur forma substantialis in materia diuisa per quantitatem, quàm in essentia recipiatur ecceitas, siuè singularitas formalis, & huius ratio est: quia singularitas formalis contrahit naturam iam completam, & perfectam in ratione naturæ; natura autem completur per formam receptam in materia signata quantitate; non enim vna forma substantialis recipitur in materia tota in sua latitudine, quæ scilicèt est omnis materia; sed in aliqua portione materiæ; materia autem non partitur, nisi per quantitatem, quemadmodum profundè determinauit S.Thomas, tùm *libro* 1. *contra Gentiles*, tùm 3.*par.quæst.*77.*articul.*2. vbi rem totam paucis ègregiè declarat, dicens, quod ex hoc, aliquod natum est esse in vno solo; quia illud est in se indiuisum, & diuisum ab omnibus alijs; diuisio antem accidit substantię ratione quantitatis, vt dicitur *primo Physicorum tex.* 15. & ideò, inquit, ipsa quantitas dimensiua est quoddam indiuiduationis principium formis, in quātum, scilicèt, diuersæ formæ numero sunt in diuersis partibus materiæ; hæc Sanctus Thomas.

Quod si dicas: singularitas formalis in materialibus diuisibilibus per quantitatem, non solùm cōstituit intrinsecè indiuiduum formaliter; sed etiam diuidit singulariter vnam naturam ab alia eiusdem speciei; sed actus diuisiuus, non supponit suum diuisibile iam diuisum; quia diuisio consequitur actum diuisiuum, non antecedit; ergo non potest essentia, quæ singularizatur per singularitatem formalem, præsupponi diuisa, antequam diuidatur per singularitatem.

Respondeo primò, formam in essentia specifica in rebus materialibus diuisibilibus per quantitatem, in eodem instanti temporis diuidi à materia signata quantitate, & à singularitate formali diuisiua; sed in diuerso genere causæ, scilicèt, materia signata quantitate in genere causæ materialis, idest recipiendo; singularitas verò diuisiua in genere causæ formalis intrinsecè singularizando, quorum vnum est prius alio sola prioritate, & posterioritate naturæ, quæ compatiuntur secùm simultatem instantis temporis; quia prioritas naturæ non aliud dicit, nisi independentiam vnius ab alio à se dependente; posterioritas verò naturæ dicit dependentiam vnius ab alio à se independente in eodem genere causæ, & vt alibi ex professò probabimus, præsertim *quæstione de essentia, & existentia*; in creatis in illo ipso priori naturæ, quo præcedit suum effectum, est posterior suo effectu, non in eodem, sed in alio genere causæ: quod quidem principium durum videtur compluribus acutis Metaphysicis; sed durities ratione demonstratiua repellitur; quandoquidem nulla est contradictio, vt idem sit prius, & posterius alio, in diuerso genere causæ; quia contradictio est secundùm idem formaliter, & adæquatè; at vbi non est contradictio est compossibilitas; ergo, &c. hæc doctrina fusè declarabitur, & probabitur sequentibus conclusionibus, & in responsionibus ad argumenta, rem totam complectemur. Cum verò opponitur, quod singularitas diuisiua supponit in priori naturę, naturam iam diuisam; ergo singularitas, non diuidit singulariter naturam.

Respondetur, quod supponit in priori naturæ, naturam diuisiuam radicaliter, & in genere causæ materialis; non verò formaliter, siuè in gen re causæ formalis; aliud enim est indiuiduum radicaliter, & aliud est indiuiduum formaliter, quod est diuisum radicaliter, esse inadæquatè diuisum.

Prima conclusio. Principium radicale, siuè causale multiplicationis naturę in plura solo numero differentia, in rebus materialibus diuisibilibus quātitate, est materia signata quantitate, quod est dicere radicem primam, & causalem indiuiduationis dictis multitudinem intrà eandem speciem specialissimam esse materiam diuisam per quantitatem; Conclusio est in terminis doctrina S.Thomæ locis suprà citatis, quem sequuntur omnes Thomistæ; solùm controuersia est inter eos, vt aduerit Caietanus in *opuscul. de ente, & essentia capite* 2. in explicando quid nomine materiæ signatæ intelligat S. Thomas, sed hoc explicauit S. Doctor 3.*parte,quæst.*77.*ar.*2. dicens, quod formæ sunt diuersæ numero, inquantùm sunt in diuersis partibus materiæ, quod est dicere diuisionem formarum indiuidualem esse ex diuisione materiæ; at certum est materiam immediatè, & per se non diuidi, nisi per quantitatem, vt suo loco probabi-

tur; nec S. Thomas admittit in creatis aliam diuisionem, nisi diuisionem formalem, & diuisionem materialem; diuisio formalis est per differentias essentiales, & per se, quæ constituunt multitudinem specificam, vt est diuisio per rationale, & irrationale, per spiritualitatem, et corporeitatē: diuisio verò materialis est per diuisiua materiæ; prima autem materiæ diuisio est per quantitatem.

Prima ratio fundamentalis conclusionis est; quia diuisio indiuidualis intrà eandem speciem athomam, est diuisio materialis; sed hæc, vt à principio radicali, non est, nisi à diuisione materiali materiæ; ergo diuisio indiuidualis intrà eandem speciem, vt à principio primo radicali est à diuisione materiali materiæ; sed diuisio materialis materiæ, non est nisi per quantitatem; ergo principium radicale indiuiduationis, siuè multiplicationis indiuidualis, intrà eandem speciem est materia signata, hoc est diuisa quātitate. Maior probatur; quia diuisio indiuidualis intrà eandē speciem, est per principia diuidentia extrà essentiā; quia diuisio per diuisiua intrà essētiam, est diuisio specifica; ergo diuisio indiuidualis, quæ est extrà essentiam, debet esse per principia diuidētia extrà essètiam; hæc autem diuisio est materialis; ea enim quæ sunt extrà essentiam, materialia sunt; & ideò essentia, quæ diuiditur in plura solo numero differentia intrà eādem speciē, non includitur in definitione essentiali secundùm se, vt suprà sæpè repetiuimus cū S. Th. Minor pricipalis argumenti, in qua est difficultas probatur; ꝙ materia immediatè, & primò diuiditur diuisione quantitatis, quæ est diuisio materię per diuisiua extrà essentiā materiæ; sed huiusmodi diuisio est primū principiū radicale omnis diuisionis materialis intrà eandem speciem; quia est prima diuisio in genere diuisionis materialis intrà eandem speciem; materia enim, est immediatè, & per se radix quantitatis dimensiuæ, per quam diuiditur, quippè quantitas dimensiua est proprietas immediata materiæ; at primùm in vnoquoque genere est causa cæterorum.

Neq; dicas, diuidi per quantitatē cōpetit etiā formę saltem materiali; nàm formę, & cæteris contradistinctis à materia conuenit diuisio per quātitatē mediatè, & per aliud, non autem immediatè, & per se; & primò; ꝙ quantitas dimensiua est proprietas, quartò modo materiæ; essentia autem subiecti proprietatis est primò, & per se radix, vndè fluit proprietas: ideò vbi est diuisio ꝑ quantitatē, necessariò est principiū radicale diuisionis indiuidualis intrà eandem speciem.

In hoc puncto, materiam per se, & primò diuidi solùm per quantitatem in plura, sub eadem ratione formali specifica; plures docti Metaphysici fatentur pati se magnā difficultatem, tùm in doctrina S. Thomæ, tùm absolutè; dicunt enim, materiam, & quamlibet substantiam materialem seipsis, habere intrà se partes, in quas sunt diuisibiles, quæ quidem partes, & diuisæ, & nōdū diuisæ, non possunt habere intèr se, nisi solam distinctionē indiuidualem, saltem inadæquatam; vel actualem, vel potentialem.

Sed, nisi fallor, fundamentum clarum, & apertum est cur materia de se, non sit diuisibilis in plures entitates similes, quod accipio à S. Thoma 3. *part. quæstion. 77. artic. 2.* materia substantia est; sed substantia non habet in se, vndè diuidatur; quia substantiā dicit præcisè rationem essendi per se; ergo, non potest diuidi, nisi per diuisiuum extrà se; sed hoc non potest esse aliud, nisi quantitas dimensiua; quia de ratione quantitatis est habere partem extrà partem.

Sunt qui respondent, substantiam materialem, siuè materiam primam; quatenùs substantia vt sic præcisiuè, non habere in se, vndè diuidatur; sed quatenùs sunt substantia materialis habere intrà se, vndè diuidatur; quoniam substantia materialis contradistinguitur à substantia spirituali ꝑ hoc, quod substantia spiritualis de se non est diuisibilis in plures partes entitatiuas; substantia verò materialis, est diuisibilis in plures partes entitatiuas, vel actu, vel potentia distinctas. Sed hæc responsio facilè reijcitur primò; quia substantia materialis, non aliud addit suprà substantiam vt sic, quod est ens per se; nimirùm, independens à subiecto inhæsionis, nisi dependentiam à materia substentatiuè; sed hæc dependētia non habet de se, vt sit partibilis; dicit enim tantummodò ens per se in existendo dependere à materia, vt substentatiua, scilicet, vt completiua entis in existendo. Secundò; quia materialitas, quæ est differentia contrahens substantiam ad substantiam materialem, est differentia per se, & formalis substātiæ; hæc autē differentia est intrà latitudinem formalem substantiæ; sed substantia formaliter non habet in se vndè diuidatur, vt diximus; ergo, &c.

Quod si dicas; substantia materialis, siuè materia est extendibilis per quantitatē; sed non potest esse extendibilis, nisi præhabeat in se partes, entitatiuas, vel actu, vel potentia independenter à quantitate; quia partes substantiæ materialis, sunt substantiæ, siuè substantiales intrinsecè; substantia autem est indepēdens à quātitate; ergo, &c.

Re-

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem; substãtia enim materialis, quę est quantificabilis per quantitatem, & indepẽdens à quantitate dimensiua, quantùm ad rationem entis per se materialis, quod .s. est ens per se; quia est independens a subiecto inhæsionis: & est materiale; quia est dependens à materia substentatiuè; non autem quantùm ad distinctionem indiuidualem; hæc enim distinctio non potest esse in substantia materiali, nisi per diuisionem quantitatis dimensiuæ; neque inconueniens est, eandem substãtiam esse dependetẽ, & indepẽdentẽ sub diuersa consideratione formali; quia contradictio est secundùm idem; hæc autem affirmatio, & negatio secũdùm idem, tollitur, quando idem materialiter sumitur sub diuersa cõsideratione formali.

Quod si ampliùs instent: quantitas dimensiua est posterior substantia; implicat autem prius esse depẽdens à suo posteriori.

Respondeo, in hac instantia committi æquiuocationem; quantitas enim dimẽsiua, est posterior substãtia materiali, quatenùs substantia materialis formaliter: præcedit verò substantiam materialẽ, partiendo illã.

Si denique acriùs instent: substantia per quantitatem diuiditur accidentaliter; sed partitio, & diuisio indiuidualis substantię, est substantialis; indiuiduatio enim formalis, est in eodem genere cùm essentia indiuiduata.

Respondeo primò, etiam committi ęquiuocationem; partitur quidem substantiam accidentaliter, quatenùs partitur ab accidente, quod est quantitas; non autem partitur accidentaliter, quia indiuiduatur indiuiduatione accidentali; ex diuisione enim substantiæ materialis per quantitatem, resultant in partibus substantiæ, diuisis per per quantitatem, indiuiduationes formales substantiales; sicut per diuisionem quãtitatis dimensiuæ, resultant in quantitatibus diuisis duæ tantitates: & ratio est; quia ipsamet substantia materialis entitatiuè partitur.

Caietanus, quem communiter sequũtur Thomistæ *in Opusc. de ente, & essentia capite 5. quæst. 8. vers. ad secundam confirmationem*, tradit doctrinam adhoc propositum, scilicèt, quod non inconuenit, causas esse sibi inuicem causas in diuerso genere causæ, vt dicitur 5. *Metaphysicæ, Textu comment.* 2. sicut, v.g. motus, siuè labor est causa sanitatis in genere causæ efficientis, & sanitas est causa laboris in genere causæ formalis, & hæc doctrina potest esse secunda responsio ad candem instantiam.

Respondetur enim secundò, substantiam materialem pręcedere quantitatẽ dimensiuam, vt sui diuisiuam in genere causæ materialis; esse verò posteriorẽ quantitate dimẽsiua diuidente in genere causę formalis; sed, quantùm video, melior est prima respõsio adhoc propositum; quia in substantia materiali, nullo modo potest pręexistere antè quãtitatem diuisio indiuidualis vnius partis ab alia; sed solùm in substantia materiali est potẽtia per nõ repugnãtiã, vt diuidatur entitatiuè ad diuisionem quãtitatis dimẽsiuę; aliter enim in quãtitate dimẽsiua est potẽtia ad distinctionẽ partium, in quas est diuisibilis, quã in substãtia materiali, vt distincta à quãtitate dimẽsiua; nã in quãtitate dimẽsiua est ab intrinseco; quãdóquidẽ quantitas dimensiua de se habet partes extra partes distinguibiles in potentia: substãtia autem materialis non habet hanc potentialitatem, nisi dependenter à quantitate dimensiua dependentia essentiali.

Contra hanc doctrinam possunt instare contrarij rationibus suprà explicatis, quibus Scotus probat, omnem naturam, siuè essentiam creatam esse diuisibilem in plura solo numero differentia; hoc autem posito, falsũ est, materiã signatã, esse primã radicẽ multiplicationis indiuidualis intrà eãdem speciẽ; nã dãtur naturæ, siuè essẽtiæ angelicæ, quæ cũ sint solę formę adequatę in specie excludunt à seipsis materiam signatam quãtitate: sed omnes istæ rationes soluũtur, negando maiorem, quæ alioquin distingui potest; quia datur duplex quidditas, siuè essentia, alia nimirùm est sola forma completa in specie, vt natura Angeli, & alia est composita ex forma, & materia diuisibili per quantitatem; Conceditur maior de omni quidditate creata, composita ex forma, & materia diuibili per quantitatem: negatur verò de omni quidditate, siuè essentia, comprehendendo, & essentiam, quæ est sola forma, & essentiam, quæ est composita ex forma, & materia diuisibili per quantitatem dimensiuam, & huius iam assignauimus rationem; quia scilicèt principium causale, siuè radicale multiplicationis indiuidualis intrà candem speciem, est sola materia signata quantitate.

Cum verò opponitur, quod omnis quidditas intelligibilis sub ratione vniuersali absq; cõtradictione est plurificabilis numero intrà candẽ speciem; quoniã implicat intelligi naturam sub ratione vniuersalis, & esse hãc nimirùm indiuisibilẽ in plura inferiora solo numero differẽtia: sicut ab opposito, implicat intelligere naturã Diuinã sub ra-

ratione vniuersalis; quia est natura essentialiter hæc; sed natura cuiuslibet Angeli est intelligibilis sub ratione vniuersalis, & tamen in ea non est materia signata quantitate. Minor probatur; quia potest intelligi natura Michaelis, non intellecta ecceitate contrahente illam ad Michaelem.

Respondeo; distinguendo de intelligibilitate; alia enim est Logica, & alia est physica: physica est, qua natura est intelligibilis in suo modo essendi naturali; logica verò est, qua natura est intelligibilis abstrahendo à modo naturali, quo existit, in propria natura; omnis quidditas, logica abstractione, potest intelligi sub ratione vniuersalis; sed non potest intelligi abstractione physica: nàm datur aliqua quidditas, quæ est sola forma, & hæc in esse naturali est radicaliter essentialiter singularis; quia est essentialiter irreceptibilis in materia signata quantitate. Cum verò dicitur, quod possum, v.g. intelligere naturam Michaelis, non intellecta eius ecceitate, hoc est; quia natura Michaelis est intelligibilis logica intelligibilitate ex quidditate rerum materialium diuisibilum per quantitatem, non autem ex physica intelligibilitate; quia scilicèt sit intelligibilis in suo esse naturali, non intellecta eius ecceitate radicali, quæ est essentialis naturæ Angeli in suo modo essendi naturali: dico, in suo modo essendi naturali; quia vt suo loco plenè probabitur, essentia Angeli in suo esse intelligibili, siuè in suo esse formali, diuisibilis est solo numero; contrarium verò accidit de quidditate materiali, quæ est per formam receptibilem in materia diuisibili per quantitatem; quia hæc in suo modo essendi naturali diuisibilis est solo numero intrà eandem speciem, tùm radicaliter, tùm formaliter; quia in suo esse naturali, præscindit fundamentaliter à materia indiuiduali, vt supra explicauimus.

Hanc ipsam conclusionem acriter impugnat Antonius Andreas principalis Scotista; primò, si materia signata quantitate esset causa multiplicationis indiuidualis intrà candem speciem, vbi esset eadem materia, ibi foret idem indiuiduum saltem radicaliter; sed hoc est falsum, & probatur; nàm eadem materia est in generato, & in corrupto, & tamen non est idem indiuiduū generatum, & corruptum; quia alia est forma substantialis corrupti, & alia est forma substātialis geniti; singularitas.n. siuè singularis, siuè formalis, est vltimum determinatiuum totius essentiæ specificæ. Explicatur; si primò ex aqua generetur ignis, & secundò ex igne generetur aqua; certum est, quod aqua primò corrupta, & aqua secundò generata habent eandem materiam, & sunt eiusdem speciei; & tamen aqua priùs corrupta, & secundò generata, non est eadem numero saltem propter hanc rationem; quia tunc naturaliter corrupta posset redire eadem numero; quod est falsum.

Secundò causa multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem, est causa, etiā distinctionis vnius indiuidui ab alio; sed materia etiam signata quantitate non est causa distinctionis vnius indiuidui ab alio; ni mirùm neque indiuidui formalis, neque indiuidui radicalis; quia actus est, qui distinguit, vt dicitur 7. *Metaphysicæ*, materia etiam vt signata quantitate non est actus; quia per signationem quantitatis non extrahitur à materia pártis, quæ est pu ra potentia essentialiter.

Tertiò materia est de essentia speciei, vt probatur 7. & 8. *Metaphysicæ*; sed quod est de essentia speciei non potest esse causa multiplicationis indiuidualis; quia tunc species esset indiuidna, & hæc. Confirmatur; quia semper contractiuum, inquit, est extrà rationem contracti; sed materia est de ratione speciei; ergo species, siuè natura specifica, non potest per materiam contrahi ad hoc indiuiduum diuisum ab alio intrà eandem speciem. Sed hæc, & similia argumenta facilè etiam soluuntur.

Respondeo enim ad primam rationem, distinguo sequelam; dupliciter enim potest intelligi, materiam esse eandem numero in genito, & in corrupto; vno modo negatiuè, siuè præcisiuè; alio modo positiuè. Materia est eadem numero positiuè per indiuiduationem positiuam, vel formalem, vel radicalem; est verò eadem numero negatiuè, siuè præcisiuè per non inclusionem singularitatis positiuæ, siuè ea sit formalis, siuè radicalis. Distinctio hæc, & doctrina est Aristotelis, & omnium Peripateticorum *primo metaphysicæ*, vt videre est apud Suessanum, in genito, & in corrupto est eadem numero materia negatiuè, siuè præcisiuè; positiuè verò alia numero est materia in corrupto, & alia est in genito; quia aliam indiuiduationem positiuam habet in genito, & aliam in corrupto; indiuiduatio enim tàm radicalis, quàm formalis singularizat essentiā constitutā per formam receptam in materia signata quantitate, quam singularitatem, siuè formalem, siuè radicalem materia, neque includit, neque non includit; & ideò secundùm se, est negatiuè vna nume-

me-

mero in genito, & in corrupto, siuè præcisiuè.

Insurgunt aliqui contrà hanc Peripateticam doctrinam dicentes ex ea sequi, materiam generari, & corrumpi generaliter, quod est impossibile, nedùm falsum; materia enim est ingenerabilis, & incorruptibilis, & probatur; quoniam cum ex aqua generatur ignis, desinit materia esse hæc formaliter; nimirùm esse materia formę aquę, & incipit esse positiuè materia formę ignis; sed omne, quod desinit, aut incipit; esse desinit, aut incipit per generationem; ergo materia generatur.

Respondeo; nego sequelam, ad probationem dico materiam, cum ex aqua generatur ignis, vel ex ligno ignis, desinere materiam, quantùm ad indiuiduationem positiuam per transitum ad aliam indiuiduationem positiuam; non verò desinere quantùm ad suum esse essentiale diuisum ab alia materia intrinsecè; ad eum modum, v.g. quo in opinione veriori, quam docet Angelicus Doctor, materia non existit, nisi existentia formæ; materia in corrupto desinit, quantùm ad existentiam vnius formæ per transitum ad existentiam alterius formæ, quæ est genita de nouo; per hanc autem desitionem intrinsecam, materia nec generatur, nec corrumpitur in suo esse essentiali: pariter materia vnius, quod corrumpitur, ammittit suum esse positiuum singulare propter transitum ad aliud esse positiuum singulare alterius compositi de nouo geniti. Ad secundam rationem principalem.

Respondeo, quod actus est, qui distinguit; sed in suo genere, non in alio genere; duplex enim est actus, qui distinguit, alius est formalis, siuè essentialis, & alius est materialis; distinctio hæc intelligitur ex alia distinctione, qua Caietanus, & alij Thomistæ distinguunt differentias diuisiuas in differentias essentiales, siuè formales; & in differentias materiales, siuè indiuiduales, quæ sunt extra essentiam. Actus formalis, siuè essentialis, distinguit essentialiter vnam speciem ab alia intrà idem genus; actus verò materialis distinguit vnum indiuiduum ab alio intrà eandem speciem. Materia signata quantitate, hoc est diuisa quantitate dimensiua, quatenus diuisa vt sic, includit actum diuisiuum indiuidualem, non quidem formalem, quę est formalis ecceitas; sed actum materialem, quę est diuisio materiæ per quantitatem, siuè est materia, vt diuisa; & hic actus est diuisiuus tantùm indiuidualiter, vt principium radicale, siuè causale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem.

Neque obstat, quod dicit aduersarius, hunc actum esse intrà rationem potentiæ, non autem intrà rationem actus; ac potentia, vt potentia non est distinctiua, & diuisiua, nam. Respondeo, nomine actus non esse intelligendum actum contradistinctum à potentia subiectiua; sed intelligendam esse differentiam diuisiuam; differentia autem abstrahit à differentia; quæ est actus, & à differentia, quæ est potentia; actus enim, & potentia sunt primæ differentiæ entis, vt docet Aristoteles in Metaphysica, de qua distinctione fusè dicetur in sequentibus quęstionibus.

Ad tertiam rationem respondeo, materiam, quæ est de essentia naturæ specificæ, esse materiam secundùm suum esse essentiale, siuè materiam secundùm se; non autem materiam signatam, idest, diuisam quantitate, vt sæpè repetiuimus.

Circà hanc doctrinam vniuersalissimam, quod principium primum radicale, siuè causale multiplicationis indiuidualis absolutè, & simpliciter est materia signata quātitate dimensiua; insurgit difficultas non parui momenti, & est; quia multa reperiuntur entia, quę solo numero differunt intrà eandem speciem, in quibus nullo modo reperitur materia signata quantitate dimensiua; ergo non est verum vniuersaliter, & absolutè, principium radicale multiplicationis indiuidualis intrà cādem speciem, esse materiam signatam quantitate dimensiua.

Antecedens probatur; primò quidem Diuinæ personæ numero solo intèr se distinguuntur, quælibet enim persona diuina est per se Deus; nimirùm, conueniunt omnes tres personæ diuinæ in vna deitate per se; quia quælibet persona in Deo, est per se Deus, vt docet Athanasius in suo symbolo dicens. Ità Deus pater, ità Deus Filius, ità Deus Spiritus Sanctus; & distinguuntur inter se; quia Pater est Deus generans, Filius Deus genitus, Spiritus Sanctus Deus procedens à Patre Filioque; hæc autem distinctio non est, nisi indiuidualis; quia est intrà eandem naturam athomam. Secundò, actus visionis beatificæ, alijque habitus supernaturales, existentes in pluribus intellectibus Angelicis, solo numero distinguuntur intèr se, intrà eandem speciem; omnes enim visiones beatificæ sunt eiusdem speciei; quia species habitus, & visionis sumitur ab obiecto formali; at idem est obiectum formale omnis visionis beatificæ in

An.

Angelis. Tertiò, plures creationes passiuæ, quibus potest à Deo idem numero Angelus reproduci pluriès annihilatus, solo numero intèr se differunt, intra eandem speciem; sed neque in Angelis, neque in intellectibus Angelorum, est vlla materia signata quantitate dimensiua; ergo principium radicale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem, simpliciter, & vniuersaliter non est materia signata quantitate. Addunt aliqui quartò, animas rationes intèr se solo numero differre, & tamen in eis nulla est materia signata quantitate dimensiua; quia sunt substantiæ spirituales.

Quod si respondeas, animas rationales esse receptibiles in materia signata quantitate.

Aduersarij statim insurgere possunt; hoc inutiliter, & impertinenter se habere adhoc, vt materia signata quantitate sit principium radicale multiplicationis indiuidualis animarum rationalium; at si animæ rationales multipicarentur numero radicaliter à materia signata quantitate, non essent formæ spirituales, & immateriales; quia substantia spiritualis, & immaterialis est independens à materia; at si indiuiduaretur indiuidualiter, & causaliter primò, forma rationalis à materia signata quantitate dependeret à materia, tamquam à causa prima, & radicali.

Hæc obiectio præbet motiuum examinandi profundiùs principium positū, an .s. materia signata quantitate sit principiū multiplicationis indiuidualis vniuersaliter in omnibus creaturis; sunt enim, qui dicūt materiam signatam quantitate in rebus materialibus, esse principium positiuum multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem; in rebus verò spiritualibus esse principium negatiuum; quatenùs scilicèt res immateriales sunt immultiplicabiles in plura solo numero differentia, ex eo quod sunt irreceptibiles in materia; sed quęsitum est, an materia signata quantitate sit principium positiuum radicale omnis multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem in rebus creatis, & huic quæsito satisfiet in sequenti conclusione.

Secunda conclusio. Principium vniuersalissimum multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem, tàm in rebus materialibus diuisibilibus per quantitatem, quàm in rebus spiritualibus receptibilibus in subiecto, tùm in genere entis intelligibilis, est diuisio subiecti formæ, præscindendo à subiecto primo, quod est materia prima diuisa per quantitatem, & à subiecto, quod est actu per aliquam formam. Notanter semper addidi, in rebus materialibus diuisibilibus per quantitatem; quoniam in rebus constantibus ex forma, & materia non diuisibili per quātitatem, vt sunt corpora cęlestia non datur diuisibilitas, siuè multiplicatio indiuidualis intra eandem speciem athomam, cum vnumquodque corpus cęleste in esse naturali, sit totum in sua latitudine specifica, sicut est quilibet Angelus in suo esse naturali; quilibet enim Angelus est totum, non solùm essentialiter; sed totum etiam in sua latitudine specifica.

Ratio fundamentalis conclusionis est; quia diuisio indiuidualis intrà eandem speciem in generali, est diuisio materialis; nimirùm per differentias subiectiuas, quę diuidunt subiectum formæ, à qua est species; est enim diuisio per differentias extrà ordinem essentialem; sed extra ordinem essentialem, non est nisi materia indiuidualiter diuisa, quæ diuisio est per differentias materię, non formæ; datur enim duplex diuisio, vt suprà sæpè diximus; alia per differentias formales; & hæc est diuisio per differentias, quæ constituunt diuersas species essentiales, & alia est diuisio per differentias diuidētes materiam indiuidualiter; & hæc est per diuisiua materiæ intrà eandem specificam essentiam, vt est diuisio materiæ vnius lapidis à materia alterius lapidis; quæ est à quantitate dimensiua.

Hæc ipsa ratio formatur alijs verbis: in vnoquoque genere debet dari vnum primum, quod est causa cæterorum in eodem genere; remoto enim primo remouentur omnia secunda: sed diuisio indiuidualis intrà eādem speciem est diuisio materialis; ergo debet in genere diuisionis materialis dari vnum primum, quod in vnoquoq; est causa cæterarum diuisionum materialium; sed hoc non potest esse, nisi diuisio materialis subiecti formæ specificæ; quia subiectum in vno, & eodem est prius in composito; vt enim docet Aristoteles *in Metaphysica*, in vno, & eodem, prior est potentia, quàm actus: diuisio subiecti debet esse materialis non formalis; quia debet esse diuisio indiuidualis radicalis intrà eandem speciē; hæc autem necessariò debet esse materialis, non autem formalis; quia diuisio formalis est alterius generis.

Contrà hanc rationem potest esse instantia; potest enim dicere aduersarius, data opinione S. Thomæ, omnes Angelos differre intèr se non solum indiuidualiter; sed etiā specificè: intellectus .n. Angelo-

gelorum adhuc specie differunt intèr se; sed hoc posito non verificatur vniuersaliter doctrina allata, quod diuisio subiecti, quod est principium radicale, & causale diuisionis indiuidualis formæ, siuè essentiæ intrà eandem speciem debet esse diuisio materialis subiecti, nàm visiones beatificæ solo numero differunt intèr se in Angelis; hęc autem diuisio indiuidualis non potest esse radicaliter ex diuisione materiali subiecti, in quo recipiuntur; quia subiecta visionū beatificarum sunt intellectus Angelorum; sed isti differūt intèr se specie, & eorum distinctio indiuidualis adhuc est formalis, non materialis; nimirùm est secundùm formam, non secundùm subiectum; sicut sunt singularitates, siuè formalitates in Angelo, iuxtà opinionem S. Thomæ asserentis essentiam Angeli esse immultiplicabilē solo numero intrà eandem speciem: sed soluitur instantia, non difficilè.

Respondeo enim, quod intellectus Angelorum possunt dupliciter cōsiderari; vno modo, quatenus potentię intellectiuæ naturales Angelorum; alio modo, quatenus sunt potentiæ eleuatæ ad rationem potentiæ supernaturalis visiuæ Dei. Distinctio indiuidualis intellectuum Angelorum, vt sunt potentiæ naturales, est formalis, siuè secundùm formam; distintio verò indiuidualis eorundem intellectuum, vt sunt potentiæ supernaturales visiuæ Dei, est materialis; nimirùm extrà essentiam specificam intellectus; quia lumen gloriæ est diuisibile intrà eandem speciem diuisionis indiuidualis; hæc autem diuisio intrà eandem speciem athomam necessariò est materialis.

Ex his euidenter concluditur, principium primum radicale, siuè causale diuisionis indiuiduali intrà eandem speciem vniuersaliter esse materiam diuisam diuisione indiuiduali, quæ est diui sio materialis, abstrahendo à materia prima, & à materia secunda, siuè abstrahendo à materia, quæ est subiectum formæ substantialis, & à materia, quæ est subiectum formæ accidentalis; descendendo verò ad particularia in rebus constantibus ex forma substantiali, & materia diuisibili quantitate dimensiua; principium primum, & radicale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem, est materia prima signata quantitate; vbicumque autem est multiplicatio sola indiuidualis intrà idem principium primum, & radicale, debet esse materia, siuè potentia receptiua; quatenùs est diuisibilis materialiter; potentia quidem potest esse principium radicale indiuiduationis, vt contingit in corporibus cœlestibus, sed non necessariò; est etiam principium radicale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem, nisi sit diuisibilis materialiter, vt etiam ostendimus; rationes in oppositum adductæ ex data distinctione facillimè soluūtur; præsertìm cum aduersarij opponūt, in Angelis visiones beatificas solo numero distingui sine vlla diuisione per quantitatem dimensiuam; etenim diuisio subiecti per quantitatem, est principium radicale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem tantummodò in rebus cōstantibus ex forma substantiali, & materia diuisibili per quantitatem. Argumentum autem vim haberet si materia signata quātitate esset principium multiplicationis indiuidualis vniuersaliter. Ad aliam rationē, qua dicit opponēs, personas diuinas distingui intèr se sola distintcione indiuiduali; nego assūptū; distictio enim indiuidualis, sicut & specifica, solùm locum habet in creatis; quia essentialiter inuoluit permixtam potentialitatem naturæ, quæ diuiditur; sed est distinctio tantummodò personalis ex oppositione tantummodò relatiua originis; distinguuntur enim diuinæ Personæ intèr se in eadem indiuiduali natura, non autem in eadem specifica natura.

Ad tertiam, & vltimam rationem, in qua dicitur ab aduersarijs esse dabiles plures creationes passiuas eiusdem numero Angeli; quia potest Deus creare vnum Angelum, & deindè illum annihilare, & eundem numero poterit reparare; sed in eo casu plures passiuæ sunt creationes, solo numero differentes; quia distintio creationis passiuę est sufficienter ex distintione sui termini formalis; alius enim est Angelus, vt primò creabilis, & alius est Angelus, vt reproducibilis, seù vt recreabilis formaliter, & solùm est idem numero materialiter; hoc argumento probant Scotistæ, quod plures Angeli numero distincti in eadem specie possunt esse.

Respodeo, nego creationem, & recreationem eiusdem Angeli passiuas distingui inter se solo numero; nàm sicut vnus Angelus signatus, si annihiletur à Deo, nō potest reproduci, nisi idem numero; quoniam esse Angeli, cum sit totale, est immultiplicabile numero; ità Deus cum reproducit eundem Angelum iam annihilatū, nō potest illum recreare, nisi eadem numero creatione

pas-

passiua; quia distinctio indiuidualis crationis non est, nisi ex distinctione indiuiduali intrinseca sui subiecti primarij, quod creatur. Doctrina est S. Thomæ, qui in pluribus locis apertissimè docet, impossibile esse, plura accidentia solo numero differentia esse simul in eodem numero subiecto, cuius hanc rationem assignat; quia accidētiū eiusdem speciei numeratio, non est nisi ex diuisione subiecti; vndè si ponerentur duo accidentia solo numero differentia in eodem subiecto, essent plura numero, & nō plura numero: plura numero; quia supponuntur: non essent plura numero; quia non præcedit diuisio indiuidualis subiecti, quæ est prima causa distinctionis indiuidualis intra eandem speciem; remoto enim primò remouentur omnia secunda.

Ad quartam denique rationem cum dicunt aduersarij, quod animæ rationales sūt immateriales, & spirituales independentes à materia signata quantitate; & tamen multiplicantur numero in eadem specie; ergo multiplicatio indiuidualis intrà eandem speciem in formis receptibilibus in materia, vniuersaliter non est per dependentiam à materia signata quantitate, tanquam à principio radicali, & causali.

Respondeo, quod animæ rationales sunt quidem immateriales, & spirituales, sed dependentes à materia, vt à causa materiali terminatiua, & hæc dependentia satis est, vt multiplicatio indiuidualis animarum rationalium, fit tanquam à principio radicali, & causali à materia diuisa quantitate, & pro exigentia materiæ diuisæ per quantitatem producuntur à Deo diuersis creationibus. Neque obstat si dicas, quod creantur independenter à materia; nàm creantur independenter à materia, vt à subiecto sustentatiuo, non autem independenter à subiecto terminatiuo; sine dubio creatio, cum sit ex nihilo subiecti, est independens à subiecto sustentatiuo; sed non à subiecto terminatiuo; quandoquidem sicut anima rationalis, vt sic, dicit ordinem trascendentalem ad materiam, vt diuiuisibilem per quātitatem, cum anima rationalis sit forma informatiua materiæ faciens vnum per se cum materia; ità hæc anima rationalis dicit ordinem trascendentalem ad hanc portionem materiæ diuisæ per quantitatem, ob quem ordinem est hæc; quia est coaptata huic portioni materiæ, & ratio huius à priori est; quoniam, vt diximus, prima diuisio indidualis in composito ex forma substantiali, & materia diuisibili indiuidualiter intrà eandem speciem, est diuisio materiæ per quantitatem; primum autem in vnoquoque genere est causa cæterorum in eodem genere; ergo diuisio indiuidualis materiæ est principiū radicale, & primùm multiplicationis indiuidualis formę substātialis informatiuæ materiæ diuisibilis per quantitatem.

Obijcies vltimò: dictum est suprà, naturam, v.g. humanam in Petro, proùt contradistinguitur à petreitate, esse radicaliter singularem, & diuisam singulariter singularitate radicali à natura humana existente in Paulo, ob eam rationem; quia est diuisa à materia diuisione quantitatis extensiuæ. Sed hæc doctrina subsistere non potest; ergo falsum est, materiā signatā quantitate esse principium causale, & radicale multiplicationis indiuidualis, intrà eandem speciem in rebus materialibus constantibus ex materia, & forma. Minor, in qua est difficultas; probatur; quia tunc in ente potest dari vna ratio radicalis, & alia ratio formalis, quando prædictæ rationes sūnt ordinatæ, & institutæ ad diuersa munera; v.g. ideò datur in homine risibilitas formalis, & risibilitas radicalis; quia formalis est passio hominis, & est potentia proxima actuū ridendi, qui sunt in genere accidentis; radicalis verò est essentialis differentia constitutiua hominis, & radicale principium discurrendi: pariter in igne datur calor formalis, & radicalis; formalis est potentia accidentalis, qua ignis est formaliter, & proximè calefacere; radicalis verò est ipsamet forma substantialis ignis; similiter in substantia creata datur subsistentia formalis, & radicalis; quia natura substantiæ, siuè forma substantialis, non habet id quod prę stare potest illi subsistentia; quandoquidem remota subsistentia, essentia substantiæ, vel indiget extraordinario Dei influxu substētante illam in esse, vel indiget trahi ad subsistentiam alterius, quod indicat naturam substantialem in se ipsa nō habere id, quod subsistentia præstabat: at in casu nostro nō datur hoc duplex munus; nàm formalis singularitas datur ad constituendum indiuiduum; nimirùm in substantiam incommunicabilem pluribus inferioribus; sed hoc ipsum munus præstat seipsa adæquatè singularitas radicalis, si daretur; ergo nulla est distinctio intèr prædictas singularitates; ergo non est distinguēdum principium radicale multiplicationis indiuidualis à singularitatibus formalibus; sicut non liceret distinguere risibilitatem radicalem à formali, si radicalis nullum aliud munus haberet, quàm esse principium actus ridendi.

Nec

Nec dici poteſt, ſingularitatem formalem poni ad conſtituendum incommunicabile formaliter, & ad diſtinguẽdum vnum indiuiduum ab alio intrà eandem ſpeciem; etenim aliqua diſtingui numero formaliter, non aliud ſignificat, quàm eſſe plura intrà eandem ſpeciem; hoc autem habetur, præcisè per hoc, quod ſunt plura inferiora pluribus differentijs diuidentibus.

Reſpondeo, nego minorem; ad probationem reſpondeo primò, diſtinguo minorem: principium radicale, & principium formale ponuntur in aliquo, quando ſunt ordinata ad diuerſa munera ſubordinata, & concedo: non ſubordinata, & nego; in re noſtra, materia prima diuiſa quantitate, eſt ad diuerſa munera ſubordinata; materia enim prima, vt diuiſa quantitate, eſt principium radicale, vt eſſentia ſit ordinata ad plures, & diuerſas ſingularitates contrahentes, & diuidentes formaliter; ipſæ verò formales ſingularitates; quia ſunt rationes poſteriores, ſolùm complent eſſentiam diuiſam radicaliter in plures naturas, ſolo numero differentes.

Reſpondeo ſecundò; principium radicale, & principium formale ponuntur in ente, quando principium formale eſt ratio poſterior; omnis enim ratio poſterior ſupponit ſuam rationem priorem; ſingularitas in rebus materialibus, & vniuerſaliter in rebus creatis, eſt ratio natura ſua poſterior; quia eſt ratio extrà eſſentiam, tanquã rationem priorem adæquatam diuiſibilem per quantitatem; ergo debet præſupponere principium radicale, & primum multiplicationis indiuidualis. Inſtantia in oppoſitum ſoluitur; quia multiplicatio indiuidualis, alia eſt radicalis, & alia eſt formalis.

## ARTICVLVS NONVS.

### Vtrum Angeli eſſentia ſit multiplicabilis, ſaltem de potentia Dei abſoluta, ſolo numero intrà eãdem ſpeciem.

VNica Concluſio. Formę ſubſtantiales completæ in ſpecie, quales ſunt eſſentiæ Angelorum, nulla pacto poſſunt multiplicari ſola multiplicatione indiuiduali intrà eandem ſpeciem in eſſe naturali, etiam de abſoluta Dei potentia. Hęc concluſio non ſolùm eſt valdè controuerſa intèr Scotum, & S.Thomam; ſed etiam intèr principaliores Thomiſtas; nàm ex Thomiſtis, Capreolus *diſtinct.3.art.1.quæſt.3.ad 2.*& alij, interpetrantur S. Thomam loqui de facto; non autem de abſoluta Dei potẽtia: præterea multi alij Doctores ſunt, qui non poſſunt cognoſcere hanc impoſſibilem multiplicationem indiuidualem Angelorũ in eadem ſpecie ſimpliciter, & abſolutè loquendo. Concluſio eſt aperta ſententia S. Thomæ in *quæſtione de Angelis*. Caietani, *ibidem, & de ente, et de eſſentia cap. 7. qu. 7.* Heruei in *2.diſtinct.3. quæſt.2.* Egidij *quodl. 3.quæſt.2.*& aliorum. Quod hoc S.Thomas ſentiat, locus apertus eſt *p.p.quæſt.de Angelis*, vbi aſſerit, eſſe impoſſibile Angeli eſſentiam multiplicari ſolo numero intrà eandẽ dem ſpeciem, & loquitur S.Thomas de impoſſibilitate abſoluta; quoniam ratio à S. Thoma adducta, indicat impoſſibilitatem ex natura rei; ſumit autem motiuũ S.Tho. ad hoc dicendum ab Ariſtotile in *libris de Cęlo, cap.2.* vbi docet, ea eſſe vnum numero, quorum vna eſt materia, & *lib.7.Metaphyſicæ cap. 8.* vbi aſſerit, quæcumque numero plura ſunt, eſſe diuerſa in materia.

Neque valet reſponſio Aduerſariorum, qui dicunt, quod Ariſtoteles loquatur in rebus materialibus, non ſimpliciter in omnibus entibus: vel etiam, & eſt ſubtilior interpetratio, dicunt, quod Ariſtoteles loquitur affirmatiuè, quod vbi eſt materia, ibi ea radix eſt multiplicationis indiuidualis intrà eandem ſpeciem athomam, non tamẽ dicit ſimpliciter, quod vbi non eſt materia, talis multiplicatio non habet locum; quandoquidem eſt celeberrimus locus, vel auctoritas Ariſtotelis celeberrima *12. Metaphyſicæ text.49.* quo manifeſtè oſtendit, ſe locutum eſſe in prædictis locis vniuerſaliter; nàm Ariſtoteles loquitur vniuerſaliter hoc loco *12. Metaphyſicę*; nimirùm dicit quæcumque multa ſunt ſecundùm numerũ habere materiam; & ne dicatur Ariſtotilẽ loqui vniuerſaliter in creatis, indè colligit primam cauſam eſſe tantùm vnam; quia materia non habet: vbi diligenter notandum eſt, quod doctrina Ariſtotelis in ſempiternis intelligatur ſimpliciter, non de facto; in ſempiternis enim, quod ſemper notauit Commentator, idem eſt eſſe, & poſſe, quod aduertit etiam Scotus, qui non potuit non aſſerere, hanc eſſe mentem Ariſtotelis, quicquid nonnulli dicant in oppoſitum; in his auctoritatibus communiter Thomiſtæ fundati probant concluſionem, hoc medio.

Multiplicatio indiuidualis intrà eandem speciem athomam, est diuisio materialis; nimirùm, per diuisiua materialia materiæ; sed in Angelis implicat simpliciter esse materiam: ergò simpliciter, & absolutè implicat, Angeli essentiam multiplicari intrà eãdem speciem. Minor est certa; quia Angeli essentia est forma completa in specie; hæc autem negat à se simpliciter materiam, & constitutiuè, & receptiuè, ad differentiam animæ rationalis, quæ excludit a se materiam, vt sui partem constitutiuam intrinsecam; non autem, vt sui receptiuam. Maior probatur; quia diuisio adęquatè distinguitur in diuisionem formalem, siuè essentialem, & in diuisionem materialem; quia diuisio huiusmodi est in membra, quę reducuntur ad cõtradictoria; nàm diuisio formalis est per differentias intra essentiã; quia est per differẽtias essentiales; diuisio verò materialis est per diuisiua extra essentiã, quę metaphysicè dicuntur materialia; esse verò intrà, & esse extrà essentia reducuntur ad cõtradictoria, quæ sunt esse intrà, & non esse intrà essentiam, sicut esse per se, & esse in alio inhæsiuè; diuisio autem in membra, quæ reducuntur ad contradictoria, est adæquata; at diuisio indiuidualis intrà eandem speciem, non est formalis; quia hæc diuisio est per differentias essentiales specificas; quę autem differũt solo numero, sunt in eadem specie athoma specialissima; ergo est diuisio materialis, nimirùm per differentias extrà essentiam; sed istæ non sunt, nisi singularitates, quæ tanquam à prima radice, oriuntur ex diuisione materiali materiæ; quia diuisio indiuidualis materiæ, est extra essentiã specificã, vt sæpè repetiuimus; ergo, &c.

Secundò probatur; primum in vnoquoq; genere est causa cæterorum, quæ sunt post in eodem; sed diuisio indiuidualis materiæ, est primum in genere diuisionis materialis; quia materia est prima ratio materialitatis; diuisio autem materialis per quantitatem, est immediatior materiæ, &c.

Aliqui Thomistæ, hoc medio probant conclusionem: Angeli sunt formæ perfectę in specie sine materia; sed huiusmodi formę sunt absolutè, & simpliciter immultiplicabiles numero intrà eandem speciem; ergo absolutè, & simpliciter Angeli sunt immultiplicabiles numero intrà eandem speciem. Maiorem probant; quia Angeli sunt formæ irreceptibiles omninò, & simpliciter in materia; istæ verò sunt formæ perfectæ in specie immateriales; quia sunt independentes a materia, & constitutiuè, & terminatiuè. Minorem verò, in qua difficultas est, probant; quia forma perfecta in specie sine materia, habet totum esse, quod potest cõpetere suæ speciei; quia forma sine materia est tota species, perfecta nimirùm in sua latitudine specifica; sed totum esse, quod potest competere speciei, est immultiplicabile numero intra eandem speciem; quia esse totale, quod potest competere toti speciei, est in se omne esse specificum, quod nimirùm potest competere speciei; hoc autem esse vt sic, non potest habere aliud esse extrà se intrà eandem speciem; quia alioquin esset in se totum esse, quod potest competere speciei, & non esset: & hoc oritur, inquiunt, ex eo quod essentia Angeli non habet intrà se materiam, quæ contrahit formam, & minuit eius latitudinem formalem.

Hæc ratio acuta quidem est, mihi autem videtur deficere in hoc; quia probat essentiam Angeli esse totam in sua latitudine specifica; quia caret omninò materia, & constitutiua, & terminatiua, & consequenter fundatur in hoc; quia Auctores eius putant materiam secundùm se, nimirùm secundùm quod materia est, contrahere formam in sua latitudine formali specifica, quod est contra doctrinam S. Thomæ; Primò etenim S. Thomas docet etiam vnumquodque corpus cęleste esse immultiplicabilem solo numero intra eandem speciem, absolutè, & simpliciter; corpus autem cęleste, vt docet cum Aristotele *libris de Cęlo*, est compositum materia, & forma. Secundò, quoniam S. Thomas in omnibus suæ doctrinæ locis loquens de principio multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem, docet illud esse materiam signatam quantitate; nimirùm diuisam quantitate: at verò, quia huiusmodi materia signata quantitate non reperitur in corporibus cęlestibus; vnumquodque enim corpus cęleste est totum in sua specie, nimirùm, perfectum in tota sua latitudine specifica; idque probatur; quia vnumquodque corpus cęleste est diuersæ essentiæ, & naturæ à corporibus inferioribus; sed quodlibet corpus inferius constat ex materia diuisibili per quantitatem; ergo ex opposito, corpora cęlestia componentur ex materia non diuisibili per quantitatem, & hanc ob causam Aristoteles *in lib. de Cęlo*, appellat Cęlos quintam essentiam; nimirùm diuersæ essentiæ, seù naturæ ab omnibus corporibus elementaribus, & inferioribus; sed de hoc fusiùs probabitur suo loco. Ratio igitur à priori cur Angeli essentia est perfecta in sua latitudine specifica, nimirùm est perfe-

cta non solùm perfectione essentiali, quæ est ex omnibus prædicatis essentialibus; sed etiam perfectione intensiua, per quam scilicèt Angeli essentia, est vna, quæ est omnis essentia in sua latitudine specifica. Ratio, inquam, à priori est; quia Angeli essentia positiuè, & contrariè excludit à se materiā omnem diuisibilem per quantitatem; quandoquidem prima radix diuisibilitatis indiuidualis intrà eandem speciem, est diuisio indiuidualis materiæ; & probatur; quia diuisio indiuidualis intrà eandem speciem, est per differentias materiales: differentiæ verò materiales sunt differentiæ materiæ, vt suprà ostendimus.

Solet etiam prædicta ratio explicari alijs verbis, & redit in idem, sic: multiplicatio indiuidualis intrà eandem materiam dicit diuersitatem, siuè diuisionem; sed diuersitas, & diuisio, vel est secundùm formam, vel secundùm esse; neutra est in Angelis; quia sunt formę completę in specie immateriales omninò; hæ autem sunt formæ perfectæ in latitudine specifica, quarum quælibet habet totum esse, quod potest cōpetere suæ speciei; ergo sunt immultiplicabiles Angeli numero intrà eādem speciem. Explicatur hæc doctrina à S. Thoma exemplo valdè apto pluribus in locis, natura, v.g. humana in re, est diuisa in plures naturas humanas à suis diuisiuis indiuidualibus; siuè hæc diuisiua sint tantummodò differentiæ indiuiduales, siuè sit materiæ diuisio indiuidualis per quantitatem dimēsiuam; si natura humana mente abstrahatur à suis diuisiuis, quę abstractio possibilis est sine vlla falsitate; quia natura humana, vt docet S. Thomas *p.p. quæst. 3. ar. 3. in corp.* essentia, vel natura humana, comprehendit in se illa tantùm, quæ cadunt in definitione sua essentiali; nimirùm, quæ cadunt in definitione hominis; his enim, inquit, homo est homo, nimirùm animal rationale: in prędicta abstractione natura humana, siuè humanitas, erit vna natura humana, quæ est omnis natura humana in sua latitudine specifica; quia est seiuncta ab intellectu à principijs illam diuidentibus, & separantibus numero, & si vt sic descenderet ad realem existentiam, esset realiter vna natura, quæ est perfecta, & tota in tota sua latitudine specifica, quæ haberet totum esse, quod posset competere suę speciei, & hæc ipsa natura esset ob hanc totalitatem, & perfectionem immultiplicabilis numero intrà eandem speciem; secùs non esset tota in sua latitudine specifica. Hoc quod competit naturæ humanæ abstractę ab intellectu ab omnibus suis principijs indiuidualibus, virtute abstractionis, aut in abstractione, habet Angeli essentia ex se, & independentur ab omni abstractione nostri intellectus, quippè natura humana in abstractione, & nō in esse reali existentię, ex hypothesi prę-supponitur omnis humanitas, cum hac sola diuersitate; quia hoc competit naturæ humanę per abstractionem ab indiuiduantibus principijs; naturæ verò Angeli competit ex intrinseca perfectione, & totalitate suæ speciei in esse naturali. Explicari potest doctrina etiam à priori in natura Diuina; ratio enim cur natura Diuina realiter non sit diuisibilis in plures Deos; est quia natura diuina secundùm se, etiam vt est essentialiter hæc numero, est omnis essentia Diuina simpliciter, & absolutè, quod non potest dici in essentijs realiter diuisis speciei humanę; quia hęc numero humanitas, v. g. quę est in Paulo, non est omnis essentia humana, sed aliqua; pariter autem, natura Angeli, quæ est, v.g. in Gabriele, cum sit omnis natura specifica Gabrielis, est immultiplicabilis solo numero intrà eandem speciem.

Respondent primò Scotistæ: diuisionem indiuidualem intrà eandem speciem esse per diuisionem materię totius; non autem autem materiæ partis, siuè ea sint materia prima, quæ est subiectum receptiuum formæ substantialis, siuè sit materia secunda, siuè metaphysica, quæ est subiectum formę accidentalis in esse naturali; materia autem totius reperitur non solùm in entibus materialibus; sed etiam in entibus spiritualibus completis in specie.

Sed hæc responsio reiecta est suprà; quoniam materia totius sunt singularitates, siuè ecceitates formales, quę dicuntur indiuiduationes, siuè singularitates formales; non quia sunt differentiæ secundùm formam; sed ad distinctionem principij primi radicalis, siuè causalis, cur natura, siuè essentia, sit diuisibilis, & multiplicabilis solo numero intrà eandem speciem: at quæsitū in hoc articulo, est de diuisiuo solo numero radicali, & causali; non autem de diuisiuo solo numero formaliter; & ratio huius manifestissima est; quandoquidem non potest natura diuidi indiuidualiter intrà eandem speciem, nisi sit intrinsecè diuisibilis intrà eandem speciem specialissimam; huius autem intrinsecè diuisibilitatis debet assignari prima radix, siuè principium radicale; implicat enim dari effectum sine causa priori; hoc principium primum, & radicale multiplicabilitatis, non potest esse, nisi

materia diuisa quantitate, nimirùm diuisa solùm indiuidualiter; quia materia est primò diuisibilis per quantitatem: quantitas enim est proprietas materiæ, & est primũ simpliciter diuisiuum multiplicationis tantùm indiuidualis; proprium enim, & essentiale quãtitatis est, habere partes extrà partes, quod est prima radix multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem, quod prędicatum cæteris per aliud competit, & non per se, & primò; quantitas autem dimensiua, de qua nos loquimur, non potest reperiri, nisi vbi est materia, & remoto primo in vnoquoque, remouentur etiam secũda in eodem; & quia materia partis non reperitur, nec reperiri potest in Angelis, simpliciter implicat in Angelis diuisio sola indiuidualis intrà eandem speciem.

Quod si dicas: in Angelis, saltem de possibili, potest esse materia spiritualis, quæ est sufficiens principium multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem. Responsio in promptu est negando assumptum; Primò, quia hæc materia implicat, vt suo loco probabitur. Secundò, quia materia, quę est principium radicale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem, debet esse principium per se quantitatis dimensiuæ; materia autem spiritualis non potest esse principium quantitatis dimensiuæ, quę solùm est principium primum, vt diximus, diuisionis indiuidualis intrà eandem speciem.

Respondent secundò, naturam in omnibus entibus creatis esse intrinsecè diuisibilẽ solo numero; quia est essentialiter in potentia ad esse, quæ potentia cum non sit, neç esse possit in Deo, solummodò Deus est simpliciter immultiplicabilis solo numero. Probant assumptum; quia quodlibet genus prædicamentale est intrinsecè diuisibile vsque ad multiplicationem indiuidualem intrà eandem speciem, ob eam causam. Primò; quia in quolibet genere prædicamentali essentia est in potentia essentialiter ad esse; quia vnumquodque genus est limitatum intrinsecè; prima autem radix omnis limitationis est potentia ad esse. Secundò; quia hæc potentia ad esse est causa, vt vnũquodque genus prædicamentale sit diuisibile per plures differentias essentiales; radix autem huius diuisibilitatis est potentia ad esse; sed vbi est diuisibilitas per differentias essentiales reperitur etiam diuisibilitas per differentias indiuiduales intrà eandem speciem.

Sed hæc secunda responsio facilè eluditur; supponit enim primò Angelum in suo esse naturali, contineri in prædicamento substantiæ: hoc autem est falsum, vt infrà dicam; quia vnumquodque prædicamentũ est genus logicum; in Angelis autem in esse naturali est solùm genus physicum, quod est immultiplicabile; quia est totum in sua latitudine formali: dico in suo esse naturali; quia Angelus in esse, quod potest habere in intellectu intelligente illum ex quidditatibus materialibus, non repugnat, vt sit in prædicamento; nos autem hìc loquimur de Angelo in esse naturali. Secundò, supponit radicem primam multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem esse ex eadem radice, vndè est diuisibilitas formalis, siuè secundùm speciem, quod est falsum; Verum quidem est, quod genus diuisibile in plures species, est diuisibile etiam solo numero in specie infima, sed ex diuersa prima radice; diuisio enim generis in species est radicaliter à forma; diuisio autem sola indiuidualis est à materia signata quantitate vt à prima radice.

Cùm dicitur ab Opponente, Deum esse essentialiter singularem, quia est essentialiter suum esse. Respondeo hanc esse rationem vniuersalissimam cæterorũ, quæ sunt in Deo; quia hæc est essentia Dei, essentia autem est prima radix cęterorum: ratio verò specialis cur sit essentialiter singularis, scilicèt immultiplicabilis numero, est quia omninò immaterialis est, vt probat Aristoteles 12. *Metaphysicæ*, vel quia est essentialiter sola forma infinita in ratione formæ, per quam vltima particula differt ab essentia Angeli; essentia enim Angeli est sola forma, sed finita; & ideò Angelus est immultiplicabilis solo numero, quia est sola forma, vel quia in eo non potest esse materia; sed est radicaliter singularis, quia est forma finita sine materia diuisibili.

Ad secundam rationem, cum dicitur, Angelum esse in prædicamento substantiæ; quia in Angelo essentia non est essentialiter suum esse. Respondeo hanc rationem esse inadæquatam ad essendum in prædicamento; scilicèt est quidem ratio prima, sed inadæquata; sicut animal in homine, est quidem ratio prima, sed inadæquata hominis: ratio autem adæquata est; quia essentia Angeli non est essentialiter esse, vt forma receptibilis in materia diuisa, siuè diuisibili, quæ diuisio duplex, est alia specifica, & alia indiuidualis sub vno communi genere logico; hoc autem vltimum deest essentiæ Angeli, & ob hanc rationem diximus, intelligendum esse hoc de natura Angeli in suo esse naturali con-

considerata; non autem prout repræsentabilis est nostro intellectui cognitione inadęquata abstracta à cognitione, qua cognoscitur quidditas rei materialis, quę est multiplicabilis solo numero intrà eandem speciem.

Secunda ratio fundamentalis conclusionis est; quia Angeli essentia in suo esse naturali est sola forma completa in specie; sed hæc est immultiplicabilis numero intrà eādem speciem in esse naturali; ergo, &c. Minor, in qua est difficultas, probatur; quia sola forma completa in specie, est forma perfecta, & completa in sua latitudine specifica; quia in suo esse naturali non habet in in se vndè diuidatur; sed hæc est simpliciter indiuisibilis, & immultiplicabilis in plura numero in esse naturali; quia in suo esse naturali est vna, quæ est omnis natura in sua specifica latitudine; hæc autem non potest habere aliam naturam numero diuersam extrà se; secùs non esset vna, quæ est omnis in suo esse naturali; ergo, &c. Explicatur hæc ratio exemplo; natura, v.g. humana actu intrinsecè diuisa est in plura indiuidua, in quibus sunt plures naturę humanæ per diuisionem naturæ, quæ fit pluribus ecceitatibus, siuè singularitatibus, à quibus fundamentaliter natura est abstrahibilis abstractione sine falsitate; quoniam natura humana in sua definitione essentiali non includit singularitates, quibus multiplicatur; si autem natura humana abstrahatur à sua diuisione, statim redigitur ad vnam naturam, quæ est omnis natura humana, quia est abstracta à diuidentibus illam in plures naturas humanas; quæ si vt sic descenderet ad existendum realiter, daretur vna natura, siuè esset vna humanitas realiter, quæ est omnis natura humana in sua specifica latitudine, quæ haberet vnum esse, quod esset totum esse, potens competere omni naturę humanę, & extrà illam non posset addi alia natura humana, nec alius homo habens diuersam humanitatem realiter diuisam; quippè talis humanitas vna supponitur in hypothesi, quæ est omnis humanitas; totum hoc, quod haberet natura humana per abstractionem à differentijs illam diuidentibus, habet per essentiam natura Angeli in reali existentia; quia Angeli natura in esse suo reali, & naturali, non potest habere vndè diuidatur in plures naturas Angelicas solo numero diuersas; quia in esse naturali nullum potest habere sui diuisiuum, & limitatiuum primum, & radicale, quoniam hoc est receptiuum formæ diuisum, & multiplicatum solo numero; at essentia Angeli, cum sit sola forma completa in specie, nec habet, nec potest habere receptiuum sui; secus nō esset sola forma completa in specie, & hæc est ratio a priori, cur natura Diuina realiter non sit diuisibilis in plures naturas Diuinas; quia essentia Diuina hæc numero est omnis essentia diuina, quod non potest dici de essentijs realiter diuisis naturæ humanæ; quoniam hæc numero essęntia humana, scilicèt in Paulo, non est omnis essentia humana, ex quo manauit deceptio multorum, qui posuerunt naturam humanam realiter in pluribus indiuiduis.

Scotistę non aliam possunt afferre distinctionem ad hoc argumentum, nisi illam communem, quam explicauit Antonius Andreas, vt dixi articulo præcedenti, nimirùm formam completam in specie, licet nō habeat receptiuum sui, quod est materia, habet tamen sui receptiuum diuisiuum, quod est materia partis.

Sed hæc responsio, & distinctio ponit posterius sine suo priori, siuè secundum sine primo in eodem genere, quod implicat, & probatur; Primò, quia materia totius sunt plures diuersæ singularitates; istæ autem sunt secundæ rationes diuidentes indiuidualiter, quia sunt differentiæ materiales; differentiæ autem materiales supponūt, tāquam rationem primam, & materialem, materiam partis diuisam diuisione indiuiduali, quæ vt dixi, non potest esse, nisi per quantitatem: vis argumenti manifesta; implicant enim differentiæ materiales sine materia diuisibili prima; hæc autem non est, nisi materia partis, quæ est receptiua formæ; prius enim natura forma substantialis limitatur, & diuiditur per hoc, quod recipitur in materia diuisa quantitāte, quā recipiat in se singularitatem formalis, qua sit formaliter singularis.

Hanc ipsam conclusionem conantur ostendere aliqui Thomistæ alijs rationibus, quarum.

Prima est: per idem principium constituitur natura, & indiuiduatio naturæ in substantijs separatis, & emersis à materia; sed hoc posito non potest esse in Angelis diuisio indiuidualis, nisi Angeli differant etiam specificè; ergo non potest esse in Angelis sola differentia indiuidualis intrà eandem speciem athomam. Maior probatur; quia in abstractis à materia realiter, non est nisi forma, quæ est principium omnium, quæ sunt in ea, & constitutio scilicèt in specie, & distinctio indiuidualis.

Sed hæc prima ratio facilè solui potest à con-

contrarijs Auctoribus; possunt enim dicere, quod fundamentum, siuè principium allatum, verum est, quando identitas est formalis; vel, quod idem est, quando identitas est adæquata: falsum verò quando identitas est materialis, siuè inadæquata.

Explicatur distinctio: possunt exempl. g. aliqua identificari; nimirùm in vna existentia, siuè entitate, & esse actu formalitates diuersę, & plures; & è contra, aliqua possunt esse idem realiter, & formaliter, v. g. in vna forma substãtiali sunt plures gradus formales in vna simplici existentia; in essentia verò Diuina, essentia, & existentia sunt idem formaliter, in communiori opinione Theologorum; essentia enim in Deo essentialiter est existentia, existentia verò essentialiter est Dei essentia. Quando identitas est formalis, omnia, quæ prædicantur de vno essentialiter, prædicantur etiam de alio; quando verò identitas est tantùm entitatiua, siuè existentialis, ea quæ prædicantur de vno essentialiter non prædicantur de alio; quia eorum vnitas, siuè identitas, non est essentialis, siuè formalis; sed tantùm est entitatiua, siuè materialis. In re nostra, natura specifica, & gradus indiuidualis, sunt idem principium realiter siuè entitate materiali, non autem identitate formali, siuè essentiali; sicut, v. g gradus formales, siuè essentiales in vna forma substantiali sunt idem in entitate, siuè existentia, nō autem in formalitate, siuè quidditate; ideò non valet consequentia: multiplicatur indiuiduatio formalis indiuidualiter; ergo multiplicatur etiam differentia essentialis, & specifica: hæc distinctio eadem est cum distinctione, qua distinguitur identitas, in identitatem adæquatam, & in identitatem inadæquatam; quando sunt duę formalitates, etiam si sit identitas realis, siuè entitatiua, vna formalitas nō trahit aliã, ad sui quidditatem; quia non omnia, quæ prædicantur de vna formalitate, prædicantur de alia; quia identitas est inadæquata, est enim diuersitas secundùm formalitatem, identitas verò tantùm in entitate, scilicèt in existentia: hac ratione non valet hæc consequentia, Pater, & Filius in diuinis sunt idem formaliter, & per se in natura Diuina; ergo etiam sunt idem intèr se formaliter; quia identitas hæc formalis est inadæquata in Deo, ac proindè nec valet Personæ Diuinæ, sunt idem formaliter in vna numero essentia Diuina; sed essentia est communicabilis pluribus personis Diuinis, ergo quælibet Diuina persona adhuc est communicabilis alijs Diuinis personis. Neque à contrario valet consequentia, persona Patris est incommunicabilis, ergo ergo etiam Diuina essentia; ità dici potest in re præsenti, principium specificum, & principium indiuiduale, sunt vnum principium, non valet hæc consequentia, multiplicatur indiuiduatio formalis; ergo multiplicatur etiam principium specificum essẽtialiter, & specificè; quando verò identitas est adęquata, tunc quicquid dicitur de vno, dici debet de reliquo, vt diximus de essentia, & de existentia in diuinis.

Secunda ratio, quam alij afferunt, est hęc: per vnum, & idem principium substãtia constituitur in genere subalterno substantiæ spiritualis, et substantię in superiori gradu: vel etiam vnum, & idem principium est substantia spiritualis in eodem genere subalterno, & talis in specie infima, & tamen vno existente conceptu substantiæ vt sic, multiplicatur substantia spiritualis, & materialis: vel etiam omnes Angeli, qui specie infima differunt, conueniunt in vno gradu superiori substantiæ spiritualis; nam omnes Angeli sunt substantia spiritualis. Quod verò sit vnum, & idem principium, afferunt hoc exemplum contra Scotum; nam substantia superior ad spiritualem, & materialem, adhuc spiritualis est in serie spiritualium; nam, inquiunt, gradus talis superior substantiæ; non dicit differẽtiam corporis; ergo est gradus spiritualis substantiæ; & probatio eadem euidenter est de substantia spirituali, qui est gradus generis subalterni respectu substantiæ spiritualis constitutæ in specie vltima; nam differentia subalterna, est ratio spiritualis, sicut, & vltima differentia essentialis, & athoma.

Sed hæc ratio, primò à nobis soluitur simili distinctione; quia scilicèt vnitas in eis non est adæquata, & sunt formaliter diuersi gradus, quorum alter est genus, in quo inferiora; conueniunt alter verò est differẽtiam, per quam differunt: quantùm verò ad rationem, secundò manifestè refellitur, quoniam gradus substantiæ, qui concipitur superior contrahibilis à differentia spiritualitatis vt sic, non est positiuè spiritualis; sed negatiuè, siuè præcisiuè tantùm dicit possibilitatem, vt à differentia spiritualitatis contrahatur, & quidem nulla est differentia si ità dicatur, gradus substantię surior non est corporalis; ergò positiuè est spiritualis, namque non est corporalis abstractiuè, & negatiuè, & probatur; nam ex hoc, quod abstrahit à differentijs contrahentibus, solùm deducitur; ergo gradus superior

pe-

perior substantiæ est contrahibilis à differentia spiritualitatis, & corporeitatis; sicut in simili dicit Caietanus in *Opusc. de ente, & essentia*, natura secundùm se non est particularis, non valet consequentia; ergo est vniuersalis; quia natura secundùm se dicit tantū prę licata essentialia; cæterum gradus substantię, quatenùs spiritualis, quod est genus subalternum, si consideretur in ordine ad vltimam differentiam, est quidem spiritualis; sed non habet talem spiritualitatem, per quam, v. g. Angelus Michael vltimò constituitur in athoma specie Michaelis, nimirū gradus est cōtrahibilis ab vltima differentia, quę designatur per taleitatem spiritualitatis, sicut gradus animalis dicit rationem cognoscitiui vt sic; gradus verò rationalitatis dicit taleitatem cognotiui, per quam taleitatem constituitur natura in vltima, & athoma specie. Rationes demonstratiuas sententię S. Thomę, supra explicatas, acutus quidem Recentior pluribus rationibus contendit illas impugnare.

Prima ratio in oppositum est à priori ex conceptu formæ completæ; nàm ex carentia receptiui, natura abstracta habet solùm, quod sit forma completa, & perfecta in ratione essentiali, & intrinseca formæ; sed in toto hoc, non includitur vllo modo differentia indiuidualis adęquata illi rationi essentiali; ergo hanc differentiam indiuidualem non habet dicta natura ex carentia receptiui; ergo neque omnem perfectionem extentiuam, aut modum essendi adęquatum suæ speciei; & per consequens natura illa, est multiplicabilis in plura solo numero diuersa. Consequentia patet, maior etiam clara est; quia natura illa est essentia substantiæ immaterialis, secundùm sua essentialia pręcisè considerata; de ipsa enim vt sic loquimur; ergo ex sua immaterialitate, & carentia receptiui habet solùm, quod non sit forma partialis, & incōpleta ꝑ se ordinata ad aliā cōpartē, sicut anima rationalis; sed non vt sit completa, & perfecta in sua ratione essentiali, & perfectione intensiua. Minor probatur; nàm forma illa sit completa, solùm dicit, quod non est forma cōpleta per materiam, tamquam per compartem, seù quod non est completa natura per partes essentiales componentes; ergo in toto illo conceptu dictę formę, & maximè prout eo modo essentiali completa est, nullatenus includitur incommunicabilitas ad plura indiuidua, quæ est ratio differentiæ indiuidualis; cum eo enim essentiali complemento, non pugnat communicatio ad inferiora, quippè quæ soli singularitati opponitur, non totalitati illi simplici, & completo simplici; quia esse formam completam, idest, non partialem, sed totalem, est prædicatum communicatum formę abstractæ specificæ à forma abstracta generica, vt per se patet; ergò nullatenus includit rationem indiuidualem, alioquin etiam forma generica esset incommunicabilis ad plura inferiora.

Secunda ratio ex conceptu speciei limitatę; nàm species simpliciter limitata, qualis est Angelica, non potest esse formaliter species, & indiuiduum suæ naturæ adæquatum; sed talis esset, si esset immultiplicabilis numero intrà eandem speciem; ergo, &c. Minor patet; nàm non esset immultiplicabilis ex illimitatione simpliciter dicta; sic enim est sola natura Diuina; ergo tantùm ex illimitatione secundùm quid, scilicet intrà suam speciem; ergo intra illam etiam includeret, & adunaret non solùm radicaliter; sed etiam formaliter, omnem perfectionem, & essendi modum possibilem suæ naturę; ac ideò esset formaliter species, & indiuiduum suę naturę adęquatum. Maior etiam probatur, quia species illa, quatenus est formaliter species limitata, non est formaliter indiuiduum; tùm ex eo quia differentia eius specifica, vt sic non est formaliter generica; sed distinguitur saltem conceptu, ex diuerso modo constituendi, & distinguendi, alioquin esset differentia non specifica; sed purè indiuidualis etherogenea, vt multi volunt esse intèr animas rationales; tùm ex eo, quia species illa formaliter sumpta est adæquata per subiectionē, ad genus, & per rationem intellectiui, vel alio modo, quo sunt alię naturæ; ergo in tali concepta specifico, nullo modo includitur formaliter indiuiduum; ergo species limitata non potest esse formaliter indiuiduum, & species simul.

Neque dicas, inquit, eam speciem radicaliter tantùm esse indiuiduum adęquatum; habere verò formalem differentiam indiuidualem adęquatam, vt proprietatem consequentem; nàm.

Contra est; tùm quia illa species Angelica est formaliter spiritualis, & immaterialis; ergo formaliter est exclusiua materię, seù receptiui; at per Aduersarios est ratio quidditatiua; ergo includit in ratione speciei illimitationem positiuam, vndè resultat negatio limitationis ad indiuiduum non solùm radicaliter; sed etiam formaliter; ergo non potest esse illa natura specifica indiuiduum radicaliter tantùm, sed etiam formaliter; quia includit omnem perfectionem,

nem, & modum essendi, & indiuiduationem sibi possibilem; tùm quia natura illa specifica ne radicaliter quidem potest esse indiuiduum adæquatum; conceptus enim illius quidditatiuus secundùm se habetur adæquatè per subiectionem ad genus, & per rationem intellectiui; sed in hoc conceptu adæquato nulla includitur radicalis indiuiduatio totalis, & debent Aduersarij afferre implicantiam cur illa natura specifica in eo solo conceptu non possit plenè consistere.

Istæ, & consimiles rationes, distinctione fundata in secunda ratione ostensiua cõclusionis, facilè soluuntur. Ad primam enim.

Respondeo: distinguo maiorem ex carentia omnimoda receptiui formæ habet natura abstracta solùm, vt sit completa in specie essentiali, siuè quantùm ad essentiam speciei, & nego: vt sit completa in ratione essentiali specifica, & in tota sua latitudine formali specifica, & concedo: indiuisibilitas in plura solo numero differentia, non includitur in specie completa, solùm quantùm ad suam specificam essentiam, & concedo minorem: non includitur in specie completa, & in tota latitudine specifica, & nego: essentia autem Angeli, & vniuersaliter formæ completæ in specie, emersæ ab omni materia, & constitutiua, & receptiua, proùt est in suo esse naturali, essentialiter est immultiplicabilis in plura solo numero differentia; quia in suo esse naturali, non solùm est completa, quia constat ex suo genere physico, siuè metaphysico, & ex sua differentia physica, siuè metaphysica; sed etiam est completa in tota sua latitudine specifica; quia est vna essentia, quæ est omnis essentia in sua specifica latitudine, & ratio huius est; quia cum sit essentialiter sola forma, positiuè abstrahit ab omni diuisiuo indiuiduali intrà eandem speciem; forma enim indiuidualiter intrà eandem speciem non diuiditur, nisi per diuisionem sui receptiui, seù materiæ receptiuæ, essentia autem, quæ est essentialiter sola forma, seù irreceptibilis in suo esse naturali in materia, est non solùm completa in sua specifica ratione essentiali; sed etiam in sua latitudine formali, quæ, vt sic diximus, non potest habere aliam extrà se solo numero diuersam. Ad secundam rationem, qua dicitur, quod species limitata simpliciter non potest esse simul species, & indiuiduum limitatum suę speciei.

Respondeo: distinguo maiorem; species simpliciter finita, positiua excludens à se multiplicatiuum indiuiduale intrà eandem speciem, non potest esse species, & indiuiduum simul adæquatum radicale suæ speciei, & nego: non potest esse species, & indiuiduum, & species adæquata suæ speciei in creatis, & concedo; hoc enim est proprium solius naturæ Diuinæ, quæ in suo esse naturali, non solùm est singularis radicaliter; sed etiam formaliter, vt suprà ostendimus; quia immaterialitas Diuinæ essentiæ excludit positiuè non solùm materiam physicam; sed etiam materiam metaphysicam, quæ est essentia receptiua esse, cum Dei essentia sit essentialiter suum esse existentiale.

Neque ex hoc, quod Angeli essentia in suo esse naturali est essentialiter, & species, & indiduum radicale adæquatum suæ speciei, prærequirit vt sit infinita formaliter; nàm infinitum formaliter excludit omnem limitationem ad genus, & ad speciem; sed solùm prærequirit in priori naturę, vt sit perfecta, & completa, non solùm in sua specie essentiali; sed etiam in sua latitudine specifica; hæc autem perfectio simpliciter limitata est; quia est restricta non solùm ad genus; sed etiam ad speciem, & indiuiduum radicale adæquatum speciei. Neque sufficienter probatur infinitas huiusmodi formę completæ; ex eo quia habet in se omnẽ perfectionem possibilem intrà suam speciẽ; quia infinitas formalis, siuè ex parte formę, vt dixi, excludit limitationem ad genus, & ad speciem; duplex enim est infinitas, vt docet S. Thomas *p.p. quæst. 7.* & doctrinã sumpsit ab Aristotile, vt ipsemet testatur, alia est ex parte formæ, alia est ex parte materiæ; infinitas formæ, siuè secundùm formã, est actus, siuè forma absque vlla limitatione formæ, & potentię receptiuæ; infinitas verò materiæ, est ipsamet materia non limitata per formam: prima infinitas constituit infinitum in actu; secunda verò constituit infinitum in potentia, siuè syncathecorematicum; essentia Angeli, neque est infinita infinitate secundùm formam; quia hæc infinitas positiua excludit limitationem ad genus, & ad speciem; Angeli verò essentia est composita ex genere, & differentia metaphpsicis, neque est infinita infinitate secundùm materiam; quia hæc infinitas negat actum formalem, vt suo loco fusè probabitur, Angeli verò essentia includit omnem actum existentiæ, quæ potest competere suæ speciei tãtummodò, sed receptum in essentia; quia, vt dixi, est forma perfecta, & completa etiam in tota sua latitudine specifica.

Ne-

Neque huic doctrinæ obstat auctoritas S.Thomæ in *supracitat.qu.7. de infinitate Dei,art.2.in corpore*, vbi dicit, quod essentię Angelorum sunt infinitæ secundùm quid, quæ infinitas, est infinitas in genere; nàm S. Thomas solummodò *loco cit.*, docet, quod Angeli essentiæ sunt infinitæ secundū quid negatiuè, quatenùs scilicèt non terminâtur per materiam; nos autem hìc loquimur de infinitate positiuè.

Dices, quod de necessitate plures Angeli sunt multiplicati, & distincti solo numero intrà eandem speciem; quia in Angelis est diuisio generis in diuersas species; Angeli enim sunt intrà genus; solus Deus est extrà genus: sed diuisibilitas generis in diuersas species est radix diuisibilitatis adhuc in plura solo numero differentia; Primò, quia vbi est genus, est species, & vbi species, ibi multiplicabilitas in plura intra indiuidua, & probatur, quia genus est prædicabile de pluribus differentibus specie; species verò de pluribus differentibus solo numero; Secundò, quia diuisibilitas generis in plures species fundatur in potentialitate, non solum ad esse, sed etiam ad omnes gradus formæ multiplicabiles; sed multiplicatio indiuidualis intrà eandem speciem consequitur formam diuisam ex diuisione potentiæ genericæ; primum enim in vnoquoque genere est causa cæterorum; sed genus diuisum reperitur in omnibus suis speciebus, ac proindè est primum in omnibus suis speciebus; ergò in qualibet sui specie causat diuisionem speciei in plura solo numero differentia.

Respondeo: distinguo maiorem; essentię enim Angelorum dupliciter considerari possunt; vno modo, proùt sunt in suo modo essendi naturali; alio modo, proùt repræsentabiles nostro intellectui ex quidditatibus materialibus, quæ multiplicantur, & specie, & numero intrà eandem speciem; in Angelis secundo modo consideratis reperitur genus logicum, & species logica, nimirum genus, quod est prædicabile de pluribus differentibus specie, & consequenter, quod est intrinsecè diuisibile in plura differentia specie, & reperitur species logica, quæ est diuisibilis in plura solo numero differentia, & consequenter quę est prædicabilis de pluribus differentibus numero. Cæterum in Angelis primo modo consideratis reperiuntur solum genus metaphisicum, siuè physicum, & species metaphysica, siuè physica. Genus physicum, siuè metaphysicum, est totum, & perfectum, non solùm in sua essentia, sed etiam in sua latitudine formali: idem dico de specie metaphysica, seù physica, quorum vtrūque non est prædicabile de pluribus; quia non est diuisibile in plura inferiora; sed genus metaphysicum est totum genus in sua latitudine, sicut etiam species metaphysica tota, & perfecta est in tota sua latudine specifica. Nos hìc loquimur de Angelorum essentijs, proùt sunt in suo modo essendi naturali, quæ vt sic non sunt in prædicamento substantiæ, in quibus genus est diuisibile realiter in plura inferiora differentia specie, & species est diuisibilis in plura differentia solo numero: & radix huius est, quia ea quę sunt in prædicamento substantiæ, sunt receptibilia in materia diuisibili, non solùm per quantitatem, quæ est diuisibilitas indiuidualis intrà eandem speciem; sed etiam in materia diuisibili per dispositiones specie diuersas; forma enim ignis recipitur in materia ignibili, species aquæ in materia aquabili; hæc autem prædicata conueniunt materiæ, quatenùs antecedenter est disposita, vel dispositionibus ad formam ignis, vel dispositionibus ad formam aquæ.

Quod si dicas: Angeli conueniunt in genere, & disconueniunt in specie; quia omnes Angeli sunt forma irrecepta, & irreceptibilis in esse naturali; & hæc est genus, & quilibet Angelus habet propriam differentiam essentialem, quæ est intellectiuum vniuersalioribus, & minus vniuersalibus speciebus; sed ista conuenientia, & disconuenientia sunt prædicata generis logici, & differentiæ logicæ; ergo in Angelis in esse naturali datur genus logicum, & differentia logica, nimirùm quantùm ad naturam substratam genereitati, & specieitati logicæ.

Respondeo: distinguo minorem; Angeli, proùt sunt in suo modo essendi naturali, conueniunt in genere, & differunt specie essentiali, & nego; Angeli proùt sunt repræsentabiles nostro intellectui ex quidditatibus materialibus, in quibus est genus diuisibile intrinsecè in plura differentia specie, & species intrinsecè diuisibiles in plura differentia solo numero, & concedo: & in hoc sensu Caietanus in *Prædicabilibus capite de specie*, concedit in Agelis, genus, & speciem, & differentiam; & fundatur

propriè ſumantur, cum dicitur,quod natura Angeli non poteſt multiplicari ſolo numero intra eandem ſpeciem: quia hęc eſt materialis multiplicatio, quæ non poteſt reperiri in Angelo, qui eſt emerſus ab omni materia. Hæc ratio non caret petitione principij; quoniam vt medium aſſumit ipſam concluſionem, nimirùm, vel diſtinctionem numericam ſumi ex materia, vel idem eſſe differre numero, quod differre materialiter; hoc enim vniuerſaliter eſt falſum, poteſt enim dicere Aduerſarius hoc principium verificari in rebus tantùm materialibus, non autem in rebus immaterialibus independentibus à materia conſtitutiuè, & receptiuè, de quo eſt quæſtio: ſi verò diſtinctio, ſiuè diuiſio materialiter, & diſtinctio formaliter ſumantur in ampliori ſignificatione, diſtinctio, ſiuè diuiſio indiuidualis, latiùs patet, quam materialis differentia, ſiuè diuiſio; quia diuiſio indiuidualis reperitur etiam in ſpiritualibus, diuiſio verò materialis tantùm in rebus materialibus.

Reſpondeo cùm Caietano *Opuſcul. de ente, & eſſentia*, & alijs Thomiſtis, in hac quęſtione, diuiſionem formalem ſumi pro diuiſione, quæ fit per differentias eſſentiales; diuiſionem verò materialem, ſiuè materialiter, ſumi pro diuiſione, quæ fit per differentias extrà eſſentiam, vel per diuiſionem materiæ, quæ fit per quantitatem; hæc enim diuiſio eſt per diuiſiua extrà eſſentiam diuiſi.

Contra eandem concluſionem ſunt plures rationes, quas proponit Scotus in *loco ſuprà citato*, quas partim propoſuimus in pręcedenti articulo, & ſoluimus partim proponemus hìc.

Quarum prima eſt: animæ rationales ſunt formę totæ ſpirituales expertes materię, & tamen multiplicantur numero in eadem ſpecie; ſed eadem eſt ratio de formis Angelicis; quia adhuc iſtæ ſunt totę ſpirituales expertes materiæ. Secunda omnis quidditas quantùm eſt de ſe in creatis communicabilis eſt pluribus inferioribus; ſed hoc ſatis eſt, vt quidditas Angeli ſit multiplicabilis pluribus inferioribus ſolo numero differentibus; quia hæc ſunt inferiora, in quæ eſt diuiſibilis natura ſpecifica Angeli; ergò ſunt poſſibiles plures Angeli, qui in eadem natura ſpecificè communicent. Maior probatur; quia ſi omnis quidditas in creatis, quantùm eſt de ſe, non eſſet communicabilis; hæc incommunicabilitas, vel competeret quidditati in creatis ratione ſuæ perfectionis; ſcilicèt perfectionis ſuæ naturę, vel imperfectionis: neutrum obſtat, ergo, &c. Probatur minor; natura Diuina eſt ſummè perfecta, & tamen à Patre in Diuinis, eſt communicabilis per generationem filio, & per Proceſſionem a Patre, & Filio, Spiritui Sancto. Rurſus quidditas ſubſtantiarũ compoſitarum, eſt imperfecta, & tamen hęc communicabilis eſt pluribus indiuiduis ſolo numero diſtinctis. Tertia ratio: quidditas omnis in creatis eſt intelligibilis ſub ratione vniuerſalis; ſed hæc eſt plurificabilis numero; implicat enim intelligere naturam ſub ratione vniuerſalis, & illam eſſe eſſentialiter indiuiduam, ſiuè hanc; ſicut ob oppoſio implicat naturam Diuinam intelligi ſub ratione vniuerſalis; quia natura Diuina eſt eſſentialiter, ſiuè de ſe hæc; ſed natura, v.g. Angeli Michaelis, eſt intelligibilis ſub ratione vniuerſalis; quia poteſt intelligi natura Michaelis, non intellecta eius ſingularitate, ſiuè ecceitate etiam radicali. Quarta ratio: poteſt Deus creare vnum Angelum, & deindè annihilare illum, & eundem iterum recreare; ſed Angelus recreatus eſt diſtinctus numero ab Angelo annihilato. Quinta ratio, in *Quodlibeto 2. quæſtion. 2.* eſt, quod hæc doctrina S. Thomæ per plures articulos Pariſienſes eſt damnata. Scotum ſequuntur Riccardus *in ſecund. diſtinction. 3. articul. 5. quæſtion.* 1. Durandus *diſtinction. 2. quæſt. 3.* & alij.

Reſpondeo ad primam rationem, quod ſi S. Thomas voluiſſet formam eſſe immultiplicabilem in eadem ſpecie ſolùm; quia forma ſpiritualis eſt expers materiæ conſtitutiuæ, alienam à fide Catholica tradidiſſet doctrinam, quod de tanto Doctore non eſt dicendum; ſed voluit ſolùm formas totales in ſpecie expertes materiæ, tam conſtitutiuè, quàm terminatiuè, eſſe omninò immultiplicabiles numero in eadem ſpecie: Scotiſtæ opinantur S. Thomam voluiſſe eſſentiam Angeli eſſe immultiplicabilem numero in eadem ſpecie; quia eſt forma ſpiritualis vt ſic, quod ſi verum eſſet obtinerent intentum Scotiſtæ; ſed ratio, qua S. Thomas demonſtrauit Angeli eſſentiam eſſe in ſuo eſſe naturali ſimpliciter indiuiſibilem ſola diuiſione indiuiduali, fundatur in hoc medio; quia eſſentia Angeli in ſuo eſſe naturali eſt forma perfecta, & completa, non ſolùm in ſpecie eſſentiali; ſed etiam in tota ſua latitudine formali ſpecifica; at verò, quod doctè, & accuratè notauit Caietanus *de ente, & eſſentia loc. citat.* ſunt formæ ſpiritua-

tuales partiales, quæ sunt expertes tantummodò materiæ constitutiuæ, non autem terminatiuę, siuè receptiuę; forma enim rationalis est essentialiter receptibilis in materia signata quantitate, seù diuisa indiuidualiter per quantitatem, quæ est vt sic prima radix multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem.

Sed contra vrgent Scotistæ primò; quia Deus potest creare hanc animam, & illam nulli debitam materiæ; sed in hoc casu adhuc multiplicantur animæ rationales sine vllo ordine ad materiam induidualem, solùm pro diuersitate graduum animam indiuiduantium, & multiplicantium indiuidualiter; ergo similiter possunt esse plures Angeli numero distincti, etiam si non dicant ordinem ad materaim.

Respondeo primò falsam esse maiorē: nàm sicut anima rationalis est intrinsecè forma, per intrinsecum ordinem ad materiam receptiuam suam compartem; ità hæc anima est hæc forma per ordinem intrinsecum ad hanc numero materiam; non enim potest anima rationalis esse diuisa ab alia indiuidualiter, nisi dependenter à materia, vt diuisa indiuidualiter; implicat enim secundum esse sine primo; at prima diuisio indiuidualis est diuisio materiæ per quantitatem; ergo, &c.

Respondeo secundò: concedo maiorem, & nego minorem; etenim anima rationalis, licet præsupponatur debita huic, vel illi corpori vago, & indeterminato; semper tamen est forma imperfecta receptibilis in materia diuisibili per quātitatem, vndè habet esse consequenter multiplicabile; secùs est de Angelis, qui cum sint formę totales, de se in esse naturali in sua latitudine formali specifica habent esse totale, & perfectum, & vnicum, & consequenter immultiplicabile.

Neque dicas, quod diuisio indiuidualis animæ rationalis, præcedit diuisionem materiæ indiuidualem; anima enim rationalis recepitur, vt diuisa ab alia in materia, non autem, vt diuisibilis diuisione materiæ; nàm.

Contra est; quia Deus creat animam rationalem in materia prædisposita, & diuisa ab alia materia alterius animæ rationalis, & ratio huius à priori est; quia primum in vnoquoque genere est causa cæterorum in eodem; sed in genere diuisionis materialis, prima diuisio est diuisio materiæ per quatitatem; quantitas enim dimensiua est proprietas immediatè sequens materiam, quæ in vno, & eodem prior est, quàm forma, non solùm vt diuisibili; sed etiam vt diuisa.

Quod si dicas materia causatur à forma; quia non existit nisi existentia formæ, hoc est habet, vt sit actu dependenter à forma. Respondeo materiam causari à forma in genere causæ formalis, vt effectum secundarium; e contra verò, formam causari à materia in genere causæ materialis; causę enim sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere causæ, eo quod quælibet causa creata est adæquatè in suo genere tantùm, inadæquatè verò in genere causæ simpliciter: nos hic loquimur de principio radicali multiplicationis indiuidualis formæ in eadem specie; hæc autem diuisio indiuidualis, est diuisio materialis modo exposito. Hanc doctrinam profundè explicat S. Thomas *p. p. question. 7. articul.* 1. in corpore, dicens, quod materia finitur per formam, & forma per materiam; materia quidem per formam in quantùm materia, antequam recipiat formam, est in potentia ad multas formas; sed cum recipit vnam, terminatur per illam; forma verò finitur per materiam, inquantùm forma secundùm se considerata communis est ad multa; forma enim inquantùm forma, non habet vt sit hæc, vel illa; sed est hæc determinata, per hoc quod receptibilis est in hac materia.

Vrgent secundò Aduersarij, & replica sumitur a Valentia, in *quæstione de Angelis*, potest natura substantiæ variare vnam, & aliam subsistentiam; nimirùm potest variare vnam subsistentiam per tractum ad aliam; quia subsistentia est extrà rationem, & conceptum naturæ sine vlla præcedente diuisione materiæ per quantitatem; ergò similiter natura substantię poterit variare hunc, vel illum gradum indiuidualem sine vlla diuisione materiæ, quod intelligitur, & explicatur exemplo materiæ, quæ eadem est in genito, & in corrupto, quantùm ad suum esse essentiale; sed penès gradum indiuidualem, alia est positiuè indiuidualiter in genito, & alia in corrupto, & ratio huius est; quia gradus indiuidualis, siuè ratio cōstituens naturam hanc singularem, est extrà essentiam specificam; ergo habetur multiplicatio indiuidualis positiua sine vlla intrinseca diuisione materiæ; ergò falsum est materiam signatam quantitate esse principium primum, & radicale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem.

Respondeo: distinguo antecedens, & consequens, si subsistentia, & singularitas sint naturæ non totalis intrà suam specificam

cam

cam latitudinem, & concedo: si subsistentia, & singularitas, sint naturæ perfectæ, & totales in sua latitudine formali, & specifica, & nego: nàm natura totalis, & perfecta in sua latitudine singulari, & specifica, est essentialiter singularis singularitate radicali; est enim de se intrinsecè multiplicabilis solo numero intrà eandem speciem in esse naturali; at in naturis multiplicabilibus indiuidualiter intrà eandem speciem, quæ sunt naturę imperfectę in latitudine formali specifica, singularitas, tàm formalis, quàm radicalis, est extrà conceptum quidditatiuũ naturę. Cum verò dicitur ab Opponente, quod habetur diuisio indiuidualis in eadem specie, sine vlla diuisione intrinseca materię, vt est manifestum in exemplis suprà positis.

Respondeo, quod dupliciter materia potest dici non diuisa, vno modo positiuè, alio modo positiuè; negatiuè est indiuisa per negationem diuidentium, sicut materia est vna negatiuè in genito, & in corrupto per negationem diuidentium; positiuè verò est indiuisa per vnionẽ cũ vno ex diuidentibus singulariter. Materia, quę est in genito, & corrupto, vt indiuisa negatiuè, pręcedit, & in quantitatem geniti, & quantitatem corrupti, quibus diuiditur positiuè; sed sic non est principium primum, & radicale multiplicationis indiuidualis intrà eandem speciem; quia, vt dixi, principium hoc radicale, & primum non est materia secundùm se; sed est materia, vt signata quantitate, modo suprà expostio.

Ad secundam rationem principalem respondeo: distinguo minorem, omnis quidditas de se incompleta in sua latitudine formali specifica est communicabilis pluribus cum sui diuisione, & concedo; omnis quidditas completa in suo esse naturali est communicabilis pluribus inferioribus, & nego; & hęc est ratio diuersitatis, natura quæ est perfecta, & totalis in sua latitudine formali, & specifica, est essentialiter singularis in suo esse naturali, singularitate, nimirùm radicali; singulare autem est indiuisibile in plura inferiora, quod etiam aduertit Suarez loco præallato *num.* 28. *fine*; Aduersarij verò opinãtur nullã quidditatem vniuersaliter in creatis posse esse perfectam, & completam in sua latitudine specifica, & indè est, vt dicant omnem quidditatem prędcindere à singularitate etiam in creatis. Cum verò Scotus inquirit, an immultiplicabilitas indiuidualis repugnat quidditati Angelicæ ratione sụę perfectionis, an ratione suæ imperfectionis.

Respondeo: repugnare diuisibilitatem naturalem naturæ Angelicæ ratione perfectionis, quam habet in sua latitudine specifica; vt ostendimus; Diuina verò natura est omninò immultiplicabilis numero, non propter perfectionem in latitudine formali specifica; quia hęc latitudo est limitata ad genus, & ad speciem; Deus verò est extra omne genus; sed propter perfectionem in tota latitudine formali entis. Quod denic; dicitur de natura diuina, quæ est communicabilis pluribus personis per diuersas origines, non facit ad rem; quia hic loquimur de communicatione cum diuisione intrinseca naturę; at natura Diuina communicatur Diuinis personis eadem numero, consequenter sine vlla diuisione intrinseca, quod conuenit naturæ Diuinæ ob suam illimitationem simpliciter. Ad tertiam rationem.

Respondeo primò: concedo maiorem, & nego minorem; quia natura Angeli in suo esse naturali, est essentialiter indiuidua; siuè singularis singularitate radicali, vt ostendimus; implicat autem singulare essẽtialiter, siuè formaliter, siuè radicaliter intelligi sub ratione vniuersalis; quia natura est vniuersalis per abstractionem à singularitate; vniuersale enim opponitur particulari: at singulare non potest abstrahi à singularitate, quod doctè aduertit Suarez *loco præallato numer.* 28. quia hęc abstractio est contra eius naturam, & essentiam, sicut cõstat apertè in natura Diuina, quę implicat vt intelligatur sub ratione vniuersalis; quia in suo esse naturali, & reali, est essentialiter singularis.

Respondeo secundò: distinguo maiorem; omnis quidditas intelligibilis sub ratione vniuersalis, absque contradictione est plurificabilis numero, seruata eadem suppositione terminorum, & concedo: non seruata eadem suppositione terminorum, & nego: dupliciter autem quidditas, siuà natura est intelligibilis sub ratione vniuersalis; vno modo modo intelligibilitate physica, alio modo intelligibilitate logica; intelligibilitas physica est, quando natura in suo modo essendi naturali, quo est in se ipsa intelligitur, siuè intelligibilis est sine omni singularitate; intelligibilitas verò logica est, quando natura in modo essendi, quem habet in intellectu, intelligitur non intellecta eius singularitate; seruatur eadem proportio terminorum, quando natura, quę intelligitur physica intelligibilitate, est plurificabilibis numero adhuc physicè, nimirùm in esse suo naturali, quo est in se, & extra intel-

formali, est immultiplicabilis. Tertiò, articuli Parisienses, in quantùm tangunt, vel tangere possunt doctrinam S. Thomæ, fuerunt reuocati per Dominum Stephanum Episcopum Parisiẽsem anno Domini 1325. die Iouis, antè Sacras Cineres, vt patet in literis, quæ incipiunt. *Magistra rerum experientia*; & quidem vniuersitas Parisiensis appellat S. Thomã gloriosum, vniuersale lumen vniuersalis Ecclesiæ, gemmã radiantem, Clericorum speculum, clarissimum fontem Doctorum, vniuersitatis Parisiensis Candelabrum insigne, & lucens. Prçtereà plures Summi Pontifices declararunt doctrinam S. Thomæ, & iusserunt eam sequendam esse, tanquam veridicam, & catholicam; nàm Vrbanus Papa VI. *in extrauaganti. Laudabilis Deus.* Ad vniuersitatem Tolosam, sic scribit. Volumus in super, & tenore præsentium vobis iniungimus, vti dictis Beati Thomç, sectemini doctrinam tanquam iuridicam, & catholicam, eandem studeatis totis viribus, &c. & Innocentius VI. *serm. 5. de laudibus* S. Thomæ: Ecce plusquam Salomon hic: huius Doctoris doctrina, inquit, præçeteris, excepta canonica, hadet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sentẽtiarum, ità quod nunquam, qui eam tenuit, inueniatur à tramite veritatis deuiare, & qui eam impugnauerit, semper fuit de veritate suspectus.

Obijcies vltimò: essentia vnius Angeli, non adequat gradum perfectionis, in quo est participatiua Diiuinæ perfectionis; sed hoc est sufficiens, vt sit multiplicabilis solo numero intrà eandem speciem; ergo absolutè, & simpliciter essentia Angeli est multiplicabilis solo numero intrà eandem speciem; Maior patet; quia essentia vnius Angeli infinite distat à Deo, vt est participabilis ab illa. Minor verò probatur; quia hçc inadæquata participatio refert ab essentia Angeli totalitatem formæ in sua latitudine specifica. Hçc obiectio difficillior est cçteris; eam tamen soluo, quantùm nunc satis est non difficilè.

Respondendo: concedo maiorem, & nego minorem, & ratio negationis est, quia causa cur essentia Angeli sit implurificabilis numero intrà eandem speciem, est totalitas formæ, & esse, quam totalitatem habet Angelus, ex eo quod est irreceptibilis in materia diuisa quantitate; hæc enim totalitas tantummodò sufficit, vt non sit plurificabilis numero; Aduersarij autem opinãtur causam implurificabilitatis numero esse; quia quidditas adæquat gradum, in quo prima causa est participabilis in ratione formæ adæquatæ; vndè argumentum procedit ex non causa, vt causa: de hoc iterum sermo erit in quæstione de infinito.

---

## ARTICVLVS DECIMVS.

### Vtrum ens creatum sit vniuocum suis inferioribus.

PRæcedente quæstione demonstrauimus ens reale, quod dicitur de Deo, & de Deo, & de creaturis secundùm se non esse vniuocum; sed tantùm analogum, analogia causæ, & effectus, Deo, & creaturis: nunc examinandum proponimus, an ens creatũ possit esse vniuocum creaturis sibi inferioribus, quod est quæsitum valdè celebre intèr Metaphysicos.

Ens reale creatum, de quo controuerti potest articulus, est multiplex; primò enim diuiditur in ens creatum formaliter, proùt contradistinguitur ab ente reali materialiter; & in ens reale creatum, quod in vnum confundit ens creatum formaliter, & ens creatum materialiter: ens creatum formaliter dicitur, ꝙ est ens sua ratione formali, vel entitate propria; ens materialiter, quod est ens entitate sui modificati: ens verò, quod vtrumque confundit, explicatur his verbis; id quod est, vel esse potest extra nihilum reale, siuè possibile; nàm his verbis confunduntur in vnum, ens formaliter, & ens materialiter; vtrumque enim est id, quod est, vel esse potest realiter; sed alio, & alio modo, qui modi confunduntur in hoc, quod dicitur, id quod est, vel esse potest realiter.

Ens creatum formaliter, vt sæpè repetiuimus, aliud est, quod abstrahit ab ente completo, & ab ente incompleto; tam in specie, quàm in genere entis: ens completum in specie, est, v.g. homo, vel equus: ens incompletum in specie est materia, vel forma, quarum quælibet est pars intrinseca componens: ens completum in genere entis est ens actu existẽs, ens in genere incõpletũ entis est, vel sola essentia, vel sola existentia recepta in essentia; his enim tantùm componitur intrinsecè ens existens: & aliud est ens completum secundùm quod est primus gradus omninò graduum, qui sunt in quolibet ente completo, siuè in specie, siuè in genere entis; hæc diuisio entis formaliter

ter in ens abstrahens à completo, & incompleto; & in ens completum secundùm, quod est primus gradus omnium existentium in ente completo; Comprobatur primò auctoritate; quia omnes Metaphysici dicunt ens, quod diuiditur in decem prima genera prędicamentalia, esse ens completum; hoc autem non potest esse aliud, nisi ens, quod est primus gradus omnium graduum, qui sunt in quolibet ente completo, collocato in recta linea prædicamentali, quod etiam dici solet ens abstractum tantummodò ab omnibus entibus completis. Sed melior videtur prima explicatio, & ratio est clara; quia ens reale, quod diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, commune est primis tantùm generibus; quia diuiditur tantùm in decem prima genera immediatè: sed quodlibet genus prędicamentale est ens completum, vt primus gradus in quolibet prædicamento diuisibili directè in species, quę ponuntur in recta linea prædicamentali. Secundò, probatur paritate; quia hæc diuisio est persimilis diuisioni, qua communiter à Metaphysicis, & Scholasticis, diuiditur substantia creata in substantiam, quæ contradistinguitur ab accidente, & in substantiam secundũ quod est genus primum prędicamẽtale; substãtia primo modo abstrahit à substãtia cõpleta, & incõpleta; tàm in specie, quã in genere entis; substantia verò secundùm quod est genus primum prædicamentale. est primus gradus substantiæ omnium graduum inferiorum, qui sunt in speciebus, quæ collocãtur in recta linea prędicamentali; ergo pariter ens reale creatum formaliter, rationabiliter diuiditur in ens creatum formaliter, quod contradistinguitur ab ente creato materialiter; & in ens formaliter, quod est primus gradus omnium gradunm, qui sunt in entibus completis in specie in recta linea prædicamentali: de his omnibus entibus controuertitur articulus.

Prima conclusio. Ens creatum, quod confundit in vnum ens creatum formaliter, & ens creatum materialiter, secundùm se, non est vniuocum suis inferioribus, neque metaphysicum, neque logicum cum fundamento in re in ipsa vniuoci natura. Termini ex parte explicati sunt *quæstione precedente*, vbi diximus duplex esse vniuocum, aliud metaphysicum, & aliud logicum; metaphysicum est, quod distinguitur ex natura rei à differentijs, siuè modis illud diuersificantibus, siuè diuidentibus, vt (v.g.) est animal, vel rationale in homine, & hoc propriè dicitur vniuocum in re, non quidem per identitatem formalem; sed per omnimodam similitudinem; vniuocum enim per omnimodam identitatem formalem, non reperitur nisi in Diuinis personis, in quibus reperitur vna Deitas singularissima communicata tribus Personis sine vlla intrinseca diuisione per diuersas origines; & hoc vniuocum per omnimodam similitudinem, aliud est totale, & aliud est partiale, totale dicit omnimodam similitudinem in tota essentia, vt sunt natura humana in Petro, & natura humana in Francisco; vniuocum verò partiale dicit omnimodam similitudinem, siuè conuenientiam in aliquo prædicato essentiali non in tota essentia, vt est animal secundùm se in homine, & in bruto, vel rationale in Petro, & in Paulo; dico animal secundùm se; quia animal dupliciter potest considerari; vno modo secũdùm suam quidditatem, alio modo secundũ esse, quod habet in suis speciebus; primò, modo animal est vniuocum; sed inadęquatum; secundo modo, est analogum inæqualitatis; quia non habet rationem substantię significatæ vno communi nomine, omninò similem in suis vniuocatis; perfectius enim esse habet in homine, quam in bruto.

Vniuocum logicum, quod dicitur vniuocum in sola ratione ad differentiam vniuoci metaphysici, quod est vniuocum in re, est quod præscindit, vel præscindibile est à differentijs, siuè modis illud diuersificantibus, siuè diuisibile est à modis illud diuersificantibus, non ex natura rei; sed ratione illud concipiente inadæquata cognitione; & hoc aliud est, quod habet fundamentũ suæ distinctionis in sua natura in re; & aliud est, ꝙ habet fundamentũ diuisionis, siuè abstractionis, non in sua natura; sed in alijs, ex quibus est cognoscibile ab intellectu (ex.g.) in opinione illorum, qui non distinguunt ens formaliter in creatis à suis modis diuidentibus ex natura rei; quia opinãtur idem formaliter esse in substantia ens, & tale ens: ens distinguitur à tali ente cum fundamento in ipsa natura entis creati; hoc autem fundamentum; est quia ens formaliter trascendit intrinsecè perseitatem, & inalcitatem in creatis; sed non vt prædicatum formale, sicut includitur modalitas in modis particularibus intrinsecis. Modus verò intrinsecus, vt modus intrinsecus formalitur distinguitur ratione inadæquata à tali, vel tali modalitate particulari; sed fundamentum huius distinctionis non est in ipsa quidditate modi intrinseci; sed in alijs quidditatibus, ex quibus repræsentatur intelle-ctui

ctui, siuè ex quibus cognoscitur à nostro intellectu; nàm modus intrinsecus vt sic cognoscitur conceptibus consimilibus, quibus cognoscuntur genus, & differentiæ, quæ distinguuntur ex natura rei; potest enim simile cognosci ex consimili, vt docet Caietanus *Opuscul. de nominum analogia*, & hæc distinctio, siuè præcisio modi intrinseci à tali, vel tali modo, habet fundamentum non in ipsa natura modi; quia modus intrinsecus includitur in tali, vel tali modo, vt prædicatum essentiale formale, vt diximus; ad abstractionem autem, vt docuimus cum S. Thoma in 3. *de Anima*, requiritur, vt vnum, non includatur in ratione alterius; at modus intrinsecus includit in sua ratione modali modalitatem particularem, & è contrà includitur in sua modalitate particulari, & probatur; nàm si aliqua esset ratio in oppositum, ea esset; quia in re, vera est conuenientia, & disconuenientia vnius modi cum alio modo, & ab alio modo; qui enim concepit modum intrinsecum habere conuenientiam cum alio modo intrinseco in ratione modi, non fingit falsum; sed verè concipit conuenientiam, licet diminutè; sicut, v. g. in Diuinis concipitur vnum attributum diminutè, & tamen non confingitur, pariter intellectus: conceptibus inadæquatis, & imperfectis cognoscit conuenientiam inter modum intrinsecum, & modum, & non disconuenientiam, & è conuerso, & tunc erit abstractio imperfecta quidē; quia nō est secūdùm conceptus inadæquatos: at hæc ratio non conuincit; ergo, &c. Probatur minor, quia hæc conuenientia, & disconuenientia, non sunt conceptibiles in modo intrinseco per se; quia modus intrinsecus, cum non sit ens formaliter, non est conceptibilis per se; sed concipiuntur in modo, ex genere, & differentia, quæ in entibus creatis distinguuntur ex natura rei, & radix huius doctrinæ est; quia modus vt sic est analogus proportionis, analogum autem in illo ipso, in quo dicit conuenientiam essentialiter dicit disconuenientiam; hęc autem inclusio essentialis, potius impedit, quam conducit ad abstractionem vnius ab alio.

In hac conclusione dicimus, quod ens creatum vt sic, quod confundit, & ens materiale, & ens formale, tàm in vno, quàm in diuersis indiuiduis, non est vniuocum suis inferioribus, neque metaphysicum, neque logicum cum fundamunto in ipsa quidditate entis realis vt sic; In hoc sensu opinor loquutos esse omnes Metaphysicos, qui dicunt ens reale creatum esse analogum, & non vniuocum.

Fundamentum conclusionis est, quoniam vniuocum metaphysicum in illo ipso, in quo dicit similitudinem, aut conuenientiam, aut vnitatem, non includit differentias essentialiter diuersificantes; quia vniuocum contradistinguitur ab analogo; sed non ex alio capite distingui potest, nisi ex eo, quia in illo ipso, in quo dicit essentialiter conuenientiam, vel similitudininem cum alio, non includit essentialiter differētias diuersificantes; at ens creatum vt sic in eo ipso, in quo dicit ens, in quo est conuenientia, includit etiam essentialiter modos diuersificantes; nàm includit essentialiter in ratione entis esse ens formaliter, & ens materialiter; ens enim creatum vt sic dicit quod est extrà nihilum reale, hoc autem imbibit, quod est extrà nihilum formaliter, & quod est extrà nihilum materialiter; sed isti sunt modi essentialiter diuersificantes ens; ergo, &c.

Dicet fortè aliquis; vniuocum metaphysicum (quod etiam intelligendum est de vniuoco logico perfecto, quod habet fundamentum in ipsa intrinseca natura vniuoci) debet abstrahere fundamentaliter à taleitatibus determinatis suorum inferiorum, non autem à taleitatibus, siuè à modis secundùm, quod dicunt conceptum conuenientiæ quia hæc abstractio tantummodò sufficit ad vniuocationem saltem logicam perfectam; sed hanc abstractionem fundamentalem habet ens reale vt sic in creatis; scilicèt id quod est, vel esse potest reale; de hoc enim ente hic loquimur; ergo, &c.

Respondeo: nego maiorem, vniuocum enim debet abstrahere à differentijs essentialiter diuersificantibus, non solùm in particulari, sed etiam in communi, & in generali, quoniam vniuocum, vt dixi, debet esse omninò simile in suis vniuocatis; hæc autem omnimoda similitudo non potest esse, nisi vniuocum perfectè præscindat à differentia non solum particularibus, sed etiam in generali. Explicatur hæc ratio exemplo consimili de indiuiduo vago, quod in omnium opinione est analogum proportionis, saltem eo quod non potest abstrahi ab indiuiduis determinatis saltem in generali; & ratio

tio omnium est; quia vniuocum debet esse vnum perfectum, non quidem per identitatem formalem; sed per omnimodam similitudinem ad differentiam analogi, quod formaliter non est vnum, sed plura, vt proportionaliter similia.

Secunda conclusio. Ens creatum formaliter, est vniuocum metaphysicum omnibus entibus creatis formaliter, tàm completis, quàm incompletis; siuè in specie, siuè in genere entis: termini conclusionum iam explicati sunt in præcedentibus dictis; & quidem conclusio est valdè controuersa inter Metaphysicos; complures enim mordicùs tuentur ens creatum formaliter, idest, quod sua ratione, siuè sua entitate est ens, esse analogum formaliter, analogia saltem proportionis intrinsecè, quod sequitur Suarez in *metaphica disputation.2.* & inter recentiores *Hieronymus Fasolus in p.p.S.*Thomæ *in quæstione de simplicitate Dei, dubitation.5.* quorum fundamentum principale est; quia ens creatum formaliter inquantùm ens, intrinsecè includitur, non solùm in omni ente formaliter, tàm completo, quàm incompleto; sed etiam in omnibus modis intrinsecis entis formaliter, siuè completi, siuè incompleti; sed hæc inclusio intrinseca tollit ab ente creato formaliter vniuocationem; quia tollit ab ente creato formaliter abstractionem fundamentalem perfectam, & diuidentem à modis, siuè differentijs, quibus ens formaliter creatum diuersificatur essentialiter; etenim ob hanc intrinsecam, & essentialem inclusionem facta abstractione entis formaliter à modis intrinsecis suorum inferiorum, adhuc modi, qui remanet sunt intrinsecè ens. Præthereà ens creatum formaliter non habet in se, vnde distinguatur à modis intrinsecis suorum inferiorum; quia distinctio consequitur taleitatem, seù determinationem entis; at ens creatum formaliter, nullam in se dicit taleitatem, siuè determinationem diuisiuam; dicit enim essentialiter ens formaliter, quod est sua entitate, siuè sua ratione formali extrà nihilum realiter; sed in hoc conceptu nulla includitur taleitas, siuè intrinseca determinatio; ergo ens creatum formaliter non distinguitur ex natura rei à modis intrinsecis, quibus diuiditur ad sua inferiora; sed ob hanc rationem ens creatum formaliter est analogum, non vniuocum metaphysicum; ad vniuocum enim metaphysicum requiritur, vt non includat in ratione substantiæ significatæ vno communi nomine differētias diuersificantes; hæc autem non inclusio essentialis, est actualis distinctio ex natura rei, quam non habet ens formaliter à suis modis intrinsecis diuisiuis.

Quod si eis respondeas: ens creatum formaliter esse ens completum, tùm quia diuiditur in decem prima genera prędicamentalia, quæ sunt entia completa, tùm etiam quia est obiectum metaphysicę, quod adhuc ens completum est; at ens complepletum habet in se vndè distinguatur actu ex natura rei à cæteris; quia distinctio actualis sequitur intrinsecam terminationē quidditatis; at ens completum habet intrinsecam terminationem suæ quidditatis.

Statim reijcient responsionem; quia ens creatum formaliter abstrahit ab ente completo, & incompleto, tùm in specie, tùm in genere entis, nam ens creatum formaliter primò intimè trascendit, tùm species, quæ sunt in recta linea prædicamentali; tùm genus, & differentiam, quibus constituitur essentialiter species; hoc autem non posset esse, nisi abstraheret de se ab omnibus entibus completis, & incompletis. Secundò, quia ens creatum formaliter, non aliud dicit in sua quidditate, nisi quod est sua ratione formali, siuè sua entitate extrà suum nihilum realiter; sed in hoc conceptu, non includitur neque ratio entis completi, neque incompleti, nàm ens completum est compositum ex entibus incompletis, vt ex genere, & differentia, quomodo sunt completę species, quæ sunt in recta linea prædicamentali, ens verò incompletum est pars componens, & complens intrinsecè ens completum; sed neutrum horum includitur in ratione essentiali entis creati formaliter; ergo, &c.

Oppositam opinionem sequitur Scotus cum suis in *prim. distinction. 3. quęstion. 3. & distinction. 8. quæst. 2. & in 2. distinct. 3. quæstion. 6.* asserens ens creatum formaliter, non includi in differentiis vltimis, neque in modis intrinsecis, quibus diuiditur in decem prima genera prædicamentalia. Quæ opinio, vt suprà sæpius repetiui, non est aliena à doctrina Angelici Doctoris; etenim Angelicus Doctor adhuc docuit modos intrinsecos entis formaliter non esse ens; sed tantùm esse ens entitate sui modificati, vel diuisi, vt fusè dicemus in quæstione de relationibus originis in Diuinis.

Fun-

Fundamentum conclusionis est primò; quia ens creatum formaliter, essentialiter reperitur in omnibus entis completis, & incompletis, & in omnibus modis intrisecis suorū inferiorum; sed hoc nō posset habere ens creatum formaliter, nisi esset vniuocum metaphysicum, siuè ex natura rei; quia hoc non posset habere ens creatum formaliter, nisi ex natura rei præscinderet à differentijs, & modis suorum inferiorum ex natura rei; sed quod ex natura rei præscindit à rationibus formalibus, & modis suorum inferiorum, in quibus reperitur formaliter, est vniuocum metaphysicum, siuè ex natura rei; vniuocum enim purum in hoc distinguitur ab analogo formaliter; quia analogum in eo ipso, in quo dicit conuenientiam essentialiter includit differentias, quibus essentialiter diuersificatur; vniuocum verò in eo, in quo dicit conuenientiam, non includit differentias essentialiter diuersificantes.

Qui non penetrant acutissimam doctrinam Scoti, & S. Thomæ reijciunt hanc probationem, vt contradictoriam, non solùm in suis terminis; sed etiam in opinione Scoti; etenim distinctio ex natura rei dicit, saltem non inclusionem essentialem vnius in alio; sed ens creatum formaliter, vt diximus, includitur essētialiter in omnibus suis inferioribus, & in omnibus modis suorū inferiorum; ergo ratio hæc in terminis implicat, & etiam in opinione Scoti; quia Scotus locis præallegatis, asserit ens formaliter, nimirùm non includi essentialiter in modis intrinsecis suorum inferiorum; nos verò probamus ens creatum formaliter esse vniuocum; quia includitur intrinsecè, & essentialiter in omnibus suis inferiorioribus, & in omnibus modis, & differentijs eorundem inferiorum.

Sed hęc instātia sola terminorū explicatione eluditur; dupliciter enim, vt suprà explicauimus, intelligi potest ens formaliter includi essentialiter in modis intrinsecis entis; vno modo, vt prædicatum præcisè entitatiuum entificans, scilicèt omnes suos modos intrinsecos; alio modo, vt prædicatum formale, quo pacto modus intrinsecus, siuè intrinseca modalitas includitur in modis intrinsecis particularibus, puta in perseitate, & in inaleitate aptitudinalibus. Vltrò omnes Metaphysici concedimus ens creatum formaliter includi essentialiter in omnibus modis intrinsecis, vt prædicatum entitatiuum; sed non omnes Metaphysici dicimus includi in illis ens creatum formaliter, vt prædicatum formale. Cum Scotus, & Scotistæ dicunt, ens creatum formaliter non includi in modis intrinsecis entis, loquuntur de inclusione, qua vnum includitur in alio suo inferiore, vt prædicatum eius formale; Cæteri verò non aliud probant, nisi ens creatum formaliter includi in omnibus modis intrinsecis entis, vt prędicatum entitatiuum; hæc autem inclusio, non aufert ab ente creato formaliter, vt illud sit distinctum ex natura rei modaliter à suis modis intrinsecis illud diuidentibus, & diuersificantibus; sed solùm aufert ab ente formaliter distinctionem realem, tàm entitatiuam, quàm formalem à suis modis intrinsecis: at ad vniuocationem metaphysicam entis creati formaliter satis est, vt distinguatur ex natura rei modaliter à suis modis intrinsecis. Quod verò ens creatum formaliter distinguatur ex natura rei modaliter à suis modis intrinsecis à nobis probatur hoc medio; quia ens creatum formaliter reperitur essentialiter in suis modis intrinsecis: verùm si non distingueretur ex natura rei à suis modis intrinsecis distinctione modali intrinseca, non posset reperiri essentialiter in suis modis intrinsecis; quia non posset reperiri cū omnibus prædicatis suis essentialibus; quippè essentiæ rerū sūt veluti numeri, à quibus si vna auferatur vnitas, numerus statim specie variantur; vndè hæc consequentia vera est: ens creatum essentialiter reperitur in suis modis intrinsecis; ergo reperitur ens sine differentijs differentijs illud diuersificantibus in quolibet suo modo intrinseco.

Secundò probatur eadem Conclusio; quia ens creatum formaliter est limitatum in ratione entis formaliter in generali; sed hæc limitatio satis est, vt sit vniuocum metaphysicum, siuè ex natura rei; ergo, &c. Minor est manifesta; quia limitatiò intrinseca in ratione entis formaliter excludit ab ente creato formaliter differentias essentialiter illud diuersificantes; at hoc satis est enti creato formaliter, vt sit vniuocum metaphysicum, siuè ex natura rei; ergo, &c. Maior principalis argumenti probatur; quia ens creatum formaliter in eo, in quo ens creatum formaliter, est essentialiter potentiale; quia in eo essentia non est essentialiter suum esse; secùs esset essentia entis creati formaliter actus purus; sed in eo, in quo est potentia ad existentiam est intrinseca limitatio, tùm quia potentia, & actus in ratione subiecti sunt primæ differentiæ entis creati, tùm etiam quia limitatio est quædam imperfectio entis; prima autem radix omnis imperfectionis est potentia ad exi-

existentiam. Ex his facilè soluuntur rationes adductæ in oppositum suprà ab Auctoribus contrariæ sententiæ; ad primam enim, qua dicitur ens creatum formaliter vt sic, intrinsecè includitur in omnibus suis modis intrinsecis; sed hæc inclusio intrinseca tollit ab ente creato formaliter vniuocationem.

Respondeo: distinguo maiorem, ens creatum formaliter includitur essentialiter in omnibus suis modis intrinsecis, vt prædicatum entitatiuum, & concedo: vt prædicatum formale, & nego: inclusio, quæ tollit vniuocationem ex natura rei ab ente creato formaliter est inclusio, qua includitur ens, vt prædicatum formale, non vt prædicatum entitatiuum; quia hæc inclusio est materialis, non formalis, quæ secum compatitur inclusionem formalem modalem. Cùm verò opponitur, quod si fiat abstractio entis creati formaliter, adhuc modi remanentes sunt ens.

Respondeo primò: nego assumptum; quia modi intrinseci non sunt ens, nisi entitate sui modificati; modificatum autem est ens creatum formaliter, at abstracta forma entificante intrinsecè, non remanet modus intrinsecè ens; remota enim causa formali remouetur effectus formalis intrinsecus, sicut remoto rationali ab animali, non remanet formaliter homo.

Fasolus *loc. sup. citat. nu. 22.* impugnat hanc responsionem hoc medio; quia de quolibet inferiori, & modo intrinseco entis etiam reduplicato in singulis, prædicatur ratio entis creati formaliter; verum enim est, substantiam, quatenus substantiã esse ens; & accidens, quatenùs accidens, esse ens; & præter rationem entis in his inferioribus non datur alia ratio remanens non inclusa in communi ratione entis; ergo ens creatum formaliter non solùm includitur in modis entis intrinsecis, vt prædicatum materiale entitatiuum; sed etiam vt prædicatum formale.

Respondeo, ens creatum formaliter includi in quolibet suo inferiori, etiam sub inadæquata reduplicatione, vt prædicatum intrinsecum quidem, sed materiale, & entitatiuum, non autem vt prædicatum formale, quo pacto includitur, vt prædicatum formale ens formaliter in ente inferiori, vt substantia, & in accidente, & modalitas intrinseca in particularibus, & determinatis modis intrinsecis. Ad secundam rationem, qua dicitur, quod ens creatum formaliter non habet in se, vndè distinguatur à modis intrinsecis suorum inferiorum.

Respondeo: nego maiorem; quia vt dixi, ens creatum formaliter est intrinsecè limitatum ad ens creatum formaliter; distinctio autem actualis ex natura rei consequitur hanc intrinsecam limitationem.

Tertia conclusio. Ens creatum formaliter, secundùm quod est primus gradus omnium, qui sunt in ente completo in specie, vel in genere entis, est vniuocum metaphysicum; sed diuerso modo, à modo quo est vniuocum metaphysicum ens creatum formaliter, quatenùs nimirùm ens creatum formaliter, secundùm quod est gradus primus in ente completo distinguitur distinctione reali formali à cæteris gradibus inferioribus, qui sunt in eodem indiuiduo; ens verò formaliter distinguitur à suis modis intrinsecis diuisiuis, distinctione tantùm modali intrinseca ex natura rei.

Fundamentum conclusionis est; quia non solùm ens formaliter vt sic præscindit ex natura rei à modis intrinsecis, quibus diuiditur in decem prima genera prædicamentalia, & immediatiùs in substantiam, & accidens; sed etiam ens secundùm quod est gradus primus præscindit ex natura rei à modis, quibus diuiditur ens in decem prima genera prædicamentalia, quæ sunt primi gradus prædicamentales generici; at hæc abstractio satis est, vt vtrumque ens sit vniuocum metaphysicum, non quidem per omnimodam identitatem formalem; sed per omnimodam similitudinem, quandoquidem omnimoda similitudo impuratur per inclusionem essentialem differentiarum diuidentium in illo ipso, in quo est similitudo.

Dices primò: ens creatũ formaliter, & ens formaliter, secundùm quod est primus gradus omnium, quæ sunt in genere entis prædicamentalis, sunt ens trascendens formaliter; sed prædicatum trascendens non potest esse vniuocum etiam metaphysicum; ergo, &c. Maior est manifesta, quippè non solum ens creatum formaliter est vniuersalissima ratio essendi ens extrà nihilum; verùm etiam ens creatum formaliter, secundùm quod est gradus primus in quolibet genere prædicamẽtali, est ratio formalis, vt modi omnes intrinseci, quibus distinguũtur prima genera prædicamentalia, sint intrinsecè ens; hæc au-

autem sunt prædicata trascendentia; Minor verò probatur; quia genus vniuocum vt sic habet differentias extrà sui essentiam; per hoc enim, teste Aristotele *3. metaphysic.*, genus vniuocum distinguitur à genere analogo quale est ens; quia genus analogum non habet differentias extrà sui essentiam, & hoc iure optimo; quia analogum in illo ipso, in quo dicit similitudinem, dicit dissimilitudinem, & ob hanc rationē ens ab Aristotele excluditur à genere vniuoco; at vtrũq; ens rapit intrà suam essentiam suos modos intrinsecos; quia modi intrinseci sunt intrà entitatem tùm essentialem, tùm existentialem modificati; ergò sunt genus analogum, & non purum vniuocum; quia in definitione vniuoci puri non includuntur modi intrinseci essentialiter diuersificantes. Confirmatur, quia genus vniuocum, siuè physicum, siuè metaphysicum non est extrà genus; at ens formaliter vtroque modo est extrà genus; ergo, &c.

Respondeo: distinguo maiorem, duplex enim est ens trascendens, aliud est trascendens, vt prædicatum primum entitatiuum diuidentium ens; aliud verò est trascendens, vt prædicatum essentiale, & formale modorum diuidentium, v.g. modus intrinsecus vt sic, siuè intrinseca determinatio entis, vt est indiuiduatio, siuè singularitas vt sic, est prædicatum trascendens, vt prædicatum essentiale, & constitutiuum modorum intrinsecorum; ens verò creatum formaliliter, quod scilicèt sua ratione formali est ens, siuè extrà nihilum realiter est prędicatum transcendens omnes modos intrinsecos, vt prædicatum entitatiuum; quia est entificans sua ratione formali omnes modos intrinsecos; non autem est trascendens, quia est prædicatum essentiale constituens essentialiter modum intrinsecum; quia, vt suprà diximus, ens formaliter est formaliter modus intrinsecus in generali; & probatur, quia modus intrinsecus non est formaliter ens; nimirùm sua ratione formali; sed tantùm est materialiter ens; modificatum verò est ens formaliter, quod in ratione entis formaliter est limitatum in creatis. Ex his trascendens, vt prædicatum essentiale non potest esse vniuocum purum etiam metaphysicum; quia in eo ipso, in quo dicit similitudinem, includit essentialiter dissimilitudinem; prædicatum verò trascendens, vt prædicatum entitatiuum potest esse purum vniuocum; quia in ratione entis formaliter non includit modos intrinsecè diuersificantes; quia modi intrinseci entis non sunt formaliter ens. Cùm verò Aristoteles excludit ens à ratione generis vniuoci, non loquitur de ente formaliter, proùt contradistinguitur ab ente materialiter; sed loquitur de ente vniuersali; quod confundit ens formaliter, & ens materialiter. Differt autem genus metaphysicum à genere physico, quantùm ad pręsens attinet; quia genus physicum distinguitur à suis differentijs ex natura rei formaliter; vniuocum verò metaphysicum purum distinguitur ex natura rei, vt res à modo intrinseco. Exempla primi sunt; v. gr. substantia, quę est genus primum prædicamentale, [illegible]corpus, viuens, &c. exempla verò secundi sunt ens creatum formaliter, quod scilicèt sua ratione formali est ens, & ens formaliter secundùm quod est primus gradus omnium, qui sunt in quolibet ente completo in specie; quia huiusmodi ens adhuc est ens modificatum à modo, quo contradistinguitur ab ente materialiter. Cùm denique dicitur, quod prędicatum vniuocum non trascendit sua genera; at ens creatum formaliter, & ens secundùm quod est primus gradus in entibus completis in specie trascendunt plura genera.

Respondeo cum distinctione, quod duplex est vniuocũ; aliud est entitatiuum, scilicèt in ratione entis formaliter, & aliud est in determinato genere, vt est vnumquodque genus primum prædicamentale; hoc secundum non est trascendens, primum autem est trascendens; quomodò autem sunt intelligendi Metaphysici, cum dicunt prædicata trascendentia non esse vniuoca pura, iam modò diximus; loquuntur enim de prædicato trascēdente, vel quod confundit ens formaliter, & ens materialiter in vnum, vel de prędicato trascendente, quod trascendit modos intrinsecos diuersificantes, vt prędicatum essentiale illorum.

Dices secundò: vniuocum metaphysicum est conceptus perfectè præcisus à suis inferioribus formaliter; sed ens creatum formaliter non est conceptus perfectè præcisus à suis inferioribus formaliter, & probatur hac ratione à priori. Conceptus perfectè præcisus, saltem ge-

genericus non debet esse totus conceptus obiectiuus rei formaliter, à qua prescindit, v.g. non diceretur animal perfectè præcisum ab homine, si totus conceptus hominis nihil aliud esset, quam conceptus animalis, alioquin idem præscinderet à se ipso, & hoc est præcipuum fundamentum, cur ens, quatenùs ens à nullo inferiori perfectè pręscindat; quia est totus conceptus omnium inferiorum; licet implicitus; sed conceptus entis creati formaliter continet, licet implicitè, quicquid est in quolibet genere prædicamentali; ergo non est vniuocum ad omnia genera prædicamentalia. Minor probatur; quia quicquid est in quolibet genere prædicamẽtali est intrinsecè ens; quia quicquid est in quolibet genere prædicamentali est extrà nihilum, at nihil potest esse extrà ens formaliter, nisi negatio entis, & confirmatur; quia ens creatum formaliter prædicatur de quolibet suo inferiori, etiam reduplicato reduplicatione inadęquata in singulis; nō solùm enim ens, quod est substantia est ens, sed etiam substantia quatenùs substantia est intrinsecè ens, & accidens etiam, quatenùs accidens est intrinsecè ens, & præter rationem entis in substantia, & accidente, non datur alia ratio remanens, quæ non sit ens, & consequẽter inclusa in communi ratione entis; ergo conceptus entis formaliter rapit ad se, & habet in se, quicquid excogitari potest in substantia, & accidente; ergo respectu horum non potest esse genus vniuocum, nec perfectè præcisum.

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem concedo, cōceptum perfectè præcisum, saltem genericum non esse totum conceptum obiectiuum rerum, à quibus præscindit; sed nego ens creatum formaliter esse totum conceptum obiectiuum entium, à quibus præscindit; quandoquidem ens creatum formaliter, vt suprà ostendimus, est limitatum in ratione entis formaliter; quia ens formaliter contradistinguitur ab ente materialiter, ens autem formaliter vt sic præcisè dicitur, quod est extrà nihilum sua ratione formali; in hac autem definitione essentiali nullo modo includitur modus intrinsecus; quia modus intrinsecus sua ratione formali non est ens, quæ est acutissima doctrina Scoti.

Neque obstat cum dicitur, ens creatum formaliter imbibi, & intrinsecè includi in omnibus modis intrinsecis entis, de quibus prædicatur intrinsecè; nàm, vt modo diximus, ens formaliter includitur in modis intrinsecis, vt prædicatum entitatiuum, non non autem vt prædicatum essentiale, & formale; pro tantò enim dicitur modus intrinsecus ens; pro quanto non est ens, nisi entitate sui modificati; hęc autē inclusio, & prædicatio est identica, non formalis.

Neque secundò dicas, quod à nobis dictum est in superioribus, ens formaliter creatum præscindere quidem ex natura rei à suis modis intrinsecis, sed præcisione inadæquata; quoniam modi intrinseci, sunt intrà ens modificatum, à quo entificantur, & realizantur in suis modalitatibus; non enim modus intrinsecus est realis, nisi inquantùm est intrà entitatem modificati; sed hæc doctrina contraria est doctrinę modo allatæ; ergo, &c.

Respondeo: in superioribus nos loquutos esse de vniuoco trascendente in genere entis formaliter quod in hoc differt ab vniuoco non trascendente; quia hoc præsc,ndit ex natura rei præcisione formali, quæ est præcisio formalitatis à formalitate, quarum quælibet est gradus entis formaliter; vniuocum verò trascendens præscindit quidem ex natura rei, sed pręcisione rei à suo modo intrinseco, qui est ens intrinsecè; sed in sensu identico, & materiali; non autem in sensu formali; & hanc præcisionem appellauimus inadæquatam; non quia est præcisio conceptus, qui in eo, in quo dicit conuenientiam inuoluit essentialiter disconuenientiam, qui est propriè conceptus analogus; sed quia non est præcisio ex natura rei vnius gradus entis formaliter ab alio gradu entis pariter formaliter, vt est præcisio, v.g. gradus animalis à gradu rationalis; ad tollendam autem ęquiuocationem pręcisio perfecta, quæ constituit vniuocum purum in genere debet esse præcisio formalis, siuè in sensu formali, non autem præcisio in sensu identico, & materiali; quia debet esse præcisio conceptus, quia in ea ratione formali, in qua dicit cōuenientiam, & vnitatem non includit differentias, siuè modos essentialiter diuersificantes, & huiusmodi est præcisio entis formaliter à suis modis; quia modus intrinsecus formaliter nullo modo est ens, idest, modus sua ratione formali, nullo modo est ens formaliter: vel clarioribus verbis præcisio entis formaliter à suis modis intrinsecis dicta fuit præcisio inadæquata; quia est præcisio entis formaliter à modis intrinsecis sumptis, & acceptis fomaliter, non autem vt ens; modus enim intrinsecus formaliter est determinatio intrinseca, quę sua ratione formali non est ens, materialiter

ve-

ter verò modus intrinsecus est ens entitate sui modificati: præcisio entis à suis modis formaliter, quatenùs modis formaliter rest præcisio à modis inadæquata quidem; non quia diuidit modum formaliter, ratio enim modi formaliter est indiuisibilis; quia modus formaliter est quatenùs sua ratione formali non est ens; sed quia diuidit modū formaliter à se ipso, vt materialiter consideràto, vndè hæc abstractio entis formaliter à suis modis intrinsecis formaliter adæquata est, sed dicitur inadæquata respectu totius complexi, quod significat modum intrinsecum non esse ens sua ratione formali; sed esse ens entitate sui modificati.

Obijcies tertiò; decem prima genera prædicamentalia sunt genera generalissima vniuoca; sed si ens formaliter, siuè prout contradiuiditur ab ente materialiter, siuè secundùm quod est gradus primus in entibus completis in specie, esset genus vniuocum, decem prima genera prædicamentalia non essent genera generalissima vniuoca; quia genus generalissimum vniuocum est, quod non habet aliud genus vniuocum supra se.

Respondeo: genus generalissimum prædicamentale esse generalissimum in coordinatione suorum inferiorum, vel esse generalissimum determinatum ad vnum genus, non verò generalissimum trascendens, & hoc est genus generalissimum, quod non habet aliud genus vuiuocum suprà se. Cùm Metaphysici omnes dicunt decem prima genera prædicamentalia esse genera generalissima, loquuntur de genere generalissimo contracto ad prædicamentale.



QVÆ-

# QVAESTIO QVARTA. DE METAPHYSICA VNIVERSALISSIMA.

## De ente reali possibili, & actuali obiectiuo.

ELEBRIS est diuisio entis creati, quam tradit Aristoteles 9. *Metaphysic.* in ens in potentia, & in actu; siuè, & in idem redit, in potentiam, & in actum: hæc autem diuisio dupliciter intelligi potest. Primò de ente in potentia, & de ente in actu subiectiuis; nimirùm, de potentia, & de actu subiectiuis in ratione entis. Secundò, de ente in potentia, & de ente in actu, siuè de potentia, & de actu obiectiuis; prior diuisio, quæ coincidit cum diuisione entis creati in essentiam, & esse, scilicèt, in essentiam, & existentiam, est diuisio entis creati in entia essentialiter diuersa; posterior verò non est diuisio in entia essentialiter diuersa; sed est diuisio vnius, & eiusdem entis in suos diuersos status. De priori diuisione entis creati disputabitur fusè *quæst.* 5. *sequenti*; hîc sumimus explicandã posteriorem diuisionem entis, nimirùm diuisionem entis in ens possibile, & in ens actuale, potentialitate, & actualitate obiectiuis, eius autem explicatio non facilis est; tùm quia ad sui completam, & plenam explicationem requirit resolutionem multarum quæstionũ, tàm metaphysicarum, quàm theologarum; tùm etiam, quia in explicando essentialem, & quidditatiuum conceptum possibilis obiectiui extrà Deum, non conueniunt Metaphysici, & ratio diuersitatis est; quia esse possibile obiectiuum à Deo distinctum realiter, vel est prædicatum conueniens enti à Deo causato, quando est, vel existit; vel quando esset, siuè existeret; vel conuenit ei quando non existit. Si primùm dicas in contrarium est; quia ens cum actu existit, est ens actuale, siuè in actu; possibile verò contradistinguitur ab ente actuali, siab ente in actu, quia possibile est ens in potentia; actuale verò est ens in actu. Si dicas secundum, adhuc in contrarium est; quoniam quando non existit ens extrà Deum, non reperitur aliud extrà Deum, nisi sola negatio entis positiui realiter; at negatio, siuè carentia entis realis opponitur enti reali, & consequenter opponitur possibili obiectiuo; quia hoc est intrinsecè, & formaliter

liter ens. Dixi primò ens possibile à Deo causabile, & non creabile; etenim secundùm famosam opinionem multorum Antiquorum, quam plures docti recentiores Metaphysici sequuntur, solùm ens actuale ex nihilo, siuè existens ex nihilo est creabile à Deo, nimirum producibile intrinsecè tanquam à causa efficiente creatiua; ens verò essentiale ex nihilo, causatur quidem à Deo, tanquam à prima causa ideali, quæ virtualiter in Deo distinguitur à causa effectiua, siuè creatiua.

Ad determinandum subiectum huius quæstionis, & ad tollendam è medio omnem æquiuocationem, plures entis possibilis diuisiones insinuantur à Metaphysicis.

Prima diuisio entis possibilis realiter est in possibile, quod opponitur impossibili; & in possibile, quod opponitur necessario, & hęc diuisio communiter traditur à Logicis. Possibile primo modo commune est Deo, & creaturis communitate, nimirum, analoga; quia possibile huiusmodi est, quod inuoluit prædicata non contradictoria; at tam in Deo, quàm in creaturis sunt prædicata non contradictoria; præscindendo à prædicatis non contradictorijs potentialibus, & actualibus; quandoquidem potentialitas est prędicatum proprium creaturæ; actualitas verò sine potentialitate est prædicatum proprium Dei. Possibile secundo modo reperitur solùm in creaturis; quia huiusmodi possibile essentialiter est contingens, siuè potentiale, vt sit, vel vt non sit extrà suum nihilum, & extrà suam causam; nisi velis dicere Deum, vt primam causam liberam, esse causam contingentem; sed nos hìc loquimur de contingenti in essendo, non autem in causando; contingens enim in essendo est proprium prædicatum creaturæ, cùm inuoluat permixtam potentialitatem passiuam; contingēs autem in causando, præscindendo ab imperfectionibus, potest competere adhùc causæ primæ.

Secunda diuisio possibilis, quę insinuatur ab Aristotile 5. *metaphys.* est in possibile secundùm aliquam potentiam, quod ab Aristotile subdiuiditur *eod. loco*, in possibile secundùm potentiam passiuam, & in possibile secundùm potentiam actiuam; & in possibile secundùm nullam potentiam, quod communiter vocant possibile per non repugnantiam prædicatorum; quod possibile, vel est prædiatum cum potentialitate terminorum non repugnantium, vt hominem esse animal rationale, & conuenit solùm creaturis, vel est cùm exclusione potentialitatis à suis terminis, & est proprium entis increati; quia in soloDeo nulla est potentialitas passiua, vel deniq; est cum præcisione à potentialitate, & non potentialitate terminorum, & hoc suo modo dicitur de Deo, & de creaturis. In hac quæstione tractatur de possibili secundùm potentiam passiuam, non quidem subiectiuam, sed terminatiuam, siuè obiectiuam, quam vocant etiam potentiam in ratione obiecti, siuè termini, quia tractatur in hac quæstione de ente creato possibili in ratione termini, siuè obiecti ex nihilo, quod nullo pacto potest reperiri in Deo.

Tertia diuisio possibilis entis est in possibile terminatiuum, siuè obiectiuum, & in possibile subiectiuum, quę quidem duo mēbra diuidentia possunt explicari, vel in ratione entis creabilis, quod est terminus potentiæ creatiuæ Dei, vel in ratione entis producibilis per eductionem, & vtrumque possibile, est possibile extrà primā causam; non autem possibile in causa; quia vtrumq; est possibile secundùm potentiam passiuam, quæ est propria potentiæ entis creabilis, contradistincti ab esse Dei.

Quarta diuisio possibilis secundùm potētiam passiuam, est in possibile absolutum, & in possibile conditionatum: absolutū est, cui absolutè non repugnat esse ex nihilo dependenter à sua causa: conditionatū verò est, quod posset esse ex nihilo si produceretur à sua causa, vel si sua causa vellet illud producere, & vtrumq; subdiuiditur in possibile vt signatum, siuè vt conceptum, & in possibile vt exercitum: vel (& in idem redit) in possibile in mēte illud concipiente, & in possibile in re; à possibili reali vt cogitato non valet consequentia ad possibile exercitum in rerū natura; hac distinctione S. Tho. PP. *q.2. art.1. ad 2.* docet, non valere hanc consequentiam; Deus est ens, quo maior excogitari non potest; ergo Deus est realiter; quandoquidem esse ens, quo maius excogitari non potest, dupliciter sumi potest, vel in esse cogitato, siuè signato, vel in esse exercito, & in re: in hac consequentia non potest sumi in antecedente ens, quo maius excogitari non potest in re; quia est petitio principij apud ponentes Deum non esse; si verò sumatur in esse signato, & concepto, consequentia non valet ab esse signato, siuè cōcepto, ad esse exercitū & in re, quod exēplo manifestatur etiam, nam potest aliquis cogitare, quid sit esse perfectū oratorē, nimirum potest cogitare esse talē, quo maior dari non potest; tamen sic existimans, potest negare dari exercitè hunc oratorē perfectū, in tota hac quæst. controuersia erit de ente

reali possibili obiectiuo, siuè terminatiuo in esse exercito, non in esse signato.

## ARTICVLVS PRIMVS. Quid sit possibile reale positiuum in ratione obiecti extrà Deum.

POssibile secundùm potentiam passiuam, siuè obiectiuam, de quo nos loquimur, duplex habet esse; aliud formale, & intrinsecum extrà Deum, vt sui primam causam: & aliud extrinsecũ, & in Deo tãquã in prima causa: hìc loquimur de possibili obiectiuo secũdũ suum esse formale, & intrinsecũ.

Prima conclusio: possibile obiectiuum in suo esse formali distincto ab esse Dei, tum formale, tùm causale, siuè eminentiale, non est formaliter non ens reale actuale, antequam existat. Explicatur conclusio: non ens reale, vt diximus precedente quæstione, duplex est; aliud est non ens reale simpliciter, quod nimirum negat & ens reale actuale, & ens potentiale; & aliud est ens non actuale præcisè. Primum est formaliter negatio realis omnis entis realis, & actualis, & potentialis, quæ est contradictorium enti reali formaliter, quod diuiditur in ens possibile, & in ens actuale. Secundum negat à se esse ens actuale, siuè actualitatem essendi, sed non negat esse ens in potentia, qui est alius modus essendi ens; sed imperfectus, siuè potentialis, quomodo, v.g. creaturæ sunt in potentia, vel passiua, vel in potentia actiua Dei, siuè suæ causæ productiuæ, de quo non ente loquitur S. Thomas PP. *quæst.* 14. *art.* 9. docens, quod Deus cognoscit etiam non entia, quæ nimirum sunt entia possibilia; nihil enim prohibet quod ea, quæ non sunt actu, aliquo modo esse, .s. in potentia; quia non ens actu non dicit negationem essendi ens quomodolibet, scilicet, in quolibet modo essendi; sed tantùm negat esse ens in modo essendi actuali, qui est modus essendi perfectus; In hac conclusione sermo est de ente actuali; in quo significato, sensus conclusionis est, quod ens possibile positiuum, & obiectiuũ extrà Deũ, non est prædicatum conueniens enti in tempore, antecedente tempus, in quo est actus. Conclusio hæc in terminis est contra Suarez *in metaphysica, disp. de essentia, & esse in creatis, tom.* 2. quem plures sequuntur, vbi manifestè asserit, ens possibile, & ens actuale distingui inter se tanquam non ens reale, & ens reale. Opinantur multi assertionem Suarez intelligi de non ente reali, quod est formaliter carentia entis formalis realiter, sed decipiuntur; quandoquidem doctus Suarez non ignorat carentiam formalem entis realis non posse esse ens, neque in actu, neque in potentia, & ostenditur: quia Suarez asserit ens possibile obiectiuum, nimirum esse ens in potentia, scilicet obiectiua; si autem ens possibile obiectiuum esset formaliter carentia entis, quæ est non ens simpliciter, non posset dici, esse ens in potentia; quia negaret esse ens omni modo; sed intelligi debet Suarez, quod ens possibile, siuè ens in potentia potentialitate, & possibilitate obiectiua, distinguitur ab ente actuali, tanquam non ens actu, non autem vt non ens simpliciter ab ente actu; in quo sensu, non ens actuale non prohibetur, quin sit ens in modo essendi potentiali, qui est modus essendi imperfectus, & ratio est; quia ens actuale, non negat ens secundùm omnem modum essendi, sed tantùm negat ens secundùm modum essendi actualem; Vndè voluit Suarez solùm docere, ens possibile, siuè esse ens in potentia obiectiua, esse non ens actuale.

Fundamentum conclusionis est. Primò, quia possibile positiuum in ratione obiecti, est illudmet, quod est, vel erit cum producitur, quatenus, scilicet in priori naturæ, est in statu potentialitatis ad sui actualem productionem; sed hoc prædicatum non potest competere enti in tempore antecedente tempus, in quo est, vel actu producitur; ergo, &c. Maior probatur; quia illudmet ens, quod est in actu cum producitur, in priori naturæ fuit possibile, & è contrà, vt eruditè explicat *Fonseca lib.* 3 *metaphys.* Minor verò principalis argumenti etiam probatur; quia toto tempore præcedente tempus, in quo est ens actu obiectiuum, non est eius causa in actu, at implicat esse effectum sine causa in actu; ergo implicat possibile obiectiuum in esse possibili esse sine sua causa actuali in actu. Secundò, quia possibile obiectiuum in suo esse possibili, est effectus suæ causæ in actu, sed hoc saluatur adæquatè per hoc; quia possibile obiectiuũ, est prius natura sui productione in eodem instanti, in quo producitur: quęnam autem sit hæc naturæ prioritas explicabitur *q. seq.* ergo impossibiliter ponitur possibile obiectiuum esse prædicatum conueniens enti quando non est, antequam producatur à sua causa; ergo, &c.

Obijcies primò, mundus, v.g. antequã fuit à Deo creatus, fuit formaliter, & intrinsecè possibilis creari; non enim creatur actu, nisi

si quod antea erat creabile intrinsecè, secùs crearetur non creabile, quod implicat; quia daretur ratio posterior sinè sua ratione priori; sed hoc non potest alia ratione verificari, nisi quia esse possibile obiectiuum competit enti quando non est, siuè antequã sit; ergo possibile produci intrinsecè, est prædicatum conueniens enti, quando non est; sed quãdo nõ est, est nõ ens simpliciter.

Respondeo: distinguo maiorem, antequã mũdus fuisset productus, antecessione temporis fuit intrinsecè mundus possibilis produci, possibilitate, nimirùm passiua, & intrinseca, & nego: antecessione tãtummodò naturæ in eodem instanti, in quo fuit productus, & concedo. Sed hoc non potest alia ratione verificari, &c. distinguo minorẽ, si intelligatur minor primo modo, scilicèt, quod mundus antequam fuit productus antecessione temporis, & nego: antecessione naturæ, & concedo; solùm enim mundus antecessione naturæ priùs est producibilis intrinsecè, quam sit actu productus; vel quia possibile obiectiuum in suo esse formali est essentialiter dependens à causa prima illud producente, vel quia illudmet, q̃ fuit possibile, est actuale; hoc autem posito nõ potest possibili obiectiuo competere alia antecessio, nisi naturę in eodem instanti temporis, quo producitur; sed in diuerso genere causæ, vt infrà declarabimus.

Dices primò: mũdus in tẽpore, pręcedẽte tẽpus, in quo fuit à Deo creatus, adhuc fuit intrinsecè producibilis, secùs fuisset productus in instãti tẽporis productionis, & creationis mũdi, quod ante instans tẽporis, non præerat possibile producit; sed eo tẽpore nõ potuit esse possibile produci mũdus sine intrinseca possibilitate ad ꝑduci, seù ad creari; ergo mũdus fuit intrinsecè possibilis adhuc in tẽpore ãtecedẽte tẽpus fuę creationis.

Respõdeo: nego maiorẽ, quia in toto tẽpore, antecedẽte tẽpus, siuè instans creationis mũdi, nõ erat mundus extrà Deũ, sed solum erat negatio mũdi formaliter; possibile enim creari intrinsecè, est predicatum positiuum extrà Deum; at hoc non potest esse formaliter extrà Deum, nisi in instanti, quo creatur, & producitur.

Neq; ex hoc sequitur, quod dicit Opponẽs, nimirùm, produci realiter, quod anteà non erat producibile; nàm satis est adhoc, & vt ens realiter producatur vt ens, quod producitur, sit intrinsecè non repugnans produci formaliter in codẽ instãti tẽporis, cũ sola prioritate, & antecessione naturę in diuerso genere causę, quãdoquidẽ causa ꝑducit realiter, q̃ intrinsecè producibile est, nõ illud supponẽdo in instãti pręcedẽte instãs quo producitur; sed solũ faciẽdo prędicata, quę inuicẽ nõ repugnãt, cũ ꝑducitur.

Dices secundò: potuit Deus in quolibet instanti antecedente instans creationis mundi, creare mundum; sed hoc non esset possibile, nisi mundus esset possibilis intrinsecè non solùm in instanti, quo fuit à Deo creatus; sed etiam toto tempore antecedente illud instans; implicat enim dari causam actu potentem producere, & non dari effectũ intrinsecè, & actu producibilẽ; ergo, &c.

Respondeo: potuit Deus in quolibet instanti, antecedente instans, quo mũdus fuit productus, supponendo mundum intrinsecè producibilẽ in priori naturæ ꝑ tẽpore, quo illum produxit, & concedo: supponẽdo illũ in alio tempore ab eo, quo mundum produxit, & nego: nàm Deus producit volens; at ab æterno Deus voluit prodcere mundũ in instanti determinato, in quo illum produxit, quod enim, & eo modo, quo voluit, Deus fecit; vndè Deus toto tempore præcedente instans, in quo creauit mundum, fuit potẽs creare mundũ, pro tempore, quo illũ creauit, nõ autem pro alio tẽpore antecedẽte, & hoc nõ ex necessitate absoluta; sed solùm ex necessitate suppositionis, quia scilicèt ab ęterno voluit; sed tempore quo illum creauit.

Dices tertiò: prædicata essentialia conueniunt enti vbique, & semper; sed prædicata non contradictoria, siuè compossibilia conueniunt enti possibili essentialiter; ergo cõueniunt enti possibili vbique, & semper; at hoc posito necessariò sequitur, ens ex nihilo esse possibile obiectiuum etiam tempore antecedente instans suæ creationis.

Respondeo: distinguo maiorem; predicata essentialia creaturæ possibilis, conueniunt creaturæ vbique, & semper in instanti, in quo producitur, & concedo; extrà, & ante instans, in quo producitur, & nego; tũ quia prędicata essentialia creaturæ, siuè actualis, siuè possibilis, sũt essentialiter effectus creationis; effectus autẽ nõ est in suo esse formali, nisi in instanti, in quo causatur, & producitur, tum etiam quia ante productionem possibilis nõ est possibile esse effectus.

Quod si dicas essentiæ rerum creatarum, siuè actualium, siuè possibilium abstrahunt ab hic, & nunc; quia hæc sunt prædicata existentiæ exercitæ.

Respondeo: prędicata essẽtialia creaturę etiam possibilis abstrahunt ab hic, & nunc signatis, & determinatis, & concedo ab hic, & nunc indeterminatis, & nego; hoc autem non tollit ab ente possibili in suo esse formali

mali extrà Deum, vt sit possibile secundùm suum esse formale, solùm in instanti, quo illud producitur à sua causa; sed in priori instanti naturę.

Principale hoc ipsum argumentum, sibi obijcit *secundo loco* S. Thomas in *disputatis quæst. 3. de creatione art. 1.* & illud soluit dupliciter; primò dicit, quod antequam mundus esset, possibile erat mundum esse, non quidem secundùm aliquam potẽtiam; sed solùm per non repugnantiam terminorum. Secundò respondet, quod mundus erat possibilis, non propter aliquam potentiam passiuam; sed propter potentiam actiuam Dei, potentis mundum creare. Hanc distinctionem fusè explicauit idem S. Doctor *quæst. 1. de potentia Dei, artic. 3. in corpore*, & quidem prima responsio vera est, si reducatur ad responsionem suprà allatam, quod esse possibile intrinsecum obiectiuum conueniat mundo antequam creetur antecessione naturæ, non autem antecessione temporis, siue durationis, aut instantis temporis; quandoquidem in tempore antecedente, vel in instanti temporis antecedenti, siuè immediatè, in quo ens primo existit ex nihilo, est sola negatio, & carentia possibilis obiectiui, & probatur; quia in tempore antecedente instans productionis entis ex nihilo, non est ens formaliter, siuè non est possibile intrinsecum obiectiuum, vt infrà clarius explicabitur, & hanc doctrinam euidenter explicat secunda responsio S. Thomę, quod scilicet mundus in tempore antecedente instans, in quo fuit à Deo creatus, erat possibilis esse, propter potentiam actiuam agentis, non propter aliquam potentiam passiuam mundi ad creari; & sensus est, quod toto tempore præcedente instans creationis mundi, Deus fuit potens producere mundum; sed pro instanti temporis, in quo Deus voluit creare mundum. Et hac ratione reijcitur doctrina quorundam Recentiorum, qui dicunt posse esse denominationem possibilis à potentia potente illud producere, sine subiecto denominato, idq; probant; quia datur forma denominans in vno instanti, seù tẽpore, in quo non est subiectum denominatum, vt est denominatio possibilis à potentia causæ agentis potẽtis illud producere; sed hæc ratio soluitur; quia nõ est denominatio possibilis passiua ante instãs, in quo producitur.

Obijcies secundò: in hoc tempore, in quo non est Antichristus, verè dicitur, Antichristus est possibilis; quia verè Antichristus in nunc temporis est verè, & realiter futurus; non posset autem Antichristus esse futurus verè, & realiter, nisi antecedenter sit possibilis possibilitate terminatiua; ergo Antichristus nunc verè est possibilis. Quod si dicatur, quod formaliter est non ens actu; hoc non obstat; nàm non ens actu est idem, quod ens in potentia obiectiua, siuè ens possibile obiectiuum.

Respondeo: distinguo maiorem, verè in hoc tempore Antichristus est possibilis possibilitate, quæ erit in instanti, in quo producetur Antichristus, & concedo; est verè possibilis possibilitate intrinseca, quæ est in hoc tempore præsenti, in quo dicitur Antichristus est possibilis, & nego; quandoquidem Antichristus est verè, & intrinsecè possibilis; sed pro tempore antecedente tempus, in quo Antichristus producetur. Cum verò dicitur ab opponente, quod nunc Antichristus non est; quia Antichristus nunc non est ens actu; nego causalem; nàm nunc Antichristus non est simpliciter, & declaratur, nàm nunc dicitur est possibilis; quia est futurus; sed non est futurus, nisi in tempore, quo producetur loquendo de Antichristo secundùm suum esse formale, non autem de eius materia; ergo non est possibilis, & pręcisiui non ens actu, nisi in priori naturæ quando primò est.

Quod si dicas: prius est esse non ens actu in entibus, quæ sunt ex nihilo, quàm esse ens actu actualitate, nimirùm, obiectiua; siuè, & in idem redit, prius est non ens actu productum, quàm ens actu productum ens nihilo; sed non potest verificari de Antichristo, qui est futurus, quod non sit ens actu in tempore, quo producetur, & existit realiter; ergo verificatur de eo, quod nõ est ens actu in toto tempore, antecedente tempus, in quo erit; sed quod est non ens actu, est ens in potentia obiectiua, siuè possibile obiectiuum; tempus enim adæquatè diuiditur, in tempus præsens, præteritum, & futurum. Assumptum probatur; quia non ens actu, non excludit à se, vt sit possibile; quia non opponitur enti possibili; sed solùm opponitur enti in actu.

Respondeo primò, quod possibile in priori naturæ in instanti, in quo producitur, dicitur non ens actu præcisiuè, non positiuè.

Respondeo secundò, quod duplex est negatio entis in actu obiectiuo; alia extrinseca, & hæc est negatio actualitatis obiectiuę realiter separabilis ab ente, quod est nihilo, quæ est status essendi actualis, & alia est negatio intrinseca eiusdem status; & hæ est diuersitas, siuè taleitas, qua vnum ens intrinsecè est diuersum ab alio; hanc distin-

stinctionem explicauimus *præcedente quæstione*. Hac distinctione posita, concedo maiorem de non ente actuali; quantùm ad statum negatione intrinseca; nego verò de non ente actuali negatione extrinseca; quãtùm ad statum: vt autem sit ens possibile possibilitate obiectiua in suo esse formali extrà Deum, satis est, vt sit non ens actu per negationem intrinsecam, quantùm ad statum, quod potest facilè intelligi exemplo materiæ primę, quæ intrinsecè non est forma; & tamen non potest dari materia, nisi iuncta formæ; quia materia non potest actu existere, nisi existentia formæ, quam successiuè semper variat per tractum ad existentiam alterius formæ, & dùm iuncta est formę non est forma intrinsecè, non extrinsecè.

Quod si secundò dicas, possibile obiectiuum communiter definitur, id quod nõdum est, sed potest esse, possibilitate intrinseca obiectiua; sed hoc est non ens actu per negationem actualẽ actualitatis obiectiuæ, scilicèt status actualitatis.

Respondeo, definitionem prædictam intelligendam esse de negatione intrinseca, & inseparabili, quæ competit possibili obiectiuo etiam in statu suæ potentialitatis, sicut negatio intrinseca, qua homo non est albedo competit homini iuncto, etiam cum albedine; non autem de negatione intrinseca.

Secunda conclusio. Possibile obiectiuũ extrà Deum, quod vocant possibile obiectiuum formale, essentialiter est illudmet, quod esset, si produceretur, vel quod est cũ producitur; sed relatum ad suam causam, quatenus est prior natura suo effectu in eodem instanti temporis, in quo illum causat, vel causaret; quia vt suprà dixi, duplex est possibile obiectiuum extrà Deum, aliud absolutum, & aliud conditionatum; vtrumque autem est possibile obiectiuum formale distinctum à Deo; sed relatum ad suam causam, quatenùs est prior natura suo effectu in eodem instanti, quo illum producit; & hęc possibilis definitio conuenit non solùm possibili, quod immediatè est causabile à Deo solo; sed etiam possibili, quod causatur à causa secunda, vt mota à causa prima, & possibili, tàm contingenti, siuè libero, quàm necessario. Conclusio hæc adhuc est modo suo controuersa; complures enim docti Metaphisici opinantur possibile obiectiuum, quod est possibile secundùm potentiam passiuam, esse illudmet, quod est cum producitur, vel quod esset si produceretur; sed quatenùs est prior sui productione, vel sui actualitate in genere causæ formalis terminatiuæ, vel in genere causæ materialis; quatenùs, scilicèt, in eodem instanti est prius natura ens, vt non repugnans produci, quam sit illudmet, vt actu productum. Sed hæc explicatio, siuè definitio possibilis obiectiui, non est definitio possibilis vt sic, & in generali; sed possibilis contracti ad possibile, proùt est causabile à causa secunda; nos autem hic loquimus de possibili obiectiuo in sua vniuersalitate, proùt dicitur de possibili causabili à prima causa, & de possibili causabili à causa secunda: & ratio est manifesta; quia causa secunda potest dependere à suo effectu primario in alio genere causæ; verùm causa prima nullo modo potest dependere in causando à possibili extrà Deum; quia est causa prima simpliciter; hæc autem respicit semper suum effectum, vt rationem posteriorem; quæ doctrina adnotanda est; quia valdè conducit ad quæstionem de scientia Dei, quatenùs est scientia creaturarum.

Ratio conclusionis est; quia hæc definitio explicat adæquatè, & per prima prædicata essentiam possibilis obiectiui formalis, & extrà Deum; nàm illudmet, quod est actu, cum producitur, in priori naturæ fuit possibile; & è contra.

Quod si dicas: prioritas est incompossibilis cum simultate in eodem instanti tẽporis; quia instans temporis est omninò indiuisibile.

Respondeo: distinguo antecedens prioritas temporis, siuè durationis est incõpossibilis cum simultate in eodem instanti temporis, & concedo; prioritas naturæ est incompossibilis, & nego. Primò, quia contradictio est secundùm idem; at prioritas naturæ, & prioritas instantis temporis, non sunt secundùm idem. Secundò, quia prioritas naturæ, non est aliud, nisi independentia vnius ab alio in vno genere causæ, hæc autem independentia stat cum dependentia effectus a causa in eodem instanti temporis, in quo causatur.

Difficultas hìc solùm est in explicando, quomodo hęc definitio possibilis conueniat possibili, quod causatur à causa libera, præsertìm a causa prima; quandoquidem causa libera, qua libera formaliter, intantum est libera causa, inquantùm est causa indifferens ad vtrumlibet; at in eodẽ priori naturæ, quo causa libera se determinat ad causandum in eodem instanti temporis, non est indifferens, sed determinata; sicut enim causa in eodem instanti tempo-

ris, quo causat, est determinata ad causandum; ità causa libera in priori naturæ, quo se determinat in eodem in stanti temporis, in quo causat, est determinata; determinatio autem tollit indifferentiā; quia determinatio est ad vnum, indifferentia verò non est magis ad vnum, quam ad aliud oppositorum.

Communiter ferè respondent, causam liberam omnem in priori naturæ, quàm actu se determinet ad vnum præ alio, esse indifferentem ad vtrumlibet: sed non omnes eodem modo explicant, quodnam sit hoc prius naturæ, quo causa est indifferens ad vtrumlibet, & qualis sit hæc indifferentia.

Ij, qui opinantur Diuinam voluntatem, & consequenter omnem causam liberam determinari per iudicium practicum præcedens, quo scilicèt intellectus iudicat, vel dictat, quodnam ex oppositis esset faciendum; dicunt, non posse voluntatem eligere vnam partem potius, quàm aliam, nec simpliciter posse eligere hanc partem præ alia, sine iudicio practico intellectus, per quod, vt loquitur S. Thomas *prima secũda*; intimetur voluntati per modum imperij, quod tale quid eligi debeat. Prius naturę, quo causa est indifferens ad vtrumlibet, est illud, quo voluntas, siuè causa libera, non dùm intelligitur esse determinata à iudicio practico intellectus, vel est illud, quo voluntas est persuasa à iudicio practico: prius enim natura voluntas intelligitur indifferens, vt determinetur à iudicio practico intellectus; deindè intelligitur persuasa, vel suasa ad vnam partem potiùs, quam ad aliam. Tertiò, denique intelligitur, voluntatem se applicare ad vnam partem, ad quam suasa est potius, quàm ad aliam.

Alij verò, qui opinantur ad libertatē voluntatis, præsertìm Diuinæ, non esse necessarium hoc iudicium practicum iudicatiuum, quo completur voluntas, vt se applicet modo libero ad vnum potius, quā ad aliud; sed sufficere solùm simplicem propositionem diuersorum obiectorum eligibilium, vel non eligibilium, moti ea ratione; quia, inquiunt, voluntas, si intellectus cognoscat, quod bonum, & malum est, habet sufficiens principium, vt libertate sua, eligat hoc, vel illud, eligat, vel non eligat; quo modo dicendi posito, tollitur illud quæsitum, quomodo determinetur voluntas à iudicio præcedente intellectus. In horum opinione. Primum instans naturę, quo voluntas est indifferens, est quo voluntas completa est per simplicem apprehensionem diuersorum obiectorum eligibilium, vel non eligibilium; posterius signum naturæ est, quo voluntas sic completa seipsa exit in actum, quo eligit vnum, vel se applicat ad vnum prę alio, in primo est indifferens, non in secundo instanti naturæ.

Qui sequuntur primum dicendi modum, dicunt indifferentiam, qua causa libera in priori naturæ est indifferens ad vtrumlibet, esse indifferentiam de possibili; non autem indifferentiam de in esse; nàm posito iudicio practico intellectus, vnum esse eligendum præ alio; voluntas non modo necessario, sed modo libero se applicat ad vnum, ad quod suasa est, vel persuasa præ alio, idque probant; quia voluntas se applicat modo consentaneo suæ naturæ; scilicèt persuasa ad vnum præ alio, & consequenter non mutat suum modum operādi liberum; sic enim, inquiũt, Deus ab æterno voluit operari in tempore, sic pariter Christus Dominus, quoad creatam suam voluntatem, liberè ab initio sui esse operatus est.

Hanc doctrinam paucis; sed profundè explicat Marcus Antonius Palumbus in suo *examine Scholastico*, tùm ad *quæstion*. 14. *de scientia*, tùm ad *quæst*. 19. *p.p.* eandem doctrinam prius etiam docuit ex S. Thoma Card. Bellar. *in controuers. sua de gratia*, explicando mutuam dependentiam iudicij à voluntate; scilicet, quod iudicium liberum est; quia dependet à decreto voluntatis, & decretum in alio genere dependet à iudicio; quia ità dictatur per iudicium.

Illi verò qui opinantur Diuinam voluntatem non determinari per iudicium practicum precedens; sed posita simplici propositione obiectorum diuersorum eligibilium; seipsa se se determinare ad vnam partem præ alia pro sua libertate; dicunt indifferentiam ad vtrumlibet esse in priori naturæ, quo voluntas est indifferens; non solùm de possibili; sed etiam de in esse. Fundant autem opinionem in eo principio; quia causa libera positis omnibus prærequisitis potest vtrumlibet operari; at si voluntas in ratione causæ liberæ determinetur à iudicio practico perdit suam libertatem; quia perdit indifferentiam ad vtrumlibet. Hęc distinctio duplicis instantis naturę sumitur à Scoto *disp*. 39. *art*. 1. distinguente illud etiam in causa actu creante. Primum est, quo omnis causa est prior suo effectu. Secundum est, quo intelligitur effectus à causa, in primo est indifferens causa.

Sed hęc opinio numquam mihi placuit,

cuit, nàm ratio cur negatur iudicium practicum intellectus mouens voluntatem ad vnum præ alio est, quia hoc iudicium tollit indifferentiam, & indeterminationem voluntatis de in esse; quippè dicitur, quod voluntas ad liberè operandum debet esse omninò indifferens; sed hæc ratio nulla est; quia libertas causæ liberæ saluatur solùm per indifferentiam de possibili, qua scilicèt causa libera potest operari, vel vnum, vel aliud; per hoc enim sufficienter contradistinguitur à causa necessaria; quia causa necessaria positis requisitis operandi, & non impedita, necessariò nõ potest operari, nisi vnũ, & eodem modo, quod dici nõ potest de voluntate inclinata, & persuasa à ratione ad obiectum, in quod inclinat iuxtà persuasionem, quæ proindè remanet de possibili indifferẽt, quę indifferentia de possibili non tollitur per determinationem de in esse; qua scilicèt volũtas persuadetur iudicio practico intellectus ad vnum prę alio, quæ determinatio dicitur de in esse; quia voluntas libera posito iudicio practico pręcedente infallibiliter; sed modo libero operabitur vnum, ad quod est persuasa per alio; neque per hanc determinationem de in esse tollitur contingentia ab effectu causæ liberæ; quia effectus est contingens in ordine ad causam indeterminatã, & indifferẽtem, ad effectũ indeterminatione de possibili, scilicèt ad posse agere, quod probatur; quoniam posito iudicio practico intellectus, siuè imperio, dictante vnum præ alio, ità voluntas operatur vnum, vt potuerit operari oppositum; quia operatur modo consentaneo suæ naturæ; idest modo libero: ex opposito verò causa necessaria, positis omnibus requisitis, ità potest agere vnum, vt non potuerit non agere illud, vt fusè probabitur cum sermo erit de libertate causæ secundæ.

Neque sufficit sola ostensio obiectorum eligibilium, & non eligibilium, vel solum iudicium indifferens; quia posito iudicio indifferente, vel posito iudicio solùm ostensiuo obiectorum eligibilium, & non eligibilium; voluntas habet in se radicem eligendi vnum non potius, quam aliud; omnis enim determinatio, qua voluntas se determinat formaliter dependet à determinatione intellectus radicaliter. Libertas enim formaliter quidem est in voluntate; sed radicalicaliter in ratione; sed in ratione indifferente, quod est iudicium indifferens, vel iudicium præcisè ostensiuum obiectorum eligibilium, & non eligibilium: nulla est ratio persuadens voluntati vnum potius obiectorum eligibilium, quàm aliud.

Neque denique satis est, si dicatur, quod voluntas positis omnibus requisitis potest indifferenter vtrumlibet operari; nã hoc intelligi debet de indifferentia de possibili, non autem de in esse; indifferentia autem de possibili voluntatis liberæ, non potest esse modo libero ad vnam partem potius, quam ad aliam, nisi à ratione iudicetur intimando vnum esse potiùs eligendum, quàm aliud; quia voluntas est potentia rationalis, quæ mouetur ad vnum præ alio, secus voluntas operaretur temerè.

Dices primò: voluntas est primum se mouens quoad exercitium; sed primum se mouens se se determinat, & non ab alio; ergo non potest voluntas se se determinari ad vnum præ alio, quoad exercitium à iudicio practico intellectus, vel etiam libertas est in voluntate non in ratione; ergo cum voluntas sit primum se mouens liberum quoad exercitium, debet se se determinare ad vnum præ alio, & non à ratione.

Respondeo primò: quod duplex est determinatio causæ liberæ, quoad exercitium; alia est formalis, & alia est radicalis; prima est à voluntate; secunda verò est à ratione; quia libertas, vt diximus formaliter est in voluntate, radicaliter verò est in ratione, vt fusè dicetur suo loco.

Respondeo secundò: quod voluntas creata est primum se mouens, quoad exercitium intrà genus, non extrà genus. Primum se mouens, quoad exercitium intrà genus solùm negat aliud primum mouens in eodem genere, non autem in alio genere, sicut in causis se se inuicem causantibus, vna est independens in eo genere causæ, in quo causat, dependens verò à suo effectu in alio, & diuerso genere causæ; in re nostra, voluntas formaliter se se primò mouet, quoad exercitium, nimirùm libertate formali, radicaliter verò, quod est diuersum genus causæ, mouetur à ratione, iudicante obiectum eligendum, & non eligendum, quia vt acutissimè docet S. Thomas *prima secundæ quæst. 9. art. 1. & quæst. 17. art. 1. in corpore*, voluntas, & ratio se se mutuò mouent in diuerso genere causæ, proùt scilicèt ratiocinatur intellectus de volendo, & voluntas vult ratiocinari; in illo autem actu, quo intellectus ratiocinatur de volendo, duo sunt, specificatio, quæ est ostensio practica obiecti eligendi, & non eligendi, & exercitium actus: primum est à ratione, vt à primo mouente, quantùm ad speciem obiecti; secundum verò, vt à primo mouente

te

te est à voluntate; quia voluntas est primũ mouens, quoad exercitium actus: à ratione verò est, vt à secundo mouente; quia scilicèt est à ratione, vt mota à voluntate; secundùm enim mouens non mouet, nisi virtute primi mouentis, cum sit dependens intrinsecè in esse, & operari à primo; & hoc est proprium causarum, quæ sibi inuicem essentialiter subordinantur, vt fusè probabitur suo loco; totum autem hoc quod in creatura intellectuali reperitur formaliter, & realiter, reperitur i Deo virtualiter inter intellectum, & voluntatem; quia hæc prędicata conueniunt intellectui, & voluntati; secundùm quod intellectus, & voluntas formaliter, non verò ex differentiis, siuè taleitatibus, quibus intellectus, & voluntas restringuntur ad volũtatem, & intellectum creatum; è conuerso verò distinctio actus voluntatis in actum primò primum, & in actum secundum, quorum actus primò primus dicitur naturalis; actus verò secundus liber conuenit voluntati ex sua differentia, qua contrahitur ad creatam, & hæc prædicata non conueniunt voluntati Diuinæ; neque verùm est, quod voluntas posito iudicio indifferenti habet sufficiens principiũ à libertate sua, vt eligat hoc, vel illud, vt eligat, vel non eligat; quoniam voluntas non operatur, nisi dependenter à ratione, demonstrante, quod obiectum est eligibilius præ alio; secùs voluntas non esset boni, vt præcogniti, nec esset primum mouens, quoad exercitium tantùm, sed ratio demonstrans, vel intimans voluntati, quodnam bonum est eligendum præ alio determinat illum modo libero; quia persuadendo tantùm mouet voluntatem; hæc autem determinatio, non habetur in iudicio indifferente.

Neque dicas, iudicium indifferens potest demonstrare obiectum eligibilius, & minùs eligibile; sed non persuadendo voluntati potiùs vnum, quam aliud; at hæc ostensio satis est, & voluntas habeat sufficiens principium à libertate sua formali, vt hoc vel illud, vt eligat, vel non eligat; ergo, &c.

Respondeo enim: distinguo maiorem; potest iudicium indifferens repræsentare voluntati obiectum eligibilius, & minùs eligibile sine ratione intimante voluntati eligibilius, & concedo: cum ratione intimante, & nego; sed hęc ostensio est sufficiens voluntati, vt sua liberate eligat hoc vel illud, eligat, vel non eligat, nego minorem; quia est ostensio cum indifferentia sine persuasione ad vnũ præ alio: voluntas autem non potest se determinare, quoad exercitium ad vnum præ alio, nisi determinetur à ratione radicaliter, libertas enim formaliter, vt diximus, est in voluntate; radicaliter verò est in ratione: vel vt loquitur S. Thomas *qu. sup. cit. 17. prim. secund. ar. 1. ad 2.* radix libertatis est voluntas, sicut subiectum; sed sicut causa est ratio: idque probat; ex hoc enim, inquit, voluntas liberè potest ad diuersa ferri; quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni: & ideò subiungit, Philosophi diffiniunt liberum arbitrium, quod est liberum rationis iudicium, quasi ratio sit causa libertatis; sed de hoc ex professo disputabitur suo loco.

Dices secundò. Suprà ostendimus, quod possibile obiectiuum, est prædicatum conueniens enti quando est; sed hoc est falsum; quia dùm res est, non potest non esse; hæc autem necessitas tollit à rebus creatis contingentiam ad esse, & non esse.

Hoc argumento communiter probatur non dari in rebus creatis cõtingentiam formaliter; quia esse contingens, vel est conditio conueniens enti quando est, vel quando non est; si dicatur quando est, statim dicet aduersarius, quod res quando est, necessariò est; si dicatur quãdo non est, pariter dicet, quod res quando non est, necessariò non est: in vtroque autem modo dicendi, tollitur contingentia in rebus.

Respondeo: ex dictis ens possibile obiectiuum, siuè contingens formaliter distinctum è Deo, conuenire enti quando nõ est; sed relatum, vt diximus ad suam causam, quatenus est prior suo effectu, & quatenùs est indifferens in priori naturæ; sed in eodem instanti temporis, in quo illum causat; quia loquimur de posibili extrà, non intra causam.

Cùm verò obijcitur ab Aduersario, quod ens quando est, necessariò est; necessitas autem tollit contingentiam à rebus.

Respondeo: distinguo maiorem: duplex enim est necessitas; alia absoluta, siuè vt loquuntur in sensu diuiso, & alia est conditionata, siuè suppositionis, vel vt alij loquuntur in sensu composito; quando ens est, necessariò est necessitate suppositionis, non autem necessitate absoluta, & in sensu diuiso; necessitas, quæ tollit à rebus contingentiam, est necessitas absoluta, vt hominem esse animal rationale; materiam primam esse puram potentiam, &c. non autem est necessitas suppositionis. vt docent communiter Scholastici in materia *de Diuinis auxilijs*. In re nostra, ens, quod producitur ex nihilo secundùm se, siuè absolutè, & in sen-

ſenſu diuiſo, eſt contingens, quando eſt, vt relatum ad cauſam in eodem inſtanti temporis, in quo producitur, ſed in priori naturæ, modo explicato; effectus enim eſt contingens ſufficienter per hoc, quod in priori naturæ potuit non produci, & hoc; quia eius cauſa in priori natura eſt indifferens ad illum producendum, & non producendum; quoniam cauſa libera ſecundùm ſe conſiderata, non eſt determinata ad vnum tantùm contradictoriorum; ſed eſt indifferens ad vtrumlibet: quam doctrinam exemplificauimus exemplo libertatis Diuinæ voluntatis, qua Deus liberè ab æterno voluit producere hunc mundum, cum potuerit in priori naturæ illum non producere in principio temporis: & exemplo etiam animæ Chriſti Domini; Chriſtus enim Dominus in eodem inſtanti ſuæ conceptionis, quo ad creatam ſuam voluntatem liberè operatus eſt: cuius ratio à priori eſt; quia operatio libera, quæ eſt perfecta, non repugnat eſſe in eodem inſtanti temporis, in quo primò eſt Chriſtus Dominus, ſatis enim eſt, vt operatio actualis perfecta ſupponat ſuum principium in priori naturæ; non autem in primo inſtanti temporis; ſed de hoc fusè dicetur ſuo loco.

---

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### An poſsibile obiectiuum, & contingens, ſecundùm ſuum eſſe formale diſtinctum ab eſse Dei, ſit antè, an poſt decretum liberum Diuinę voluntatis de creando.

SEnſus articuli eſt de anteceſsione naturæ, ſiuè cauſalitatis, non autem de anteceſsione durationis. Si ponatur poſsibile obiectiuum, & contingens ſecundùm ſuum eſſe formale diſtinctum à Deo, antè decretum liberum de creando Diuinæ voluntatis; ponitur independes in ſuo eſſe formali à decreto. Si verò ponatur poſt decretum liberum de creando, ponitur in ſuo eſſe formali dependens à decreto libero Dei, nimirùm ponitur effectus liber Diuinę voluntatis; decretum autem liberum Diuinæ voluntatis, duplex eſt, aliud abſolutum, & aliud conditionatum: ſicut duplex eſt poſsibile obiectiuum ſecundùm ſuum eſſe formale, aliud abſolutum, & aliud conditionatum. Conditionatum adhuc duplex eſt, vnum conditionatum ex parte ipſius decreti, quod explicatur his verbis, ſi Deus vellet vocare, v. g. Petrum ad pęnitentiam, quod decretum dicitur etiam conditionatum ex parte actus Diuinæ voluntatis: & aliud eſt conditionatum ex parte obiecti, & hoc eſt decretum, quo Deus, v. g. ab æterno ſtatuit ſaluare Petrum, ſi finaliter Petrus ſit benè operaturus. De quibus decretis celeberrima, & difficillima quæſtio eſt apud Theologos recentiores.

Prima concluſio. Poſsibile obiectiuum conditionatum, quod, ſcilicèt, eſſet realiter, & exercitè, neceſſariò ſupponit ſuum decretum liberum conditionatum ex parte ipſius decreti, ſiuè ex parte actus in Diuina voluntate: & ſenſus eſt, quod non poteſt eſſe poſsibile obiectiuum conditionatum, niſi poſt decretum conditionatum Diuinæ voluntatis ex parte actus, quod decretum conditionatum eſt (ſi Deus vellet) & ſermo eſt de poſsibili conditionato ſecundùm ſuum eſſe formale exercitum extrà Deum, ſed conditionatè. Cōcluſio hæc valdè controuerſa eſt; primò enim eſt contra eos, qui dicunt, quod Pater in Diuinis producit Verbum, cognitione etiam poſsibilium creaturarum, ſecundùm earum eſſe formale diſtinctum ab eſſe Dei; nàm huiuſmodi cognitio nullum decretum liberum antecedens Diuinæ voluntatis ſupponit, neque quod actu exiſtit, neque quod exiſteret, vt infrà probabitur. Secundò eſt contra eos, qui dicunt primam cauſam habere neceſſariam, & eſſentialem connexionem cum poſsibilibus creaturis extrà Deum in ratione cauſæ, & cauſabilis; etenim connexio eſſentialis conuenit naturæ Diuinæ, antè omne liberum decretum voluntatis, ideſt, independenter ab omni libero decreto Diuinæ voluntatis. Tertiò eſt contra eos, qui dicunt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt ſcientia creaturarū, vt poſsibilium formaliter extrà Deum, antecedere omne decretum liberum de cauſando Diuinæ voluntatis. Quibus omnibus opinionibus non poteſt plenè ſatisfieri, niſi diſtinctis, & diuerſis articulis.

Fundamentum concluſionis eſt; quia omnis effectus præſupponit ſui cauſam; ſed decretum liberum Diuinę voluntatis de cauſando complet Deum in ratione primæ cauſæ omnipoſsibilis obiectiui ad extrà; ergo poſsibile obiectiuum quodcumque ſupponit in Deo decretum liberum de creando ſibi proportionatum. Vel alijs verbis,

bis; possibile obiectiuum conditionatum est, quod esset realiter, si Deus vellet illud causare; huiusmodi enim possibile est illud ipsum, quod esset, si Deus illud causaret; ad differentiam possibilis obiectiui absoluti, quod est illud ipsum, quod causatur, quatenùs relatum ad primam causam in priori naturæ, quo est indifferens ad causandum; sed in eodem instanti temporis, in quo causatur; sed Deus, non est causa rerum extrà se possibilium obiectorum, nisi per decretum liberum suæ Diuinæ voluntatis, quod in re nostra esset, si Deus vellet realiter producere; ergo omne possibile obiectiuum conditionatum refertur ad decretum antecedens conditionatum, quod est, si Deus vellet realiter producere. Discursus est euidens; quia hìc loquimur de possibili reali obiectiuo, non autem de possibili reali subiectiuo, siuè essentiali, neque de possibili, prout dicitur de possibili obiectiuo, & de possibili subiectiuo, de quo est cõtrouersia, an sit causabile à libera Dei voluntate, siuè à Deo, vt causa efficiẽte libera.

Quod si dicas effectus in actu, non potest esse realiter, nisi à causa in actu, sed decretum conditionatum ex parte actus, non est realiter actu in Diuina voluntate existens, neque absolutè, neque conditionatè, tùm quia conditio nihil ponit in re, tùm etiam quia decretum conditionatum ex parte actus, communiter dicitur decretum obiectiuum.

Respondeo: concedo maiorem, de causa in actu proportionata effectui; nego verò maiorem de causa in actu non proportionata. Causa proportionata possibilis obiectiui conditionati, quod scilicèt esset, est decretum conditionatum ex parte actus Diuinæ voluntatis, idest, si Deus vellet, realiter producere, quod, & si non sit actu in Deo existens, esset tamen realiter existẽs in causando, si Deus vellet. Hæc distinctio fit clara, distinctione cõsimili futuri conditionati, & futuri absoluti; futurum enim conditionutum, licet non sit absolutè in differentia temporis futuri; esset tamen realiter, si adimpleretur conditio: pariter dicendum de decreto libero conditionato ex parte actus; licet enim non sit realiter actu existens in Deo, tamen existeret realiter in causando, scilicèt, si Deus vellet. Idẽ dico etiam de conditione antecedentis, si Deus vellet; hæc enim conditio, nihil est in Deo actu, sed realiter esset, si Deus se applicaret, sicut verè potuit se applicare ad non creandum mundum in priori naturæ. Cùm denique dicitur decretum conditionatum ex parte actus, esse decretum obiectiuum, non subiectiuum in Deo; distinguo hanc secundam partem, non est decretum obiectiuum absolutè: & concedo, non esset decretum subiectiuum conditionatè, & nego; nàm realiter esset si Deus se applicaret, quod potuit simpliciter.

Aliqui docti Theologi, & Metaphysici probant hanc conclusionem alio fundamento; quia possibile obiectiuum extrà Deum est terminus materialis causæ primæ, vel absolutus, vel conditionatus; scilicèt, vel est terminus materialis absolutus, qui est, vel esset terminus, qui esset, à quo non specificatur causa prima, seù voluntas Diuina; at terminus hic est materialis, sine autem termino materiali potest esse prima causa, siuè voluntas Diuina; per hoc enim distinguitur terminus formalis à termino materiali potentiæ productiuę; quia potest esse à termino productiuo sine suo termino materiali; sed non potest esse sine suo termino formali; ergo possibile obiectiuum, secundùm suum esse formale extrà Deum, est termiuus contingens secundùm se, quia potest, vel potuisset non esse terminus: sed terminus contingens, est terminus causæ liberæ, qui necessariò supponit decretum antecedens liberum sibi proportionatum in Diuina voluntate; ergo; &c.

Sed hęc ratio soluitur à contrarijs Autoribus, qui dicunt, non posse esse primam causam sine possibilibus creaturis secundũ earum esse formale extra Deum, non propter dependentiam Dei à creaturis, vt possibilibus; sed potius propter dependentiam essentialem creaturarum possibilium à prima causa, quod supponit in Deo maiorem perfectionem; supponit enim in Deo essentialiter independentiam à dependentibus à se essentialiter, quæ est maxima perfectio in Deo; sed de hoc infrà explicabitur, quid dicendum. Nunc verò satis est ad probandã positam conclusionem ratio explicata; nimirùm, quia possibile obiectiuum formale, extra Deum est possibile, siuè non repugnans produci; sed Deus est prima causa rerũ omniũ producibiliũ ad extra, inquantũ est primum efficiens liberum; primùm autem efficiens liberum, non est in actu, nisi per decretum liberum suæ voluntatis; vt enim infrà probabitur fusè, primùm efficiẽs est solum primum intelligens, & volens; ergo quicquid est extrà Deum, siuè in esse possibili formali distincto ab esse Dei, siuè in suo esse actuali obiectiuo, est effectus Di-

Diuinæ liberæ voluntatis; omnis autem effectus causæ liberæ supponit decretum de producendo in voluntate, à quo essentialiter dependet.

Secunda conclusio. Possibile obiectiuũ absolutum, secundùm suum esse formale extrà Deum, est post decretum liberum absolutum Diuinæ voluntatis de creando. Conclusio hæc non ab omnibus recipitur; omnes enim Theologi concedunt, creaturã vt actualem extrà Deũ, esse effectum primæ causæ volentis illam producere ab æterno; sed non omnes admittunt creaturam, vt possibilem dependere à decreto Diuinę voluntatis de creando, vt infrà dicemus.

Probatur conclusio; quia possibile obiectiuum absolutum extra Deum, est ens essentialiter secundum existentiale; sed omne ens essentialiter secundum existentiale est dependens à decreto libero Diuinæ voluntatis de creando sibi proportionato; quia omne ens essentialiter secundum existentiale causatur à Deo, vt primo agente libero; Deus autem non est primum agens liberum, nisi vt primum intelligens, & primum volens; ergo possibile obiectiuum secundùm suum esse formale extrà Deum dependet à decreto libero Diuinæ voluntatis de creando; ergo non est extrà Deum, nisi post decretum liberum Diuinæ voluntatis.

Aliqui probant prædictas duas conclusiones hoc fundamento; quia omne ens formaliter extrà Deum, est effectus Diuinę voluntatis; sed possibile obiectiuum absolutum, est ens extrà Deum in illa temporis differentia, quo producitur, vel producetur; quia est illudmet, quod est, cum producitur, vel cum producetur, quatenùs, scilicèt, refertur ad suam causam indifferentem in eodem instanti, in quo actu causat: sed in priori naturæ; vel, vt alij dicunt, quatenùs in priori naturæ in genere causę materialis, vel formalis terminatiuæ, præcedit sui productionem; illudmet enim ens secundùm totum, quod in priori fuit possibile produci, in posteriori est actu productum, & è contra. Illud velim solùm hìc adnotetur, quod, cũ dicitur possibile est illudmet, quod est cum actu producitur, vel quod est cum actu producetur, sed relatum ad suam causam indifferentem in priori naturæ, &c. intelligendum est de relatione non prædicamentali, & separabili, sed de relatione essentiali, siuè trascendentali.

Sed hæc ratio non conuincit eos, qui dicunt ens essentiale in ratione essentiæ, non comproduci intrinsecè cum sua existentia; sed solùm causari à Deo in genere causæ idealis essentialis, quod genus causæ præcedit omnem causalitatem efficientem, quæ solùm est per Diuinam voluntatem, decernentem creare, vel per potentiam effectiuam distinctam à voluntate, vt in creatis, vel per potentiam effectiuam intrà latitudinem formalem intellectus, & voluntatis, vt in Deo, vt suo loco probabimus. Ad euitandam autem hanc æquiuocationem in vtraque conclusione, loquuti sumus de possibili extrà Deum obiectiuo, quod omnes dicimus produci à Deo effectiuè, non autem de possibili; extrà Deum, quod dicitur de possibili obiectiuo, & subiectiuo; in creatis enim completis in genere entis, essentia est ens possibile subiectiuum; quia est receptiuum reale suæ existentiæ, licet sit etiam comproducibile intrinsecè cum sua existentia, vt probabitur *quæst*. 5.

Contra prædictas conclusiones sunt omnia argumenta oppositarum sententiarum, quas suprà innuimus prima conclusione, quibus satisfacere plenè non possumus, nisi proponendo, & resoluendo diuersos, & distinctos articulos. Primò enim possunt arguere contra, qui contendunt creaturas vt possibiles, esse necessariò, & essentialiter connexas cum Deo in ratione causabilis, & causæ; dicunt enim creaturas vt possibiles, esse independentes à decreto libero Diuinæ voluntatis; idque probant: quia possibile obiectiuum, siuè creatura, vt possibilis dependet essentialiter à primo ente, vt potente creare; sed dependentia essentialis concernit naturam, & essentiam, & non voluntatem liberam; sed essentia in Deo intelligitur antè omnem decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando; ergo, &c. Hęc obiectio petit exactam resolutionem articuli sequentis.

---

## ARTICVLVS TERTIVS.

### An possibile obiectiuum, siuè creatura vt possibilis includat essentialiter connexionem cum prima causa in ratione causabilis, & causæ.

HIC articulus celebris est apud omnes Theologos, & Metaphysicos; quoniam à resolutione eius scientifica pendent

resolutiones multarum difficultatum, tàm n theologia, quàm in metaphysica. Quantum legi, ferè omnes tuentur partem affirmatiuam, quæ mihi semper visa est difficilis, præsertim si intelligatur hæc connexio in ratione causæ, & causabilis intèr Deum, & creaturas, vt possibiles antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando. Dicunt huius sententiæ Auctores, non posse saluari in Deo rationem primæ causæ, nisi ponatur Deus essentialiter connexus cum creaturis possibilibus in ratione causæ, & causabilis secundùm earum esse formale, & intrinsecum extrà Deum, idque probant, vt dicunt, à priori; Diuina potentia, etiam si nullo modo pendeat à creatura possibili; tamen essentialiter est independens à creatura possibili à se dependente; sed sine hac dependentia creaturæ possibilis, neque esse, neque intelligi potest Deus, vt prima causa rerum omnium extrà se; nàm prima causa essentialiter est potens creare; non potest autem Deus esse essentialiter potens causare, siuè creare, nisi sit possibile creari; quia si non esset creatura possibilis creari, non posset dependere à Deo; ergo Deus non esset essentialiter indepēdens à se essentialiter potente depēdere; ergo neque esset essentialiter causa potens creare; quia de eius essentia est posse terminare dependentiam creaturæ possibilis à se; hæc autem est connexio essentialis in ratione causæ, & causabilis; quod confirmant hac alia ratione. Si implicaret omne possibile formale extrà Deum, implicaret adhuc Deum esse primam causam; sicut è contra si implicaret esse primā causam, implicaret etiam reperiri omnipossibile formale extrà Deum; non quidem propter dependentiam Dei à creaturis possibilibus, aut propter aliquem ordinem intrinsecum Dei ad creaturam, vt possibilem; sed propter puram terminationem dependentiæ creaturæ à se; quia scilicèt prima causa est essentialiter terminus dependentiæ creaturæ à se infieri, & esse in Deo, si nō esset creatura possibilis: & è cōtrariò.

Alij dicunt potuisse esse primam causam, siuè potentiam creatiuam Dei integram, & perfectam cum negatione possibilium creaturarum, quantùm ad earum esse formale extrà Deum; duplex enim est possibile creari, vnum in Deo, tanquam in causa, & dicitur possibile causale, siuè essētiale; & aliud est possibile formale, & extrà Deum, scilicèt, distinctum à Deo; sumenda autem est hìc negatio possibilis realis extrà Deum, non pro negatione prædicati de subiecto possibili; quia implicat prædicatum in primo, vel in secundo modo dicendi per se separari à suo subiecto essentiali, de quo est prædicabile; sed sumenda est pro negatione subiecti, quod denominatur possibile; aliud enim est dicere possibile non esse possibile; aliud verò est dicere non esse possibile formale extrà Deum; quia primum est necessarium, secundum verò est contingens, sicut aliud est dicere hominē non esse animal rationale, & aliud est dicere, non esse hominem extrà Deum. Hic articulus resoluitur duplici conclusione, & duplici distintione.

Prima conclusio. Antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando, nulla est connexio primæ causæ cum creaturis possibilibus in ratione causæ, & causabilis. Sensus conclusionis est, quod nulla est connexio, quantùm ad exercitium primæ causæ, siuè potentiæ creatiuæ Dei cū creaturis, vt possibilibus in ratione causæ, & causabilis, independenter ab omni decreto libero Diuinæ voluntatis de creando, tàm absoluto, quàm conditionato ex parte actus. Explicatur primò conclusio: prima causa non potest antecedere decretum liberum de creando, nisi antecessione naturæ modo, quo supra explicauimus, quæ naturæ antecessio in causa libera creata formaliter est independentia à se depēdente; in Deo verò ad intrà, in quo nulla potest esse dependentia; quia hæc fundatur in actu permixto potentialitate, Deus verò est actus purissimum; solùm significat in Deo, esse vnam rationem quam sequitur alia; quia in Deo, vt suprà innuimus, reperitur ratio causę, & ratio effectus virtualiter, & consequenter prius, & posterius virtualiter; sicut enim causa realis in essendo, alia est realiter, & alia est virtualiter, sic prius natura aliud est realiter, siuè formaliter, & aliud est virtualiter.

Explicatur secundò: duplex est connexio causæ, & causabilis necessaria; alia necessitate exercitij, & alia necessitate specificationis: intelligitur conclusio de necessitate exercitij.

Conclusio hęc primò est contra eos, qui contendunt possibile essentiale, siuè subiectiuum causari necessariò à Deo, tamquam à prima causa ideali, non autem tāquam à causa prima prima efficiēte libera; causa autem idealis virtualiter in Deo precedit rationem causæ efficientis; illa est antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando; causa verò prima efficiens libera, non est actu causa, nisi post decretum

tum liberum voluntatis de creando. De hac opinione fusè disputabitur *q. 5. seq.* Secundò est contra alios, qui dicunt, quod antè omne decretum liberum de creando, vel absolutum, vel conditionatum, præsupponitur necessariò necessitate exercitijs creatura vt possibilis, possibilitate, nimirùm obiectiua; quæ possibilitas, inquiunt, intelligitur esse in priori naturæ dependenter à Deo, inquantùm est essentialiter potens creare, & hanc dependentiam creaturę à Deo, vt potente creare, vocant connexionē essentialem, siuè necessariam in ratione causæ, & causabilis; sed necessitate exercitij.

Prima ratio fundamentalis conclusionis est. Connexio primæ causæ essentialis cum creaturis, vt possibilibus in ratione causę, & causabilis antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis supponit in Deo imperfectionem; quia supponit in Deo rationem causę necessariæ rerum ad extrà; ratio autem causę necessariæ inuoluit essentialiter imperfectionem; sed primæ causę repugnat omnis imperfectio; ergo, non potest prima causa antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis includere essentialiter necessariam connexionem cum creaturis, vt possibilibus in ratione causę, & causabilis. Minor principalis argumenti, quod scilicèt ratio causę necessariæ inuoluat essentialiter imperfectionem probatur. Primò, quia causa necessaria causat, vt mota à superiori intellectu, demonstrante ei finem, & media necessaria ad finem; at causare vt motum essentialiter inuoluit imperfectionrm. Secundò, quia causa necessaria causat ex eo præcisè, quod est actu, v.g. ignis causat alium ignem; quia est actu ignis, quod est proprium causę secundę, ad differentiam causæ liberæ, quę causat; quia intelligit, & vult; at causare, quia est præcisè, inuoluit essentialiter imperfectionem, quod est causę secundę; quia est ratio causę sine dominio causandi: causę verò liberę, est causare cum dominio, scilicèt imperando, & volendo, quę est suprema ratio causæ, & supremus modus agendi. Hæc ratio sumitur in terminis à S. Thoma *p.p. qu. 29. ar. 4. in corpore*, vbi probat, dicendum esse necessariò voluntatem Dei esse causam rerum omnium, & Deum agere per voluntatem, & non per necessitatem naturæ; quia, inquit, Deus est primum agens; sed hoc est agens per intellectum, & voluntatem, quia agens per intellectum, & voluntatem pręcedit agens per naturam, quod probat; quia agens volens, & intelligens agit se mouens; quia agit præscribendo sibi finem, & media; agens verò naturale, siuè per naturam agit; quia pręscribitur ei finis ab agente intellectuali, quod est causare, vt motum.

Respondere possunt, qui dicunt essētiam creaturę non causari à Deo, vt à prima causa efficienti; sed solùm vt à prima causa ideali, prædictam rationem vim habere de possibili obiectiuo, non autem de possibili subiectiuo, siuè essentiali; quia agere, vt motum ab agente intellectuali superiori, est proprium causę agentis naturalis, siuè necessarij; at causa idealis pręcedit in Deo; nimirùm causa idealis, idealitate essentiali, rationem causę agentis liberę; essentia autem creaturę in ratione essentię nullo pacto est terminus creationis, & efficientię; sed solùm causatur à Deo; quia est primum possibile essentiale, siuè imitabile essentialiter; hęc autem ratio primi imitabilis, & primi possibilis virtualiter pręcedit rationem causę efficientis, quę respicit existentiam sui effectus, non essentiam.

Sed hæc responsio reijcitur facilè eodem medio. Primò, nàm ratio causę necessarię in vniuersum, est sine supremo dominio agendi; sed hęc ratio causę inuoluit essentialiter imperfectionem; quia inuoluit carentiam causandi cum supremo dominio, quę est maxima, & suprema perfectio; ergo non est concedenda in Deo ratio causę idealis essentialis ante omne liberum decretum Diuinę voluntatis de creando. Secundò: causa necessaria in vniuersum dicit essentialem, & necessariam connexionem necessitate exerciti j ad terminum formalem extrà se; quia causa necessaria in vniuersum habet necessariam connexionem ad suum obiectum formale, & primarium, à quo scilicèt specificatur; sed causa prima non habet obiectum formale, & primarium extrà se; quia causabile est effectus diuisus in esse à sua causa.

Neque dicas, quod causa necessaria alia est prima, & alia est secunda; causa necessaria secunda est, quę specificatur ab ab obiecto formali extrà se, non autem causa necessaria prima; nàm.

Contra est, quia implicat causam primā esse necessariā in causando; quia causa prima, est causa perfectissima, causa autem perfectissima, est causa efficiens libera, ergo implicat causam primam esse causa necessariam. Secundò, causa necessaria in vniuersum est determinata ad vnum tantum; causa enim ne-

necessaria semper causat idem, & eodem modo; quippè per hoc contradistinguitur à causa libera, quæ causat cum pleno dominio, quod vult; hęc autem ratio causę repugnat Deo, vt diximus.

Neque dicas secundò: in Deo ad intrà datur agens, vt volens, & intelligens necessarium, necessitate nimirùm naturali, non violenta, & coacta; sed ad intrà in Deo est principium primum; ergo non implicat, seù contradicit primo principio esse causam necessariam, necessitate nimirùm connaturali; nàm.

Contra est; quia in Deo ad intrà datur agens, vt intelligens, & volens necessarium puræ originis, non autem causalitatis. Primo agenti, siuè primæ causæ simpliciter repugnat esse non solùm agens necessarium causalitatis; sed etiam omnis ratio causæ necessariæ, vt ostendimus, & ratio à priori est; quia ad intrà Deus habet terminum adequatum, & intrà suum esse, quod est essentialiter necessarium.

Secunda ratio fundamentalis conclusionis est; quia omne possibile extrà Deum, tàm obiectiuum, quàm subiectiuum, siuè tàm existentiale, quàm essentiale, est terminus, siuè effectus purè materialis primæ causæ; sed terminus materialis secundùm se, & absolutè, non est necessariò connexus necessitate exercitij cum prima causa in ratione causabilis, & causæ; ergo causa prima secundùm se, & absolutè non dicit necessariam connexionem necessitate exercitij cum creaturis, vt possibilibus in ratione causæ, & causabilis. Maior manifesta est; quia omne possibile, siuè obiectiuum, siuè subiectiuum extra Deum, secundùm suum esse formale, & intrinsecum est terminus, à quo non specificatur causa prima, aut Diuina potentia, tùm quia est terminus secundarius, specificatio autem potentię, siuè causę est à suo termino primario; possibile verò extrà Deum est ens essentialiter secundum: tùm etiam quia prima causa, seù Diuina potentia est omninò independens in quocumque genere causæ à suo causato, specificari verò dicit essentialem dependentiam à suo specificatiuo. Minor verò principalis argumenti probatur, primò; quia omnis causa potest esse sine suo termino materiali; completur enim in suo esse à termino suo formali; terminus verò materialis est extrà omne complemẽtùm formale. Ratio hęc sumitur in terminis à S. Thoma *p. p. qu. 19. art. 3. in corp.* vbi probat, quod voluntas Diuina, seù prima causa habet necessariam habitudinem ad suum bonum primarium, & formale, à quo specificatur; sicut, & quęlibet alia potentia necessariam habitudinem habet ad suum proprium obiectum formale, vt visus ad colorem; quia de sui ratione est, vt in illud tendat; ea verò, quæ sunt extrà Deum non vult Deus necessariò, sed liberè ab æterno, nimirùm, ita ea volut, vt potuerit non velle, & rationem huius hanc assignat S. Thomas; quia sine omni possibili ad extrà absolutè, & simpliciter potuit esse Deus, quod probat: quia bonitas est perfectissima seipsa; tùm quia est infinita in sua ratione formali, & essentiali; tùm quia nihil ei perfectionis accrescit ex creaturis possibilibus ad extrà; vndè infert, quod Diuina bonitas potest esse integra, & perfecta sine vlla bonitate creata, vel creabili extrà Deum; sed ex hoc euidenter sequitur primam causam, siuè Diuinam voluntatem nullam habere necessariam connexionem cum creaturis possibilibus necessitate exercitij antè omne liberum decretum Diuinæ voluntatis de creando. Dico absolutè, & simpliciter: etenim supposito, quod Deus voluerit, non potuit non velle; quia Deus est intrinsecè immutabilis. Explicat hanc doctrinam S. Thomas exemplo voluntatis creatæ, quæ volendo finem efficaciter, non necessariò vult media, sine quibus finis esse potest, sicut non necessariò vult equum, qui vult ambulare; ab opposito autem si quis finaliter intendat suæ vitæ conseruationem, necessariò debet velle cibum, & volens transfretare necessariò vult nauem; quia cibus est necessarius ad vitę conseruationem, & nauis necessaria ad transfretandum.

Communiter respondere possunt Authores sententiæ dupliciter posse causam habere necessariam, et essentialem connexionem cum suis causatis in ratione causæ, & causabilis, vel scilicèt propter dependẽtiam causę à suis causatis, & effectibus, vel solùm propter dependentiam effectus à causa; Deus autem habet necessariam connexionem cum creaturis, vt possibilibus, non propter dependentiam Dei à creaturis possibilibus; sed solùm propter essentialem dependentiam creaturę possibilis à Deo, vt vt potente illam creare; quia hoc competit Deo ex sua infinita, & perfectissima ratione causę.

Sed hęc responsio eisdem rationibus reijcitur; quoniam dependentia essentialis effectus à sua causa dupliciter intelligi potest, alia antè omnem decretum liberum Diuinę voluntatis de creando, & alia post de-

decretum liberum; hìc loquimur de prima dependentia, quæ omninò implicat esse, & intelligi à prima causa; quia hæc dependentia tollit à Deo rationem primæ causę, vt ostendimus, & plenum dominium causandi. Secundò, quia causa potest esse sinè omni termino suo materiali, etiam à se dependente; ergo, &c.

Tertia ratio est, quia Deus antè omne decretum liberum vt sic, est tantùm primum ens in essendo; sed vt sic nullam dicit connexionem ratione causæ, & causabilis cum possibilibus; ergo, &c.

Contrariam sententiam defendunt ferè omnes Recētiores, quos legi, & eam pręferti m conantur probare acutis rationibus Hieronymus Fasolus in *p.p. S.Th.qu.*12.*ar.* 8. *dub.* 14. & Marcus Antonius Palumbus *in suo exam.Scholast.in p.p.S.Thomæ exam.*3. *sup.q.*12.*c.*3. cùm hac diuersitate, quod Fasolus loquitur de possibili obiectiuo, Palūbus verò asserens Deum, vt primam causā essentialiter inuoluere connexionem necessariam cum possibilibus creaturis in communi, locutus est de possibili essentiali, & subiectiuo extrà Deum, non de omni possibili, tàm subiectiuo, quàm obiectiuo; nàm hic Doctor tuetur essentiam in ente creato completo, in genere entis in ratione essentiæ non esse terminum creationis, neque per se, neque cum alio; sed tantùm in ratione entis existentialis, vt supponit in *examine Scholastico ad q.*14. *p.p.doctrina* 2. *de scientia Dei in speciali*, *dicto* 1., dicens quod scientia simplicis intelligentiæ terminatur ad obiecta, proùt sunt possibilia; possibilia verò, inquit, non possunt non esse possibilia, cum hoc prædicatum sit illis intrinsecum, & independens ab omni productione. Eandem doctrinam repetit *sup.q.*25. *de Diuina potentia*, *dict.*4. neque per hoc ponit essentiam creaturę incausatam à Deo in ratione essentia; quoniam ponit eam causari intrinsecè à Deo, vt prima causa ideali essentiali, ad differentiam nimirùm causæ idealis complentis causam agentis.

Quod si ei primò opponas, rationem causæ necessariæ non posse habere locum in Deo, vt ostendimus.

Respondebit: distinguendo de causa necessaria, alia nimirùm est causa necessaria idealis idealitate essentiæ, & alia est causa necessaria effectiua; ratio causæ necessariæ effectiuæ est repugnans primæ causæ ab rationem à nobis allatam, quę est S. Thomæ; ratio autem causæ necessariæ idealis idealitate essentiali non item; & hęc est, quę causat antè omne liberum decretum Diuinę voluntatis.

Quod si secundò dicas, hìc esse sermonem de possibili obiectiuo, & existentiali; non autem de possibili subiectiuo, & essentiali; & hoc possibile in probabili opinione causatur à Deo in genere causę idealis antecedenter ad omne decretum liberum Diuinę voluntatis; sed possibile obiectiuum, & existentiale, est quod causari debet à prima causa in genere causę efficientis; quia existentia est terminus efficientię, quę non potest esse in Deo antè decretum liberum Diuinę voluntatis de creando.

Respondebit fortè primò; quod possibile obiectiuum in suo esse formali extrà Deum potest dupliciter considerari; vno modo in esse concepto, siuè signato; alio modo in esse exercito, siuè in re. Primo modo intrat conditionem essentię; quia consideratur vt definibile definitione essentiali. Secundo modo, ingreditur conditionem, siuè modum proprium existentiæ. Primo modo, intelligitur antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis de creando, quo pacto, dicunt Thomistę, pertinet ad scientiā simplicis intelligentię. Secundo modo consequitur decretum liberum Diuinę voluntatis, & hoc pacto pertinet ad obiectum scientię visionis.

Respondet fortè secundò: possibile obiectiuum extrà Deum esse possibile secundùm potentiam subiectiuam essentię antecedenter ad omne decretum liberum Diuinę voluntatis de creando; quia potentialitas subiectiua essentię, cum sit ipsissima essentia creaturę causatur à Deo, vt à prima causa ideali idealitate essentiali, quę est in Deo antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis, non verò esse possibile possibilitate obiectiua independenter à decreto libero Diuinę voluntatis.

Sed vtraque responsio est potius fuga, quàm solutio. Primò quia possibile quodcumque extrà Deum, siuè essentiale, siuè subiectiuum, siuè obiectiuum, est essentialiter terminus materialis primę causę, tàm in genere causæ efficientis, quàm in genere causę idealis; sed causa prima potuit secundùm se, & absolutè in priori naturę esse sine suo termino materiali, siuè cum negatione actuali sui termini materialis, non solùm; quia causa prima non potest esse rerū ad extrà, nisi causa libera; at causa libera in priori naturę est indifferens ad vtrumlidet modo suo, nimirùm causa libera creata est indifferens indifferentia potentię ad diuersos actus; potentia libera increata verò in-

indifferens indifferentia vnius actus ad diuersos terminos, siuè ad diuersa obiecta; sed vtraque indifferentia est ad esse, & non esse, scilicèt, ad esse positiuum, & ad negationem esse positiui; sed etiam, quia causa quęcumque necessariam connexionem habet tantùmodò ad suum obiectum formale, primarium necessitate specificationis, vt docet S. Thomas *p.p.q.19.ar.3.* dicens, quod voluntas Diuina necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam, quæ est propriũ eius obiectum; sicut, & quælibet alia potentia necessariam habet habitudinem ad proprium, & principale suum obiectum, vt visus ad colorem; quia de sui ratione est, vt in illud tendat, non autem habet vniuersaliter necessariam connexionem exercitij cum suo termino formali. Vel alio modo, hoc est, quodlibet possibile extrà Deum non est obiectum formale causæ primæ, siuè Diuinæ potẽtiæ, scilicèt non est obiectũ, à quo specificatur prima causa, siuè potentia Dei; ergo prima causa, siuè potentia Dei creatiua absolutè, & simpliciter antè omne decretum liberum de creando, nullam habet necessariam connexionem, necessariam necessitate exercitij cum creaturis, vt possibilibus secundùm earum esse formale extrà Deum. Secundò hoc ipsum probat S. Thomas hoc medio; quia perfectio, siuè bonitas Dei est in se perfecta, sine creaturis, vt possibilibus extrà Deum, cum nihil ei perfectionis accrescat ex possibilibus creaturis extrà Deum; hoc autem posito, necessariò sequitur Deum posse esse, vel potuisse esse sine creaturis, vt possibilibus extrà Deum. Explicatur, & probatur hęc ratio ab opposito; nàm quęlibet causa secunda, & creata, ideò causaliter non potest esse sine suis effectibus, vt possibilibus in seipsis; quia effectus causæ secundæ, vt possibiles extrà causam, sunt terminus formalis, à quo scilicèt specificatur causa secunda, & radix huius à priori est; quia causa secunda est limitata ad vnum genus causæ; hęc autem non implicat, vt causetur in alio genere causę à suo effectu; at possibiles creaturæ, siuè possibilitate obiectiua, siuè possibilitate subiectiua, non sunt terminus formales primæ causæ; ergo potuit esse prima causa absolutè, & simpliciter, sine possibilibus creaturis, tàm subiectiuis, quàm obiectiuis extrà Deum. Sępè repetiui, sine possibilibus formalibus, siuè extrà Deum; quia duplex est possibile produci, siuè causari; aliud est in causa, quod dicitur possibile secundùm potentiam actiuam causę, siuè possibile causale; & aliud est possibile extrà causam, quod communiter dicitur possibile formale, siuè in se. Cùm dicimus posse esse causã primam absolutè, & simpliciter, siuè antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis, loquimur de negatione actuali omnis possibilis formalis, & extrà Deum, non autem cum negatione possibilis in Deo. Prętereà hic loquimur de causa prima, vt est primum ens in essendo, non in causando; quia loquimur de Deo antè omne decretum liberum,

Neque dicas, quod connexio causæ primę cum creaturis, vt possibilibus in ratione causæ, & causabilis, non aliud dicit, nisi independentiam causę primæ à creaturis, vt possibilibus à se dependentibus essẽtialiter. Sed hęc præintelligitur in Deo antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis de creando; quia dicit perfectionem, sine vlla imperfectione, independentia enim fundatur in actu; sed in Deo antè omne omne liberum decretum de creãdo, pręexistit omnis perfectio sine imperfectione; Deus enim secundùm se, & absolutè est actus purissimus, hìc autem est essentialiter actus, qui est omnis actus; actus verò perfectio est; ergo, &c. etenim.

Respondeo primò; distinguo maiorem; dicit independentiam à se dependente: vt à causa libera concedo maiorem, vt à causa necessaria, & nego maiorẽm; quia dependentia creaturæ possibilis à Deo, vt à prima causa, est à causa libera, non à causa necessaria, vt suprà sufficienter ostendimus; dependentia autem libera causalis non potest esse antè omne liberum decretum de causando; quia causa libera est actu causa intelligens, & liberè volens. Cùm verò dicit opponens, hanc independentiam causæ à se dependente dicere perfectionem sine vlla imperfectione in causa; sed in Deo antè omne liberum decretum de creando pręexistit omnis perfectio, tàm formalis, quàm eminentialis, siuè causalis; ergo, &c.

Respondeo: distinguo maiorem; connexio in ratione causæ, & causabilis dicit in Deo perfectionem liberam in causando, & concedo: perfectionem necessariam in causando, & nego; quia ratio causę necessariæ, vt suprà ostendimus, inuoluit perfectionem essentialiter permixtam cum imperfectione; in Deo autem non potest esse, nisi perfectio excludens omnem imperfectionem, qualis est perfectio primę causæ liberæ in causando. Cum denique dicitur ab opponente, quod hæc perfectio libera in causando, quæ scilicèt est independentia pri-

primæ causæ à se dependentibus præexistit in Deo ante omne liberum decretum de creando; hoc autem non potest verificari, nisi dicatur, quod possibilitas creaturæ extrà Deum, sit dependens à Deo ante omne liberum decretum de creando. Respondeo, nego assumptum, quia hęc dependentia est libera, dependentia autem effectus à causa libera, est à causa liberè volente. Neq; oppositum probatur per hoc quod dicitur, quod hęc independentia à se dependente, præexistit in Deo ante decretum liberum de creando, quia hęc propositio patitur distinctionem, pręexistit enim vt perfectio in essendo, non vt perfectio in causando; Deus enim non est causa libera rerum extra se, nisi in causando, præcisè: at non potest Deus actu causare, nisi vt volens actu causare, quo pacto inuoluit decretum liberum de causando.

Respondeo secundò, esse independentiā à se dependente, vt termino materiali, non vt termino formali; causa omnis potest esse sine suo termino materiali.

Dicet fortè Aduersarius, quod libertas in Deo in actu secundo non est perfectio libera; hęc .n. est opinio Eminentissimi Caietani, quæ ferè ab omnibus reijcitur.

Sed hæc instantia facilè soluitur; duplex enim est perfectio libera, alia in essendo, & in causando simùl, & alia tantùm in causando: perfectio libera primo modo, nullo pacto est, neq; esse potest in Deo; quia inuoluit essentialiter imperfectionem: verùm perfectio libera in causando tantùm, non repugnat diuinæ perfectioni purissimæ: & fortè in hoc sensu loquutus est subtilissimus Caietanus, cum posuit libertatem velle diuini in Deo, esse liberam perfectionem, vt suo loco fusè explicabitur.

Neq; secundò dicas pro Aduersarijs, causam necessariam efficientem inuoluere essentialiter imperfectionem; at Deus ante omnem decretum liberum diuinæ volūtatis est tantùm causa necessaria idealis, quæ causat solùm ex eo quod est ideabilis, seù imitabilis; ideò enim est creatura possibilis, quia Deus est primum possibile ideabile, & participabile, nam.

Contrà est. Primò; quia omnis causa, vt docuit S.Th. *1.p.q.19.de voluntate Dei*, dicit solùm necessariam habitudinem ad suum obiectum formale, ac primarium, scilicèt, à quo specificatur; at omnis entitas extra Deum, siuè essentialis, siuè existentialis, est purus terminus materialis primæ causæ, tam idealis, quàm efficientis, & quidem sine termino materiali, vt dixi, potest esse causa prima.

Secundò. Cōtra est, quia in Deo non potest esse alia causa, nisi causa prima, sed causa prima est causa efficiens, quia causa prima est causa intelligens, & volens; ergo non datur in Deo causa idealis essentialis distincta virtualiter à causa ideali, quæ complet agens in ratione agentis.

Quod si exponas; in Deo, pręter rationē causæ efficientis reperiri etiam causam terminatiuam substantialem, vt est subsistentia personalis, & etiam rationem causæ formalis intelligibilis; diuina enim essentia, vt suo loco probabitur est, sua forma intelligibilis in intellectu creato eleuato lumine gloriæ.

Respondeo, tam causam terminatiuam substantialē, quàm causam formalē intelligibilem in Deo in actu secundo, inuoluere operationē intrinsecā actiuam; quia, vt dixi in Deo non potest esse alia ratio causę, nisi quæ fundatur in actu; actus autem actiuus est; sed actiuitate, quæ est sua operatio, quę est acuta, & profunda doctrina S.Tho., qui adhuc immensitatē in Deo, dicit compleri in actu per operationem locatiuam, vt fusè demōstrabitur suo loco, nimirum, Deus est in loco per operationem cōtinentem locū: est forma intelligibilis intellectus eleuati lumine gloriæ, quatenus in priori naturæ perficit intellectum creatum in genere intelligibilis operatione intelligibili, sicut forma substātialis, vt anima rationalis perficit corpus extensū, & diuisibile operatione vnitiua diuisibili, constituendo materiā prius natura in specie humana, quàm sit principium radicale operandi, sic etiam, & subsistentia personalis Verbi Diuini sustentat, & terminat naturam humanam assūptam, operatione substentatiua, & terminatiua, quæ est ipsamet subsistentia personalis Verbi Diuini, quatenus sit terminus substentatiuus naturæ humanæ terminabilis substantialiter, vt terminabile secundarium, eo modo, v.g. proportionali, quo velle diuinum seipso fit velle termini secūdarij, & materialis; sicut enim voluntas diuina est suum velle, sic & immensitas diuina est sua operatio locatiua, quę est sufficiens ad continēdum omnem locū actualem, & possibilē; sic etiam personalitas Diuini Verbi est sua intrinseca substentatio, quæ est operatio substentatiua; sed de hoc disputabitur suis in locis. Pręterea hęc causalitas terminatiua est adhùc libera, quia subordinatur imperio diuino.

Secunda conclusio. Causa prima post liberum decretum diuinæ voluntatis de creando habet necessariam connexionem cum creaturis vt possibilibus extra Deum

in ratione cauſæ, & effectus, ſiuè cauſę, & cauſabilis; hæc autem connexio eſt neceſſaria neceſſitate ex ſuppoſitione, non autē neceſſitate abſoluta. Senſus concluſionis eſt, quod cauſa prima dependenter à libero decreto ſuæ voluntatis habet connexionem neceſſariam in ratione cauſæ, & cauſabilis cum poſſibilibus creaturis; hæc autem connexio eſt ſuppoſitionis, ex eo quod prima cauſa ſe determinat ad cauſandum ad extra, tempore ſtatuto à ſuo intellectu diuino. Hæc concluſio poteſt alijs verbis explicari, facientibus eundem ſenſum formalem; nimirùm cauſa prima vt eſt primum in cauſando, habet neceſſariam connexionem cum creaturis vt poſſibilibus formaliter extrà Deum in ratione cauſæ, & cauſabilis; quippè primum ens, vt eſt primum in cauſando eſt primum cauſans liberum, primum verò cauſans liberum non cauſat, niſi ſe determinando liberè, hęc autem determinatio libera eſt decretum liberum diuinæ voluntatis de cauſando. Explicantur termini; prima cauſa dupliciter ſumi poteſt; vno modo, vt eſt primum ens in eſſendo; alio modo, vt eſt primum ens in cauſando: hęc diſtinctio entis in ens in eſsendo, & in ens in cauſando, traditur communiter à Thomiſtis, qui ſicut diſtinguūt eſſentiam, & exiſtētiam in eſſentiam, & exiſtentiam in genere entis, & in eſsentiam, & exiſtentiam in genere agentis; ita diſtinguunt ens in ens in eſsendo, & ens in cauſando. Prima cauſa eſt primum ens; ergo diſtingui poteſt in primum ens in eſſendo, & in primum ens in cauſando; vt eſt primum ens in eſſendo, eſt tantùm fundamentaliter, ſiuè virtualiter primum in cauſando, non autem formaliter; ideò enim cauſaliter Deus eſt primum in cauſando res extrà ſe, quia eſt primum ens in eſſendo. Concluſio duas habet partes; prima pars probatur, quia connexio in ratione cauſæ, & cauſabilis eſt independentia cauſæ à ſe dependente, ſed hæc non intelligitur in Deo, niſi poſt decretum liberum de creando, quia ante omne decretum liberum de creando, non eſt poſsibile in ſuo eſſe formali extrà Deum; ergo non poteſt eſſe dependentia poſsibilis à prima cauſa; vis rationis fundatur in hoc, quia Deus, neque in eſſe, neque in operari, eſt connexus cum nihilo formaliter, ideſt, cum non ente formaliter, quia eſse eſt actus realis, ſicut, & operatio, reale verò non habet connexionem cum nihilo realiter.

Secunda pars, quod hęc connexio ſit neceſsaria ex ſuppoſitione, probatur, quia cauſa prima eſt cauſa libera rerum omniū extrà ſe, & hoc, quia eſt primum operans ſimpliciter; primum autem operans ſimpliciter eſt intelligens primum, & volens liberum, ſed cauſa prima libera non poteſt habere aliam connexionem cum ſuo effectu, niſi ex ſuppoſitioue, non enim poteſt habere aliam conditionem in operando, niſi quæ non deſtruit eius libertatem; hæc autem conditio eſt tantùm ex ſuppoſitione, qua dum res cauſat, in eo inſtanti, in quo cauſat, non poteſt non cauſare; ad eius enim libertatem ſatis eſt, vt in priori potuerit non cauſare. Hāc doctrinam negant *Ocam diſt. 38.. Holcot*, vt refert *Mayr. & Gabr. ibid.* iſti enim negant in cauſa actu cauſante cauſam eſse priorem natura ſuo effectu, & explicant contingentiam in effectu cauſæ liberæ in eo ſitam eſſe, quia effectus ita procedit à ſua cauſa libera, vt ex ſua tantùm indiſſerentia poſsit non continuare effectum. Sed hæc explicatio eſt ab effectu, non autem à cauſa primę contingentiæ, prima enim cauſa contingentiæ in effectibus liberis, eſt quia cauſa libera in priori naturæ, ſicut producit effectum, ita poteſt non producere.

Obijcies primò contra primam concluſionem; rationes Faſoli, & Palumbi *loc. ſup. cit.* quas ſumpſerunt à S. Tho. *p. p. qu. 12. & q. 14. & primo contra gent. c. 49. ratione 3.* Prima cauſa eſsentialiter includit omnipotentiam, quæ eſt cauſa rerum omnium ad extra: ſed omnipotentia includit eſsentialiter connexionem in ratione cauſæ, & cauſabilis ante decretum liberum de cauſando; ergo, &c. Minor probatur, quoniam omnipotentia eſſentialiter eſt in Deo ante omne decretum liberum creando; hæc autem eſt potentia ex ſe efficax omne poſſibile abſolutum, quia de ratione eſſentiali omnipotentiæ eſt, vt ſit factiua omnipoſſibilis. Probatur vis argumenti, quia omnipotentia fundatur in actu puriſſimo, hic autem eſt ante omne decretum liberum. Quod ſi riſpondeas, quod potentia diuina non ordinatur ad effectum poſſibilium extrà, ſed potius è conuersò.

Statim arguunt contrà, quod omnipotentia habet connexionem cum poſſibilibus creaturis, non quia cauſa prima, ſiuè omnipotentia inuoluat eſſentialiter ordinem ad omnipoſsibile extrà, & formaliter; ſed quia eſt eſsentialiter terminus creaturæ poſsibilis à ſe, quod in Deo ſupponit ſummam perfectionem; quia ponit in Deo omnimodā independentiam à poſſibilibus extrà, à ſe eſſentialiter dependentibus.

Re-

Digitized by Google

Respondeo: distinguo maiorem; omnipotentia Dei, siuè prima causa dupliciter sumi potest, vel ante decretum liberum de creando, vel post decretum; nimirum vel independenter, siuè præscindendo à decreto libero de creando, vel dependenter, siuè non præscindendo à decreto libero (in Deo enim non datur alia prioritas nisi prioritas naturæ virtualiter, vel vt alij dicunt prioritas præcisionis fundamentalis.) Prima causa, siuè omnipotentia Dei independenter à decreto libero de creando, non habet connexionem essentialem cum possibilibus formalibus extrà: & ratio est primò; quoniam independenter, siuè ante decretum liberum diuinæ voluntatis de creando, non est possibile extrà Deum secundùm suum esse formale, & intrinsecum, vt suprà ostendimus; sed solùm reperitur negatio possibilis, quod est subiectum, de quo prædicatur possibile, cum nihilo autem Deus non habet necessariam connexionem causæ, & causabilis. Secundò, quia ante decretum liberum de creando Deus, vel omnipotentia Dei, non habent rationem causæ completæ, & formaliter; verùm post decretum, idest dependenter à decreto habet prima causa, siuè omnipotentia Dei connexionem in ratione causæ, & causabilis cum possibilibus formalibus extrà. Radix huius doctrinę est, quia Deus est prima causa libera rerum omnium extrà se, causa autem libera completur in ratione causæ, libero decreto de creando; causat enim intelligens, & volens.

Dices primò, ante omne decretum liberum diuinæ voluntatis, Deus est ens primum, & perfectissimum; at primum, & perfectissimum ens, est prima, & perfectissima causa; ergo, ante, idest, independenter, vel præscindendo à decreto libero Deus est prima, & formaliter causa: sed de ratione causæ est, vt sit causatiua sui possibilis absoluti; ergo ante omne decretum liberum diuinæ voluntatis, causa prima, siuè diuina omnipotentia dicit connexionem essentialem cum possibilibus formalibus extrà in ratione causæ, & causabilis, scilicet est essentialiter terminus dependentiæ possibilium à se.

Respondeo primò: distinguo maiorem; Deus, siuè omnipotentia Dei ante omne liberum decretum de creando, est ens primum, & perfectissimum in essendo, & radicaliter, & concedo; in causando, siuè in ratione causæ liberæ, & primæ, & nego; decretum liberum diuinæ voluntatis de creando necessarium est ad rationem primæ causæ in causando ad extrà, non autem est necessarium ad primam causam, vt est primum ens in essendo; prima enim causa est causa libera rerum omnium extrà se in causando tantùm, non in essendo; est verò causa libera formaliter, & completa post decretum liberum de creando.

Doctrina hæc fundatur in hoc principio, quod posita causa completa, & in actu, secundùm omnes suas conditiones sequitur effectus, non autem posita causa non adhuc completa; Deus ante omne decretum liberum diuinæ voluntatis de creando, non est adhuc completus in ratione primæ causæ liberæ, sed tantùm dicitur completus radicaliter, & in essendo, nimirum ante omne decretum liberum de creando Deus est omnis actus, & omnis perfectio, sine imperfectione in essendo; non autem formaliter est omnis perfectio in causando.

Dices secundò: ratio primæ causæ, siuè omnipotentiæ fundatur in perfectione, siuè in actu, sed decretum liberum diuinæ voluntatis, nihil perfectionis addit in Deo, tum quia Deus est immutabilis, tum etiam quia decretum liberum diuinæ voluntatis, est ipsummet velle diuinum, quatenus seipso fit velle, siuè causa termini materialis, & secundarij; ex termino autem materiali nihil perfectionis accrescit velle diuini; tota enim, & integra perfectio habetur ex termino primario, & formali.

Respondeo, quantum nunc satis est (plena enim huius difficultatis solutio explicabitur, cum sermo erit de diuina libertate in actu secundo) velle diuinum dupliciter posse considerari, vno modo quatenus est velle sui termini primarij, vt participabilis diminutè ad extrà; alio modo, prout vt sic fit seipso velle termini secundarij, & materialis; quandoquidem velle Diuinum liberum non potest esse velle termini materialis, & secundarij, nisi sit velle liberum etiam termini primarij, nimirum non potest liberè velle creaturas extrà se, etiam vt possibiles secundùm earum esse formale, nisi quia liberè suam bonitatem vult illis communicare, cum posset non velle, quandoquidem creaturę etiam vt possibiles extrà Deum, non sunt bona necessaria. Velle liberum primo modo accrescit Deo perfectionē; velle verò liberū secūdo modo nullam accrescit Deo perfectionē, & ratio est manifesta, quia omnis perfectio actus est ex suo obiecto, siuè termino formali, &

ideò velle Diuinum, quo Deus vult suam bonitatem diminutè communicare ad extra, seipso intrinsecè immutato, fit velle liberum creaturarum; quia creaturæ, siuè actuales, siuè possibiles sunt terminus tantùm materialis, & tota mutatio est in creaturis, quę ex non esse traducuntur ad esse à velle libero Diuino.

Instabis: velle Diuinum, sicut & omnis potentia, & omnis actus, dicit necessariam habitudinem ad suum obiectum formale, & primarium, vt docet S. Thomas *p.p. q.19.* sed Diuina bonitas est obiectum formale velle Diuini, & Diuinæ voluntatis; ergo non potest Deus velle liberè suam bonitatem.

Respondeo primò: distinguo maiorē; omnis potentia, & omne velle, dicit necessariam habitudinem ad suum obiectum formale, necessitate specificationis, & concedo; necessitate exercitij, & nego: & hæc distinctio valet in vniuersali; descendendo autem ad velle Diuinum, dico, quod velle Diuinum dupliciter potest considerari; vno modo, quatenus est velle Diuinæ bonitatis, vt adæquatè communicabile ad intrà, & sic velle Diuinum est necessarium, siuè necessariam habitudinem habet, quantùm ad exercitium, ad suā Diuinam bonitatem; alio modo, quatenùs est velle Diuinę bonitatis, & communicabile inadęquatè, & diminutè ad extrà, & sic non est velle necessarium, sed liberum; quia potuit Deus in priori naturæ, modo explicato, non velle communicare suam bonitatem ad extra; quia non sunt bona necessaria, creaturæ, etiam vt possibiles ad bonitatemDiuinam, cum sint termini puri materiales. Doctrinā hanc profundè satis explicat Marcus Antonius Palumbus in *examine Scholast. ad qu.19.p.p. S.Thom. de volunt. Dei c.3. dict.8.* solùm differt à nobis; quia asserit velle Diuinum, quod est necessarium velle suę Diuinæ bonitatis, fieri seipso velle liberum in actu secundo, ex hoc præcisè, quia seipso fit velle termini materialis, quæ sunt creaturæ ad extrà: nos verò adhuc velle Diuinum esse liberum, quatenùs fertur ad bonitatem Diuinam, vt diminutè participabilem ad extrà, vt fusè dicetur suo loco.

Obijcies secundò: causa prima, siuè Diuina Omnipotentia, non potest quidditatiuè cognosci, nisi cognoscantur creaturæ vt possibiles, saltem in generali; sed hęc connexio in cognoscendo fundatur in cōnexione in essendo, in ratione causæ, & causabilis; ergo prima causa dicit essentialem connexionem cum creaturis, vt possibilibus in ratione causæ, & causabilis: sed connexio essentialis est in Deo antè omne decretum liberum de creando suæ Diuinæ voluntatis. Maior est apertissima sententia S.Thomæ, nam *p.p. quæst.14. ar.5.* vt probet Deum cognoscere alia à se, assignat hanc rationem; quia cognoscit virtutem suam, dicens vniuersaliter, quod virtus alicuius rei perfectè cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quæ virtus se extendit, & *primo contra Gentes cap.49.* dicit, quod Deus non potest cognoscere se esse aliorum causam, nisi cognoscat aliqualiter causatum, & *in quartum dist.49. q.2. ar.5.* dicit, quod non potest cognosci potentia, nisi sciantur potentiæ obiecta, ratio autem a priori huius est; quia de ratione causæ est, vt possit habere effectus à se dependentes, hac ratione probat S.Thomas *p.p. q.19.* quod omnis potentia dicit necessariam habitudinem ad suum effectum, v.g. visus dicit essentialem connexionem ad visibile; quia de ratione visus est, vt tendat in visibile, sicut de ratione intellectus est vt sit ad intelligibile; ergo, &c.

Respondeo primò: distinguo maiorē; causa enim prima) idem dico de omni potentia) dupliciter sumi potest, vno modo antè omne decretum liberum de creando; alio modo post decretum liberum de creādo. Hæc distinctio eadem est in sensu formali cum distinctione, qua distinguitur prima causa in primum ens in essendo, & in primum ens in causando. Maior vera est de prima causa post decretum liberum de creando, siuè de prima causa, vt est primum ens in causando; falsa vera est de prima causa, antè omne decretum liberum de causando, vel de prima causa, vt est primū ens in causando, & ratio est, quia prima causa antè omne decretum liberum de causando, siuè prima causa, vt est primum ens in causando est fundamentaliter, & radicaliter potens causare, eo modo, v.g. quo substantia creata, semotà ab ea potentia formali, & actiua agendi est fundamentaliter potens causare non formaliter cum hac differentia, quod substantia creata est causa intrinseca realiter suæ potentiæ actiuæ; in Deo verò esse primum ens in essendo, quod competit Deo antè omne decretum liberum de creando, tàm absolutum, quàm conditionatum ex parte actus, est virtualiter causa, vt ipsummet sit primum causans, quod formaliter est; quia est primum intelligens, & volens; connexio essentialis effectus, vt possibilis est cum sua causa, inquantùm est causa formaliter, non autem inquan-

quantùm est causa fundamentaliter, siuè virtualiter, quia causa virtualiter, siuè fundamentaliter completur per formam, quatenus per eam est ens actu in essendo, quod nullam dicit connexionem cum effectibus vt possibilibus formaliter extra causam. Cùm S. Thomas *locis præallatis*, dicit, non posse Deum cognoscere alia à se, nisi cognoscat suam virtutem, & quod virtus alicuius rei perfectę cognosci non potest, nisi cognoscantur ea, ad quę virtus se extendit, loquitur de cognitione causæ, inquantum est causa formaliter, vel de cognitione causæ inquantum est causa completa in ratione causæ, vel quod idem est, loquitur de causa, inquantum est prima in causando, non autem inquantum est prima in essendo. In re nostra, prima causa, siuè omnipotentia Dei in causando, non est adhuc completa, nisi post decretum liberum de creando. Cum verò ab opponentibus dicitur, quod omnis causa habet necessariam connexionem cum suo obiecto, vera est hæc propositio, de causa in causando, & de obiecto formali, à quo nimirum specificatur, non autem de obiecto materiali; & hanc ob causam, potentia, v.g. visiua in creatis, antequam actu videat habet essentialem habitudinem ad visibile, quod est suum obiectum formale, quia potentia creata omnis habet suum specificatiuum formale extrà se; causa autem prima, siuè diuina omnipotentia in causando habet suum obiectum formale, & primarium intrà se, quod est diuina perfectio, quatenus est essentialiter perfectio creaturarum; res autem omnes ad extrà, sunt purus terminus materialis. Cęterum, antè omne decretum liberum diuinæ voluntatis, nimirū indepēdenter, siuè pręscindendo ab omni decreto libero de causādo, nullū est possibile formale distinctū à Deo, sed solummodò est Deus vt primum ens in essendo, vel solùm est Deus, prout est in se omnis perfectio, non solùm formalis, sed etiam omnis perfectio prima non implicans contradictionem in Deo. Incumbit autem Aduersarijs probare, quod ante omne decretum liberum diuinæ voluntatis de creando, sit omnipossibile formaliter distinctum à Deo, & hoc non alio medio probant, nisi quia Deus ante omne liberum decretum de causando, est prima causa, & omnipotens, & hoc probant, quia Deus est primum ens in essendo, vel quia Deus est actus purissimus; hic autem actus purissimus est omnipotens, quia est infinitè actiuus; at implicat Deum esse omnipotentem ante omne decretum de creando, & non esse omnipossibile formale distinctum à Deo, siuè extrà Deum, quia omnipotentia essentialiter est omnipossibilis, quod scilicet non implicat esse, & fieri extrà Deum.

Sed istę rationes facilè soluuntur; ante enim omne decretum liberum de creando, est prima causa, & omnipoteus, quatenùs prima causa omnipotens est idem formaliter, quod primum ens; vel quod idem est, est prima causa in essendo, non autem in causando, nam Deus in causando est causa libera, causa autem libera causat intelligens, & volens, quæ inuoluit decretum liberum de causādo. Exemplum est clarum, hoc enim modo dicimus, quod velle diuinum in essendo est necessarium; in causando verò est liberum; ità enim causat res, quas vult causare, vt potuerit illas non causare; in causando autem completur prima causa per decretum liberum. Nos solùm negamus connexionem primæ causæ cum possibilibus creaturis in essendo, nimirùm contendimus Deum esse primum, & perfectissimum ens cū negatione actuali omnis possibilis extrà Deum, & consequenter posse videri Deum quidditatiuè, & essentialiter, vt primam causam in essendo, non videndo possibiles creaturas, etiam in generali; Aduersarij autem tantummodò probant non posse videri primam causam, & omnipotentiam Dei, quatenùs sunt primum in causando, siuè vt primum causans liberum, nisi videantur saltem in generali omnia possibilia secundùm eorum esse formale extrà Deum, & huiusmodi cognitio necessariò supponit in Deo decretum liberum de creando.

Instabis: si implicaret omnipossibile secundùm suum esse, siuè in essendo, implicaret etiam primum potens, seù prima causa adhuc in essendo; & è contra: sed hæc mutua connexio in ratione primi, & secundi est antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis de causando; quia est mutua consequentia in essendo; sed consequentia in essendo virtualiter præcedit cōnexionem in causando; Deus verò est causa intelligens, & volens liberè; ergo ante omne decretum liberum de creando, prima causa habet intrinsecam connexionem in essendo cum creaturis, vt possibilibus, & è contra, cum hac diuersitate, quod sequela primi entis ex eo, quod ponuntur secunda entia possibilia, est sequela causæ ex suis effectibus; sequela verò possibilium in essendo ex primo ente, est sequela, siuè conse-

sequentia, aut connexio effectus à sua causa, Hoc argumentum est Achilles aduersariorum, & variè soluitur ab Authoribus nostræ sententię.

Respondeo primò: negando suppositum; supponit enim instantia antè omne decretum liberum de causando Diuinæ voluntatis dari omnipossibile formale extrà Deum; quæ est manifesta petitio principij, & omnis propositio, quæ assumitur, est de subiecto non supponente; antè enim omne decretum liberum de causando, non datur, nisi primum ens in essendo, scilicèt datur ens perfectissimum, à nullo alio in esse dependens, & negatio omnis entis secundi extrà primum.

Quod si dicant Aduersarij: independẽter ab omni decreto libero Diuinæ voluntatis de creando, Deus est primum possibile, & primum ens; sed non potest dari primum possibile, & primum ens, sine possibili secundo, & à se dependente. Præterea remoto primo, remouentur omnia secũda, & positis secundis, necessariò debet præsupponi primum.

Respondetur eadem distinctione datur primum possibile, siuè primum ens in essẽdo; & concedo: primum ens in causando; & nego: possibilia secunda, sicut & secunda entia, non solùm in causari, sed etiam in esse, sunt effectus essentialiter dependentes à primo ente, vt primo in causando; quia sunt essentialiter effectus; primum ens essentialiter est primum in essẽdo; quia est primum ens necessè esse; non autem est primum ens in causando necessarium, sed liberum; at primum causans liberum formaliter est primum causans, vt intelligens, & volens liberè producere ex nihilo extrà se effectus inadæquatè, & diminutè similes suæ perfectioni, siuè suæ formæ; quia prima causa non est causa vniuoca rerum extrà se; sed causa analoga, quæ non est manifestabilis in suis effectibus, nisi inadæquatè; consequentia mutua, quàm faciunt aduersarij, & connexionem in ratione causæ, & causabilis est inter Deum, & creaturas, intèr illum vt volentem liberè causare, & creaturam, quæ causatur.

Neque huic responsioni acquiescunt Aduersarij; nàm dicunt ante omne liberum decretum Diuinæ voluntatis de creando in Deo est formaliter potentia, & est formaliter voluntas; sed potentia essentialiter est possibilis, & voluntas essentialiter est volibilis; ergo antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis præintelligitur in Deo connexio primę causæ cum possibilibus in ratione causæ, & causabilis.

Respondeo: eadem distintione ante omne decretum liberum de creando in Deo reperiuntur potentia creatiua, & voluntas formaliter in essendo; & concedo: in causando; & nego: vel vt alij loquuntur, reperiuntur in Deo potentia creatiua, & potẽtia volitiua secundùm earum esse intrinsecum, non autem secundùm, quod sunt causans formaliter; quia sunt formaliter causans extrà se liberum, hoc autem formaliter est per decretum liberum Diuinæ voluntatis.

Quod si dicas; aliud esse in Deo ante decretum, nõ reperiri voluntatem Diuinam actu causantem, & aliud esse non reperiri voluntatem Diuinam, vt potentem formaliter causare, Vt reperiatur inter Deum, & creaturas connexio in ratione causę, & causabilis satis est, vt reperiatur potentia volitiua formaliter, & potentia creatiua, vt creatiua formaliter.

Respondeo, quod in Deo reperiuntur voluntas, & potentia creatiua ante omne decretum liberum Diuinę voluntatis in essendo, non autem in causando; formaliter enim constituuntur in ratione potentię in causando per decretum liberum de creando; quia sunt potentiæ productiuæ ad extrà liberę, potentia autem liberè causans, neque in actu primo, neque in actu secundo, nisi per velle, vt liberum, quod est decretum liberum Diuinæ voluntatis. Difficultas ad intelligendum hoc oritur; quia nos concipimus potentiam productiuam ad extrà in Deo conceptu abstracto à potentia productiua in creatis, in quibus potentia productiua est essentialiter ordinata ad terminum ad extrà, scilicèt, non solùm inquantùm est principium actus secundi operandi; sed etiam inquantùm est principium effectus, à quo specificatur; at considerandum est, quod perfectio actiua in Deo rerum ad extrà reperitur demptis omnibus imperfectionibus, & secundùm quod est causa termini materialis, non autem secundùm, quod est causa termini formalis, qui fit extrà Deum; respectu autem termini materialis non datur potentia formaliter; quia hęc est ad terminum formalem; at omne ens extrà Deum est terminus materialis potentię Diuinę. Secundò, quia potentia productiua ad extrà in Deo non est, nisi causa libera; hæc autem formaliter est per liberum decretum Diuinæ voluntatis.

Neque dicas, quod in Deo antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis, non fo-

solùm est prima potentia, vt primum ens; sed etiam est prima potentia, inquantùm est primum principium effectus ad extrà, vt docet S. Thomas *p.p. q.25. ad secundum*, nam hæc potentia antè omne decretum liberum de creando, non est potentia, nisi radicaliter.

Vnica, & vera solutio omniũ prædictarum rerum est; quia potentia formaliter in Deo est per decretum liberum in causando; sed nos hìc loquimur de Deo antè omne liberum decretum de creando; sicut, v.g. remotis Personalitatibus à Diuina essentia, non remanent Personæ; sed solùm antè decretum liberum Diuinæ voluntatis reperitur potentia creatiua Dei fundamentaliter, & radicaliter, quæ deindè fit potentia formaliter, & actu causans per velle liberum, seu per liberum decretum. Similiter cum dicitur, quod antè decretum Deus est potens causare.

Respondeo cum distinctione: est potens creare fundamentaliter, siuè radicaliter; & concedo: est potens creare formaliter; & nego: posse verò creare fundamentaliter in Deo, idem est, quod Deus sit primum ens in essendo.

Contrarij vim faciunt in hoc; quia potentia creatiua essentialiter inuoluit creabile, vt terminum materialem à se dependentem; hæc autem potentia essentialem habet connexionem cum posibilibus creaturis à se essentialiter dependentibus.

Sed hæc ratio soluitur, distinguendo maiorem posito decreto libero de creando, concedo maiorem: sed nego dari hanc potentiam formaliter in Deo antè omne decretum liberum de creando; sicut datur in Deo voluntas, sed non antè intellectum; & datur æternitas, sed non ante esse immutabile. Incũbit Aduersarijs probare, dari hanc potentiam formaliter in Deo antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis, quod non posśunt probare; quia potentia creatiua formaliter est per decretum liberum Diuinæ voluntatis; quia, scilicèt, Deus liberè vult creare.

Quod si dicas; hæc potentia creatiua formaliter in Deo est perfectio; sed Deus antè omne decretum liberum suæ Diuinæ voluntatis, est omnis perfectio; ergo, &c.

Respondeo: est perfectio in causando liberè, & concedo: perfectio in essendo, & nego; quia perfectio in causando, in Deo est perfectio virtualiter ex perfectione in essendo, dependenter ab intellectu, & voluntate. In Deo, sine dubio, est omnis perfectio, & in essendo, & in operando; sed cum ordine, siuè cum causalitate virtuali, scilicèt, quia vna perfectio est causa virtualiter alterius; hæc autem perfectio in causando liberè est in Deo, quia Deus iudicat esse operandum; sicut in Deo est omnis perfectio, sed vna est causa virtualiter, vt insit alia suo modo. Perfectio autem in causando in Deo est perfectio libera, non in essendo, sed in causando; ideò enim Deus liberè causat res extra se, quia liberè iudicat communicandam esse suam bonitatem diminutè extra se.

Cônantur Aduersarij ostendere in Deo esse connexionem in ratione causæ, & & causabilis cum posibilibus creaturis, antè omne decretum liberum suæ Diuinæ voluntatis eo medio; quia si implicaret omnipossibile, implicaret etiam omnipotentia in Deo; & è contra, si implicaret omnipotentia, implicaret adhuc omnipossibile formale extrà Deum; sed hoc dicit necessariam connexionem intèr omnipotentiam, & omnipossibilem in ratione causæ, & effectus; quia dicit vnum non posse esse sine alio, & alium sine vno; hic autem est conceptus quidditatiuus connexionis in ratione causæ, & effectus, scilicèt in ratione primi, & secundi entis; ergo, &c. Maior probatur primò, si implicaret omnipossibile, illud non posset dependere à prima causa, siuè ab omnipotentia Dei; sed per hanc impossibilitatem periret conceptus essentialis omnipotentiæ; quia omnipotentia est, quæ potest terminare dependentiam omnipossibilis à se; at si implicaret omnipossibile, non posset esse terminus dependentiæ; ergo non esset essentialiter omnipotentia, seu potentia creatiua; quia non haberet conceptum quidditatiuum potentem terminare dependentiam. Hanc instantiam fusè explicat Fasolus *p.p. qu.17. art.1. dubit.2. num.1.*

Respondi suprà, negando sequelam maioris, vel negando suppositum maioris propositionis. Maior enim supponit omnipossibile formale esse extrà Deum, ante omne decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando, quod est falsum; quia implicat esse effectum independenter à sua causa; at ante omne decretum liberum de creando, non est omnipotentia in causando; sed tantùm in essendo in Deo, vt suprà ostendimus.

Respondeo secundò; negando sequelam maioris; & ratio est; quia omnipotentia, est prior quam omnipossibile simpliciter; prius autem, vt prius potest esse sine suo posteriori. Sine dubio si implicaret omnipotentia, implicaret etiam omni-

ni-

impossibile; quia implicat esse posterius sine suo priore; at nos solùm contendimus posse esse omnipotentiam in Deo cum negatione omnipossibilis formalis, & extra Deum. Neque oppositum probatur, cum dicitur ab opponentibus, rationem, cur non possit esse omnipotentia sine omnipossibili, non esse dependentiam omnipotentię ab omnipossibili; sed potius esse essentialem dependentiam omnipossibilis ab omnipotentia, sine qua dependentia, neque esse, neque intelligi potest Deus formaliter potens causare, seu creare; nàm posse creare, est posse facere creaturam dependentem à se in fieri, & conseruari: at semper illud verum est, quod prius, vt prius potest esse sine suo posteriori, modò prius non dependeat à posteriori, & ratio est manifesta; quia vnum non posse esse sine alio, fundatur in imperfectione, siuè in potentialitate; potentialitas autem fundat dependentiam; at prius vt prius est independens a suo posteriori, præsertim quando prius est prius simpliciter. Tunc vim haberet argumentum, quando verum esset, omnipossibile esse effectum omnipotentiæ, vt causæ necessariæ: quam ob causam, essentia non potest esse sine sua proprietate; quia essentialiter est causa necessaria suæ proprietatis; & in causis creatis causa non potest esse sine suo effectu possibili; quia causa creata in diuerso genere causæ dependet à suo effectu possibili.

Ad hoc melius intelligendum, supponendum duplex esse omnipossibile in Deo vt in prima causa, & possibile, vt effectum. A primo specificatur omnipotentia Dei; quia est terminus formalis: a secundo, non; quia est terminus materialis. Hic contendimus posse esse omnipotentiam in Deo, cum negatione actuali omnipossibilis extra Deum; non autem cum implicantia omnipossibilis extrà Deum, & hoc solùm probat connexionem necessariam specificationis, non exercitij, de qua est controuersia.

Quod si dicas; omnipotentia in Deo definitur quidditatiuè, siuè essentialiter à S.Thoma *p.p.q.24.ar.1.* quæ potest facere quicquid non implicat in suis terminis cōtradictionem, nimirùm extra Deum; quia possibile fieri, est possibile potentiale; hoc autem est possibile extrà Deum.

Respondeo: concedo maiorem; sed nego hanc omnipotentiam esse in Deo cōpletam, & formaliter, antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando. Quoniam vt sæpè repetiui, omnipotentia in causando completur per decretum liberum, quo posito, vltrò conceditur connexio in ratione causæ, & effectus intèr omnipotentiam, & omnipossibile extrà Deū; at antè decretum non datur omnipotentia formaliter in causando, sed in essendo, quæ nō aliud dicit, nisi primum ens, siuè actum purum.

Respondeo quartò: distinguo sequelā maioris. Si implicaret omnipossibile formale, & extrà Deum, implicaret cum suo contradictorio omnipotentiæ in Deo, & concedo: implicaret omnipotētia in Deo absolutè, & simpliciter sine suo contradictorio, & nego. Hoc enim argumentum est ex impossibili formali, quod est ridiculum apud Metaphysicos, & Theologos. Solùm discursus est verus, perfectus, & concludens, quando argumentamur ex impossibili materiali, v.g. si homo non esset animal, sed solùm rationalis, adhuc discurreret. Quo argumentandi genere ipse Aristoteles vsus est ad inuestigandum, quodnam sit principium formale alicuius operationis. Et hoc genus argumenti vsurpant Philosophi ad probandum aliquod se habere impertinēter ad quidditatē alicuius rei. Hoc autē argumētū: vt si omnipossibile, implicaret omnipotentia, est ex impossibili formali, ex quo sequitur quodlibet, nimirùm, ex quo sequitur vnum semper cum suo contradictorio, & è conuerso. Vt si arguatur: si homo esset Leo, non esset rationalis; & ratio est, quia contradictio est ex hypothesi, non ex natura rei. In re nostra, hoc arguit tantùm connexionem specificationis ex parte termini materialis, non autem connexionem exercitij, vt *suprà* diximus.

Respondent alij ad hoc argumentum, quod si implicaret impossibile formale extrà Deum, implicaret omnipotentia, non quantùm ad suum esse intrinsecum: sed solùm quantùm ad tendentiam ad terminum extrinsecum; quia scilicèt non est possibilis terminus extrinsecus, ad quem terminetur, siuè tendat omnipotentia, siuè virtus creatiua; sed hęc tendentia, & terminatio nihil perfectionis addit esse Diuino intrinsecè.

Alij respondent negando absolutè sequelam, ad probationem, qua dicitur si non esset omnipossibile, periret conceptus omnipotentiæ; quia Diuina potentia non posset terminare dependentiam creaturæ à se.

Respondent primò: hoc contingere, non defectu omnipotentiæ, sed defectu termini.

Respondent secundò: distinguendo an-

antecedens; quia hoc dupliciter intelligi potest; vel quia defectus sit ex parte Diuinæ potentiæ, & negant antecedens; vel ex defectu termini, & concedunt antecedens; sed tunc nihil sequitur, & explicatur exemplis, nàm quod Deus non cognoscat, quod non est cognoscibile; hoc nihil imperfectionis, aut defectus ponit in Diuino intellectu; quia perfectio intellectus est cognoscere, quod cognoscibile est; sed totus defectus est ex parte termini, qui non est cognoscibilis. Deus non potest mouere corpus in instanti motu successiuo; non quia hoc proueniat ex defectu potentiæ Dei; sed ex defectu termini, qui non est possibilis, & radix omnium responsionum prima est; quia omnipossibile, siuè terminus extrà Deum, est solummodò terminus materialis Diuinæ potentiæ; ex defectu autem termini materialis, siuè ille sit per simplicem apprehensionem actualem termini, siuè sit per implicationem termini, nihil perfectionis minuitur Diuinę potentię; quia perfectio potētię tota est ex termino suo formali, à quo scilicèt specificatur.

Quod si dicas: omnipotentia Dei dicitur; quia Deus potest omnia possibilia absolutè, siuè Deus dicitur omnipotens; quia potest omnia, quæ in suis terminis non implicant contradictionem, ex eo quia possibile absolutum ex seipso, siuè in seipso habet causam intrinsecam suæ possibilitatis absolutè; ideò enim sunt possibilia, quia in in eis prędicatum non repugnat subiecto, vt Sortem sedere, hominem esse animal, & huiusmodi; sed ex hac definitione infertur omnipossibile absolutum, esse terminum formalem, non materialem omnipotentiæ Dei; significat enim quod ratio formalis cur Deus possit possibilia absoluta, & secūdùm se, est quia possibilia absoluta nō implicant contradictionem in suis terminis; hæc autem est ratio formalis terminandi; sicut, v. g. esse visibile est ratio formalis obiectiua cur visus videat colorem, & intelligibile est ratio, cur intellectus intelligat hominem, quod euidenter notificatur ab opposito; nàm ratio formalis obiectiua cur Deus non potest facere, v. g. hircum ceruum, & vniuersaliter impossibile absolutum, est quia impossibile absolutum inuoluit prædicatum contradicens subiecto, vt hominem esse equum.

Respondeo, quod duplex est terminus formalis, siuè ratio formalis obiectiua, alia est obiecti formalis, & primarij, & alia est obiecti materialis, & secundarij; hæc distinctio, & diuisio persimilis est diuisioni, siuè distinctioni obiecti in genere cognoscibilis, & in genere entis. Ratio formalis in genere obiecti materialis, est ratio formalis ex parte rei, quæ terminat operationem potentiæ præcisè. Ratio verò obiecti, siuè termini formalis, & primarij, est ratio formalis potentiæ, vt possit tendere in obiectum, v.g. futuritio, non est ratio, siuè causa formalis intellectui Diuino, vt illud cognoscat scientia visionis; sed solùm est ratio formalis ipsi rei futuræ, vt possit cognosci scientia visionis in Deo. In re nostra, non repugnantia prędicati cum subiecto, est solùm causa formalis ipsi possibili, vt possit esse effectus Diuinæ omnipotentiæ; non autem est ratio formalis Deo, vt possit producere, quod non implicat contradictionem. Neque ex hoc tollitur, quin Deus sua omnipotentia sit causa prima, vt sint extrà se possibilia absoluta; nàm ratio prima cur Deus possit producere omnia possibilia absoluta, est; quia Deus est primum possibile absolutum; primum autem est causa cæterorum extrà se. Ratio autem prima, cur Deus non possit facere impossibilia absoluta ex parte ipsius Dei est; quia Deus est primum possibile tantummodò; primum autem possibile non est prima causa, nisi omnium possibilium absolutorū extrà se. Ratio hæc in terminis sumitur à S.Thoma *p.p.q.25. ar.3.* vbi probat, quod Deus est omnipotens, quia potest facere omnia possibilia absoluta hoc medio; quia cum vnumquodque agens, agat sibi simile, vnicuique potentiæ actiuæ correspondet possibile, vt obiectum proprium secundùm rationem ilius actus, in quo fundatur potentia actiua; at Deus est primum possibile in tota latitudine possibilis absoluti; quia est ens primum, siuè ens perfectissimum; ergo Deus non potest sua omnipotētia, nisi possibilia absoluta; vndè quicquid non potest habere rationem entis, siuè possibilis absoluti; quia scilicèt implicat in se esse, & non esse simul, inquit S.Thomas, non subditur, omnipotentia Dei, non propter defectum Diuinæ potentiæ; sed propter defectum termini, qui inuoluit contradictionem.

Plures docti Metaphysici vltrò concedunt, radicem ex parte termini cur possibilia, absoluta possunt esse terminus omnipotentiæ Dei, esse, quia Deus est primum possibile; sed negant hanc ipsam rationem esse radicem cur Deus non possit facere, quæ implicant contradictionem; sed dicunt totam radicem impossibilitatis non prouenire à Deo; sed oriri ab ipsis impossibilibus; id-

idque probant authoritate S. Thomæ *loco modo citato in corp. ar. 3.* cum ait, conuenientius dici, quod impossibilia non possunt fieri, quàm quod Deus non potest illa facere. Secundò ratione; quia in vnoquoque genere debet dari vnum primum; sed impossibile absolutum non potest habere aliud prius se; ergo est impossibile ex seipso, solùm ex eo quia prædicatum contradicit suo subiecto.

Sed hæc doctrina nunquam mihi placuit, quatenùs asserit impossibilitatem oriri solùm ab ipsis impossibilibus extra Deũ, nàm prima radix cur impossibilitas conueniat creaturis implicantibus contradictionem, & consequenter, quod non sint factibilia à Deo est, quia Deus est primum possibile purissimum, tùm quia primum possibile est causa omnium possibilium, ex quibus ob eorum repugnantiam intrinsecam intèr se constituitur impossibile, vel quia primum possibile excludit à se positiuè, & contrariè rationem impossibilis absoluti, vel quia implicat Deum esse impossibilem. Sed de hoc fusè alibi disputabitur.

Obijcies tertiò, contrà secundam conclusionem: connexio in ratione causæ, & causabilis, est relatio intrinseca causæ ad suum causabile; sed prima causa, neque antè decretum liberum de causando, neque post decretum potest habere intrinsecã relationem ad terminum extrinsecum, siuè extrà se; ergo neque post decretum liberum Diuinæ voluntatis prima causa habet connexionem intrinsecam cum creaturis, vt possibilibus in ratione causæ, & causabilis.

Hæc obiectio petit resolutionem alterius articuli curiosi, nec facilis resolutionis, qui est sequens.

---

## ARTICVLVS QVARTVS.

### Vtrum in Deo, vt in prima causa, sit vlla relatio realis intrinseca ad creaturas, tanquam ad effectus, siuè vt possibiles, siuè vt actuales.

HIC articulus supponit dari relationem realem formaliter in rebus, non quidem in sensu eorum, qui dicunt relationem realem formaliter esse fundamentum, terminùm, & rationem fundandi; sed in sensu illorum, qui dicunt relationem realem formalem, esse respectum, siuè ordinem vnius, vt fundamenti, ad aliud vt terminum; nimirùm qui adest fundamento in ordine ad terminum; vel vt loquitur Durandus in 1. *dist. 3. q. 1. n. 10.* est ratio, siuè ordo in fundamento existens realis, coexigens aliud vt terminum ad quem: vt, v. g. esse simile in albo, est respectus realis vnius albi formaliter existens in albedine vnius, coexigens aliam albedinem, & ratio huius à priori S. Thomæ est, tunc esse relationes reales, quando respectus est in ipsa natura rerum; est autem in ipsa natura respectus realis vnius ad aliud; quoniam res ad inuicem inclinationem intrinsecam habent; hęc autem inclinatio est relatio realis formaliter, etenim inclinatio vnius ad aliud non absoluitur ab alio, vt à termino talis inclinationis, de quo fusè disputabitur quæstione de relatione prædicamentali, qua ratione facilè diluuntur fundamenta oppositæ sententiæ, quorum.

Præcipuum est: quia ad denominationem relatiuam realem sufficiunt terminus, & ratio fundandi; idque probant. Primò, vt vna albedo habeat ea prædicata formalia, quę habet alia albedo. Secundò, quia relatio à fundamento non differt, nisi per illud, per quod differt ab absoluto; sed relatio nõ differt ab absoluto, nisi per hoc, quod importat terminum ad quem; nàm absolutum importat solum seipsum, quod est dicere.

Primò, relationem formalem non facere compositionem etiam virtualiter cum suo fundamento; quia scilicèt non ponit terminum in eodem subiecto cum fundamento, nec aliquam aliam realitatem.

Secundò; relationem differre realiter à suo fundamento, solùm per terminum ad quem, quem includit, quem terminum non includit fundamentum.

Quod si eis obijcias, in Diuinis dari relationes reales originis, qui sunt respectus, & ordines formaliter existentes in Diuinis personis; nàm formaliter Pater refertur ad Filium; Filius formaliter refertur ad Patrem, & Pater, & Filius referuntur ad Spiritum Sanctum relatione vnius spiratoris. Sed idem dicendum est de paternitate, & filiatione in creatis, sola remota vnitate personarum in vna natura, siuè essentia. Pater enim in creatis generat filium cum diuisione intrinseca numerali specificæ naturæ. Minor probatur, quia ratio cur Pater referatur relatione paternitatis ad Filium in Diuinis, pręscindendo à communicatione eius-

eiusdem numero naturæ, est; quia Pater producit Filium modo assimilatiuo in eadem natura Diuina; sed etiam in creatis Pater producit Filium modo assimilatiuo in eadem natura specifica.

Respondent statim; quia isti respectus in Diuinis sunt per modum trascendentalis relationis, vt multorum, & probatorum Theologorum est opinio, & isti respectus non faciunt alium sensum, nisi esse primam Personam, quæ generat, & esse secundam, quæ generatur. Relatio autem trascendentalis est ipsum fundamentum absolutum, quatenùs proportionatum alij. Sed hoc fũdamentum ratione suprà allata facillimè soluitur; quoniam præter fundamentum, & terminum, & rationem fundandi, datur realis, & intrinseca inclinatio fundamenti ad aliud, vt terminum ad quem. Cùm

Primò dicitur, quod vna albedo est similis alij, quia habet ea predicata essentialia, quæ habet alia albedo; hoc verùm est causaliter, siuè fundamentaliter, non autem formaliter; siuè verum est in sensu causali, non in sensu formali. Cùm

Secundò dicitur, relatio à fundamento non differt, nisi per illud, quod differt ab absoluto: concedo maiorem, sed nego minorem; relatio enim differt ab absoluto adæquatè differentia formali, per hoc, quod est intrinseca inclinatio vnius, vt fundamẽti, ad aliud, vt ad terminum ad quem, nàm fundamentum est causa subiecto, non solùm, vt denominetur relatiuum ad aliud; sed etiam est causa ordinis formalis, quo refertur formaliter ad suum terminum; quippè fundamentum habet intrinsecam inclinationem ad suum terminum; hæc autem inclinatio est relatio formaliter media inter fundamentum, & terminum.

Idem dicendum est de relationibus producentis, & producti, quæ sunt in Diuinis, & in creatis; ratio enim à priori cur in Diuinis sunt relationes originis formaliter est, vt dicemus cum S.Thoma *suo loco*; quia personæ Diuinæ realiter sunt inuicem ordinatæ, & habent intrinsecam inclinationem; quia persona producens dans esse, inclinat in personam productam; & è conuerso persona producta, quia recipit esse à persona producente, inclinat in illam: pariter relationes secundi generis in creatis, quæ fundantur in actione, & passione est clarior doctrina; tùm quia actio est actualis inflexus inclinationis potentiæ ad effectum producendum in passo; tùm quia continuò potentia inclinat ad actũ, siuè patiẽdi, siuè agendi, quo mediante respicit terminũ.

Relatio realis in creatis diuiditur in triplex genus relationum, nimirùm in relationes, quæ fundantur in qualitate, & quantitate; in relationes, quæ fundantur in actione, & passione, seù in ratione causæ, & effectus; & in relationes, quæ fundãtur in mensura, & mensurato. Primi generis sunt relationes æqualitatis, & similitudinis. Relationes secundi generis, sunt paternitas, v.g. & filiatio. Relationes verò tertij generis, sunt relationes scientiæ ad scibile, & sensus ad sensibile.

Præterea ex relationibus causæ ad effectum, aliæ sunt relationes causę ad effectum, sine vlla dependentia ab effectu; & alię sunt relationes causæ ad effectum cum intrinseca dependentia causæ ab effectu, in diuerso genere causæ. Ratio huius diuisionis est; quia relatio causę ad effectum proportionatur suo fundamento, quod est causa formaliter; sed causa alia est cum omnimoda independentia à suo effectu, vt est causa prima in causando; alia est cum dependentia à suo effectu in diuerso genere causæ, qualis est causa creata; quia hęc, cũ sit limitata ad genus, non prohibetur, quin causetur, & dependeat à suo effectu in diuerso genere causę. His breuiter explicatis inquiritur in articulo, an in Deo, tanquam in prima causa, reperiatur aliqua relatio formalis realiter ad creaturas, vt ad suos effectus, siuè posibiles, siuè actuales.

Prima conclusio: in prima causa, quatenùs est prima in essendo, scilicèt quatenus est primum ens in essendo, nulla reperitur relatio realis intrinsecè, & formaliter. Sensus conclusionis est, quod prima causa, inquantùm est primum ens in essendo in suo essentiali nullam includit relationem realem ad creaturas, siuè posibiles, siuè actuales. Fortè in hoc sensu loquitur S.Thomas *p.p.q.13.art.7.* dicens, quod in Deo non est aliqua realis relatio eius ad creaturas, & fundatur super hoc principio; quia Deus est extrà ordinem creaturarum; quia Deus est extrà omne genus; creaturæ verò omnes sunt diuisæ in plura genera, prima limitata; quod autem est extrà ordinem creaturarum nõ potest habere intrinsecam habitudinem, siuè ordinem ad creaturas; quia, scilicet, essentialiter non ordinatur ad creaturis. Eadem ratione etiam probat eodem loco, quod scibile non refertur ad scientiam, neque sensibile ad sensum: quia, inquit, scibile, & sensibile, inquantùm sunt res quędam, in esse naturali existentes, sunt extrà ordinem esse sensibilis, & intelligibilis; & ideò subiungit in scientia

quidem, & sensu, est relatio realis secundùm quod ordinantur ad sciendum, vel sentiendum res; sed res ipsæ in se consideratæ sunt extrà ordinem huiusmodi; vndè in eis non est aliqua relatio realiter ad sciētiam, & sensum; sed secundùm rationem tantùm: inquantùm intellectus apprehendit ea, vt terminos relationem scientię, & sensus, ob quod Aristotiles 5. *metaphysic.* docet, quod scibile, & sensibile, non dicuntur relatiuè, eo quod ipsa referantur ad alia; puta ad scientiam, & ad sensum; sed quia alia referuntur ad ipsa. Fundamentum conclusionis est, quia prima causa, inquantùm est primum ens, est idem formaliter, quod ens à se, siuè à nullo alio ente priori dependens; sed in hoc conceptu quidditatiuo adęquato, nulla includitur relatio realis intrinseca ad creaturas; neque vt existētes, neque, vt possibiles. In hoc eodem sensu fortè etiam loquti sunt Vasquez, Arrub. Beca. & alij cum dixerunt, Diuinam omnipotētiam esse in se ens omninò absolutum, neque dicens vllam relationem ad creaturas, neque vllam necessariam connexionē cum creaturis; quandoquidem prædicti Doctores hoc dixere ad probandum posse Deum, siuè Diuinam omnipotentiam cognosci quidditatiuè, nullo modo videndo creaturas in suo esse formali, etiam possibili extrà Deum; hoc autem non potest verificari de prima causa, seù de Diuina omnipotentia, inquantùm sunt primum causans liberum; implicat enim quidditatiuè cognoscere causam actu causantem, aut vt potentem formaliter causare, & non cognoscere eadem cognitione effectus causabiles, vel causatos; sed solùm verificatur de prima causa & de Diuina omnipotentia, quatenùs sunt primum ens, siuè primum in essendo.

Secunda conclusio. In prima causa, seù in Diuina omnipotentia etiam inquantùm sunt primum causans liberum, nulla esse potest relatio formalis realiter, quæ non sit relatio causę primę ad suos effectus. Cōclusio hæc est contra eos, qui ponunt in Diuinis Personis relationes ęqualitatis, vel similitudinis, & etiam contra eos, qui dicūt Deum posse denominari similem creaturis, quos impugnat, & redarguit S. Thomas *p.p.q.4.ar.3.in corp.* probans, quod creatura aliquo modo denominari potest similis Deo; sed non è conuerso. Ratio fundamentalis conclusionis est; quia in Deo non potest esse alia relatio realis formaliter nisi, quæ fundatur in actu; quia non potest esse alia relatio, nisi quæ fundatur in perfectione, excludente imperfectionem. Perfectio autem est actus; vnumquodque enim est perfectum, inquantùm est actu; imperfectum verò, inquantùm est in potentia: sed relationes contradistinctę à relationibus causę, nimirùm actiuę ad suos effectus, non fundantur in perfectione, vt sunt relationes æqualitatis, & similitudinis vt sic; ergo, &c. Vis argumēti est manifesta, nàm implicat esse ratio posterior, vbi non est eius ratio prior; sed in Deo nullo pacto potest esse fundamentum relationis, quæ non fundantur in actu; quia hoc fundamentum est permixtum essentialiter potentialitate; at in Deo non est nisi actus, cum sit actus purissimus.

Tertia conclusio: neque in Diuina causa, aut in Diuina omnipotentia, inquātùm sunt primum causans liberum, potest esse realis relatio causæ ad effectum, cum dependentia ab effectu; siuè illa sit causa efficiens, siuè illa sit causa formalis obiectiua, vt sunt scibile, & mensura. Suprà distinximus duplicem relationem causæ ad effectum, aliam cum dependentia causę à suis effectibus, & aliam sine dependentia causæ à suis effectibus: conclusio hęc ab omnibus recipi debet, siuè causa prima sit completa causa antè omne liberum decretum Diuinæ voluntatis de creando, quo pacto Deus est prima causa idealis essentiæ creaturarum in esse essentiæ, siuè causa prima sit causa completa per decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando. Ratio fundamentalis est; quia huiusmodi relatio fundatur in actu permixto potentialitate passiua; dependentia enim fundatur in imperfectione; sed primæ causę omninò contradicit permixtio potentialitatis passiuæ; ergo, &c.

Quarta conclusio: in Deo, inquantùm est primum causans liberum inuoluitur intrinsecè, & substantialiter relatio realis ad creaturas, siuè vt effectus actuales, siuè vt effectus possibiles; sed sine dependentia. Conclusio hæc valdè controuersa est, tùm inter antiquos, tùm inter recentiores Metaphisicos; eam enim affirmāt Durandus in 1. *distinction.2.quæst.3.* Mayro. *quæstion.3.* & alij; contrarium verò tuentur complures cum Henrico *collibet.9.quæstion.1.& collibet.7 quæstion.4. & 5.* qui excludit omnem relationem realem in Deo ad creaturas, etiam si nulla intercedat dependentia à creaturis. Cęterum S. Thomas negat solùm in Deo esse relationem realem ad creaturas cum dependentia à creaturis.

Fundamentum conclusionis est primò; quia

quia huiusmodi relationes fundantur in solo actu excludente omnem potentialitatem; sed ex hoc capite necessariò concedēdæ sunt huiusmodi relationes sine dependentia à creaturis, & patet ab opposito vis argumenti, nàm in Deo non possunt esse relationes æqualitatis,& similitudinis realis; solùm quia prædictæ relationes non fundantur in actu; secùs essent relationes actiuæ; sed illæ, quę fundantur in solo actu, non habent hoc intrinsecum impedimentum.

Secundò: Deus vt primum causans liberum inuoluit intrinsecè inclinationem in creaturas, causa enim efficiens inclinat ad suum producendum effectum: inclinatio enim est in bonū; effectus autem est quoddam bonum; sed hæc inclinatio est relatio realis formaliter, quoniam inclinatio ad aliud non absoluitur ab alio, vt à termino talis inclinationis.

Confirmatur, quia causa, vt causans realiter, dicit influxum in causatum possibile; hìc autem influxus est actualis inclinatio causatus in effectum. Hanc conclusionem in hoc sensu explicatam, & probatam expresṡè negat Palumbus *ad quæst.* 13.*p.p.*S. Thomæ *de nominibus Dei dist.*4 *circa finem*, vbi concedit causam primam antè omne decretum liberum de causando inuoluere relationem realem substantialem, nimirùm intrinsecam ad creaturas, vt possibiles; negat verò hanc relationem inuoluere Deum, vt actu causantem creaturas;hoc secundùm probat: quia ex hoc, quod Deus est actu volens creaturas in esse, nihil ponitur in Deo intrinsecum in actu Diuino; quia, inquit,Diuina volitio intrinsecè est ad terminum necessarium,quo carere non potest;ad terminum verò contingentem non est intrinsecè, sed tantùm ad illum est extrinsecè; ad terminum autem extrinsecum,non inclinatur intrinsecè Diuina volitio;quia nihil plus in se recipit, quam recipit à terminō intrinseco.

Hæc opinio subtilissima est; sed mihi non probatur ex eo capite. Primò, quia Palumbus concedit in prima causa, vt potente causare, relationem intrinsecam realem ad creaturas, vt possibiles; at si vim haberet hæc ratio modò allata, probaret etiam,primam causam, vt potentem causare, neque dicere relationem realem intrinsecam, neque substantialem ad effectus, vt possibiles: effectus enim vt possibiles, sunt terminus extrinsecus potentiæ Diuinę;quia sunt terminus materialis, à quo nimirùm non specificatur. Secundò, quia potentia Diuina, vt potens creare ante decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando nō est potentia Diuina in causando, sed in essendo;etenim causa prima,cum sit primum efficiens liberum completur in ratione causæ primæ per velle liberum, quod est decretum Diuinæ voluntatis de creando; sed Deus,vt est primum ens in essendo, vt ostendimus,absoluitur ab omni relatione intrinseca ad effectus extrà Deum, siuè actuales, siuè possibiles.

Quod si primò dicas:causa prima non dicit intrinsecam relationem ad terminum extrinsecum;quia est completissima,et perfectissima in se.

Respondeo primò: retorquendo argumentum ad hominem:creatura, vt possibilis in suo esse formali,distincto ab esse Dei, est adhuc terminus extrinsecus Diuinę potentiæ, & tamen doctus Palumbus concedit in Deo esse intrinsecam relationem ad effectum, vt possibilem.

Respondeo secundò: distinguo maiorem; prima causa in causando non potest dicere intrinsecam relationem cum dependentia ad effectum extrinsecum, & concedo: non potest dicere relationem intrinsecā sine dependentia, & nego: relatio intrinseca, quam ponimus in Deo, vt actu causante ad creaturas, siuè vt possibiles, siuè vt actuales,est relatio realis intrinseca sine dependentia, & hoc probat illud ipsum,quod dicit Palumbus *loco modo citato,* quod velle Diuinum non plus accipit ex hoc termino extrinseco, quam accipit à velle, vt necessario.

Quod si secundò dicas: non potest dari relatio realis intrinseca sine termino suo formali; sed nulla creatura extra Deum,siuè actualis, siuè possibilis potest esse terminus formalis potentiæ liberè Diuinæ, quia est infinita intrinsecè in tota sua latitudine formali; ergo, &c.

Respondeo:duplicem esse terminum formalem primæ causæ, alium in genere obiecti formalis, & alium in genere obiecti materialis; causa prima nullum potest habere terminum formalem in ratione causæ obiectiuæ extrà se; quia vt diximus, causa prima completur à suo termino formali intrinseco,qui est Diuina perfectio;sed potest habere terminum formalem in genere obiecti materialis, qui est ratio formalis ipsi obiecto materiali, vt possit terminare influxum primæ causæ; non autem est terminus formalis, qui sit Deo causa obiectiua, vt producat ad extrà creaturas. Hanc doctrinam explicauimus suprà exemplo futu-

tu-

turitionis, quæ est terminus formalis ipsi futuro, vt terminet ad se scientiam visionis Diuinæ, & hoc tantum sufficit, vt detur relatio intrinseca in Deo ad creaturas, & vt possibiles, & vt actuales; quia relatio causæ primæ in causando ad creaturas, est sine dependentia.

Quod si tertiò dicas: relatio realis intrinseca est intrinsecus ordo causę ad effectum; sed causa prima nullo pacto potest ordinari ad effectus creabiles, vel creatos; nàm ordinatio causæ ad effectum intrinseca, est ordinario causæ ad suum finem; sed potentia creatiua Dei, siuè prima causa nō potest ordinari ad suos effectus, vt ad finem; quippè Diuina omnipotentia non pendet à rebus creatis, aut creabilibus; sed potius è conuerso, potentia creatiua, siuè prima causa, est finis omnis entis creabilis.

Respondeo: distinguo maiorem; relatio intrinseca causæ ad effectum est duplex, alia est cum dependentia causæ ab effectu, & huiusmodi est relatio causæ secundæ ad suos effectus: & alia est sine dependentia causæ ab effectu, & huiusmodi relatio est in Deo; quatenùs est prima causa in causando omnium possibilium creaturarum. Relatio cum dependentia ordinat causam ad suo effectus, vt ad finem, non autem relatio intrinseca sine dependentia, & huiusmodi est relatio, quam ponimus in Deo, vt actu causantem.

Quod si quartò dicas: si daretur hęc relatio intrinseca in Deo, vt causante extrà se possibiles creaturas, posset esse aliqua imperfectio in Deo saltem de possibili. Probatur assumptum; quia Deus, sicut liberè voluit producere mundum, ità in priori naturæ potuit non velle producere; sed hoc posito, auferetur à Deo aliquod intrinsecum, quod supponit in Deo intrinsecam mutabilitatem, & causalitatem; nàm auferretur in Deo relatio intrinseca causæ sine dependentia, vel saltem remaneret frustrà hæc relatio, si non posset auferri, & vtrumque in Deo dicit imperfectionem.

Respondeo: nego sequelam maioris; ad probationem concedo, quod in priori naturæ potuit Deus non velle mundum creare; quia Deus est causa libera rerum ad extrà; causa autem libera in priori naturæ potest vtrumlibet; sed nego ex hoc auferri in Deo intrinsecam perfectionem: communiter huius hanc assignant rationem; nàm relatio causæ primæ liberæ ad creaturas producendas, sicut, & velle liberum Dei, quo ab æterno fuit volens creare mundum in tempore, dupliciter potest sumi; vno modo quantùm ad suum esse intrinsecum, alio modo quantùm ad tendentiam, siuè terminationem ad creaturas creandas extrà Deū. Primo modo, velle efficax liberum, & relatio causæ primæ ad creaturas, vt effectus producibiles, siuè producendos, dicit intrinsecam perfectionem in Deo; dicit enim velle intrinsecum Dei; sed quantùm ad terminationem, & tendentiam ad creaturas possibiles, vt effectus producendos, non dicit perfectionem intrinsecam; sed tantùm extrinsecam, quam aliqui Docti Theologi appellant perfectionem extensiuam, ex eo quod Deus in priori naturæ potuit non velle creare mundum, solùm deducitur, quod potuisset auferri à Deo velle liberum, quantùm ad terminationem extrinsecam, non autem quantùm ad perfectionem intrinsecam; nimirùm, potuisset auferre in Deo velle, non quantùm ad suum esse intrinsecum; sed solùm quantùm ad extrinsecam terminationem ad creaturas producēdas, quod nihil imperfectionis ponit in Deo. Cæterum, velle liberum, vt liberum in Deo; sicut, & relatio primæ causæ ad creaturas possibiles causandas, sed sine dependētia, non pertinet ad primam causam, inquantùm est primum ens in essendo, sed inquantùm est primum ens in causando, quod est Deus, supposito decreto libero de creando. Ratio enim causæ primæ ad creaturas producendas, conuenit Deo quatenùs est primum causans liberum ad extrà, non autem quantùm est primum in essendo, & probatur; quia primum ens in essendo vt sic, non inuoluit vllam relationem ad terminum extrà se, sed solùm dicit ens independens ab alia causa.

Sed contra est, quandoquidem aliud est ratio terminandi, & aliud est actualis terminatio. In præsenti articulo, difficultas est de ratione formali terminādi dependētiā creaturæ à Deo, siuè de ratione formali tēdēdi ad creaturas producēdas; nō autem de actuali terminatione, siuè actuali tendentia ac creaturas possibiles ęxtrà Deum; an, nimirùm, sit hęc ratio formalis terminandi, siuè tendendi in Deo antè omne liberum decretum Diuinæ voluntatis de creando, an post decretum liberum de creando; nos diximus, quod huiusmodi relatio formaliter, sed sine dependentia est in Deo, vt volente actu causare, & consequenter post decretum liberum de creando: sed hoc dicet Aduersarius est falsum; quia ratio formalis terminandi; sicut, & ratio formalis tendendi est in Deo, etiam antè decretum liberum de creando; quia est perfectio intrinseca in

in Deo; Deus autem est omninò immutabilis.

Respondeo, quod huiusmodi perfectio, siuè ratio formalis terminandi dependentiam creaturæ à Deo; dupliciter potest considerari; vno modo in essendo, & alio modo in causando: in essendo præintelligitur esse in Deo antè omne decretum liberũ de causãdo; in causando verò nõ intelligitur esse in Deo, nisi dependenter à decreto libero post decretum liberum, vt suprà ostendimus: Deus enim non est causa, nisi vt liberè volens; relatio autem primæ causæ ad creaturas producendas, sed sine depẽdentia, est ipsissima ratio primæ causæ in causando, quæ est ipsum velle liberum efficax, non quidem in essendo, sed in causando; seù est ipsum velle non in essendo, sed in operando, vt ens in essendo virtualiter præcedit seipsum, vt causans, & hoc velle efficax in causando, formaliter est ipsum decretum liberum de creando, & hoc dicetur posse non esse in Deo, quatenus Deus potest non causare. Aduersarij opinãtur hanc relationem primæ causæ, esse relationem formalem sine dependentia, sed in in essendo, quod est falsum, vt suprà ostendimus, hæc enim relatio formalis in essendo causæ, repugnat omninò Deo; quia ponit in Deo rationem causæ necessariæ, quę in suo essentiali, & quidditatiuo conceptu habet permixtam imperfectionem. Explicatur; supponunt prædicti Aduersarij asserentes in Deo esse relationes sine dependentia antè decretum, relationes in re non distingui à fundamentis, & hoc est, vel quia relatio, vt relatio nihil aliud sit, nisi ipsum fundamentum, coexigens terminum; in quo sensu certum est, relationem non distingui in re à suo fundamento; quia nihil distinguitur in re à seipso; sed solùm distingui potest modo nostro intelligendi imperfecto, quatenùs vnum bis accipitur: vel hoc est; quia relatio realis, vt relatio præcisè formalis, est formalitas realis intrinseca suo fundamento, indistincta actu ab illo, sed virtute, & obiectiuè distinguibilis; in qua opinione relatio est in subiecto semper, ac existit subiectum, siuè fundamentum, etiam si terminus non sit, & postquam factus est, corrumpatur. Primo modo, relatio, inquiunt, nullam ponit mutationem in fundamento; sed solùm in suo termino, qui potest esse, & non esse.

Quod si opponatur fundamentũ esse relaad terminum, cum terminus fit, & desinere esse relatiuum, cum terminus corrumpitur.

Respondent, hoc esse per mutationem intrinsecam termini, qui transit de non esse ad esse cum fit, & de esse ad non esse, cum corrumpitur; non autem per mutationem intrinsecam in fundamẽto; sicut cum Deus cognoscitur, & non cognoscitur ab intellectu creato, tota mutatio intrinseca est in intellectu cognoscente. Secundò modo, nulla, inquiunt, ponitur mutatio in Deo, ponendo in illo reales relationes ad creaturas; quia mutatio intrinseca requirit intrinsecam desitionem, vel acquisitionem esse distincti; huiusmodi autem relatio non est in esse distincta à fundamento; sed omninò identificata cum natura Diuina; sed non denominat Deum relatiuum, quia ad talem denominationem necessarius est terminus, quo adueniente, aut recedente de nouo in tempore, Deus denominatur ex tempore relatiuus, puta Dominus, creator, &c. non quidem per vllam sui intrinsecam mutationem, sed per mutationem solius creaturæ.

Hanc opinionem, & explicationem Fasolus *suo 1. to. ad p. p.* S. Thomę, *q. 13. ar. 7. n. 5.* acriter impugnat dicens; per eam saluari quidem immutabilitatem Dei, sed poni in Deo aliam imperfectionẽ; nempè primò, in Deo poni relationem realem formaliter, sine suo termino formali, quod implicat in terminis, vel saltem perturbat conceptum quidditatiuum relationis realis. Secundò, quia denominare necessariò sequitur ad esse, & informare: sed hæc relatio ponitur ab æterno in Deo esse formaliter; ergo etiam debet denominari ab ęterno Deus relatus ad creaturas.

Sed istæ rationes facilè diluuntur, & reijciuntur; statim enim dicere possunt Authores prædictæ sententiæ. Primò, hanc relationem in Deo esse sine dependentia à creaturis; quia est relatio primæ causę; prima autem causa est omninò independens etiam in diuerso genere causæ à creaturis. Secundò, denominationem consequi ad esse, & informare, positis omnibus requisitis ad denominationem: at relatio primę causę ad creaturas producendas requirit terminum ad sui denominationem, sicut est denominatio vbique; Deus enim ex se sufficiens est, vt sit in omni loco creato, & possibili; sed denominatio vbiquitatis completa requirit locum in actu, vel possibilem.

Hæc opinio, etiam principijs à nobis suprà explicatis, facilè reijcitur; nàm ea ponit in prima causa in essendo relationes ad creaturas, & antè decretum: sed istæ omninò

nò contradicunt, & repugnant Deo. Primò, quia fundantur in ratione causæ necessariæ rerum ad extrà; fundantur enim in Deo, inquantùm est primum ens in essendo; at primum ens in essendo est simpliciter necessarium, causa autem necessaria contradicit Deo, vt suprà ostendimus; vel quia causa necessaria specificatur, siuè dependet à suis effectibus, vel quia causa necessaria non causat, nisi vt mota à superiori causa. Secundò, quia relatio in Deo ad extrà non potest esse, nisi libera in causando; fundatur enim in Deo, inquantùm est causa prima rerum omnium extrà se; at Deus est prima causa libera rerum extrà se, libera quidem non in essendo, sed in causando tantummodò; est verò causa libera per velle liberum; vndè hæc relatio est in Deo, non quia est primum ens; sed quia est primum causans, seù volens liberum; hoc autem velle liberum est virtualiter distinctum à se ipso, quatenùs est velle necessarium, vt probabitur fusè *quæstione de libertate Diuinę voluntatis*, quæ distinctio, vt dicetur, sumitur per se primò ex parte obiecti primarij, quod est bonum Diuinũ, quod dupliciter Deus vult, & velle necessariò, & hoc ad intrà; & velle libero, & hoc ad extrà. Cęterũ, velle vt liberũ nõ est antè decretum liberum de creando; sed posito decreto de creando; non enim velle Dei est liberum, vt exequens, nisi posito decreto Diuinę voluntatis ad exequendum, vt dicetur cum S. Thoma *suo loc.*

Nostra autem opinio asserit relationem causę, & causati, Dei, siuè causę primę ad creaturas, esse in Deo post decretum liberum Diuinę voluntatis, & esse relationem in Deo formaliter in causando liberè, & cõsequenter eam esse liberam, non quantùm ad esse, & non esse; sed tantùm in causando, quia non est relatio ad modum relationis prędicamentalis; sed ad modum relationis trascendentalis, non quidem cum dependentia à suo effectu, sed sine dependentia, quandoquidem est relatio causę primę simpliciter, quę in nullo genere causę dependet a suis effectibus etiam primarijs, & hęc opinio est valdè diuersa ab opinione Nominalium; nàm Nominales dicunt, relationem causæ, & causati conuenire Deo antecedenter ad omne decretum liberum Diuinę voluntatis, & in hoc sensu Marcus Anton. Palumb. *loco cit.* concedit in prima causa relationes causę ad causatum ad creaturas producendas, siuè possibiles produci in eodem instanti, in quo producuntur, & hę relationes dicuntur aduenire Deo, non quidem quantùm ad rationem formalem intrinsecam terminandi; sed quantùm ad actualem terminationem ad extrinsecum terminum, vt multis placet; vel meliùs dicuntur aduenire post decretum liberum de creando in Deo, quatenùs perfectio, seù ratio causę primę in operando virtualiter sequitur perfectionem primæ causæ in essendo, posito decreto libero Diuinę voluntatis de creando.

Neque hęc virtualis consequutio ponit in Deo aliquam intrinsecam mutationẽ; secùs virtualis consequutio Diuinę volũtatis ab intellectu in Deo, & consequutio ęternitatis ab esse immutabili virtualiter ponerent in Deo intrinsecam mutationem, quæ omninò repugnat summę, & immutabili Diuinę perfectioni. Secundò, quia causalitas, aut consequutio virtualiter in Deo, est sine vlla intrinseca diuisione esse.

Quod si quintò objicias, ex hac doctrina sequi relationem, qua Deus dicitur creator, & Dominus, esse realem, & ab ęterno in Deo, quod expresè negat S. Th. *p.p.q.14. ar.7.* dicens, quod relatio Dei ad creaturas, quàm important huiusmodi nomina, Creator, Dominus, &c. non est realis, sed tantùm rationis, & in tempore; idque probat S. Thomas primò; quia Deus est extrà ordinem omnium creaturarum actualium, & possibilium; etenim Deus est extrà omne genus, cum sit simpliciter ens illimitatum, vel ens à se; creaturæ verò extrà Deum sunt in determinato genere. Relatio autem realis est intrinsecus ordo vnius ad aliud, siuè inclinatio intrinseca vnius ad aliud; ità *q.13.ar.7.* Secundò, quia vt docet idem S. Thomas *q. 25.* relatio causę ad effectum est ordo intrinsecus causæ ad suum finem, causa enim inclinat ad communicandum bonum suo effectui; sed causa prima, vt docet *eo loco S.* Thomas non ordinatur ad effectum sicut, & ad finem, sed magis ipse est finis sui effectus, cuius ratio est; quia inclinatio, quę est relatio, est in bonum; sed Deus est bonum creaturę, non è conuerso creatura est bonum Dei, nihil enim perfectionis accrescit Deo ex creaturis. Tertiò, Deus dicitur Dominus creaturarum in tempore, dicitur enim Dominus creaturarum; quia creaturę subijcjtur Deo in tempore, subijcitur enim essentialiter cum fit; sed fit in tempore, vt probat fides Diuina, qua constat, quamlibet creaturam extitisse in tempore, & nullam ab ęterno, totum hunc discursum eleganter prosequitur S. Augustinus *lib. 5. de Trinitat. cap. 16. his verbis*, si Dominus non dicitur, nisi

nisi cum iam habere incipit seruum, etiam itá appellatio relatiua ex tempore conuenit Deo. Ecce Dominum esse, non sempiternũ habet, nè cogamur etiam sempiternam creaturam dicere, quia illę sempiternè non dominaretur, nisi etiam ista sempiternè famularetur. Sicut autem non potest esse seruus, qui non habet Dominum, sic nec Dominus, qui non habet seruum. Ex hac autem appellatione temporanea nominum asserit in Deo nullam sequi mutationem, idque probat, quia hęc appellatio est in Deo ex sola mutatione intrinseca creaturę, quę incipit famulari Deo.

Respondeo primò, S. Thomam loqui de dictis relationibus secundùm opinionem eorum, qui eas tribuunt Deo, vt est primum ens in essendo, non autem vt primum ens in causando, quia in essendo nulla est conuenientia Dei cum creaturis secundùm earum esse formale, aut proportio; sed solùm conuenientia, siuè proportio intèr Deum, & creaturas in ratione causæ, & causabilis, quę nullam conuenientiam requirit in essendo; sed solùm conuenientiam in ratione obiecti, & potentiæ, siuè effectus, & causę. Hac ratione Deus absolutè, & simpliciter est intelligibilis, vt est in seipso, ab intellectu creato; quia ad hoc satis est proportio in ratione obiecti, & potentiæ, ad quam proportionem materialiter se habent, Deũ esse extrà genus, vel Deum esse actum purum, & intelligibile infinitum; creaturam verò esse intrà genus, ens essentialiter potentiale, & ens essentialiter, & intrinsecè finitum: nos hìc ponimus relationem realem in Deo ad creaturas, quatenùs Deus est primum causans liberum, vel dicendum S. Thomam loqui de dictis relationibus, iuxtà opinionem dicentium esse relationes cum dependentia.

Quod si dicas: hanc rationem formalem non esse relationem formalem; sed solam rationem terminandi dependentiam creaturæ à se pro tempore, quo creatura existit; difficultas autem est de relatione formali.

Respondeo: hanc rationem formalem esse rationem formalem terminandi, & esse adhuc relationem formalem ad creaturas, vt ad terminum posteriorem; sed sine vlla dependentia causæ ab effectu; S. Thomas autem, & S. Augustinus loquuntur de relationibus cum dependentia, in quo sensu relatiua tertij generis non sunt mutua, nimirùm quantùm ad dependentiam; quia in vno relatiuorum, quod est mensuratum, existit relatio cum dependentia; in alio verò existit relatio, sed sine dependentia, & iuxtà hanc distinctionem.

Respondeo secundò ad principale, quod S. Thomas, & D. Augustinus loquuti sunt de relatione cum dependentia; hæc enim relatio in Deo est tantùm rationis; concipitur enim in Deo relatio, à quo denominatur Dominus, veluti est relatio Domini ad seruum in creatis, in quibus relationes Domini, & serui sunt cum dependentia; nos verò hic loquimur de relationibus realibus sine dependentia è suis terminis, siuè à suis effectibus, quæ necessariò danda sunt in Deo, tanquam in prima causa, vt suprà ostendimus, quoniam in Deo concedenda est omnis ratio, quæ fundatur in perfectione.

Respondeo tertiò ad principale, S. Thomam loqui de relatione Domini, quatenùs est simul cum suo termino correlatiuo, vt ipsemet se declarat præcitato *art. 7. in responsione ad sextum*, in hoc enim sensu relatio Domini ad creaturas est relatio rationis, quia scilicèt non est in Deo per intellectum, nisi quando creatura actu existit; nos verò hìc loquimur de relationibus causæ primæ ad suos effectus ad extrà, quæ non sunt simul natura cum relationibus creaturarum ad Deum; sed priores natura etiam in instanti, in quo Deus causat creaturas.

Cum denique dicitur ab Aduersarijs, quod relatio est ordo vnius ad aliud vt ad finem, & ad aliud, vt ad suum bonum.

Respondeo: hoc verùm esse de relatione cum dependentia à suo termino; falsum verò de relatione ad aliud sine dependentia.

Neque obstat si dicas, inclinationem non esse, nisi ad bonum, qui est appetitus boni.

Respondeo, duplex esse bonum aliud causale, siuè vt causa, & aliud esse bonum vt effectum. Relatio cum dependentia est bonum causale, siuè vt causam. Relatio verò sine dependentia est ad bonum vt effectum, & huiusmodi est relatio causę primæ ad creaturas ad extrà.

Quod si sextò objicias: relatio adæquatè diuiditur in relationem prædicamẽtalem, & relationem trascendentalem; sed hæc relatio, quæ à nobis ponitur in Deo, tanquam in prima causa, neque est prædimentalis, neque est trascendentalis; ergo in Deo nulla est relatio realis, & formalis, etiã tanquam primo causante libero. Minor probatur; quia relatio prædicamentalis est

limitata ad genus, implicat autem limitatio ad genus in Deo: relatio prædicamentalis est accidens; at in Deo non potest esse accidens; nimirùm contradistinctum à substantia. Neque est trãscendentalis; quia hęc est dependens à suo termino; at Deus sub quacumque ratione est omninò independens.

Respondeo primò: distinguo maiorem; relatio realis, & formalis in entibus creatis diuiditur adæquatè in relationem prædicamentalem, & in relationem trãscendentalem, & concedo: abstrahendo à Deo, & à creaturis, & nego; & ratio est manifesta, quia relationes personales, quibus constituuntur, & diuiduntur Diuinæ Personæ sunt formales, & reales relationes producentis, & producti; & tamen neque sunt prædicamentales, neque transcendentales; ergo relatio realis formalis vniuersalior est, quàm relatio, quæ diuiditur in relationem trãscendentalem: sicut producens realiter est vniuersalius, qua producens effectiuè, siuè causale; hoc enim producit suum terminum cum diuisione esse; producens verò realiter vt sic, abstrahit à producente realiter cum diuisione intrinseca esse, & à producente realiter, sine vlla intrinseca diuisione esse, aut naturæ.

Respondeo secundò, diuisionem relationis realis formalis cum dependentia, esse diuisionem adæquatam in relationem trãscendentalem, & in relationem prædicamentalem. Relatio autem Dei, vt primę causæ ad creaturas ad extrà, est relatio sine dependentia. Hac eadem responsione soluitur communis instantia contra hanc acutam, & profundam doctrinam, quod scilicèt relatio formalis non potest absolui ab imperfectione, siuè à dependentia; quandoquidem negatur assumptum. Primò, quia in Deo ad intrà saluatur realiter relatio formalis sine vlla dependentia, Secundò, quia hæc fundatur in actu.

Quod si assignes disparitatem; quia nimirùm relatio ad intrà in Deo, est ad terminum distinctum realiter; sed intrà idẽ esse producentis, & producti; difficultas autem est in præsenti de relatione, quæ est ad terminum distinctum realiter per diuisionem intrinsecam esse; hæc enim essentialiter est permixta imperfectioni, quia est ad terminum formalem extrinsecum, nimirùm diuisum per diuisionem intrinsecam esse.

Respondeo ex dictis: duplicem esse terminum formalem, alium esse terminum formalem causalem, et alium esse terminum formalem, vt effectum formaliter. Sine dubio, relatio ad terminum formalem causalem inuoluit intrinsecè imperfectionem; sed hęc est relatio causæ creatæ. Relatio verò, quæ est ad terminum formalem, vt effectum; hæc non inuoluit intrinsecè imperfectionem; quia nõ est ad terminum, à quo specificatur, & huiusmodi est relatio causæ primæ ad creaturas.

Remanet solùm explicanda difficultas; quia semper potest dicere Aduersarius, quod hęc relatio primæ causę ad creaturas, vt effectus suos ad extrà, reperitur in Deo ante omne liberum decretum de creando; secùs in Deo esset intrinseca mutatio; nàm hęc relatio intrinsecè adueniret Deo, & à Deo recederet; adueniret enim realiter Deo post decretum liberum de creando, potuisset verò recedere à Deo realiter; quia in priori naturę Deus potuit non velle creare mundum, et tunc non fuisset, vel non potuisset esse hęc relatio in Deo.

Respondeo primò: si in priori naturę, quo Deus fuit indifferens ab ęternitate ad producendum, & non producendum mundum, voluisset non producere mundum; sicut verè potuit non velle producere mundum in tempore, remansisset vtique relatio intrinseca causæ primæ ad mundum possibilem produci, identicè, & materialiter, non autem formaliter; nimirùm, remansisset in Deo, tanquam in habente illam relationem identificatam suo velle necessario, non autem tanquam in volente, aut tanquam in relato formaliter ad creaturas, vt possibiles produci; sicut, v. g. scientia visionis ante decretum, quo Deus voluit producere mundum ab æterno in tempore, fuit in Diuino intellectu identicè, & materialiter, scilicèt tanquam in habente identicè scientiã visionis. Scientia enim simplicis intelligentiæ, & scientia visionis sunt idem identicè, siuè realiter non autem sunt idem formaliter: idem dicetur etiam de scientia visionis, aut simplicis intelligentię in productione Verbi in Diuinis a Patre. Hoc ipsum etiam dicendum est de velle libero, quo Deus voluit creare mundum in tempore; si Deus in priori naturæ pro dominio suæ libertatis voluisset non creare mundum; sicut verè potuit non velle creare mundum; scilicèt secundùm totum suum esse intrinsecum, velle liberum, quo voluit creare mundum, si noluisset creare mundum, remansisset identicè, & materialiter in Deo.

Respondeo secundò: prædictam relationem non reperiri formaliter antè decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando,

do; quia daretur effectus virtualiter independenter à sua causa virtuali; sicut, v.g. neque processio Spiritus Sancti est in Deo ante processionem Verbi Diuini, neque æternitas est in Deo antè virtualiter esse immutabile Diuinum, & infinitum infinitudine formali; esse enim immutabile omnimoda immutabilitate, est virtualiter causa, vt Deus sit æternus. Hæc difficultas solui debet etiam ab Aduersarijs de actione creatiua agente, quæ est Dei essentia, tamen non est actu influens in suum effectum, nisi post decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando, & hoc iuxtà opinionem dicentium omnipotentiam esse virtualiter distinctam ab intellectu, & à voluntate. Neque dicas, quod omnipotentia est in Deo formaliter antè decretum liberum Diuinæ voluntatis, inquantùm est principium affectus; nàm hìc loquimur de omnipotentia, inquantùm est sua actio agens, & vt sic omnipotentia est in Deo antè decretum liberum de creando, & tamen non actu refert Deum ad possibile ad extrà; quia possibile ad extrà non est antè decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando, & argumētum retorqueri potest contra Aduersarios, à quibus accipienda est responsio.

---

## ARTICVLVS QVINTVS.

### Vtrum scientia simplicis intelligentiæ sit in Deo antè, an post decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando.

HIc articulus proponitur hoc loco examinandus; quoniam suprà in *articulo secundo* probauimus, omne possibile obiectiuum referri ad aliquod decretum antecedens Diuinę voluntatis de creando; hoc autem a pluribus Metaphysicis, & Theologis expresse negatur ob eam causam; quia possibile obiectiuum secundùm suum esse formale distinctum ab esse Dei, est obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ; at hæc in priori naturæ antecedit omne decretum liberum Diuinę voluntatis de creando.

Idq; probatur primò, quia sciētia simplicis intelligentiæ est scientia naturalis; cōtradiuidituir enim a scientia visionis in ratione scientiæ. Sed scientia visionis est libera; consequitur enim in posteriori naturę virtuali, decretum liberum Diuinę voluntatis; ergo ex opposito scientia simplicis intelligentiæ debet esse naturalis, quæ, scilicèt antecedit omne liberum decretum Diuinę voluntatis. Eplicatur vis argumenti; quia omnis diuisio superioris in sua inferiora fit per differētias contrarias contrarietate metaphysica; sed scientia Dei, proùt est aliorum à Deo, diuiditur in scientiam naturalem, & in scientiam liberam; libera est scientia visionis; quia est in Deo in posteriori naturę virtuali post decretum liberum; Scientia verò simplicis intelligentię est naturalis; quia in priori naturæ virtuali antecedit liberum decretum Diuinę voluntatis.

Secundò, quia scientia simplicis intelligentię est primus actus cognoscendi alia extrà Deum; quoniam est cognitio creaturarum, vt possibilium; possibile verò vt sic est primus terminus extrà Deum, sed primus actus in quocumque, est actus naturę; ergo, &c.

Tertiò, voluntas non fertur, nisi in præcognitum; sed hęc pręcognitio non potest esse, nisi scientia simplicis intelligentię; ergo, &c.

Quartò, si qua esset ratio in oppositum, ea foret; quoniam possibile obiectiuū, est illud met, quod esset, si produceretur; vel quod est, vel erit, cum producitur, aut producetur: sed relatum ad causam primam, quatenùs in priori naturę virtualiter in eodem instanti, in quo causat, pręcedit suum effectum; sed hæc ratio non conuincit; quia in illo priori naturæ virtualiter, causa prima est indifferens ad vtrumlibet; in causa autem vt indifferenti vt sic, nullum pręintelligitur decretum liberum de creando; hoc enim est in Deo in posteriori naturę, vt suprà ostendimus cum Scoto.

Supponit hic articulus scientiam Dei, proùt est scientia aliorum à se, esse duplicis conditionis, aliam, scilicèt esse scientiam simplicis intelligentię, & aliam esse scientiam visionis. Primam communiter vocant abstractiuam; secundam intuitiuam. Scientia simplicis intelligentiæ, vt eam definiunt S.Thomas *p.p.q.14.art.9.& alijs locis citandis*, & reliqui omnes Theologi, est, qua Deus scit, quę sunt in potentia Dei, vel creaturę, quę tamen, nec sunt, nec erunt, neque fuerunt; huius hanc assignat rationem S.Thomas in *3.distinct.14. quęst.1. ar.2.* hęc scieentia dicitur simplex intelligentiæ; quia intelligentiæ est concipere, etiam ea, quæ non sunt extrà concipientem, & vt ait Palatius in *quartum dist.49.disp.7.colum.19.*

initio conclusionis primæ, quæ non sunt præsentia actu, non videntur; sed magis intelliguntur. Scientia verò visionis est, qua Deus scit, quæ vel sunt, vel fuerunt, vel erunt, quæ scilicèt habent esse, siuè actu existunt extrà Deum in aliqua temporis differentia, & dicitur scientia visionis à visu corporeo, quæ intuetur res existentes extrà ipsum, vt docent S. Thomas, & reliqui omnes Theologi.

Sed hinc oritur duplex difficultas prima, sint nè posibiles creaturæ secundùm earum esse formale, obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ; an secundùm earum esse causale, quod habent in Deo: potest enim.

Aliquis ingeniosus dicere, creaturas, vt posibiles secundùm earum esse, quod habent in Deo, tanquam in causa, esse obiectum proprium scientię simplicis intelligētiæ; posunt autem sumere motiuum ex explicatis definitionibus vniusque scientię; nàm scientia simplicis intelligentiæ, est, qua Deus scit, quæ sunt in potētia Dei, vel creaturæ; quæ tamen nec sunt, nec erunt, neque fuerunt; sed hæ creaturę posibiles secundùm earum esse, quod habent in Deo, tanquam in causa, quod est omnis perfectio creaturæ creabilis prçexistens in Deo, demptis omnibus imperfectionibus, & diuisiuis; etenim esse posibile creaturarum extrà Deum est in aliqua temporis differentia; ergo ea quæ nec sunt, neque erunt, neque fuerunt, sunt tantùm posibiles creaturæ, secundùm esse, quod habent in Deo, quod expresis verbis docet S. Thomas in *tertium dist.* 14. *quæst.* 1. & etiam Palatius illis verbis, quæ non sunt prçsentia actu non videntur; sed magis intelliguntur. Secundò potest probari hoc; quia iuxtà hanc opinionem perfectiùs saluatur ratio quidditatiua scientiæ simplicis intelligentiæ, quatenùs contradistinguitur à scientia visionis; nàm sciētia simplicis intelligentiæ est scientia naturalis; hæc autem perfectiùs saluatur, si dicatur eius obiectum esse possibiles creaturas, secundùm earum esse formale, quod habent distinctum ab esse Dei.

Sed mihi verior est opposita sententia; nimirùm, obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ esse possibiles creaturas, vt posibiles, secundùm earum esse formale, quod habēt distinctum ab esse Dei. Moueor autem adhoc dicendum; quia scientia simplicis intelligentiæ, & scientia visionis sunt membra diuidentia scientiam Dei, proùt est scientia aliorum à se; sed obiectum huius scientiæ sunt alia à se secundùm eorum esse formale distinctum ab esse Dei; quia secundùm hoc sunt alia distincta, nimirùm ab esse Dei. Neque cōtrarium huius voluerunt S. Thomas, & cæteri *supra citati*, nàm sensus S. Thomæ, & aliorum fuit, vt opinor, voluisse explicare possibiles creaturas, vt posibiles, esse obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ, vt relatas ad primam causam in eo priori naturæ virtualiter, quo in eodem instanti, quo causat est prior suo effectu, & vt sic possunt possibiles creaturæ denominari esse in potentia Dei, vel creaturæ; quia vt sic non intelliguntur adhuc esse completæ extrà Deum.

Quod si dicas: diuisionem formalem scientiæ esse ex diuisione formali obiecti formalis; sed creaturæ secundùm earum esse distinctum ab esse Dei, non sunt obiectū formale Diuinæ cognitionis; sed tantùm obiectum materiale; ergo, &c.

Respondeo primò, hoc argumentum etiam soluendum esse ab Authoribus contrariæ sententiæ; nàm ij dicunt obiectum formale scientie visionis esse creaturas existentes, vel actuales in aliqua temporis differentia.

Respondeo secundò, diuisionem sciētiæ Diuinæ, proùt est scientia aliorum à Deo, esse diuisionem formalem obiecti formalis ex parte creaturæ, non autem obiecti formalis ex parte Dei; duplex enim, vt diximus præcedenti articulo, est obiectum formale; aliud vt causa in aliquo genere causæ; & aliud vt effectus, qui dicitur obiectum formale ex parte rei scitę, ad differentiam obiecti causalis, quod dicitur obiectum ex parte scientis. Sumo autem doctrinam hanc in terminis à S. Thoma de *veritate qu.* 2. *ar.* 9. *ad* 2. vbi dicit, quod hæc diuisio scientiæ Dei in scientiā simplicis intelligentiæ Dei, & in sciētiam visionis nullam differentiam importat ex parte scientiæ; sed solùm ex parte rei scitæ. Hæc distinctio, siuè diuisio persimilis est diuisioni, qua *Scotus in* 1. *dist.* 39. *qu.* 1. *post* §. *iuxtà prædicta*, distinguit duplex obiectum Diuinæ liberæ voluntatis, aliud vt volibile, & aliud vt volitum; obiectum vt volibile, est bonum vt posibile, & conueniens vt sit, vel vt non sit, quod Scotus vocat volibile; volitum verò est quod voluntas Diuina vult ex obiectis sibi propositis, & hoc est bonum, vt existens in aliqua differentia temporis: bonum vt possibile refertur ad volūtatem Diuinam, quatenùs in priori naturæ est indifferens ad vtrumlibet; bonum verò vt volitum, scilicèt, vt effectus voluntatis refertur ad eandem voluntatem, proùt in poste-

ſteriori naturæ, actu voluntas illud vult cauſando: quæ acuta diſtinctio diligenter eſt obſeruanda; etenim deſeruit ad multas theologicas difficultates reſoluendas.

Secunda difficultas eſt, quia S.Thom. *in tertium ſententiarum ad* Anibaldum Cardinalem *diſt.14.quæſt.vnica, art.2.initio corporis,* docet,quod per ſcientiam,ſiuè cognitionem viſionis videt Deus, quaſi præſentia omnia, quæ ſunt, erunt, & fuerunt. Per cognitionem ſimplicis intelligentiæ, non ſolùm illa ſcit, ſed etiam omnia,quæ poteſt facere, quod adhuc non obſcurè ſignificat in *tertium diſtinct.14.quæſt.1.ar.2.*dicens;intelligentię eſt concipere etiam ea,quæ non ſunt extrà concipientem; quibus in verbis, illud etiam, ſatis iudicat concipere, etiam alia, quæ ſunt extrà concipientem, quæ ſunt obiectum ſcientiæ viſionis, vt ſcientiæ viſionis.Idem clariùs docet *de veritate,qu.2. art.9.ad 2.his verbis.* Per ſcientiam viſionis Deus ſcire non dicitur, niſi quæ ſunt extrà ipſum,quæ ſunt, vel præſentia, vel præterita, vel futura: ſed ſcientia ſimplicis notitiæ, etiam eſt eorum, quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt.Hanc ipſam doctrinam ſequuntur Durandus *in 1.diſt.36.quæſt. vnica,initio,* dicens, quod ſcientia ſimplicis notitię dicitur illa, qua Deus ſcit omnia, quę ſunt, fuerunt, vel erunt, vel poſsibilia ſunt ſecundùm infinitatem Diuinæ potentiæ. Ioannes Maior *diſtinct.39.qu.vnica,* Argen. *art.4.* Ariminenſis, Aluarez *tom. de Auxil.* & alij.

Idque probat Aluarez *de Auxilijs lib. 2.diſput 6.lib.4.*hac ratione, vt docent omnes Thomiſtę *q.34.ar.5.*Verbum Diuinum procedit non ſolùm ex cognitione omnium creaturarum poſsibilium; ſed etiam ex cognitione creaturarum, quæ habebunt eſſe in aliqua temporis differentia; cum procedat ex cognitione comprehenſiua eſſentiæ Diuinę:Huic addo minorem, ſed ſcientia ſimplicis intelligentiæ, eſt etiam cognitio comprehenſiua Diuinæ eſſentiæ, vt cauſę aliorum extrà ſe,cum ſit ſcientia infinita; ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ ſe extendit, non ſolùm ad poſsibilia, ſed etiam ad actu exiſtentia in aliqua tempora differentia extrà Deum.

Sed hęc probatio deficit primò in aſſumpto; quoniam vt dicemus *in hac ipſa quæſtione,* Verbum Diuinum non procedit à Patre, neque cognitione ſimplicis intelligentiæ, neque cognitione viſionis formaliter.

Secundò deficit in ratione; quoniam cognitio ſimplicis intelligentię eſt comprehenſiua, & infinita in tota ſua latitudine formali, aut in ſua ratione formali, aut quidditatiua, non autem ſimpliciter.

Eiuſdem doctrinę S. Thomæ Hieronymus Faſolus *tom.2.in p.p.S.*Thomę *q.14. art.8.dub 1.n.13.*hanc aliam aſsignat rationem;quoniam,inquit,diſtinctio, ſeù diuiſio entis ſcibilis; ſed ens actuale, nimirùm,exiſtens in aliqua temporis differentia,nullam prorsùs intrinſecã entis ratione addit ſuprà ens poſsibile; illud enim omninò ens reale, quod eſt ſub ſtatu actualitatis, cum exiſtit, fuit poſsibile in alio ſtatu potentialitatis: quod, inquit, veriſsimum apparebit ſi conſideretur, quod quando aliqua res actu fit, nihil prorſus illius rei actu fit, quod non potuerit fieri; ergo ens poſsibile, & actuale, nimirùm in ratione obiecti, ſignificant idem prorſus ens, ſed in diuerſo ſtatu; ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ, tendens ad omnia poſsibilia, ad omnia quoque entia actualia, quatenùs entia, tendat neceſsè eſt.

Quod ſi ei obijcias, quod poſita hac extenſione ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ ad obiecta ſcientiæ viſionis, incongrua videtur diuiſio ſcientiæ Diuinę, prout eſt aliorum à ſe, in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & in ſcientiam viſionis; nimirùm, non tradita per membra diuidentia inte ſe oppoſita, quod eſt contrà quidditatem diuiſionis ſuperioris in ſua inferiora, cuiuſmodi eſt diuiſio ſcientię Dei, vt eſt aliorum à Deo, in ſcientiam ſimplicis intelligentię, & in ſcientiam viſionis.

Reſpondet cũ diſtinctione, quod obiecta harum ſcientiarum,ſi conſiderentur materialiter,inquantùm ſunt entia, intelligentia ſimplex ſe extendit ad omnia obiecta viſionis;ſed ſub iſta ratione formali,inquit, non ſunt duę ſcientiæ idoneæ ad diuidendum ſcientiam in communi. Si verò conſiderentur formaliter, inquantùm ſcilicèt obiecta ſimplicis intelligentiæ ſunt potentialia, nimirùm, potentialitate obiectiua, & obiecta viſionis ſunt actualia, hoc eſt, actualitate obiectiua, quæ ſunt actu exiſtentia in aliqua temporis differentia: & ſub iſta ratione formali negat ſcientiam viſionis, & ſcientiam ſimplicis intelligentię non eſſe membra inter ſe oppoſita formaliter: eadem enim res,v.g.idem Antichriſtus, quatenùs poſsibilis opponitur ſibi ipſi,quatenùs actualis.In re pręsẽti, Deus in priori naturæ, nimirùm, virtualiter cognoſcit omnia poſsibilia factibilia genere, in ſpecie, & in indiuiduo, & hanc ſcientiam, vt conſiderantem pręcisè entia, vt

vt potentialia, inquit, antè quodlibet liberum decretum Diuinæ voluntatis, & consequenter antè omnem futuritionem, & actualitatem rerum, vocamus scientiam simplicis intelligentiæ. In posteriori naturæ concipimus Deum, ex omnibus possibilibus iam præcognitis, elegisse sua libera voluntate facere aliqua in aliquo determinato tempore, quę vi huius voluntatis statim accipiunt esse futurum actualiter. In tertiò verò posteriori, Deus cognoscit possibilia electa, vt fiant, scientia, quam vocamus visionis: ex qua, inquit, explicatione apparet, Deum scientia visionis cognoscere solùm aliqua obiecta materialiter scientię simplicis intelligentiæ, sed sub varia ratione formali; nimirùm, non secundùm statum potentialitatis, sed secundùm alium statum oppositum actualitatis.

Doctrina hæc vltima, verissima est in sano sensu intellecta, nimirùm, quod scientia simplicis intelligentiæ cognoscat etiam obiecta scientiæ visionis quando sunt, sed materialiter, non autem formaliter: vel, vt loquitur Fasolus, in sensu formali, non materiali; quo sensu accipiendus est S. Thomas cum dicit, per cognitionem simplicis intelligentię cognosci etiam existentia, & actualia. Sed ratio primo loco assignata deficit: primò, quandoquidem ens extrà Deum, inquantùm ens, quod Fasolus appellat obiectum materiale vtriusque scientiæ, est obiectum formale ex parte creaturæ scientiæ Diuinæ, prout est aliorum à se. Secundò, quia scientia superior cognoscit obiecta formalia scientię inferioris materialiter ex vi sui obiecti formalis proprij, non autem ex vi obiecti generici: v. g. sensus communis cognoscit materialiter omnia obiecta formalia sensuum exteriorum, puta visibile; audibile, &c. non vi sui obiecti generici materialis, quod est cognoscibile; sed vi sui obiecti formalis, quod est sensibile, vt sic. Pariter intellectus cognoscit, & obiectum formale sensus communis, & sensum exteriorum vi sui obiecti formalis, & proprij, quod est intelligibile vt sic; ergo scientia simplicis intelligentiæ, si se extendat ad cognoscendum materialiter obiecta formalia ex parte creaturæ scientiæ visionis, debet illa cognoscere vi sui obiecti formalis, quod est ens vt possibile extrà Deum, & non vi obiecti generici, quod est ens commune enti possibili, & enti actuali, in ratione obiecti, siuè termini, & hæc est.

Responsio, qua solui debet secunda difficultas, quod scientia simplicis intelligentiæ cognoscuntur etiam obiecta formalia scientiæ visionis, non formaliter, sed materialiter; eo modo prorsùs, quo sensus communis cognoscit materialiter obiecta formalia sensuum exteriorum, & intellectus cognoscit materialia, vt obiectum sensus communia, & sensuum exteriorum: & ratio huius à priori est; quia obiectum formale scientiæ simplicis intelligentiæ est vniuersalius obiecto formali ex parte creaturæ scientiæ visionis. Primò, quia multa sunt possibilia, quæ nec sunt, neque fuerunt, neque erunt. Secundò, quia obiectum formale, ex parte creaturæ, scientiæ simplicis intelligentiæ, est possibile obiectiuum, quod scilicèt opponitur impossibili extrà Deum; quippè scientia simplicis intelligentiæ est scientia vniuersalissima Dei, proùt causa aliorum extrà se; obiectum verò formale scientiæ vniuersalissimæ debet adhuc esse vniuersalissimum, quod scilicèt reperitur in omni obiecto scibili scientiæ simplicis intelligentię, & hoc est ipsissimum ens reale extrà Deum vt sic, quod Fasolus *loco sup. citato n.* 14. ait, esse obiectum materiale vtriusque scientiæ, & simplicis intelligentiæ, & visionis: mouetur autem adhoc dicendum; quia opinatur obiectum formale, ex parte creaturæ, scientiæ simplicis intelligentiæ, esse ens potentiale, quatenuùs potentiale, nimirùm quatenus est in statu potentialitatis; obiectum verò formale, ex parte rei scitæ, scientiæ visionis, esse ens actuale, quatenùs actuale: hoc vltimum verùm quidem est, sed primum non item; quia sciẽtia simplicis intelligẽtię, vt sit vniuersaliter obiecti sciẽtię visionis, debet *eius* obiectũ formale, ex parte rei scitæ, *esse vniuersalius* in ratione scibilis; hoc autem non potest esse, nisi ens reale vt sic, quatenùs opponitur impossibili vt sic.

Neque dicas, hoc obiectum formale vniuersalius, ex parte rei scitę, esse ens reale vt potentiale; quia hoc ens pluribus conuenit, quam ens reale actuale, quod quidem est mnaifestum; etenim plura est entia potentialia, quæ nunquam erunt entia actualia extrà Deum.

Non, inquam, hoc dicas; quia obiectum formale vniuersalius ex parte rei scitę, debet reperiri intrinsecè in omni scibili materiali; sed hoc non potest esse ens reale vt potentiale; quia inuoluit statum potentialitatis, qui nõ potest reperiri in ente actuali, vt actuali, proùt scilicèt est in statu actualitatis; sed solùm potest esse ens reale extrà Deum vt sic, siuè possibile formale, proùt opponitur impossibili secundùm se. Explico: ens extrà Deum possibile duplicitur

ter sumi potest; vno modo, vt dicit ens reale, proùt reperitur in statu potentialitatis; alio modo, quatenùs inuoluit prędicata non repugnantia extrà Deum vt sint actu. Ens potentiale primo modo, est obiectum materiale ex parte rei scitæ scientię simplicis intelligentię; possibile verò reale secundùm se, & absolutè, est obiectum formale ex parte rei scitę; quia est vniuersalius, & intimè reperitur etiam in modo, & in statu essendi actualitatis, quod non potest competere enti reali, quatenùs est in statu potentialitatis.

Quod si iterum dicas cum Fasolo *loco supra citato*, obiectum formale ex parte rei scitę, proùt est proprium scientiæ simplicis intelligentię, debet esse per differentiam oppositam formaliter obiecto formali, ex parte rei scitæ scientię visionis.

Contra est, quia hęc doctrina Fasoli verificatur de obiecto scientię, ęquè inferioris cum alia scientia, cum qua diuidit scientiam in communi, sicut differunt intèr se sensus exteriores; at scientia simplicis intelligentię est scientia superior, & vniuersalior scientia visionis, pręsertim cum sit scientia simplicis intelligentię, actus intellectus Diuini, quatenus absolutè, & simpliciter est cognitiuus rerum extrà Deum, & est huiusmodi scientia simplicis intelligentię veluti Metaphysica Vniuersalissima, & veluti intellectus respectu sensuum interiorum, & exteriorum.

Quod si adhuc dicas pro Fasolo, & alijs, scientiam Diuinam, proùt est scientia aliorum extrà Deum, immediatè diuidi in scientiam simplicis intelligentię, & in sciētiam visionis; hęc autem diuisio est per differenitas ęquè inferiores.

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem; diuiditur enim scientia Diuina, proùt est scientia rerum extrà Deum in scientiam simplicis intelligentię, & in sciētiam visionis, tanquam in scientiam superiorem, siuè vniuersaliorem; & in scientiam minùs vniuersalem, siuè inferiorem: nec valet consequentia, scientia Diuina diuiditur immediatè in scientiam simplicis intelligentię, & in scientiam visionis; ergo hęc diuisio est per differentias ęquè inferiores; quia diuisio immediata potest esse in diuidentia, quorum vnum est superius alio, vt cum diuiditur differentia in differentiam superiorem, & in differentiam inferiorem, & potest esse diuisio immediata per differentias ęquè inferiores, vt est diuisio substantiæ in substantiam corpoream, & in substantiam incorpoream; at ab vniuersaliori non valet consequentia ad vnum determinatum inferius: vt est substantia; ergo corpus; sed potest valere consequentia ad vtrumlibet inferius, quando diuisio est adęquata distinctiuè, vt est substantia; ergo vel spiritualis, vel corporalis.

His explicatis, quantùm satis est ad intelligentiam terminorum, resoluendus est articulus, quo inquiritur, sit nè scientia simplicis intelligentię in Deo, antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis de creando, an post; intelligitur autem anterioritas, vel posterioritas naturę virtualiter, quę est per independentiam, & dependetiam, modo suprà explicato.

Circà hoc difficillimum, & curiosissimum quęsitum duę possunt esse celebres sententię.

Prima opinio est asserentium, scientiam simplicis intelligentię in Deo esse antè omne decretum liberum de creando, non solùm absolutum, & subiectiuum; sed etiam antè omne decretum conditionatum ex parte actus; idq; probari potest. Primò, quia sciētia simplicis intelligētię, est de possibilibus vt possibilia formaliter extrà Deum; at possibilia vt possibilia, distincta à Deo, antecedunt omnem actum liberum, siuè qui actu est in Deo, siuè qui foret Diuinę voluntatis.

Quod si obijcias: decretum conditionatum ex parte actus esse possibilium, quæ nunquam erunt; quia conditio ex parte actus nihil ponit, neque purificatur aliquando, quantùm est ex se, & quod est causa obiectiua, non autem causa subiectiua.

Respondere statim possunt, quod decretum conditionatum ex parte actus, & si actu non est in Deo, foret tamen exercitè, & consequenter huiusmodi decretum, & si non est subiectiuum absolutè, est tamen subiectiuum conditionatum, siuè foret subiectiuè; sicut futurum conditionatum, licet non sit actu absolutè in aliqua temporis differentia; esset tamen realiter, & exercicitè, si adimpleretur conditio, & hęc futuritio exercita conditionata satis est, vt futurum conditionatum sit cognoscibile scientia visionis, quę est scientia libera; quia concernit liberum decretum Dei, quod licet actu non sit in Deo, foret tamen, & non scientia simplicis intelligentię, quę est in Deo antè omnem actum liberum Diuinę voluntatis.

Secundum fundamentum opinionis est; quia scientia simplicis intelligentiæ est actus formalis pręcisè intellectus Diuini, proùt est aliorum à se; sed actus intellectus for-

formaliter vt sic antecedit omnem actum liberum Diuinæ voluntatis, siuè qui est in Deo, siuè qui foret; simpliciter enim prior est intellectus, quam voluntas, vt probat S. Thomas *p.p.q.17.ar.4.*

Quod si dicas, non posse esse possibile distinctum à Deo, nisi dependenter ab antecedente decreto, saltem conditionato ex parte actus; quia Deus est causa libera omnium extrà se, & actualium, & possibilium; est verò Deus causa libera decreto, siuè determinatione intrinseca suę voluntatis libera.

Respondere statim possunt primò, possibile conditionatum, quod scilicèt esset, si Deus vellet, potest dupliciter considerari; vel vt possibile formaliter, scilicèt, quatenùs intrinsecè non repugnans esse, vel vt futurum conditionatum, quod scilicèt foret. Possibile primo modo, non fertur ad antecedens decretum Dei, seù ad liberam determinationem Diuinę voluntatis; sed sufficienter refertur ad primam causam, vt in priori naturæ; licet in eodem instanti durationis est indifferens ad vtrumlibet, in quo priori naturæ virtualiter nullum præintelligitur decretum conditionatum; quia decretum quodlibet est in posteriori naturæ, cum sit determinatio voluntatis liberę; & licet possibile sit illudmet, quod est actuale cum producitur, vel esset actuale si produceretur; huiusmodi possibile sub duplici ratione formali, ex parte rei scitæ, refertur ad scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis; quatenus refertur ad causam, vt indifferentem, pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ; quatenùs verò refertur ad causam, vt se determinantem in posteriori naturæ, pertinet ad sciam visionis;

Respondere possunt secundò, possibile conditionatum in esse signato, & concepto, antecedere omnem actum liberum Diuinæ voluntatis; in esse verò exercito subsequi actum liberum Diuinæ voluntatis. Primo modo, est obiectum simplicis intelligentię, non secundo modo.

Secunda opinio est eorum, qui dicunt, scientiam simplicis intelligentię esse ante omne decretum liberum Diuinæ voluntatis absolutum, & subiectiuum; sed non antè decretum liberum conditionatum ex parte actus; vt si Deus vellet creare nouum mundum; si Deus vocaret Petrum ad penitentiam vocatione efficaci, & similia. Sed

Fundamentum huius sententiæ esse potest; quia scientia simplicis intelligentię est possibilium formaliter, quatenùs possibilia; quoniam scientia simplicis intelligentię est membrum diuidens scientiam Diuinam, prout est scientia creaturarum; hæc enim diuisio in scientiam simplicis intelligentię, & in scientiam visionis, est ex diuisione scibilis extrà Deum; sed possibilia huiusmodi sunt post decretum liberum Diuinę voluntatis conditionatum ex parte actus, & probatur; quia huiusmodi possibilia sunt depēdentia in suo esse, vt suprà ostendimus, à decreto libero de creando ex parte actus, quippè Deus est prima causa libera omnium, quæ sunt extrà se; at implicat, quod est essentialiter dependens in suo esse à decreto libero conditionato ex parte actus, cognosci independenter ab illo, & antecedenter; cognosceretur enim falsò; ergo scientia simplicis intelligentiæ in Deo non potest esse formaliter, nisi post decretū liberum conditionatum ex parte actus. Hác sententiam sequuntur, qui dicunt scientiam futurorum conditionatorum, quam alij vocant mediam reduci ad scientiam simplicis intelligentiæ, & non ad scientiam visionis; siuè reduci ad scientiam necessariam, non ad scientiam liberam; quia hæc scientia non concernit actualem existentiam exercitè, quę est obiectum formale rei scitæ scientiæ visionis; sed eam, quæ foret, sed nūquam erit; quia hæc non exit rationem existentię possibilis.

Quod si eis obijcias, decretum conditionatum ex parte actus, vt si Deus vellet creare alium mundum, est de possibilibus vt contingentibus; quia est decretum liberum formaliter, sed conditionatè; sed scientia simplicis intelligentię est scientia necessaria, est enim de possibilibus formaliter: at possibilia sunt necessaria; quia non possunt non esse possibilia, cum hoc prædicatum sit illis intrinsecum.

Respondent, quod decretum liberum conditionatum ex parte actus est de contingentibus, vt de effectu obiectiuo, non vt de effectu subiectiuo; huiusmodi autem decretum in Deo est obiectiuum, non subiectiuū; effectus verò correspondet suæ causæ proportionatæ; scientia visionis verò sequitur decretum liberum subiectiuum, non decretum liberum obiectiuum; & ratio est, quia per decretum liberum obiectiuum, possibile conditionatum non exit rationem possibilis, & scientia visionis formaliter est de existentibus extrà Deum exercitè, in aliqua temporis differentia.

Prima conclusio: scientia simplicis intelligentię in Deo, quantùm ad exercitium, siuè in genere causæ efficientis supponit decretum liberum Diuinæ voluntatis, præscin-

ſcindēdo nunc à decreto abſoluto, & ſubiectiuo, & à decreto conditionato ex parte actus Diuinæ voluntatis: ſecundùm verò quod eſt oſtenſio, ſiuè repręſentatio formaliter, ſiuè in genere cauſæ formalis, intelligitur eſſe in Deo, antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis. Concluſio hæc tria ſupponit, quorum vnumquodque probabitur; primùm ſupponit cauſas ſe ſe inuicem poſſe cauſare, non in eodem, ſed in diuerſo genere cauſæ, inquantùm nimirùm ſunt cauſæ formaliter. Secundò, ſupponit hoc principium verificari in intellectu, vel voluntate, nedum in creatis, ſed etiam in Deo, cum hac diuerſitate, quod in creatis verificatur realiter; in Deo verò virtualiter. Tertiò, ſupponit vnam cauſam in illo ipſo priori, quo eſt prior alia cauſa, quam cauſat, eſſe poſteriorem ſuo effectu; ſed in diuerſo genere cauſæ: vel, et in idem redit, vna cauſa in nullo priori poteſt eſſe cauſa alterius cauſę, quin in illo ipſo priori, effectus ſit prior cauſa in alio genere cauſæ, & è contrà.

Primùm principium eſt doctrina apertiſsima S. Thomæ, quicquid dicat Suarez *in Metaphyſica*, *diſp.*17. *ſect.*2. & niſi fallor eſt præcipua radix multarum opinionum, quarum proprius Author eſt S. Thomas, & oſtenditur primò; nàm ratio mouēs Authores contrarię ſententię, eſt quia implicat idem, quod cauſat, cauſari; quia idem ſecundùm quod cauſat, eſſet prior, & poſterior; eſſet dependens, & independens, quę eſt manifeſta contradictio, vel etiam quod præſertim adnotauit Scotus *in* 4. *diſtin.* 49. *qu.*2. idem eſſet cauſa ſui ipſius; quod enim eſt cauſa cauſæ (intellige formaliter, quod non omnes aduerterunt) eſt cauſa cauſati. Sed hæc ratio nulla eſt, nàm ſaluatur contradictio per diuerſum genus cauſæ, & manifeſtatur hoc; nàm in diuerſo genere cauſæ, non eſt idem ſecundùm idem prius, & poſterius dependens, & independens formaliter; ſed tantùm materialiter; quia eſt independens in diuerſo, & alio genere cauſæ: & fortè ità res ſe habet in hoc exemplo, expellitur vna forma, & introducitur alia; nàm vera eſt hæc cauſalis; ideò expellitur frigus; quia introducitur calor (in qua acceptione prior eſt introductio caloris) & valet etiam hæc alia cauſalis, non introducitur calor, niſi expellatur frigus, in qua acceptione expulſio frigoris prior eſt, & eò vſque progreditur S. Thomas in ſubſtinendo hoc principium, vt afferat data reſolutione vſque ad materiam primam, in quo ſtatu materia purè nuda eſt, ſcilicèt, caret omni forma, tùm accidentali, tùm ſubſtantiali; aduenire formam aliam ſubſtantialē, quę in genere cauſæ efficientis producit diſpoſitiones ſuas; in quo ſenſu, forma illas diſpoſitiones pręcedit, cum tamen eadem forma producatur in genere cauſæ materialis.

Secundò, probatur hoc ipſum principium alia clariori ratione: vna cauſa non poteſt cauſari ab alia in eo genere cauſę, in quo illam cauſat; quia idem ſecundùm idem, eſſet cauſa ſui ipſius; hęc autem contradictio non aliundè ſequitur, niſi quia ponitur vna cauſa cauſari ab alia in eodem genere cauſę; at hęc contradictio aufertur, ſi ponamus cauſas ſe ſe inuicem cauſare in diuerſo genere cauſæ; ergo, &c.

Inſtant Aduerſarij, non tolli identitatem formalem, etiam ſi ponamus cauſas ſe ſe cauſare in diuerſo genere cauſę; quia ſemper eſt idem, illud, quod cauſat, & cauſatur.

Sed inſtantia ſoluitur diſtinctione ſuprà allata, quod ſemper eſt idem materialiter; non autem ſemper eſt idem formaliter: & probatur; quia in vno genere, in quo cauſa cauſat aliam; eſt perfecta; in alio verò genere cauſę eſt indigens, vt alio in loco fuſiùs etiam probabitur.

Secundum principium, quod ſcilicet hęc doctrina apertiſsima S. Thomæ; quam ſumpſit ab Ariſtotele verificetur in intellectu, & in voluntate, non ſolùm in creatis; ſed etiam in Deo, eſt adhuc doctrina S. Th. tùm *p.p.qu.*17. tùm 1. 2. incipiendo à *qu.* 9. vbi apertiſsimè docet, quod intellectus, & voluntas ſibi inuicem ſubordinantur, & ſe ſe inuicem cauſant in eſſendo, & in operando; ſed in diuerſo genere cauſæ; & in diuerſo ordine, nimirùm, intellectus quantùm ad exercitium actus, ſiuè in genere cauſæ efficientis, cauſatur à voluntate; in genere verò cauſę formalis, ſiuè oſtenſiuæ intellectus eſt cauſa voluntatis in operando, quia intellectus proponit, & oſtendit voluntati obiectum proſequendum, & non proſequēdum. Explicatur diſtinctio: duo diſtinguenda ſunt in operationibus intellectus, & voluntatis; nimirùm, exercitium actus, ideſt vſus, vel non vſus; quia vtraque potentia poteſt vti, & non vti ſuo actu, vel ſua operatione; & determinatio ad obiectum; ſicut enim voluntas poteſt velle vnum, & non aliud, ità intellectus poteſt cogitare de vno, & non de alio obiecto; actus volūtatis, quo voluntas vult vnum prę alio, vel vnum, & non aliud, quantùm ad determinationem formalem ad vnum obiectum præ alio, de-

pendet ab intellectu proponente, & ostendente voluntati obiectum eligendum, & non eligendum; quantùm verò ad exercitiuum, siuè vsum suum, dependet solummodò in suo genere ab ipsa voluntate, quia voluntas est primum mouens, quoad exercitium actus; è contra verò, operatio intellectus, quantùm ad exercitium suum, idest, quantùm ad vsum, essentialiter dependet à voluntate; & hæc dependentia à voluntate est in genere causæ efficientis, vt modò dicetur, quia voluntas, vt dixi, est primum mouens, quoad exercitiuum actus: primum autem mouens in suo genere est prima causa, vt cætera moueant in eodem genere; quantùm verò ad determinationem obiectiuam actus, nimirùm, quantùm adhoc, quod eliciatur cognitio ostensiua vnius, dependet solùm in suo genere ab intellectu; quia intellectus est primum mouens, quoad determinationem actus; siuè in genere causæ formalis. Ratio prima huius duplicis primitatis à priori est; quia obiectum voluntatis formale est bonum vniuersale, bonum autem vniuersale, cum sit finis vniuersalis, est primum mouens agens ad operandum, quod est mouere agens ad exercitium actus; obiectũ verò intellectus, est ens, siuè intelligibile formaliter, & vniuersale; at ens formaliter est prima causa formalis, vt cætera sint intelligibilia, & repræsentabilia intellectui; vnumquodque enim est intelligibile, quia ens; prima enim, & immediata passio entis, vt suprà ostendimus, est verum, siuè intelligibile, sicut est; ergo intellectus ex suo genere est primum mouens, quoad determinationem, siuè ostensionem obiectiuam actus; potentia enim quęlibet specificatur à suo obiecto formali. His principijs positis, necessariò sequitur intellectum, & voluntatem se se mutuò causare in operando, non quidem in eodem, sed in diuerso genere causæ; quia primum in vnoquoque genere, est prima causa, vt cætera causent in eodem genere; sed intellectus est primum mouens, quoad determinationem, siuè ostensionem obiectiuam actus; voluntas verò est primum mouens, quoad exercitium actus; ergo intellectus non potest elicere cognitionem, siuè non potest exercere suum actum, nisi dpendenter à voluntate in genere causæ efficientis, & non potest vti suo actu, nisi dependenter, siuè præmota ab intellectu, tanquam à primo mouente in genere causæ formalis; nimirùm, quoad determinationem obiectiuam actus; proprium enim, & essentiale causæ formalis est determinare actum in aliqua specie; hęc ipsa doctrina probatur etiam a S. Thoma à posteriori; quia scilicèt non intelligimus, nisi cum volumus, neque volumus, nisi quia intelligimus obiectum prosequendum, & non prosequendum. Ostenditur etiam ratione à priori; quia obiectum intellectus, & obiectum voluntatis sibi inuicem subordinantur; etenim obiectum voluntatis, quod est bonum vniuersale est quoddam intelligibile; obiectum verò formale intellectus, quod est intelligibile formaliter, & vt sic, est quoddam bonum; nimirùm bonum intellectus; sed subordinatio in ratione obiecti formalis est causa subordinationis potentiæ in operando; ergo, &c. & hac ratione intellectus, & voluntas subordinantur in diuerso ordine, vt docet S. Thomas *p.p. quest. 16. artic. 4. ad* 1. nimirùm intellectus subordinatur voluntati in ordine appetibilium; voluntas verò subordinatur intellectui in ordine intelligibilium; idque ex ex eo; quia bonum est vniuersalius, quam verum in ordine appetibilium; verum autem est vniuersalius bono in ordine intelligibilium.

Hæc doctrina pati potest duas difficultates; prima est quoniam intellectus, licet sit posterior, vt docet S. Thomas voluntate in ordine appetibilium, & è conuerso voluntas est posterior intellectu in ordine intelligibilium; tamen absolutè, & simpliciter, vt ostendit S. Thomas *pręcitato art. 4. in corpore*, est prior intellectus, quam voluntas; sed in ista prioritate simpliciter, & absolutè intellectus non dependet à voluntate in operando; ergo in ista prioritate absolutè, & simpliciter intellectus est principium suæ operationis adęquatè, & quoad determinationem obiectiuam actus, & quoad exercitium.

Secunda difficultas est, quam mouet Caet. in 1. 2. *super q. 9. art.* 1. nàm dictum est cum S. Thoma, quod obiectum intellectus sit primum mouens obiectiuum in genere causę formalis, quia scilicet obiectum intellectus est verum, et ens vniuersale; hoc autem, inquit Caetanus, patitur instantiam, quia obiectum formale intellectus est principium, non solùm formale; sed etiam effectiuum operationis intellectus; sicut calor est principium calefactionis in igne; calor enim quamuis in ordine ad calefaciens se habeat, vt principiũ formale; tamen in ordine ad calefactionẽ est principiũ effectiuũ; ergo obiectũ formale intellectus, nõ mouet prę‑

præcisè, aut non est primum mouens tantùm, quoad determinationem actus; siuè vt communiter loquuntur, quantùm ad specificationem.

Respondeo ad primam instantiam; duplicem esse prioritatem simpliciter, & absolutè; aliam in omni genere causæ, & aliam, quæ est secundùm nudam rationem entis præscindendo à quolibet genere causę: prima prioritas est propria solius Dei; secunda prioritas conuenit Vero, quod est prima, & immediata passio entis formaliter; vt profundè, sed clarè ostendit S. Thomas *loco modò supra citato*; prima prioritas positiuè excludit omnem dependentiam in diuerso genere causę; secunda verò non item; sed tantùm negatiuè, & præcisiuè; neque, nimirùm, includit, neque non includit; si intellectus esset prior voluntate simpliciter, & absolutè primo modo; sine dubio, non posset intellectus dependere à voluntate, quoad exercitium actus, siuè in genere causæ efficientis; at prioritas, qua intellectus absolutè, & simpliciter præcedit voluntatem, est prioritas abstractionis, & pręcisionis, quæ compatitur secum dependentiam ab aliquo in alio genere determinato causę; sicut v. g. animal, quia præscindit negatiuè à suis differentijs, potest esse posterius suis differentijs in diuerso genere causæ. Doctrina hęc declaratur, quandoquidem intellectus est prior absolutè, & simpliciter voluntate; quia obiectum formale intellectus est magis absolutum, seù abstractum, quàm obiectum voluntatis, quod est bonum.

Secundò, quia obiectum intellectus est, quodquid est obiectum enim intellectus, quod est verum competit enti, secundùm quod ens pręcisè, & immediatè; bonum verò respicit ens, siuè consequitur ens, quatenùs est aliquo modo contractum ad perfectum: sic enim, inquit S. Thomas, appetibile est.

Quod si dicas, cum S. Thoma *eodem loc. cit.*, quod cognitio naturaliter pręcedit appetitum, quippè appetitus est boni intellecti; non enim mouetur, seù tendit voluntas in suum obiectum, nisi pręsupposita cognitione illius, quod dici solet, inlinatio appetitus non fertur in incognitum; sed præcedentia naturalis est causæ naturalis, quæ est in suo genere completa, quantùm ad specificationem actus, & quantùm ad exercitium; ergo cognitio, est prior omni actu voluntatis liberę, & quantùm ad determinationem actus, siuè specificationem, & quantùm ad exercitium.

Respondeo, S. Thomam loquutum esse de præcedentia naturali, contradistincta à libera, quantùm ad determinationem, siuè specificationem actus pręcisè, non autem quantùm etiam ad exercitium, quam pręcedentiam habet causa naturalis ex suo genere contradistincta à causa libera.

Ad secundam instantiam respondeo, quod ea nullam vim habet, iuxtà opinionem illorum, qui dicunt obiectum formale intellectus cōcurrere ad actum intellectionis in genere causæ formalis tantummodò, sed solùm videtur habere vim iuxtà opinionem asserentium, obiectum formale intellectus concurrere ad intellectionem concursu effectiuo, & formali. Formali dico, inquātùm concurrit ad actum cognitionis, quantùm ad eius specificationem, & maximè in doctrina S. Thomę docentis 1.2.q.1.ar.3.*in corpore*, actionem speciem sumere ab agente, quod & si ab aliquibus explicetur radicaliter, hoc sufficit vt de obiecto formali intellectus possit verificari concursus formalis; effectiuus verò concursus ex eo etiā concluditur; quia intellectus sine obiecto, non est in actu, nihil autem agit, inquantùm est in potentia; ergo intellectus non potest efficienter concurrere ad suam intellectionem, nisi inquantùm est actu; est autem actu per suum obiectum formale. Cęterum, adhuc posita hac opinione, remanet firma doctrina S. Thomę suprà explicata, quod obiectum formale intellectus concurrit in genere causę formalis, vt primum mouens formale ad intellectionem, quantùm ad determinationem actus, siuè vt loquuntur communiter, quantùm ad specificationem; quandoquidem concursus effectiuus respectu intellectionis, non conuenit obiecto formali intellectus, vt est primum mouens, quantùm ad specificationem actus; in hoc enim genere mouentis, formale intellectus est secundum mouens, nimirùm est mouens subordinatum voluntati, & obiecto formali, & primario voluntatis, quę sunt primum mouens, quoad exercitiū actus; sicut enim intellectus, quoad exercitium actus subordinatur in operādo voluntati, sic etiam obiectum formale intellectus, quo ad exercitium in actum subordinatur obiecti formali, & primario voluntatis.

Tertium principium, quod supponit conclusio est, quod in illo ipso priori naturę, quo vna causat aliam, est posterior suo causato in diuerso genere causę, & probatur, quoniam, vna ex causis, quæ se se inuicem causant in diuerso genere causę in il-

illo ipso genere causæ, quo causat aliam, tantummodò est prior suo causato; sed hoc satis est, vt ei non repugnet, vt sit posterior in eodem priori, sed in diuerso genere causę; quia hæc duo scilicèt prius, & posterius, independens, & dependens in diuerso genere causæ non sunt contradictoria; at prędicata contradictoria possunt conuenire vni, & eidem in eodem priori naturæ.

Quod si dicas hoc verificari de causis creatis, non autem de causis increatis; sed ad præsens verificari deberet etiam de voluntate, & intellectu in Deo, quod negat aduersarius; idque probari potest hoc medio; quoniam ratio cur vna causa creata causat aliam, & ab ea causatur in diuerso genere causæ est, quia est limitata ad vnum tantùm genus causæ, sed intellectus, & voluntas in Deo sunt potentiæ illimitatæ formaliter; ergo non verificatur doctrina pariter in intellectu, & voluntate Diuinis.

Respondeo, quod intellectus creatus, est prior, & posterior voluntate creata in diuerso ordine, & in diuerso genere causæ, non quia intellectus est limitatus, vel in ordine intelligi bilium, siuè in genere causæ formalis obiectiuæ, sed ex sua ratione formali, qua intellectus, idem dico de voluntate; hęc autem ratio formalis reperitur, tam in intellectu, & voluntate creatis, quàm in intellectu, & voluntate Diuinis, ad eum modum, v. g. quo esse est causa durationis, & esse immutabile est causa æternitatis; & explicatur quoniam intellectus est quidem infinitus in sua ratione formali intellectus, & consequenter in tota sua latitudine formali, & sub ratione formali intellectus est prior virtualiter, quam sit voluntas, est autem causa virtualiter voluntatis, ex eo quod intellectus est ostensiuus boni voluntati, ex eo quod intellectus formaliter; per hoc autem non tollitur, quin intellectus in alio ordine nimirum in genere appetibilium sit virtualiter causa intellectus.

His explicatis remanet clara conclusio, quæ duas habet partes; prima asserit scientiam simplicis intelligentię in Deo, quantum ad exercitium sui actus, siuè in genere causæ veluti efficientis supponit decretum liberum diuinę voluntatis; quodnam autem sit hoc decretum explicabitur in secunda conclusione. Secunda pars asserit, quod scientia simplicis intelligentiæ, inquantum est ostensio, siuè repręsentatio formaliter, siuè in genere veluti causæ formalis, virtualiter in Deo est ante omne decretum liberum diuinæ voluntatis, non solùm absolutum, & subiectiuum, sed etiam obiectiuum, & conditionatum, ex his prima pars controuersa est; etenim ferè omnes Theologi, vt videre est apud Fasolum *to. 2. super q. 14. art. 13.* dicunt scientiam simplicis intelligentię, etiam quantum ad exercitium, antecedere in Deo omne decretum liberum, siuè omnem liberam determinationem diuinę voluntatis; idq; probatur primò; quia scientia diuina, prout est scientia creaturarum adęquatè diuiditur in scientiã simplicis intelligentię, & in scientiam visionis; sed scientia visionis ex suo formali presupponit decretum liberum diuinę voluntatis; ergo ex opposito, scientia simplicis intelligentię ex suo formali vt sic, nullum supponit decretum liberum diuinę voluntatis. Vis rationis probatur simùl, & explicatur: quoniam omnis diuisio fit per oppositas differentias; sed scientia visionis ex sua differentia, qua est scientia visionis formaliter, supponit decretum liberum diuinę voluntatis; ergo scientia simplicis intelligentię ex sua differentia formali non supponit; secus diuisio superioris in sua inferiora non esset per differentias oppositas, siuè contrarias, & in hac ratione tanquam in prima radice fundantur ij, qui diuidunt scientiam diuinam, prout est scientia creaturarum in scientiam omninò necessariam, quę est scientia simplicis intelligentię, cum antecedat omnem actum liberum existentem in Deo, vel absolutè, vel conditionatè, & in scientiam omninò necessariam, quę est scientia visionis; quia hęc supponit ex suo formali, quo est visio, decretum liberum diuinę voluntatis. Secundò, quia scientia simplicis intelligentię est scientia possibilium, vt possibilium formaliter, sed hęc sunt necessaria, cum possibilia, vt possibilia non possint non esse possibilia; hoc enim est illis prędicatum intrinsecum; necessaria autem antecedunt omnem actum liberum Diuinę voluntatis, siuè qui est actu in Deo, siuè qui foret. Tertiò, quia scientia simplicis intelligentię est actus primus Diuini intellectus; quia est primus actus intellectus Diuini, prout est aliorum à se; at primus actus est actus naturę, quę est prima in re; sed actus naturę antecedit omnem liberum actum Diuinę voluntatis, tàm absolutum, quàm conditionatum ex parte Dei; sed istę rationes licet acutę facilè soluuntur principijs suprà explicatis, quę sunt.

Fundamentum pręcipuum conclusionis, quo ad vtramque partem est, etenim voluntas, & voluntas formaliter est primũ

mo-

mouens, quo ad exercitium actus; sed hoc posito intellectus in Deo, non potest exercere vllum actum, nisi vt præmotus à Diuina voluntate, quoad exercitium; primùm enim in vnoquoque genere, non solùm est causa, vt sint cætera in eodem genere; sed etiam est causa, vt cætera in eodem genere moueant, & operentur; ab hanc enim causam Deus, non solùm est prima causa, vt cætera extrà se operentur, & ratio est manifesta; quia subordinatio essentialis in esse fundat subordinationem in operando; quod si creatura aliqua esset primum operans, Deus nõ esset primũ agens omniũ extrà se.

Secundum fundamentum conclusionis est, quia si qua esset ratio in oppositum, ea esset; quia obiectum formale rei scitæ sciẽtię scientię visionis nullum supponit actum liberum Diuinę voluntatis ex suo genere, sed hoc est falsum, quia obiectum formale scientiæ simplicis intelligentiæ ex parte rei scitæ, est terminus materialis eiusdem scientiæ ex parte scientis; sed terminus materialis ex suo genere pręsupponit actũ liberum Diuinæ voluntatis; quia terminus materialis ex suo genere est terminus contingens, vt suprà latè probauimus; terminus autem, siuè effectus contingens formaliter, præsuppponit autem liberum Diuinæ voluntatis, siuè qui actu est in Deo, siuè qui foret; omnis enim effectus, vt effectus est posterior sua causa; secus daretur effectus in ratione effectus sine causa, quod implicat. Solùm hic explicandum est, quinam sit hic actus liber, quem supponit sciẽtia simplicis intelligentię Diuinę voluntatis, & hoc explicatur sequente cõclusione.

Secunda conclusio: decretum liberum diuinæ voluntatis, quod præsupponit sciẽtia simplicis intelligentiæ in Deo est actus liber, quo Diuina voluntas mouet virtualiter intellectum Diuinum ad intelligendum quantum ad exercitium. Conclusio hæc in terminis sumitur à S. Thoma *p.p.q.*17. *ar.*1. vbi docet, quod imperium est actus rationis, præsupposito tamen actus voluntatis, & euidenter etiam sequitur ex principijs S. Thomæ suprà explicatis, & facilè intelligitur distintione duplicis decreti Diuinæ voluntatis; aliud enim est decretum, vt mouens intellectum ad exercitium actus; Deus enim intelligit extrà se, quia vult, & huiusinodi est decretum, quod supponit imperium, qui est actus rationis, & etiam illud supponit scientia simplicis intelligentiæ, & aliud est decretum Diuinæ voluntis, vt exequens, & hoc est decretum Diuinæ voluntatis, vt exequens, & hoc est decretũ liberũ, quod supponit sciẽtia visionis.

Circa hoc principium insurgit non leue dubium, etenim si intellectus Diuinus, quo ad exercitium virtualiter præmoueri debet à Diuina voluntate, Pater in Diuinis suo intellectu non generaret filium, nisi præmoto Diuina volũtatate; at hoc non admittitur à Theologis, vis argumenti ostenditur; quia intellectus ex eo formaliter, quod intellectus, est primum mouens, quoad determinationem actus tantummodò; è contra verò voluntas ex suo genere est primum mouens, quoad exercitium aæus; at in Deo formaliter reperiuntur intellectus, & voluntas; ergo etiam reperiuntur prędicata essẽtialia intellectus, et volũtatis.

Sed dubium hoc quantum nunc satis est facilè soluitur doctrina Caietani 1.2. S.Th. *q.9.& seqq.* qui dicit hãc distinctionem primi mouẽtis, quoad exercitium actus, & primi mouentis, quoad determinationem, siuè specificationem actus, habere locum in causa libera, non autem in causa intellectuali, vt necessaria; causa enim, inquit, necessaria habet vtramque determinationem, & quoad exercitium, & quoad determinatinem, siuè specificationem actus; intellectus, & voluntas in Deo ad intrà sunt producens necessarium; ad extrà verò sunt causa libera, & hæc est manifesta disparitas cur intellectus, vt productiuus ad intrà in Diuinis non præsupponat actum Diuinæ volũtatis, quo mouetur ad exercitium actus.

Fundamentum conclusionis est, quia hoc tantùm decretum liberum Diuinę voluntatis sufficit, vt intellectus Diuinus sciat scientia simplicis intelligentię, quod exercitium actus; quia per hoc decretum incipiunt possibilia ad extrà.

Dicet fortè ingeniosus Aduersarius, actus Diuinæ voluntatis est liber respectu obiecti extrà, non autem respectu obiecti intrà Deum; quia voluntas Diuina est libera respectu obiecti contingentis, & materialis, vt fusè probabitur cum S. Thoma cum sermo erit de Diuina libertate, quod ex parte etiam suprà est demonstratum; sed actus, quo voluntas Diuina vult intellectum Diuinum intelligere, est respectu obiecti intrà Deum, quod quidem obiectum est necessarium; ergo, &c.

Respondeo, quantùm nunc sunt satis est, quoniam de hoc fusè dicetur suo loco, velle Diuinum, secundariò esse liberum respectu obiecti extrà contingentis; primario verò esse liberum respectu obiecti primarij, quod est in Deo, non quidem quatenùs est necessarium in essendo; sed quatenùs est libe-

berum in causando, siuè quatenus est participabile diminutè ad extrà, & ratio est clara. Primò, quia Deus liberè vult communicare suam bonitatem creaturis, siuè actualibus, siuè possibilibus, non autem necessariò. Secundò, quia implicat actus omnis secundus sine suo termino formali.

Ex his diluuntur facilè argumenta contrariæ sententiæ, suprà posita; ad primum enim, quo dicitur scientia Diuina, proùt est aliorum, adæquatè diuiditur in scientiam simplicis intelligentiæ, & in scientiam visionis, &c.

Respondeo: concedo maiorem, & distinguo minorem; scientia visionis ex suo formali præsupponit decretum liberum Diuinæ voluntatis, vt exequens, & concedo: decretum liberum, vt mouens intellectum ad intelligendum ad extrà, & nego; hoc enim decretum supponit scientiã simplicis intelligentiæ ex suo formali, antequam intelligatur scientia visionis in Deo, vt ostendimus.

Respondeo secundò: distinguo maiorem alio modo; scientia visionis supponit decretum liberum, vt motiuum, & exequutiuum, & concedo; motiuum tantùm, vel tantùm exequutiuum, & nego; scientia verò simplicis intelligentiæ supponit tantùm decretum liberum Diuinæ voluntatis, motiuum intellectus, quoad exercitium. Cum verò dicitur ab opponente, quod sciẽtia simplicis intelligentiæ est scientia necessaria, & non libera, dupliciter sumi potest, & intelligi scientia necessaria; vno modo, quia non supponit decretum liberum, vt exequens; alio modo, quia nullum supponit decretum liberum, neque vt exequens, neque vt mouens. Scientia simplicis intelligentiæ primo modo, dicitur necessaria, non autem secundo modo; ratio est manifesta, quia scientia simplicis intelligentiæ est necessaria, ex eo quod contradistinguitur à scientia visionis in ea diuisione, qua scientia Diuina, proùt est scientia creaturarum diuiditur in scientiam simplicis intelligentiæ, & in scientiam visionis, sed ad hanc contradistinctionem satis est, vt sciẽtia simplicis intelligentiæ dicatur necessaria; quia antecedit omne decretum liberum, vt exequens Diuinæ voluntatis; hoc enim decretum tantùm præsupponit scientia visionis ex suo proprio formali, siuè ex suo conceptu differentiali.

Ad secundum, quo dicitur scientia simplicis intelligentiæ est scientia possibilium, vt possibilium formaliter extrà Deum.

Respondeo: concedo maiorem, & distinguo minorem; possibile enim obiectiuũ dupliciter sumi potest, vno modo vt dicit connexionem prædicati cum subiecto; alio modo vt dicit subiectum prædicati in ordine ad sui causam: primo modo, est necessarium necessitate essentiali; sed dependenter à prima causa necessitate specificationis, etenim si Deus vellet causare, non causaret aliud nisi, quod dicit prædicatum non repugnans suo subiecto, non quidem illud supponendo; sed illud efficiendo, aut causando, vt fusè dicetur quæstione sequenti; si verò possibile sumatur secundo modo, illud secundùm se, est terminus contingens, ità enim est terminus primæ causæ, & effectus, vt in priori naturæ potuerit non esse terminis.

Ad tertiam rationem, qua dicitur, quod scientia simplicis intelligentiæ est actus intellectus Diuini, vt natura, inquantùm scilicet est primus actus intellectu s Diuini, vt est cognitiuus rerum extrà se, &c.

Respondeo; distinguo maiorem; est actus naturæ, inquantùm scientia simplicis intelligentiæ est primus actus in ordine intelligibilium, vel quantùm ad specificationem, & concedo: est actus naturæ, quantùm ad suum exercitium, & nego; est enim actus intellectus, inquantùm intellectus est primum mouens in genere intelligibilium; siuè inquantùm intellectus intelligit; quia voluntas vult illud intelligere; & sic intellectus est natura, natura enim dicit prima prædicata, quę sunt in re, siuè primum mouens intrinsecũ; intellectus verò cognoscit; quia voluntas vult illud cognoscere.

Obijcies primò: in illo priori naturæ virtuali, quo scientia simplicis intelligentię in Deo præcedit in genere causę formalis, vel in ordine intelligibilium decretum motiuum Diuinæ voluntatis; intelligitur esse possibile creari à Deo secundùm suum esse formale; quia in illo priori naturæ est in Deo formaliter scientia simplicis intelligẽtiæ; sed non potest esse scientia formaliter sine suo termino formali; terminus autem formalis ex parte rei scitæ scientiæ simplicis intelligentiæ, est possibile obiectiuum distinctum à Deo; ergo in illo priori virtuali naturæ intelligitur esse possibile obiectiuum secundùm suum esse formale; sed in illo priori non præintelligitur decretum motiuum Diuinæ voluntatis; ergo possibile obiectiuum non est dependens in suo esse formali à decreto libero motiuo Diuinę voluntatis.

Respondeo ex dictis: distinguo maiorem;

rem; in illo priori virtuali naturæ, quo scilicèt scientia simplicis intelligentię est primum mouens in genere intelligibilium, intelligitur esse possibile obiectiuum secundū suum esse formale in eodem genere causæ, & in eodem ordine intelligibilium, & nego: in diuerso genere causæ, & in ordine appetibilium, & concedo: & ratio huius est; quia vt suprà ostendimus, causa in illo ipso priori, in quo causat suum effectum est posterior suo effectu in alio genere causæ, vt suprà diximus cum S. Thoma. Intellectus Diuinus, vt est aliorum extrà se est primum mouens, quoad determinationem, siuè specificationem actus, siuè in ordine intelligibilium, non autem quoad exercitium, siuè in ordine appetibilium; hæc autem duo sibi inuicem essentialiter subordinantur, & in esse, & in operari; sed in diuerso genere causæ: vbi autem est mutua subordinatio essentialis, & in essendo, & in operando, non est assignabilis prius naturæ, in quo vnum sit prius in suo genere, & non sit posterius in alio genere in illo ipso, in quo est prius; quoniam in illo ipso, in quo est independens in genere, quo causat, est dependens à suo effectu in alio genere causæ, quia est realiter deficiens, vndè possibile obiectiuum præsupponit decretū liberum Diuinæ voluntatis in ordine appetibilium, & inquantùm est primum mouens, quantùm ad exercitium, in illo ipso priori, quo intellectus pręcedit liberum decretum in genere intelligibilium.

Objicies secundò: possibile obiectiuum secundùm suum esse formale extra Deum est illud ipsum, quod est cum producitur, sed relatum ad suam causam liberam, quatenùs in priori naturæ est indifferens, & prior suo effectu in eodem instanti, in quo illum causat; sed in illo priori naturæ, quo causa pręcedit suum effectum, non intelligitur esse decretum liberum diuinæ voluntatis de creando, etiam vt mouens intellectum ad intelligendum, quippè decretum liberum mouens intellectum, intelligitur in posteriori naturæ, quo intellectus est indifferens, vt moueatur ad intelligendum à voluntate.

Respondeo ex dictis: concedo maiorem, & distinguo minorem; duplex enim est decretum liberum Diuinæ voluntatis, quoad exercitium, aliud est mouens intellectum ad exercitium actus, quia voluntas est primum mouens, quoad exercitium actus, vt ostendimus cum S. Thoma; primum autem in vnoquoque genere, non solùm est causa, vt sint cætera, quæ sunt post in eodem genere; sed etiam vt operentur: intellectus ex suo genere non est primum se mouens, quoad exercitium respectu sui obiecti contingentis; ergo in hoc genere est insufficiens, vt se moueat, quoad exercitium actus, & aliud est decretum liberum Diuinæ voluntatis eligens, post quod sequitur aliud decretum, vt exequens iuxtà opinionem S. Thomæ, quod potentia exequens, est idem quod intellectus, & voluntas, vt sunt principium exequens; possibile secundarium, secundùm suum esse formale extrà Deum refertur ad primam causam, quatenùs est indifferens de possibili, posito decreto exequente Diuinę voluntatis; quia possibile huiusmodi, est illud met, quod est cum causatur, nimirùm in eodem instanti, in quo illud causatur; at causa prima non causat actu, nisi posito decreto exequente vnum præ alio.

Neque dicas, quod posito decreto exequente Diuinæ voluntatis, Deus est actu se determinans; at possibile est quidem illud ipsum, quod est cum producitur, sed relatum ad suam causam, vt indifferentem in priori naturę, sed in eodem instanti temporis, quo causat; indifferentia autem, & determinatio causæ primæ respectu vnius effectus sunt incompossibiles, quia opponūtur contradictoriè.

Non, inquam, dicas hoc, quia huiusmod determinatio est suppositionis, quæ nō mutat intrinsecè naturam voluntatis. Prętereà huiusmodi determinatio est de inesse, qua voluntas operabitur infallibiliter, sed modo libero; indifferentia verò de possibili, est qua causa libera, ità potest operari vnum, quod potuerit nō operari illud, sed aliud vt suo loco fusè explicabitur; sub hac autem duplici cōsideratione formali diuersa determinatio de inesse, siuè suppositionis, & indifferentia de possibili, nō sunt cōtradictoria; etenim contradictio, est respectu eiusdem secundùm idem. Cæterùm, possibile secundum, quantùm ad eius esse formale extrà Deum, refertur ad primam causam, vt indifferentem de possibili; sed in eo instāti, in quo est determinata ex hypothesi, seù de inesse, quæ determinatio fit formaliter per decretum exequens; radicaliter verò ab intellectu, suo iudicio practico, siuè ab imperio, q; est actus intellectus, vt moti à volūtate, vt ostendetur suo loco cum S. Thoma: & ratio est, quia possibile, quantùm ad eius esse formale extrà Deum est illudmet, quod existit cum causatur, vt relatum ad causam, vt est prior suo effectu; sed in eodem instanti, in quo illum causat; at Deus actu nō causat,

sat, nisi posito decreto eligente; idem verò possibile distinguitur à se ipso, vt actuali, quatenùs refertur ad suam causam, vt actu causantem in posteriori naturæ. Declaratur hoc, doctrina Scoti, qui vt suprà diximus, ponit duo instantia nature inter causam, & effectum. Primum est, quo omnis causa etiam libera est prior natura suo effectu. Secundum est, quo causa est actu causans suum effectum; sed hęc duo instantia naturæ sunt in eodem instanti temporis; in primo instanti naturæ causa libera est indifferens de possibili; in secundo instanti naturæ est necessariò causans necessitate suppositionis, quæ neque tollit libertatem causæ; quia libertas, siuè contingentia effectus in eo consistit, quod effectus ità causatur à causa libera, vt in priori naturæ potuerit non causari.

Neque secundò dicas, ex hac doctrina sequi in Deo dari decretum aliquod in esse, cui scilicèt non respondet operis executio, ac proindè imperfectum; nimirùm, si daretur hoc decretum, quo pręcisè voluntas mouet intellectum, quoad exercitium tantùm actus; sed in Deo nihil potest esse inane, & imperfectum;

Non, inquam, hoc dicas. Respondeo enim nego sequelam; & quidem non est inane, neque imperfectum; non est inane, quia illi respondet executio immediati decreti eligentis, & probatur; quia non potest esse in Diuina voluntate decretum eligens, nisi in priori præfuerint illi ostensa ab intellectu Diuino omnia obiecta eligibilia, & non eligibilia; intellectus autem, vt ostendimus, etiam in Deo non potest ostendere obiecta eligibilia, & non eligibilia voluntati ad extrà, nisi motus à sua Diuina voluntate, quoad exercitium actus; quia cognitio, vt diximus, simplicis intelligentię, est possibilium formaliter extrà Deum, quę sunt obiecta contingentia; quandoquidem non sunt possibilia, nisi posito decreto libero Diuinę voluntatis, saltem conditionato, vt supra demonstrauimus; at scientia Diuina respectu obiecti contingentis ad extrà, est libera.

Neque arridet doctrina Fasoli *tom.* 2. *in p. p.* S. Thomæ, scientiam simplicis intelligentiæ ex suo genere esse liberam libertate obiecti, non autem libertate exercitij; quia, nimirùm, est de scibili contingenti, & libero; non autem quia ipsa, quoad exercitium sit libera in sciendo. Primò, quandoquidem possibilia, obiectiua, de quibus nunc loquimur, secundùm eorum esse formale extra Deum, sunt effectus primæ causę; at prima causa non causat effectum contingentem, nisi intellectu, & voluntate se se mouentibus virtualiter, modo libero. Secundò à priori; quia voluntas est primum mouens liberum, quoad exercitium actus in ordine ad obiectum liberum; sed cognitio simplicis intelligentię, quoad exercitium actus, est respectu obiecti contingentis; quia est respectu possibibilium ad extrà, secundùm eorum esse formale.

Hìc duæ solùm difficultates esse possunt. Prima est, quam supra innuimus; quia voluntas Diuina, vt mouens intellectum suum Diuinum ad ostendendum sibi obiecta eligibilia, & non eligibilia, habet pro obiecto immediato Diuinum intellectum, qui est ens summè necessarium; sed contingentia, seù libertas actus est respectu obiecti contingentis, & liberi formaliter.

Sed hæc difficultas soluta est suprà; intellectus enim Diuinus, solùm respectu obiecti intrà, est necessarius in essendo, & in cognoscendo; respectu verò obiecti extrà in essendo quidem est omninò necessarius; sed in cognoscendo, est liber, & sic non mouetur, quoad exercitium, respectu obiecti extrà, nisi à voluntate Diuina, quæ adhuc libera est respectu intellectus Diuini, quia fertur ad intellectum Diuinum, quatenùs est liber in cognoscendo, dependenter tamen à volūtate, quoad exercitium actus; & ratio est, quia actus, siuè potentia est libera formaliter, quatenùs fertur ad suum terminum, vt liberum formaliter; adhoc autem materialiter se habet, vt terminus, qui est liber tantùm in operando sit necessarius, quantùm ad suum esse intrinsecum, vt communiter omnes Theologi dicunt, velle liberum Diuinum in essendo esse necessarium; in causando verò obiectum contingens, esse liberum: similiter materialiter se habet ad obiectum, vt liberum in causando illud, esse infinitum; ad actum enim liberum satis est, vt terminus sit contingens, & liber formaliter.

Quod si dicas: ad actum liberum requiritur, vt obiectum eius non cognoscatur cognitione adæquata, siuè modo infinito, at verò tā intellectus Diuinus, quā Diuina voluntas semper operantur modo adęquato, & infinito; quia semper operantur, vt principia prima, & infinita in sua latitudine formali.

Respondeo: nego maiorem, satis enim est ad actum liberum, vt feratur ad obiectuum suum, vt liberum formaliter; siuè libertas obiecti sit in essendo, & in operando, siuè sit tantùm in operando. In re nostra, intellectus Diuinus, proùt est cognitiuus

tiuus aliorum extrà se,est liber in cognoscēdo, quantùm ad exercitium; quia est causa obiecti contingentis, vt contingentis formaliter. Explicatur exemplo velle diuini, quod est liberum formaliter in operando, quatenus seipso est velle obiecti contingentis, & secundarij, quæ sunt creaturæ secundùm earum esse formale extrà Deum.

Quod si secundò opponas: visio beatifica, qua Beati intuentur Deum in seipso, est necessaria quoad exercitium, quia eius obiectum formale adæquatè, idest secundum omnem suam rationem intrinsecam cognoscitur; sed huiusmodi est intellectus Diuinus, prout est cognoscitiuus possibiliū secundùm eorum esse extrà Deum.

Respondeo nego maiorem; visio enim beatifica est necessaria quoad exercitium, quia eius obiectum formale, & immediatum est necessariò cognoscibile ab intellectu Beatorum natura sua, posito in intellectu Beatorum lumine gloriæ; sicut posita vltima dispositione in materia ad formam ignis, necessario sequitur in materia forma ignis; ratio à priori est, quia actus est liber ex eo quod fertur ad obiectum vt liberum, & contingens in ratione obiectiua, qua se obijcit potentiæ liberæ; specificatur enim actus, & potentia, sicut & suum obiectum formale; obiectum autem formale potentiæ liberę, siuè actus liberi, est obiectum vt liberum, & contingens formaliter.

Alia secunda difficultas est, quia in multorum opinione obiecta formalia ex parte creaturæ scientiæ simplicis intelligentiæ sunt obiecta necessaria. Primò, quia sunt obiecta vt possibilia; at verò possibilia sunt necessaria, quia non possunt non esse possibilia, cum hoc prædicatum sit illis intrinsecum, & inseparabile; ergo eorum scientia in Deo est necessaria. Secundò, quia futura conditionata pertinent ad sciētiam simplicis intelligentiæ; nam futurum sub conditione vt sic nō exit terminos obiecti possibilis; prætereà futurum conditionatum vt sic veritatem suam ostendit formaliter, sicut possibile; nam ostēdit suam veritatem formaliter ex connexione, vel necessaria, vel infallibili antecedentis cum consequente, & declaratur hoc, quia obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ est antecedenter ad Diuinum decretum de ponenda conditione; ergo eius veritas, & cognoscibilitas est intrinseca, & non ex libera Dei voluntate.

Sed hæc alia difficultas pariter soluitur ex dictis; possibilia enim secundum eorum esse formale extrà Deum, quorum est scientia simplicis intelligentiæ, siuè ea sint possibilia absoluta, siuè conditionata, sunt necessaria necessitate specificationis; libera verò, & contingentia libertate, & contingentia exercitij, & sub ista ratione formali sunt obiecta formalia scientiæ simplicis intelligentiæ ex parte rei scitæ, & probatur quia cognitio simplicis intelligentiæ est cognitio possibilium secundùm quod sunt entia extra Deum; sed extrà Deum non sunt entia nisi ex libera Dei voluntate; sunt verò extrà Deum in duplici statu, & in statu possibilitatis, & in statu actualis existentiæ in aliqua temporis differentia: sunt in statu possibilitatis relata ad Deum, quatenus est prima causa in priori naturæ indifferens, sed in eodem instanti, in quo causat, sunt verò actu existentia in posteriori naturæ, quo intelligitur causa prima actu causare in aliqua temporis differentia. Addidi hæc hoc vltimo loco ad soluendam obiectionem, quæ fieri potest.

Potest enim aliquis dicere, quod scientia simplicis intelligentiæ, potest esse etiam scientia obiectorum actu existentium in aliqua temporis differentia, vt obiectorum materialium; sed hoc non potest esse, si dicamus possibilia secunda esse obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ, quatenus sunt in statu possibilitatis; nam status possibilitatis est incompossibilis cum statu actualitatis eiusdem termini.

Sed responsio facilis est; status enim possibilitatis, vt supra ostendimus, sumitur in ordine ad Deum, vt primam causam indifferentem in priori naturæ, sed in eodem instanti, quo causat, modo suprà latè explicato.

Obijcies tertiò: cognitio qua Pater in Diuinis generat Filium, est cognitio, non solum Diuinarum Personarum, & Diuinæ essentiæ, sed etiam saltem possibilium creaturarum vt possibilium, secundum earum esse formale, quia cognitio, qua Pater generat Filium in Diuinis est infinita in ratione cognitionis; sed in illo priori, quo Pater generat Filium, nullum præintelligitur decretum liberum Diuinæ voluntatis; omnia enim libera subsequuntur notionalia, & productio termini primarij præcedit productionem termini secundarij; ergo dependentia possibilis à Deo, intelligitur ante omne decretum Diuinæ voluntatis, & vt mouens, & vt exequens, & absolutum, & conditionatum ex parte actus; difficultas hæc requirit solutione alterius articuli sequentis.

## ARTICVLVS SEXTVS.

### Vtrum Pater in Diuinis producat Verbum cognitione, quatenus etiam formaliter est cognitio creaturarum vt possibilium, secundum earum esse formale distinctum à Deo.

Dupliciter intelligi potest, cognitionem productiuam Verbi in Diuinis, esse cognitionem etiam creaturarum vt possibilium; vno modo identicè, siuè materialiter; alio modo formaliter: vel, vt alij loquũtur, vno modo in sensu identico, & specificatiuo; alio modo in sensu formali: & quidẽ cognitio Patris, qua producit Filium, quatenus est formaliter cognitio creaturarum vt possibilium, dupliciter adhuc potest intelligi esse formaliter cognitio possibilium ad extrà; vno modo potest esse formaliter cognitio possibiliũ vt obiecti formalis terminatiui ex parte sciẽtiæ, siuè cognitionis; alio modo vt obiecti terminatiui formalis ex parte rei scitæ. Dico, vt obiecti terminatiui formalis, ad differentiam obiecti formalis motiui; nam obiectum formale ex parte scientiæ, aliud est motiuum, & aliud est terminatiuũ: à primo obiecto specificatur cognitio quatenus cognitio actio; à secundo obiecto formali terminatiuo specificatur cognitio, quatenus cognitio passio; sicut calefactio, quatenus calefactio actio, specificatur à calore existente, v.g. in igne agẽte, calefactio verò vt passio specificatur à calore producto in passo, vt doctè, & acutè satis docet S.Th.1.2.& probat; definitur enim calefactio actio, calefactio à calore procedẽs, calefactio verò passio definitur ad calorẽ productũ; pariter vt suprà explicauimus dicẽdũ est de cognitione. Hic articulus intelligitur de cognitione, qua Pater in Diuinis producit Verbum, non solùm quatenus illa est identicè materialiter cognitio creaturarum possibilium; sed adhuc præcipuè quatenus est formaliter cognitio creaturarum vt possibilium; non quidem, quia cognitio productiua Verbi in Diuinis sit cognitio possibilium creaturarum, quæ sint obiectũ formale terminatiuum ex parte scientiæ, sed quatenus est cognitio possibiliũ creaturarũ, vt sũt obiectũ formale ex parte rei scitę; creaturæ verò possibiles, quantũ ad earũ esse formale, & intrinsecum, quod habent distinctum ab esse Dei, adhuc dupliciter sumi possunt; vno modo quantum ad earum esse formale, & intrinsecum, vt exercitum, & in re; alio modo, quantùm ad eorum esse formale, & intrinsecum, vt signatum, & cõceptum. In articulo sumitur esse formale, & intrinsecũ possibiliũ creaturarum, vt exercitũ, non vt signatũ, & conceptũ extrà Deũ, quæ distinctio in subiecta materia valdè notanda est, quandoquidẽ cõplures ex antiquis Theologis dicunt, creaturas causari à Deo in esse intelligibili antecedenter ad omne decretum liberum diuinę voluntatis, siuè vt mouens, siuè vt exequens, & in hoc sensu dicunt Verbũ in Diuinis procedere à Patre, cognitione, quatenus formaliter est etiam cognitio creaturarum possibilium; sumunt autem esse intelligibile formale creaturarum, non prout contradistinguitur ab esse naturali earundẽ; sed prout contradistinguitur ab esse in re extra Deũ, quod distinguitur in esse possibile realiter, & in esse actuale realiter, & exercitum in re; quæ distinctio sumitur à S.Tho.p.1. vt suprà indicauimus. Proponitur examinanda difficultas hæc hoc in loco; quoniam vt suprà ostendimus possibile formale extra Deum, supponit liberum decretum motiuum, quo diuina voluntas mouet intellectũ ad exercitium actus; hæc autem veritas in compossibilis est cum opinione ferè communi omnium, qui dicunt necessariò Verbum in Diuinis formaliter, & per se procedere à Patre, ex cognitione, quatenus etiam est cognitio omnium creaturarum vt possibiliũ, quod fusè citat, & sequitur Fasolus *to.3. super q.34. de Sanctissima Trinitate, ar.3. dub.6.*

Prima conclusio. Verbũ in Diuinis non producitur à Patre, cognitione, quatenus formaliter est etiã cognitio omniũ creaturarũ vt possibiliũ. Notãter dicitur, Verbum nõ procedere à Patre cognitione, quatenus etiam est cognitio omnium possibiliũ creaturarũ; quia vt dicemus contra Scotum, & alios, cognitio qua Pater in Diuinis producit Verbum, non solũ est formaliter cognitio Diuinæ essentiæ, sed adhuc omniũ diuinarũ personarũ, quatenus sunt obiectũ formale terminatiuum ex parte scientię. Huic opinioni addunt ferè omnes alij, cognitionem, qua Pater in Diuinis producit Verbũ, esse productiuam per se Verbi, quatenus etiam est cognitio formaliter omniũ creaturarum vt possibiliũ. Conclusio sequitur ex dictis in pręcedẽte artic. vbi ostendimus creaturas vt possibiles secundùm earum esse formale exercitum, et intrinsecum supponere in Deo decretum liberum Diuinæ voluntatis, mouẽs, quantum ad exercitium, intellectum Diuinum ad repræsentandum ipsi Diuinæ voluntati obiecta extra Deum; at cognitio, qua Pater producit Verbum in Diuinis, antecedit omnem decretum liberum Diuinæ voluntatis; tum quia decretum Diuinæ voluntatis supponit

nit notionalia, & personas productas; tum quia vt acutè docet Caietanus 1.2. *loc. sup. cit.* Pater est primum producens necessariò filium; producens autem necessarium, est primum nō solùm quantum ad exercitium, sed etiam quantum ad determinationem, siuè specificationem actus. Conclusio valdè controuersa est; primò enim est contra eos, qui distinguunt duplex possibile extra Deum, vnum essentiale siuè subiectiuum, & aliud existentiale, & obiectiuum; primū est sola essentia creaturæ, quæ est receptiua existentiæ; secundum verò est existens ex nihilo, quod dicitur possibile obiectiuū relatum ad primam causam, quatenus in priori naturę, sed in eodem instanti temporis in quo causat, est prior suo effectu, & indifferens. Qua posita distinctione, dicunt Verbum in Diuinis produci à Patre cognitione, quatenus etiam formaliter est cognitio possibilium essentialium extrà Deū, sed non possibilium existentialium; & hanc opinionem sequitur Palumbus: eorum fundamentum est; quoniam productio Verbi Diuini est cognitio formaliter veri necessarij simpliciter; sed possibile necessarium simpliciter est solùm possibile essentiale, & subiectiuum extra Deum, non autem possibile existentiale, & obiectiuum; essentiæ enim creaturæ, inquiunt, in ratione essentiæ est participatio necessaria Diuinæ essentiæ; hæc autem antecedit omne liberum decretum Diuinę voluntatis. Isti Metaphysici substinent, hanc necessariam participationem essentialem, esse ante productionem Verbi Diuini à Patre, non autem consequentem, vel concomitantem; & confirmat eorum opinionem; quia ob hanc solam rationem excludunt à productione necessaria Verbi Diuini, cognitionem creaturarum futurarum, & existentium; quia existentia est terminus Diuinæ voluntatis liberæ, qui est ens essentiale extra Deū, & ita est à Deo initio creationis, vt potuerit in priori naturæ non esse; ens verò potentiale essentiale est simpliciter necessarium, sed essentialiter dependens à Diuina essentia, vt à causa ideali, quæ virtualiter est prior Personis; Secundò est contra eos, qui dicunt productionem Verbi in Diuinis esse cognitionē, etiam quatenus est formaliter cognitio omnium creaturarum possibilium; etiam secundum esse, quos refert accuratè, & sequitur Hieronymus Fasolus *loc. sup. cit.* qui primò contendit, hanc opinionem sine dubio esse expressam sentētiam S.Th. *q. 34. de Trinitate, art. 1. ad 3.* his verbis: *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit Verbum, vt tota Trinitas Verbo dicatur, & omnis creatura, sicut intellectus hominis Verbo quod concipit intelligendo, lapidem dicit.* Quibus verbis additur minor; sed ad nostrum mentale verbum, quo dicitur, & repręsentatur lapis per se pertinet cognitio lapidis; ergo ad Verbum quo dicitur, & repræsentatur tota Trinitas, & omnis creatura per se pertinet cognitio totius Trinitatis, & omnis creaturæ. Idem non obscurè significat etiam S.Doctor *in ead. q. art. 3. circa princip. corporis*, dicens: Deus enim cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam, ex qua propositione infert hoc cōsequens; Verbum igitur in mente conceptum, est repræsentatiuum, omnis eius, quod actu intelligitur. Hæc consequentia, inquit Fasolus, nulla esset, si cognitio creaturarum non per se cōduceret ad hoc, vt Verbum per illam procedens sit per se repræsentatiuum possibilium creaturarum, vt paulò infrà S. Doctor eodem artic. subiungit hanc causalem. Quia Deus vno actu, & se, & omnia intelligit, vnicum Verbum eius est expressiuum, non solùm Patris; sed etiam creaturarum, quam necessariam connexionem inter Dei Patris cognitionem, & Verbum, quoad repræsentationem eorundem obiectorum magis explicans; subdit hæc verba; & sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiua tantùm; creaturarum autem cognoscitiua, & factiua; ita Verbum Dei, eius quod in Deo Patre est, est repræsentatiuum tantùm; creaturarum verò, est expressiuum, & operatiuum; & propter hoc, inquit, dicitur in Psal. Dixit, & facta sunt, & in *art. 5.* hoc ipsum docet, dicens eo modo, quo sciētia Dei est non entium, & Verbum Dei est non entium, quia non est aliquid minus in Verbo Dei, quam in scientia Dei, vt Augustinus dicit; sed tamen verbum est entium, vt expressiuum, & factiuum; non entium autem vt expressiuum, & manifestatiuum; & prædictus Doctor docet possibilitatem creaturarū pendere solùm ab omnipotentia Dei independenter à productione Verbi, *to. 3. q. 34. art. 3. dub. 6. num. 57.*

Secundò, fundamentum præcipuū huius sententiæ est, quia cognitio productiua Verbi est comprehensiua, et infinita formaliter in ratione comprehensionis.

Sed cognitio creaturarum omnium vt possibilium est necessaria, et essentialiter requisita ad hanc comprehensiuam, et infinitam comprehensionem; non solum, quia cognitio comprehensiua Dei, et infinita in rōne cognitionis ē cognitio omnis scibilis, nec

nec habet terminum in cognoscẽdo; verum etiam quia cognitio comprehensiua, & infinita Dei, est etiam cognitio omnium possibilium creaturarum, vt possibilium, & in generali, & in particulari; quia est cognitio Dei infinita, & comprehensiua etiam vt primæ causæ; prima autem causa non potest infinitè, & comprehensiuè cognosci, nisi cognoscantur, eadem cognitione, vt obiecta secundaria, omnes possibiles creaturæ in particulari, & hac ratione docti Theologi dicunt, non posse intellectum creatum conspicere in Deo, tanquam in prima causa, omnia possibilia in particulalari, quia hæc cognitio est comprehensiua Dei; cognitio autem comprehensiua Dei, nullo pacto potest communicari intellectui creato, etiam vt causę instrumentali.

Quod si obijcias, ad cognitionem productiuam Verbi per se requiri cognitio necessaria, quæ est veri necessarij simpliciter; at cognitio Dei, prout est creaturarum possibilium, quantum ad earum esse formale extrà Deum, non est necessaria in cognoscendo; quia sicut creaturæ possibiles potuerunt esse extrà Deum secundùm earum esse formale, ita potuerunt non esse; nam vt suprà ostendimus, creaturę vt possibiles possibilitate obiectiua, quæ est possibilitas secundùm existentiam, sunt terminus materialis, & consequenter contingens.

Statim respondere possunt primò, quod possibiles creaturæ dupliciter considerari possunt: vno modo, quantum ad connexionem prædicati cum subiecto; alio modo, in ordine ad existentiam, quam possunt habere in aliqua temporis differentia; primo modo, negant creaturas, vt possibiles esse terminum contingentem; sed solùm concedunt esse terminum contingentem in ordine ad aliquam temporis differentiam. Hac posita distinctione, dicere possunt cognitionem creaturarum vt possibilium primo modo, esse necessariam; quia possibilia primo modo sunt terminus necessarius diuinæ cognitionis, licet secundarius; & vltrò concedunt cognitionem possibilium non esse necessariam per se. Cum verò à nobis probatur, quod possibiles creaturæ, etiam primo modo, ex eo quia creaturæ vt possibiles, secundum earum esse formale extrà Deum, sunt terminus materialis; at terminus materialis diuinæ scientię est terminus contingens.

Statim respondent concedẽdo maiorem, & negando minorem, & huius hæc ratio assignari potest; quia terminus materialis præscindit à termino contingenti, & à termino necessario; nam ex alio capite sumitur necessitas termini, & ex alio capite contingentia; contingentia enim sumitur in ordine ad existentiam, quæ contingenter competit creaturæ, necessitas verò ex necessaria cõnexione prędicati cum subiecto.

Respondere possunt secundò, negando cognitionem creaturarum possibilium in Deo, quæ est cognitio simplicis intelligentiæ, supponere, etiam quantum ad terminationem ad suum obiectum formale ex parte rei scitæ in Deo, decretum liberum diuinæ voluntatis, vt mouens intellectum diuinum ad cognoscendum, quantum ad exercitium, idque præter supradicta probari potest hac alia ratione; quandoquidem voluntas est primum mouens, quoad exercitium actus, intellectum, non ad actũ, qui est actus naturæ, & consequenter necessarius; sed solùm est primum mouens intellectus, quoad exercitium actus liberi, qui est cum perfecta aduertentia; at scientia simplicis intelligentiæ, quæ est scientia, qua Deus cognoscit possibiles creaturas, vt possibiles, est actus naturæ intellectus: & hoc manifestari potest, retorquendo eandem doctrinam Caietani suprà explicatam, quod principium naturale est principium primum, non solùm quantum ad specificationem actus, sed etiam quantum ad exercitium; at intellectus, sicut, & quælibet alia potentia ad primum actum est principium naturale contradistinctum à libero, ergo, &c. His non obstantibus.

Fundamentum conclusionis est. Cognitio futurorum secũdùm eorum esse formale, non est formaliter necessaria ad productionem Verbi Diuini, quoniam productio Verbi diuini, cum sit simpliciter necessaria, & quoad specificationem, & quoad exercitium, nullum supponit actum liberum diuinę voluntatis; cognitio autem futurorum secundùm eorum esse formale, supponit actum liberum diuinæ voluntatis, sed hec ratio militat etiam in cognitione creaturarum vt possibilium; ergo cognitio creaturarum vt possibilium; nimirum, secundùm earum esse formale, non est necessaria formaliter ad productionem Verbi in diuinis. Notanter addidi illud, formaliter, quia vt infrà dicetur, cognitio, qua Pater producit Verbum, identicè est omnis cognitio. Minor principalis argumenti probatur, quoniam creaturæ vt possibiles secundùm earum esse formale extrà Deum, vt suprà ostendimus, supponunt actum liberum diuinæ voluntatis de creando; esse enim possibilium creaturarum vt possibilium

lium extrà Deum est terminus secundùm se, & essentialiter contingens; potuit enim in priori naturæ Deus non velle producere extrà se mundum. Secundò, & est ratio à priori; quippè, vt sepiùs repetiui, esse formale possibilium creaturarum, est terminus purè materialis causę primę, à quo scilicèt non specificatur; at terminus materialis secundùm se est contingens, idest sicut liberè est extrà Deum, ità in priori potest esse integra cum solo suo termino formali. Tertiò, quia possibile obiectiuum est illudmet, quod est cum producitur.

Quod si dicas: terminus materialis non necessariò est contingens; quia potest adhuc terminus materialis esse necessarius, vt v.g. Deus, qui est ens simpliciter necessarium, potest esse terminus materialis intellectus creati.

Respōdeo, posse ens necessariū in ratione entis esse terminū materialē respectu causę, siuè potentię creatę, non autem respectu causę primæ, & increatæ; hæc enim, cum sit infinita infinitudine formali, quę est actus sine vllo sui receptiuo, intrà se habet suum terminum formalem, à quo completur essentialiter, & in esse, & in operari, dicitur Deus visus obiectum materiale intellectus creati; quia ratio formalis cur videtur est, quia est intelligibilis.

Quod si secundò dicas: possibile extrà Deum, vt possibile, est necessarium, non solùm in esse possibili; sed etiam in esse termini cognitionis simplicis intelligentiæ; possibile non potest non esse possibile, cum hoc prædicatum sit intrà quidditatem, siuè essentiam possibilis.

Respondeo cum distinctione, possibile est necessarium necessitate specificationis, & concedo: necessitate exercitij, & nego, nimirùm, est necessarium necessitate specificationis; primò, quia volens Deus creare, & operari non potest creare, nisi quod possibile est, non quidem illud supponendo, sed illud faciendo; quia Deus est causa prima rerum omnium extrà se; sed hoc dicitur nō necessarium, quantùm ad exercitiuum; quia sicut Deus liberè se determinauit, aut volut producere creaturam possibilem, ità potuit in priori naturę, non velle illam producere. Secundò, dicitur creatura, vt possibilis necessaria, quoad specificationem; quia est necessaria, quantùm ad connexionem prędicati cum suo subiecto essentiali; subiectum autem specificatur, aut determinatur à prædicato, eadem verò dicitur non necessaria, quantùm ad exercitium respectu status essendi potentialis, à quo est separabilis realiter, & respectu etiam modi essendi extrà Deum, à quo etiam est separabilis realiter; quia in priori potuit non esse; necessitas autem sola specificationis non sufficit ad cognitionem productiuā Verbi in Diuinis; quia productio Verbi est simpliciter necessaria, & necessitate specificationis, & necessitate exercitij; quandoquidem Verbum Diuinum, & in ratione entis, & in ratione intelligibilis est simpliciter, & omninò necessarium, quia est essentialiter suum esse, & suum intelligi.

Explicatur, & comprobatur hęc ratio, quoniam omnis causalitas, qua Deus in quocumque genere causæ causat res ad extrà, est communis omnibus Diuinis personis, sicut ab omnibus Theologis, indiuisa, & communia esse dicuntur omnia opera ad extrà; sed productio, quę conuenit omnibus Diuinis personis supponit totam Trinitatem perfectè constitutam; nimirùm, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; ergo cognitio, qua Pater in Diuinis cognoscit omnes possibiles creaturas secundùm esse formale ad extrà supponit Verbum Diuinum perfectè productum; ergo non est necessaria formaliter ad productionem Verbi in Diuinis.

Metaphysici, & Theologi, qui substinēt essentias creaturarum in ratione essentiæ causari à Diuina essentia, vt causa ideali, distinguunt creaturas possibiles, quantùm ad possibilitatem essentialem, & subiectiuam, quę est essentia receptiua esse, idest existentię, & quantùm ad posssibilitatem, quæ est possibilitas secundùm existentiam; primam posssibilitatem dicunt esse independenter ab omni productione, tàm ad extrà, quàm ad intrà, quia productio est ad esse; in creatis verò essentia non est esse, sed potentia receptiua esse, & hęc dependentia creaturarum à Deo, quantùm ad esse essentiæ, inquiunt, esse ab essentia, quæ est independenter à productione Verbi, & Spiritus Sancti formaliter.

Cęterùm dependentia creaturarum, quātum ad esse existentię, inquiunt, non supponit productionem Verbi Diuini; quia hęc dependentia est à Deo per productionem secundariam, quæ est termini secundarij contingentis, & materialis. Productio autem termini secundarij, semper pręsupponit productionem termini primarij, & hæc in Deo est productio Verbi, seù Filij.

Hęc opinio mihi, cum essem Philosophus, & Metaphysicus aliquando placuit; nunc re maturiùs considerata, ab ea libenter recedo, vt probabo *qu.5.* & impugnatio huius

ius

ius opinionis, quantùm nunc satis est, sumitur ex principijs iam explicatis supra; quandoquidem non solùm esse existentiæ creaturarum; sed etiam esse essentiæ earundem, est terminus purus materialis primæ causę; nimirùm, à quo non specificatur prima causa; sed hic terminus est liberę efficiētiæ, siuè causalitatis primæ causæ, quæ supponit productionem completè secundæ, & tertiæ Personæ in Deo; quandoquidem efficientia libera supponit decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando; at productio Verbi Diuini, & processio Spiritus Sancti, nullum præsupponunt liberum decretum Diuinæ voluntatis; quia sunt productiones ad intrà simpliciter, & omninò necessariæ, cum Personæ procedentes in Deo sint ens essentialiter necessarium; cognitio verò puri termini materialis, est cognitio libera quantùm ad exercitium, & quantùm ad specificationem actus, quæ supponit necessariò actum liberum Diuinę voluntatis, cum voluntas termini secundarij sit primum mouens, quoad exercitium actus. Notantur addidi, voluntas termini materialis; quia loquor de voluntate Diuina, quę est libera in ordine ad terminum materialem, & secundarium, nimirùm est libera, quatenùs vult suam bonitatem participari diminutè à creaturis.

Vnico Verbo, tàm essentia creaturæ in ratione essentiæ, quàm existētia eiusdē, est terminus purè materialis primæ causæ; sed terminus materialis vt sic, est contingens secundùm se, & absolutè, qui scilicèt secundum se, ità est in modo essendi extrà causam, vt in priori potuerit non esse; quia causa prima essentialiter, & completè saluatur cum solo termino suo primario; sed cognitio vt est termini contingentis, non est necessaria formaliter ad productionem Verbi Diuini; quia hæc est simpliciter necessaria.

Quod si primò dicas, primam causam dupliciter intelligi posse esse sine suo termino puro materiali, vno modo propter independentiam sui à termino materiali puro; alio modo propter independentiam essentialem termini materialis à prima causa. Si intelligatur primo modo, vera est propositio maior. Si verò intelligatur secūdo modo, est falsa; quia prima causa in suo conceptu quidditatiuo est independens à creaturis vt posibilibus, à se essentialiter dependentibus.

Sed contra est, quia dependentia termini puri materialis à prima causa, est dependentia à causa, vt libera, non autem à causa vt necessaria; hęc autem dependentia non tollit contingentiam essentialem à termino materiali, & probatur; quia causa prima potest omninò esse sine suo termino materiali; quia causa prima essentialiter, & integrè saluatur per nudam terminationem ad terminum suum formalem, & reddit argumentum à capite; productio Verbi Diuini est omninò necessaria; sed ad productionem necessariam, non necessariò formaliter requiritur cognitio obiecti contingentis formaliter; quia productio necessaria est ante omne decretum liberum Diuinæ voluntatis; cognitio verò termini, vt contingentis formaliter supponit decretum liberum Diuinę voluntatis.

Quod si secundò dicas; cognitio productiua Verbi Diuini formaliter est cognitio comprehensiua, & infinita; sed scientia simplicis intelligentiæ, quæ est cognitio posibilium creaturarum vt posibilium, quam communiter appellant Theologi, cognitionem abstractiuam ab existentia, vt exercita, & in re est necessaria formaliter ad cognitionē comprehensiuam, & infinitam in cognoscendo; ergo cognitio posibilium creaturarum vt posibilium, nimirùm extrà Deum; quia sic est cognitio simplicis intelligentię; ergo cognitio posibilium creaturarum extrà Deum formaliter requiritur ad productionem Verbi Diuini. Minor probatur, quia cognitio comprehensiua, & infinita in cognoscendo formaliter, est formaliter, & essentialiter cognitio omnis scibilis; sed cognitio creaturarum posibilium est intrà latitudinem formalis cognitionis sine imperfectione; ergo est intrà latitudinē formalem cognitionis infinitæ, & comprehensiuæ, qualis est cognitio productiua Verbi Diuini in Deo.

Hęc ratio facilè diluitur, & impugnatur, & quidem primò; quia si vim haberet, probaret etiam cognitionem creaturarum, & futurarum, siuè vt existentium in aliqua temporis differentia esse necesariam ad productionem necesariam Verbi Diuini; etenim adhuc hęc cognitio creaturarum, vt futurarum, vel vt existentium in aliqua temporis differentia, est in Deo cognitio formaliter sine vlla imperfectione; sed hoc est falsum; ergo falsum est id, à quo sequitur. Minorem probauimus suprà ratione, qua vtitur etiam Fasolus *loc. supr. citat. dub. 7. num. 62.* quoniam scientia hęc visionis, suponit liberum voluntatis decretum; productio autem Verbi Diuini est antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis.

Secundò, cognitio productiua Verbi Diui-

uini est quidem cognitio comprehensiua, & infinita in cognoscendo necessaria; non solùm quia est antè omne liberum actum Diuinæ voluntatis; sed etiam, quia est actus Diuini intellectus, prout est in Patre, necessariò intelligentis, & producentis, & necessitate specificationis, & necessitate exercitij; non autem cognitio productiua Verbi Diuini vt sic, est infinita formaliter in ratione cognitionis etiam liberæ; quia cognitio libera vt sic supponit decretum liberum Diuinæ voluntatis; cognitio autem comprehensiua omninò necessaria est in Deo formaliter antè omne actum liberum Diuinæ voluntatis.

Quod si tertiò dicas, cum Fasolo *eod. loc. nu.57. dub.26. versic. Respondeo secundò*; quod cognitio creaturarum, vt possibilium est repræsentatiua possibilium creaturarum, quatenùs sunt repræsentabiles necessariò necessitate absoluta. Primò, quia esse possibile conuenit creaturis possibilibus non ex libera Dei voluntate; sed ex propria essentia, ac natura; in cognitione autem productiua Verbi Diuini est vis repræsentandi, quicquid est repræsentabile necessariò. Secundò, quia possibilitas creaturarum non dependet à Verbo, neque ab eius productione; sed solùm ab omnipotentia Dei, quæ est in Deo, vt sic independenter à personis, & antè quamlibet personam; sed hæc cognitio est antè omne liberum decretum Diuinę voluntatis; ergo cognitio creaturarum, vt possibilium præsupponitur in Patre, vt prior origine Verbo, & independens à Verbi productione; hæc autem omnia satis sũt, vt intelligamus scientiam etiam simplicis intelligentię esse necessariam ad productionem Verbi in Deo, antè omne actum liberum Diuinæ voluntatis.

Respondeo primò: nego assumptum, & rationem negationis suprà satis explicauimus. Ad primam probationem, qua opponens, probat, esse formale possibilium creaturarum conuenire creaturis, vt possibilibus, non ex libera Dei voluntate; sed ex propria essentia, ac natura.

Respondeo 2. nego antecedens, quandoquidem esse possibile formale competit creaturis possibilibus, ex eo quia Deus est primum volens liberè communicare sui perfectionem, diminutè, & diuisim, seu; quia Deus est primum volens liberum, vt sui perfectio participetur diminutè, & diuisim ad extrà, vel quod, idem est, limitatè.

Quod si dicas: vt creatura sit possibilis formaliter satis est, vt Deus sit primum possibile, seù primum ens; sed Deus est primum possibile, & primum ens independenter à Personis Diuinis, & antè omne liberũ actum Diuinę voluntatis.

Respondeo, ex dictis in precedentibus articulis, quod Deus, antè omne liberum actum Diuinæ voluntatis, est primum possibile radicaliter, & fundamentaliter, non autem primum possibile formaliter: siuè est primum possibile in essendo, non autem primum possibile in causando; Deus enim est primum causans liberum; quia est primum causans, vt intelligens, & volens extrà se producere; hoc autem completur formaliter per decretum liberum Diuinæ voluntatis de causando: sed de hoc iterum infrà dicetur in solutione aliorum argumentorum in oppositum.

Secunda conclusio: Pater generat Filiũ, siuè Verbum in Diuinis, cognitione, quæ est identicè, & realiter etiam cognitio, non solùm creaturarum vt possibilium, sed etiã vt futurarum, siuè vt existentium in aliqua temporis differentia. Potest hęc conclusio alijs verbis verbis explicari, Pater in Diuinis generat Filium, siuę Verbum cognitione, quatenùs etiam est cognitio fundamentaliter, & mediata possibilium, & futurarũ creaturarum secundùm earum esse formale extrà Deum. Ponitur hęc conclusio primò, quoniam dupliciter intelligi potest Verbũ produci à Patre in Diuinis cognitione etiam possibilium, vel futurarum creaturarum: vno modo; quia cognitio productiua Verbi in Diuinis, est identicè, & realiter, siuè in sensu identico, & materiali, etiam possibilium, & futurarum creaturarum secundùm earum esse formale: alio modo; quia est formaliter, & essentialiter, etiam cognitio possibilium, & futurarum creaturarum.

In primo sensu intelligit conclusionem Marcus Antonius Palumbus *in suo examine Scholastico super quæst. de Filio, qui est secunda Persona Sanctissimæ Trinitatis dict. 3. circa medium*, dicens, quod Filius producitur à Patre, cognitione, quatenùs etiam est scientia possibilium, & futurarum creaturarum realiteri, siuè materialiter; dicit enim quod hæc identitas adhuc necessaria est; sed non propterea reprçsentatio possibilium, & futurarum pertinet ad formalitatem, & quidditatem cognitionis productiuę Verbi; sicut, inquit, essentia Diuina identificatur personalitatibus Diuinis; sed non propterea personalitates sunt de conceptu quidditatiuo essentię Diuinę: & ni fallor, mens huius Doctoris est asserere, cognitionem productiuam Verbi in Diuinis essentialiter pe-

te-

tere inclusionem intrinsecam scientiæ possibilium, & futurarum creaturarum in suo esse; sed non intrà suam formalitatem, seù quidditatem, ad eum modum, v.g. quo plures docti Theologi ad infinitatem formalē Diuinæ essentię dicūt satis esse includere in sua entitate Diuina attributa, & Diuinas relationes, non autem intrà suam formalitatem, seù quidditatem. Hieroymus Fasolus *loc. sup. cit. dub. 6. & 7.* concedit conclusionem in eodem sensu; sed quantùm ad cognitionem visionis, quæ est creaturarum vt futurarum, acutissimè defendit cognitionem creaturarum vt possibilium pertinere ad productionem Verbi in Diuinis formaliter, & essentialiter etiam: idque probat primò; quia possibilitas, inquit, creaturarum non dependet à Verbo, neque ab eius productione; sed solùm ab omnipotentia Dei, quæ est in Deo dependenter à Personis.

Secundò, quia scientia simplicis intelligentiæ est in Deo antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis, quæ opinio si intelligatur de possibilibus creaturis secundùm esse formale extrà Deum, non potest subsistere; quia creaturæ vt possibiles, secūdùm esse distinctum ab esse Dei sunt formaliter terminus contingens; hic autem necessariò supponit liberum decretum Diuinæ voluntatis. Solùm hæc opinio suam potest habere probabilitatem, si intelligatur de possibilibus creaturis possibilitate essentiali, & subiectiua, iuxtà opinionem dicentium, essentiam creaturæ in ratione essentiæ causari tantùm à Deo idealiter, quoniam dependentia essentiæ craturarum in ratione essentiæ est solùm ab essentia, vt ideabili, & imitabili essentialiter; hæc autem vt sic præintelligitur in Deo virtualiter antè generationem Filij à Patre, & spirationem Spiritus Sancti à Patre, & Filio.

Potest etiam hęc ipsa conclusio intelligi, hoc alio modo supra explicato; nimirùm, Verbum in Diuinis produci à Patre cognitione, etiam quatenùs est cognitio fundamentaliter, & mediata, non immediata creaturarum possibilium, & futurarum; quo sensu eam intelligit Fasolus *loc. supr. cit. dub. 7. n. 62.* de cognitione creaturarum futurarum tantūmodò; inquit enim hic Doctor, quod sicut Pater in Diuinis nullo modo, neque ratione, neque origine prius vult creaturam futuram, quam Filium, & Spiritum Sanctum, nec istam voluntatem formaliter liberam communicat illis; ità nulla ratione priùs videt creaturam, quatenus futuram, & liberè volitam; sed communicat Pater, sua cognitione, Filio mediatè cognitionem creaturarum futurarum; quod ego sic intelligo, nimirùm, quod Pater communicat Filio intellectionem, siuè scientiam, quæ ex se apta est repræsentare res futuras post decretum liberum Diuinæ voluntatis & hoc ipsum etiam docet Fasolus, dicens, quod Pater communicat Filio intellectionem infinitam, quæ ex se sine additione nouæ perfectionis apta est repræsentare res futuras, modò illæ aliundè futuræ sint. Idem etiam docet de productione Spiritus Sancti à Patre, & Filio; eo enim ipso, inquit, quod Pater, & Filius communicant Spiritui Sancto infinitam volitionem, quæ sine vlla reali, & intrinseca sui mutatione, potest liberè terminari ad creaturas actualiter existentes; communicant etiam Spiritui Sancto, & scientiam liberam, & liberum amorem; sed fundamentaliter, seù radicaliter, non immediatè, & formaliter. Hanc doctrina Fasoli equidem extendo ad cognitionem creaturarum, vt possibilium, quæ est scientia simplicis intelligentię; etenim hæc etiam supponit, vt suprà ostendimus, actum liberum Diuinę voluntatis.

Hæc ipsa doctrina faciliùs intelligitur, & explicatur, explicando duas opiniones, quę esse possunt de scientia visionis, & simplicis intelligentiæ.

Vna est dicentium, scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis non solùm distingui inter se virtualiter, sed etiam à cognitione, qua necessariò Deus cognoscit seipsum, & vnam illarū esse virtualiter *priorem* alia.

Alia opinio est dicentium, scientiam simplicis intelligentię, & visionis, & *scientiam* Diuinam, proùt est *sui ipsius*, esse *vnum* formalissimum actum sciendi, qui proùt nullam supponit actum liberum Diuinæ voluntatis, siuè antè omnē actum liberum Diuinę voluntatis est scientia necessaria, qua Deus cognoscit solùm seipsum, & quæ in eo sunt; post verò actum liberum Diuinē voluntatis, mouentis intellectum Diuinum ad exercitium actus, esse sciētiam simplicis intelligentię; post verò decretum liberum, vt exequens eiusdem Diuinæ voluntatis, esse scientiam visionis.

Secundò, posita est prędicta conclusio ad explicandum, in quo sensu loquuti sunt S. Thomas *locis supra citatis*, & S. Augustinus cum dixerunt, quod Verbum in Diuinis producitur à Patre, cognitione etiam quatenùs est factiua, & repręsentatiua creaturarum; isti enim Doctores primarij, vel loquu-

quuti sunt de cognitione productiua Verbi, quatenùs essentialiter est idēticè, & materialiter cognitio etiam creaturarum, & possibilium, & actualium in aliqua temporis differentia: vel loquuti sunt de cognitione productiua Verbi, quatenùs est mediatè, seù radicaliter, seù fundamentaliter cognitio, & repræsentatiua, & factiua creaturarum; non autem quatenùs est immediatè, & formaliter cognitio, & repręsentatiua, & factiua suo modo earundem creaturarum: & ratio manifesta est; quoniā omnis operatio Dei ad extrà est libera, & communis omnibus tribus Personis; hęc autem operatio pręsupponit Personas procedentes completè productas ad intrà.

Tertiò, alijs verbis, & fortè clarioribus, dici potest prædictos Patres loquutos esse de cognitione productiua Verbi, non antè decretum liberum Dei de creaturarum possibilitate, & existentia; sed post decretum: & ratio huius est primò; omnis operatio Dei ad extrà, quantùm ad exercitium actus, virtualitet dependet à libera Dei voluntate: quoniam libera Dei voluntas est primum mouēs, quod exercitium actus respectu obiecti contingentis, ad differentiam voluntatis creatæ, quæ adhuc, est primum mouens, quoad exercitium actus; sed intrà genus. Secundò, quia cognitio productiua Verbi Diuini, cum sit infinita simpliciter, est repræsentatiua omnis cognoscibilis, siuè scibilis sicuti est; ad perfectionem enim, & infinitatem cognitionis essentialiter requiritur, vt sit vera; sed antè decretum liberum Dei, seù Diuinæ voluntatis, non sunt creaturæ, neque possibiles, neq; actuales, siuè existentes, sed post decretum: ergo cognitio, qua Pater producit Verbum in Diuinis de se est repræsentatiua possibiliū, & existentium creaturarum, non antè, sed post decretum liberum Diuinæ voluntatis.

Quod si antè decretum liberum Dei, siuè independenter à decreto libero Dei, cognitio productiua Verbi non repręsentat creaturas possibiles, vel actuales, non est defectus cognitionis; sed defectus obiecti, quod non est independenter à decreto libero Dei, siuè antè decretum liberum Diuinę voluntatis.

Conantur Authores contrariæ sentētiæ, vt suprà diximus, reijcere hanc responsionem, & doctrinam; quia, inquiunt, quod esse possibile formale, vel actuale creaturarum conuenit creaturis non ex libera Dei volūtate; sed ex propria essentia, ac natura; idq; probāt primò; quia possibile vnuquodq; est in suis prædicatis essentialibus; quia nō includit contradictionem; sed hoc oritur ex natura, & essentia terminorum. Secundò, quia possibilitas creaturarum dependet solùm ab omnipotentia Dei: ideò enim causaliter est possibile extra Deum; quia Deus est primum potens; primum autem potens, est causa vt cætera extrà se sint possibilia; sed omnipotētia Dei formaliter est in Deo indedendenter à productione Personarum procedentium prioritate virtuali; ergo repræsentatio, & actualis cognitio creaturarum, saltem vt possibilium, præsupponitur in Patre, vt est prior origine Verbo, & independenter à Verbi productione.

Quod si eis obijcias, possibilitatem creaturarum esse dependen tem à Diuina omnipotentia, prout existit adæquatè in tribus Personis; sed hæc existentia præsupponit Personas procedentes, iam productas; ergo., &c. Maior probatur, quia possibilitas creaturarum est ab omnipotentia, vt est à causa completa, non autem vt est causa nō adhuc completa; effectus enim in actu est à causa in actu; sed Dei essentia, aut omnipotentia non est causa completa, prout est prior virtualiter, vel independenter à productione Personarum procedentium, quia existentia in trinus Personis est essentialis Diuinę naturæ, sed cum ordine originis; prius autem esse debet omne id, quod necessarium est ad intrinsecam constitutionem causę, quàm eius actualis operatio.

Respondent inter cæteros Fasolus *t. 3. q. 30. ar. 1. n. 57. & q. 33. ar. 3. n. 5. & q. 34. ar. 3. nu. 57. circa finem*, quod possibiles creaturæ dupliciter sumi possunt incompletè, & quasi vt quo; & completè, & quasi vt quod. Si accipiantur primo modo, dicit causam adęquatam possibilium creaturarum esse Diuinam essentiam, seù naturam, quatenùs est prior Personis, prioritate, nimirùm virtualiter. Si verò accipiantur secundo modo, causa possibilium creaturarū ex Diuina essentia, vt existens in tribus Personis, vt autem productio Verbi in Diuinis sit scientia etiam creaturarum vt possibilium, satis est vt creaturę incōpletè, & quasi vt quo, sint à Diuina essentia secundùm se, quatenus est prior virtualiter Diuinis personalitatibus, & ratio huius esse potest: quia vt ipsemet dicit inter causam, & effectum debet esse proportio; nimirùm, esse possibile incōpletè, et quasi vt quo, non requirit nisi causam incompletam; esse verò possibile cōpletè, & quasi vt quod, requirit sui causam cōpletā, & vt quod, & huiusmodi sūt tres Diuinę Personæ, cū ordine solius originis intèr se.

Sed hæc responsio est fuga potiùs, quam so-

solutio: vis enim argumenti fundatur in hoc; quoniam dependentia esse formalis creaturarum possibilium est dependentia libera, non necessaria; dependentia autem libera necessariò supponit in Deo decretum liberum Diuinæ voluntatis; hoc autem decretum liberum non potest intelligi in Diuina natura, prout est prior virtualiter Diuinis Personalitatibus; quia dependentia libera est à causa prima efficiente; at non potest intelligi efficientia ad extrà, nisi dependenter à tribus Diuinis Personis iam cõstitutis. Maiorē huius discursus iā suprà ostendimus; quia esse formale creaturarum, etiam vt possibilium, est terminus secundùm se contingens, cū sit terminus materialis, siuè quo perfecta, & integra potest esse Diuina omnipotentia.

Contra hanc responsionem Aduersarij obijciunt: cognitio productiua Filij, siuè Verbi Diuini, debet esse perfectissima; sed nõ potest esse perfectissima cognitio, nisi vt terminata ad creaturas sub earū esse possibili; saltem, quia esse possibile intrinsecum, est causa formaliter cur cognoscantur materialiter creaturæ, vt existentes. Maior est certa; quia Verbum Diuinum est repręsentatiuum perfectissimū omnium; sed hoc nõ potest produci, nisi cognitione adhuc perfectissima omnium. Hāc rationē, inquiunt, egregiè tradidit August. *lib. 15. de Trin. cap. 14.* vbi docet; esse, & repræsentari in Verbo, quicquid est in Patris scientia, de qua genitum est; idq; probat; quia Pater non seipsum integrè, perfecteq; dixisset, si aliquid minus, aut amplius esset in eius Verbo, quā in seipso. Verùm si Diuinum Verbum, vt formaliter Verbum omnium perfectissimū in ratione Verbi, non repręsentaret etiam creaturas vt possibiles, non esset Verbum perfectissimum in ratione Verbi. Similiter si Pater sua cognitione non communicasset Verbo repræsentationem omnium creaturarum possibilium, nec esset cognitio perfectissima, nec Verbum Diuinum esset adæquatum cognitioni, qua producitur. Eādem doctrinam docet etiam S. Anselm. in *monologio c. 32. 33. & 34.* dicēs Deū Patrē dicēdo seipsū, dicere omnes creaturas: et omnia, quę sunt in scientia Patris, esse in Verbo eius.

Resp. concedo cognitionem, qua Pater in Diuinis producit Filium, siuè Verbum, esse perfectissimā, seù infinitam formaliter; sed nego, eam esse repręsentatiuam possibilium creaturarum, quantùm ad earum esse formale, antè decretum liberum Diuinæ volūtatis; & ratio est manifesta, quia cognitio infinita, & perfectissima in ratione cognitionis, seù repræsentationis omnis scibilis, siuè repræsentabilis, sicuti est: at antè decretum liberum Diuinæ voluntatis, non sūt possibiles creaturæ extra Deum; ergo non est prædicta cognitio repræsentatiua antè decretum possibilium creaturarum, nõ quidem defectu sui, sed defectu termini, qui scilicèt antè decretum liberum Diuinæ volūtatis, nõ est creatura formaliter possibilis; sicut, v. g. potētia Dei, q̄ est factiua omnipossibilis secundū se, & absoluti, nõ est factiua impossibilis secundùm se, non defectu sui; sed defectu termini; quia impossibile secundùm se nõ est intrà rationem possibilis absolutè, & simpliciter. Cum dicitur ab opponente, quod cognitio, vt terminata ad possibiles creaturas, est perfectior, quàm eadem vt non terminata ad easdem possibiles creaturas secundùm earum esse formale.

Respondeo primò cum distinctione, si nõ terminatio proueniat ex defectu intrinseco cognitionis, & concedo: si proueniat ex defectu termini, seù scibilis extrà Deum; nimirùm, quia non est scibile extrà Deum, & nego. In re nostra, defectus est ex parte scibilis, quia .s. non est scibile extrà Deum antè omne liberum decretū Diuinę volūtatis.

Respondeo secundò ad principale, distinguendo maiorem, modo quo suprà, quod cognitio productiua Verbi in Diuinis formaliter est infinita in ratione repræsentationis omninò necessariæ; non autem in ratione repræsentationis vt sic, quæ compræhendit repræsentationem necessariam, quæ est antè decretum liberum Diuinę voluntatis, & repræsentationem liberam *in* repræsentando, quæ est post decretum liberum Diuinæ voluntatis; hanc enim repræsentationem liberam solùm includit identicè, non autem formaliter; & ratio est manifesta, quia Verbum Diuinum productum est omninò necessariū, hoc autē non potest produci, nisi productione omninò necessaria. Cùm denique dicitur à S. Augustino, S. Thoma, & alijs, quod Pater in Diuinis vno actu intelligendi, intelligit se, & omnes creaturas; vno Verbo se, & omnia alia dicit, & quicquid est in Patre, & in scientia Patris, totum est in Verbo.

Resp. primò, hoc intelligendū esse de cōmunicatione radicali, siuè fūdamētali; non autem de cōmunicatione formali, & immediata; Pater enim generando Verbum in Diuinis, communicat illi scientiam, quæ est est repręsentatiua omniū, sicuti sunt; sciētia autem Diuina non est representatiua possibilium creaturarum, secundùm earum esse possibile formale, antè, sed post decretum li-

liberum Diuinæ voluntatis, vt ostendimus.

Respondeo 2. dictas authoritates intelligendas esse in sensu identico, non autem in sensu formali, nimirùm, Pater dicendo Filium, dicit etiam creaturas, quatenùs dicit Filium communicãdo illi cognitionem, quæ identicè est cognitio adhuc creaturarum, & possibilium, & actualium.

Quod si iterum vrgeas: quicquid est in Filio, seù in Verbo formaliter, est à Patre per generationem; seù per cognitionem productiuam Verbi; sed in Filio est cognitio possibilium creaturarum secundùm earum esse formale; ergo totum hoc est in Filio per cognitionem, qua generatur à Patre; hoc autem posito, necessariò dicendum est in Patre præexistere decretum liberum de causando creaturas ad extrà, omne enim quod communicatur Filio a Patre, debet præexistere in Patre; Pater enim communicat, alio quod præhabet in se.

Respondeo, quod Pater per generationẽ communicat Filio in Diuinis formaliter solùm prædicata naturalia, & necessaria; quia generatio in Diuinis est omninò, & simpliciter necessaria; decretum autem liberum de creando, non præintelligitur in Patre, nisi iam productis personis procedẽtibus per originem, & hoc adhuc dicitur communicari Filio à Patre; sed cum ordine, quia in Patre est à se, in Filio est à Patre, in Spiritu Sancto verò est à Patre filioque; vt autem saluetur, quod quicquid est in Filio est à Patre per generationem, satis est, vt hoc decretum liberum communicetur Filio à Patre per cognitionem generatiuam in radice, siuè identicè, & hoc debet ab omnibus concedi; quia decretum liberum Diuinę voluntatis commune est, & indiuisum tribus Personis, sed cum ordine originis.

Obijcies primò: contra primam conclusionem. Pater in Diuinis producit Verbum cognitione, qua cognoscit se esse omnipotentem, & primam causam essentialiter rerum ad extrà; sed omnipotentia, & prima causa non potest cognosci quidditatiuè, & essentialiter, nisi eadem cognitione cognoscantur possibilia secundùm eorum esse formale; quippè omnipotentia, & prima causa, sunt quidditatiuè principiũ omniũ, quæ non implicant contradictionem in suis prędicatis extrà Deum, hæc autem sunt possibilia formaliter extrà Deum.

Respondeo ex dictis: distinguo maiorem; Pater producit, seù generat Verbum cognitione, qua formaliter, & per se cognoscit, se esse primã causã, & omnipotentẽ, sicuti est antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis de creãdo, & cõcedo; sicuti est post decretũ liberũ Diuinę volũtatis de creãdo, & nego; quãdoquidem productio Verbi in Diuinis est in Patre antecedenter ad omne decretũ liberũ Diuinę voluntatis; quia est productio omninò necessaria. Cum dicitur in minori, omnipotentia, seù prima causa, non potest cognosci quidditatiuè, & essentialiter, nisi eadem cognitione cognoscantur possibilia absoluta extrà Deũ; distinguo minorem; omnipotentia, seù prima causa posito decreto libero Diuinæ voluntatis de creando, & concedo: antè decretum liberũ Diuinæ voluntatis de creando, & nego; nã prima causa, siuè omnipotentia Dei antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando, quidditatiuè, & essentialiter, non est nisi primum ens in essendo; non autem primum ens in causando formaliter, & ratio est manifesta; quia primum ens in causando est primum intelligens, & volens liberum; hoc autem est causans decreto libero. Cognitio, qua Pater producit Verbum per se, & formaliter, est repręsentatiua omnium sicuti sunt; sed primũ ens antè omnẽ actũ liberũ Diuinę voluntatis, nõ est primũ causans liberũ, sed solùm est primũ ens, seù primũ in essendo. Sine dubio Pater in eodẽ instãti, quo generat Filiũ eadem cognitione cognoscit, & essentiam Diuinã, & Diuinas Personas, & omnia, quæ sunt extrà Deum, siuè possibilia, siuè actualia, aut existentia, sed sicuti sunt; Diuinam essentiam, & omnes tres Diuinas Personas cognoscit indepẽdẽter ab omne decreto libero Diuinę voluntatis de creando; tùm quia cognitio productiua est omninò necessaria; tùm quia causalitas ad extrà supponit iam productas personas procedentes; post verò decretũ liberum Diuinæ voluntatis cognoscit adhuc creaturas, vt possibiles, & vt actuales in aliqua tẽporis differẽtia; sed hìc solũ quęsitum est, an cognitio, qua Pater producit Verbũ per se, & formaliter sit cognitio, ꝓsupponẽs liberũ decretũ Diuinę volũtatis de creãdo.

Dicet fortè Aduersarius: Pater cognitione, qua producit Verbũ, cognoscit esse eminẽtiale creaturarũ in ipso Deo; quia hoc esse eminẽtiale est omninò necesŝariũ, & pręintelligitur in Deo, antè omne liberũ decretũ Diuinę volũtatis; quia est ipsũ esse Dei; sed hoc esse eminẽtiale nõ potest intelligi, nisi eadẽ cognitione cognoscãtur creaturæ, saltem vt possibiles extrà Deũ, & probatur; quia esse eminentiale creaturarum, quidditatiuè, scilicèt, in sua definitione essentiali includit creaturas, vt effectũ possibilẽ; definitur enim quidditatiuè hoc esse eminẽtiale, esse creaturarũ, proùt est in Deo, tãquã in prima causa, seù proùt est in Deo, demptis

omnibus imperfectionibus, & diuisiuis, siuè sine vlla intrinseca diuisione.

Respondeo eadem distinctione, esse eminentiale creaturarum in Deo posse sumi, vel ante omne decretum liberum de creando, vel post decretum liberum: siuè alijs verbis, vel vt est esse eminentiale creaturarum in essendo, vel vt est esse eminentiale in causando. Cognitio, qua Pater producit Verbum, per se, & formaliter cognoscit esse eminentiale creaturarum antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis, siuè vt est primum ens eminentiale in essendo, non autem post decretum liberum de creãdo, vel vt est primum ens eminentiale in causando; quia hoc secundo modo inuoluit decretum liberum Diuinę voluntatis, quod non est in Patre, generante Filium, nisi post productiones personarum procedentium; quia decretum liberum Diuinæ voluntatis est in ordine ad causalitatem rerum ad extrà, quæ est communis, & indiuisa omnibus tribus Personis.

Vrgebit fortè Aduersarius vlterius: sciẽtia, siuè cognitio productiua Verbi in Diuinis, est comprehensiua Dei; sed scientia, siuè cognitio possibilium creaturarum in particulari, siuè scientia Dei, vt terminata ad creaturas possibiles in particulari est necessaria ad hoc, vt cognitio Dei sit formalis comprehensio Dei; ergo, &c. Minor asseritur, & probatur fusè a Fasolo *to.1. q.12. de Visione Dei, ar.7. dub.5.* primò Authoritate S. Tho. *prædict. quæst. ar.8. & 3. p. q.10. art.2. & 3. contra Gentes, c.56. in princ.*, vbi S. Doctor sic loquitur. Tunc, inquit, necessè est, quod cognitio aliquo principio, omnes eius effectus cognoscantur per ipsum, quando principium comprehenditur intellectu, & ex hoc infert hanc consequentiã. Cùm igitur intellectus creatus non possit Diuinam substantiam cognoscere sic, quod ipsam cõprehendat, non est necessarium, quod vidẽdo ipsam, omnia videat, quæ per ipsam cognosci possunt. Et paulò post clarissimè hoc ipsum significans, loquitur his verbis: idem est cognoscere omnia, in quæ potest aliqua virtus, & ipsam virtutem comprehendere. Et in fine subiungit, quod omnia per Diuinam substantiam intelligi possint, & cognoscantur, hoc absque comprehensione nõ potest accidere. Hunc locum referens Capreolus *in 4. dist.49. q.6. ar.3. col.11.* ait, esse veram istam conditionalem: si intellectus creatus videt in Diuina essentia, vel in Verbo omnia, quę Deus potest facere, ipse perfectè comprehenderet Diuinam essentiam: addo minorem; sed cognitio, qua Pater producit Verbum in Diuinis est per se, & formaliter cognitio comprehensiua; ergo, &c.

Secundò probatur, inquit, à priori: comprehensio obiecti, est qua cognoscitur obiectum eo perfectissimo modo, quo est cognoscibile, itaùt non possit per aliam cognitionem perfectiori modo cognosci ex parte sui; sed Deus, siuè prima causa in ratione obiecti, & cognoscibilis perfectiùs, & distinctiùs cognoscitur, si cognoscatur, & quãtùm ad suum esse intrinsecum formale, & eminentiale, & quantùm ad effectus, quos potest causare, & producere; quàm si cognoscatur pręcisè, quantùm ad suum esse intrinsecum formale, & eminentiale; ergo cognitio possibilium creaturarum extra Deum necessaria est ad cognitionem comprehensiuam Dei, siuè primæ causę; sed cognitio, qua Pater producit Filium in Diuinis est cognitio comprehensiua, nedum, quia est cognitio infinita in repræsentandi; sed etiam, quia adæquat, in modo cognoscendi, obiectum suum in ratione obiecti, & cognoscibilis. Minor principalis argumenti sumitur in terminis à S. Thoma *p.p.q.12. ar.8.* sicut, inquit, S. Thomas non compræhenditur principium aliquod demonstratiuum, visis tantùm prędicato subiecto, & copula, nisi etiam ita vis illius penetretur, vt vi talis penetrationis, seù clarioris, ac perfectionis visionis, videantur omnes cõclusiones, per principium illud demõstrabiles, & ratio huius à priori est; quia hęc cognitio in modo cognoscendi adęquat cognoscilibilitatem sui obiecti: vel quia huiusmodi cognitio est perfectior cognitio, qua obiectum natura sua petit cognosci.

Respondeo primò: concedo maiorem, & distinguo minorem; Deus siuè prima causa dupliciter sumi potest, vno modo vt est primum ens in essendo, alio modo vt est primum ens in causando: si sumatur Deus primo modo, nego minorem: si sumatur secundo modo, concedo minorem; & ratio diuersitatis est, quia cognitio comprehensiua, & perfecta debet esse cognitio repręsentatiua obiecti sicuti est, nimirùm debet esse cognitio vera, vt quidditatiua sui obiecti; hęc autem est repræsentatiua sui obiecti sicuti est; at Deus vt est pręcisè primum ens in essendo, non dicit potentiam productiuam formaliter possibilium; sed hanc vim seù potentiam dicit, quatenùs est primum in causando. Ratio autem cur dicant Aduersarij, non posse cognosci quidditatiuè omnipotentia Dei, vt sic, nisi eadem cognitione cognoscantur omnes eius effectus possibi-

sibiles saltem in generali, est; quia omnipotentia quidditatiuè vt sic non aliud dicit, quàm virtutem producendi, quicquid possibile est in communi absolutè; hic autem conceptus quidditatiuus non potest esse in mente, nisi eadem cognitione cognoscatur omnipotentia, & effectus, quos potest producere, saltem vt possibiles; verùm hunc conceptum omnipotentiæ formaliter inuoluit Deus, vt est primum ens in causando, non autem vt est primum ens in essendo; nam primum ens in essendo, dicit ens, quod est omne ens extrà nihilum essentialiter, vel dicit ens, quod non supponit aliud ens antè se,

Respondeo secundò, alijs terminis, vt suprà, distinguendo minorem; Deus enim potest sumi, & considerari, vel antè decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando, vel post decretum liberum de creando; si Deus consideretur antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis, nego minorem; si consideretur Deus post decretum liberum Diuinæ voluntatis, concedo minorem: & ratio est, quia omnipotentia formaliter, qua Deus potest quicquid absolutè non implicat contradictionem, est decretum liberum, vt exequens, vel vt exigens Diuinæ voluntatis, vt suo loco dicetur; hoc autem decretum inuoluit Deus, vt est primum ens in causando, non autem vt est primum ens in essendo, vt enim est primum ens in essendo, nullam dicit habitudinem ad effectus possibiles. In re nostra, cognitio, qua Pater in Diuinis producit Verbum, siuè Filium, est cognitio comprehensiua sui scibilis sicuti est, sed antecedenter ab omne decretum liberum Diuinæ voluntatis, Deus non est volens liberum, seù causa libera causans extrà se; ideò, &c.

Cæterùm cum S. Thomas docet non posse causam cognosci quidditatiuè, nisi cognoscantur omnes effectus, quos potest producere saltem in communi; loquitur de causa, secundùm quod essentialiter inuoluit virtutem formalem, qua suos potest producere effectus; quia vt sic dicit habitudinem intrinsecam causæ, & causabilis ad suos effectus, quos producere potest, & ea est decretum liberum.

Obijcies secundò: ratio cur à nobis asseritur cognitionem, qua Pater in Diuinis producit Verbum, non esse formaliter adhuc cognitionem prossibilium craturarum, vt possibilium, quantùm ad eorum esse formale extrà Deum, est; quia huiusmodi cognitio productiua Verbi, cum sit omninò necessaria in producendo, & in repræsentando, est antè omne liberum decretum Diuinæ voluntatis de causando ad extrà; sed hæc ratio non concludit vniuersaliter de omnipossibili; sed tantùm de possibili existentiali, & obiectiuo; non autem de possibili essentiali, & subiectiuo, & probatur; quia possibile obiectiuum, siuè existentiale est terminus voluntatis liberę Dei; quia voluntas libera Dei est ad efficiendum res ad extrà; efficientia autem tendit formaliter ad esse sui termini, nimirùm ad existētiam exercitam; possibile verò essentiale, & subiectiuum, siuè essentia creaturæ in rationæ essentiæ, est terminus naturæ Diuinæ intrinsecus, quia est participatio, licet imperfecta, & diminuta, essentię Diuinę secundùm quod est essentia; at essentia Dei præintelligitur in Deo virtualiter independenter ab omnibus Diuinis Personis, siuè est prior virtualiter in Deo, quam sint Diuinę Personæ; ergo ratio allata non est vera vniuersaliter de omni possibili.

Quod si primò dicatur à nobis, quod essentia creaturę in ratione essentiæ, est terminus materialis Diuinæ causalitatis; hic autem terminus, est terminus liberæ voluntatis Dei; non autem terminus solius causalitatis essentialis, quæ dicitur causalitas idealis. Minor probatur, quia terminus materialis Diuinæ causalitatis est intrinsecè contingens, scilicèt, ita est terminus suæ causæ, vt in priori naturæ potuerit non esse; quia causa integrè, & perfectè saluatur cum solo suo termino formali quidditatiuè; & ideò terminus materialis est, sine quo potest esse causa quidditatiuè, & formaliter, nimirùm, causa secundùm virtutem causandi, siuè causa in actu primo, non quantùm ad potentiam ad actum causandi, sed quantùm ad terminum primarium, à quo specificatur.

Statim insurgunt contra; etenim terminus materialis Diuinæ causalitatis, alius est terminus materialis causalitatis liberæ, & alius est terminus materialis causalitatis necessariæ; primus supponit decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando, & cognitio huius formaliter non est necessaria ad cognitionem, qua Pater producit Verbum in Diuinis; quia hęc est virtualiter antè omne actum liberum Diuinę voluntatis; verùm cognitio termini materialis causalitatis necessariæ, quę est causalitas idealis, quæ competit Deo, ex eo quia est primum imitabile, & primum ideabile essentialiter, necessaria est formaliter ad productionem Verbi in Deo: quia huiusmodi cognitio, non supponit decretum liberum

Di-

Diuinę voluntatis: huius ratio est; quia eius terminus primarius ad extrà dependet essentialiter à Diuina natura, vt à prima causa ideali, siuè vt à prima causa imitabili essentialiter. (Explicatur hæc idealis causalitas, his verbis: est participatio essentialis diminuta Diuinæ essentiæ, ex eo precisè; quia Diuina essentia est essentialiter primum imitabile, seù primum ideabile) esse autem essentialiter primum imitabile conuenit naturæ Diuinæ, quatenùs est prior virtualiter, quàm sint Personæ Diuinæ in Deo; quia hoc est prædicatum essentiale naturæ, siuè essentiæ Diuinæ; natura autem est prima omniũ in re; hoc enim intelligimus omnes nomine naturæ, nimirum, principium primum adæquatum, & intrinsecum omnium, quæ sunt in re. Dicitur natura principium primum adæquatũ; quia natura, siuè essentia dicit, & prædicatum genericum, & differentiale.

Respondeo ad principale: concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem nego, essentiam subiectiuam creaturarum, siuè posibile subiectiuum creaturarum, causari immediatè à Diuina natura, antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis de causando; etenim essentia subiectiua creaturæ, in ratione essentiæ subiectiuæ, intrinsecè comproducitur cum existentia, vt probabitur fusè *quæst.5. sequenti*; ratio autem huius, quantùm nunc sufficit, est, quoniam essentia creaturæ, ex eo quod est potentia receptiua, ex se solùm habet, vt non sit producibilis per se, siuè formaliter, quoniam productio formaliter est ad esse, siuè ad existens; esse autem subiectiuũ creaturæ est distinctũ realiter ab esse; sed per hoc nõ tollitur, quin essentia subiectiua creaturæ, sit intrinsecè comproducibilis cum esse; hac enim ratione S. Thomas, vt dicetur quæstione sequenti, probat materiam primam intrinsecè concreari cum forma, & cum existentia; productio verò ad extrà, vel est ipsum velle efficax liberum Dei, vel supponit decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando. Assumptũ huius discursus probatur, nàm ens vt existens ex nihilo est terminus per se, & formaliter creationis; quia scilicèt creatio est ad existens ex nihilo formaliter; sed hoc non tollit ab essentia subiectiua creaturæ, quin sit intrinsecè creabilis cum existentia; quia hæc duo sibi inuicem non contradicunt, nã esse producibile per se, & formaliter, & esse intrinsecè producibile cum existentia, & materialiter non sunt prædicata secundùm idem; contradictio autem est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem, secundùm idem.

Qui sustinent, Verbum Dei per se procedere ex cognitione omnium creaturarum vt possibilium, contendunt etiam possibile obiectiuum, siuè existentiale esse à Deo, antè, nimirùm antecessione virtuali, productionem Verbi; quia, inquiunt, possibilitas creaturarum non dependet à Verbo, neque ab eius emanatione, seù productione; sed solùm ab omnipotentia Dei, quę est in Deo independenter à Personis, prioritate originis; & consequenter creaturarũ, vt possibilium repræsentatio, & actualis cognitio præsupponitur etiam in Patre, vt prior origine Verbo, & independenter à Verbi productione, vt videre est apud Fasolum *loc. sup. cit. dub. 6. n. 57. fine*, & fortè sũdamentum huius est, quia possibilitas creaturarum obiectiua est prior obiectiua essentia creaturæ; quia prior est creatura, vt possibilis possibilitate obiectiua, seipsa, quatenùs est actualis; prædicti enim Authores non agnoscunt in creatis aliam essentiam, nisi obiectiuam, vt explicabitur quæstione sequenti; at participatio essentialis creaturæ, est participatio Diuinę essentiæ, quæ est prior origine virtuali in Deo, quàm sint Diuinæ Personæ.

Sed hæc opinio faciliùs reijcitur, quàm opinio asserentium possibilitatem subiectiuam tantummodò creaturarum, esse idealiter à Diuina essentia antè productionem Diuinarum Personarum procedentium, & probatur; quia hæc opinio de dependentia possibilitatis subiectiuæ creaturarum, antè productionem Personarum procedentium, & antè omne liberum decretum Diuinæ voluntatis, fundatur in eo principio; quia efficientia formaliter est ad esse; essentia autem subiectiua creaturæ, formaliter, & essentialiter nõ est esse; hæc autẽ ratio non militat de possibilibus creaturis obiectiuis, siuè de posibilitate obiectiua creaturarum; quia hæc possibilitas formaliter includit esse; ergo est terminus secundarius, & materialis causalitatis effectiuæ primæ causæ, non autem causalitatis idealis; neque verũ est, quod dicunt; quia possibilitas creaturarum obiectiua, non dependet à productione Verbi, & Spiritus Sancti; quia, vt suprà diximus, omnipotentia in Deo antè productionem Verbi, est solùm in essendo, non autem in causando; nàm in causando omnipotentia Dei, vel subordinatur voluntati liberæ Dei de creando, quæ voluntas, vt libera in causando, supponit liberum decretum Diuinæ voluntatis, vel est ipsummet

met

met liberum velle efficax, iuxtà varias opiniones Theologorum, & vtroque modo semper omnipotentia in causando formaliter supponit decretum liberum Diuinę voluntatis, quod neque in Patre esse potest, antè Verbi Diuini productionem, siuè generationem; quandoquidem decretum supponit Verbi productionem iam completam; sicut, & productionem Spiritus Sancti. Principium huius discursus declaratur, & probatur simul; nam possibile obiectiuum est illud ipsum ens formaliter, quod est, cum producitur; etenim, vt suprà diximus, illud ipsum, quod producitur in statu actualis productionis, in priori naturæ, & in statu prioris potentialitatis, fuit intrinsecè producibile, siuè possibile produci; vel quod idem est, possibile, & actuale in ratione obiecti, significant idem prorsùs ens; sed in diuerso statu, & hanc ob causam, possibilitas obiectiua intrinseca creaturarum est prædicatum conueniens enti, quando est, siuè quando producitur, non antequam producatur, vt suprà explicauimus; omnis autem productio, siuè efficientia in Deo, non solùm supponit omnes tres Diuinas Personas; sed etiam decretum de creando.

Ex his facillimè etiam soluitur instantia vltima, qua dicunt Aduersarij, terminum materialem causæ primæ, alium esse necessariũ, aliũ cõtingẽtẽ, &c. hoc enim Assũptũ est omninò falsum; quia, vt diximus, omne ens extrà Deum, siuè essentiale, siuè existẽtiale, vel est terminus per se productionis, & efficientiæ, vel est terminus efficientiæ per aliud, siuè cum alio; efficientia autem primæ causæ supponit omnes tres Diuinas Personas, & decretum liberum Diuinę voluntatis de efficiendo.

Obijcies tertiò: ratio prima cur scientia simplicis intelligentiæ non est necessaria formaliter ad productionem Verbi; est quia scientia simplicis intelligentiæ, vt formaliter scientia simplicis intelligentiæ, supponit actum liberum Diuinæ voluntatis; productio autem Verbi Diuini, cum sit omninò necessaria, antecedit omnem actum liberum Diuinæ voluntatis; radix verò prima huius principij, est quia intellectus essentialiter subordinatur voluntati, quoad exercitium actus; nimirùm, quoniam intellectus deficiens est, quoad exercitium sine voluntate, sicut voluntas, quoad specificationem actus deficiens est, sine intellectu; quia voluntati debet repræsentari ab intellectu obiectum suum, quod bonum est. Sed hæc doctrina non est vniuersaliter vera; quoniam primæ cogitationes; sicut, & primi actus voluntatis, vt adnotauit S. Thomas 1.2.q.17. *art.5. ad 3.* impossibile est, quod sint a voluntate. Primò, esset enim processus in infinitum, quod sic ostendo: vult voluntas intelligere intellectum; ergo voluntas debet cognoscere hoc sibi bonum esse, & hoc, intellectus non potest cognoscere sine voluntate mouente, & sic in infinitũ. Secundò, quia vt docet S. Thomas *loco modo citato*, primus voluntatis actus, non est ex rationis ordinatione, sed ex instinctu naturæ, aut superioris causæ; & ideò, inquit, non oportet, quod in infinitum procedatur.

Respondeo primò, hanc diuisionẽ actus voluntatis in actum subordinatum, & non subordinatum intellectui; & diuisionem actus intellectus in actũ subordinatũ, & nõ subordinatum voluntati, esse diuisionem actus voluntatis, & intellectus, vt potentię liberæ; non autem intellectus, & voluntatis vt sic, vel vt sunt potentię necessariæ, sicut posse velle bonum, & malum, nimirũ, libertas voluntatis ad bonum, & ad malum, non est prædicatum conueniens voluntati vt sic; sed voluntatis creatæ defectibilis in statu viæ, secùs adhuc voluntas Dei posset velle bonum, & malum; quia prædicata, quæ conueniunt termino superiori, secundùm se; conueniunt essentialiter eidem in quocumque suo inferiori, & hinc est, quod actus indeliberatus, vt est actus primò primus in hominibus non est ex ratione essentiali intellectus, & voluntatis; sed est ex defectu intellectus, & voluntatis in hominibus, in quibus intellectus, & consequenter voluntas, dependent à passionibus corporalibus, quæ aggrauant animam. Doctrina S. Thomę *loc. sup. cit.* 1.2. intelligẽda est de actibus intellectus, & voluntatis creatæ in statu viæ præsertim in hominibus, quod clariùs explicat *6. art. sequenti*; vbi loco tertio sibi obijcit hoc argumentum, ille actus imperatur, qui est in potestate nostra; sed cognoscere, & iudicare verum, quod est actus rationis, non est semper in potestate nostra; non ergo omnis actus rationis potest esse imperatus, ad ꝙ respondet in corpore articuli, quod actus rationis potest considerari dupliciter; vno modo quãtùm ad exercitium actus: & sic actus rationis semper imperari potest, sicut cum indicitur alicui, quod attendat, & ratione vtatur; alio modo quantùm ad obiectum, respectu cuius duo actus rationis attenduntur; primò quidem, vt veritatem circa aliquod appræhendat, & hoc non est in potesta-

testate nostra: hoc enim contingit per virtutem alicuius luminis, vel naturalis, vel supernaturalis: & ideò quantùm adhoc, inquit, actus rationis non est in potestate nostra, nec imperari potest: alius autem actus rationis est, dùm his, quæ aprehendit, assentit. Si igitur, infert, fuerit talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia; assensus talium, vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine naturæ; & ideò propriè loquendo, inquit, naturæ imperio subiacet. Sunt autem quædam apprehensa, quæ non adeo conuincunt intellectum, quin possit assentire, vel dissentire, vel saltem assensū, vel dissensum suspendere propter aliquam causam; & in talibus assensus ipse, inquit, vel dissensus in potestate nostra est, & sub imperio cadit. Hoc in loco S. Thomas videtur docere dari aliquem actum intellectus, qui nō imperetur à voluntate, & huiusmodi sunt actus, quibus intellectus assentitur principijs primis, & per se notis; & quantū ad istos actus, dicunt Aduersarij, intellectū non subordinari voluntati, quantùm ad exercitium actus; sed decipiuntur, quia S. Thomas initio corporis huius articuli loquitur de aliquibus actibus intellectus, quātùm ad specificationem, siuè determinationem actus; non autem quantùm ad exercitium; nàm ipsemet paulò suprà dicit, quod actus rationis potest considerari dupliciter; vno modo quantùm ad exercitium actus; & sic, inquit, actus rationis semper imperari potest, sicut cum indicitur alicui, quod attendat, & ratione vtatur; alio modo quantùm ab obiectum, nimirùm, quantùm ad determinationem obiectiuam actus, & in hoc genere actionis distinguit S. Thomas actus primos, & actus secundos.

Ad rem præsentem satis est, vt omnis actus intellectus, quoad exercitium actus dependeat à voluntate, tanquam à primo principio mouente ad exercitium actus.

Neque obstat si dicas, quod quælibet potentia necessariam habitudinem habet ad proprium, & principale obiectum, vt visus ad colorem; quia de sui ratione est, vt in illud tendat, vt docet S. Thomas *p. p. q. 19. art. 3. in corpore.*

Respondeo eo loco S. Thomam loqui de necessaria habitudine, quoad specificationem, quando potentia est subordinata, non autem quantùm ad exercitium actus, & ratio à priori est; quia primum in vnoquoq; genere est causa cæterorum in eodem genere; sed voluntas respectu obiectorum in ordine, ad quę est libera, est primum mouens, quoad exercitium actus; ergo respectu eorundem obiectorum intellectus non se mouet, quoad exercitium actus, nisi vt motus à voluntate; processus autem in infinitum à parte antè non sequitur, vbi datur primum, quod est causa cęterorum in eodem genere, & in hoc sensu interpetrantur Caiet. S. Thomam *cit. ar. 3. q. 19.* & Siluester, & alij Thomistæ.

Cum denique obijcitur ad probandum dari processum in infinitū, quod voluntas, vt moueat intellectum ad probandum sibi obiectum eligibile, vel non eligibile, debet præcognoscere hoc sibi bonum esse, & hoc nos dicimus, quod non potest fieri ab intellectu sine voluntate, & sic in infinitum.

Respondeo hoc præcognosci à voluntate sibi bonum esse; quia intellectus hoc illi repræsentat, vt primum repræsentans in genere causę formalis, siuè quantùm ad specificationem; non autem quantùm ad exercitium; quia quantùm ad exercitium primum mouens est voluntas, & hæc ostensio quoad specificationem, siuè terminationem obiectiuam satis est, vt voluntas feratur semper in præcognitum.

Obijcies quintò: Verbum Diuinum ex vi formalis suę productionis est Verbum omnium perfectissimum absque vlla limitatione; sed hoc non est producibile, nisi cognitione, quæ est formaliter cognitio nō solùm Diuinę naturæ, & Diuinarum Personarum, sed etiam creaturarum omnium possibilium, vt posibilium extrà Verbum, secundùm earum esse formale; ergo Verbum Diuinum formaliter, & per se producitur cognitione, quatenùs etiam est possibilium creaturarum formaliter. Minor probatur, quia Verbum producitur cognitione, & productione sibi adęquata; sed cognitio productiua adęquata Verbi perfectissima absque vlla limitatione, est cognitio, quatenus formaliter est repręsentatiua, non solùm essentiæ, & Diuinarum personarum: sed etiam omnium creaturarum possibilium formaliter; quia huiusmodi cognitio est perfectissima absque vlla limitatione in representando; sed si non repręsentaret possibiles creaturas, saltem non esset cognitio absq; vlla limitatione in repręsentando. Confirmatur, quo est perfectius Verbum, & quo est perfectio cognitio productiua Verbi in repręsentando, eo perfectiùs, & plura obiecta repręsentat; etenim ad perfectionem repręsentationis, facit repręsentare non solùm idem obiectum modo magis perfecto; sed etiam repręsentare plura perfectissimo modo; sed Verbum Diui-

uinum in ratione Verbi, ex vi suæ processionis, est infinitè infinitate simpliciter perfectum; ita vt aliud magis perfectum Verbum, neque esse, neque cogitari possit; ergo Verbum Diuinum ex vi suæ processionis, in ratione Verbi, repræsentare debet omnia obiecta repræsentabilia, inter quæ etiam locum habent saltem creaturæ vt possibiles formaliter.

Quod si respondeas, Verbum Diuinum ex vi suæ processionis formaliter esse repræsentatiuum tantummodò omnium obiectorum necessariorum, non autem obiectorum etiam contingentium; quia Verbum Diuinum in ratione Verbi, seù repræsentatiui, est Verbum summè necessarium, & in essendo, & in repræsentando; hoc autem non producitur nisi cognitione omninò necessaria, & in essendo, & in repræsentando per se, & formaliter; at creaturæ vt possibiles secundùm earum esse formale sunt obiectum secundùm se, & absolutè contingens.

Statim conantur hanc rationem impugnare, medio suprà explicato, quod creaturæ vt possibiles, sunt necessariò possibiles, & repræsentabiles ea necessitate, vt nè per potentiam quidem Diuinam possint esse non repræsentabiles; quia necessariè emanant ab omnipotentia Dei.

Quod si iterum eis opponas, præcipuum Albertini fundamentum, quod istæ creaturæ vt possibiles, sint simpliciter, & necessariò possibiles; tamen non sunt tanta necessitate possibiles, quanta Deus est actu, & quanta Diuinum Verbum à Patre Deo producitur; ad productionem autem formalem, & per se Verbi Diuini, requiritur necessitas in eodem gradu perfectissimo necessitatis in repræsentando, in quo est necessarium Verbum Diuinum in ratione Verbi, in quo gradu perfectissimo necessitatis non est cognitio creaturarum vt possibilium, quantùm ad eius repræsentationem, & terminationem.

Statim insurgunt, negando minorem; nam, inquiunt, adhoc vt cognitio possibilium creaturarum formaliter, & per se spectet ad productionem infinitam Verbi Diuini, satis est illud esse repræsentabile intellectui Patris in Diuinis; ità vt per se naturaliter, & necessariò, vt nè per potentiam quidem Diuinam possit esse non repręsentabile, aut non actu repræsentari à cognitione Dei; hanc autem necessitatem sine dubio habent creaturæ vt possibiles, licet cum magna inęqualitate; quia in Deo, & in Verbo est necessitas essendi cum omnimoda independentia à creatura; in creaturis verò est cum omnimoda dependentia à Deo: omnipossibile enim essentialiter, inquiunt, coexigit omnipotentiam, tanquam causam à qua recipiat esse; contra verò, actualis omnipotentia, etiam coexigit omnipossibile, tanquam effectum, cui det esse.

Respondeo ad principale, primò distinguo maiorem; Verbum Diuinum est perfectissimum, & infinitum simpliciter in repræsentando sua obiecta eodem modo, quo sunt, & concedo; diuerso modo, & nego: nam ex obiectis repræsentabilibus Verbo Diuino, quędam sunt antè omne decretum liberum diuinæ voluntatis, & quędam sunt repræsentabilia post decretum liberum diuinæ voluntatis ad perfectionem, & infinitatem cognitionis, qua Verbum per se, & formaliter pruducitur à Patre per se, & formaliter requiritur vt repræsentet omne repræsentabile, & cognoscibile, sicut petit natura sua repræsentari, & cognosci. Obiecta reprǫsentabilia ante omne liberum decretum diuinæ voluntatis, sunt diuina essentia, & tres Diuinæ Personæ, & omnia quæ non dicunt respectum nullum ad terminum extrà Deum; possibiles verò creaturæ quantùm ad earum esse formale distinctum à Deo non sunt repræsentabiles, nisi posito decreto libero diuinæ voluntatis. Tum quia, vt diximus, antè decretum liberum non sunt creaturę possibiles, quantùm ad esse, siuè quantum ad entitatem, quia sunt illæ ipsæ creaturæ, quæ sunt actuales cum producuntur; quippè ens possibile, & ens actuale in ratione obiecti, significant idem prorsus ens, sed in diuerso statu. Tùm etiam, quia creaturæ possibiles, cum sint terminus materialis Diuinæ omnipotentiæ, sunt per se, & absolutè terminus contingens; hic autem terminus non est à Deo, nisi vt causa prima libera in causando, quæ posito decreto.

Respondeo secundò: concedo maiorem, sed nego minorem, nempè esse creaturas possibiles antè decretum liberum Diuinæ voluntatis, aut repræsentari in Verbo Diuino ante decretum liberum diuinæ voluntatis, & ratio est; quia ante decretum liberum diuinæ voluntatis, non sunt creaturæ possibiles; quod si ante omne liberum decretum diuinæ voluntatis Verbum Diuinum non repræsentet creaturas possibibiles hoc nō oritur ex defectu Verbi Diuini in repręsentando, sed ex defectu termini,

 qui

qui non eſt, quod autem non eſt, non ſcitur eſſe; quia hęc cognitio falſa eſt.

Cum dicunt Aduerſarij, creaturas vt poſſibiles eſſe neceſſarias, & hoc ſufficere, vt cognitio poſſibilium creaturarum ſit per ſe, & formaliter neceſſaria ad productionem Verbi.

Reſpondeo ex dictis, creaturas poſſibiles eſſe neceſſarias neceſſitate ſpecificationis, quia ſcilicet non eſt poſſibile fieri, niſi quod non implicat contradictionem, non quidem illud ſupponendo, ſed illud faciendo; non autem eſſe neceſſarias neceſſitate eſſendi, & exercitij abſolutè, & ſimpliciter; at terminus neceſſarius neceſſitate ſolius ſpecificationis, qui ſcilicet non eſt producibilis niſi ſimilis ideæ diuinæ, vel niſi non repugnans contradictionem in ſuis pręd icatis, ante liberum decretum diuinæ voluntatis de creando, non eſt repræſentabilis, quia non eſt, ſed ſolùm eſt non poſſibilis. Notanter dixi, quod creaturæ poſſibiles non ſunt terminus neceſſarius abſolutè, & ſimpliciter neceſſitate eſſendi, aut exercitij; quia eis non repugnat, vt ſint neceſſariæ neceſſitate ſuppoſitionis, qua vnumquodque, quando eſt, neceſſariò eſt. Argumenta Aduerſariorum ſolummodò probant, creaturis poſſibilibus, competere neceſſitatem, vel ſuppoſitionis vel neceſſitatem abſolutam tantummodò ſpecificationis. Verùm neceſſitas, quæ tollit dependentiam à decreto libero diuinæ voluntatis, eſt neceſſitas abſoluta eſſendi, ſiuè exercitij, & hæc nullatenus eſt dabilis; quia implicat contradictionem eſſe extrà Deum ens neceſſarium neceſſitate eſſendi.

Hanc rationem Aduerſarij conantur eludere; quia dicunt, creaturas eſſe poſſibiles neceſſariò, neceſſitate abſoluta eſſendi, non quidem cum independentia omnimoda a Deo, vt eſt neceſſitas eſsēdi ipſius Dei; ſed cum omnimoda dependentia à Deo; quia, inquiunt, omnipoſſibile eſſentialiter coexigit omnipotentiam, tanquam cauſam, à qua recipiat eſſe, & hoc probant etiam illo communi medio; quia ſi implicaret intrinſecè omnipoſſibile, implicaret etiam omnipotētia in Deo, ſiuè implicaret Deus; etenim Deus eſt ens perfectiſſimum, quo maius excogitari non poteſt; at ſi implicaret omnipoſſibile extrà Deum, Deus non eſſet ens eſſentialiter perfectiſſimum, quo maior excogitari non poteſt; huiuſmodi enim ens eſt perfectum, perfectione omni formali, & eminentiali, tum in genere entis, tum in genere intelligibilis, eſt autem ens perfectiſſimum eminentiale; quia eminentialiter eſt omnis perfectio, quæ eſt, vel eſſe poteſt in creaturis. Verùm ſi omnipoſſibile implicaret, deeſſet, & hęc perfectio eminentialis; ergo non eſſet Deus ens perfectiſſimum, quo magis excogitari non poteſt; perfectius enim eſt ens, quod eſt perfectum formaliter, & eminentialiter, quàm ens perfectum tantùm formaliter, & non eminentialiter; alij hoc ipſum probant hoc alio modo; quia Deus eſſentialiter eſt potens terminare dependentiam creaturæ à ſe; quoniam Deus eſt eſſentialiter cauſa prima; at ſi implicaret omnipoſsibile, careret Deus hac perfectione, qua eſt eſſentialiter terminus dependentiæ creaturæ à ſe. Neque ſoluitur vis argumenti; ſi dicatur, quod implicante omnipoſſibili, implicaret omnipotentia in Deo, ſiuè cauſa prima, quantum ad actualem terminationem ad terminum extrinſecum, non autem quantùm ad eſſe eius intrinſecum, vel quantùm ad eius intrinſecam perfectionem; nam argumentum probat, deeſſe in Deo perfectionem eſſentialem, quia non eſſent in Deo eminentialiter perfectiones omnium creaturarum.

Reſpondeo pręter ſupradicta, hoc argumento oſtendi ſolummodò, creaturas poſſibiles eſſe neceſſarias neceſſitate ſpecificationis; non autem neceſſitate eſſendi, ſiuè exercitij; hæc enim eſt propria Dei; & probatur; quia Deus eſt ens neceſſè eſſe eſſentialiter; nam in Deo eſſentia eſt eſſentialiter eſſe; hoc autem eſt proprium Dei; ſicut ex oppoſito proprium creaturæ eſt eſſe contingens; quia creaturæ eſſentialiter non eſt eſſe; at productio Verbi in Diuinis eſt cognitio neceſſaria in repræſentando omnimoda neceſſitate; quia Verbum eſt ens neceſſarium omnimoda neceſſitate; creaturæ verò poſſibiles ſunt neceſſariæ, tantummodò neceſſitate ſpecificationis, quatenùs Deus volens producere, non poteſt facere, niſi quod non implicat contradictionem, non quidem ſupponendo; ſed illud faciendo.

Neq; probatur oppoſitum, quādo dicitur; cognitio productiua Verbi debet eſſe perfectiſſima, & comprehenſiua; at hęc cognitio rapit ad ſui perfectionē adhuc cognitionem poſſibiliū creaturarū vt poſsibiliū; tū q̄a cognitio, qua cognoſcūtur omnes effectus cauſæ in cauſa cognita, eſt cognitio cōprehenſiua cauſæ; tùm quia perfectior eſt cognitio, qua cognoſcuntur effectus in cauſa cognita

gnita cognitione, qua cognoscitur præcisè causa; quoniam istæ propositiones veræ sunt de cognitione causæ in genere causæ agentis, non autem de cognitione causæ in genere entis. Cognitio, qua Pater producit Verbum, est cognitio Dei in genere entis, inquantùm scilicet Deus est primum esse, quod essentialiter est vnum in essentia, & trinum in Personis, non autem est cognitio Dei in genere causæ primæ; etenim Deus est causa prima in causando per decretum liberum suæ diuinæ voluntatis; cognitio autē productiua Verbi, in Deo est ante omne decretum liberum diuinæ voluntatis de causando; quia est cognitio omninò necessaria in repræsentando.

Cum primum dicitur ab opponente, quod cognitio qua Pater producit Verbum in Diuinis, est cognitio infinita simpliciter comprehensiua, & perfectissima in repræsentando, &c.

Respondeo distinguo maiorem, est cognitio infinita simpliciter, & perfectissima in repræsentando cum ordine in repræsentando, & concedo: sine ordine in repræsentando, & nego. Ratio distinctionis est; quia cognitio perfectissima; & comprehensiua, debet esse repræsentatiua omnium intelligibilium, sicut natura sua cognosci petunt; quandoquidem cognitio infinita, & perfectissima in repræsentando, debet esse vera formaliter. Obiecta scibilia omninò necessaria, sunt cognoscibilia, seù repræsentabilia intellectui, ante omne liberum decretum diuinæ voluntatis; obiecta verò intrinsecè contingentia non sunt repræsentabilia, nisi post decretum liberum diuinæ voluntatis de causando; & huiusmodi sunt creaturæ possibiles. Neque huic doctrinæ obstat, quod creaturæ possibiles sunt necessariæ necessitate specificationis, hoc est, quia non possunt fieri nisi fiant similes ideæ diuinæ, vel quia volens Deus producere ad extrà, non potest, nisi quod possibile est, producere; nam Deus operatur, quod est possibile, non illud supponendo, sed faciendo; quandoquidem contingentia opponitur necessitati essendi, siuè exercitij; quia contingentia est prędicatum conueniens essentiæ dependenter à contingentia existentiæ.

Cum secundò dicitur, quod perfectior est cognitio, qua cognoscuntur Deus, & omnes eius effectus possibiles; quàm sit cognitio solius Dei.

Respondeo distinguo; quando negatio repręsentandi effectus causæ oritur ex defectu intrinseco, vel ex intrinseca imperfectione cognitionis, & concedo; quando negatio repræsentandi effectus oritur ex defectu termini, siuè obiecti, & nego. In re nostra, cognitio, qua producitur Verbum in Diuinis ante decretum Diuinæ voluntatis de causando, non repræsentat possibiles creaturas secundùm earum esse formale ex defectu, quia non sunt creaturæ; non autem ex defectu Diuinæ cognitionis productiuæ Verbi; quoniam huiusmodi cognitio est repræsentatiua omnium sicuti sunt; ex obiectis autem repræsentabilibus, quędam sunt ante decretum liberum de creando, & quędam sunt post decretum liberum; ideò, &c.

Hæc responsio est iuxtà opinionem eorum, qui dicere possunt, cognitionem productiuam Verbi, & cognitionem qua Deus cognoscit creaturas, siuè vt possibiles, siuè vt actuales, esse omninò eandem, quantùm ad actum formalem cognoscendi, cum sola diuersitate ante, & post decretum liberum diuinę voluntatis, sicut, v.g., ens possibile, & ens actuale significant idem prorsus ens in sola diuersitate status.

Si quis verò velit substinere cognitionem, qua Deus cognoscit creaturas, vel vt possibiles, vel vt actuales, esse identicè, & realiter cognitionem, qua Pater producit Filium; virtualiter verò esse distinctam ab ea, & ea posteriorem posterioritate adhuc virtuali, potest negare cognitionem, qua Deus videt, seù cognoscit creaturas vt possibiles, & vt actuales, cognoscendo seipsum vt causam primam eorundem, esse perfectiorem, quàm sit cognitio, qua Pater producit Filium, & ratio huius esse potest. Primò, quia cognitio productiua Verbi specificatur ab intelligibili Diuino, quatenus est communicabile modo adęquato, & infinito ad intrà; cognitio verò Dei, prout est cognitio creaturarum, & possibiliū, & actualium specificatur ab intelligibili diuino, quatenus est communicabile modo finito, & diuiso ad extrà. Secundò, quia cognitio, qua Deus cognoscit creaturas vt possibiles, & vt actuales, est libera quantum ad exercitium in modo cognoscendi, non in esse; esse enim Dei est omninò necessarium; at modus operandi liber non est perfectio formaliter, sed tantum materialiter; modus enim essendi, & operandi intrinsecus, sunt ens entitate sui veluti modificati; cognitio verò, qua Pater producit Filium, est formaliter perfectio infinita, quæ specificatur formaliter ab intelligibili primo formaliter; sed de hoc fusiùs disputabitur in *quæst. de scientia Dei to. 2.*

Nnn 2 Obij-

Obijcies sextò: cognitio productiua Verbi Diuini, est repræsētatiua formaliter omnis entis, & scibilis necessarij; sed creaturæ vt possibiles, sicut & actuales, secundùm earum esse formale extra Deum, sunt etiam aliquo modo necessariæ; ergo earum cognitio formaliter necessaria est ad productionem Verbi Diuini. Maior manifesta est ex dictis; minor verò probatur, quoniam creaturæ vt possibiles, sicut, & creaturæ vt futuræ, siuè vt actuales, quantum ad earum esse formale, sunt extra Deum; possibiles quidem creaturæ sunt in statu potentialitatis extrà Deum; actuales verò, & existentes in statu actualitatis; sed res quando est, necessariò est: secùs idem secundùm idem, simul esset, & non esset.

Respondeo, productionem Verbi Diuini esse necessariam secundùm se, & formaliter necessitate absoluta, omnimoda necessitate, & quantum ad specificationem, quæ est ex obiecto, & quantum ad exercitium, quæ est ex subiecto vt principio actiuo; non autem necessitate ex suppositione: etenim necessitas ex suppositione supponit liberum decretum Dei de creando; productio verò Verbi à Patre in Deo est ante omne liberū decretum diuinæ voluntatis de causando; & ratio à priori est; quia Verbum Diuinum est ens essentialiter omninò necessarium. Et hæc ratio excludit etiam à productione Verbi Diuini, etiam cognitionem futurorum conditionatorum, quæ est cognitio, quam recentiores appellant, mediam.

Obijcies septimò. Cognitio productiua Verbi in Deo est etiam formaliter cognitio Spiritus Sancti, vt obiecti terminatiui; sed hoc posito, non incōuenit, cognitionem creaturarum possibilium, & futurarum esse necessariam etiam ad cognitionem productiuam Verbi; ergo, &c. Maior recipitur ab omnibus, præterquam à Vasquez, qui excludit à productione Verbi cognitionem Spiritus Sancti; hoc fundamento, quia si comprehensio, siuè cognitio etiam Spiritus Sācti esset per se requisita ad productionem Verbi; sequeretur Verbum esse imaginem Spiritus Sancti: sequelam probat, quia tunc Verbum respectu Spiritus Sancti haberet duo necessaria, ac sufficientia ad rationem imaginis, respectu sui exemplaris, nimirùm repræsentare, & procedere; quia Verbum de facto repræsentat Spiritum Sanctum, cum non solum sit Verbum dicens Patrem, & seipsum, sed etiam Spiritum Sanctum. Minor principalis argumenti probatur: quoniam productio Spiritus Sancti est posterior origine productione Verbi; sed hæc posterioritas non tollit, quin cognitio Spiritus Sancti in repræsentando sit necessaria ad cognitionem productiuam Verbi formaliter; ergo neque obstat posterioritas cognitionis creaturarum vt possibilium extrà Deum, vt cognitio possibilium creaturarum, sit etiam prærequisita necessariò, & formaliter ad productionem Verbi Diuini.

Respondeo concedo maiorem cum Caietano *p.p.q.34.art.3. ad 2. Scoti, contra Scotū*, qui docet, Verbum Diuinum procedere per se ex sola cognitione essentiæ diuinæ, nimirum vt terminata solùm ad essentiam, cuius fundamentum.

Primum est, quia obiectum primarium diuinæ cognitionis est sola essentia diuina, & motiuum, & terminatiuum, non solùm quia essētia diuina est primum principium formale essendi, & personalitatibus, & attributis; sed etiam quia productio in diuinis est secundum similitudinem in natura; Personæ verò sunt obiectum secundarium terminatiuum non motiuum, vt suo loco fusiùs explicabitur.

Secundum fundamentum Scoti est: quoniam prius ratione est, Deum esse Deum, & consequenter esse intelligentem, quam esse Personalitates per originem in Deo; quia illud est commune, hoc proprium: communia verò inquit S. Thomas *p.p.q.23.ar.3. ad 1.* absolutè secundum ordinem intellectus nostri sunt priora, quam propria; sed in illo priori rationis, vel virtuali, concipere possumus, Deum intelligere naturam suam, non intelligendo personalitates; quia in illo priori non supponuntur esse personalitates, & augetur difficultas; quia cognitio, per quam procedit Verbum, non supponit existere Verbum, nec Spiritum Sanctum; ergo illa non potest esse cognitio *intuitiua* Verbi, & Spiritus Sancti; sed *ista* fundamenta non sunt rationes demonstratiuæ, quoniam facilè soluuntur.

Ratio etenim cur Verbum procedat per se ex cognitione in repræsentando, non solùm diuinæ essentiæ, sed etiam omnium Diuinarum Personarum, est quia cognitio productiua Verbi, non solùm est infinita, & comprehensiua, sed etiam est omninò necessaria necessitate absoluta; quia Verbum Diuinum est simpliciter, & absolutè necessarium; hæc autem in repræsentando per se est cognitio omnis scibilis necessarij simpliciter; at omnes Personæ Diuinæ sunt simpliciter, & absolutè necessariæ; sunt enim essentialiter esse; siuè intrà esse Diuinum, quod est simpliciter, & absolutè ens necesse esse; ad hoc autem materia-

terialiter ſe habet poſterioritas originis, vel poſterioritas virtualis; ſicut materialiter ſe habent finitum intellectus creati, & infinitum Dei obiecti intelligibilis, adhoc, vt Deus ſit viſibilis in ſeipſo ab intellectu creato, & ob hanc rationem excluditur à productione Verbi Diuini cognitio creaturarum vt poſſibilium; non enim Perſona Verbi, & Perſona Spiritus Sancti debent excludi à termino per ſe primo, & formali Perſonæ productiuæ Verbi; quia ſunt poſteriores origine; ſed excluderentur ſine dubio, ſi non eſſent ens, & ſcibile omninò, & abſolutè neceſſarium, quod eſt obiectum formale terminatiuum cognitionis productiuæ Verbi: ſed creaturæ etiam vt poſſibiles, excluduntur; quia ſecundùm ſe, & abſolutè non ſunt ens neceſſarium, ſed ens eſſentialiter contingens, vt ſuprà oſtendimus, quod quidem ſupponit decretum liberum Diuinæ voluntatis conditionatum, ſaltem ex parte actus de creando.

Quod ſi dicas: ex hac ratione ſequi, Perſonam Verbi Diuini, & Perſonam Spiritus Sancti, eſſe terminum materialiter cognitionis productiuę Verbi; ſicut viſibile, & audibile ſunt obiectum materiale ſenſus communis, & probatur; quia ratio formalir cur Perſona Verbi, & Perſona Spiritus Sancti, ſint terminus cognitionis productiuæ Verbi in repræſentando, eſt; quia ſunt ens, & intelligibile ſimpliciter neceſſariũ; ſicut viſibilę, & audibile ſunt obiectum materiale ſenſus communis, quia non terminant cognitionem ſenſus communis formaliter, quia viſibile, aut audibile; ſed formaliter, quia ſenſibile ſunt; materialiter verò; quia ſunt quoddam ſenſibile: ſed hoc ſufficit Scoto ad probandum obiectum primarium, & formale cognitionis productiuæ Verbi reprę ſentando.

Notanter addidi, in repræſentando; quia cognitio productiua Verbi in Diuinis, eſt repræſentatio, & eſt productiua Verbi: vt productio adęquata, terminatur ad Verbum; vt repræſentatio autem per ſe, & formaliter, ad omne intelligibile neceſſarium, neceſſitate ſimpliciter, & abſoluta.

Reſpondeo: nego ſequelam, & ratio negationis eſt, quia Perſonæ Diuinę ſecundùm proprias rationes perſonales, & relatiuas, ſunt formaliter, & eſſentialiter neceſſarię; ſcibile autem neceſsarium ſecundùm ſe eſt obiectum formale terminatiuum cognitionis productiuę Verbi in repræſentãdo; quam ob cauſam puto à Caietano dici Perſonas Diuinas, quaſi partes obiecti formalis Diuinę cognitionis. Cęterum obiecta materialia potentiarum cognitiuarum in creatis non ſunt formaliter ſecundùm proprias rationes, obiectum formale potentię; ſed tantùm materialiter.

Neque obſtat, ſi obijcias nobis doctrinã, quam ſuprà innuimus; relationes originis, quibus conſtituuntur, & diſtinguuntur Diuinę perſonæ formaliter, non eſſe ens; ſed tantùm eſſe ens entitate eſſe Diuinę eſſentię; quandoquidem formalitas relationis originis in Deo, ſicut, & quilibet modus eſſendi, vel operandi in Deo, etiam vt formalitas modalis, eſt formaliter neceſſaria ſimpliciter; hęc autem eſt veluti pars ſcibilis neceſſarij ſimpliciter, quod eſt obiectum formale cognitionis productiuæ Verbi in repręſentando; ſed de hoc fuſiùs dicetur proprio loco. Rationes pro Scoto ſuprà explicatæ ex his facilè ſoluuntur.

Reſpondeo enim ad primam, qua dicitur Diuinæ cognitionis obiectum primarium terminatiuum eſſe ſolam eſſentiam; quia ſola eſſentia eſt primum in Diuinis Perſonis, nego antecedens: obiectum enim primarium, & formale Diuinę cognitionis antè omne liberum decretum Diuinę volũtatis, vt ſuprà diximus, eſt ſcibile omninò, & ſimpliciter neceſſarium, neceſſitate, nimirùm abſoluta; hoc autem rapit ad vnam formalitatem, & naturam Diuinam, & omnes Diuinas Perſonas ſub quacumque reduplicatione formali conſideratas, vt oſtendimus. Ad ſecundam.

Reſpondeo: concedo maiorem: prius, nimirùm eſſe, Deum eſſe, & conſequenter Deum eſſe intelligentem, quàm eſſe Perſonalitates in Deo, loquendo de prioritate virtuali: ſed nego minorem, nimirùm, in illo priori poſſe nos concipere Deum intelligere naturam ſuam, nõ intelligendo Perſonalitates: & ratio eſt, quia cognitio Dei in quocumq; ſtatu, cum ſit comprehenſiua, adęquat in repræſentando totum ſuum obiectum formale: at hoc comprehendit formaliſſimè, & eſſentialiſſimè, & Diuinam naturam, & Diuinas Perſonalitates; hęc autem vnitas in ratione cognoſcibilis, non tollitur per hoc, quod eſſe Dei, & conſequenter eſſe intelligentem, ſit prius virtualiter, vel ratione, vt loquitur S. Thomas, quam ſint perſonalitates in Deo, quia vnitas formalis in ratione cognoſcibilis, & prioritas, & poſterioritas in eſſendo, nõ ſunt adęquata ſecundùm idem; contradictio verò tollens compoſsibilitatem, eſt adęquata ſecundùm idem; neque valet conſequentia à prioritate in genere entis, ad prioritatem in genere obiecti; quia ſunt prioritas, &

po-

posterioritas, secundùm diuersam rationem formalem.

Ad rationem Vasquez; nego sequi, Verbum Diuinum esse imaginem Spiritus Sancti; quia Spiritus Sanctus non esset principium productiuum Verbi, neque naturale, neque obiectiuum; sed tantùm obiectũ terminatiuum; imago autem est principij productiui; sed de hoc suo lo loco plenè disputabitur.

Quod si posterioritas creaturarum vt possibilium impossibilitet, Verbum produci per se à Patre, cognitione etiam creaturarum vt possibilium; hoc non oritur ex eo quia creaturæ vt possibiles sunt posteriores; sed oritur ex eo quia creaturę vt possibiles sunt simpliciter, & absolutè contingẽtes; siuè quia sunt posteriores posterioritate contingenti secundùm se; non autem quia sunt posteriores; vt sic enim vera esset opinio acutissimi Scoti: sed de hoc iterum sermo erit in suo proprio loco.

Obijcies vltimò: cognitio productiua Verbi per se, & formaliter, est repræsentatiua omnis scibilis necessarij; sed creaturæ vt possibiles vt sic, sunt etiam necessariæ, saltem necessitate ex suppositione, vel conditionali; ergo cognitio creaturarum vt possibilium per se, & formaliter requiritur ad cognitionem productiuam Verbi. Probatur consequentia: etenim cognitio productiua Verbi Diuini est necessaria omnimoda necessitate, cum sit necessaria necessitate infinita simpliciter; hæc autem comprehendit omnem necessitatem. Minor principalis argumenti probatur; quia creaturæ vt possibiles, non possunt non esse possibiles, saltem ex eo quia possibilitas, nimirùm, formalis creaturarum est prędicatum conueniens rei, quando est; sed res quando est, necessariò est; ergo, &c.

Respondeo: distinguo maiorem; cognitio productiua Verbi Diuini est omninò necessaria, necessitate absoluta, & simpliciter, & concedo; necessitate comprehendente necessitatem absolutam, & necessitatem ex suppositione, & nego; quandoquidem cognitio productiua Verbi, est completa in Deo antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis; necessitas cognitionis Diuinæ, antè omne decretum Diuinæ voluntatis liberum, est necessaria necessitate tantùm absoluta; necessitas verò ex ex suppositione, supponit in Deo decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando. Cùm verò dicitur ab opponente, quod cognitio productiua Verbi in Deo est necessaria necessitate infinita; hæc rapit ad vnã rationem formalem, necessitatem, & absolutam, & necessitatem ex suppositione.

Respondeo: concedo maiorem, & distinguo minorem; hæc infinitas antè decretum liberum Diuinæ voluntatis est repræsentatiua etiam obiecti necessarij ex suppositione, & nego; post decretum liberum Diuinæ voluntatis, & concedo. Dicitur enim cognitio productiua Verbi in Diuinis infinita, & comprehensiua simpliciter, quia est repræsentatiua omnis repræsentabilis; at antè liberum decretum Diuinæ voluntatis, non est repræsentabile necessarium ex suppositione extra Deũ, & antè decretum liberum Diuinæ voluntatis de creãdo, vel absolutum, vel conditionatum; etiam ex parte actus, non est defectus, vel imperfectio cognitionis productiuę Verbi; sed est defectus termini, siuè obiecti, quia antè decretum liberum Diuinæ voluntatis non est obiectum necessarium ex suppositione; verùm posito decreto libero Diuinę voluntatis de creando absque sui intrinseca mutatione repræsentat obiectum, quod fit extrà Deum dependenter à decreto libero Diuinæ voluntatis. Hanc vim repræsentãdi, suo modo tamen limitato, habent etiam species intelligibiles Angelicæ, quæ ex natura sua sunt repręsentatiuæ omnis obiecti repręsentabilis in suo genere, quando est, non autem quando non est.

Communiter respondent ad hoc argumentum: distinguendo cognitionem productiuam Verbi, quantùm ad esse suum intrinsecum, & quantùm ad actualem terminationem ad creaturas, vt possibiles; primò modo, concedunt cognitionem repræsentatiuã creaturarum, vt possibilium pręexistere in Deo antè omne decretum liberum Diuinæ voluntatis, & sic esse infinitam intrinsecè, & comprehensiuam; sed negant eam præexistere in Deo, quãtùm ad actualem repręsentationem creaturarum, vt possibilium, antè liberum decretum Diuinę voluntatis: neque ex hoc, inquiunt, minuitur perfectio Diuinę cognitionis, eo quod infinitas in repręsentando est perfectio intrinseca Diuinæ cognitionis; terminatio autem actualis ad creaturas, vt possibiles, est denominatio extrinseca, quę neque minuit, neque auget perfectionem intrinsecam Diuinæ cognitionis.

Sed hæc responsio deficit in hoc; quia non assignat rationem, cur cognitio Diuina antè decretum liberum Diuinæ voluntatis, non est repręsentatiua creaturarum, vt possibilium, quantùm ad earum esse formale, & intrinsecum extrà Deum; posito

verò

verò decreto libero Dei, est repræsentatiua: quam rationem nos suprà sępè assignauimus, scilicèt, quia cognitio Diuina est repræsentatiua omnis repræsentabilis,& cognoscibilis formaliter, quod si antè decretum liberum Diuinę voluntatis non repręsentet possibile obiectiuum extrà Deum, id non oritur ex defectu intrinseco Diuinæ scientiæ, sed ex defectu obiecti;quia non est obiectum; quia aliud est non esse obiectum extrà Deum, non posito decreto libero de creando; & aliud est dicere obiectum extrà Deum non esse: quia in hac secunda propositione supponitur obiectum, quod est possibile obiectiuum; vndè hoc obiectum est necessarium necessitate suppositionis, quod etiam præsupponere debet decretũ liberum Diuinæ volũtatis;in prima autem propositione non supponitur subiectum, de quo prædicatur possibile; sed potiùs supponitur negatio formaliter subiecti, de quo prædicatur possibile.

Eadem distinctione soluendum est argumentum, quo Aduersarij probant,Verbum Diuinum produci per se, & formaliter cognitione, quæ est etiam repræsentatiua creaturarum, vt possibilium;nimirùm,quia Verbum Diuinum est infinitum in repræsentando; etenim est infinitum in repræsentando, quæ formaliter repræsentabilia sunt; non autem quæ non sunt repræsentabilia formaliter; secùs caderet in Verbum falsitas in repręsentando; at antè decretum liberum Diuinę voluntatis de creando non sunt creaturæ possibiles formaliter. Pariter eadem distinctione soluitur argumentum, quo probatur totam in repræsentatiuam, quæ est in Verbo, esse à Patre per generationem. Concedo enim hoc assumptum,sed cum subiũgitur hæc vim repręsentatiua est etiam vis repręsentatiua creaturarum, vt possibilium.

Respondeo cum distinctione,antè decretum liberum Diuinæ voluntatis de creando, & nego; post decretum liberum, & cõcedo: idque non ex defectu Verbi Diuini, sed ex defectu termini extrà Deum, qui antè omne liberum decretum Diuinæ voluntatis de creando, non est scibile formaliter extrà Deum.

Quod si obijcias hanc doctrinam habere locum in communicatione scientiè, siuè in communicatione virtutis repræsentatiuæ; non autem in communicatione decreti liberi Diuinæ voluntatis; hoc enim decretũ liberum non communicatur Verbo à Patre per communicationem generatiuam, quoniam cognitio productiua Verbi est omninò, & absolutè necessaria; hæc autem cognitio nullum supponit decretum liberum Diuinę voluntatis.

Respondeo, vt suprà, hoc decretum immediatè communicari Verbo à Patre, post Verbi Diuini productionem; fundamentaliter verò, seù radicaliter, & mediatè communicari Verbo à Patre per cognitionem generatiuam. Hanc doctrinam sequuntur etiam omnes Theologi, qui docent Verbũ Dei per se non procedere ex cognitione creaturarum, vt futurarum, intèr quos legendus est Hieronymus Fasolus *tom. 3. in p.p.S. Thomæ quæst.34.art.4 dubit.7.num.62.* quæ doctrina valdè conducit,vt suprà ostẽdimus Verbum Diuinum, neque procedere per se, & formaliter ex cognitione creaturarum vt possibilium, vt completè ostendimus.

---

## ATICVLVS SEPTIMVS.

### Vtrum Deus ex necessitate velit creaturas possibiles.

Controuertitur hic articulus, hoc in loco; quoniam multi docti Theologi docent possibiles creaturas, siuè possibilitate in ratione subiecti, siuè possibilitate in ratione obiecti, esse participationes necessarias Diuinæ bonitatis necessitate absoluta; idque probant primò à posteriori; quia processio Spiritus Sancti est absolutè necessaria, & per actum voluntatis, quo Deus vult necessariò suam bonitatem,non solùm vt communicabilem ad intrà; sed etiam vt vt communicabilem ad extrà. Sed hęc processio est ex amore necessario,necessitate absoluta, quo Deus vult creaturas possibiles. Secundò à priori, quia Deus necessariò vult suũ Diuinum bonũ, nõ solùm vt communicabile ad intrà; sed etiam vt communicabile ad extrà, & probatur; quia bonum Diuinum, etiam vt communicabile ad extrà, est infinitum bonum, infinita cognitione comprehensum à Deo, & continuò applicatum Diuinæ voluntati; sed Deus necessariò vult suam Diuinam bonitatem; nõ solùm,quia vnaquęque potentia libera,non potest non ferri actu in suum proprium, & formale obiectum,si fuerit illi debitè applicatum, & sine vllo impedimento: ob hanc enim rationẽ,Beati vident Deum,& amant necessariò, & quoad specificationem, & quoad exercitium; nàm vt docet S. Thom. de

*de Veritate quæst.23. art.4. circa principium corporis*, volũtas Dei licet sit libera respectu creaturarum existentium, vel futurarum; est tamen natura quędam; natura autem naturalem ordinem habet ad suum obiectũ; quia non est assignabile, in quod voluntas tendat necessariò per modum naturæ, nisi in proprium, & formale obiectum, ad quod voluntas, sicut, & quælibet alia potentia, necessariam habitudinem habet ad suum obiectum formale, vt visus ad colorem; vt idem S. Thomas docet *p.p.q.19.art.3. circa medium corporis*. Tertiò, probant assumptũ ratione, ducente ad impossibile, quę sumitur à S. Thoma *lib.1. contra Gentes, c.80. initio*, si Deus non vellet suum bonum Diuinum necessariò; ergo posset illud non actu velle; sed hoc est impossibile; quia bonum Diuinum, vt dixi est bonum infinitum, & necessarium, & applicatum Diuinæ voluntati ab intellectu cognitione adæquata, comprehensiua, & infinita: & confirmatur, quia si Deus posset non velle suum bonum Diuinum, posset etiam non velle alia à se; impossibile autem est Deum, non velle aliquid actu; esset enim volens in potentia tantùm, quod est impossibile, cum in Deo suum velle sic suum esse; ergo Deus necessariò vult suum bonum Diuinum; sed hoc posito, necessariò sequitur, Deum velle creaturas possibiles vt possibiles, saltem velle inefficaci, & simplicis complacentię; quia bonum Diuinum de sui natura est cõmunicabile, cum sit diffusiuum sui ipsius; hęc autem necessitas, vt notat S. Thomas, qua Diuina voluntas vult suam Diuinam bonitatem *supra citata quæst.23. de Veritate art.4.* non est coactionis, sed naturalis ordinis, qui libertati non repugnat secundùm Augustinum.

Hęc opinio nunquam mihi visa est vera; quia velle, quo Deus vult suũ bonũ Diuinũ, vt communicabile ad extrà; nimirùm, vult participari ad extrà diminutè, & diuisim à creaturis, est liberum; quia creaturæ etiam vt possibiles, non solùm sunt secundùm se, & absolutè, terminus materialis Diuinæ omnipotentię; sed etiam Diuinę voluntatis; sed cum hac contingentia incompossibilis est opinio asserens ex necessitate absoluta, Deum velle suum bonum vt communicabile ad extrà, & creaturas vt possibiles.

Scio quidem oppositam opinionem doceri ferè ab omnibus Scholasticis, quos accuratè refert Fasolus *tom.2. in p.p. S. Thomæ q.19. ar.3. dub.2.* pręsertim à Caietano *q.34. ar.3. §. ad imaginationes*, qui dùm defendit, Verbum Diuinum procedere ex cognitione omnium possibilium, concedit Spiritum quoque Sanctum procedere ex amore omnium possibilium; qui sanè amor, inquit, Fasolus, nec liber, nec efficax esse potest; quia, inquit, cum Caietano, *vniformiter* loquendum est de creatura intellecta in Deo, & de creatura amata in Deo; sicut par ratio est de Verbo, & de Spiritu Sancto.

Punctum difficultatis, vt video resoluitur in hoc, an Deus velit suum bonum Diuinum, vt commnunicabile extrà, velle necessario, an velle libero; etenim Theologi, qui dicunt, Deum velle creaturas vt possibiles velle necessario, sed simplicis complacentię, fundantur in hoc principio, quod Deus vult seipsum, vt bonum communicabile extrà, velle necessario; quia, inquiunt, Deus vult necessariò omnia sua prędicata essentialia, & bonitas Diuina essentialiter, & formaliter est participabilis à bonis possibilibus. Dixi: bonum Diuinum, quatenùs communicabile ad extrà; quia bonum Diuinum dupliciter sumi potest, vno modo, vt communicabile ad intrà per omnimodam equalitatem, vel cum indiuisione esse, seù naturę per actum intellectus, & per actum voluntatis; alio modo vt communicabile ad extrà per similitudinem imperfectam traducibilem ex nihilo simpliciter: & de bono Diuino vtroque modo considerato discutiendum est, an Deus illud velit velle necessario, an velle libero; antequam directè resoluatur articulus propositus: an Deus ex necessitate velit creaturas vt possibiles extrà Deum in statu possibilitatis, saltem velle simplicis complacentię.

Prima conclusio. Deus, siuè Diuina voluntas velle omninò necessario *vult* suum bonum Diuinum, vt *communicabile* ad intrà per actum intellectus, & per actum voluntatis necessitate, nimirùm, non solùm specificationis, sed etiam necessitate exercitij, siuè necessitate essendi. Conclusio ab omnibus Catholicis recipi debet; communicatio enim ad intrà in Deo est omninò necessaria, non quidem necessitate coactionis; sed naturalis ordinis, vt docet S. Thomas *de Veritate q.23. ar.4.*

Fundamentum conclusionis est, quia bonum Diuinum vt communicabile ad intrà, est omninò necessarium, & necessitate specificationis, & necessitate exercitij; sed hoc est terminus formalis velle necessarij simpliciter; ergo Deus vult suum bonum Diuinum vt communicabile ad intrà velle omninò necessariò, & necessitate, scilicèt, specificationis, & exercitij. Hac ratione etiam

etiam productio Verbi in Deo est omninò necessaria; sicut, & productio Spiritus Sancti: quoniam Verbum Diuinum, sicut, & Spiritus Sanctus sunt intelligibile, & bonum simpliciter, & absolutè necessarium necessitate, & specificationis,& exercitij.Simili etiam ratione Beati dicuntur videre,& amare Deum necessariò,& quoad specificationem, & quoad exercitium; nàm, etsi Beati videant, & ament Deum modo finito; tamen vident, & amant Deum amore necessario, posito enim in intellectu Beatorum lumine gloriæ, Deus est obiectum necessariò intuibile, & amabile,& quoad specificationem, & quoad exercitium; & hinc oritur, quod visio beatifica,& amor,quibus Beati vident,& amant Deum,sint actus naturæ;nimirùm,sint actus intellectus,& voluntatis, quatenùs intellectus, & voluntas quędam naturæ sunt; hæc verò necessitas non est coactionis, sed naturalis ordinis.

Secunda conclusio. Deus vult seipsum, siuè suum bonum diuinum vt communicabile ad extrà velle libero, quoad exercitiũ, & specificationem; nimirùm, sicut voluit liberè suum bonum vt communicabile ad extrà, ità in priori potuit non velle: potuit enim Deus ab æterno in priori naturæ, non velle creare initio temporis vniuersitatem creaturarum, vel creare alium mundum. Conclusio valdè controuersa est in Scholis, tùm Metaphysicorum,tũ Theologorum, vt videre est apud præcitatos Authores,præsertìm apud Fasolum, & Palumbum *loc.sup.cit.*qui firmiter tuētur, velle Diuinum respectu sui boni, etiam vt cõmunicabilis ad extrà, esse velle necessariũ. Quod si ab eis petas, quomodo hoc velle sit velle liberum respectu creaturarum actualium.Respondēt,velle necessarium Dei,esse velle liberum respectu creaturarum actualium,quatenùs seipso velle Diuinũ sit velle creaturarum contingentium, vt loquitur Palumbus: vel vt loquitur Fasolus, velle necessarium sit velle liberum,per hoc quod seipso est causa creaturarum cõtingentium. Conclusionem hanc scriptam non reperio in terminis, ea tamen vera est;quoniam est conformis principijs,& doctrinę S.Th.pręsertìm 1.2.*q.*10.*ar.*2.*in corp.*vbi quęrit vtrũ volũtas moueatur de necessitate à suo obiecto. Et respondet,dicendum circa finē corporis articuli,quod si proponatur voluntati aliquod obiectum, quod sit vniuersaliter, & secũdùm omnem rationem,bonum propositum,ex necessitate voluntas in illud tēdit, si aliquid velit; non enim potest velle oppositum: si autem proponatur voluntati obiectum, quod non secundùm quamlibet rationem sit bonum propositum, nõ ex necessitate voluntas fertur in illud.Hæc ratio militat in re nostra; quoniã Deus non vult suũ bonũ cõmunicabile ad extrà in omni gradu suæ perfectionis; sed solùm diminutè, & diuisim in gradu perfectiori,& perfectiori, tùm quia bonum Diuinum infinitè distat ab omni bono creato, & creabili: tùm etiam; quia bonum diuinum est causa analoga,nõ vniuoca; causa autem analoga vt docet S.Thomas *quæstion.*25.*artic.*2.*ad* 2. non est manifestabilis tota in suis effectibus,secùs non distngueretur à causa vniuoca; hæc enim tota est manifestabilis in suo effectu, vt homo generat hominem, &c.ex opposito autem, causa analoga non tota manifestatur in sui effectus productione; sicut potentia Solis, & vt sic bonum Diuinum repræsentatur ab intellectu Diuino suæ Diuinæ voluntati.

Primum fundamentum conclusionis:bonum diuinum est repræsentabile diuinę voluntati vt participabile,tantummodò secũdùm aliquas rationes bonitatis, siuè vt cõmunicabile, & participabile ad extrà diminutè, & diuisim; sed vt sic non necessitat diuinam voluntatem, quoad exercitium, neque quoad specificationem; ergo voluntas vult suum bonum vt communicabile ad extrà non necessariò; ergo liberè. Ratio hæc probatur, & manifestatur ex opposito: nam ratio cur Deus necessariò vult suum bonum diuinum vt communicabile ad intrà est; quia bonum Diuinum ad intrà est communicabile adæquatè, & totaliter; sed bonum diuinum non est communicabile ad extrà adęquatè, & totaliter,sed diminutè sēper in aliquo gradu bonitatis determinatę; ergo nõ est volitum à Deo velle necesario, quoad exercitiũ, et quoad specificationem.

Secundum fundamentum conclusionis est: quia bonum diuinum vt communicabile ad extrà, est liberum in causando, licet sit necessarium in esendo: sed hoc satis est, ut Deus velit suum bonum Diuinum, vt communicabile ad extrà, velle libero, quoad exercitium, & specificationem: dico sic, quia voluntas diuina est libera ad extrà, & quoad specificationem, & quoad exercitiũ: sed semper intrà rationem boni, ad differētiam voluntatis creatæ, quæ est indifferens ad vtrumlibet, & intrà rationem boni, & ad vtrumlibet, vel scilicèt bonum, vel malum; ergo, &c. Minor probatur; quia ratio cur Deus vult suum bonum Diuinum vt cõmunicabile ad intrà, velle omninò necesario, est; quia bonum diuinũ, vt

communicabile ad intrà, est omninò necessarium, & in esse, & in communicari; sed hęc omnimoda necessitas non reperitur in bono Diuino, vt communicabili ad extra, ergo, &c.

Dices: bonum Diuinum, etiam vt communicabile ad extrà, est bonum infinitum, & vt sic repręsentatum Diuinæ voluntati ab intellectu Diuino, cognitione infinita; sed bonum infinitum, vt sic repręsentatum, determinat Diuinam voluntatem ad exercitium actus. Probatur minor; quia ratio cur voluntas creata sit libera, est quia repræsentatur ei bonum inadæquatum, & finitum cognitione inadæquata, à quo bono voluntas non determinatur, quoad exercitium; sed hæc ratio non militat in bono Diuino vt communicabili ad extrà; quia huiusmodi bonum vt sic, est infinitum, & repræsentatur voluntati cognitione comprehensiua, & infinita.

Respondeo primò: distinguo maiorem; bonum Diuinum vt communicabile ad extrà, est bonum infinitum participabile adęquatè ad extrà, & nego; vt participabile inadęquatè, & diminutè, & concedo. Primo modo, determinat voluntatem, quoad exercitium actus. Secundo verò modo, non item; & hæc responsio est iuxtà primum fundamentum assertæ conclusionis.

Respondeo secūdò, iuxtà secundùm fundamentum: bonum Diuinum, vt communicabile ad extrà est infinitum communicabile necessariò ad extrà, & nego; communicabile ad extra liberè, & cōcedo: obiectum infinitum determinans voluntatem Diuinam ad exercitium actus, est bonum infinitum, vt necesariò communicabile, nō autem bonum vt communicabile ex libera Dei voluntate, & huiusmodi est bonum Diuinum vt communicabile ad extrà, non solùm actualibus creaturis; sed etiam possibilibus, vt infrà clarius probabitur.

Tertia conclusio, Deus, siuè voluntas Diuina non ex necesitate; sed liberè vult creaturas vt possibiles; ità, scilicèt, eas voluit Deus ab æterno, vt in priori potuit nō velle. Conclusio, vt suprà dixi controuersa est; eam enim negant, non solùm complures ex antiquis, & doctis Theologis; sed etiā complures Docti recentiores, præsertim, & Palumbūs, & Fasolus *loc. sup. cit.* qui contendunt, Deum eodem velle necessario, quo vult suam bonitatem, vt communicabilem ad extrà, velle adhuc creaturas vt possibiles, non quidem velle necessario efficaci; sed velle necessario complacentię. Pręcipuum autem eorum fundamentum est; quia Deus eodem velle, quo vult suam Diuinam bonitatem vt communicabilem ad extrà, vult etiam creaturas vt possibiles: sicut eadem cognitione formaliter, qua Deus cognoscit se vt causam creaturarum, cognoscit creaturas, saltem vt possibiles; sed velle, quo Deus vult suam diuinam bonitatem vt cōmunicabilem ad extrà, est velle necessariū simplicis complacentiæ; ergo, &c. Citatur pro hac opinione Scotus in *3. dist. 32. qu. 1. circa princ.* vbi etsi concedat, omnia possibilia diligi à Deo, volitione quadam complacentiæ, non efficaci: tamen statim non obscurè significat non esse volitionem necessariam; sed vt videre est in fonte, loquitur Scotus de necessario ex se, & simpliciter; quomodò necessarius est Deus solus; nihil enim, inquit, aliud à Deo; in quocumque esse, est ex se necessarium: ex quo concludit, quod pręductum velle complacentiæ, quod est creaturarum possibilium, non habet tātam necessitatem, quantam habet, proùt dicit habitudinem ad increatam bonitatem: & sensus est, quod bonitas Diuina est bonitas à se; bonitas verò possibilium creaturarum est bonitas essentialiter dependens à Diuina bonitate, quod non est contra conclusionem assertam. Conclusio sumitur à Thoma *p. p. quæst. 19. art. 3. in corpore,* absolutè docet, quod alia a se Deum velle non est necessarium absolutè, & in *art. 6. eiusdem quæstionis,* docet, quod Deus non quæcumque vult, ex necessitate vult.

Neque verum est, quod respondet Fasolus *loc. sup. cit.* S. Thomam loquutum esse de creaturis actualibus; non autem de creaturis possibilibus. Neque verum est, quod ex illis verbis, non quæcumque vult Deus ex necessitate vult, quod S. Thomas deducit potiùs ex necessitate Deum velle quædam; nimirùm, possibilia, non actualia; nam S. Doctor loquitur de alijs extrà Deum vniuersaliter, quod manifestè declarat *pręcitat. ar. 3.* in quo inquirit, vtrum quicquid Deus vult, ex necessitate velit, & in corpore articuli respondet his verbis. Alia autem à se Deus vult, inquantùm ordinantur ad suam bonitatem, vt in finem; ea autem, quæ sunt ad finem, non ex necesitate volumus volentes finem, nisi sint talia, sine quibus finis esse nō potest, sicut volumus cibū, volentes conseruationem vitę; & nauem, volētes trāsfretare. Non sic autem ex necessitate volumus ea, sine quibus finis esse potest; sicut equū ad ambulādū; quia sine hoc possumus ire: & eadē ratio est in alijs, vt ex hoc principio probat, ꝗ creaturæ vniuersaliter, siuè actuales, nimirū, siuè possibiles; q̄a loquitur de

de alijs à Deo sine vlla limitatione: & hæc non sunt, sine quibus bonitas Dei esse non potest; sed sunt sine quibus Dei bonitas esse potest, quod probat, quia bonitas Dei est perfecta etiam sine alijs à Deo, cum nihil perfectionis accrescit bonitati Diuinæ ex alijs; vndè infert, quod Deum velle alia a se non sit necessarium absolutè; sed tantùm necessarium ex suppositione; supposito enim quod velit, non potest non velle; quia non potest voluntas Dei mutari. In hoc discursu S. Thomæ fundatur.

Ratio conlusionis: nimirùm, creaturę possibiles secundùm se, & absolutè secundũ earum esse formale, & intrinsecum, distinctum ab esse Dei, sunt terminus contingẽs, scilicet, quem in priori naturę potuit Deus non velle; etenim possibile obiectiuum extrà Deum, de quo nos loquimur, refertur ad decretum antecedens liberum Diuinę voluntatis, vel absolutum, vel conditionatum ex parte actus; in priori autem naturę, vt supra ostendimus, potuit Deus non velle creaturas possibiles, cum Deus, sit prima causa libera omnium extrà se; sed velle termini diuini, vt est velle termini contingẽtis, & liberi, est liberum formaliter; quia est termini non necessariò connexi cum obiecto formali, & primario voluntatis Diuinæ, quod est bonum Diuinum, quatenùs est participabile per similitudinem ad extrà; ergò, &c.

Obijcies primò. Fundamentum Fasoli *loc. sup. cit.* Deus, siuè Diuina voluntas ideò vult alia à se; quia vult bonitatem suam, quæ est infinita participabilitas omnium bonorum, in illa eminenter contentorum; sed vult Deus bonitatem suam velle necessario, necessitate absoluta, nimirùm, vt finem vltimum; ergo eodem velle necessario vult creaturas, saltem vt posibiles; quia istæ sunt essentialiter ordinatę, vt ad finem, ad bonitatem Diuinam.

Confirmatur, quia non potest voluntas Dei velle sui bonitatem perfectè, nisi eam velit vt participibilem ad extrà; participabilitas verò Diuinæ bonitatis ad extrà, est propria creaturarum vt possibilium; hanc autem participabilitatem vult Deus velle necessario; ergo eodem velle necessario vult creaturas etiam vt possibiles. Vis huius rationis fundatur in hoc; quia Deus non potest velle alia extrà se, nisi eodem velle, quo vult suam bonitatem, vt causam saltem finalem, omnium bonorum, quæ sunt extrà Deum: nàm, vt inquit Fasolus, hac in re philosophandum est de velle creaturarum possibilium, prout Deus illas vult eodem modo; sicut philosophandum est de visione possibilium creaturarum extrà Deum in Deo viso; sed Deus non potest cognoscere creaturas vt possibililes, nisi eadem cognitione, qua cognoscit se, vt causam aliorum extra se; ergò pariter, &c. & probatur assumptum; quia non potest esse, neque cognitio, neque volitio in Deo, sine suo obiecto formali terminatiuo, quod est principiũ formale terminandi cognitionem ad cętera; sed hoc obiectum formale non potest esse nisi Deus, vt causa aliorum extrà se; ergo, &c. Eodem fundamento probat etiam Palũbus eãdem conclusionem, nimirũ, Deũ necessariò velle creaturas possibiles, quatenùs .s. Deus amore complacentię vult eas.

Quod si eis respondeas, quod creaturæ possibiles, vt docet S. Th. *præcit. ar. 3.* nõ sũt necessarię ad diuinã bonitatẽ, vt ad finẽ.

Respondent primò: S. Thomam loqui de creaturis actualibus, non vt posibilibus. Secundò respondent, negando antecedens; quia Deus necessariò est imitabilis, & participabilis à creaturis; participabilitas autem dicit connexionem necessariam ad potentia participare, quæ sunt creaturæ vt possibiles; & hæc, inquiunt, est à priori, causa, cur rectè dicatur, quod si creaturæ non essent possibiles, Deus non esset; quia non esset in Deo ratio primi imitabilis, & participabilis; ac proindè Deus de se non esset prima rerum causa, & prima imitabilitas; idque etiam probant authoritate S. Th. qui *sup. cit. ar. 3.* dicit in corpore articuli, quod Deus necessariò vult suã diuinã bonitatem; non potest autem uelle necessariò suam Diuinam bonitatẽ, nisi eodem velle velit etiam creaturas vt posibiles; quia diuina bonitas est essentialiter participabilis à creaturis vt posibilibus.

Quod si secundò obijcias, non posse dari velle liberum in actu secundo sine termino formali libero; sed hic terminus, secundùm prædictos Theologos, non est asignabilis; quia terminus primarius, & formalis velle diuini est bonum diuinum, vt necessariò volitum.

Respondent Palumbus ex suis principijs, velle diuinum esse liberum formaliter, quatenùs velle, quod est necessarium respectu boni diuini necessarij, & possibilium creaturarum; siuè quatenùs est velle diuinæ bonitatis, vt causę necessariæ possibilitatis creaturarum, sit velle termini contingentis, quod est existens ex nihilo.

Sed vtraq; responsio est fuga potiùs, quã solutio, & quidẽ prima respõsio est manifesta fuga; nàm vt diximus S. Th. loquitur de

velle aliorum extrà se vniuersaliter, & absolutè, cum loquatur de velle aliorum extra se, sine vlla limitatione obiectiua. Secũda verò responsio adhuc facilè reijcitur, & impugnatur; quia, vt suprà ostendimus, possibile obiectiuum extra Deum refertur essentialiter ad antecedens decretum liberum Diuinæ voluntatis, factè n conditionatum ex parte actus.

Respondeo, ad principale argumentum ex supradictis, distinguendo maiorem; scilicèt, Deum velle suam Diuinam bonitatē, vt participabilem a creaturis possibilibus velle necessario, identicè, concedo; quia hoc velle liberũ, vel est identicè ipsummet velle necessarium, quo Deus vult suam bonitatem communicabilem ad intra, posito iudicio practico intellectus, repræsentante voluntati, aut imperante voluntati Diuinæ per modum intimationis, quid agendũ; vel est actus volitionis virtualiter sequens velle necessarium, posito prædicto iudicio practico: velle necessario formaliter, & nego; distinctio hæc persimilis est distinctioni, qua docti Theologi dicunt, Patrem in Diuinis producere Filium, scientia, quę est identicè scientia visionis, & non formaliter.

Ad secundam instantiam, quod velle liberum non potest esse sine suo termino formali; sed hic terminus non est assignabilis intrà Deum, &c.

Respõdeo, nego minorē; hic enim terminus formalis est Deus, vt causa libera, quę est ratio prior creaturę, tũ possibilis, tũ actualis extra Deum; Deus enim non potest velle seipsum, vt causam liberam, velle necessario formaliter; quia sicut Deus est liberè causãs, ità in priori potuit liberè nõ causare.

Obijcies secundò. Fundamentum Bassoli, *q.1. ar.1.* quem sequitur Palumbus *loc. supr. citat.* creaturæ vt possibiles sunt necessariò participationes Diuinæ essentiæ; participationes autem necessarias vult Deus, siuè Diuina voluntas velle necessario, simplicis tamen complacentiæ; fertur enim Diuina voluntas in bonum Diuinum, eo modo, quo illud est ex natura sua; sed ex natura sua bonum Diuinum est essentialiter imitabile, & participabile: primum verò participabile est necessaria causa sui participatiui; implicat enim esse primum imitabile sine sui primo imitatiuo, & participatiuo.

Neque obstat si dicas, quod Bassolus ait *dicta citata qu.1. ar.3.* Deum amare se liberè, nàm statim.

Respondet Palumbus, quod Bassolus appellat agens liberum eo loco, cui respondet actio sine violentia, itaùt actio voluntatis sine violentia, etiam si non adsit indifferentia, sit libera, & agere liberum; non autem appellat agens liberum, quod contradistinguitur ab agente naturali, quod agit vt natura quædam, cuius necessitas non est coactionis, vt docet S. Thomas *quæst.23. artic. 4. de Veritate*, sed naturalis ordinis.

Respondeo ad principale: negando maiorem; omne enim esse extra Deum etiam possibile, est effectus causæ primæ, quatenus est causa libera, vt suprà latè ostendimus.

Ad probationem respondeo cum distinctione; Deum esse essentialiter primum imitabile necessariũ in essendo, non autem necessarium in causando; primum imitabile vt causa necessaria, si daretur, vtique participaretur necessariò à sui participatiuo; at Deo, vt suprà ostendimus, repugnat omnis ratio causæ necessariæ.

Obijcies tertiò ex alijs, qui contendunt, quod creaturæ possibiles nullam habent bonitatem, ac proindè à Deo non amantur, nec liberè, nec necessariò, nec simplici complacentia, neq amore efficaci; quam opinionem tribuunt D. Thomæ *1. contra Gentes*, & Ferrariensi *cap.61. & 4. contra Gentes c.13* Bann. *p.p.q.34. ar.3.* & alij: amor, & volũtas sunt boni intellecti; quia sunt inclinatio naturę intellectualis; sed rerum quidditates, sub statu purę possibilitatis, nullam rationem bonitatis habent, qua possint actu simplicem complacentiam. Diuinæ voluntatis terminare, idque probatur primò à priori; quia bonitas non sequitur ens absolutè, & simpliciter, sicuti verum; sed sequitur ens quatenus est actu; sequitur enim ens inquantùm est perfectum; etenim bonum est appetibile, vnumquodque autem appetit suam perfectionem; sed creaturæ vt possibiles, vt sic non sunt ens actu; ergo vt sic, ne fundamentaliter quidem sunt bonum aliquod; quia creatura vt possibilis contradiuiditur à seipsa, vt actuali. Secundò, probatur explicatione; quia in obiecto, quod amatur, vel quod voluntas vult, velle, siuè amore simplicis complacentiæ, debet asse aliqua bonitas, quæ terminat actum simplicis cõplacentiæ; hæc autem bonitas, vel debet esse existentiæ, seù ordo ad existentiam, vel debet esse actualitas essentialis, quæ non est aliud, nisi connexio necessaria, & intrinseca; sed nullũ horum reperitur in possibilibus creaturis sub statu purę possibilitatis: probatur; non reperitur existentia, quia crea-

creatura vt possibilis contradiuiditur à seipsa vt actuali; ex membris autem diuidentibus vnum excludit a se rationem formalem alterius; neque ordo ad existentiam reperitur in creatura vt possibili; quia ordo ad existentiã, requirit aliquam existentiam in actu, vt videre est in materia prima, quę ex eo quod dicit essentialem ordinem ad existentiam semper est cum aliqua existentia in actu; sed creatura vt possibilis nullam dicit existentiam in actu, quantùm est ex se; quia dantur creaturæ possibiles, quę non sunt, neque fuerunt, neque erunt. Neque denique in possibilibus creaturis sub statu possibilitatis reperitur actualitas essentiæ, præsertìm obiectiuæ; quia hæc, vt dictũ est, est connexio intrinseca, & essentialis prędicatorum essentialium; hęc autem connexio, non potest esse sine actuali existentia; sed creatura vt possibilis vt sic, sub statu possibilitatis non dicit actualem existentiam; ergo, &c.

Respondeo primò, in hoc articulo sermonem esse de possibilibus creaturis positiuis, non autem negatiuis; possibile enim vt fusè explicauimus *quæst*. 1. sicut, & ens reale aliud est positiuum, & aliud est negatiuum; prędicta argumenta fortè vim haberent, si asserta conclusio intelligeretur de possibilibus negatiuis.

Respondeo secundò: in creaturis vt possibilibus positiuis, etiam sub statu puræ possibilitatis, esse formaliter sufficientem bonitatem realem positiuam ad terminandum amorem, siuè velle simplicis complacentię, non solùm iuxtà opinionem dicentium creaturas esse possibiles formaliter extrà Deum, ex eo præcisè, quod Deus est essentialiter omnipotẽs; verùm etiam iuxtà opinionem asserentium, creaturas vt possibiles sub statu puræ possibilitatis supponere in Deo decretum liberum Diuinæ voluntatis conditionatum ex parte actus; de his enim possibilibus creaturis verificatur, quod neque fuerunt, neque sunt, neque erunt; & ratio est; quia esse formale, & intrinsecum possibilium creaturarum positiuarum est ens essentialiter positiuum distinctum ab esse Dei, cum sit illud ipsum secundùm entitatem, quod est quando producitur, vel quod esset, si produceretur realiter; sed quatenùs relatè ad causam in priori naturæ in eodem instanti, in quo causat, vel quatenùs prius natura est potens produci, quàm sit actu productum. Ad rationem à priori autem.

Respondeo bonitatem, quæ est passio trascendẽtalis fundari in ente, quatenùs est actu extrà sui nihilum, non autem quatenus est ens actu completum in suo genere; bonitas enim trascendentalis consequitur immediatè actualitatem entis trascendentem, non autem actualitatem entis specialem; quia illa conuenit omni enti, non hęc; actualitas autem trascendentalis reperitur formaliter in possibilibus creaturis positiuis etiã sub statu puræ possibilitatis; sicut reperitur in futuro conditionato, quod sequitur ex decreto libero conditionato ex parte actus, vt suprà demostrauimus, nam possibile positiuum est extrà possibile negatiuum. Ad secundam rationem.

Respondeo, in possibilibus creaturis positiuis, etiam sub statu puræ possibilitatis, reperiri actualitatem distinctam ab actualitate Dei; quia realiter essent, si Deus realiter vellet illas producere, & sub dicto statu puræ possibilitatis terminant velle Diuinum simplicis complacentiæ; quia haberent esse realiter, sufficiens ad terminãdum complacentiam Diuinæ voluntatis de earum compossibilitate.

Neque dicas, quod creaturæ puræ possibiles, non habent esse reale, vt exercitum, & in re; sed solùm in mente concipientis; nimirùm, habent esse conceptibile, & signabile; sed ad terminandum velle etiam simplicis complacentiæ requiritur esse, vt exercitum, & in re; non autem signatum, & conceptum. Maior probatur; quia esse possibilis creaturæ conditionatæ vt exercitum, & in re debet præsupponere conceptum liberum Diuinæ voluntatis, in Deo subiectiuè existens, antè velle simplicis cõplacentiæ Diuinæ voluntasis; quia omnis effectus supponit sui causam; sed hoc decretum nunquam exercitè erit in Diuina voluntate.

Respondeo enim: distinguo maiorem, nõ habent esse vt exercitum, & in re absolutum, & concedo; conditionatè, nimirùm, si Deus vellet producere illas, & nego: essent enim creaturæ puræ possibiles realiter, & exercitè si vellet Deus illas creare. Hęc doctrina facilè intelligitur exẽplo futuri conditionati ex parte actus Diuinę voluntatis, vt v.g. Petrus infallibiliter assentiret Diuinæ vocationi ad pęnitentiam, si Deus illum efficaciter vocaret, quod quidem futurum, secundùm probabilem multorum opinionem cognoscitur etiam scientia visionis, de quo fusè suo loco dicetur *tomo* 2.

Hęc responsio duriuscula est Theologis, qui dicunt, veritates omnes conditionatas præsupponere in Deo decretum liberum Di-

Diuinæ voluntatis, conditionatum tantùm ex parte obiecti, non autem ex parte actus, vtv.g est decretum, quo Deus actu vult concurrere cum Petro ad actum pęnitentię, si cognouisset Petrum vocatum à Deo ad actum pęnitentiæ; consensurum vocationi; sed vt suo loco dicetur, non est ponendum in Deo hoc decretum: sed solùm ponitur in Deo decretum huiusmodi, quando fūdatur promissione Diuina, vt est decretū, quo Deus actu statuit, quod si quis peccet peccato finali, moriatur æternaliter, uel si quis iustus perseueret finaliter, beatificetur in ęternum: quoniam huiusmodi decreta sunt per modum legis, quæ debet actu esse statuta; sed de possibilibus creaturis, quæ nunquam erunt, ponitur decretum, quod foret realiter, si Deus vellet, de quo fusè disputabitur, cum sermo erit de Diuina scientia, & libertate Dei; hoc enim tantummodò decretum sufficit.

Neque contrarium huius docuit S. Thomas 1. *contra Gentes cap.* 80. *& cap.* 81. tantummodò enim S. Thomas *cap. præcitat.* 81. docet, quod Deus non de necessitate vult alia à se: cuius ratio est primò; quia potuit Diuina voluntas in priori naturæ velle nō esse quamcumque rem, pręter Deum; neque ex hoc minuitur aliquid perfectionis Diuinæ voluntati; sed cum hoc velle in Deo, inquit S. Thomas *ratione* 2. est voluntas secundùm totam suam facultatem; quia in Deo est omnis perfectio, & formalis, & eminentialis, quæ est obiectum formale, & primarium Diuinæ voluntatis; non enim Deus de necessitate vult esse alia à se.

Solùm difficultas esse potest, quia Deus, vt docet etiam S. Thomas prædicto loco, de necessitate vult suum esse, & suam bonitatem; sed ex hoc sequitur, Deum velle alia à se etiam de necessitate, saltem voluntate simplicis complacentiæ. Sed hęc difficultas suprà iam resoluta est; esse enim, siuè bonum Diuinum dupliciter sumi potest, vno modo vt communicabile ad intrà; alio modo vt cōmunicabile ad extrà. Primo modo, Deus de necessitate vult suum suum esse, & suum bonum, & quantùm ad specificationem, & quantùm ad exercitium. Sed secundo modo, Deus vult suum esse, & suum bonum, velle libero; & disparitas est; quia esse, & bonum Diuinum primo modo est omninò necessarium, & nullo modo liberum. Secundo verò modo, est liberum in causando; quia Deus est causa prima libera rerum omnium extrà se.

Dices fortè: quælibet potentia dicit necessariam habitudinem ad suum obiectum formale, siuè primarium; sed bonum Diuinum etiam vt participabile à creaturis est obiectum formale voluntatis Diuinæ; ergo voluntas Diuina dicit necessariam, & essētialem habitudinem ad bonum *Diuinum*, vt participabile à creaturis; ergo vult suum bonum Diuinum velle necessario omnimoda necessitate.

Respondeo: potentiam actiuam aliam esse naturalem, aliam esse liberam, saltem libertate actus ad diuersos terminos, siuè effectus; potentia naturalis dicit necessariam habitudinem ad suum obiectum formale. & necessitate specificationis, & necessitate exercitij; causa etenim naturalis non potest, nisi vno, & eodem modo saltem in specie; potentia verò libera dicit solùm habitudinem necessariam ad suum obiectum formale necessitate specificationis; indifferentia enim potentiæ liberæ ad vtrumlibet, non est ad obiectum formale, & primarium; sed ad obiectum materiale, quod non habet necessariam connexionem cum obiecto formali, & primario. Cum S. Thomas *dicit p.p. q.* 19. *artic.* 3. *&* 1. *contra Gentes cap.* 81. quod voluntas Diuina necessariam habitudinem habet ad bonitatem suam, quæ est propriū eius obiectum; vel intelligendus est de voluntate, qua Deus vult suam bonitatem communicabilem ad intrà, vel de voluntate Diuina in ordine ad bonum Diuinū, vt participabile specificatiuè, imperio sui Diuini intellectus. Primo modo, volūtas Diuina vult suam Diuinam bonitatem velle omninò necessario, & quoad specificationem: & quoad exercitium. Secundo verò modo habet tantùm necessariam *habitudinem* ad bonum Diuinum necessitate *specificationis*, non autem necessitate *exercitij*; sed quantùm ad exercitium est *libera* formaliter, non quidem in *essendo*; sed tantùm in volendo, seù in causando. Ex his facillimè soluuntur argumenta posita initio huius articuli.

Respondeo enim ad primum, quo dicitur, quod Spiritus Sanctus per se procedit à Patre, Filioque, amore, siuè actu voluntatis, quatenùs etiam est formaliter amor possibilium creaturarum; sed secundùm earum formale, nego maiorem: etenim processio, siuè productio Spiritus Sancti est omninò necessaria; sicut, & Verbi Diuini productio; velle autem omninò necessariū Diuinę voluntatis per se, & formaliter fertur in bonum Diuinum vt communicabile ad intrà; quia fertur ad bonum Diuinum, vt necessarium necessitate, & specificationis, & exercitij; est enim discurrendum eodem

dem modo de productione Verbi Diuini, ac de productioni Spiritus Sancti, cum sit par ratio de vtroque.

Ad secundum argumentum, quo dicitur, quod Deus vult suum bonum Diuinum, & vt communicabile ad intrà, & ad extrà velle necessario, &c.

Respondeo; nego maiorem! ad probationem, qua dicitur, quod Deus vult suum suum bonum Diuinum vt propositum suæ voluntati ab intellectu Diuino cognitione infinita, & comprehensiua; hoc autem est necessariò volitum, quia determinat voluntatem.

Respondeo ex dictis, bonum Diuinum, licet sit in se infinitum, tamen vt communicabile ad extrà, est communicabile modo libero; quia non est communicabile adęquatè, idest secundùm omnem suę bonitatis rationem; sed diminutè, & ideò est communicabile modo libero, non modo necessario; sicut communicabile est ad intrà, & sic est obiectum formale velle Diuini liberi.

Respondeo ad tertiam rationem, ducentem ad impossibile, scilicet, si Deus non vellet se necessariò, vt bonum communicabile ad extrà; ergo posset se non actu velle esse communicabile ad extrà: ergo posset nihil actu velle, &c. concedo sequelam primam, & secundam; sed nego, hoc esse impossibile; quia, vt suprà sępè repetiuimus cũ S. Thoma, tota perfectio Diuinæ voluntatiss; sicut, & cuiuslibet prædicati existentis in Deo est ab esse, & tota perfectio propria Diuinę voluntatis est à suo obiecto formali, & primario, vt est bonum diuinum cõmunicabile ad intrà, vel est à bono diuino, quatenùs est necessarium in essendo, non autem quatenùs est liberum in causando; quia vt liberum in causando est ratio posterior, & libertas in causando nihil perfectionis addit bono Diuino, vt necessario in essendo.

Quod si dicas: ex hac doctrina sequi, Deũ posse esse volentẽ in potentia tantùm, quod est impossibile, cum suum uelle etiam liberum, sit suum esse.

Respondeo: negando assumptum; quia libertas in Deo non est ex indifferentia potentiæ ad diuersos actus; sed est ex indifferentia unius, & eiusdem actus ad diuersos terminos; in Deo etenim datur potentia actiua, non quatenùs est principium actus, sed quatenùs est principium effectus, qui est terminus materialis Diuinæ potentię, quę est doctrina S. Thomæ *p.p.q.25.* sed hoc fusiùs, & pleniùs explicabitur in *q. de Diuina libertate, & de scientia Dei, tom.2.* Hic adnotandum solùm uolo, quod semper mihi difficillimum uisum est, Deum uelle necessariò suum bonum diuinum, ut communicabile ad extrà per similitudinem, & hoc uelle, esse liberum præcisè, ex eo quia seipso sit uelle termini contingentis, & materialis; quandoquidem bonum diuinum est sibi ratio formalis, & primaria uolendi alia à se; potentia autem eodem modo fertur, quoad exercitium, ad suum obiectum formale, & ad obiecta materialia. Insuper differt velle, quo Deus uult creaturas, ut actuales in aliqua temporis differentia, à uelle, quo uult creaturas ut possibiles, secundùm earum esse formale extrà Deum; nam hoc uelle est simplicis complacentię; illud autem addit efficacitatem, per quam Deus uult communicare creaturis possibilibus, etiam existentiam exercitam, & actualem, in aliqua temporis differentia; & hoc uelle efficax Theologi uolunt, esse uelle simpliciter, & absolutè, quod colligunt S.Th. *p.p.q.9.& lib.1, cõtra Gentes*, an autem uelle simplicis complacentiæ aliquam habeat efficaciam fusè ex-explicabitur cum sermo erit de uoluntate, qua Deus præmouet motione sufficienti uoluntatem ad operandum, ut enim dicetur, hæc adhuc est suo modo efficax; dicitur uerò simplicis complacentiæ; quia hac uoluntate Deus non uult efficaciter dare possibilibus creaturis existẽtiam exercitam in aliqua temporis differentia; undè oritur cur Deus sit omnisciens, & non omniuolens; quia, nimirùm, Deus, non uult omnibus possibilibus, quæ cognoscit, communicare existentiam exercitam in aliqua temporis differentia; omnes tamen creaturas, tàm purè possibiles, secundùm omnium earum prædicata cognoscit, ut fusiùs dicetur *tom.2.*

Neque denique obstat, cum dicitur, Deũ cognoscere se, ut communicabilem ad extrà cognitione, & modo infinito, siuè uelle se, ut communicabilem ad extrà uelle infinito; nàm uult se, ut bonum communicabile ad extrà, modo infinito libero in causando, & non modo infinito necessario in causando; quandoquidem Deus non est communicabilis ad extrà modo necessario, sed modo libero; quia bonum Diuinum non est in essendo necessariò connexum cum creaturis etiam in esse possibili; idem dicendum est, si dicatur bonum diuinum, esse bonum infinitum; hoc autem necessitat uolũtatem, quia adæquat illam in uolendo; bonum etenim infinitum, potest uoluntas uelle modo necessario, & modo libero; libertas

tas enim, & necessitas in volendo, non sunt ex re volita in voluntate; sed ex modo volendi, vel libero, vel necessario, quia res volita est obiectum materiale; modus verò volendi, vel necessarius, vel liber, sunt obiectum formale, à quo est specificatio. Quando igitur obiectum non est volibile, nisi necessariò, tunc velle, proùt est huius obiecti est, necessarium; quando verò est volibile modo libero, licet res volita sit necessaria in se, velle eius est liberum.

Illud solùm in hoc videtur facere difficultatem; quia Deus vult suum bonum vt communicabile ad extrà, velle infinito; quia Deus non potest velle se communicare ad extrà, nisi vt primum volens; primum autem volens, vult modo infinito; sed velle modo infinito necessitat voluntatem; quia adæquat voluntatem, & explet; vbi autem est adæquatio, non potest esse libertas; quia intellectus non relinquit rationem repræsentandam in oppositum; ob quam causam in priori naturæ potuerit non velle, vt probabitur fusè cum sermo erit de libertate, tùm creatæ, tùm Diuinę voluntatis; sed hoc ex dictis non difficilè soluitur.

Respondeo enim primò: distinguo maiorem, quæ duplicem potest habere sensum. Primus sensus est, quod Deus velle infinito vult suum bonum communicandum; quia vult illum communicare, secundum omnem gradum suæ bonitatis. Secundus sensus est, quod Deus velle infinito, siuè modo infinito vult suum bonum vt communicabile ad extrà; quia velle omninò independente à priori mouente, vult cõmunicare suũ bonũ in aliquo gradu bonitatis creaturis. Primus sensus est falsus; quia Deus est incommunicabilis adæquatè ad extrà, cum sit efficiens analogum, non vniuocum; agens autem analogum, non est adęquatè communicabile, secùs non esset efficiens analogum, sed vniuocum. Secundus sensus verus est; sed in hoc sensu falsa est minor, quod, scilicèt, velle infinitum in hoc sensu adęquat voluntatem Dei, vt ex terminis ipsis manifestum est.

Respondeo secundò: bonum infinitum necessitare voluntatem, quando repręsentatur ab intellectu voluntati, vt bonum necessariò connexum cum possibilibus creaturis: non verò quando repræsentantur vt nõ necessariò connexum, vel quando repræsentantur voluntati bonum vt causa necessaria in causando: non autem quando repręsentatur voluntati vt causa libera in causando; intellectus Diuinus repręsentat voluntati diuinæ diuinam bonitatem, vt causam liberam in causando; non autem vt causam necessariam, & vt connexam connexione libera in causando, non autem connexione necessaria: sit ne verò hoc velle liberum Dei, distinctum à velle necessariò virtualiter, an non; suo solo loco plenè dicetur.



QVÆ-

# QVAESTIO QVINTA.

## DE

# METAPHYSICA

## VNIVERSALISSIMA.

### De ente reali possibili, & actuali subiectiuo.

Væstio hęc eadem formaliter est, ac quęstio de essentia, & existentia, siuè subiectiuis, quę sũt essentia, & existentia entis creati cõpleti in genere entis, nimirùm, entis creati actu existentis, siuè obiectiuis, quæ sunt potentia, & actus obiecti potentiæ creatiuæ. Potentia subiectiua, & actus subiectiuus in ratione entis, sunt primæ differentiæ entis, iuxtà Angelici Doctoris sententiam; iuxtà verò Scoti sententiam, primæ differentiæ entis creati, sunt potentia obiectiua, et actus obiectiuus. Proponitur hæc quęstio discutienda præcipuè de essentia, & existentia subiectiuis, in entibus creatis; tùm quia facilior est, quàm quæstio, tàm de essentia, & existentia entis communis Deo, & creaturis; tùm quia eius resolutio præbet fundamentum ad intelligenda multa de essentia, & existẽtia entis in communi, & de essentia, & existentia, quæ sunt in Deo.

Definitur autem definitione quid nominis essentia in communi. Principium primum intrinsecum omnium, quæ sunt in ente reali positiuo. Cuius ratio est; quia essentia in communi in re, est idem, quod natura, cum hac sola diuersitate, quod essentia dicitur ab esse; nimirùm, vel quia essentia est primum, quod existit in ente; vel quia essentia est primum, quo ens est aptum realiter existere; natura verò dicitur; quia est principium primum operationis, vel quietis insitæ; sed natura est primum principium, & causa prima cæterorum, quę sũt in ente; ergo essentia debet esse primum principium omnium, proùt existunt in ente; eadem verò essentia dicitur etiam quidditas in ordine ad quæsitum quid sit res.

Existentia verò adhuc definitione quid nominis definitur à S. Thoma *p.p. q.3. ar.4.* actualitas omnis naturæ, siuè formæ, nimirùm actualitas, qua essentia, quæ est primũ omnium, quæ existunt in ente, actu existit; nimirùm est actualitas, qua essentia, quæ ex suis prædicatis essentialibus, non repugnat esse, siuè existere, fit actu existens; quęnam autem sit hæc actualitas, infrà suis lo-

eis explicabitur. Solùm hic adnotãdum est, quod essentia vt sic extra quęstionem, in qua determinatur à prędicato quęstionis, non necessariò debet esse principium primum intrinsecum adæquatum; quoniam essentia vt sic in generali dicitur primum in ente; hoc autem potest esse principium primum non solùm adęquatum, quod dicit omnia prædicata essentia vnius rei, vt v.g. natura humana, quæ dicit animal, & rationale adæquatè; verùm etiam esse potest principium primum inadęquatũ, quod in creatis, vel est solum prædicatum genericum, vt animal in homine, vel solùm prędicatum differentiale, vt rationale; quia actu existere, vel posse existere realiter conuenit, tàm essenciæ completę, quàm essentiæ incompletæ: quæ doctrina intelligitur exemplo naturæ physicæ, quæ definitur ab Aristotele; primum principium motus, & quietis in eo, in quo est primò, & per se; hæc autem natura diuiditur deindè ab Aristotile in materiam, & formam.

Quod si primò dicas: essentia vt sic in generali dicitur, quæ non supponit in ente, in quo est aliam rationem essẽtialem priorem; sed ex prædicatis intrinsecis, & essentialibus, vnum est prius alio, vt v. g. animal in homine est prius, quàm rationale.

Respondeo cum distintcione: essentia in communi vt sic, non præsupponit rationẽ priorem essentialem adæquatam, & concedo: non præsupponit rationem priorem essentialem inadæquatam, & nego: etenim rationale est prędicatum essentiale, & quidditatiuum hominis; præsupponit tamen, vt rationem priorem essentialem inadęquatã, animal: idem dico de materia prima, quæ in homine, quatenus est quoddam totum physicum, est prius anima rationali, non quidem vt ratio prior adæquata; sed vt ratio prior inadæquata. Neque hæc prioritas tollit à forma rationali, quin sit adhuc prędicatum essentiale, quoniam primum inadæquatum est pars essentiæ, at pars admittit compartem ad vnum primum adæquatum; quia primum prędicatum essentiale inadæquatum est pars essentiæ; pars autem essentialis non excludit compartem ad constituendam vnam essentiam.

Quod si secundò dicas: essentia vt sic reperitur formaliter etiam in Deo; sed in Deo essentia, non est, quæ existit realiter, vel quæ potest realiter existere, neque in Deo existentia est actualitas; quia in Deo, existentia est essentialiter Dei essentia; actualitas verò essentię est extrà essentiam; quia dicit essentiam in obliquo, & subiectiuè.

Respondeo; dupliciter intelligi posse essentiam existere realiter, vel non esse implicantem vt existat realiter; vno modo, quia includit, intrà sui quidditatem, existentiam; alio modo, quia est receptiua realiter ex istẽtię. Essentia existens primo modo est essentia increata, seù Diuina; essentia existens secundo modo est essentia entis creati: verùm essentia realis in communi abstrahendo ab essentia Dei, & ab essentia creaturarum, suo modo pręscindit ab his diuersis modis existendi realiter.

Potest etiam dici, quod in Deo reperitur essentia, quatenus est existens, non autem quatenus est potens existere; essentia enim in creatis duo dicit, nimirùm, actu existere, & posse actu existere: in Deo reperitur essentia primo modo, non secundo modo; sicut potentia actiua in creatis duo dicit, esse principium effectus, & esse principium actualis operationis in Deo, vt docet S. Thomas *p.p.q.25.* est potentia actiua, secũdùm quod est principium effectus; non autem secundùm quod est principium actualis operationis, seù actionis.

Cùm deniq; dicitur, quod existentia vt sic non est actualitas essentiæ, siuè naturę; quia actualitas essentię est extra essentiam.

Respondetur, dupliciter intelligi posse existentiam esse actualitatem essentię; vno modo per inclusionem essentialem; alio modo, per intrinsecam actuationem: primo modo existentia in Deo est actualitas, siuè actus essentię, nimirùm, est actualitas, quę est intra Dei essentiam; essentia enim Dei est essentialiter actus purus: in creatis verò existentia est actualitas essentię secundo modo: quia ens creatum est esentialiter ens potentiale: hoc est, est ens habens essentiã; quæ fit actu existens per existentiam, qua actuatur. Cùm definitur existentia à S. Thoma actualitas omnis naturę, siuè essentię, sumitur actualitas, proùt pręscindit ab vtroque modo, nimirùm, ab vtraque actualitate, & ab actualitate, quę perficit essentiam per inclusionem essẽtialem, nimirùm, quia includitur intrà quidditatem essentię, & ab actualitate, quę complet essentiam in ratione entis actuando essentiam.

Essentia realis in communi definitur etiam à Suarez in sua met. *Disp.31.sec.6.nu.23.* id, quo primo aliquid constituitur intrà latitudinem entis realis, vt distinguitur ab ente ficto. Existentia verò definitur ab eodem: ratio essendi ens actu; & huius ratio est, quia ens reale formaliter pręscindit ab ente puro, & ab ente potentiali suo modo: in hoc autem ente pręscindente, ratione saltem

tem inadęquatè concipiente; alia est ratio, qua primò ens constituitur intrà latitudinem entis creati; et alia est ratio, qua ens reale contradistinctum ab ente ficto, est actu ens; nimirùm, completum in ratione entis: *tom. verò* 1. *suæ metaphicę disp.* 2. definit essentiam realem; primam rationem, qua vnumquodque ens, est aptum existere realiter. Existentiam verò definit, actualitatem, qua essentia realis, quæ scilicet non repugnat ex suis intrinsecis, vt sit existens, fit actualis, & existens. Alij definiunt essentiam, esse prima prædicata intrinseca, siuè prędicata essentialia omnium, quæ sunt in quolibet ente: existentiam verò definiunt, actualitatem, qua prędicata essentialia sunt actualia, siuè existentia.

Sed omnes istæ explicationes, vt dicetur *art.* 1. *huius quęstionis* sunt explicationes essentiæ, & existentiæ communiter dictarũ; nimirùm, secundùm earum communissimam significationem; non verò sunt explicationes essentiæ, & existentię propriè dictarum, quod non omnes Metaphysici aduerterunt; & indè fortè orta est cõtrarietas tot diuersarum opinionum inter Metaphysicos de distinctione essentiæ ab existẽtia in creatis. Definitur denique à S. Thoma *opusc.* 42. essentia; id quo ens est: existentia verò actus entis, siuè essentiæ; & sensus est, quod essentia est id, quo vt principio ens est; existentia verò est actus, quo essentia est, & ambæ definitiones intelligi possunt, tàm de essentia, & existentia subiectiuis, quã de essẽtia, & existẽtia obiectiuis.

## ARTICVLVS PRIMVS.

### De varijs essentiæ, & existentiæ diuisionibus.

VAriæ sunt diuisiones essentiæ, & existentiæ, quas explicandas suscipimus, non solùm ad determinandum subiectum scientificę quęstionis, quod debet esse determinati prędicati de determinato subiecto; sed etiam vt aperiatur via, & vt explicetur prima radix ad resoluendum omnia quęsita, quę de essentia, & existentia fieri possunt.

Prima diuisio est essentię, & existentię, in essentiam, & existentiam entis in essendo; & in essentiam, & existentiam entis in operando. Ratio diuisionis est; quia ens reale positiuum, aliud est in essendo, & aliud est in operando, siuè in agendo: ens in essendo est ens per formam, quæ est principium existendi, siuè quę est principium essendi ens, sine ordine ad operationem, vel ad actionem: ens verò in agendo, siuè in operando est ens per potentiam formalem operandi, v.g. ens quatenus est, vel potest esse extrà suum nihilum, dicitur ens in essendo; quatenùs verò potest operari, vel est actu operans, dicitur ens in operando; puta ignis, quatenus est existens extrà nihilum dicitur ens in essendo; quatenus verò potest producere, vel est actu producens alium ignem, dicitur ens in operando, siuè in agendo.

Secunda diuisio est essentię, & existentię in existentiam, & essẽtiam entis naturalis; & in essentiam, & existentiam entis intelligibilis, siuè cognoscibilis formaliter. Ens naturale hìc accipitur, proùt contradistinguitur ab ente cognoscibili, siuè intentionali formaliter; non autem proùt contradistinguitur ab ente supernaturali; diuisio fundatur in hoc principio: quia datur duplex ens, & naturale, & cognoscibile, siuè intentionale formaliter. Ens intentionale, siuè cognoscibile formaliter, est ens per formam, qua natura cognoscentis, siuè potentia cognitiua formaliter ponitur in genere sui obiecti formalis, vel potiùs fit suũ obiectum formale, & immediatum formaliter, vel per identitatem formalem, vel per formalem similitudinem, vt suo loco plenè probabitur; ens verò naturale, proùt contradistinguitur à cognoscibili, & intentionali formaliter, est ens per formam, qua est ipsum tantùm, quod competit non solùm entibus nõ cognoscẽtibus; sed etiã potẽtijs cognitiuis materialiter; etenim potẽtię cognitiuę, siuè naturę cognoscẽtiũ sunt in duplici genere, in genere entis naturalis actu; sunt enim ens naturale: potentia verò, sunt in genere sui cognoscibilis formaliter per speciem intentionalem sui cogoscibilis formalis, & immediati. Hęc distinctio duplicis entis potest alijs verbis explicari, ens nimirùm cognoscibile, siuè intentionale formaliter est, quatenus est perfectiuum formale potentię cognitiuę in genere sui obiecti formalis; ens verò naturale, dicitur quatenùs pręcisè est existens in sua natura, & consequenter non est perfectiuum formaliter potentię cognitiuę in genere sui obiecti formalis cognoscibilis: quam ob causam habitus omnes intellectiui, & naturales, & supernaturales, licet sint perfectiui potentię intellectiuę creatæ; tamen non sunt ens formaliter cognoscibile, siuè intentionale; quia non perficiunt intellectum in genere

sui obiecti formalis, & immediati; sed tantùm perficiunt potentiam, quatenus est pręcisè in genere potentiæ contradistinctæ à à suo obiecto formali. Prædictæ duæ diuisiones essentiæ, & existentię, sunt omnium vniuersalissimæ; quoniam cōueniunt Deo, & creaturis, non solùm quantùm ad diuisum; sed etiam quantùm ad omnia membra diuidentia; & probatur: in Deo enim formaliter reperiuntur, & essentia, & existentia in ratione agentis, & essentia, & existentia entis naturalis, & intelligibilis; sed remotis imperfectionibus, cùm quibus reperiuntur in creaturis.

Tertia diuisio essentiæ, & existentiæ est, in essentiam, & existentiam entis completi in rationo entis; & in esentiam, & existentiam entis formaliter communiter, quod scilicèt præscindit ab ente cōpleto, & incōpleto in ratione entis. Dico entis cōpleti, & incōpleti in ratione entis; quia duplex est ens cōpletū, & incōpletū, quātū ad rē præsētē pertinet; nimirū, cōpletū, & incōpletū in specie: vt homo, equus, leo, &c. sunt entia completa in specie; animal, & rationale, siuè materia, & forma substantialis, sunt entia incompleta in specie. Ens actu existens, siuè sit tota essentia specifica existens, siuè pars essentię specificæ, vt v.g. natura humana existens, & anima rationalis actu existens extrà materiam dicitur ens completum in ratione entis; quia dicunt essentiam completam, & perfectam suo actu intrinseco, quia est existentia, qua essentia, quæ de se non est actu existens, fit actu existens; quod ens, patet esse distinctum, & diuersum ab ente completo in specie; nàm hoc ens adæquatè est completum per potentiam essentialem, & actum essentialem, vt ex genere, & differentia, quę constituunt totam speciem; ens verò completum in ratione entis, potest esse ex parte essentiali speciei, & ex existentia, vt v. g. est anima rationalis existens extrà materiam, & ratio diuersitatis est: quia ens completum in ratione entis est formaliter per existentiam; ens verò completum in specie, est per actum esentialem, siuè physicum, siuè metaphysicum.

Ens autem formaliter vt sic, pręscindit ab ente completo, & ab ente incompleto; tùm in rationo entis, tùm in specie, e.g. ens completum in ratione entis est ens actu existens; esentia verò sola, vel sola existentia est solùm incompleta in ratione entis; quia est pars entis existentis. Ens completum in specie, est tota species ex genere, & differentia; pars verò speciei intrinseca est ens incompletum in specie, vt sola materia, vel sola forma substantialis; ens verò formaliter præscindit ab his.

Essentia, & existentia in ratione entis completi, quod est ens actu existens, sunt esentia, & existentia propriè, & rigorosè dictę: essentia verò, & existentia entis formaliter vt sic, sunt esentia, & existentia dictę per similitudinem metaphoricam, & imperfectam, & ratio huius in promptu est; quia esentia, & existentia formaliter, & propriè sunt in ente actu existente; ens verò formaliter vt sic pręscindit ab esentia, & existentia; quia pręscindit ab entibus incompletis in ratione entis; entia verò incompleta in ratione entis, sunt vel sola esentia, vel existentia entis completi in ratione entis, qua scilicèt esentia, quę poterat existere, actu existit, quod est esentiam esse completam in ratione entis; ergo in ente formaliter vt sic non reperiuntur esentia, & existentia, propriè, & rigorosè dictę; reperiuntur tamen in ente formaliter vt sic esentia, & existentia similitudinariè, & metaphoricè, quatenùs ens formaliter conceptibile est, vt potens esse extrà nihilum, & vt est actu extrà suum nihilum; quatenùs est potens, seù non repugnans esse extrà nihilum, dicitur ens esentiale; quatenùs verò est actu extrà suum nihilum, dicitur ens existentiale, per similitudinem, & metaphoricè cum esentia, & existentia entis existentis in actu, quod, scilicet, est completum per potentiam subiectiuam, & per actum subiectiuum in ratione entis. Prætereà sunt in ente formaliter vt sic, esentia & existentia similitudinariè, siuè per similitudinem, non per proprietatem; quia potentia, & actus in ente, abstrahente à completo, & incompleto in genere entis, non sunt primæ differentię entis, sed secundę; primę enim differentię entis, sunt potentia subiectiua, & actus subiectiuus in ratione entis, vt infrà dicetur.

Quarta diuisio esentię, & existentię, est in esētiā, & existentiā in ratione subiecti, idest, in esētiā subiectiuā, & in existētiā subiectiuā, & in esentiā, & in existētiā in ratione obiecti, siuè termini; idest in esētiam obiectiuam, & in existentiam obiectiuam. Ex his diuisio entis in esentiam subiectiuam, & existentiam subiectiuam eadem est formaliter, ac diuisio entis in potentiam subiectiuam, & in actum subiectiuum, & in essentiam, & existentiam en-

entis completi in genere entis. Secunda diuisio in essentiam obiectiuam, & in existentiam obiectiuam, est eadem formaliter, quod diuisio entis in potẽtiam obiectiuam, & in actum obiectiuum, siuè in essentiam, & existentiam entis formaliter: sed vtraque diuisio est diuisio entis creati, siuè essentiæ, & existentiæ entis creati; ens enim increatum est essentialiter actus purus in quo nullo modo possunt habere locum potentia, & actus in ratione obiecti, sicut neque potentia, & actus in ratione subiecti, siuè quod idem est, neque possunt habere locum essentia, & existentia obiectiua, sicut neque essentia, & existentia subiectiua. In Deo sunt quatenùs essentia subiectiua, siuè potentia subiectiua, & existentia subiectiua, siuè actus subiectiuus sunt essentia, & existẽtia in ente cõpleto in genere entis, quod est in Deo formaliter, essentia verò, & existẽtia obiectiua, sicut potentia obiectiua, & actus obiectiuus reperiuntur tantùm in omni ente creato, tam completo, quàm incompleto, siuè in ente tam creabili, & creato per se, quam in ente creato, siuè creabili cum alio.

Ex his vltimis diuisionibus prior est prioritate causæ diuisio entis in potentiam, & actum in ratione subiecti, quam diuisio entis in potentiam, & actum in ratione obiecti, & hæc è contrà prior, prioritate vniuersalitatis, & prædicationis, quam sit diuisio entis in potentiam, & in actũ in ratione obiecti; ratio primæ prioritatis est, quia potẽtia obiectiua, & actus obiectiuus, sunt differentiæ entis secundum quod est creabile, siuè producibile; sed causa prima cur ens sit creatum, vel creabile, est; quia in eo essentia est in potentia ad existẽtiam, quę sunt primæ differentiæ in ratione subiecti, quod est manifestum ex opposito, & ratione; ex opposito quidem; nam causa cur Deus sit ens increatum, & increabile, est; quia essentia in Deo non est essentialiter in potentia ad esse, cum sit essentialitẽr actus purus; ratione verò primò; quia potentia, & actus in ratione subiecti conueniunt enti creabili, siuè creato, secundùm absolutam, & intrinsecam rationem entis ex nihilo; at actus, & potentia in ratione obiecti, siuè termini, conueniunt enti creabili in ordine ad causam, potentem illud creare, siuè efficere; prius autem est ens secundùm absolutam rationem entis, quam sit idem ens, vt relatum ad sui causam productiuam, & effectiuam; sicut prius est hominem esse possibilẽ secundum se, & absolutè, nempè non inuoluere in suis prædicatis potentialibus contradictionem, quam hominem esse creabilem.

Secundò; nam potentia obiectiua in ente creabili, vt infra dicetur, est prior prioritate vniuersalitatis, quàm sit potentia subiectiua in ratione entis; sed causa huius prioritatis vniuersalitatis est potentia subiectiua esse, quod ostenditur euidenter, quippè potentia obiectiua est prior prioritate vniuersalitatis, quia est vniuersalior; est autem vniuersalior, quia conuenit pluribus, nimirum enti essentiali, & enti existentiali; potentia verò subiectiua competit solum enti essentiali; at verò ratio, & causa cur in ente creato completo sint hęc duo entia est, quia in ente completo est potentia subiectiua esse, & ideò potentia subiectiua, & actus subiectiuus in ratione entis, sunt primæ rationes entis creati.

Ratio verò secundi, nimirum, cur diuisio entis in potentiam, & in actum in ratione obiecti, siuè termini, sit prior prioritate vniuersalitatis, diuisione entis in potentiam, & actum in ratione subiecti, quia esse producibile, siuè creabile pluribus conuenit, quam esse potentiam subiectiuam, & actum subiectiuum; etenim esse potentiam subiectiuam conuenit tantummodò essentiæ entis completi in genere entis, esse verò potentiam obiectiuam essentiæ conuenit etiam enti restricto existẽtię entis completi adhuc in genere entis; esse enim producibile, siuè creabile, conuenit omni enti extrà Deum, non solùm in generali, sed etiam enti completo, & entibus incompletis in genere entis, & entibus completis, & incompletis in specie.

Putant aliqui vtramque diuisionem esse deficientem, & imperfectam ex eo capite; quia diuisio perfecta, & bona debet esse adæquata; & vtraque diuisio entis, & in potentiam, & actum in ratione subiecti, est inadęquata; diuisio etenim adæquata est in membra, quæ absorbent totum diuisum; sed prædictæ duæ diuisiones non absorbent totum diuisum, nam præter potentiam obiectiuam, & actum obiectiuum, datur ens conflatum ex actu, & potentia obiectiuis, quod est ens creatum, siuè actu productum, & præter potentiam subiectiuam, & actum subiectiuum in ratione entis, datur ens completum in genere entis, quod est ens actu existens; in prædictis autem diuisionibus non explicatur ens compositum ex actu, & potentia; explicatur vis argumẽti, & simul cõprobatur; quoniã ab *Arist. in lib. de anima*, substantia materialis; diuisio adæ-

adæquata diuiditur, in materiam, formam substantialem, & compositum; sed hæc ratio militat etiam in diuisione, qua diuiditur in potentiam, & actum, tàm in ratione subiecti, quàm in ratione obiecti: & ratio huius à priori est; quoniam ens formaliter extrà Deum abstrahit, non solùm ab essentia, & ab existentia; sed etiam ab ente actu existente, quod est cōpositum ex vtraque, cum ens formaliter extrà Deum vt sic præscindit ab entibus completis, & ab entibus incompletis; quorum quodlibet est intrinsecè, & formaliter ens, & est infrà ens; at prædicatum præscindens formaliter est diuisibile in omnia inferiora, à quibus formaliter præscindit.

Respondeo: diuisum in actum, & potentiam, tàm in ratione subiecti, quàm in ratione obiecti, esse ens creatum, quatenùs totum actuale in genere entis, siuè existentiale; non autem quatenùs est totum vniuersale commune enti creabili per se, & enti creabili cum alio. Argumentum vim haberet, si diuisum in hac diuisione esset ens creatum, vt totum vniuersale; distinguitur enim à Logicis duplex diuisio totius in suas partes; alia est diuisio totius actualis in suas partes actuales, vt est diuisio hominis in animal, & rationale; & alia est diuisio totius vniuersalis in sua inferiora, quæ dicũtur partes subiectiuæ, de quibus est prædicabile, vt est diuisio animalis in hominem, & in brutum. Diuisio entis creati in essentiam, & existentiam, siuè in potentiam, & actum, in ratione subiecti, est diuisio totius actualis; nimirùm, entis creati, quatenùs est totum actuale, non quidem essentiale, sed existentiale; & in hoc sensu, diuisio est adæquata; quia est in partes actuales adæquantes totum; essentia enim, & existentia, siuè potentia, & actus adequans quodlibet genus entis in actu, ens enim in actu non est membrum diuidens; sed est ipsum diuisum, vt totum actuale, quod non potest reperiri seorsùm in singulis partibus actualibus, illud constituentibus. Cæterum, diuisio substantiæ materialis, in materiā formā, & cōpositū est diuisio substantiæ materialis, quatenus est totū essētiale vniuersale, quod formaliter præscindit ab omni substantia materiali incompleta, & completa in specie. Opponēs opinatur in diuisione, qua diuiditur ens creatum in actum, & potentiam, siuè in ratione subiecti, siuè in ratione obiecti, diuisum esse ens creatum vt totum vniuersale, quatenùs scilicet præscindit ab ente creato per se, & ab ente creato cum alio: siuè, & in idem redit, quatenùs præscindit ab ente completo, & incompleto in genere entis; in quo sensu, si fieret diuisio, sine dubio, diuisio esset inadæquata, & deficiēs, quod est contrà principale præceptum bonæ diuisionis; vna enim ex legibus bonæ diuisionis logicę est, *vt diuisio sit adequata*; nimirùm in partes adæquatè diuidentes totum; tunc autem diuisio est adæquata, quādo nihil est in diuiso, vel sub diuiso, quod non explicent membra diuidentia; & è cōtrario, quando nihil explicant membra diuidentia, quod non sit in diuiso, vel sub diuiso; & hæc regula, siuè lex logicę diuisionis intelligi debet de partibus, & membris immediatè diuidentibus; non enim est necessarium, vt in diuisione ponantur membra mediatè diuidentia, v.g. ad diuisionem adequatam substantię prędicamentalis, satis est, vt substantia diuidatur in substātiam corpoream, & in substantiam incorporeā, & hoc ex alia lege bonę diuisionis logicę, vt cum totum commune est, & vniuersale pluribus partibus, & partes habet proximas, & remotas, diuisio fieri debet *immediatè in partes proximas*; *vitiosum enim* esset dicere, substantia alia est rationalis, & alia irrationalis; priùs enim diuidi debet substantia in spiritualem, & corpoream; quia partes remotę pertinent ad subdiuisionem, non autem ad diuisionem, quæ est immediata diuisio totius.

Quod si dicas ex hac regula, & lege sequi diuisionem traditam ab Aristotele *in libris de Anima*, substantia materialis in materiam, formam, & compositum esse vitiosam; quia in ea non seruatur hęc lex rectè diuidendi, priùs enim diuidi debet substantia materialis in substantiam materialem completā, & in substantiam materialem incompletam; deindè substantia incōpleta diuidi debet in materiam, et formam; at si vera esset hęc lex benè diuidendi, idest cum totum commune est, et vniuersale habet partes proximas, et remotas, diuisio fieri debuisset primò in partes proximas.

Respondeo: nego sequelam, et ratio est quia substantia materialis, quæ diuiditur in materiam formā, et compositum, est substātia materialis, quę præscindit immediatè à substantia completa, & à substantijs incompletis; pręcisio enim à substantijs incōpletis, quę sunt materia, et forma, est immediata, non autem mediata; nihil enim formale mediat: non enim est gradus medius formalis inter substantiam materialem cōpletam, et materiam, et formam; mediatio autem, quę est contrà hanc regulam, debet esse

esse immediatio formalis, quæ est per gradum formalem, vt diximus de diuisione entis in decem prima genera prædicamentalia.

Illud argumentum, quod opponitur: diuisio entis in actum, & potentiam in ratione subiecti, est diuisio entis creati formaliter, quod scilicèt sua ratione formali est ens; at hoc inadæquatè diuiditur per potentiam, & actum; quia præscindit ab ente cōpleto, & incōpleto, vel, &, in idē redit, in ens creatum per se, & in ens creatum, siuè creabile cum alio: solùm probat, ens creatum formaliter, quatenùs est totum vniuersale posse diuidi, iuxtà legem logicam benè diuidendi, in essentiam, existentiā, & ens in actu ex vtraque; sed nos loquimur hic de prædicta diuisione, quę est diuisio entis creati, quatenùs est totum actuale existentiale, non vt totum essentiale.

Dices fortè: diuisio adæquata totius actualis debet esse per partes actuales adæquantes totum; sed essentia, & existentia non adæquant quodlibet genus entis, vt totum actuale; quia in substantia creata datur etiam esse subsistentiæ, & in accidente datur esse inexistentiæ, siuè inhærentiæ actualis.

Respondeo, esse, in prædicta diuisione sumi, vt distinguitur contra essentiam; non autem vt distinguitur contrà subsistētiam, vel inhęrentiam actualem. Esse, primo modo, immediatè comprehendit in substantia esse substantiale, & subsistentiam, cum sola diuersitate materiali; vt dicetur suo loco.

---

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### Vtrum essentia subiectiua creaturæ extrà Deum sit actualis, in ratione essentiæ, actualitate distinguibili, saltem ratione, ab existentia pariter subiectiua.

PRoponitur hic articulus, vt aperiatur via ad inquirendum, tanquam à prima radice, an essentia subiectiua in creatura, quatenùs actualis, in ratione essentię, sit distincta realiter distinctione actuali ab existentia subiectiua; sumitur verò essentia subiectiua in creatura cōpleta extra Deum; quia creatura alia est creatura in Deo, tanquam in prima causa, quæ non est aliud, nisi ipsa creatrix essentia, vel perfectio eminentialis creaturæ in Deo, demptis omnibus imperfectionibus; quoniam, vt ostendit ostendit S. Thomas *p.p.q.4.ar.2.* omnes perfectiones creaturarum præexistunt in Deo, tanquam in prima causa efficiente: & alia est creatura extrà Deum, siuè in statu possibilitatis formalis, siuè in statu actualitatis in statu actualitatis in aliqua differentia temporis saltem possibilis; quippè creatura vt possibilis, est illa ipsa, quæ est quando existit, vel quando producitur relata ad primam causam, quatenùs est prior natura suo effectu in eodem instanti primo, in quo illum causat; hic loquimur de essentia subiectiua creaturę completæ in genere entis extrà Deum. Articulum hunc fusè, & plenè tractat Suarez *tom.2.suæ met. disp.31. sect.4. & 6.* Ratio dubitandi pro vtraque parte est; quia de hoc quæsito sunt duo celebres Metaphysicorum sententiæ.

Prima sententia est, quàm sequitur Suarez, asserentium essentiam creaturę extrà Deum, prout contradiuiditur ab existentia, non esse actualem secundùm se consideratā; quia .f. essentia creaturę vt sic est in potētia tantùm ad existentiā, quæ est prima actualitas essentiæ, à qua fit actualis in ratione essentiæ, actualitate, quæ est verùm esse existentiæ; dicit enim apertè Suarez *loc. cit.* quod illud esse, quo essentia creaturæ formaliter constituitur actualis in ratione essentiæ, est verū esse existentiæ. Vt autem hoc clariùs explicet *sect.6.nu.24.* dicit, quod cum dicimus, essentiam creaturę extrà Deū secundùm se non esse actualem in ratione essentię, in hac locutione nomine creaturę, non est intelligenda creatura actu creata; sed creatura secūdùm se, siuè creabilis; nàm creatura extrà Deum, alia est actu creata; & alia est creabilis; creatura enim, inquit, actu creata cum hac reduplicatione, vel cōpositione, re vera, creatura essentialiter est actualis, & consequenter existens: verùm si sumatur creatura secundùm se, vel vt creabilis, nullo pacto essentia creaturę est actualis in ratione essentię; quia creatura huiusmodi non est sua existentia, quæ est ratio prima, & immediata essendi ens actu; idque multis rationibus probari solet.

Primò, quia essentia creaturæ extrà Deum secundùm se prę́scindit à creatura creata, & creabili, siuè à creatura actuali, & potentiali; etenim datur extrà Deum crea-

creatura possibilis, quę nunquam erit actu, qualis est creatura, quæ realiter existeret extrà Deum, si Deus vellet illam creare; sed nunquam creabit, & datur creatura, quæ à Deo actu creata est in aliqua temporis differentia; istæ autem duę creaturæ non darentur extrà Deum, si essentia creaturæ secũdùm se nõ præscinderet ab actuali; nàm si esset de se actualis, non posset esse aliqua creatura purè potentialis, siuè possibilis; sicut si animal essentialiter esset rationale, non posset reperiri animal irrationale, sed huiusmodi creatura non est in ratione essẽtiæ actualis de se; sicut substantia, quæ est primum genus prędicamentale non est corporea, neque incorporea.

Secundò; essentia creaturæ extrà Deum secundùm se contradiuiditur ab essentia Dei; essentia enim diuiditur in essentiam Dei, & in essentiam creaturæ, vnum autem membrorum diuidentium contradiuiditur ab alio; sed essentia Dei secundùm se est essentialiter actualis; ergo ex opposito, essentia creaturæ secundùm se in ratione essentiæ creaturæ, contradistinctæ à Deo, non est actualis. Consequentia est euidens; vnum enim membrorum diuidentium habet secùm adiunctam negationem rationis formalis propriæ alterius, vt v.g. substantia corporea non est substantia spiritualis; & è contra, substantia spiritualis non est corporea. Minor principalis argumenti probatur; quia essentia Dei, vt essentia Dei formaliter, & secundùm se, est essentialiter actus purus, cum essentia Dei secundùm se, siuè essentialiter sit omninò independens à priori causa; hæc autem omnimoda indepẽdẽtia fundatur in actu puro; essẽtia verò creaturæ ex opposito, non debet secundùm se esse actualis in ratione essentiæ; sed potiùs in potentia, vt sit actu essentia, non solùm ex regula generali; quia membra diuidentia, inuoluunt differentias oppositas; sed etiam, quia essentia creaturæ extrà Deum, non est actus purus; quia est essentialiter dependens à primo ente, quod est Deus: quã ob causam complures docti Metaphysici, licèt non distinguant essentiam ab existentia in creaturis; tamen communiter fatentur creaturam non esse essentialiter suam existentiam; secùs creaturam secundùm se, esset actus purus, & ens secundùm se, & absolutè necessarium, quod est proprium solius Dei, vt probat S. Thomas *3. contra Gentes cap. 66. in fine*, dicens, in solo Deo, essentia est essentialiter sua existentia.

Tertiò, remota ab essentia creaturæ prima actualitate, remouetur omnis alia actualitas; remoto enim primo ab vnoquoque genere remouentur ab eo omnia secunda; sed essentia creaturæ extrà Deum secundùm se, vt essentia pręcisè creaturę, nõ est essentialiter sua existentia; existentia autem est prima, & immediata actualitas in ente; definitur existentia à S. Thoma actualitas omnis essentiæ, & ratio huius est manifesta; quia existentia est ratio formalis essendi in actu, & contracta ad existentiam creatam est ratio formalis essendi actu extrà Deum; ratio autem formalis, est prima in quocumque ente; ergo, &c.

Quod si primò opponas Suarez, essentia creaturæ extrà Deum secundùm se, vt sic est actu extrà suum nihilum; at implicat in terminis essentiam creaturę esse actu extrà suum nihilum, nimirùm, possibile, & non non esse actualem in ratione essentię; implicat enim essentiam esse actu extrà nihilum, sine actualitate essendi formaliter; sicut implicat hominem esse rationalem sine rationalitate. Et confirmatur, quia essentia creaturæ extrà Deum secundùm se, est ens reale positiuum distinctum a Deo; sed hoc in suo conceptu quidditatiuo includit essentialiter actualitatem essendi, quia ens essentialiter positiuum est extrà nihilum possibile actu; implicat autem esse actu sine actualitate intrinseca.

Respondebit statim Suarez, suis primis principijs; essentiam creaturæ extrà Deum, dupliciter posse sumi vno, vno modo, quatenùs in priori naturæ est non repugnans esse extrà suum nihilum reale, siuè quatenùs in priori naturę est potens esse extrà suum nihilum realiter; sed in eodem instãcti, in quo existit, siuè creatur; alio modo, quatenùs actu extrà suum nihilum, & extrà suam causam in posteriori naturę. Hoc secundo modo, vltrò cõcedet essentiam creaturę extrà Deum esse actualem in ratione essentię, nam inquit *loc. sup. cit. nu. 24.* quod si essentia creaturæ sumatur cum hac compositione, vel reduplicatione; re vera, creatura essentialiter petit existere; sicut albũ, vt album essentialiter includit albedinem; sed primo modo, negabit essentiam creaturę secundùm se esse actualem. Verùm quęstio in pręsenti est de essentia creaturę secundùm se, nimirùm in priori naturæ, quo est non repugnans, vt sit actualis.

Quod si secundò ei obijcias, quod nos nõ solùm distinguimus essentiam secundùm se in ente creabili à sua existentia; sed etiam distinguimus essentiam vt actualem in ratione essentiæ ab existentia, quoniam quando dicimus ens creatum extrà Deum ha-

habere in se actu suam essentiam, & suam existentiam, concipimus duo entia positiua, & actualia, vnumquodque extrà suum nihilum reale; cum enim dicimus, ens creatum habere actu suam essentiam, & suam existentiã, nõ idem bis dicimus; quia essentia, & existentia non sunt synonyma: quo principio, in Christo Domino supponimus duas essentias actuales, & quærimus an sint duæ existentiæ, & in humanitate Christi Domini sunt duę essentæ partiales; scilicèt, essentia animę, & essentia corporis, & cõtrouertitur apud Theologos, an etiam sint in humanitate Christi Domini duę existentiæ; ergo essentia creaturæ etiam secundùm se est actualis, saltem actualitate essentiali.

Respondebit statim suis principijs primis, negando antecedens, & huius hanc assignabit rationem, quod ad distinguendum essentiam ab existentia in ente actuali, & creato satis est, vt essentia, & existentia sint conceptibiles vt duæ realitates positiuæ, quarum vna sit actualitas alterius; hæc autem conceptibilitas potest esse absque eo, quod essentia creaturæ actualis in sensu specificatiuo, & materiali, sit intrinsecè actualis; quia ens reale positiuum vt sic præscindit ab actuali, & potentiali; nimirùm à creato, & creabili; hoc autem ens præscindens, potest saluari sine actualitate intrinseca saltem pręcisiuè, nàm potest esse in creatura creabili, quæ est creatura potentialis potentialitate positiua. Neque valet, si arguas potest dicere Suarez, essentia creaturæ extrà Deum secundùm se, est extrà suum nihilum actu; ergo est secũdùm se essentia creaturæ actualis in ratione essentiæ.

Statim enim respondebit: negando consequentiam; quia esse actu extrà nihilum vt sic, non aliud significat, nisi esse ens formaliter; at hoc præscindit ab ente actu, & ab ente potentia. Hęc doctrina poterit confirmari à Suarez alio principio suprà explicato, nimirùm, quia idem ens prius natura est non repugnans esse extrà nihilum, quam actu sit extrà nihilum realiter: quo posito principio, potest dicere Suarez, quod dupliciter essẽtia creaturæ potest esse extrà nihilum; vno modo quatenùs in priori naturæ est non repugnãs esse extrà suum nihilum realiter; alio modo, quatenùs in posteriori naturæ est actu extrà suum nihilum; posteriori modo, essentia creaturæ includit actualitatem, quia in posteriori naturæ essentia est completa extrà suum nihilum realiter, & hoc propriè est existere; in priori verò naturę, essentia non est actualis; quia actualitas complet ens in genere entis; at in priori naturæ essentia creaturæ, non est complctè extrà suum nihilum; sed incompletè, & consequenter in potentia vt sit actu, & completè.

Quartò probatur opinio Suarez; si qua esset ratio, ob quam essentia creaturę extrà Deum, secundùm se sit actualis in ratione essentię, ea esset, quia alia est actualitas essentię, & alia est actualitas existentię in loquutione intransitiua; nàm hac posita distinctione duplicis actualitatis potest dici, quod essentia creaturę secundùm se, non est actualitas existentialis, cum quo stat vt essẽtia creaturę secũdũ se sit actualis in ratione essentię actualitate essentiali, quę est diuersę conditionis ab actualitate existentiali. Sed hæc ratio nulla est; quia vt probat Suarez actualitas, qua essentia creaturæ secundũ se in ratione essentię est actualis, est verum esse existentię; at essentia creaturę secundùm se non est essentialiter sua existentia; quia non est essentialiter actus purus, neque ens à se; ergo, &c. Assũptum probat Suarez *sect.4.nu.4.* duplici argumento.

Primum est, quia illud esse, quo essentia creaturę est actualis in ratione essentię extrà Deum, satis est ad propositionem de secundo adiacente; sed hoc esse est verum esse existentię; quia per hoc esse essentia est; quia esse, siuè existere est, esse actu extrà suum nihilum.

Quod si ei respondeas, quod existere significat, essentiam esse actu sub termino suę potentialitatis, existere enim significat id, quod poterat esse, actu esse; sed essentia actualis in ratione essentię solùm importat, essentiam esse actu potentem existere, quod est esse ens imperfectum, & perfectibile in ratione entis.

Insurget statim contrà, hanc aliam actualitatem terminatiuam esse superfluã, impertinentem, & impossibilem: est quidẽ superflua, & impertinẽs; quia hęc actualitas datur ad essendum extrà suum nihilum actu; sed hoc totum saluatur in essentia, vt actualis pręcisè in ratione essentię, quandoquidem in hac essentia, vt sic actuali est reperire vtrumque, & potentiam ad esse extrà nihilum essentię, & esse actu extrà nihilum: primum significat potentiam; secundum significat actum, siuè terminum huius potentialitatis.

Argumentum secundum est. Esse, quo essentia creaturę constituitur intrinsecè

genere entis, pręscindendo a quæstione, an ea sit distincta à sua existentia, ratione inadæquatè concipiente; an distinctione reali actuali: potest enim essentia subiectiua, siuè ea distinguatur ratione imperfecta ab existentia, siuè realiter, verti in dubium, an sit actualis in ratione essentiæ actualitate existentiali, an actualis actualitate essentiali, ratione distinguibili ab actualitate existētiali. Doctrina in terminis est S. Thomę pluribus in locis, vt infrà dicetur, quem sequūtur omnes eius discipuli, qui in substantia creata completa in genere entis, præter subsistentiam, distinguunt duplicem aliam actualitatem, aliam essentialem, & aliam existētialē; prima non est aliud, nisi ens actu potēs existere; secūda verò nō est aliud, nisi ens, ꝙ est actu terminus entis potentis existere realiter, & dicunt actualitatem essentialē esse actualitate in essentiæ intrāsitiuā; actualitatem verò existentialem pariter esse actualitatem existentiæ in intransitiua locutione, & vtramque actualitatem esse ens essentialiter imperfectum; sed ens actuale actualitate essentiæ est ens essentialiter imperfectum, & perfectibile in genere entis; ens verò actuale actualitate existentiali, est ens imperfectum, & perfectiuū; quia est actus, quo ens potēs existere fit actu existens, quod est ens cōpletum ingenere entis.

Fundamentum præcipuum, & primū huius conclusionis secundum principia S. Thomæ, est; quia esse existentiale in creatura completa in genere entis, est realiter receptum in essentia; sed hoc posito, implicat essentiam subiectiuam, quæ est essentia creaturæ completæ in genere entis, esse actualem in ratione essentiæ per actualitatem intransitiuam suæ existentię; ergo, &c. Hoc fundamentum explicabimus articulo sequente; sed nunc probatur conclusio, hoc alio metaphysico principio. Essentia subiectiua, & existentia subiectiuæ sunt primæ differentiæ entis creati primitate causæ; prima enim differentia entis creati primitate causę, vt ostendimus articulo præcedenti, sunt potentia, & actus in ratione subiecti; sed ex differentijs formaliter diuidentibus implicat vnam esse intrinsecè actualem in suo gradu formali per actualem alterius; quia differentiæ formaliter diuidentes sunt oppositæ formaliter oppositione contraria contrarietate metaphysica; sed vnum oppositorum formaliter non potest esse actuale in sua quidditate, per actualitatem alterius oppositi: quia non possunt esse simul, cum vnum excludat aliud à sua ratione formali; ergo, &c. Discursus sola propria terminorum explicatione est euidens; quia aliud est, esse ens actu potens existere, & aliud est, actu esse terminum huius potentialitatis; sunt enim rationes opppositæ formaliter, quia vna est essentialiter complebilis in ratione entis; alia verò est essentialiter completiua, & perfectiua: perfectibile autem, & perfectiuum sunt differentiæ oppositæ: argumenta autē Suarez contra hanc conclusionem, facillimè soluentur infrà.

Conclusio secunda. Essentia subiectiua creaturæ extrà Deum; nimirùm creaturę completæ in genere entis, proùt contradistinguitur ab existētia pariter subiectiua, est actualis in ratione essentiæ, actualitate essentiali contradistincta ab actualitate essentiali. Est contra Suarez *locis supra citatis*, vbi apertè asserit, esse actuale, quo essentia creaturæ in vniuersum constituitur actualis in ratione essentiæ, esse verum esse existentiale, nimirùm, esse existentiam formaliter; opinatur enim Suarez essentiā creaturæ, prout contradistinguitur à sua existentia, non esse actualē; sed potius potentialem ad actualitatem essentialem, quam dicit esse existentiam, secùs non esset essentia essentialiter diuersa ab essentia Dei, quæ est essentialiter actualis in ratione essentiæ; quia Deus est essentialiter actus purus; creatura verò est essentialiter potentialis; hoc autem non alia ratione, nisi quia essentia creaturæ etiam completę in genere entis est in potentia ad esse, scilicèt, ad existentiam, quod conuenit creaturæ, eo quod eius essentia non est essentialiter suum esse; hæc Suarez opinio sufficiēter probata est initio huius articuli.

Cæterum, in opinione S. Thomæ, potentia subiectiua ad esse, quę est essentia creaturæ completę, quatenùs est essentialiter potentia ad existentiam, vt ad actum completiuum in genere entis. Primò, non contradicit actualitati in generali, quæ diuiditur in actualitatem essentię, & in actualitatem existentię in locutione intrāsitiua; neque actualitati potentiali subiectiuæ, quę est propria essentię subiectiuę, quatenùs contradistinguitur ab existentia subiectiua: sed solùm contradicit actualitati existentiali, quę est ipsissima, & formalissima actualis existētia subiectiua, siuè actualis terminus essentię in genere entis. Probatur primum, non contradicit essentia creaturę cōpletę in genere entis actualitati in generali; qa excluderet etiā à se rationē, nō solū entis formaliter; sed etiā essentię subiectiuę, ꝙ enim nō est in genere, neq; esse

potest in specie, sic ꝙ nõ est actuale actualitate in generali, quod est ens formaliter, & diuiditur in actualitatem essentialem, & in actualitatem existentialem, non est ens formaliter, neque ens actuali actualitate essentiali; neque ex eo quod essentia subiectiua est essentialiter potentia subiectiua existentiæ, excludit à se actualitatem potentiæ subiectiuæ, nimirùm, entis potentis actu existere; quia vt sępe repetemus cum Scoto, & S. Thoma, hoc esse possibile subiectiuum nõ contradicit actualitati, aut in generali, aut actualitati essentiali, imò illam necessariò, & essentialiter includit; nisi enim esentia creaturæ extrà Deum esset ens actu possibile ad existendum, quod est habere actualitatem essentiæ, non posset compleri, & actuari in genere entis à sua existentia subiectiua; quod enim omninò nihil est, implicat compleri in genere entis; quod enim est complebile in genere entis, supponitur esse ens imperfectum perfectibile.

Quod si dicas: potentia, & actus in ratione subiecti, sunt primæ differentiæ, diuidentes ens ex nihilo; sed huiusmodi ens, ꝙ diuiditur, pręscindit ab actu, & potentia in ratione subiecti; quia est cõtrahibile per oppositas differentias; ergo potentia subiectiua existentiæ excludit à se omnem actualitatem; quod enim excludit à se genus, excludit etiam à se differentiam, & speciem; sed potentia, siuè essentia subiectiua excludit à suo genere actualitatẽ; quia genus, quod diuiditur est ens creatum, siuè ex nihilo; hoc autem præscindit à potentia, & ab actualitate.

Respondeo: ens creatum, siuè ens ex nihilo, quod diuiditur in potentiam, & in actum in ratione subiecti, præscindit ab actualitate speciali, quæ est eius pars subiectiua; non autem præscindit ab actualitate transcendentali, quæ non aliud significat, nisi esse extrà nihil, quod commune est, tàm enti, quod est potentia subiectiua, quàm enti, quod est actus subiectiuus; sicut etiam ens creatum vt sic, siuè ens ex nihilo præscindit à potentia speciali, quæ est pars eius subiectiua, siuè potestatiua; sed non præscindit a potentia transcendentali, quæ est potentia ad differentias illas diuidentes in plura inferiora; essentia, & existentia in ratione subiecti, sunt partes subiectiuæ, nimirùm sunt differentiæ diuidentes ens actuale actualitate trãscendentali; quandoquidem, vt modo diximus, quod diuiditur per differentias positiuas, debet esse formaliter ens; ens autem formaliter, non est, nisi sit actu extrà *nihilum*, & hoc est ens actuale actualitate trãscendentali, quæ actualitas excludit à se potentiam specialem, non autem potentiam ad differentias diuidentes. His explicatis, & discussis.

Fundamentum primum conclusionis est; quia esentia subiectiua in creatura completa in genere entis est esentialiter potentia ad esse; nàm creatura esentialiter est potentialis; ratio autem cur sit esentialiter potentialis est, quia esentia creaturæ est esentialiter in potentia ad esse; est autem esentialiter potentialis ad esse, quia esẽtialiter nõ est suũ esse; sed hęc est quædam actualitas diuersa ab actualitate existentiali; quia dicit pręcisè ens actu potens esse, quod implicat vt sit existentia formaliter; quia existentia formaliter est perfectiua, & completiua in genere entis; esentia autem subiectiua creaturæ secundùm se est esentialiter perfectibilis in ratione entis; ergo esentia subiectiua creaturæ constituitur in ratione esentiæ actualis actualitate esentiæ, diuersa ab actualitate existentiali.

Fundamentum secundum *conclusionis* est; quia datur actualitas entis transcendentalis: datur enim ens creatum formaliter; hoc autem est actu actualitate trãscendentali; quia dicit præcisè ens, esse actu extrà suum nihilum; hoc autem transcendentale est omni enti creato per se, & cum alio; sed hoc diuisibile est formaliter in ens actuale actualitate esentiæ, & in ens actuale actualitate existentiæ; ergo datur in latitudine entis creati ens actu actualitate essentiali, & ens actu actualitate existentiali. Minor probatur; quia dato genere pręscindente formaliter, datur contrahibilitas, & diuisibilitas per opposítas differentias; posito autem hoc principio, necesariò sequitur, esentiam creaturæ completæ, quæ est essentia subiectiua, esse actualem in ratione esentiæ, actualitate esentiali diuersa formaliter ab actualitate existentiali.

Duo autem argumenta, quibus Suarez *loc. sup. cit.* probat, quod illud esse, quo esentia creaturæ formaliter constituitur in actualitate esentiæ, est verum esse existentiæ, facillimè soluuntur.

Primum argumentum est; quia hoc esse, quo essentia est actualis in ratione essentiæ, satis est ad verificandam propositionem de secundo adiacente, esentia est; sed obiectum propositionis de secũdo adiacente est, esentiam creaturæ esse existentem; ergo. &c. Maior probatur; quia hoc esse, est quo esentia creaturæ est actu extrà

trà nihilum, & extrà ſuas cauſas; at hoc eſt exiſtere formaliter.

Secundum argumentum eſt: illi eſſe, quo eſſentia eſt actualis in ratione eſſentiæ extrà Deum, conueniunt omnia prædicata eſſentialia, & exiſtentialia extrà Deum; ſed huiuſmodi eſſe, eſt verum eſſe exiſtentiale; ſicut Petrus eſt formaliter, & eſſentialiter homo, quia Petro conueniunt prædicata eſſentialia, quibus Petrus eſt homo. Maior probatur; quia illud eſſe, quo eſſentia creaturæ formaliter conſtituitur in actualitate eſſentiæ, eſt temporale, & ſecúdùm ſe contingens, eſt productum, &c. ſed hæc ſunt prædicata formalia exiſtentiæ creatæ.

Hæc, & ſimilia argumenta in opinione probatorum Thomiſtarum, aſſerentium eſſentiam creaturæ in ratione eſſentiæ cauſari à Deo tantùm idealiter, non efficienter, nullam vim habent: non quidem primum argumentum vim habet; quia exiſtere ſignificat eſſentiam, quæ poterat eſſe ſub ſuo actu completiuo in genere entis, actu eſſe completam; at ens actuale eſsentię præcisè, ſumptum ſolùm dicit ens, quod actu eſt potens eſſe, quod quidem eſt ens incompletum, & complebile in genere entis ab exiſtentia. Secundum verò neque vllam vim habet, quoniam, illa data opinione, eſſentia creaturæ completæ, neque eſt æterna, neque temporalis, neque creata, neque increata, quoniam hęc ſunt prędicata entis exiſtentis formaliter; eſsentia verò creaturæ completæ eſt ens diuerſę conditionis ab exiſtentia, vt infrà latè explicabitur, reſoluendo hanc opinionem in ſua prima principia.

Quod ſi velimus ſequi aliam opinionem, quam de facto ſequemur, neque vim vllam habent prædicta argumenta.

Ad primum enim reſpondetur eodem modo, quo ſuprà.

Ad ſecundum reſpondetur; negando maiorem, prędicata enim formalia, & propria eſſe exiſtentię, ſiuè entis, vt exiſtentis ſunt eſse productum per ſe, & eſſe per ſe temporale; at eſſentia creaturæ completæ in genere entis, proùt diſtinguitur ab exiſtentia, eſt eſſe productum, & eſse temporale cum alio, vt pars materialis termini per ſe producti, & temporalis.

Obijcies primò: ratio cur à nobis ſuprà dictum eſt, eſsentiam ſubiectiuam creaturæ non eſſe actualem in ratione eſsentię per actualitatem exiſtentialē intrinſecè, & conſtitutiuè, eſt quia eſsentia creaturę etiā complete in genere entis ſecundùm ſe non eſt ſua exiſtētia; ſed hęc ratio nō conuincit; quia eſſentia creaturæ in genere obiecti ſecundùm ſe, neque eſt ſua exiſtentia; & tamen eſſentia obiectiua non eſt actualis in ratione eſsentiæ, niſi actualitate ſuæ exiſtentiæ obiectiuæ; eſsentia enim, & exiſtentia in ratione obiecti ſignificant idem prorſus ens, ſed in diuerſo ſtatu; in hoc autem ente non eſt diſtinguere actualitatem eſsentialem ab actualitate exiſtentiali. Hoc argumentum explicatum eſt ſuprà initio huius articuli.

Reſpondeo; diſtinguo cauſalem maioris: quia eſsentia creaturę completæ, nō eſt eſsentialiter ſua exiſtentia per diuiſionem intrinſecam eſſe, ſiuè entitatis, & concedo: per diuerſitatem tantummodò ſtatus vnius, & eiuſdem entis, & nego: eſsentia obiectiua creaturæ, non eſt ſua exiſtentia obiectiua per ſolam diuerſitatem ſtatus vnius, & eiuſdem entis; non autem per diuiſionem intrinſecam eſse, quod ſcilicèt intrinſecè diuiditur in eſse eſsentiæ, & in eſſe exiſtentiæ, proindè, &c.

Obijcies ſecundò; eſsentia creaturæ etiam completæ, proùt contradiſtincta ab exiſtentia ſui generis, eſt eſsentialiter diuerſa ab eſsentia Dei; ſed Dei eſsentia eſsentialiter includit omnem actualitatem, quia eſt actus purus; actus autem purus eſt omnis actus, tàm quidditatiuus, quam exiſtentialis, tàm ſpecialis, quàm trāſcendentalis; ergo ex oppoſito eſsentia creaturæ extra Deum nullam includit ſecundùm ſe actualitatem, neque eſsentialem, neque tranſcendentalem.

Reſpondeo: diſtinguo maiorem eſsentia ſubiectiua creaturæ contradiſtinguitur ab eſsentia Dei, vt ens eſsentiale intrà genus ab ente eſsentiali extrà genus, & concedo: vt non ens ab ente, & nego. Argumētum vim haberet, ſi eſsentia ſubiectiua creaturæ contradiſtingueretur ab eſsentia Dei, vt non ens ab ente; at hoc eſt falſum, quia contradiſtinguitur vt ens ab ente; implicat autem eſsentiam creaturæ eſse ens formaliter extrà Deum, & extrà ſuum nihilum, & non eſse actualem ſaltem actualitate trāſcendentali, & etiam actualitate potentiali; contradiſtinguitur enim creatura à Deo, vt ens eſsentialiter potentiale ab actu puro. Ad minorem.

Reſpondeo: diſtinguendo illam; eſsētia Diuina eſsentialiter includit omnem actualitatem formalem, & exiſtentialem, & concedo: actualitatem etiam potentialem ad eſse, & nego; quia eſsentia Dei eſt eſsentialiter actus purus; eſsentia verò

crea-

Digitized by Google

creaturæ est essentialiter potentialis ad esse existentiale, & per hoc sufficienter distinguitur essentia creaturæ ab essentia Dei.

Obijcies tertiò, quæ præposita sunt initio articuli pro contraria opinione.

Primum est: essentia creaturæ præscindit secundùm se ab actuali, & potentiali; quia præscindit ab essentia creaturę creabilis, & ab essentia creaturę creatę; sed si in ratione essentiæ includeret essentialiter actualitatem essentialem extrà Deum, non præscinderet essentia creaturę secundùm se ab actuali, & potentiali.

Respondeo: distinguo maiorem; essẽtia enim creaturę extra Deũ, alia est obiectiua, & alia subiectiua; essentia obiectiua præscindit ab actuali, & potentiali in ratione obiecti, siuè termini causæ efficientis; essentia verò subiectiua creaturæ nullo pacto præscindit ab actualitate essentiali; non solùm quia est receptiua realiter existentię creaturæ completæ, ad quod requiritur vt sit in ratione essentiæ actualis actualitate essentiali; sed etiam quia, vt rectè dicit Scotus, essentia subiectiua creaturæ, non esset essentia; quia aliquid adueniret in ratione essẽtiæ. Cuius ratio à priori est, quia essẽtię rerum, vt docet Aristoteles 8. *Met.* sunt veluti numeri, qui per solam additionem, vel subtractionẽ vnius vnitatis specie essentiali variantur; quia vnitas est prędicatum essentiale numeri, siuè multitudinis; essentia autem est ex omnibus prędicatis essentialibus.

Quod si dicas: essentia subiectiua creaturę, quę est essentia solius creaturę completę in genere entis, est intrinsecè creabilis in ratione essentię cum existentia; sed per hoc est eiusdem conditionis cum essentia obiectiua; ergo essentia subiectiua adhuc ingreditur leges essentię obiectiuæ creaturæ; sed hęc prę scindit ab actualitate essentiali; quia præscindit à creatura actuali, & à creatura possibili; ergo nulla est responsio.

Hæc instantia nulla vim habet, data opinione probabili multorum asserentium essentiam creaturę non causari à Deo, vt à prima causa efficiente; sed solùm vt à prima causa ideali idealitate essentię; sed vim videtur habere in alia opinione, quam nos sequimur, asserentium creaturam completam in ratione essentię intrinsecè concreari cum existentia; & in hoc sensu adhuc facillimè soluitur.

Respondeo enim: distinguo maiorem; est intrinsecè comproducibilis, vt terminus materialis cõproductionis cum existentia, & concedo; vt terminus formalis, & nego; ergo ingreditur legem essentiæ obiectiuę, vt terminus materialis comproductionis, nego; quia essentia obiectiua includit existentiam quantùm ad entitatem. Argumentum concluderet si essentia subiectiua in creatura completa, esset comproducibilis, vt terminus formalis, sicut comproducitur existẽtia subiectiua creaturę; & disparitas est; quia terminus materialis creationis habet in se rationem duplicis essentiæ, & subiectiuæ, & obiectiuę; existentia verò subiectiua habet tantummodò in se rationem essentię obiectiuę; quia hęc competit enti creato, vt sic in generali prę scindenti à creato per se, & à creato cum alio: prędicata verò essentialia termini superioris secundùm se conueniunt ei in omnibus suis inferioribus; sicut, v.g. quia veritas transcendentalis conuenit enti inquantùm ens, conuenit omni enti, tàm cognitiuo, quàm non cognitiuo; quia vtrumque est ens formaliter; veritas autem formalis, quę est veritas in cognoscendo, conuenit tantùm enti cognitiuo, ac proindè ea est veritas specialis; pariter essentia, & existentia in ratione obiecti, siuè termini efficientię, quia sunt prędicata, aut differentię entis creati vt sic, conueniunt omni enti, tàm essentiali, quã existentiali in creaturis; esse verò creabile cum alio, tanquam terminum materialem, est proprium, & speciale essentię subiectiuę creaturę, cui conueniunt non solùm essentia, siuè potentia obiectiua, quę est potentia, vel ad produci vt sic, vel ad essendum extrà suum nihilum; sed etiam essentia subiectiua, siuè potentia subiectiua in genere entis; potẽtia, siuè essẽtia obiectiua vt sic ei conuenit; quia est ens creatũ vt sic; potentia verò subiectiua ad existentiam subiectiuam; quia est ens actuale tantummodo actualitate essentię subiectiuę. Hęc doctrina non recipitur ab omnibus Metaphysicis; quia non omnes admittunt in ente creato potentiam subiectiuam receptiuã realiter existentię. Cum nos dicimus, essentiam creaturæ completæ secundùm se esse actualem actualitate essentiali, vel esse actualem in ratione essentiæ, actualitate essentiali diuersæ conditionis, ab actualitate existentiali, loquimur de essentia receptiua esse realiter, quam nos supponimus tantùm in creatura completa in genere entis; vt demonstrabimus cum S. Thoma.

Secundum argumentum est; essentia creaturæ completæ, siuè essentia subiectiua in creatura, contradistinguitur in ratione essentiæ ab essentia Dei formaliter; sed es-

sentia Dei essentialiter, siuè secundum se est actualis, actualitate essentiali, quæ est causa vt sit etiam essentialiter sua existētia; essētia enim Dei est essētialiter sua existētia, quia est à se sua essentia; ergo ex opposito essentia creaturæ, vt essentia creaturæ (& loquor de subiectiua, quia hæc est essentia entis completi) non est essentialis in ratione essentiæ etiam actualitate essentiali; vnum enim membrum diuidentiū opponitur formaliter alij; oppositorum autem sunt oppositæ rationes formales.

Respondeo concedo maiorem, & nego minorem; essentia Dei est essentialiter sua actualitas essentialis sine vlla dependentia ab alia priori causa, & concedo: cum dependentia ab alia priori causa, & nego; ergo ex opposito existentia subiectiua creaturæ cōpletæ, non est sua actualitas essentialis cum dependentia à priori causa, & nego; cum independentia à priori causa, & concedo: & hoc satis est, vt essentia subiectiua creaturæ completæ contradistinguatur essentialiter ab essentia Dei, & disparitas est; quia independentia ab alia priori causa fundatur in actu puro; essentia autem Dei est essentialiter actus purus, quia est essentialiter sua existentia; ac proindè Dei essentia est essentialiter actualitas sua essentialis cum omnimoda independentia ab alia priori causa; è contrario verò essentia subiectiua creaturæ est sua actualitas essentialis cum dependentia à priori causa; quia essentia subiectiua creaturæ non est essentialiter actus purus, & hoc; quia non est essentialiter suum esse existentiale, quod autem non est suum esse existentiale est potentia receptiua, sui esse existentialis; ac proindè eius essentia est essentialiter sua actualitas essentialis cum dependentia.

Neque hęc doctrina contraria est doctrinæ, quam docet S. Thomas *p.p. quæst. 3. ar. 3. in corpore*, dicens, quod Deus est sua essentia, vel natura, quia in Deo non est compositio ex esse, & essentia, & ratio est: quoniam Angelicus Doctor loquitur de Deo secundum quod est concretum veluti indiuiduale naturæ diuinę ad differentiam aliarum acceptionum, secundum quas Deus potest aliter supponere; potest enim Deus significare concretum quasi specificum Deitatis, siuè naturę diuinę, vt docet Caietan. *p. 1.* potest etiam supponere pro concreto suppositali naturæ diuinæ, vt suo loco dicetur; concretum autem indiuiduale non potest esse essentialiter sua natura, nisi in eo essentia sit essentialiter suum esse; nos autem hìc loquimur de essentia, quæ est abstractum à concreto indiuiduali naturę; non enim potest dici homo est natura humana, sed potest dici natura humana est humanitas.

Tertium argumentum est. Essentia subiectiua creaturæ completæ non est essentialiter sua existentia; sed ex hoc per se infertur essentiam subiectiuam creaturæ, non esse suam actualitatem essentialem per quam constituitur actualis in ratione essentiæ; ergo essentia subiectiua creaturæ non est essentialiter sua actualitas essentialis. Maior admittitur à nobis, secùs essentia subiectiua creaturę non esset essentialiter diuersa ab essentia Dei. Minor probatur, quoniam, remoto primo in aliquo genere remouentur omnia secunda in eodem genere; implicat enim dari effectum, vt effectum independenter à sua causa; sed existentia est prima actualitas in genere actus; existentia enim, nimirum subiectiua est prima differentia entis creati; sed posito quod essentia subiectiua creaturę non est essentialiter sua existentia, remouetur ab essentia subiectiua creaturę prima actualitas, quia remouetur ab ea existentia subiectiua, quę est prima actualitas entis; ergo remoueri debet ab eadem essentia actualitas essentialis, quia hęc est actualitas posterior, & secunda, quandoquidem actualitas essentię dependet in genere causę formalis ab existentia, vt infrà probabitur.

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem; sed potius ex hoc quod essentia subiectiua creaturę non est essentialiter sua existentia, sequitur quod sit sua actualitas essentialis, quia ex hoc, quod essentia subiectiua creaturę non est sua existentia, sequitur quod essentia subiectiua creaturę est essentialiter actu potentia ad existentiam; at esse essentialiter actu potentia ad existentiam, est ipsa actualitas essentialis.

Cum verò dicit opponens: remota existentia ab essentia subiectiua, remouetur etiam essentia actualis subiectiua in ratione essentię; Primò hoc verum est, si remotio fiat sine tractu ad aliam existentiam, non autem si fiat remotio per tractum ad aliam existentiam, vt contingit cum separatur à materia prima vna forma substantialis in corruptione naturali; Secundò ex hoc, quod essentia subiectiua creaturæ non est essentialiter sua existentia, sequitur quod essentia actualis in ratione essentię sit dependens in genere causę formalis terminatiuè à sua existentia; hęc autem dependentia necessariò, supponit actualitatem essentialem essentię subiectiuę in locutione intran-

transitiua esse distinctam, & diuersam realiter ab existentia pariter subiectiua; quia nihil potest dependere à seipso. Aduersarijs incumbit probare, essentiam subiectiuam creaturæ secundùm se excludere à sua ratione essentiali actualitatem essentialem, quod implicat in terminis; quia actualitas essentialis est actualitas intransitiua essentiæ, non autem transitiua; nimirùm, est actualitas, quæ est ipsa essentia actualis in ratione essentiæ.

Quartum argumentum est, hæc Thomistarum sententia fundatur in eo principio, quod datur duplex actualitas in creatura completa subiectiua; sed hoc principiũ est falsum; quia, inquit Suarez, illudmet esse intrinsecum, quo essentia creaturæ est actualis in ratione essentiæ est verum esse existentiæ; hoc autem posito, implicat dari aliam actualitatem, quæ sit actualitas existentialis. Assumptum probat Suarez, modo quo suprà; primò, quod hoc esse præcisè satis est ad propositionem de secundo adiacente, essentia est. Secundò, quia huic esse conueniunt omnia prędicata essentialia existentiæ; sed hęc, & similia argumenta plenè soluta sunt supra; & quidem primò falsum est, illud esse, quo essentia creaturę est actualis in ratione essentię, sufficere ad propositione de secundo adiacente; essentia est; & ratio in promptu est, quoniam essentiam existere significat essentiam esse completam in genere entis, nimirùm essentiam, quæ poterat esse, actu esse, quod significat essentiam esse completam in genere entis; at essentia pręcisè, vt actualis in ratione essentię importat tantùm ens, quod potest existere; de hoc autem pręcisè considerato non potest dici est, siuè existit; quia esse, siuè existere, significat essentiam, quę erat potens actu sub suo exercitio, & actu essendi, actu esse sub illo actuali exercitio, siuè actu essendi.

Hęc responsio communiter impugnatur ab Aduersarijs suis primis principijs, nimirùm essentia subiectiua creaturę, vt actualis in ratione essentię, includit essentialiter hęc duo, nimirùm potentiam, & actum essendi; idque ostendi potest primò, quia essentia creaturę completę, vt actualis in ratione essentię extrà Deum, est intrinsecè creata, siuè producta cum sua subsistentia, si sit essentia substantię, vel cum sua inexistentia in subiecto inhæsionis, si sit essentia accidentis; sed productum intrinsecè, siuè creatum inuoluit intrinsecè potentiam, & actum, quibus adęquatè constituitur in genere entis; nam ens adæquatè diuiditur per potentiam, & actum. Secundò, quia huiusmodi essentia in priori naturæ est potens, siuè non repugnans esse extrà suum nihilum; in posteriori verò naturę, sed, in eodem instanti, est actu extrà suum nihilum, & extrà suas causas; sed per hęc duo est completum in genere entis; genus autem completur in genere entis per essentiam, & per existentiam.

Sed hæc instantia distinctione facilè soluitur; productum enim cum alio, stat dupliciter, materialiter, & formaliter; scilicèt, vt pars materialis producti, & vt pars formalis. Productum cum alio formaliter inuoluit existentiam subiectiuam, sed extrà suam essentiam; quia productio passiua fundatur in potentialitate, sed ens potentiale essentialiter est, quod habet existentiã subiectiuam extra sua essentiam. Essentia creaturę completę producitur simul cum sua existentia materialiter, non formaliter; quia essentia in creatura completa est terminus materialis productionis, cum sit essentialiter in potentia ad esse, nimirùm, ad existentiam subiectiuam; ac proindè non inuoluit in ratione essentię actualis essentialiter esse; sed inuoluit esse extrà suam essentiam.

Secundum argumentum Suarez, scilicèt, quod actualitati essentiæ conueniunt omnia prędicata propria existentię, soluitur vt supra; prędicata enim propria existentiæ, sunt esse productum, siuè temporale, siuè contingens cum alio, vt terminus formalis productionis, siuè creationis, non autem vt terminus materialis; essentia verò creaturę completę in ratione essentię est producta temporalis, & contingens, vt terminus materialis creationis; & hęc est differentia inter essentiam actualem in ratione essentię, & inter eius existentiam in creatis, quomodo autem essentię creaturarum dicantur esse ęternę veritatis, & necessarię, in sequenti articulo, & in alijs plenè explicabitur.

Vltimum argumentum, quod magnifit à Suarez, & à cęteris eiusdem sententię, est quoniam actualitas essentialis, est actualitas formalis essendi extrà nihilum, & extrà causas; sed hęc est formaliter, & proprijssimè existentia creaturę; ergo, &c. Maior probatur, quia essentia creaturę, vt actualis in ratione essentię seipsa vt sic est extrà suum nihilum, & extrà suas causas.

Respondent primò ferè communiter Thomistę; essentiam creaturę vt actualem in ratione essentię, esse extrà suum nihilum essentiale, non autem extrà suum nihilum exi-

exiſtentiale; nihil enim duplex eſt, ſicut duplex eſt ens, aliud eſſentiæ, & aliud exiſtẽtiæ, ſiuè aliud eſſentiale, & aliud exiſtentiale; ens actuale extrà nihilum exiſtentiæ, eſt formaliter exiſtentiæ.

Sed hęc reſponſio eſt ſecundũ opinionem dicentium, eſſentiam creaturæ in ratione eſſentię cauſari à Deo tantum idealiter. Sed hæc reſponſio ſubſiſtere non poteſt iuxtà oppoſitam opinionem, quam nos ſequemur, aſſerentium eſſentiam creaturæ in ratione eſſentiæ intrinſecè produci ſimul cum ſua exiſtentia, iuxtà quam opinionem.

Reſpondeo: eſſentiam creaturæ vt actualem in ratione eſſentiæ, eſſe ſeipſa in genere cauſæ materialis extrà ſuum nihilum; quia ſeipſa eſt cauſa materialis exiſtentiæ; cauſa autem in eo, quod cauſat, eſt independens à ſuo cauſato, & ſeipſa, ſicut eſt in ſuo genere cauſæ, ità ſeipſa in ſuo genere cauſæ eſt extrà ſuum nihilum; exiſtentia verò ſubiectiua eſt actualitas eſſendi extrà nihilũ, & extrà cauſas in genere cauſæ formalis terminatiuæ; duplex enim eſt cauſa formalis; alia eſt conſtitutiua, & alia eſt terminatiua potentialitatis ſubiectiuæ; ſed de hoc fuſiùs dicetur ſequenti articulo.

---

## ARTICVLVS TERTIVS.

### Vtrum in creatis eſſentia, vt actualis in ratione eſſentię, ſit diſtincta diſtinctione reali actuali ab exiſtentia, & quomodo.

ARticulus hic valdè controuerſus eſt etiam hoc tempore; plures enim doctiſſimi Metaphyſici, ſequentes Nominalium opiniones, acerrimè defendunt, eſſentiam creaturæ in ratione eſſentię, nulla ſpecie diſtinctionis realis, diſtingui ab exiſtentia, contrà S. Thomam, & Scotum; hę enim duæ primæ Scholæ inter eſſentiam, & exiſtentiam in creatis aſſerunt diſtinctionem in re: ſolùm diſcrepant in modo, ſiuè ſpecie diſtinctionis realis; nàm S. Doctor ponit diſtinctionem realem inter realitatem, & realitatem formaliter; Scotus verò diſtinctionem ex natura rei, modi, & rei.

Punctus difficultatis iſte eſt; ideò eſſentia in creatis ponitur realitas diſtincta ab exiſtentia realiter; quia eſſentia in creatis indifferens eſt, quod ſit, vel quod non ſit; ſed hęc ratio non cõcludit omninò; quia adhuc exiſtentia, eſt indifferens vt ſit, vel vt non ſit; ſed hęc indifferentia in exiſtentia, non eſt ratio ſufficiens ad diſtinguendum exiſtentiam vt poſſibilem eſſe, ab exiſtentia actuali; idem quippè animal eſt in potentia, quod eſt in actu, teſte Ariſtotile *9. met.*, ergo neque indifferentia eſſentiæ, vt ſit, vel vt non ſit, eſt ſufficiens ratio ad diſtinguendum eſſentiam in creatis ab exiſtentia.

Quod ſi primò dicas, indifferentiam ad eſſe, & non eſſe, quæ diſtinguit eſſentiam ab exiſtentia realiter, eſſe indifferentiam ſubiecti, ſiuè potentię ſubiectiuæ; non autẽ indifferentiam obiecti, ſiuè potentiæ obiectiuę; nimirùm, eſſe indifferentiam ſubiecti reſpectu ſui actus ſubiectiui; at verò exiſtentia, eò quod aliquando eſt, & aliquando nõ eſt, non dicit indifferentiam ſubiecti ad ſuum actum ſubiectiuum in ea receptibilem; ſed dicit idem prorſus ens in diuerſo ſtatu; potentia verò ſubiectiua ſemper eſt aliud realiter à ſuo actu, à quo completur; quia eſt realiter ens incompletum, & complebile.

Inſurgunt ſtatim Aduerſarij, hanc diuerſitatem indifferentiæ ſubiecti, & obiecti, ſiuè termini, nullam eſſe ad probandam diſtinctionem realem eſſentiæ ab exiſtentia; nàm dicunt, quod potentia ſubiectiua exiſtentiæ, eſt adhuc potentia obiectiua, quia eſt intrinſecè concreabilis ſimul cum ſua exiſtentia; ſed indifferentia potentiæ obiectiuæ, non requirit neceſſariò diſtinctionẽ realem ab exiſtentia; ergo neque indifferẽtia ſubiecti ad eſſe. Quod eadem potentia poſſit eſſe ſimul obiectiua, & ſubiectiua oſtenditur etiam ex eo; quia non ſunt ſecundùm idem.

Quod ſi ſecundò dicas: multa prædicata eſſentialia prędicantur de eſſentia creaturæ, quæ negantur de eſſentia eiuſdem, & è conuersò; & tamen hæc diuerſitas prædicatorum non eſt ſufficiens ad ponendam diſtinctionem realem eſſentię ab exiſtentia; ergo quod de eſſentia creaturæ prædicetur indifferentia ſubiecti, quæ non prædicatur de exiſtentia, & è conuerſo, quod indifferẽtia obiecti, ſeù termini prædicetur de exiſtentia creaturæ, & non de eſſentia eiuſdem, neque eſt cauſa ſufficiens ad ponendam diſtinctionem realem eſſentiæ ſubiectiuę à ſua exiſtentia. Antecedens probatur; nàm de eſſentia in creatis prędicatur potẽtia, v.g. obiectiua, & non prædicatur actus obiectiuus; ſicut è conuerſo de exiſtentia, prædicatur actus obiectiuus, qui non præ-



Digitized by Google

dicatur de essentia creaturæ; sicut de Diuina essentia prædicatur communicabilitas, & non de Persona; sed hęc diuersitas prædicatorum, quæ affirmatur de essentia, & negatur de personis, non tollit indistinctionem, & identitatem formalem essentiæ à Diuinis Personis; neque ponit aliquam realem distinctionem inter essentiam Diuinā, & Diuinas Personas; ergo neque ex eo quod de essentia in creatis prædicatur indifferentia subiecti ad esse, quæ negatur de existentia, habetur ratio sufficiens ad distinguendum realiter essentiam ab existentia in creatis.

Ob hanc rationem dubitandi contrà S. Thomam, & Scotum, opinantur Nominales, & qui eos sequuti sunt, essentiam ab existentia in creatis sola ratione distingui; isti tamen inter se toto Cœlo diuisi sunt.

Quidam ex ponentibus distinctionem rationis, defendunt illam dicentes, quod conceptus essentię, & existentię in creaturis, sunt distincti, scilicèt, quantùm ad earum prędicata formalia; sed tamen indistincti realiter; & isti sine dubio tolerabiliùs opinantur, non enim faciunt essentiam creaturę chymericam, si essentia in creatis præcisè sumatur.

Alij distinctionem rationis defendunt ex alio capite, sine dubio minùs tolerabili; quia nimirùm ponunt essentiam, pręcisam ratione ab existentia, nihil prorsus esse; itaùt non sint duo extrema in re solùm indistincta; sed habent hoc, quod vnum extremum pręcisum ab alio, non est extremum in re; sed est extremum solùm ex imperfectione concipientis, quia scilicèt in re est vna realitas, quæ est essentia, & existentia vario modo concepta, sicut v.g. cum prędicatur idem de seipso, non sunt duo extrema; sed vnum extremum, quod concipitur vario modo, & vt subiectum, & vt prędicatum.

Sed quicquid sit de Authorum mente, & opinionibus, sequentibus conclusionibus explicabitur, & resoluetur quid dicendum, in hac celebri, & fundamentali quæstione, quæ est prima radix variarum opinionum, tùm in metaphysica, tùm in theologia.

Prima conclusio. Essentia obiectiua, & existentia pariter obiectiua, nulla distinctione reali, quæ est per intrinsecam diuisionem realitatis, distinguuntur inter se in creaturis, siuè incompletis, siuè completis in genere entis. Hic sumuntur essentia, & existentia obiectiuè, non solùm in essendo, sed etiam in causari; dicitur essentia obiectiua in essendo, ens extrà Deum, quatenùs in priori naturæ est potens esse extrà suum nihilum; existentia verò pariter in essendo obiectiua, dicitur illud ipsum ens, quatenus est actu, & formaliter extrà suum nihilum, vt obiectum potentiæ creatiuæ, vel suæ causæ productiuę: potentia autem obiectiua in produci dicitur ens, quatenùs potens est produci, siuè ens vt causabile; & existentia obiectiua in causari dicitur illud ipsum ens, quatenus est actu causatum, & productum, siuè quatenùs est actu extrà suam causam. Differunt essentia, & existentiæ obiectiuæ in essendo, siuè in esse à seipsis, vt sunt essentia, & existentia obiectiua in causari; quia primo modo sunt per posse esse, & per actu esse extrà suum nihilum; sed virtutæ saltem causę primæ. Secundo modo verò dicuntur per rationem producibilis, & producti. In sensu huius conclusionis puto intelligendos esse complures Metaphysicos, qui dicunt essentiam in ente creato non distingui ab existentia sui generis, nisi ratione inadæquatè cognoscente vnum, ac idem ens, quandoquidem prędicti non agnoscunt in ente creato aliam essentiam, & existentiam, nisi obiectiuas, quod clarè explicat Suarez *tomo 2. disputation. 31. section. 6. numer. 23.* dicens, eandem rem esse essentiam, & existentiam; nàm est conceptibilis sub ratione essentiæ, quatenus concipitur vt ratio formalis, qua vnumquodque est in genere, vel specie entis; est enim, inquit, essentia, id quo primò vnumquodque constituitur intra latitudinem entis realis, vt distinguitur ab ente ficto; est verò eadem res conceptibilis sub ratione existentiæ, quatenus concipitur, vt ratio essendi actu in rerum natura, & extrà causas, quæ quidem definitiones essentiæ, & existentiæ sunt definitiones essentiæ, & existentiæ in ratione obiecti; quoniam istæ definitiones conueniunt essentiæ, & existentiæ in ente creato in generali, quod commune est enti completo, & incompleto in genere entis: in hoc autem ente, vt suprà ostendimus, sunt solùm essentia, & existentia in ratione obiecti, siuè obiectiuę; etenim essentia, & existentia subiectiuæ, siuè in ratione subiecti, sunt solùm in ente creato cōpleto in genere entis, vt sequenti conclusione probabitur; ens autem creatum formaliter, & in generali pręscindit formaliter ab ente completo in genere entis; sicut, & ab ente completo spe-

in specie, collocata directè sub aliquo genere prædicamentali.

Fundamentum conclusionis est, quoniam essentia obiectiua formaliter idem est, quod ens, quatenùs creabile, seù possibile creari; existentia verò pariter obiectiua est ens, quatenùs actu productum extrà nihilū, & extrà suas causas; sed ens vt producibile, & ens actu productum, sunt idem prorsus ens; sed in diuerso statu, modo quo suprà explicauimus; ergo essentia, & existentia in ratione obiecti sunt idem prorsùs ens, quod diuiditur solùm per diuersos status essendi participantibus idem omninò ens; ergo nō distinguuntur per diuisiones realitatis in plures realitates; discursus est euidens; quia illud ipsum, quod in priori naturæ, est intrinsecè possibile, siuè produci extrà nihilum, siuè extrà suas causas, in posteriori naturæ; sed in eodem instanti est actu productum, quod esse actu extrà suum nihilum, & extra suar causas.

Dices: essentia, & existentia in ratione obiecti sunt primæ differentiæ entis; sunt enim potentia, & actus entis creati in generali, & vt sic; istæ verò sunt primæ differentiæ entis; sed differentiæ entis intrinsecè diuidunt ens; ergo essentia, & existentiæ obiectiuè distinguuntur inter se distinctione realitatis à realitate.

Respondeo: distinguo maiorem; sunt primæ differentiæ entis quantùm ad diuersos status vnius, & eiusdem entis, & concedo; sunt primæ differentiæ entis creati; secundùm diuersos gradus formales entis, vel quatenùs sunt primi modi diuisiui intrinseci entis; sicut sunt modi, quibus diuiditur ens creatum in decem prima genera prędicamentalia, & nego; & ratio est; quia essentia, & existentia in ratione obiecti; nihil aliud sunt, nisi ens, vt potens produci, & vt actu productum, siuè ens, vt actu causabile, & vt actu causatum: sed idem ens omninò significant ens possibile produci, & ens actu productum, vt docet Aristotiles 9. *met.*, dicens quod idem est homo in potentia, & homo in actu; causa huius est essentia receptiua esse.

Secunda conclusio. Essentia, & existētia in ratione subiecti, siuè subiectiuæ in ente creato completo in genere entis, distinguuntur inter se realiter, vt duæ actualitates diuersæ actu realiter, nimirùm independenter ab omni opere nostri intellectus. Hæc conclusio alijs verbis explicari solet, nimirùm essentia, & existentia in essendo in ente creato completo in genere entis sunt realitates formaliter actu distinctæ, præscindendo à determinata specie distinctionis realis. Conclusio hęc in terminis est S. Thomæ in 1. *sententiarum disp.* 8. *qu.* 1. *art.* 1. vbi docet solum ens creatum completum, esse compositum ex essentia, & existentia, cuius ratio est, quia essentia, & existentia subiectiuę, solùm reperiuntur formaliter in ente completo in genere entis; quia hoc solùm ens dicitur propriè, & perfectè actu existens; alia verò entia dicuntur existentia per similitudinem, & analogiam; quia vel sunt sola essentia, vel sola existentia. Hanc conclusionem negant apertè Nominales, & qui Nominales sequuntur; concedunt autem apertè illam, tùm S. Thom., & Scotus, qui discrepant solùm in modo distinctionis realis; nàm Scotus ponit essentiam in creatis distingui ab existētia distinctione modali, scilicèt rei, & modi; S. Thomas autem ponit essentiam distingui ab existentia distinctione realitatis à realitate formalitèr; & fortè neque in hoc discrepāt, nàm Scotus concedens distinctionem essentiæ ab existentia in creatis rei, & modi, nō loquitur de modo intrinseco; sed de modo extrinseco, vt est gradus intensionis in qualitate; at modus extrinsecus est formaliter ens; sed se habens ad modum modi intrinseci. Ex professò hanc distinctionem realē essentiæ ab existentia in ente reali completo, etiam asserit S. Thom. 2. *contra Gentes*, c. 52. quem latè explicat Ferrariensis in *opusc. de ente, & essentib*, c. 5. quem profundè satis explicat Caiet. & sequitur, ibi enim docet S. Thomas, quod si essentia in creatis non esset receptiua realiter suæ existentiæ, non haberet existentia in creatis, vndè limitaretur; limitatur quippè receptiuo suo. Eandem doctrinam docet etiam 3. *p. in materia de Incarnatione*, vbi asserit Christum Dominum, non solùm subsistere substantia Verbi Diuini; sed etiam existere existentia eiusdem Verbi Diuini; quodquidem non esset possibile, si existentia, nimirùm, subiectiua in creaturis completis in genere entis, non esset distincta realiter à sua existentia pariter subiectiua.

Primum, & vnicum fundamentum, in quo alia radicantur S. Thomæ est, quia in omni ente creato completo in genere entis, siuè illud sit substantia, siuè accidens; reperitur esse secundùm quid receptum realiter in subiecto: at hoc necessariò precedit esse simpliciter receptum realiter in essentia indiuiduali eiusdem generis; ergo in omni ente creato completo in genere entis reperitur esse simpliciter receptum realiter in essentia; sed hoc esse simpliciter est reali-

ter distinctum ab essentia; ergo in omni ente creato completo in genere entis, distinguitur realiter esse simpliciter ab essentia; hoc est esse existentiæ subiectiuæ in locutione intransitiua. Maior est euidens, quoniam, vt docet Caietanus in *opusc. de ente, & essentia* cum S. Thoma, omne ens essentiale limitatum, siuè creatum habet aliquid præter se receptum in se receptione accidẽtali; & ratio huius à priori est; quia quodlibet genus entis essentialis est limitatum ad vnum tantùm genus entis; sed hoc est perfectibile perfectione, siuè forma accidentali, quæ nimirùm est extrà suum genus; ergo, &c.

Tota difficultas est in ostendenda minori propositione, quod receptionem esse secundùm quid in quolibet genere necessariò præcedat esse simpliciter receptum realiter in essentia eiusdem generis, & hoc probatur primò; quia omne secundùm quid supponit suum simpliciter, nàm substantiã esse quantam supponit substantiam esse, siuè existere simpliciter, hoc est, sine addito; albedinem esse dulcem, vel amaram supponit albedinem esse, siuè existere simpliciter; idem dicendum de cæteris, semper enim rem esse talem, supponit rem esse, quod est esse simpliciter; sed esse simpliciter esse secundùm quid recepti realiter in subiecto, est esse simpliciter receptum realiter in essentia; ergo esse simpliciter receptum realiter in subiecto supponit necessariò esse simpliciter receptum realiter in essentia eiusdẽ entis, in qua recipitur realiter esse secũdùm quid, quod est esse accidentale, nimirùm, formæ diuersi generis.

Pro veritate rationis, notandum est, hìc esse simpliciter, non sumi pro esse, quod dat forma substantialis, ad differentiam formæ accidentalis, quoniam in hoc sensu solùm esse simpliciter distingueretur in substantia à quidditate substantiæ; at vt diximus in conclusione existentia subiectiua distinguitur vniuersaliter in omni genere entis creati à sua essentia; sed sumitur esse simpliciter pro esse existentiali, quo essentia in quolibet genere est simpliciteer, nimirùm sine addito; siuè, quod idem est, pro esse existentiali primo in quolibet genere entis completi, & dicitur esse simpliciter; proùt idem est esse simpliciter, quod sine addito, ad differentiam esse secundùm quid, quod dicitur esse cum addito; v. g. albedinem esse, est esse simpliciter albedinis; albedinem verò esse dulcem, aut amaram dicitur esse secundum quid; idest esse tale.

Secundò, eadem minor probatur à priori; esse simpliciter in creaturis completis causat realiter in se esse secundùm quid distinctum realiter; sed eadem ratio est, vt esse simpliciter receptum realiter in essẽtia causet realiter esse secundùm quid realiter receptum in eodem subiecto; vtrumq; enim esse est esse simpliciter in suo genere; ergo esse receptum simpliciter in subiecto, siuè in essentia necessariò est causa esse recepti secundùm quid in eodem. Maior huius argumenti est euidens; quia prius in essendo causat secundum. Quod si Aduersarij hoc negent, reddant disparitatem. Potest eadem minor probari principio illo vniuersalissimo; in vnoquoque genere datur vnum primum, quod est causa cæterorum; sed in genere esse recepti datur esse receptum secũdum quid, quod esse receptum accidentaliter; ergo debet dari in quolibet genere entis, primum esse receptum in subiecto; at hoc non potest esse aliud, nisi esse receptum simpliciter in essentia; ergo, &c.

Hanc ipsam rationem sub alia forma proponit Caiet. *loc. sup. cit. de ente, & essentia, c. 5. his verbis*.

Omnis essentia creata, nimirùm, in ente creato completo, habet in se realiter coniunctum esse accidentale; prẹter suum esse, nullum ẹsse irreceptum habet aliquid sibi annexum præter se; ergo nullum esse irreceptum est essentia creaturæ, & consequenter esse, & essentia, non sunt idem in creatis; esset enim ipsum esse irreceptum essentia creaturæ, sicut in Deo esse est Dei essentia. Ab alijs explicatur eadem ratio alijs terminis; si essentia in creaturis non distingueretur ab esse; essentia creaturæ esset essentialiter ipsum esse irreceptum; sed hoc est impossibile; quia esse irreceptum est infinitum formaliter; esse verò existentiale in creatis est formaliter finitum, & limitatum; hoc autem si esset irreceptum realiter in essentia, esset infinitum, quia limitatio esse non potest esse, nisi à suo receptiuo; etenim limitatio actus, vel est ex differẽtia, vel est ex receptiuo, non potest esse limitatio esse essentiæ in creatis per differentiam formalem; quia existentia est vltimus actus essentiæ completæ vsque ad differentiam indiuidualem inclusiuè; ergo debet limitari à suo receptiuo, & consequenter debet esse essentialiter receptum in ente essentiali; differentia enim est limitatiua, quia est diuisiua, & restrictiua; differentia autem adæquatè alia est formalis, & alia est materialis.

Ex hac doctrina S. Thomæ multa sunt corollaria.

Pri-

Primum est, quod vbi est irreceptio simpliciter, ibi de necessitate est irreceptio secundum quid; ita concludit S.Thomas in Deo, tùm *p.p.* tùm *in lib.sententiarum*, quod in Deo non est compositio accidentis, nimirum ex subiecto, & accidente: à priori, quia in Deo non est compositio ex eo quod est, & ex eo quo est, nimirum, ex essentia, & esse; est enim, inquit S. Thomas, Deus sibi suum esse; secùs verò in creaturis; nam distinguitur recipiens ab esse recepto, scilicet essentia ab existentia, vel id quod est, ab eo quo est; è contrario verò concludit in Angelis intelligere non esse Angeli essentiam, quia in Angelis esse, non est Angeli essentia, idest esse in Angelo, non est esse irreceptum realiter; esse autem receptum realiter in essentia, non solùm est indistinctum realiter ab essentia, sed adhuc est essentialiter ipsa rei essentia.

Secundum corollarium est, quod omne esse irreceptum realiter in ente essentiali, siuè in essētia, est ens infinitum simpliciter; quæ ratio, quicquid in contrarium aliqui afferant, semper mihi efficacissima fuit: sensus verò formalis huius corollarij est; actus essendi irreceptus, siuè esse existentiale irreceptum in essentia, non habet in se vndè limitetur; nam actus essendi, siuè existendi irreceptus, non est limitatus, quia actus limitatur, vt docet S.Thomas *p.p. q.7. art.1.* ex suo subiecto, sed esse irreceptum caret subiecto limitante; ergo esse irreceptum non habet in se vndè limitetur. Discursus est euidens, quia limitatio intrinseca est, quędā imperfectio, at prima radix limitationis est in materia, siuè subiecto.

Hanc rationem, siuè hoc corollarium impugnat Albertinus *in prędicamento quantitatis concl.6. dubit.7. num.2. & 5.* dicens, quod ex esse irrecepto in subiecto, sequitur quidem illud non posse limitari per receptionem in alio, nimirum per rationem receptibilis in alio; non tamen sequitur illud esse infinitum simpliciter; quia inquit posset dici, quod hoc esse ex suo conceptu sit determinatum, ac natura sua finitum: sicut, inquit, multi Theologi tenent, quod essentiæ creatæ sunt ex se determinatæ; & tamen non pendent effectiuè à Deo, secundùm esse actuale essentiæ.

Sed hęc impugnatio nulla est; Primò, quia omnis limitatio est per differentiam diuisiuam; sed esse irreceptum in essentia, nullā habet differentiam, illud diuidentem, & contrahentem; nam differentiæ diuisiuę esse, sunt esse receptibile in pluribus, ac diuersis essentijs; diuiditur etenim esse creatum in esse, angelicum, humanum, equinum, &c. istæ verò differentiæ sunt receptibilitates esse in diuersis essentijs, quæ sunt diuersa subiecta esse; sed esse irreceptibile nullam habet differentiam receptibilis, quia caret subiecto in quo recipiatur, vel in quo sit receptibile; ergo esse irreceptum in essentia non habet in se vndè limitetur, & consequenter non potest dici, quod sit determinatum ad finitum sua natura. Neque valet exemplum de essentia creaturę, non solùm quia essentia creaturæ inuoluit differentiam essentialem, vt humanitas, vel equinitas; sed etiam metaphysicè, & à priori, essentia creaturæ est limitata in genere entis, quia est receptiua sui esse, seù suæ existentiæ; potentiæ enim, & actus in ratione subiecti, sunt primæ differentiæ entis, quibus caret essentia, quæ est essentialiter suum esse.

Tertium corollarium est, quod esse irreceptum in essentia est vnum tantùm, omninò immultiplicabile per diuisionem intrinsecam esse, quoniam est vnum esse, quod est omne esse in tota latitudine esse formali, hoc autem esse irreceptum est omninò illimitatum in ratione entis. Maior probatur; quia limitatio in ratione entis est per primas differentias entis, quæ sunt potentia, & actus in ratione subiecti; sed esse irreceptum essentialiter à se excludit primas differentias entis, quæ sunt esse receptiuum, & receptibile in ratione entis.

Hinc intelligitur primò quid sibi velit S. Thomas, dum dixit qualitates sine subiecto, idest, irreceptibiles in subiecto, esse infinitas in suis rationibus formalibus, quia carent limitatiuo.

Intelligitur secundò, cur esse irreceptum sit esse purissimum; etenim esse irreceptum excludit à se omnem differentiam limitantem, tam formalem, quàm materialem, à quibus impuratur esse; prędicta ratio sub diuersa forma, & terminis proponi solet, sed vis eius radicalis iam explicata est.

Suarez *tom.2. suæ methaphysicæ, disp.31. à num.14.* conatur soluere varijs vijs hanc rationem.

Respondet enim primò, concedens in omni ente creato completo in genere entis reperiri formaliter esse secundùm quid realiter receptum in eo, tanquam in subiecto; sed negat hoc esse secundùm quid receptum realiter in subiecto supponere esse existentiale simpliciter receptum in essentia; quia satis est ad esse receptum secundùm quid in subiecto, vt supponat exīstētiam actualem entis creati, completī in genere entis, receptam,

tam; vel in ſuppoſito, vt eſt eſſe, ſecundùm quid receptum realiter in ſubſtantia creata; vel receptam in ſubiecto inheſionis, vt eſt eſſe ſecundùm quid receptum realiter in ſubſtãtia,& vt eſt eſſe accidentale receptum in quantitate, & eſſe accidentale receptum in qualitate, vt eſt eſſe dulce, vel amarum receptum in albedine, & huius hanc affignat rationem, quia hoc tantummodò ſatis eſt.

Sed hæc reſponſio facilè reijcitur, ex eodem principio.

Primò, quia eſſe receptum ſecundùm quid realiter in ſubiecto,debet præſupponere eſſe receptum ſimpliciter in eodem ſubiecto; ſed eſſe receptum in ſuppoſito, vel in ſubiecto inheſionis,non eſt eſſe receptum ſimpliciter in ſubiecto,cũ nõ ſit primum eſſe receptum;quia datur eſſe eſſentialiter receptum in ente eſſentiali ſimpliciter, quod eſt prius ſimpliciter eſſe recepto in ſuppoſito, vel in ſubiecto inhæſionis, & hoc probatur. Primò, quia eſſe receptum realiter in eſſentia indiuiduali conuenit enti creato ſecundùm abſolutam entis creati rationem; eſſe verò receptum in ſuppoſito, vel in ſubiecto inhæſionis conuenit enti creato, non abſolutè,ſed vt contractum ad ſubſtantiam, vel ad accidens; prius autẽ natura eſt quod conuenit enti creato ſecundum abſolutam eius rationem, quàm quod conuenit ei ſecundùm quod eſt contractum ad aliquod ſpeciale prædicamentum. Hac ratione Sanctus Thomas probat, quod verum eſt prius, quam bonum in ente *p.p. q.16.art.4.in corp.* nam verum,inquit, reſpicit ipſum eſſe ſimpliciter, & immediatè, ratio autem boni conſequitur eſſe ſecundùm quod eſt aliquo modo perfectum: ſic enim inquit, appetibile eſt. Quod eſſe exiſtentiale receptum in eſſentia conueniat enti creato ſecundùm abſolutam rationem entis creati, nimirùm completi; oſtenditur. Primò, quia eſſe receptum realiter in eſſentia conuenit omni enti creato completo in genere entis, nimirum conuenit omnibus decem generibus prædicamentalibus; eſſe verò receptum in ſuppoſito conuenit tantùm enti prædicamenti ſubſtantiæ:Secundò;eſſe receptum in eſſentia,dicit eſſe receptum ſecundùm abſolutam rationem eſſe recepti, eſſe verò receptum in ſuppoſito, vel in ſubiecto inhæſionis, ſunt eſſe receptum ſecundùm aliquam determinatam rationem eſſe recepti, ſed prius eſt eſſe ſecundùm abſolutam rationem eſſe, quàm ſit eſſe ſecũdùm aliquam determinatam rationem, vt ſæpè repetiuimus.

Dicet aliquis: ſubſiſtentia in ſubſtantia creata præcedit receptionem exiſtẽtiæ ſubſtantialis,vt probat Caiet.cũ S.Thoma *3.p. q.17.* ergo falſum eſt, eſſe exiſtentiale receptum in ente eſſentiali completo in genere entis; eſſe primum in genere eſſe recepti in ſubiecto.

Reſpondeo, ſubſiſtentiam eſſe priorem in ſubſtantia creata, quam ſit exiſtentia ſubſtantialis, vt actus recipiendi non recipiens prioritate,tamen ſecundùm quid,non ſimpliciter, & abſolutè; exiſtentia verò ſubſtantialis, eſt prior prioritate abſoluta, & ſimpliciter, quam ſit ſubſiſtentia: ad eum prorsùs modum, quo in eodem ente, prius eſt verum, quam bonum; & è conuersò, prius eſt bonum, quam verum, ſecundùm diuerſas determinatas rationes entis; ſed ſimpliciter, & abſolutè prius eſt verum, quam ſit bonum; quia vt dixi,verum reſpicit ens ſimpliciter, & immediatè; bonum verò conſequitur ens ſecundùm quod eſt, aliquo modo perfectum, ſeù in actu: pariter in re noſtra,ſubſiſtentia præcedit in ſubſtantia creata in genere cauſæ materialis exiſtentiam ſubſtantialem; & è conuersò, exiſtentia ſubſtantialis in genere cauſæ formalis præcedit ſubſiſtentiam; at ſimpliciter, & abſolutè, exiſtentia ſubſtantialis præcedit ſubſiſtentiam, ſicut intellectus, & voluntas in diuerſo ordine, & in diuerſo genere cauſæ, mutuò ſeſe præcedunt, & ſubſequuntur, vt explicat S. Thomas *p.p. q.16.* abſolutè autem, & ſimpliciter potentia intellectiua, præcedit potentiam appetitiuam, ſiuè voluntatem; quandoquidem obiectum intellectus eſt ens, ſiuè intelligibile ſecundùm abſolutam ſui rationem: obiectum verò formale voluntatis, cum ſit bonum, ſiuè appetibile, conſequitur ens ſecundùm quod eſt aliquo modo in actu; conſequitur enim ens ſecundùm quod eſt perfectum; pariter exiſtentia ſubſtantialis, prout contradiſtinguitur à ſubſiſtentia, vt fusè probabitur ſequenti articulo, in genere cauſæ formalis præcedit ſubſiſtentiam. E' conuersò verò ſubſiſtentia in genere cauſæ materialis præcedit exiſtentiam; verum abſolutè, & ſimpliciter exiſtentia etiam vt ſubſtantialis præcedit ſubſiſtentiam; quia conuenit naturæ ſubſtantiæ ſecundùm abſolutam eius rationem; ſubſiſtentia verò conſequitur eandem naturam ſubſtantiæ, ſecundùm quod eſt vltimum ſubiecti in genere ſubſtantiæ, vt clariùs infrà dicetur.

Cum verò dicunt S.Thomas, Caietanus, & alij, naturam, ſiuè eſſentiam eſſe principium quo exiſtentiæ,quod videtur pertinere

re ad genus cauſæ formalis; loquuntur de eſſentia, ſiuè forma ſecundùm quod eſt inſtrumentum ſeparatum cauſæ efficientis, & ſecundùm quod eſt principium exercitij eſſendi, inquantum eſt veluti operatio actio; nam implicat formam, à qua eſt eſſentia, ſiuè natura, in eodem genere cauſę, eſſe cauſam, & effectum.

Reſpondet ſecundò idem Suarez *loc. ſup. cit. num.* 17. eſſe receptum eſſe duplicis conditionis; aliud eſt eſſe receptum ab alio tanquam à cauſa; & aliud eſt eſſe receptum in alio, tanquam in ſubiecto. Ad eſſe receptum ſecundùm quid in ſubiecto, ſatis eſt, inquit, vt præcedat eſſe receptum ab alio, tãquam à cauſa; & ratio huius eſt, quia vt eſſe ſecundùm quid ſit receptum in quolibet genere entis realiter, ſatis eſt, vt eſſe ſimpliciter eiuſdem generis ſit intrinſecè limitatũ; quia debet eſſe perfectibile in alio genere; ſed eſſe ſimpliciter in quolibet genere entis limitatur ſufficienter per hoc, quod eſt receptum ab alio, tanquam à cauſa prima; quippè cauſa prima eſt cauſa analoga; effectus autem cauſæ analogæ eſſentialiter eſt limitatus; quia eſſentialiter eſt inadæquatus.

Sed hęc ſolutio non ſatisfacit methaphyſico principio; ſcilicet, quod omne eſſe ſecundùm quid, ſupponit ſuum ſimpliciter; ſed eſſe ſimpliciter eſſe ſecundum quid recepti realiter in ſubiecto: non eſt eſſe ſimpliciter ſui ſubiecti vt ſic, ſed eſt eſſe ſimpliciter receptum ſimpliciter in eſſentia, tum quia in quolibet genere, in quo dantur ſecunda, & poſteriora, debent dari vnum primum, quod eſt cauſa cæterorum in eodem genere; ſed dantur ſecunda eſſe recepta ſecundùm quid in ſubiecto in quolibet genere entis; ergo debet in eodem præcedere primum eſſe receptum realiter in eodem ſubiecto; hoc autem non poteſt eſſe aliud, niſi eſſe exiſtentiale ſubiecti immediati eſſe recepti ſecundùm quid.

Et redit argumentum à capite; eſſe ſimpliciter neceſſariò prǫcedit eſſe ſecundùm quid; ergo etiam eſſe ſimpliciter realiter receptum in ſubiecto, debet præcedere eſſe ſecundùm quid realiter receptum in ſubiecto; prius enim eſt eſſe receptum in ſubiecto realiter ſine addito, quàm tale eſſe, eſſe receptum in eodem ſubiecto; Secundò, reijcitur allata reſponſio ex alio etiam capite; quia non eſt dabile eſſe exiſtentiale receptum à cauſa efficiente, quin illud ipſum ſit receptum realiter in ſubiecto (prȩſcindendo a differentia, quæ eſt inter ſubiectum, & ens in potentia) ſed omne eſſe ſimpliciter in quolibet genere entis creati, eſt receptum à Deo, vt à primo efficiente; ergo debet etiam eſſe receptum in ſubiecto, ſcilicèt, in eſſentia realiter. Probatur maior, tum quia nullum eſſe exiſtentiale poteſt eſſe receptum realiter à cauſa efficiente, niſi illud ſit extrà rei eſſentiam realiter, quod probatur ex oppoſito; nam eſſe irreceptum in ſubiecto; ſcilicet eſſe exiſtentiale, eſt etiã irreceptum, ſiuè irreceptibile ab efficiente; ergo ex oppoſito omne eſſe exiſtentiale receptum à cauſa efficiente, debet eſſe receptum realiter in ſubiecto, ſiuè in eſſentia; tum etiam quia, ratio cur quolibet genus entis completi ſit per ſe creabile à Deo, eſt quia illud eſt eſſentialiter potentiale; ſed prima potentialitas in quolibet genere entis creati, eſt potentialitas ſubiectiua ad exiſtentiam; quia exiſtentia ſubiectiua eſt primus actus entis; ſed eſſe exiſtentiale eſſentiæ eſſentialiter potentialis in genere entis eſt extrà eſſentiam; hoc autem eſt realiter receptum in eſſentia, tanquam in ſubiecto realiter perfectibili in genere entis.

Reſpondent tertiò alij, quam etiam ſequitur Suarez, illud principium; omne receptum realiter in ſubiectum ſecundùm quid, ſupponit eſſe ſimpliciter receptum adhuc in ſubiecto; verum eſſe, quando eſſe ſimpliciter receptum in ſubiecto eſt poſſibile, ſeù non inuoluit contradictionem; falſum verò quando inuoluit cõtradictionem; at implicat contradictionem eſſe ſimpliciter recipi realiter in eſſentia; quia implicat eſſentiam vt actualem in ratione eſſentiæ in creatis diſtingui realiter ab exiſtentia; Explicatur reſponſio à ſimili. Opinantur plures docti Thomiſtæ, materiam primam eſſe puram potentiam in genere entis, quia datur actus purus, idq; probant, quia actus purus dicit actualitatem, non permixtam potentiæ; ergo datur pura potentia, quæ dicit puram poſſibilitatem ſubiectiuam non admixto termino huius poſſibilitatis; & hinc intelligitur actum eſſe impurum, quando participat de poſſibilitate, & termino poſſibilitatis, e. g. Deus eſt actus purus, quicquid enim in Deo actus eſt; creatura verò eſt actus impurus, nam nõ quicquid eſt in creatura, eſt actus, ſiuè terminus, ſed actus ideſt exiſtentia ſemper eſt receptus in potentia, nimirum in eſſentia. Pariter materia ſecundùm Thomiſtas eſt pura potentia; quia quidditas materiæ eſt in potentia ad omnem actum, & formalem, & exiſtentialem; hoc argumentum, quod apud Thomiſtas eſt demonſtratiuum.

Aduerſarij ſoluunt præmiſſa regula, & di-

Digitized by Google

distinctione, quod quando illatum, siuè consequens inuoluit contradictionem, consequentia non est bona; solùm bona est, quando illatum, siuè consequens non inuoluit contradictionem: at implicat, dicunt Aduersarij, dari puram potentiam; nam quicquid est extra Deum, inquiunt, est formaliter ens actu; sed materia est extra Deũ, in quantùm est potentia receptiua formæ; ergo in sua quidditate inuoluit aliquem actum essentialiter; ergo implicat materiam primam esse puram potentiam. Pariter dicunt esse discurrendum de esse simpliciter in quolibet genere entis, nimirum quod tunc esse receptum secundùm quid in subiecto supponit esse simpliciter receptum in eodem, quando hoc non inuoluit contradictionem; sed, vt modò probatum est, inuoluit contradictionem; ergo, &c.

Hæc responsio acuta quidem est; sed neque euacuat vim dati primi principij metaphysici; quandoquidem hoc principium metaphysicum S. Thomæ, non solùm ostẽdit esse possibile esse simpliciter in quolibet genere entis creati recipi realiter in essentia; sed etiam de facto illud esse, simpliciter receptum realiter in essentia creaturæ completæ in genere entis; nam implicat in aliquo genere dari secundum sine primo; daretur enim effectus sine causa, sed in quolibet genere entis creati per se, siuè completi, datur esse secundùm quid realiter receptum in subiecto, quod est posterius, & secundum in genere esse recepti, quia est tale esse receptum; hoc autem est posterius, & secundum in genere esse recepti in subiecto; ergo debet necessariò dari esse primum receptum in eodem subiecto; hoc autem est esse existentiale simpliciter, hoc est, sine addito, receptum in essentia. Discursus est euidens, sicut enim primum in quolibet genere est causa prima cæterorum, quæ sunt post in eodem genere, secùs daretur effectus sine sua causa; ita remoto primo à quocunque genere, remouentur omnia secunda ab eodem genere.

Dicet fortè Aduersarius: datur esse secundùm quid realiter in subiecto receptum, quod non præsupponit suum simpliciter, v.g. in Angelis datur forma accidentalis, recepta realiter in Angelo, tanquam in subiecto, v.g. sapientia, habitus, &c. quæ dat Angelo esse secundùm quid, receptum in eo realiter, & tamen hæc forma accidentalis non supponit esse suum simpliciter receptum realiter in eodem subiecto: at si verum esset vniuersaliter illud principium; omne receptum secundùm quid in subiecto, necessariò præsupponit esse receptum simpliciter in eodem subiecto, non daretur aliquod esse secũdũ quid receptũ realiter in subiecto nõ supponẽs suũ esse simpliciter; quia propositio vera vniuersalis verificatur de omnibus particularibus; erg. &c. Maior pbatur, quia forma accidentalis recepta realiter in Angelo non supponit aliam formã priorem dantem esse simpliciter; quia non supponit, nisi Angeli essentiam; hæc autem non est recepta, neque receptibilis in subiecto in esse naturali.

Respondeo primò: nego maiorem; nàm esse simpliciter, quod supponit esse secundũ quid, quod dat forma accidentalis significat hic primũ esse subiecti, in quo recipitur esse secundũ quid, quo est sine vllo addito genus entis, in quo esse secundùm quid, scilicèt esse tale, quod est esse cum addito; hoc autem non est, nisi esse existentiale generis, in quo est esse secundùm quid; esse enim subiectiuum est vna ex primis differentijs entis creati; argumentum vim haberet, si esse simpliciter sumeretur pro esse substantiali, siuè per se, quod distinguitur contra accidens.

Respondeo secundò: principium illud metaphysicum, esse secundùm quid supponit suum simpliciter, quod est possibile, non autem supponit esse simpliciter, quod non est possibile; esse simpliciter receptum realiter in subiecto, quod est possibile, est esse existentiale receptum realiter in ente essentiali, nimirùm in concreto indiuiduali essentiæ in quolibet genere entis completi; quandoquidem ad veritatem huius principij satis est, vt detur esse simpliciter receptũ realiter in eodem genere, in quo est esse secundùm quid: & hæc responsio non contradicit doctrinæ, quàm suprà docuimus, cum reiecimus responsionem illorum, qui dicũt, non dari esse simpliciter existentiale receptum realiter in creatura completa, quia hoc est impossibile; nàm instantia Aduersariorum, quàm reiecimus, affirmat dari aliquod esse secundùm quid receptum realiter, non præsupposito esse simpliciter, pariter recepto in eodem subiecto, quia hoc est simpliciter impossibile; nos autem contendimus omne secundùm quid, receptum realiter in subiecto, necessariò præsupponere esse simpliciter receptum in eodem subiecto, quodcumque illud sit, siuè proximum, & immediatum, siuè primum, & mediatum.

Respondet quartò, *Fasol. t. 1. in 1. p. S. Th. q. 7. ar. 1. dub. 8. n. 7.* esse receptum secundùm quid in quolibet ente creato supponere esse simpliciter receptum metaphysicè in essentia indiuiduali eiusdem entis; non autem præ-

præsupponere esse simpliciter receptum physicè; receptio verò metaphysica esse in essentia, non arguit distinctionem realem, quæ scilicèt est per intrinsecam diuisionem entis, & huius doctrinæ hanc assignat rationem; quia inter essentiam, & existētiam in creaturis, nimirùm completis, non est identitas formalis, siuè essentialis, sed tātum identitas realis; hæc verò licèt tollat esse receptū in essentia physicè, tamen nō tollit esse receptum in essentia metaphysicè, quod explicat exēplo differentiæ rationalis, quæ identificatur cum gradu animalis in vno, & eodem indiuiduo; hæc autem identitas impedit solùm receptionem physicam gradus rationalis in quidditate animalis; quia ad receptionem physicam requiritur distinctio realis per intrinsecam diuisionem esse, seù entitatis naturę receptiui à natura recepti; sed non impedit receptionem metaphysicam, quia ad hanc receptionem satis est, vt animal secundùm se præcisiuè non sit rationale, quæ est distinctio rationis diuidentis, secundùm Fasolum; secundùm Scotum verò, & alios, est distinctio formalis.

Quod si ei obijcias, vbi non est receptio physica esse simpliciter, ibi de necessitate est irreceptio physica esse secundùm quid; sed hoc posito, essentia creaturæ est physicè suum esse essentiale, quod implicat; quia quod est physicè, idest realiter, sua existentia, est etiam essentialiter sua existentia; quia existentia irrecepta realiter in essentia est intrà entitatem essentialem essentiæ; indistinctio enim realis, est quando entitas intrinseca vnius est intrà entitatem alterius; essentia autem non habet aliam entitatem, nisi essentialem. Hæc doctrina datur à Caietano in *p.p.q.3.ar.4.* vbi docet, quod per solam indistinctionem, siuè identitatem realem essentia cum existentia in Deo, essentia Dei, est esse Dei; & est ipsum esse subsistēs infinitum formaliter, & vnum tantùm; & ratio esse potest, quia per identitatem realem essentię cum existentia, Deus est actus purus, quod ex opposito fit manifestum, etenim si Dei essentia non esset realiter suum esse, Dei essentia esset in potentia ad esse.

Respondere poterit statim Fasolus, quod adhoc vt essentia sit essentialiter sua existentia, quod est proprium solius Dei, requiritur non solùm irreceptio physica, sed etiam irreceptio metaphysica esse; quia inclusio essentialis excludit omnem receptionem, quia inclusio essentialis est perfectissima inclusio; hæc autem tollit ab ente omnem distinctionem, qua doctrina posita, dicet, quod vbi est irreceptio metaphysica esse, ibi nulla potest esse receptio secundùm quid; vbi verò est irreceptio tantùm physica esse, non prohibetur receptio esse secundùm quid; quia receptio physica non tollit omnem identitatem, seù indistinctionem; sed tantum identitatem, siuè indistinctionē realem per intrinsecā diuisionē esse.

Sed hæc Fasoli responsio, acuta quidem est, tamen non euacuat vim metaphysici principij, quod est fundamētū conclusionis, quæ in terminis est S. Tho. & hoc probatur.

Primò; quia in quolibet genere entis, in quo datur posterius, debet dari primum in eodem genere; sed in quolibet creatura completa datur esse posterius receptum physicè, & realiter in genere esse recepti realiter in subiecto; ergo in quolibet creatura completa debet dari primū esse receptum realiter in essentia eiusdem generis.

Secundò, redit argumentum à capite, esse simpliciter in qualibet creatura completa causat esse secundùm quid physicè, & realiter distinctū; ergo esse simpliciter receptum realiter in essentia, causat esse secundùm quid realiter, & physicè receptum in eadem; vtrobique enim est par ratio, & ostenditur; quoniam causa cur esse simpliciter in creatura completa, causat realiter, & physicè esse secundùm quid, est quia esse simpliciter est primum in omni creatura completa; sed esse simpliciter receptum realiter in essentia, est primum in genere esse recepti realiter, siuè physicè in essentia, siuè subiecto; ergo pariter, esse simpliciter receptum realiter in essentia, causat realiter, siuè physicè esse secundùm quid receptum in essentia; primum enim in vnoquoque causat omnia secunda in eodem; at esse simpliciter receptum realiter in essentia, est primum in genere recepti in quolibet genere completo, & creato; ergo hoc esse simpliciter causat esse secundùm quid realiter receptum in subiecto; est enim secundùm in genere esse recepti; quia est esse receptum tale.

Tertiò: Fasolus nomine subiecti metaphysici esse simpliciter, intelligit essentiā creaturæ, quę secundùm se non est sua existentia, quādoquidem Fasolus sequitur opinionē Suarez, qui duo asserit; primū est, essentiā creaturę extrà Deū, secundū se nō esse suā existentiā, quā dicit esse actualitatem essētialē. Secūdū asserit, hāc actualitatem essentialē, nō esse intrà cōceptū essētialē essētię creaturę vt sic; quia creatura vt sic pscindit ab actuali, & potētiali; sed solū est intrà quidditatē creaturę, vt actualis in ratione essen-

essentiæ; quidditas autem creaturæ vt sic, & eius actualitas in ratione essentiæ, sunt essentia, & existẽtia in ratione obiecti; quãdoquidem Suarez ostendit, essentiã creaturę vt sic præscindere ab actuali, & potentiali, quia præscindit à creatura creata, & creabili; nos autem hic loquimur de essentia, & existentia in ratione subiecti, proindè non mirum est, si doctus Fasolus asserat existentiam in ente creato esse receptam in essentia metaphysicè; quia essentia, & existentia in ratione obiecti significant idem prorsus ens in diuerso statu; at apud omnes manifestum est, potentiam subiectiuam distingui realiter à suo actu subiectiuo, tàm in genere entis, quàm in genere agentis.

Quod si Fasolus nomine receptiui, siuè subiecti metaphysicè, intelligat essentiam creaturæ vt actualem distingui ratione à sua existentia; eius responsio reijcitur primo fundamento, quod est principium primum, & vnicum huius conclusionis.

Afferuntur ad hoc probandum plures aliæ rationes, tùm à S. Thoma, tùm à Thomistis, quæ omnes reduci debent ad positũ fundamentum, quod vt vnicum, & efficacissimum, & primum ponitur à S. Th., secùs facilè solui possunt ab Aduersarijs.

Prima ratio est; omne esse irreceptum in essentia est infinitum simpliciter, nullum esse creaturæ est infinitum simpliciter; ergo nullum esse creaturæ est esse irreceptum in essentia; ergo esse, & essentia in creatis, distinguuntur realiter. Hanc rationem explicat Caiet. *loc. sup. cit.* exemplo albedinis, quæ si non ponatur recepta, seù receptibilis in subiecto, est infinita in ratione albedinis; quia est albedo irrecepta; idest, sine sui limitatiuo, quod est eius subiectum receptiuum. Neque valet, inquit, Caietan. id quod Antonius Tromb. dicit in contrarium, ex Scoto *in 2. dist. 3. q. vlt.* quod si albedo esset separata, nimirùm esset irreceptibilis, & haberet omnem perfectionem possibilem suæ speciei; sequeretur, quod albedo esset infinita simpliciter; quia haberet perfectionem infinitorum indiuiduorum possibilium sub sua specie: nàm, inquit, Caiet. hoc nihil valet; quia albedo esset limitata ex eo quia est receptiua esse realiter; hæc autem receptiuitas tollit ab albedine infinitatem simpliciter, cuius ratio est; quia omnis limitatio est à primis differẽtijs entis, quę sunt actus, & potentia in ratione subiecti; at receptiuum esse est prima potentia in ratione subiecti.

Secunda ratio: essentia, quæ est indistincta realiter à sua existentia est essentialiter suum esse; sed hoc prędicatum est incõmunicabile creaturę, quia est proprium solius Dei: sequela maioris probatur; nàm dicitur, quod essentia est suum esse realiter; quia existentia est intrà realitatem essentię; sed realitas essentiæ, non est, nisi ipsa quidditas essentiæ; ens enim adæquatæ diuiditur in essentiam, & existentiam.

Tertia ratio: essentia, quæ est realiter suum esse, siuè sua existẽtia est actus purus, siuè ens à se, & incausatum; quia essentia, quę est realiter suum esse, implicat esse realiter in potentia ad esse, siuè ad existentiã; hoc autem est ens incausabile; omne enim ens causabile est essentialiter potentiale; vel quia est in potentia realiter ad esse, vel quia est esse realiter receptũ in essentia; sed implicat essentiam creaturę esse actum purum; ergo, &c.

Quarta ratio; existentia creaturæ est esse contingens, temporale, & creatum; sed essentia creaturæ non est contingens, neque creata, neque temporalis.

Quinta ratio; id quod conuenit naturæ specificæ, absque omni causa efficiente distinguitur realiter ab eo, quod conuenit illi per causam efficientem; at essentię creaturæ competunt sua prędicata essentialia sine causa efficiente; existere verò ei conuenit dependenter à causa efficiente; nam adhuc in hyeme, in quo rosa non existit, rosa est flos, & est conceptus realis, & non chymericus; & tamen in hyeme rosa non existit.

Sexta ratio: essentia in genere agentis distinguitur realiter ab existentia creatis; quia distinguitur realiter à sua operatione actuali, quę est eius existentia in genere agentis; sed eadem ratio distinctionis militat in essentia entis creati in genere entis, siuè in essendo; tùm quia modus operandi consequitur modum essendi; tùm etiam quia potest haberi conceptus essentiæ realis, & non chymericus sine vlla existentia actuali; quippè etiam si rosa non existat actu, tamen conceptus rosæ essentialis est verus, & essentialis, contradistinctus ab ente ficto; ergo, &c.

Septima ratio: in Deo essentia est realiter sua existentia, quia Deus est essentialiter actus purus, ens à se, siuè ens incausatum, siuè ens primum simpliciter: sed hæc prædicata non possunt competere creaturæ completæ in genere entis; ergo in creatura completa non est assignabilis causa, cur essentia sit indi-

di-

distincta realiter à sua existentia, vel idem realiter cum sua existentia; ergo in creatura completa, essentia non habet, vt non sit distincta realiter à sua existentia.

Sed istæ omnes rationes, & aliæ consimiles, nisi reducantur ad positum principium, quod vt vnicum, & efficacissimum ponitur à S. Thoma, facilè eluduntur; statim enim.

Respondebunt Aduersarij, quod aliud est in Deo esse, & essentiam non distingui realiter, siuè ex natura rei, siuè esse, & essentiam in Deo esse idem realiter; & aliud esse existentiam in Deo esse intrà quidditatem Dei, siuè essentiam in Deo esse essentialiter suam existentiam. Hoc secundum oritur, possunt dicere, ex eo quia essentia Dei, inquantùm Dei essentia, est essentialiter actualis, siuè à se, quod est proprium Dei; in creatura verò completa, non potest essentia esse essentialiter sua existentia; quia essentia in creatura completa vniuersaliter non est à se, neque primum ens simpliciter, sed quatenùs essentia creaturæ formaliter, vel præscindit ab essentia actuali, & potentiali, vel est essentialiter potentialis, idest, cum essentiali potentia ad actualitatem essendi per dependentiam à Deo, & ideò esse, siuè existentia in creatura completa est extrà essentiam creaturæ; quia creatura potest esse, & non esse; è contrario verò essẽtia Dei est essentialiter actualis, idest, essentialiter includit primã actualitatem essendi, quæ est existentia formaliter absque vlla potentialitate, & imperfectione, ac proindè Dei essentia non habet potentiam ad esse, & non esse; sed necessariò est, & essentialiter actualis. Verùm indistinctio essentiæ ab existentia in Deo realiter, & ex natura rei, siuè identitas realis essentiæ cum existentia in Deo oritur ex ratione, in qua communicat Deus cum creaturis; ac proindè, non valet consequentia; in Deo essentia est indistincta realiter à sua existentia; ergo ex opposito in creatura completa, essentia est distincta a sua existentia; quia hæc identitas, siuè indistinctio realis non conuenit Deo ex ratione propria Dei; sed ex ratione in qua communicat, licet analogicè cum creaturis; at existentiã esse intrà quidditatem essentiæ, siuè essentiam in Deo esse essentialiter suam existentiam, aut actum purum conuenit Deo ex propria ratione Dei; quia scilicèt essentia Dei est essentialiter ens à se, primum ens simpliciter; ac proindè ex opposita ratione valet consequentia; ergo essentia in creatura completa, non est essentialiter sua existentia, quod vltrò Aduersarij concedunt, nàm oppositorum oppositæ debent esse rationes, nimirùm Dei essentia est essentialiter sua existentia; quia est essentialiter ens à se, ens per essentiam, ens primum simpliciter, ens incausatum, &c. ergo in creatura ex opposito essentia non est essentialiter sua existentia; quia non est ens à se, ens per essentiam, &c. quia hæc sunt prædicata propria, & Dei, & creaturæ. Cæterum, non valet consequentia, in Deo essentia est indistincta realiter à sua existentia; ergo ex opposito in creatura completa essentia est distincta realiter à sua existentia, quia indistinctio essentiæ ab existentia conuenit Deo ex ratione, in qua communicat cum creaturis; quandoquidem identitas realis reperitur non solùm inter prędicata Dei; sed etiam inter prædicata creaturæ.

Explicatur doctrina exemplis: esse intelligibile modo infinito, siuè esse intelligibile secundùm totam suam latitudinem formalem, est prædicatum proprium Dei; quia conuenit Deo inquantùm est essentialiter ens infinitum infinitudine formali; & ideò valet hęc consequentia, Deus est intelligibilis modo infinito, siuè est intelligibilis secundùm totam latitudinem formalem intelligibilis; ergo ex opposito creatura est intelligibilis intelligibilitate finita, &c. vel ergo ex opposito creatura non est intelligibilis intelligibilitate infinita; quia creatura est finita formaliter. Deus est agens infinitum, potest producere quiquid non implicat contradictionem; quia est actus infinitus, ergo ex opposito creatura non potest producere quicquid non implicat contradictionem, quia est essentialiter actus finitus: è contrariò verò non valet hæc consequentia; Deus est agens; ergo creatura ex opposito non est agens: Deus est intelligibilis; ergo creatura non est intelligibilis; quia esse agens, & esse intelligibile vt sic conueniunt Deo ex prædicato, in quo conuenit cum creaturis. Qua posita doctrina, possunt dicere Aduersarij, quod cum dicunt in creaturis completis essentiam non distingui realiter ab existentia, non contendunt asserere in creaturis completis essentiam actualem in ratione essentiæ, esse essentialiter suam existentiam, vel essentiam creaturæ vt sic esse essentialiter suam existentiam; nàm certum est hoc esse proprium Dei, & consequenter incommunicabile creaturis; sed solùm contendunt asserere essentiam in creaturis completis præcisè esse idem realiter in sua existentia, quod commune est Deo, & creaturis, & hac di-

stinctione facillimè soluuntur omnes prędictæ rationes.

Respondeo enim ad primam: omne esse irreceptum est infinitum simpliter, &c. distinguo maiorem: omne esse irreceptum essentialiter, & realiter est infinitum simpliciter, & concedo: & huiusmodi est esse Dei. Omne esse irreceptum tantum realiter est infinitum simpliciter, & nego: & huiusmodi est esse creaturæ completæ.

Respondeo ad secundam; essentia, quæ est indistincta realiter à sua existentia, est essentialiter sua existentia, siuè suum esse, nego maiorem: quia, vt dixi, ex alio capite oritur in Deo, vt in eo essentia sit indistincta realiter à sua existentia, & ex alio capite oritur, vt in Deo essentia sit essentialiter sua existentia. Primum caput commune est analogicè Deo, & creaturis. Secũdùm caput est proprium solius Dei; ac proindè ex opposita ratione formali propria creaturæ conuenit creaturæ vt sic, vt non sit essentialiter sua existentia; sed ex hoc antecedente non potest inferri consequens; ergo in creatura, ex opposita ratione formali, essentia est distincta realiter à sua existentia.

Respondeo ad tertiam rationem; essentia, quæ est realiter suum esse, est actus purus, nego maiorem; quia esse actum purum est esse essentialiter suum esse; esse verò in Deo realiter essentiam suam existentiam, est prædicatum commune Deo, & creaturis.

Respondeo ad quartam rationem: existentia creaturę est esse contingens, temporale, & creatum; distinguo maiorem vt suprà; est contingens temporale, &c. vt terminus formalis comproductionis, & cõcedo: vt terminus materialis comproductionis, & nego.

Respondeo ad quintam rationem; concedo maiorem, & nego minorem; quia vt infrà probabimus, essentia creaturæ in ratione essentiæ, intrinsecè est concreabilis cum sua existentia, & semota ab ea omni existentia, definit intrinsecè essentia creaturæ. Cum verò dicitur ab opponente, hyeme, in quo nulla est rosa existens, sunt vera prędicata essentialia rosę. Respondeo, distinguo in esse exercito, & actuali nego; quia hyeme non est essentia rosæ; in esse signabili, & obiectiuo, & concedo; nos autem hic loquimur de esse actuali exercito essentię rosę, & creaturæ vniuersaliter.

Respondeo ad sextam rationem: essẽtia in genere entis distinguitur realiter à sua existentia in creatis; quia distinguitur realiter à sua operatione actuali, &c. concedo maiorem, & nego minorem; potest enim Aduersarius assignare disparitatem di cens, essentia in genere agentis in creatis est necessariò subiectiua; at implicat essentiam in genere entis esse subiectiuam realiter suę existentię distinctę; vel quia actualitas essentiæ in ratione essentiæ indistincta ab ipsa essentia est verum esse existentiale; vel quia differentię primę entis sunt potentiæ, & actus in genere obiecti, modo quo suprà explicauimus; vel quia essentia in genere entis distinguitur ab existentia sui generis; quia hęc est in ipso ente; illa autem non est in agente, sed in patiente. Ad probationem cum dicitur primò: modus operandi consequitur modum essendi. Respondeo, hanc propositionem veram esse in hoc sensu, quia perfectio operandi proportionatur operationi essendi; v. g. perfectio calefactionis proportionatur calori; non autem modus operandi consequitur modum essendi; quia operatio subiectatur in potentia operatiua, sicut existentia subiectatur in essentia. Cum denique secundò dicitur, quod in hyeme est essentia rosæ sine existentia; responsum est sufficienter suprà.

Respondeo ad septimam rationem; Deum esse essentialiter suam existentiam, & in Deo essentiam esse idem realiter cum sua existentia, esse prędicata, quę conueniũt Deo ex diuersis capitibus.

Conclusio tertia. Existentia in creatura completa distinguitur realiter ab essẽtia per diuisionem intrinsecam entitatis ab entitate. Conclusio hęc ponitur controuersa inter Scotum, & S. Thomam; nàm *Scotus* cum sequentibus vult existentiam in creatis distingui quidem ex natura rei ab essentia, sed distinctione modali: *S. Thomas* verò cum suis vult distingui distinctione reali realitatis formaliter à realitate adhuc formaliter; sed fortè dissensio est solùm verbalis, non in re, quandoquidem Scotus non asserit existentiam subiectiuam in creatis esse modum intrinsecum essentię, qui scilicèt non est ens formaliter; sed tantùm ens materialiter, nimirùm entitate sui modificati; sed vult esse modum extrinsecum, qui est coniunctus quidem cum suo modificato semper; sed est ens formaliter, nimirùm entitate sui modificati; quandoquidem primò Scotus vult existentiam in creatis esse modum essentię, sicut est intensio vt vnum, vel vt duo, modus qualitatis; at intensio, est modus extrinsecus, non intrinsecus qualitatis, nimirùm est modus, siuè determinatio non intrà entitatem modificati, sed extrà, siuè

non

non est modus, qui est ens tantùm entitate sui modificati, sed modus extrinsecus, qui est ens entitate propria; sed ex sua natura petens esse coniunctus cum suo modificato, siuè exigens ex sua natura actualem connexionem cum suo modificato; & quod hæc sit mens Scoti potest colligi etiam ex eo, nã Scotus hoc fundamento probat *in 3. sententiarum*, q. 1. quem latè explicat Caiet. in *opusc. de ente, & essentia, cap. 5.* essentiam distingui ab existentia, vt rem à modo, quia essentia, & existentia non possunt ab inuicem mutuò separari, & vna ex natura rei non est alia.

Contra quod fundamentum Caietanus iurè insurgit; memor, inquit, debet esse doctrinæ suæ Scotus, quod totum ex materia, & forma vnitis resultans, nimirùm, totum formale, est tertia entitas distincta realiter à partibus vnitis, & tamen vult Scotus, quod hæc tertia entitas, licet distincta realiter non potest tamen separari, & solitariè existere; quia, inquit, Scotus, totum formale est realitas quidẽ distincta realiter; sed exigens ex intrinsecis suis actualem connexionem cum partibus vnitis; quia est aliquid ex aliquo; ità etiam retorquendo Caietan. argumentum, dicit, quod Thomistæ, dùm existentiam, & essentiam realiter distinguunt, ponunt existentiam dependere in esse suo ab essentia in creatis, & ideò non posse esse sine essẽntia.

Mihi verò hęc sola difficultas est de mente Scoti, loquatur ne Scotus de essentia, & existentia subiectiuis, an obiectiuis tantum, dùm distinctionem realem rei, & modi ponit inter essentiam, & existentiam in creatis, quod non ità facilè est dijudicare; equidem puto Scotum loquutum esse de essentia, & existentia in ratione obiecti; non autem in ratione subiecti; quandoquidem Scotus opinatur, primas differentias entis, quæ sunt potentia, & actus, esse potentiam, & actum in ratione obiecti, & non in ratione subiecti, & probatur; diuisio enim entis creati in essentiam, & existentiam eadem est, ac diuisio entis in potentiam, & actum; Scotus autem intelligit hanc diuisionem de potentia, & actu obiectiuis: verum S. Thomas loquitur de essentia, & existentia subiectiuis, que sunt essentia, & existentia tantùm in ente creato completo in genere entis, vt potentia, & actus in ratione subiecti.

Quod si obijcias: potentia, & actus in ratione obiecti dicunt vnum, & idem ens in diuersis statibus, qui non sunt in ipso ente diuiso, at essentia, & existentia etiam in ratione obiecti sunt in ipso ente; ergo essẽtia, & existentia apud Scotum in creatis nõ sunt potentia, & actus in ratione obiecti.

Respondeo, quod vnum, & idem ens creatum, non solùm est diuisibile per diuersos status, qui sunt modi essendi in diuersis instantibus naturæ in eodem instanti temporis, quorum vnum est prius alio, vel in diuersis partibus vnius temporis, vt contingit in ente successiuo; sed etiam est diuisibile per diuersos modos essendi, qui sunt in ipsomet ente, vt est modus potentialitatis, & modus actualitatis ad essendum extrà nihilum, & extrà causam; diuisio hæc per diuersos modos essendi vnius, & eiusdem entis est prior, quàm sit diuisio eiusdem entis per diuersos status; quia modi essendi sunt in ipso ente; diuersi autem status sunt extra ens; dicunt enim vnum, & idem ens si illud sit permanens in diuersis instantibus naturæ in eodem instanti temporis; si verò sit ens successiuum dicunt vnum, & idem ens, esse in diuersis partibus vnius temporis, siuè actualis, siuè possibilis. Potentia verò obiectiua, & actus obiectiuus, qui sunt essentia, & existentia in ratione obiecti cõstituuntur per diuersos modos essendi existentes in ipso ente; dicitur enim essentia in ratione obiecti, ens quatenùs potens est esse, siuè non repugnans esse extrà suum nihilum, & extrà suas causas existentia verò est idem ens, quatenùs est extrà nihilum, & extrà suas causas; hic modus essendi actu extrà nihilum, & extrà causas appellatur à Scoto constitutiuum formale essentiæ in ratione essentiæ actualis, siuè actu existentis de potente existere ad modum eorum, qui non distinguentes aliqua distinctione reali existentiam ab essentia etiam in ente creato completo, dicunt existentiam esse actualitatem essentialem, qua essentia constituitur intrinsecè actualis in ratione essẽtiæ, vt opinantur Suarez, & alij; & hic modus existentialis secundum Scotum est quidem separabilis ab existentia separaratione non mutua in essendo, quod est proprium modi essendi extrinseci, qui ità est coniunctus cum suo modificato, vt non possit existere, siuè esse sine vnione cum modificato; sicut, v. g. actualis inhęrentia, motus, & id genus alia, nequeunt esse sine vnione cum accidente, & cum mobili; è contrà verò, modificatum potest esse realiter sine illis modis saltem per tractatum ad alium modum consimilem, vt contingeret si separetur essentia in creatis à sua existentia:

Fundamentum conclusionis est; quia existentia subiectiua in ente creato comple-

pleto est completiua esentiæ in genere entis formaliter; at huiusmodi completiuum, necesariò debet esse ens formaliter; ergo existentia subiectiua est ens formaliter; at ens formaliter non potest distingui à suo complebili, nisi distinctione reali per diuisionem entitatis ab entitate formaliter; ergo, &c. Maior est euidens ex terminis, nàm existentia subiectiua est actus, quo id, quod erat tantùm potens esse, completur, & fit actu completum in genere entis.

Hæc ratio ostendit etiam existentiam non posse esse modum intrinsecum essendi; quia modus intrinsecus essendi formaliter non est ens; sed tantùm materialiter, & identicè; sed non excludit, quin existentia subiectiua sit modus extrinsecus, scilicèt, extrà entitatem sui modificati, & sui subiecti, quoniam in hoc differt modus essendi extrinsecus à modo essendi intrinseco; quia modus essendi intrinsecus est ens entitate sui modificati; modus verò essendi extrinsecus est ens formaliter; sed ex sua natura exigens esse cum suo modificato iunctus.

Fortè in hac doctrina fundantur aliqui docti Thomistæ recentiores, qui dicunt existentiam in creatis esse entitatem formaliter; sed se habentem ad modum modi; quandoquidem existentia est complementum actuale suæ potentiæ metaphysicę, scilicet essentię, quod valdè notandum est; nō enim existentia est forma quędam, quę prę scindat ab vltima actualitate, vt est forma essentialis, nàm eo ipso, quod essentia existentiam habet, iam est actu extrà causas, quo sensu, quia existentia importat exercitium, dicunt prædicti Thomistæ, eam, quāuis sit ratio entitatis, habere se ad modum modi actualis, qui petit natura sua semper esse iunctus cum suo modificato, quia est actuale exercitium.

Ad hoc autem profundiùs intelligendum, sciendum est, quod existentia cum definitur actus essendi extra causas, hoc verificatur de existentia creaturę completæ, seù de existentia, vt contracta ad existentiam creaturæ completæ, non autem de existentia entis completi formaliter in ratione entis, nàm existentia adhuc existit Deus, & Deus non est sua existentia extrà causas; sed de ratione existentiæ est, vt sit actus entis.

Aliqui dicunt, quod de ratione existētię formaliter, per se, & primò non sit constituere essentiam extrà causas, vt nonnulli interpetrantur; sed esse extrà conceptum pręcisè essentiæ, & possibilitatis subiectiuę; sed hęc definitio existentię, etiam est definitio existentię creaturæ complete, non autem definitio existentię in ente completo vt sic; quādoquidem Deus est ens completum in ratione entis extra genus, & tamen eius existentia, non est extra conceptum essentialem essentiæ.

Alij Metaphysici putant, essentiam in creatura completa distingui à sua existentia, per non inclusionem essentialem existentiæ in essentiam; non autem per diuisionem intrinsecam esse, siuè entitatis; hanc duplicem distinctionem fusè explicat, & declarat Fasolus 1. *to. q. 4. de Dei perfectione, ar. 2. dub. 6. n. 37.* dicens, duplicem esse distinctionem ex natura rei; vna quę est per intrinsecam diuisionem entitatis ab entitate, quę ortum ducit ex eo, quod duo, quorum alterum de altero negatur, habent finitas, & limitatas entitates, quæ distinctio dicitur per negationem identitatis realis; alia verò est per solam negationem inclusionis essentialis antè omnem operationem intellectus, & hanc distinctionem concedit Fasolus inter essentiā, & attributa, & inter essētiam, & relationes originis in Deo; quæ, inquit, est lōgè diuersa a distinctione formali, quā ponit Scotus in diuinis perfectionibus; nā distinctio, quā ponit Scotus in Diuinis perfectionibus, est per intrinsecam diuisionem formalitatis à formalitate cum omnimoda idētitate in vna simplicissima entitate; distinctio verò per solam, & puram inclusionem essentialem saluatur sine intrinseca diuisione. Explicari potest hęc distinctio exemplo valdè apto de continuo, iuxtà opinionem Aristotelis, asserentis in continuo non distingui partes actu; sed tantum potentia; hac enim data opinione, vna pars continui non est alia, neque aliam essentialiter includit, secùs non esset vna pars signabilis, realiter diuisibilis ab alia; & tamen vna non est actu diuisa ab alia: pariter in re nostra, essentia in creatura completa non includit essentialiter suam existentiam sine intrinseca actuali diuisione, & consequenter distinguitur ab existentia per solam non inclusionem essentialem, non autem per intrinsecam diuisionem actualem entitatis ab entitate.

Sed hęc opinio primò reijcitur eodem principio primo, quo S. Thomas ostendit, in creaturis completis essentiam distingui realiter ab existentia; quandoquidem existentia simpliciter in creatura completa, est recepta realiter in essentia; quia in eadem est recepta realiter existentia secundùm quid; sed receptio realis esse in essentia requirit distinctionem per diuisionem entitatis ab entitate, vt demonstrauimus.

Ne-

Neque dicas, quod existentia simpliciter est recepta realiter metaphysicè in essentia creaturæ completæ, non autem physicè, & hæc receptio est, quæ requirit distinctionem realem per realem diuisionē entitatis ab entitate; quoniam principium primum S. Thomæ demonstrat existentiam simpliciter esse receptam physicè, & non metaphysicè, tantum in eo sensu, in quo Fasolus intelligit metaphysicam receptionem; Fasolus enim, inquit, receptionem metaphysicam, non requirere diuisionem intrinsecam recepti a suo receptiuo; sed solùm non inclusionem essentialem, quæ est fundamentum distinctionis rationis diuidentis vnum conceptum obiectiuum ab alio in vna, & eadem re. Secundò; dubium est, an detur hęc distinctio ex natura rei distincta, & diuersa a distinctione formali Scoti, nam plures docti Scotistæ appellant distinctionem formalem ex natura rei, non inclusionem essentialem, quæ aliter est in creatis, & aliter in Diuinis perfectionibus; in creatis enim est cum distinctione reali essentiæ ab existentia; in Diuinis verò perfectionibus est cum omnimoda indistinctione essentiæ ab existentia, de quo suo loco fusè dicetur: exemplum verò de partibus continui in actu, non facit ad rem; quia partes in continuo, licet non sint actu distinctæ per intrinsecam diuisionem; sunt tamen realiter diuisibiles intrinsecè in potentia. Ex qua doctrina clarè colligitur, quod rationes aliæ, quibus Thomistæ probant, essentiam in creaturis completis distingui realiter à sua existentia, facilè solui posse ab Aduersarijs, nisi reducantur ad principium primum S. Thomæ, quod profundè explicat; sed paucis Caietanus super *opusc. de ente, & essentia, cap. 5.* semper enim respondere possunt Aduersarij, præter responsionem suprà allatam, quod identitas realis est prædicatum communicabile creaturis; quod Deus est essentialiter actus purus, primum ens, &c. quod in Deo esse est irreceptum in essentia metaphysicè non physicè; in creaturis verò completis est tantùm irreceptum physicè, non metaphysicè; irreceptio autem physica non tollit receptionem metaphysicam esse in essentia.

Obijcies primò, contrà secundam conclusionem, rationem dubitandi suprà explicatam: ideò ponitur à S. Thoma essentia in creaturis completis distincta realiter à sua existentia; quia essentia creaturæ realiter est indifferens ad esse, & non esse; sed hæc ratio non est demonstratiua; quia existentia creaturæ, etiam vt distincta ratione ab essentia, adhuc est realiter indifferens, vt sit, & vt non sit; sed ex ista indifferentia non demonstratur distinctio realis in existentia essentiæ subiectiuę ab existentia; ergo neque ex indifferentia essentiæ ad esse, & non esse demonstratur distinctio realis essentiæ subiectiuæ ab existentia.

Respondent communiter Thomistæ, quod S. Thomas demonstat distinctionem realem essentiæ subiectiuæ à sua existentia, pariter subiectiua in creatura completa ex indifferentia subiecti ad esse, & non esse, nō autem ex indifferentia termini; in creaturis completis existentia est indifferens indifferentia termini ad esse, & non esse, non autem indifferentia subiecti; verùm essentia in creatura completa est indifferens indifferētia subiecti vt sit, & vt non sit; quia scilicèt potest in se habere existentiam, & remota existentia, habere negationem existentiæ.

Hæc responsio dupliciter exponi potest; vno modo in opinione dicentium, essentiam creaturæ completæ in ratione essentiæ non esse intrinsecè terminum productionis per se, neque productionis, siuè efficientiæ cum alio, neque formaliter, neque materialiter: alio modo in opinione dicentium, essentiam creaturæ completæ esse intrinsecè in ratione essentiæ terminū materialem efficientiæ, siuè productionis cum sua existentia; cum enim, v. g. producitur, vel generatur homo, non solùm intrinsecè producitur existentia hominis, vt terminus formalis; sed etiam comproducitur quidditas, siuè essentia hominis, vt terminus materialis comproductionis.

Iuxtà primam sententiam, essentia creaturæ completæ est solùm, & adæquatè potentia subiectiua existentiæ, à qua completur in genere entis, & nullo modo neque inadæquatè est potentia obiectiua, & ideò Authores huius sententiæ dicunt, quod essentia creaturæ completæ nullo pacto potest esse in potentia vt sit essentia, quæ est potentia termini, siuè obiecti ad produci per se, vel ad produci cum alio; sed solùm est in potentia vt sit existens, quia de se essentia, in hac opinione, est ens actu potens existere; nimirùm, est tantùm ens essentiale, quod est ens imperfectum, & perfectibile in genere entis, & in hoc sensu responsio nullam pati potest rationabilem difficultatem, quantùm ad hoc punctum, data opinione, quod essentia creaturæ completę in ratione essentiæ, sit solùm causata à Deo, vt à prima causa ideali idealitate essentiæ, vt infrà suo loco dicetur.

Cæterum iuxtà opinionem affirmatiuam; es-

essentiā creaturæ completæ in ratione essētiæ intrinsecè produci simul cum existentia; responsio principalis patitur aliquas instantias, quarum.

Prima est; quoniā possunt dicere Aduersarij, hac data opinione, essentia creaturę completę adhuc est indifferens ad esse, & nō esse indifferentia termini; quia indifferentia termini est indifferentia termini producibilis, & non producibilis; sed essentia creaturę in ratione essentiæ est terminus intrinsecus tàm productionis per se, quam productionis cum alio, scilicèt cum existentia; ergo data opinione, quod essentia creaturæ completæ in ratione essentiæ est intrinsecè terminus cōproductionis; indifferentia essentiæ creaturæ completæ est indifferentia termini; hęc autem indifferentia termini non requirit distinctionem realem essentiæ subiectiuæ ab existentia pariter subiectiua; ergo, &c.

Secunda est, quia Thomistæ (possunt dicere Aduersarij) in data responsione, incidunt in petitionem principij, dum essentiæ creaturæ completæ respectu suæ existentię, tribuunt indifferentiam subiecti, & non termini; quia de hoc est quæstio, & Thomistis incumbit probare, essentiam creaturę completæ esse potentiam subiectiuam existētię.

Quod si dicas pro Thomistis, nō committi in hac responsione petitionem principij; nam S. Thomas huius indifferentiæ attulit fundamentum; quia alioquin ens creatum completum in genere entis, diceret esse irreceptum realiter in essentia, quod implicat communicari creaturæ, cum sit prędicatum proprium Dei.

Respondere statim possunt aduersarij, hanc rationem adhuc esse petitionem principij; quoniam dupliciter potest intelligi esse essentiale in creatura cōpleta esse irreceptū realiter; vno modo physicè; alio modo metaphysicè; esse irreceptum metaphysicè est proprium Dei, non autem esse irreceptum physicè: quod si sumatur esse irreceptum metaphysicè, est manifesta petitio principij, quia de hoc est quæstio, an scilicèt esse essētiale in creatura completa sit intra quidditatem creaturæ, quod est esse irreceptum metaphysicè, an extra quidditatem essentię realiter, quod est esse irreceptum physicè in essentia.

Respondeo ad principalē obiectionē, iuxtà opinionem, quam nos sequimur, essentiam creaturę completę in ratione essentię intrinsecè creari, & produci simul cum existentia, essentiam creaturę completę esse indifferentem ad esse, & non esse, non solum indifferentia termini, sed etiam indifferentia subiecti simul; existentia verò eiusdem creaturę esse indifferentem vt sit, & vt non sit, indifferentia tantūmodò termini: & causa disparitatis est; quoniam essentia creaturę completę producitur vt terminus materialis cū sua existentia; terminus autem materialis productionis, siue comproductionis inuoluit vtramque indifferentiam, & termini, & subiecti; existentia verò creaturę completę est terminus formalis tantùm creationis, siuè concreationis; at terminus formalis purus productionis habet tantūmodò indifferentiam termini. S. Thomas arguit distinctionem realem essentię in creatura completa ex indifferētia termini materialis intrinseci productionis, siuè comproductionis; quia terminus hic materialis inuoluit indifferentiam subiecti ad recipiendum esse existētiale, vel non esse existentiale in se; non autem ex indifferentia solius termini; qui est indifferentia termini tantùm formalis.

Hęc responsio rectè intellecta plenè euacuat dictam rationem dubitandi; solùm potest pati instantiam iuxta doctrinam Capreoli in 1. *Distinct. 8. quæst. 1. art. 2. circa 6. rationem D. Thomæ*, quem sequuntur Caie. & Nazarius in *p. p. S. Thomæ q. 3. art. 3. dubita. 2.* qui dicit quod implicat contradictionem dicere, quod esse actualis existentię quandoque sit in actu, & quandoque in potentia; hoc enim est dicere, quod existentia aliquādo non sit; sicut implicat contradictionem dicere, quod essentia creaturę, nimirum cōpletę, sit in potentia ad hoc vt sit essentia, idque probat: nam de ratione actualis existentię est actualitas essendi, idest, vt actu sit; vnde, inquit, licet ens creatum diuidatur in actū, & potentiam; tamen existere actu non diuiditur in actum, & potentiam; *quia* se tenet cum altero membro *diuisionis*, scilicèt cum actu. Vt autem explicet Nazarius hanc Capreoli doctrinam, dicit, quod existentia creaturę potest dupliciter sumi; vno modo in actu signato, & hoc modo concipitur vt quidditas, & vt esentia quędam, & sic formaliter non est existentia prout ab esentia distinguitur; alio modo sumitur in actu exercito, prout scilicèt exercet actum existentię secundùm quod distinguitur ab esentia; & hoc modo, inquit Nazarius, implicat contradictionem, existentiam non esse in actu; nam si est existentia in actu exercito existentię, iam facit esse ens in actu, & *ipsa* est in actu vt quo, cum sit rei actualitas.

Sed hęc instantia facilè soluitur, solùm propria terminorum explicatione; falsum enim est, existentiam creaturę completę secundùm se, non pose ese in potentia termi-

minatiua, & obiectiua, vt sit existentia actualis, quoniam existentia creaturæ completæ secundùm se considerata est intrinsecè terminus formalis creationis, vel concreationis; omnis autem terminus productionis, siuè efficientiæ in priori naturæ est non repugnans produci, siuè potens produci; in posteriori veræ naturæ, est actu productus. Vt in priori naturę est producibilis, est in potentia ad esse productum potentia, nimirùm, & actu, obiectiuis, nõ subiectiuis, vel secundùm se est indifferens ad produci, & non produci.

Neque contrarium probatur, cum primò dicitur à Capreol. Nazar. & alijs Thomistis, quod de ratione actualis existentiæ, est actualitas essendi; idest, vt actu sit. Primò, quia hoc est verum de actualitate obiectiua, nõ autē de actualitate subiectiua; q̃a existētiæ obiectiuę creaturæ cõtradicit esse in potentia subiectiua ad existentiam, vel ad alium vlteriorem actum in essendo, cum sit vltimus actus entis; nõ autē ei cõtradicit esse in potētia obiectiua; nos hìc loquimur de existentia subiectiua essentiæ, quæ est actus receptus realiter in essentia. Verum quidem est, quod existentia subiectiua creaturę completæ, non diuiditur, neque diuisibilis est in potentiam, & actum in ratione subiecti; quia sic se tenet cum altero membro diuisionis, scilicèt cum actu subiecto; at falsum est, existentiam creaturæ completæ non esse diuisibilem in potentiam, & in actum in ratione obiecti; quia hæc diuisibilitas, siuè diuisio competit enti creato, siuè creaturæ vt sic; existentia verò creaturæ completæ quædam creatura est.

Neque secundò obstat, cum dicitur existentiam posse sumi dupliciter in actu signato, & in actu exercito; in actu signato quidem esse quidditatem, & essentiam quandam, & sic formaliter non esse existentiam, prout ab essentia distinguitur; in actu verò exercito implicare contradictionem non esse in actu; quia se tenet cum altero membro diuisionis, quod est actus; quandoquidem hic discursus primò, tantùmodò probat in existentia subiectiua creaturæ completę reperiri essentiam, & existentiam in ratione obiecti, siuè termini, non autem potētiam, & actum subiectiuos; at nos hìc loquimur de essentia, & existentia, siuè de potentia, & actu in ratione subiecti. Secundò; quia totum id, quod est exercitè in existentia creaturæ completæ, signatè est in eadem, vt concepta, & signata; ergo si in existentia exercita est actus, & potentia in ratione obiecti exercitè pariter hæc duo erunt signatè in existentia in esse concepto, & signato. Hæc diximus, non quia sunt necessaria simpliciter ad solutionem argumenti, sed ad plenitudinem doctrinæ; ad solutionem enim argumenti satis est] dicere, disparitatem esse inter essētiā, & existentiam creaturæ completæ, quod essentia creaturę, cum sit terminus materialis creationis, siuè concreationis, est indifferens indifferentia termini, & subiecti; existentia verò subiectiua eiusdem, cum sit terminus formalis creationis, siuè concreationis, est tantùm indifferens indifferentia termini, siuè obiecti potentiæ effectiuæ.

Cùm verò dicitur, quod existētia in actu signato est quædam quidditas, seù natura; ergo ingreditur leges essentiæ.

Responsio facilis est, est quędam essētia, seù quidditas in ratione termini, & cõcedo: in ratione subiecti, & nego; essentia enim subiectiua est subiectum existentię, non ipsa existentia.

Cum denique dicitur, existentiam in creatura in actu exercito, non posse esse in potentia vt sit.

Respondetur, hoc verum esse necessitate suppositionis; non autem absolutè, & simpliciter; quando enim res est, necessariò est; sed hic sermo est de existentia creaturę completæ absolutè, & simpliciter considerata, qua ratione est indifferens vt sit, & vt non sit; quia, sicut liberè producitur, ità in priori potuerit non creari, siuè concreari.

Ad secundam instantiam. Respondeo, S.Thomam non petere principium, dum essentiæ creaturæ completæ respectu suæ existentiæ attribuit indifferentiam subiecti ad suum actum subiectiuum; nàm petitio principij est, quando assumpti nulla assignatur ratio; at S. Thomas huius indifferentiæ subiectiuæ in omni creatura completa assignauit rationem demonstratiuā; scilicet, quia in omni ente creato completo in genere entis reperitur esse secundùm quid receptum realiter vt in subiecto; hoc autem necessariò supponit esse simpliciter receptum realiter in essētia eiusdem subiecti; potest hæc responsio etiam explicari retorquendo argumentum contra ipsos Aduersarios, hunc in modum; essentia ratione ratiocinata, nimirùm fundata in re, distinguitur secundùm Aduersarios à sua existentia; quia essentia est indifferens ad esse, & non esse; sed hæc ratio adhuc militat in existentia, vt distincta ratione ab essentia;

fentia; quia existentia, vt distincta ratione ab esfentia adhuc est indifferens, vt fit, & vt non fit, faltem cum sua esfentia; & tamē hæc indifferentia non probat in existentia distingui ratione ratiocinata esfentiam ab existentia; quia sic abiretur in infinitum.

Aduersarij fine dubio respondebunt, indifferentiam existentię ad esse, & non esse, non esse indifferentiam subiecti; sicut est indifferentia essentiæ, vt distinctæ ratione ratiocinata ab existentia; sed esse indifferētiam termini, siuè obiecti potentiæ creatiuæ, quæ non dicit potentiam distinctam realiter à suo actu; quia possibile, & actuale in ratione obiecti, significant idem prorsus ens in diuerso statu. Eadē distinctione respondemus nos.

Objicies secundò argumentum, quod etiam hac nostra ætate à Doctissimis Metaphysicis proponitur contrà opinionem S. Thomæ. Existentia creaturæ completæ in genere entis, adhuc habet suam essentiā, quia habet sua prædicata essentialia, & prima; hæc autem sunt essentia in existentia: sed esfentia in existentia non distinguitur ab alia existentia; secùs iretur in infinitum in esfentia, & existentia; ergo neque esfentia in creatura completa distinguitur realiter à sua existentia.

Respondeo: existentiam in creatura completa in genere entis habere esfentiam in ratione termini, siuè obiecti, non autem esfentiam in ratione subiecti; quia existentia creaturæ completæ est purus terminus formalis creationis, siuè concreationis; esfentia verò creaturæ cōpletæ est terminus materialis creationis, qui est permixtus cū esfentia, & existentia in ratione termini, & subiecti, iuxtà opinionem, quam nos sequemur, dicentium esfentiam creaturæ completæ in ratione essentiæ, intrinsecè creari cum existentia subiectiua. Explicatur responsio etiam retorquendo argumentum cōtra Aduersarios; esfētia in creaturis cōpletis, vt ratione ratiocinata distincta ab existētia, habet suam esfentiam, quia habet adhuc sua prædicata esfentialia, quæ præscindunt ab existentia, quia præscindunt ab actualitate; sed esfentia in ipsa esfentia non distinguitur ab existentia; ergo, &c.

Non possunt Aduersarij aliam adhoc afferre responsionem, nisi quod alia est esfentia in ratione termini, siuè obiecti, & alia est esfentia in ratione subiecti: vel possunt.

Respondere, quod esfentia creaturæ completæ habet esfentiam, tùm in ratione obiecti, tùm in ratione subiecti; existentia autem habet esfentiam in ratione termini, siuè obiecti tantùm; quia esfentia in creatura completa est realiter, non solùm est terminus comproductionis cum existentia, sed etiam verum subiectum existentiæ; existentia verò non est realiter, nisi vt actus, siuè vt actualitas esfentiæ. Hac ipsa distinctione, quam accipimus ab Aduersarijs, soluimus argumentum, dicentes, quod existentia in creatura completa, vt contradistincta ab esfentia, habet esfentiam termini, non autē habet esfentiā subiecti, quoniam existentia est vltimus actus esfentiæ. Hic est sermo de esfentia in ratione subiecti, non autem in ratione obiecti; hęc duplex esfentia, & existentia conuenit termino materiali creationis in creaturis.

Objicies tertiò: ratio cur à S. Thoma distinguitur realiter esse ab esfētia in creaturis completis in genere entis; est quia esse simpliciter in creaturis completis est receptum realiter in esfentia; sed hoc est falsum; ergo, &c. Minor probatur. Primò, quia esse in creatura completa dicitur receptum realiter in esfentia, vt distinguatur, & diuersificetur ab esse naturæ Diuinæ; sed ad hanc diuersitatem fatis est, vt esse simpliciter in creatura completa, sit receptum in esfentia metaphysicè, non physicè, siuè vt sit esse creaturæ irreceptum physicè in esfentia; esse verò Dei sit irreceptum in esfentia Dei physicè, & metaphysicè; irreceptio autem physica, non necessariò requirit distinctionem realem receptiui ab actu recepto, nimirùm, non requirit necessariò distinctionem realem, quæ est per intrinsecam diuisionem esse; idque probari potest; quia receptio metaphysica esse simpliciter in esfentia saluatur solùm per hoc, quod esse existentiale in creatis, non includitur esfentialiter intrà quidditatē esfentię; sed hęc non inclusio esfentialis non tollit indistinctionem, siuè identitatem realem esse cum esfentia; tùm quia non inclusio esfentialis, & identitas non sunt secundùm idem; & consequenter possunt se se compati in eodem ente; tùm quia in continuo vna pars signabilis non includitur esfentialiter in alia; & tamen partes in continuo in actu non sunt actu distinctæ ex natura rei; tùm denique, quia gradus differentialis recipitur metaphysicè in gradu generico, vt rationale in animali, & tamen rationale non distingui-

gui-

guitur realiter ab animali.

Secundò probatur; eadem minor, si qua esset ratio in oppositum, ea foret; quia idẽtitas realis esse cum essentia affert infinitatem simpliciter esse, & essentiæ; sed hæc ratio non conuincit.

Primò, quia vt dicit Fasolus *loc. sup. cit. mem.* 47. plurimi doctissimi Metaphysici tenent essentiam, & existentiam in creaturis completis, non distingui realiter inter se, & tamen nullus vnquam obijecit ex hac identitate sequi infinitatem, & quidem rationabiliter; nam identitas realis præcisè, non potest afferre enti aliud augmentum, nisi quod ex se habent illa duo, quę adunat, & identificat, v.g. si per possibile, aut impossibile identificarentur realiter potentię, & animæ essentia; relatio, & fundamentum; actio, & passio, &c. non posset in vno per identificationem cum alio fingi, alia maior perfectio entitatiua, nisi ea, quã ex natura sua habet illud aliud, quod ei additur, & cum quo identificatur, & fit vnum realiter; ergo si duo ex se sunt perfectiones finitæ, non potest vnum ex illis identificatum esse infinita perfectio; sed essentia, & existentia in creaturis completis sunt ex se, & in se finitæ perfectionis; ergo per identificationem realem non possunt acquirere perfectionem aliquam infinitam formaliter.

Secundò: identitas realis præcisè inter essentiam, & existentiam, licèt tollat esse receptum physicè in essentia; non tamẽ tollit esse receptum metaphysicè in essentia; quia identitas realis non tollit distinctionem essentialem, quæ est per non inclusionem essentialem esse intra quidditatem essentiæ; sed solùm distinctionem realem, quæ est per diuisionem intrinsecam esse; ad receptionem autem metaphysicam esse in essentia, satis est distinctio ex natura rei per non inclusionem essentialem; vbi autem est esse receptum metaphysicè, licet sit esse irreceptum physicè, non est infinitas formalis; sicut ex eo, v.g. quod rationale, in multorum opinione, non distinguitur realiter ab animali per diuisionem intrinsecam esse; sed tantùm per non inclusionem essentialem, rationale est receptum metaphysicè in animali; irreceptum verò physicè; quia receptum physicè requirit distinctionem per intrinsecam diuisionem esse receptiui ab esse recepto, neque ex hoc licet deducere infinitam rationalitatem esse in animali.

Tertiò: quia identitas realis præcisè est perfectio, in qua Deus communicat cum creaturis; hæc autem perfectio abstrahit à finita, & infinita formaliter.

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem ab eam rationem; quia in omni creatura completa in genere entis, reperitur esse secundũ quid receptum in subiecto non solùm metaphysicè; sed etiam physicè; quia subiectum receptiuum, non solùm est distinctum ab esse secundùm quid recepto per non inclusionem essentialem; sed etiam per diuisionem intrinsecam, & realem esse; hanc autem receptionem necessariò præcedere debet in eodem subiecto esse simpliciter receptum metaphysicè, & physicè in essentia.

Ad primam probationem minoris; respondeo, nego ad diuersificandum, & distinguendum esse existentiale creaturę cõpletæ ab esse Dei satis esse, ꝙ esse creaturæ completæ sit receptum metaphysicè tantũ in essentia; & ratio est: quia esse simpliciter in creaturis completis causat esse secundùm quid receptum physicè, & realiter in essentia; illud autem necessariò debet esse receptum realiter, & physicè adhuc in essentia, quod suprà latè probatum est, ac proindè non datur in creatura completa esse receptum in esentia metaphysicè, & ireceptum physicè, siuè realiter, secùs non daretur primum in genere esse recepti physicè, siuà realiter in esentia.

Potest hoc probari etiam ex alio capite; quia esse in creatura completa, non potest esse irreceptum physicè, quin sit etiam irreceptum metaphysicè; at implicat apud Aduersarios esse existentiæ in creatura cõpleta esse irreceptum metaphysicè in esẽtia; quia hoc est proprium Dei ex eo, nimirùm, quod Dei esentia est à se, actus purus, & primum ens simpliciter; ergo, &c. Maior probatur; quia esse irreceptum physicè, & receptum metaphysicè, dicitur ex eo; quia esse est esentialiter intrà realitatem esentię; sicut esse irreceptum metaphysicè, est intrà quidditatem essentiæ: at realitas esentiæ in locutione intransitiua, de qua nos loquimur, est ipsissima quidditas creaturæ completæ; realitas enim sicut, & entitas, adæquatè diuiditur in esentiam, & esse; sed esentia vt contradiuiditur ab existentia est realis realitate esentiali; quia esentia est realis esẽtialiter; ergo esse existentiæ, quod est intrà realitatem, nimirùm in locutione intransitiua, quod est intrà realitatem esentiæ, est inclusa esentialiter intrà esentiam realem creaturæ; ergo

est irreceptum metaphysicè, & realiter intrà quidditatem creaturæ completæ, quod implicat contradictionem.

Confirmatur; quia falsum est ex alio capite, vt suprà diximus secundùm Aduersarios, essentiam Dei esse realiter suam existentiã, & ex alio capite esse essẽtialiter suam existentiam, & hoc, vel quia esse Dei non causat in se esse secundùm quid receptum realiter in Deo; vel quia, vt modò diximus, quod est irreceptum realiter in essentia, est irreceptum etiam essentialiter in essentia.

Ad primam probationem: concedo identitatem realem essentię cum existentia afferre vtrique infinitatem formalem; sed nego hoc esse falsum.

Ad secundam probationem minoris, quod quam plurimi defendunt essentiam, & existentiam etiam in creaturis non distingui realiter, & tamen nullus vnquam objjecit ex hac identitate sequi infinitatem.

Respondeo: non mirum esse si prædicti Metaphysici ex identitate reali essentiæ cum existentia, non objjcerint sequi infinitatem esse, & essentiæ; quia prædicti tenẽt, esse non infinitari formaliter per identitatem realem, quam habet cum essentia; sed solùm per identitatem formalem, siuè per inclusionem essentialem esse intrà quidditatem essentiæ; inter essentiam autem, & existentiam in creaturis completis, non est, inquiunt, nisi identitas realis, per quam esse, est irreceptum quidem physicè in essentia, sed non metaphysicè; sed decipiuntur, quia non potest dari esse irreceptum physicè in essentia, nisi illud idem sit irreceptum metaphysicè, nimirùm sit inclusum intrà quidditatem suæ essentiæ, sicut animal, & rationale sunt intrà quidditatem hominis; idque demonstratur, non solùm principio primo, quo demonstrauimus, distinctionem realem essentię ab existentia in creatis; sed etiam alia ratione, quandoquidem identitas realis duorum inter se est, ex eo quod vnum eorum est intrà realitatem alterius; sicut identitas formalis est ex eo, quod formalitas vnius est intrà formalitatem alterius formaliter; sed identitas realis essentię cum sua existentia est formalissimè etiam identitas formalis, quæ est per inclusionem essentialem existentiæ intrà essentiam. Prætereà S.Thomas *p.p. q.7.* de infinito probat esse existentiale limitari intrinsecè per rationem receptibilis realiter, seù physicè in essentia; è contra verò essentiam in creatis limitari per rationem formalem receptiui realiter in se existentię; idque rationabiliter, quia limitatio intrinseca est per primas differentias entis; sed primæ differentię entis sunt potentia, & actus in ratione subiecti realiter. Maior est certa ex terminis: quia differentiæ sunt restrictiuæ, & diuisiuæ intrinsecè entis in plures entitates, quarum vna non est alia, siuè non est omnis perfectio; sed aliqua determinata perfectio; hoc autem principium non admittunt contrarij; quia opinantur, quod ens creatum, ex eo quod creatum, limitatum est.

Ad tertiam rationem, qua Fasolus dicit, quod identitas realis præcisè, non potest afferre enti aliud augmentum, nisi quod ex se habent illa duo, quæ adunat, & identificat.

Respondeo: distinguo de identita reali; alia est essentiæ cum sua existentia; & alia est plurium formalitatum in vna simplici entitate, hoc est, in vna simplici existentia; concedo maiorem: de identitate reali plurium formalitatum realium in vna simplici entitate; nego verò maiorem, de identitate reali essentiæ cum sua existentia in creatura completa; repetiui sæpę, in creatura completa; quia hìc loquimur de essentia, & existentia in ratione subiecti, nõ autem in ratione obiecti, & disparitas est; quia vt suprà ostendimus; identitas realis inter essentiam, & existentiam essentialiter est per essentialem inclusionem existentiæ intrà essentiam, hanc autem essentialem inclusionem non habet identitas realis plurium formalitatum in vna entitate, siuè in vna simplici existentia; quandoquidem plures formalitates dicuntur identificari realiter; quia adunantur in vna simplici entitate, siuè existentia, salua distinctione reali essentiæ ab existentia, & hoc pacto identificantur in vno indiuiduo, puta in Petro gradus essentiales, siuè Metaphysici; eodem pacto identificantur etiam actio, & passio in motu potentiæ, & essentia animæ in opinione Scoti; & ratio huius in promptu est, quia vbi non est inclusio existentiæ intrà quidditatem essentiæ, dantur potẽtia, & actus in ratione subiecti, quæ sunt differentiæ intrinsecè diuisiuæ, & consequenter limitatiuæ intrinsecè diuidentium.

Quod si dicas; identitas realis est prędicatum, in quo Deus conuenit cum creaturis; at hoc prædicatum non est proprium Dei; ergo, &c.

Respondeo: distinguo maiorem; identitas realis essentiæ, cum existentia, est prędicatum, in quo Deus analogicè cõuenit cũ creaturis, & nego; quia hæc identitas est propriũ prędicatũ Dei; ex hac .n. identitate

Deus

Deus est primum ens simpliciter, actus purus, ens à se, &c. identitas realis pluriuṁ formalitatum in vna entitate,& concedo: & in hoc sensu Scotus concedit, diuinas perfectiones attributales identificari cuṁ essentia diuina. Sunt aliqui Scotistæ,vt sequenti quæstione dicetur,qui tuentur mordicùs existentiam in Deo adhuc ex naturā rei distingui ab essentia,sed decipiuntur vt dicto loco probabitur.

Obijcies quartò si essentia in creatura completa esset distincta realiter à sua existentia,deberet esse causa materialis suæ existentiæ;sed implicat essentiam,prout contra distincta realiter ab existentia,causare in genere causę materialis suam existentiam; ergo implicat essentiam in creatura completa distingui realiter à sua existentiia;sequela maioris probatur, quia existentia creaturæ non potest esse nisi recepta in essentia, vel quod idem est,non potest esse nisi iuncta eū essentia,quia est actuale exercitium essentię vt potentis existere, sed hęc dependentia à materia,non est nisi à causa materiali,quia est dependentia vt à receptiuo siuè vt à subiecto; subiectum autem, siuè receptiuum, causa materialis est. Minor in qua est difficultas probatur;quia ad causandum realiter extra suas causas,requiritur existentia iṅ causa; secùs causaret id, quod non est,quod implicat in terminis,sed essentia prout contra distincta ab existentia non includit existentiam in suo constitutiuo; secùs non esset distincta realiter essentia à sua existentiā; ergo implicat essentiam esse causam materialem suæ existentiæ.

Hoc argumentum,nouum nō est Thomistis;egregiè Caiet. illud proponit in *opusc. S.Thomę de ente, & essen. cap. 5. quæst.* 8. ad probandum materiā primā non esse aptam existere existentia formæ, & soluit dicens, quod in duplici sensu potest intelligi,essentiam in creaturis completis requirere existētiam ad causandum existentiam; Primus sēsus est vt quando causat, necessariò existat. Secundus sensus est vt pro omni signo, quo intelligitur essētia causare intelligatur etiā ipsa existentia in essentia. Primum sensum vltrò concedit Caietanus; secundum verò aperte negat. Explico, essentia recipit realiter existentiam illam causando in genere causæ materialis; quando essentia recipit, vel causat materialiter,impossibile est quod essentia non existat;quia terminus ille,quādo importat durationem temporis, siuè instans temporis quod mensurat existentiam; non loquendo verò quando existentia causat exercitè suam existentiam, sed de primo signo naturæ, quo est causa materialis,essētia non causat vt existens; quia prioritas causalitatis cum præscindat à duratione, & à tempore,non aliud requirit, nisi ordinem vnius post aliud in eodem instanti temporis,vel vt in priori sit potens existere, & in posteriori naturæ sit actu existens;vt autem hic ordo naturæ, aut causalitatis possit dici extra causas,& vt causa possit dici causare existens, satis est vt causa causet existens in eodem instanti temporis, quod etiam alijs terminis explicari solet,quod scilicèt essentia causet existentiam existens in sensu specificatiuo,& materiali, non autem in sensu formali,& reduplicatiuo.

Affert instantiam Caietanus contra Scotum,quæ valdè hanc dotrinam declarat & est huiusmodi: gradus metaphysici, siuè essentiales in vno, & eodem indiuiduo iṅ opinione Scoti distinguūntur ex natura rei, & in eis prior est ordo naturæ, siuè coordinationis essentialis, quàm ordo existentiæ; prius enim intelligitur animal informari rationali; in posteriori verò naturæ intelligitur animal, vt informatum rationali existere, & si hoc negetur, probatio est manifesta, quandoquidem nihil potest esse actu existens, nisi prius naturā sit aptum ad existendum,quam actu existat; licèt vtrumque horum sit in eodem instanti temporis. Tūc sic discurrit Caietanus. prius natura animal contrahitur à sua differentia, quàm actu existat; quęritur, vel animal contrahitur à sua differentia vt existens,vel vt non existēs non potest dici quod contrahitur, vel quod recipit rationale non existens; quia causaṅdum nō est,nō causat:ergo debet dici, quod recipit in priori naturæ non existens,sed tātùm existens in eodem instanti temporis in sensu specificatiuo, & materiali, nimirùm quod animal quod recipit rationale,existit in eodem instanti temporis, quo illud recipit,causat materialiter existentiam.

Respōdebit vtiq; Scotus,inquit Caie.quod nūquā genus contrahitur à differentia, puta animal à rationali,nisi quando existit: sed comparando ordinem existendi cum ordine essentiali; negabit Scotus quod ordo essentialis,non sit prior natura ordine existentię; idest respondebit Scotus, quod nunquam genus contrahitur à differentia nisi in eodē instanti,in quo existit,sed prius natura contrahitur à sua differentia, quam recipiat iṅ se existentiam in eodem instanti temporis; quia existentia est actus essentiæ determinatæ, & completæ vsque ad vltimam differentiam indiuidualem inclusiuè; pariter.

Caietanus accipiens responsionem à Scoto

Scoto, & distinctionem pariter respondebit in subiecta materia, quod essentia creaturæ completæ recipit, & consequenter causat existentiam suam subiectiuam, quando existit, sed non vt existens in priori naturæ, quo est causa materialis existentiæ, quia essentia est causa materialis existẽtiæ, quatenus est potens in se recipere existentiam; potens autem existere, existit quando causat & recipit existentiam, sed non causat prout existens in priori naturæ.

Docta quidem est hæc Caietani respõsio, & à doctiori quidem prolata, sed adhuc remanent explicandæ, & soluendæ duæ difficultates.

Prima est, quod si essentia præintelligitur causare existentiam recipiendo illam, debet necessariò præintelligi in illo ipso priori naturæ, quo est causa, actu existere, tùm quia causat prout est in rerum natura extra suas causas, hoc autem est formalitèr existere; tùm etiam quia cuicumque conuenit actu causare pro aliquo signo naturæ; conuenit eidem pro eodem signo actu existere, prius enim est actu esse quam causare; ergo causa causat, quia actu est in eo priori, quo est causa; nisi velimus dicere, quòd essẽtia est causa in actu vt non existens.

Secunda difficultas est, quia existentia si causat realitèr suam existentiam quando existit, existentia debet esse conditio saltem prærequisita ad causandum pro priori naturæ, quo est causa, quia causa non est actu causa, nisi sit completa in ratione causæ: cõpletur autem per existentiam in eo instanti, in quo causat; sed hoc implicat, quia implicat effectum esse priorem seipso; vel idem causare seipsum secundùm idem; nam eadem existentia est quæ requiritur ad causandum in essentia, & quæ causatur.

Respondeo primò ad primam difficultatem, duplicitèr intelligi posse essentiam causare suam existentiam, vt existentem pro priori naturæ quo causat; vno modo, faciẽdo existentiam rationem formalem causandi in essentiam, siuè saltem faciendo existẽtiam conditionem necessariò prærequisitam ad causandum materialiter, & in actu primo; alio modo, faciendo existentiam solùm conditionem necessariam ad causandum in eodem instanti temporis. In primo sensu, negandum est secundùm Caiet. essentiam causare vt existẽtẽ, quia essentia est causa materialis quatenus est potens recipere, sed in ratione potentis existere, non constituitur essentia intrinsecè per existentiam siuè per actualitatem existentialem, sed solùm per actualitatẽ essẽtialem. In secundo verò sensu, concedendum est, secundùm eundẽ Caietanum, essentiam causare materialiter suam existentiam vt existentem; quia in secundo sensu, existentia non accipitur neque vt cõditio prærequisita ad causandum, sed solùm vt conditio prærequisita in eodem instanti temporis in quo causat; quatenus scilicèt essentia non potest actu causare existentiam suam nisi in illo ipso instanti temporis, in quo existit, vel causat.

Hæc explicatio facilis est intelligentię iuxtà opinionem, quam sequitur Caiet. dicentium essentia creaturæ nõ causari à Deo nisi tamquam à causa prima ideali; quia, iuxtà hanc opinionem, essentia creaturæ est actualis in ratione essentiæ, scilicèt est potẽs actu existere antè omnem existentiam, vt infrà suo loco dicetur. Verùm in opinione quam nos sequimur essentiam creaturæ intrinsecè creari simul cum existentia in ratione essentiæ actualis, est difficilioris intelligentiæ, & ratio est quia essentia creaturæ non potest creari intrinsecè simul cum existentia nisi depedenter in genere causę formalis terminatiuæ ab existentia; qua data opinione concursus siuè causalitas materialis essentiæ circà existentiam in priori naturæ præsupponit existentiam in essentia, vt causa materiali.. Sed

Hæc maior difficultas facillimè soluitur illo principio Aristotelico, quo resoluetur secunda difficultas supra posita, nimirùm quod causę se se mutuò causant non in eodem, sed in diuerso genere causæ, quod principium non solùm importat vnam causam in eo in quo est causa alterius esse effectum eiusdem in diuerso genere causæ, sed etiam importat, quod vna causa in nullo priori naturæ potest esse causa alterius, nisi in illo ipso priori includat aliam causam in diuerso genere causæ, & ratio huius à priori est, quia vna causa illo ipso priori naturæ, quo aliam causat, est etiam effectus non in eodem, sed in diuerso genere causæ; idque probatur à radice, quia nulla est cõtradictio, vt eadem causa sit effectus sui effectus in diuerso genere causæ; contradictio enim est affirmatio, & negatio vnius de eodem secundùm idem formalitèr, sed esse causam, & effectum, in eod; priori naturę, vel vt alij loquuntur quantùm ad primum esse, in diuerso genere causę, non sunt affirmatio, & negatio secundùm idem formalitèr. Explico doctrinam in subiecta materia, essẽtia creaturę completę in eo priori naturę, quo in genere causę materialis causat suam existẽtiam, non solùm est existens in eodem instãti temporis in quo causat existentiam, nimi-

rùm

tum non solum includit existentiam vt cõditionem necessariam pro eodem instanti temporis, quando causat existentiam, vt vult Caiet. *loc. sup. cit.* vel, vt alij loquuntur, vt cõditionem cõcomitantem; sed etiam includit existentiam quam causat vt conditionem necessariò prerequisitam pro eodem priori nature, quo causat, ad causandum non in eodem genere, sed in diuerso, nimirùm in genere cause formalis terminatiue; quia hec duo pro eodem signo, seù priori nature in diuerso genere cause, non sunt contradictoria; predicata autem non contradictoria, que pro quocumque signo non sunt contradictoria, sunt compossibilia simul.

In hoc principio puto fundari illam communissimam distinctionem duplicis dependentie vnius ab alio; aliam nimirùm à priori, & aliam à posteriori, nisi velimus ponere contradictoria formalitèr simul: depẽdentia à priori dicitur depẽdentia effectus à sua causa in vno determinato genere; dependẽtia à posteriori, est cause à suo effectu, non in eodem, sed in diuerso genere cause, & hec doctrina valdè notanda est; quia secundam hanc explicationem eam scriptam nondum legi. Hac posita doctrina.

Respondeo paulò alitèr, distinguendo illam propositionem; causa pro quocumque signo nature, quo causat realitèr, debet esse existens in eodem genere cause, vt ratio formalis causãdi, & nego: vt cõditio ad causandũ, & cõcedo. In re nostra, essẽtia creature cõpletæ causans in genere cause materialis suã existẽtiã, pro eo priori nature quo causat, nõ est existẽs, vt ratio formalis causãdi, sed vt cõditio tãtũ causãdi; essẽntia enim, & existẽtia se se mutuò causãt in diuerso genere cause, & pro illo ipso priori nature, quo essẽtia est causa materialis sue existẽtie, essentia includit existentiã, in diuerso genere cause, quia causa in diuerso genere cause pro eodem signo nature; siuè pro eodem priori nature, non sunt contradictorie; includit quidem essentia pro eodem priori nature, quo causat, existentiam, non vt rationem formalem causandi; sed tantùm vt conditionem prerequisitam necessariò.

Hanc debent sequi etiam ij, qui tenent existentiam in creatis distingui ratione ratiocinata ab essentia, & in ea subiectiuè recipi, & substentari, cum non possit vllo modo dari existentia sine essentia in rerum natura; etenim hac posita dependentia mutua, essentia fundamentalitèr est causa materialis existentie; ergo essentia est prior natura quàm existentia; ergo essentia presupponitur existens antè essentiã antecessione nature, quod argumentum rectè explicat Caiet. *de ente, & essentia loc. cit.* contra Scotum; ergo Aduersarij patiuntur eandem difficultatem, quam tenentur soluere, & ab eis recipiemus responsionem.

Nec mirùm si acutissimus Caiet. asseruerit tantùm existentiam actualem requiri, vt conditionem necessariam pro eodem instanti temporis, vel, vt conditionẽm concomitantem, & non pro eodem signo naturæ, nam Caietanus sequitur opinionem dicentium causari à Deo vt à causa ideali tantùm idealitate essentiæ.

Neque dicas, contra hanc doctrinam, quam nos sequimur, quod implicat ratio prioris, & posterioris respectu eiusdem cause etiàm in diuerso genere causæ, quãdoquidẽ diuersitas generis causæ, non tollit quin sit vnum, & idem id, quod causat, & causatur; vnum verò, & idem esse prius, & posterius, esse causam, & effectum, dependens, & independens, sunt prædicata contradictoria; ergo non potest vna, & eadem existentia esse prior, & posterior etiam in diuerso genere causæ, quia semper causa & effectus, prius, & posterius, dependens, & independens, cadunt super idem intrinsecè; quandoquidem idem intrinsecè, ponitur intrinsecè sufficiens, & insufficiens; sufficiens vt causa, & eadem insufficiens, vt quia ponitur effectus.

Respondeo, nego antecedens, cum dicitur verò, quod diuersitas generis causæ non tollit quin sit vnum, & idem, quod est causa & effectus, dependens, & indepedens intrinsecè, prius, & posterius; distinguo non tollit quin sit vnum, & idem materialitèr, scilicèt in sensu materiali, & specificatiuo, & concedo; in sensu formali, & reduplicatiuo, siuè formalitèr, & nego; quanquam enim entitatiuè, & materialitèr eadem existentia est, quæ causat in genere causæ formalis, & causatur in genere causæ materialis ab essentia; tamen prioritas, & posterioritas, non cadunt supra idem formalitèr, nimirùm nõ cadunt supra existentiam, quatenùs formalitèr est causa formalis terminatiua; sed solùm supra eandem existentiam materialitèr, quia eadem quidem est existentia, sed sub vna ratione formali est causa, sub alia verò ratione formali est effectus, cum sit causa, & effectus in diuerso genere causæ, & hoc probatur etiam.

A priori, quia eadem existentia in vno genere causæ habet sufficientiam; in alio verò genere causæ habet insufficientiam; Ratio causæ fundatur in sufficientia; ratio verò effectus siuè causabilis fundatur in insufficientia; ergo eadem existentia in genere causæ

causæ formalis, in quo habet sufficientiam, est causa; in genere verò causę materialis, in quo habet insufficientiam, est effectus.

Aliqui Thomistę se expediunt ab hoc argumento, quod quidem difficilè est; respondendo, quod prioritas causæ, quæ est prioritas naturæ ex suo genere non necessariò importat præsuppositionem existentiæ in ratione causæ; sed solùm independentiam vnius causæ ab alia à se dependẽte in illo genere causæ; sed prioritas causæ, contractæ ad genus causæ efficientis, solũmodò importat pręsuppositionem existentiæ in causa, antè actualem causalitatem, & consequenter præsuppositio existentiæ in ratione causę actualis est proprium causæ efficientis; causa enim efficiens non causat, nisi inquantùm est actu; causa verò materialis, vel formæ substantialis, vel existentiæ causat solùm, vt potens existere: & rationem huius assignant hanc. Primò, quia causalitas materiæ præcisè, vt est causa formæ, siuè existentiæ, non dicit tãquam rationem intrinsecam, nisi esse subiectum primum. Secundò, quia nulla forma, seù nullum principium formale prærequirit in subiecto, cui communicatur, seipsam, vel suum effectum formalem; sed solùm capacitatem, ad recipiendam formam, & eius effectum formalem, v. g. albedo nõ aliud pręsupponit in suo subiecto, nisi illud esse albificabile; sed existentia est actualitas existendi; sicut forma est principium formale existentię; ergo neutra harum supponit in essentia, & in materia, nisi solùm capacitatem ad informari, & ad existere.

Sed hæc responsio fundatur in eodem fundamento, in quo fundatur Caietan. nimirùm essentiam creaturæ completę non causari à Deo, nisi idealiter, & nullo modo causari ab existentia etiam in genere causę formalis terminatiuæ in ratione essentiæ actualis. Verùm data opinione, essentiam creaturæ completæ in ratione essentiæ actualis creari à Deo cum sua existentia, vt terminum materialem, non potest esse neque intelligi in essentia causalitas circa suam existentiam, nisi præsupponatur essentia in ratione essentiæ actualis causata ab existentia in genere causæ formalis terminatiuæ; ergo in priori naturæ debet pręintelligi existentia in materia in aliquo genere causæ, non quidem vt ratio formalis causandi in essentia; sed vt conditio necessariò prærequisita; quod est dicere, essẽtiam creaturæ non esse actu causam materialem suę existentiæ, nisi quatenùs est existens, non faciendo existentiam rationem formalem causandi, sed solùm conditionẽ prærequisitam ad causandum; non quidem in genere causæ formalis, sed in genere causæ materialis; idque ob eam rationem, quoniam ex causis se se causantibus in diuerso genere causæ, vna in illo ipso priori naturę, & in illo ipso primo esse, quo est causa alterius, est etiam effectus, non in eodem, sed in diuerso genere causæ.

Rationes in oppositum facilè soluuntur; ad primam, qua dicitur, quod prioritas naturæ, siuè causalitatis ex suo genere, non importat præsuppositionem existentiæ.

Respondeo: distinguo antecedens, siuè maiorem; non præsupponit ex suo genere existentiam, vt rationem formalem causandi; & concedo: vt conditionem pręrequisitam ad causandum; & nego: solummodò enim præsuppositio existentię, vt ratio formalis causandi completiua requitur in causa efficiente.

Ad aliam rationem, quà dicitur: nulla forma, & nulla existentia pręsupponit in subiecto, cui communicatur, seipsam, aut suum effectum.

Respondeo: distinguo maiorem; non præsupponit seipsam, aut suum effectum formalẽ, vt rationẽ formalẽ ad causandum in genere causæ formalis; & concedo: vt conditionem pręrequisitam ad causandum in genere causæ materialis, & nego. In re nostra, existentia pręsupponit seipsam in essentia, à qua materialiter causatur, vt conditionem necessariam ad causandum materialiter, non autẽ vt rationẽ formalẽ ad causandum in genere causę formalis terminatiuę modo, quo sępè explicauimus. Doctrina hęc est quidẽ difficilis eis, qui nõ procedunt in suis discursibus per prima principia, & ijs etiam qui negant causas intrinsecas se se inuicem causare, quantùm ad primum esse etiam in diuerso genere causę: sed ij, qui cum S. Thoma, & Aristotele prędictum principium primum tuẽtur nullam patiuntur difficultatem. Explico: existentia in creatura completa in genere causę formalis terminatiuę causat essentiam suam subiectiuam; & hęc è contra causat existentiam in genere causę materialis receptiuæ; sed quia, vt suprà diximus, in illo priori naturę, quo essentia causat materialiter suam existẽtiam, inuolnit etiam suam causam. Sed in diuerso genere causę, ipsa existentia necessariò debet esse, & pręrequiri in illo priori naturę, quo essentia est causa materialis suę existentię, non

non quidem vt ratio formalis causandi; quia hoc est proprium causę efficientis, saltem vt actus completiuus formę, quo agens est actu, sed solùm vt conditio prętrequisita non concomitans. Neque ex hoc sequitur existentiam causari à seipsa, quoniam existentia prętrequiritur in essentia in genere causę materialis vt conditio antecedens, antè causalitatem materialē; conditio autem non influit in effectum causę, secùs non esset conditio; sed esset ratio formalis causandi; pręterquamquod semper causa causat effectum à se distinctum realiter per diuisionem intrinsecam esse, siuè existentialis, si sit causa efficiens; siuè essentialis, si sit causa intrinseca, quales sunt essentia, & existentia.

Quod si obijcias illud: causa causę est causa causati; ergo si essentia causat existētiam, & è contra, quęlibet ex his debet causare seipsam.

Respondeo; causam causæ, inquantùm est causa formaliter causati, quod est idem, ac dicere, quod causa causę in eodem genere causę est causa causati, nō autem causa causę materialiter, & in diuerso genere causę.

Neque inconueniens est, vt existentia sit causa formalis essentię, & sit conditio prętrequisita in essētia in genere causę materialis; est enim prior, & posterior seipsa, nō quidem in eodem genere causę, sed in diuerso, quatenùs nimirùm est causa formalis prima terminatiua, vel quia terminat formaliter productionem agentis, vel quia est terminus essentialiter prętrequisitus, vt essentia creaturę sit actualis. In genere causę formalis, pręcedit seipsam, quatenùs pręintelligitur in materia pro illo priori naturę, vt conditio necessaria, vt essentia sit causa materialis ipsiusmet existentię.

Obijcies quintò: essentia creaturę cōpletę, vt actualis in ratione essentię est intrinsecè terminus creationis; sed terminus creationis inuoluit intrinsecè existentiam in ratione termini; ergo essentia creaturę completę, vt actualis in ratione essentie inuoluit intrinsecè existentiam; hoc autem posito, necessariò sequitur essentiam creaturę completę, vt actualem in ratione essentię, nō distingui realiter à sua existentia; quia hoc posito principio, existentia est ipsa actualitas essentialis, essentia autem creaturę non distinguitur à sua actualitate essentiali; ergo, &c. Maior principalis argumenti probatur; primò, quia nulla est assignabilis implicantia, aut contradictio, cum essentia creaturę completę non sit intrinsecè creabilis in ratione essentię actualis; si qua enim esset radix contradictionis, ea foret; quia essentia creaturę completę est potentia subiectiua in ratione entis; sed hęc ratio nulla est, quia vt essentia sit creabilis, siuè causabilis à Deo, vt à causa efficiente prima, satis est, vt ea sit ens actu ex nihilo, nàm terminus creationis, siuè efficientię est ens actu ex nihilo; hoc reperitur in essentia creaturę completę actualis; ergo, &c. sicut Deus est intelligibilis ab intellectu creato; quia in Deo reperitur formaliter ratio intelligibilis, quod est obiectum formale intellectus creati.

Hoc argumentum vim habet contra opinionem dicentium, essentiam creaturę completę comproduci intrinsecè in ratione essentię actualis à Deo, nàm contra oppositam opinionem antecedens est falsum; in opposita enim opinione, essentia creaturę completę comproducitur, & creatur solùm in ratione existentis, quatenùs vi creationis, essentia, quę in priori erat potens tantum existere: fit actu existens: & ad illud communiter.

Responderi debet, essentiam creaturę cōpletę, non creari per se in ratione essentię, neque concreari, vt terminum formalem creationis; sed tantum vt terminum materialem; terminus creationis, qui inuoluit in ratione termini existentiam, nimirùm, subiectiuam, vel debet esse terminus per se creationis, vt est ens existens ex nihilo, vel esse debet terminus formalis concreationis vt est existentia, non quidem vt sola forma existendi; sed in suo effectu formali, qui dicit essentiam actu existere.

Huic responsioni Aduersarij nō quiescunt: contendunt enim terminum intrinsecè productionis, siuè comproductionis in suo conceptu constitutiuo adæquato semper inuoluere existentiam; quia terminus intrinsecè productionis, siuè comproductionis non aliud importat, quam id, quod poterat esse actu, nimirùm, id, quod est possibile traduci ex suo nihilo esse actu exsuum nihilum virtute causæ efficientis; & in hoc cōceptu intrinsecè inuoluitur existētia.

Sed hæc responsio, & instantia facilè soluuntur distinctione duplicis existentiæ, & essentiæ; nimirùm, terminus intrinsecè productionis in generali, semper inuoluit intrinsecè existentiam, & essentiam in ratione obiecti, siuè termini, vt suprà ostendimus. Verùm loquendo de essentia, & exi-

stentia in ratione subiecti, de quibus nunc loquimur, terminus per se creationis, qui, scilicèt, est producibilis seorsùm ab omni alio, inuoluit, in suo conceptu constitutiuo, & adæquato essentiam, & existentiam in ratione subiecti; terminus formalis comproductionis, seù concreationis inuoluit formaliter existentiam in suo effectu formali primario, quod est actu existere, subiectiuè verò inuoluit essentiam subiectiuam, vt terminum materialem productionis, siuę creationis; terminus verò materialis cōcreationis, vel comproductionis, non inuoluit in suo conceptu constitutiuo intrinseco existentiam subiectiuam; sed inuoluit illam extrà essentiam suam; sed sibi iunctam ad differentiam entis, quod per se producitur, & non cum alio, quod in suo conceptu adæquato constitutiuo, constitutiuè dicit essentiam, & existentiam in ratione subiecti, sed vnam extrà aliam; quia semper terminus per se creationis debet esse compositum ex esse, & essentia realiter, vt suprà ostendimus. In re verò nostra, essentia creaturæ completæ, cum materialiter producatur cum sua existentia, in ratione sua constitutiua inuoluit intrinsecè, & in recto essentiam, & existentiam obiectiuas, non autem existentiam subiectiuam; sed hanc solùm includit per informationē, siuè actuationem, non autem per constitutionem intrinsecam.

Obijcies sextò: vna ex rationibus principalibus, quæ assignatur à Thomistis, cur existentia in creaturis completis est distincta realiter ab essentia, etiam vt actuali in ratione essentiæ; est quia existentia simpliciter creaturæ completæ est recepta realiter in essentia, secùs non haberet existentia creaturæ completæ vndè limitaretur; sed hæc ratio non conuincit, nàm falsum est, quod limitatio sit per esse receptum realiter in essentia; & probatur primò, quia ex hoc sequeretur, essentiam creaturę completæ, neque habere in se vndè limitaretur intrinsecè, quoniam esse essentiale creaturæ completæ, non est receptum, neque receptibile in subiecto; quia essentia est primum receptiuum existentiæ; primum autem receptiuum, non est receptibile in alio priori subiecto; sicut materia prima est irreceptibilis in alia materia, quia est materia prima. Secundò, quia meliùs esse existentiale creaturæ limitatur per identitatem realem cum essentia, quàm per hoc, quod est receptibile realiter in essentia à se distincta realiter; quia limitatio est prædicatum intrinsecum creaturæ; magis autem intrinsecum est existentiæ identitas cum sua essentia, quàm receptio in sua essentia; & confirmatur; quia essentia creaturæ est essentialiter limitata per differentiam; quia quælibet essentia creaturæ completæ est intrà determinatum genus prædicamentale.

Respondeo: concedo maiorem, & distinguo minorem; hæc ratio non conuincit de omni existentia subiectiua creaturæ cōpletæ; & nego, non conuincit etiam de essentia subiectiua creaturæ completę, & concedo; quandoquidem esse receptibile realiter in essentia est ratio limitatiua, tātummodò esse existentialis; quia esse existētiale est actus; limitatiuum autem intrinsecum primum, & generale actus, est esse receptibile in essentia realiter; limitatiuum autem intrinsecum primum, & generale essentiæ creaturæ completæ est esse receptiuum realiter existentiæ; principia enim prima limitatiua, vt sępè repetiuimus, sunt primæ differentię diuisiuę *intrinsecæ entis* creati; hæ verò primæ differentię *sunt* potentia, & actus in ratione subiecti; Aduersarij autem opinantur, quod ratio limitatiua in vniuersum, siuè *prima* ratio limitatiua in ente creato intrinseca secundùm Thomistas, sit esse receptum realiter in essentia, sed hoc neque somniarunt Thomistę; quandoquidem S. Thomas semper docuit intrinsecum limitatiuum existentię in creaturis completis esse, quia existentia creaturę completæ est receptibilis realiter in essentia; neque verum est, quod primum limitatiuum essentię creaturę completę est differentia essentialis; quia essentia est prima in re; quandoquidem prima differentia in essentia creaturę limitatiua, est esse receptiuum realiter suæ existentiæ; quia prima differentia entis limitatiua essentiæ, est potentia ad existentiam, vt suprà sæpè demonstrauimus, quæ potentia si remoueatur ab essentia creaturæ, remoueri debet ab eadem etiam differentia essentialis; remoto enim primo in vnoquoque genere remouētur omnia secunda in eodem genere; nisi velimus ponere in natura effectum sine causa, quod implicat in terminis; neque oppositum ostēditur cum dicitur ab opponente, quod actus primus in essentia est actus quidditatiuus, & formalis essentiæ; ergo, &c. nàm responsio in promptu est, negādo, quod differentia essētialis, siuè metaphysica essentiæ sit prima differentia limitatiua; prior enim est differentia diuisiua entis creati in generali, quàm differentia diuisiua entis creati contracti ad ens essentiale,

tiale; sicut prius est essentiam creaturæ completæ esse ens ex nihilo, siuè à Deo causatum, quàm ens essentiale determinatum determinata differentia essentiali, v. g. prius est essentiam hominis esse in potentia ad existentiam, quam esse rationalem; quia prior potentia conuenit ei inquantùm est ens creatum vt sic cum existentia; secunda verò conuenit eidem, secundùm quod est quoddam speciale ens; sicut prius conuenit cognitioni creatæ veritas trascendentalis, quam veritas formalis, quia prima conuenit cognitioni inquantùm est ens. Secunda conuenit eidem inquantùm est quoddam speciale ens, nimirùm, cognitio. Neque denique aliquid probat, quod dicitur ab opponente, nimirùm, meliùs existentiam creaturæ completæ limitari per identitatem cum sua essentia, quam per rationem receptibilis realiter in essentia; quandoquidem per identitatem realem esse cum essentia, tollitur prima differentia entis creati, quæ est actus subiectiuus in genere entis; prima enim differentia limitatiua entis debet esse differentia per se primò diuisiua entis creati; primæ autem differentiæ diuisiuæ sunt potentia, & actus in ratione entis; vbi autem est identitas realis esse cum essentia, nulla potest esse potentia, siuè actus in ratione subiecti, vel obiecti; quia vbi est idẽtitas realis esse cum essentia, essentia est essentialiter suum esse, quod est proprium Dei, qui est actus purissimus excludens à se positiuè, & contrariè omnem potentialitatem.

Obijcies septimò: implicat essentiam etiam creaturæ completę, vt actualem in ratione essentiæ, distingui à sua realitate, à sua veritate, & à sua actualitate intrinseca; sed existentia est realitas, veritas, & actualitas intrinseca essentiæ; ergo implicat, essentiam creaturæ vt actualem in ratione essentiæ distingui à sua existentia. Maior suis solis terminis est manifesta; quia implicat essentiam distingui realiter à suis prædicatis intrinsecis, quoniam distinctio realis dicit vnum excludere à se aliud; sed prædicata intrinseca essentiæ actualis in ratione essentiæ sunt intrà essentiam; quia essentia creaturæ vt actualis in ratione essentiæ, intrinsecè est realis, quia est contradistincta ab essentia ficta: est vera, & est intrinsecè actualis; quia hic non accipitur essentia creaturæ secundùm se, quæ abstrahit à potentiali, & actuali; sed sumitur essentia creaturæ completæ inquantùm actualis in ratione essentiæ; quia dicimus essentiam creaturæ completæ vt actualem, distingui realiter à sua existentia. Minor principalis argumenti; probatur, quia existentia est prima actualitas essentiæ, quia est prima ratio formalis, vt essentia sit actu; prima autem actualitas est essentialis essentiæ, cum non supponat aliam antè se constituentem essentiam actualem.

Quod si dicas, hìc esse sermonem de essentia creaturæ completæ subiectiua, nõ autem de essentia creaturę completæ obiectiua; subiectiua autem distinguitur à sua existentia pariter subiectiua.

Statim dicent Aduersarij, hanc distinctionem, siuè diuisionem essentiæ, & existentiæ in ratione subiecti, esse fictam, & implicatoriam; quia existentia subiectiua, vt contradistinguatur ab essentia, necessariũ est, vt essentia fiat actualis de potente esse; sed hoc præstat sola actualitas essentialis; idque probatur, quia essentia creaturæ formaliter, & secundùm se non est actualis; sed fit actualis formaliter per actualitatem, quam Thomistæ vocant essentialem; Aduersarij verò existentialem formaliter; ergo, &c.

Ad hoc argumentum reducitur aliud simile; quia nihil potest fieri ens intrinsecè formaliter per entitatem, siuè actualitatem à se distinctam realiter; sed existentia est id, quo essentia fit intrinsecè, & formaliter ens actuale; ergo essentia creaturæ etiam completæ, non potest fieri actualis per actualitatem existentialem distinctam realiter.

Respondeo: realitatem, veritatem, & actualitatem, esse duplicis conditionis, aliã intransitiuam, & aliam transitiuam, siuè aliam essentialem, & aliam existentialem. Implicat essentiam creaturæ completæ distingui à sua realitate, siuè actualitate intransitiua; non verò implicat, imò est necessarium essentiam creaturæ completæ distingui à sua realitate, & actualitate transitiua; ad eum modum, v.g. quo potentia calefactiua non distinguitur à sua actualitate intransitiua, quo est actu potentia calefactiua; quia hęc est actualitas intransitiua potentię calefactiuę; sed necessariò distinguitur à sua actuali calefactione; quia actualis calefactio est actualitas transitiua potentię calefactiuæ. Pariter in re nostra, existentia subiectiua, de qua loquimur, in creatura completa est actualitas, & realitas transitiua essentiæ, non autem actualitas, & realitas intransitiua; neque verum est, quod dicunt Aduersarij, hanc existentiam subiectiuam in creatura completa esse fictam, & implicantem in terminis, idque non solùm ob rationem, qua S. Th. pro-

bat, in creaturis completis reperiri formaliter, & actu distinctas essentiam, & existentiam in ratione subiecti, sed etiam; quia ens creatum formaliter præscindit à potentia, & actu in ratione subiecti; dato autem genere præscindente, necessariò danda est diuisibilitas, & contrahibilitas per differentias oppositas.

Neque dicas, diuisionem entis in potentiam subiectiuam, & in actum subiectiuum esse diuisionem, vel entis creati in genere agentis, non autem entis creati in genere entis, siuè in essendo; vel esse diuisionem entis physici, quod diuiditur in potentiam, & actum in ratione subiecti; vel esse diuisionem entis, prout diuiditur in substãtiam, & accidens; incumbit autem Thomistis ostendere, diuisionem entis in potentiam, & in actum in ratione subiecti, esse diuisionem entis creati in essendo, inquantùm huiusmodi, & in generali.

Hæc enim responsio non solùm reijcitur primo illo principio, quo S. Thom. ostendit in omni genere entis creati reperiri esse simpliciter receptum realiter in essentia; sed etiam hoc alio principio, modò explicato; nàm ens creatum, quatenùs est ens creatum in essendo, præscindit formaliter à potentia, & ab actu in ratione subiecti; quia præscindit ab ente, vt potente actu existere, & ab ente, quod est actus, siuè terminus, quo ens, quod erat potens tãtùm esse, fit actu sub suo termino, nimirùm actu existens, & probatur; nàm in sua definitione essentiali ens creatum formaliter dicit solummodò ens, quod actu est extrà nihilum, sed ens extrà nihilum est duplex; aliud est extrà nihilum, vt potens actu existere; aliud verò est extrà nihilũ vt actu terminus, & cõplementũ entis potẽtis existere; manifestatur discursus, nàm ratio cur ens creatum est diuisibile in potentiam, & actũ in ratione obiecti, est, quia ens creatum vt sic præscindit formaliter à potentia, & ab actu in ratione obiecti, nimirùm, in sua definitione essentiali secundùm se, neque includit potentiam, neque actum in ratione obiecti; sed adhuc secundùm se, vt est ens in essendo præscindit à potentia, & ab actu in ratione subiecti; ergo, &c. Iisdem etiam rationibus ostẽditur à priori in creaturis completis, esse duplicem actualitatem, aliam essentialem, & aliam existentialem.

Ad secundùm argumentum, cum dicitur, quod nihil potest esse ens entitate à se distincta realiter.

Resp. distinguo maiorem; nã duplex est ens, aliud est ens essentiale, & aliud est ens actu existens. Concedo nihil posse fieri ens essentiale actu in ratione entis essentialis per entitatem à se distinctam realiter; sed nego ens actu existens non posse fieri actu existens per entitatem distinctam realiter à sua essentia; nam essentia entis actu existentis creati est ens intrinsecè incompletum, & imperfectum in genere entis; sed perfectibile intrinsecè in eodem genere; hoc autem necessariò completur per entitatem à se distinctam realiter, quæ est actus existendi.

Obijcies octauò: existere in creatis nõ est aliud, quàm esse actu extrà *nihilum*, & esse extrà suas causas; vel, & in idem *redit*, non aliud importat, nisi esse terminum potentiæ obiectiuæ; sicut enim esse in potentia obiectiua, est esse in potentia ad existẽdum, ità existere est esse in actu, & in termino illius potentiæ; sed essentia creaturæ completæ, vt actualis in ratione essentiæ, est terminus potentiæ obiectiuæ; *quia* est vt sic essẽtia creaturæ intrinsecè producta; ergo essentia creaturę cõpletæ, vt actualis in ratione essentiæ est intrinsecè existens per solam actualitatem, qua est essentia actualis in ratione essentiæ: per hanc enim solam actualitatem, essentia est actu extrà nihilum, & extrà sua causas, & terminus potentialitatis essentiæ, quo fit actualis; ergo impertinens est, & impos*sibibilis* alia actualitas, quam Thomistæ vocant existentialem, distincta ab actualitate prima essentiali. Confirmatur, quicquid enim est formaliter ens positiuum actu extrà *nihilum* virtute causæ efficientis est *existens*; sed hoc est ens completum in genere entis; quia quodlibet genus entis completur per potentiam, & actum.

Respondeo, hoc argumento ostendi tantummodò essentiam creaturę completę, quatenùs est actualis actualitate essentiæ virtute causæ efficientis, inuoluere essentiam, & existentiam in ratione obiecti, quod vltrò concedimus data opinione, quod essentia creaturę sit intrinsecè terminus comproductionis materialiter; at nos hìc loquimur de essentia, & existentia in ratione subiecti, quæ necessariò concedi debent in quolibet genere entis creati completi, vt ostendimus.

Quod si dicas: essentia, & existentia in ratione subiecti si reperirentur in omni genere entis creati, reperirentur etiam in esse existentiali creato, non solùm obiectiuo, sed etiam subiectiuo, quia huiusmodi esse existentiale subiectiuum conuenit omni

ni generi entis; quia est ens creatum, siuè genus entis creati; sed esse existentiale creatum est quoddam genus entis creati; ergo ei adhuc competunt essentia, & existentia in ratione subiecti; sicut, v. g. cuilibet enti conuenit esse verum veritate transcendentali, quia veritas transcendentalis est passio entis inquantùm ens; sed ens reperitur in quolibet ente particulari; ergo, &c.pariter,possunt dicere Aduersarij, est discurrendum de essentia, & existentia in ratione subiecti, quod negatur à S. Thoma.

Respondeo: nego sequelam; quia essentia,& existentia in ratione subiecti simul conueniunt enti creato, inquantùm est ens creatum per se, nimirùm, seorsùm ab omni alio,& non prout creabilili in generali; esse existentiale creaturæ completæ præcisè sumptum, vel esse essentiale præcisè sumptum,non est per se creabile, ideò non possunt in eo reperiri simul essentia, & existētia in ratione subiecti; sicut reperiuntur essentia, & existentia in ratione termini,siuè obiecti disparitas est;quia potentia,& actus in ratione obiecti conueniunt enti creato in generali, & vt sic; at verò esse existentiale creaturæ completæ pręcisè sumptum est sola existētia subiectiua essentię eiusdem creaturæ completæ. Vndè cum S. Thomas ostendit in omni genere entis creati completi reperiri existentiam simpliciter receptam realiter in essentia loquitur de existentia subiectiua, non obiectiua; essentiæ verò subiectiuæ conuenit esse receptiuum realiter suæ existentiæ pariter subiectiuæ.

Obijcies nonò: omne, quod recipitur, & suscipitur in subiecto realiter, supponit saltem in priori naturæ suum susceptiuum, & receptiuum reale in ratione receptiui, esse enim subiectum receptiuum non habetur ab eo, quod recipitur,sed ex ipsa natura receptiui; sed existentia creaturæ completę non potest supponere suum receptiuum in esse reali extra nihilum actu; ergo existentia creaturæ completæ, non potest esse recepta realiter in essentia.Minor probatur, quia nullum subiectum, siuè receptiuum potest esse actu extrà suum nihilum independenter ab existentia; sed si existentia supponeret suum receptiuum in ratione receptiui realiter hoc, quod ponitur essentia creaturæ completæ, non esset actu extrà nihilum dependenter ab existentia.

Hoc argumentum, & alia consimilia ferè communiter Thomistæ soluunt distinguendo de ente essentiæ, & de ente existentiæ; dicunt enim, quod aliud est esse extrà nihilum essentiæ, nimirùm subiectiuæ; & aliud est esse extra nihilum existentiæ pariter subiectiuæ; qua posita distinctione dicunt, existentiam creaturæ completæ præsupponere suum receptiuum realiter in ratione entis essētialis præcisè,nō autē in ratione entis actu existentis, quæ distinctio solet alijs verbis explicari; quia dicūt,quod dupliciter potest ens esse actu extrà nihilū; vno modo, vt ens incompletum complebile; alio modo vt ens completiuum;primum conuenit soli essentiæ creaturæ completę; secundum verò competit existentię eiusdem creaturę.

Sed hæc responsio supponit essentiam creaturę completæ, vt contradistinctam à sua existentia, nullo modo comproduci in ratione essentię intrinsecè; sed solùm causari à Deo idealiter, antè omne decretum liberum Diuinę voluntatis de creando; quia verò nos sequemur oppositam opinionem.

Respondeo, quod esse simpliciter in creaturis completis supponit suum receptiuum, quod est essentia, vt sui causam materialem, non autem vt sui causam formalem; sed potiùs è contra,receptiuum esse simpliciter supponit, siuè pręsupponit ipsum esse simpliciter, vt sui causam formalem terminatiuam; hæc autem duo, nimirùm prius in genere causæ materialis in essentia, & prius in genere causæ formalis in existentia sunt, nedum pro eodem instāti temporis, sed pro eodem signo naturæ, quo ipsa essentia est causa materialis existentiæ, non in eodem, sed in diuerso genere causę; & ratio est; quia in diuerso genere causę non sunt contradictoria pro eadē signo naturę; quia non sunt secundùm idem formaliter, vt suprà explicauimus, quam doctrinam paucis; sed satis doctè explicat August. Nifus in 1.*physic.* explicans quomodo materia, & forma se se inuicem causant in diuerso genere causę.

Quod si obijcias, prius natura non est aliud, nisi esse causam, à qua est effectus; sicut prius origine in Deo non est aliud, nisi esse causam, à qua est effectus; sicut prius origine in Deo non est aliud,nisi esse,à quo alius; sed sunt duę causę diuersi generis; ergo non possunt esse vnum signum naturę, nimirùm essentia, vt causa materialis suę existentię, & existentia vt causa formalis suę essentię,non possunt esse vnum,& idem signum naturę, siuè vnum prius naturę.

Resp., quod signum,siuè prius naturę est duplex; intrinsecum, & extrinsecū;intrinsecum, est idem quod esse causam, à qua est es-

effectus; extrinsecum verò est prius naturę, quod est in instanti tēporis extrinseci. Prius in genere causę materialis in essentia, quatenus est causa suæ existentiæ, & prius in genere causę formalis in existentia, quatenùs est causa formalis terminatiuę suę essētię, in qua recipitur, sunt quidem duo priora distincta, & diuersa intrinsecè; quia sunt in diuerso genere causæ; sed sunt pro eodem signo, siuè pro eodem priori naturæ instantis temporis extrinseci; & ratio est; quia non sunt contradictoria formaliter in vno instanti naturæ instantis temporis extrinseci; quia contradictoria formaliter sunt secundùm idem formaliter; at prædicta duo priora non sunt secundùm idem formaliter, quia sunt in diuerso genere causæ, & non secundùm idem genus causę.

Hic solùm difficultatem facit doctrina, quam suprà docuimus, nimirùm, existentiam, quæ est causa suæ essentię receptiuæ in genere causæ formalis terminatiuę, prærequiri vt conditionem necessariam, & antecedentem in essentia, quatenùs essentia ipsa causat existentiam in genere causę materialis; & hoc ex duplici capite difficultatem facit, vt suprà innuimus.

Primum est; quia ipsamet existentia, saltem vt conditio, esset prior seipsa in ipsa essentia quatenùs est causa materialis; quia causa vt causa est prior suo effectu; existentia autē requiritur in ratione causę; quippè suprà diximus omnem causam etiā intrinsecam requirere actualem existentiam, pro quocumque priori signo naturę quo causat, non quidem vt rationem formalē causandi, quia hoc est proprium causę efficientis; sed vt conditionem necessariam antecedentem actualem causalitatem; hoc autem videtur repugnare ipsi existentia, si existentia sit causa essentię suę subiectiuę in genere causę formalis terminatiuæ; quia repugnat idem causare seipsum, etiam vt conditionem necessariò prerequisitam; causa enim realis ex suo genere causat effectum à se realiter distinctum.

Secundum caput est; quia essentia in creatura completa, posita distinctione reali essentię ab existentia, est effectus existentię in genere causæ formalis terminatiuę; effectus autem vt sic, cum sit ratio posterior, non potest complere causam in sua primitate, etiam vt conditio prerequisita; vnumquodque enim complebile est in suo genere; effectus est ratio posterior; ergo non potest esse completiuum causę, quæ est ratio prima.

Respondeo ad primum caput ex eodem principio cum distinctione; quod existentia, secundùm diuersa prędicata potest esse prior, & posterior seipsa, non autem secundùm vnum, & idem prędicatum. Existentia inadęquatè est causa formalis terminatiua, vt essentia subiectiua sit actualis, scilicet extra suum nihilum, & inadęquatè est conditio in essentia ad causandum, sicut homo inadęquatè est animal, & inadęquatè rationale; prerequiritur in essentia vt conditio ad causandum ipsam existentiam, non autem vt ratio formalis causandi materialiter; neque inconuenit vt existentia in essentia vt causa materiali pręintelligatur vt conditio necessaria, quia ratio conditionis in existentia est ratio prior inadęquata, quæ vt sic est prior ratione formali, qua existentia est causa formalis terminatiua; quandoquidem non est necessarium, vt conditio causæ materialis sit distincta realiter à causa formali, ad quam causandam est conditio prærequisita, quia *distinctio* realis requiritur ad rationem causę; *at conditio* non est ratio causandi, *neque influit* in causatum.

Quod si dicas: existentia formaliter est actus; at implicat actū esse necessariam conditionem ad causandum in causa materiali.

Respondeo negando minorem; implicaret vtique, si existentia, aut actus esset ratio formalis causandi in causa materiali, quia implicat actum esse potentialē; verùm conditio ad causandum, pręscindit ab actu, & potentia, & consequenter potest esse in vtroque genere causę prerequisita; ac proindè ess e conditionem pręcisè prerequisitam ad essentiam, vt est causa materialis existentię, non repugnat ipsi existentię, quatenus actus est.

Ad secundum caput respondeo, quod existentia prerequiritur in essentia, vt conditio, non quatenus essentia est effectus existentię in genere causæ formalis terminatiuę, sed quatenus essentia est causa materialis suę existentię. Argumentu m vim haberet, si existentia prerequireretur, vt conditio necessaria in essentia, quatenus essentia est effectus existentiæ in genere causę formalis terminatiuę, quandoquidem effectus vt effectus, non est complebilis nisi per rationem perfectiorem, quicquid enim est in effectu, effectus est; effectus autem vt sic semper est ratio posterior; neque inconuenit, vt eadem existentia secundùm diuersa sua prædicata sit prior, & posterior, sed inconueniens est si secundùm idem prædicatum esset prior, & posterior, quia secundùm idem

idem prius, & posterius sunt prædicata contradictoria; secundùm diuersa non sunt prædicata cōtradictoria; ob hanc rationem in re nostra, eadem existentia est causa, & effectus suæ essentiæ, non quidem in eodem genere causæ, sed in diuerso, quia scilicet eadem existentia in vno genere causæ est insufficiens; in alio verò genere causæ est sufficiens, & quamquam entitatiuè, seù in sensu materiali, eadem existentia est quæ causat, & causatur; tamen prioritas, & posterioritas, siuè causa, & effectus, non cadunt supra eandem existentiam, quatenus formaliter est causa formalis terminatiua existentiæ; sed solùm supra eandem materialiter, sed sub diuersis rationibus formalibus, scilicet, existentia quatenus est sufficiens in genere causæ formalis terminatiuæ, est causa formalis terminatiua suæ essentiæ receptiuæ; quatenus verò est insufficiens in genere causæ materialis, est effectus suę essentiæ in genere causæ materialis; ratio enim causę fundatur in sufficientia, cum causa in quantum causa sit independens; independentia autem fundatur in actu sibi proportionato; actus autem vt sic dicit sufficientiam; ratio verò effectus, siuè causabilis fundatur in insufficientia, quia effectus fundatur in potentialitate.

Quod si hęc subtilis responsio duriuscula videatur.

Responderi poterit cum Caiet., quod causa efficiens, non solùm pro instanti temporis, in quo causat, sed etiam pro quolibet signo naturæ causat vt existens, faciendo existentiam, vel solùm conditionem necessariam antecedentem ad causandum, vel etiam rationem formalem completiuam; quia causa agens non agit, nisi inquantùm est actu; causa verò materialis esse simpliciter, causat vt existens in eodem tantùm instanti temporis; quia causat vt ens in potentia ad esse, quatenus, scilicet est potens fieri existens; adhoc autem satis est existere in eodem instanti temporis, faciendo existentiam conditionem necessariam ad causandum in eodem instanti temporis, non in priori naturę. Cum verò dicitur ab opponente, quod essentia causaret vt non existens: hęc propositio duplicem potest habere sensum. Primus est, quod essentia creaturæ causat vt non existens præcisiuè, & hic sensus verus est; quia essentia causat materialiter, causa autem materialis in suo genere causat vt potens existere, siuè vt subiectum esse, nimirum vt ens imperfectum, & perfectibile in genere entis; hoc autem in suo constitutiuo pręscindit ab existentia pro priori naturæ. Secundus sensus est, quod essentia causaret vt non existens per negationem actualem existentiæ, & hic sensus falsus est; neque intentus à Thomistis, & ratio est; quia in eodem instanti temporis, quo essentia vt causa materialis causat suam existentiam, saltem in suo effectu formali primario, est iuncta existentiæ, quā causat, sicut causa efficiens in eodem instanti, quo causat suum effectum, est iuncta suo effectui. Notanter dixi, causa materialis existentiæ simpliciter, ad differentiam causæ materialis existentiæ secundùm quid, cuius causa materialis est ens in actu, & consequenter existens; quoniam semper esse simpliciter debet pręcedere esse secūdùm quid; subiectum verò esse simpliciter est esse in potentia ad existendum, nempè ens vt potens tantùm existere.

Cùm deniq; à nobis obiectum est suprà, contra hanc responsionem, quod ea vera est, data opinione dicentium, essentiam creaturæ completæ in ratione essentiæ actualis non causari à Deo efficienter, sed tantùm idealiter; falsa verò data opinione contraria, essentiam creaturę completę in ratione essentiæ actualis intrinsecè comproduci cum sua existentia vt terminus materialis; quoniam essentia vt effectus suæ existentiæ in genere causæ formalis terminatiuæ, est non solùm in eodem instanti temporis; sed etiam pro primo signo naturę causa materialis suę existentię: sed essentia creaturę non potest esse effectus, nisi vt existens; hic enim est effectus existentię: idque confirmauimus, quia pro eodem signo, quo essentia causatur, fit etiam existens.

Respondendum est, quod ad causandam existentiam simpliciter in genere causę materialis, solùm requiritur existentia in eodem instanti temporis, non in primo signo naturę, quo essentia est causa prima materialis suę existentię simpliciter; quia, vt dixi, essentia est causa materialis vt subiectum existentię, nimirum vt potens existere, & in hoc sensu potest dici quod existentia, requiritur quidem vt conditio in eodem instanti temporis in quo causat, non autem vt conditio complens causam materialem in actu primo; sicut, v.g. approximatio requiritur, vt cōditio necessaria in actu primo ad causandum in causa efficiente immediata.

Quod si obijciatur; ratio, qua nos ostendimus suprà, existentiam requiri in essentia etiam pro primo naturę, quo est causa materialis ipsius existentię, quia scilicet

cet eſsentia in creatura completa cauſat, vt effectus ſuæ exiſtentiæ, in genere cauſæ formalis terminatiuæ; eſsentia enim, & exiſtentia ſeſe mutuò cauſant, non in eodem, ſed in diuerſo genere cauſæ; ſed eſſentia, vt effectus eſt exiſtens; ergo, &c. Maior probatur, quia eſſentia non poteſt eſse actu cauſa in ſuo genere cauſæ, niſi ſit cauſata à ſua exiſtentia in genere cauſæ formalis terminatiuæ, quia cauſat, prout eſt in rerum natura.

Reſpondetur cũ diſtinctione: eſsentia in creatura completa cauſat exiſtentiam in genere cauſæ materialis, quatenus eſt identicè effectus ſuæ exiſtentiæ in genere cauſæ formalis terminatiuæ, non autem quatenùs eſt formaliter effectus; nam eſsentia eſt cauſa materialis ſuæ exiſtentię ſimpliciter, inquãtùm eſt ſufficiens in ratione cauſæ materialis; eſt verò effectus exiſtentiæ, quatenus eſt inſufficiens in genere cauſę formalis terminatiuæ; ad eum modum, v. g. quo ſcientia ſimplicis intelligentiæ in Deo cauſat res extra Deum, quatenus eſt identicè ſcientia viſionis, non autem quatenùs eſt formaliter ſcientia viſionis; & rationale in homine diſcurrit, quatenus eſt identicè animal, non autem quatenus eſt formaliter animal; neque obſtat, quod illa ipſa eſsentia, quæ cauſat materialiter ſit cauſata, vel ſit effectus exiſtentiæ, nam hæc eſt identitas realis, non autem identitas formalis.

Obijcies vndecimò: implicat dari exiſtentiam exiſtentiæ, tum quia exiſtentia eſt vltimus actus entis in genere entis, tum quia ſubiectum exiſtentiæ eſt potentia; implicat autem exiſtentiam eſse potentiam ad exiſtendum, quia implicat vnum oppoſitorum eſse aliud formaliter; actus autem, & potentia ſunt oppoſita formaliter, quia ſũt primæ differentiæ entis; at ſi exiſtẽtia in creatura completa eſset diſtinctâ realiter ab eſsẽtia vt actuali in ratione eſſentię, daretur exiſtẽtia exiſtẽtiæ, & probatur; quia actualitas eſſentialis, eſt prima ratio, vt eſſentia ſit completa in genere entis, quia eſt prima ratio, vt eſsentia ſit ens actu in rerum natura; in hoc autem conceptu quidditatiuo, & formali conſiſtit exiſtentia formaliter; ergo ſi daretur alia actualitas exiſtentialis ab ea diſtincta realiter; hæc eſset exiſtentia exiſtentiæ.

Communis reſponſio Thomiſtarum ad hoc argumentum eſt, negare actualitatem eſsentialem eſſe formaliter exiſtẽtiam, & concedere non poſse dari exiſtentiam exiſtentiæ. Ad probationem autem, qua oſtenditur actualitatem eſsentialem eſse formaliter exiſtentiam. Reſpondent cum diſtinctione, actualitatem eſsentialem eſse primam rationem eſſendi ens actu actualitate eſsentiali, non autem ens actu actualitate exiſtentiali, quæ diſtinctio alijs verbis explicari ſolet, nimirum, quod actualitas eſſentialis eſt prima ratio eſſendi ens actu potentiale, non autem ens actu, quod dicit ens completum in genere entis; aliud enim eſt eſſe actu ens potens exiſtere, & aliud eſt id, quod eſt potens exiſtere actu eſse, ſiuè termino, ſiuè actu ſuæ potentialitatis; ſicut aliud eſt eſse actu potens operari, & aliud eſt eſse id, quod poterat operari, actu operans; Primum, dicitur ens actuale actualitate eſſentiæ; Secundum, dicitur ens actu exiſtens, quod eſt eſse actu vltima actualitate, quæ eſt exiſtentia; Fundatur hæc diſtinctio, quia actualitas prima, alia eſt eſsentialis, & alia eſt exiſtentialis, prima eſt ſubiectiua; ſecunda eſt terminatiua, quippè prima eſt eſse receptiuum immediatum exiſtentiæ; ſecunda verò eſt terminus receptiui ſubiecti.

Sed hæc reſponſio cum ſua diſtinctione eſt iuxtà opinionem, quod eſſentia in creatura completa, cauſatur tantummodò idealiter à Deo, quia, hac data opinione, eſſentia creaturæ completæ, vt actualis, non dependet tanquam à cauſa formali terminatiua ab exiſtentia, cum eſſentia creaturæ vt actualis in ratione eſsentiæ, ea data opinione, cauſetur à Deo ante omne liberum decretum diuinæ voluntatis de creando, cum ſit independens à Deo, vt à cauſa efficiente; exiſtentia verò eſt terminus formalis creationis, & efficientiæ; non autem ſatisfacit, iuxta opinionem, quod eſſentia creaturę completæ eſt intrinſecè terminus materialis creationis cum ſua exiſtentia, neque abſolutè, & ſimpliciter; primò, nam abſolutè, & ſimpliciter exiſtentia ſubiectiua, de qua loquimur, quæ eſt exiſtentia in creatura completa eſt prima cauſa formalis terminatiua eſsendi ens actu, non ſolùm exiſtentialiter, quod appellant ens reale participiale; ſed etiam eſſendi ens actu eſſentiale, quod appellant ens reale nominale, ſignificatum nimirum in vi nominis, non in vi participij; & probatur, quia exiſtentia ſubiectiua eſt primus actus in genere entis; primæ enim differentiæ entis creati in generali ſunt potentia, & actus in ratione ſubiecti, vt ſuprà pluries oſtendimus; ſed primus actus in genere entis eſt prima cauſa eſſendi actu, tum exiſtentialiter, tum eſſentialiter; Primum enim in vnoquoque genere eſt cauſa cæterorum, quæ ſunt poſt in

in eodem genere; Secundò, data opinione, quod essentia creaturæ completę intrinsecè creatur, vt terminus materialis simùl cum existentia, saltèm in suo effectu formali, adhuc existentia est prima causa formalis terminatiua, non solùm vt sit ens actu existentiale, sed etiam vt sit ens essentiale; quia existentia est terminus formalis creationis, sed creatio se extendit, non solùm ad existentiam, sed etiam ad essentiam creaturæ completæ; vtrumque enim ens est intrinsecè creabile cum alio; ens essentiale vt terminus materialis, ens verò existentiale vt terminus formalis creationis, ergo, &c. quod ens actuale actualitate essentiæ sit intrinsecè productum simul cum sua existentia, probatur pro nunc; nam ratio cur ab Auctoribus contrariæ sententiæ, essentia creaturæ completæ in ratione essentiæ, non est intrinsecè terminus comproductionis etiam vt terminus materialis, est quia creatio, siuè efficientia est ad esse, nempè ad ens existens actu ex nihilo; creari enim, siuè effici non est aliud, nisi id, quod poterat esse, fieri actu virtute causæ efficientis, siuè creatiuæ; essentia autem actualis in ratione essentiæ, est diuersæ conditionis ab esse existentiali, quia est potentia tantùm subiectiua ab esse existentiali, quia est potentia tantùm subiectiua ad esse; sed hæc ratio nō demonstrat, quod intendit, nam solùm probat essentiam actualem creaturæ completæ non esse creabilem intrinsecè per se, neque esse creabilem vt terminum formalem, simùl cum sua existentia, quod non est contrarium sententiæ dicentium, essentiam creaturæ completæ intrinsecè produci simùl cum sua existentia: nam dicunt essentiam creaturæ completæ intrinsecè produci vt terminum materialem, vt autem essentia, vt terminus materialis terminet intrinsecè creationem, satis est, vel vt sit iuncta semper cum existentia actu, id quod conuenit essentiæ creaturæ completæ, quia existentia etiam creaturæ completæ est primus actus in genere entis; sed de hoc fusè infrà suo proprio articulo disputabitur.

Respondeo, iuxtà hanc opinionem, ad punctum principale obiectum ab Aduersarijs, quod nimirum, actualitas essentialis est prima ratio essendi in actu; sed hæc est formaliter existentia, quia existentia formaliter, est prima ratio essendi in actu; Maior probatur, quia essentia est prima in quocunque ente. Hoc punctum distinctione soluitur; est enim actualitas essentialis, prima ratio essendi in actu in genere causę materialis, quia est prima potentia subiectiua ad esse; prima autem potentia subiectiua, est prima in genere causę materialis. Verùm existentia est prima ratio essendi in actu, seù prima actualitas, non in genere causę materialis, sed in genere causæ formalis terminatiuæ, tum quia est terminus formalis concreationis essentiæ, tum quia est terminus complens essentiam in genere entis: existentia enim subiectiua est formaliter actus, quo essentia, quæ esset in suo genere causę materialis potens existere, actu existit.

Neque huic doctrinę obstat doctrina S. Thomę, qui docet existentiam in creatura completa esse vltimum actum essentię, quandoquidem existentia est vltimus actus essentię, considératę in genere causę materialis, quatenus scilicet essentia, prout contradistinguitur ab existentia, est complebilis in genere entis: essentia enim prout contradistinguitur ab existentia, nimirum in ratione subiecti, est ens actu potens existere; hoc autem est esse ens imperfectum, & perfectibile in genere entis: dicitur autem existentia creaturę completæ prima actualitas essentię in genere causę formalis terminatiuę, quia est prima causa terminatiua essendi actu in genere entis; neque hoc tollit quin existentia simpliciter sit prima in genere entis, nam esse prius, & posterius sunt prędicata conuenientia existentię in diuerso genere causę; hęc autem prędicata, non tollunt primitatem simpliciter, quia non sunt secundùm idem formaliter; primitas enim simpliciter est secundùm absolutam rationem entis creati; posterioritas verò, & prioritas in diuerso genere causę sunt prędicata secundùm determinatas rationes entis, vt sępè suprà explicauimus; pręsertim exemplo voluntatis, & intellectus cum S. Thoma *p.p.q.16*.

Obijcies duodecimo: si essentia in creatura completa in ratione subiecti, distingueretur realiter à sua existentia, iungeretur essentię, quę nihil est; Sed hoc est impossibile, quia existentia est actus completiuus in genere entis; hic autem iungitur enti, non autem iungitur non enti; ergo, &c. Sequela maioris probatur, nam existentia iungeretur essentiæ, quę non est; sed quod non est, est nihil, & non ens. Assumptum probatur, quia nihil est extrà suum nihilum, nisi dependenter ab existentia tanquam à causa; causa autem vt causa non supponit suum effectum antequam illum causet; ergo existentia, si vniretur essentię vniretur rationi, quę nihil est.

Respondent communiter Thomistę ad hoc

adhoc argumentum, negando existentiam subiectiuam vniri non essentiæ, & huius hanc assignāt rationem, quia essentia creaturæ complete in ratione essentiæ actualis, non dependet ab existentia; existētiæ enim solùm est complere essentiam in genere entis; hoc autem complementum supponit essentiam actualē in ratione essentiæ, quia actualitas in ratione essentiæ solùm dicit ens, quod actu est potens existere, idest quæ habet suum ens reale essentiale. Argumentum vim haberet, si essētia ante existētiam, non esset essentia actu, & hoc esse potentiale subiectiuum, inquiunt, satis est, vt existentia iungatur realiter essentiæ; quia, inquiunt, ad coniunctionem intrinsecam, & realem existentiæ cum essentia, non requiritur alia proportio, nisi potentiæ, & actus.

Sed hæc responsio vera est in opinione, quod essentia creaturæ in ratione essentiæ non causatur à Deo efficienter, sed tantùm idealiter, quam opinionem nos expressè negamus; quandoquidem, vt suprà ostendimus, existentia in ratione subiecti est primus actus in genere entis; primum autem in genere entis est causa cęterorum, quæ sunt in eodem genere; at essentia vt actualis in ratione essentiæ, est intrà genus entis, ergo, &c.

Qui tuentur, essentiam creaturæ complete intrinsecè produci simùl cum sua existentia, & eam dependere intrinsecè ab existētia in genere causę formalis terminatiuę.

Respondere debent, existentiam vniri realiter suæ essentiæ, vt actuali actualitate essentiali, quæ in genere causæ materialis natura præcedit ipsam existentiam in eodem instanti temporis; essentia autem sub ista ratione formali, non est nihil simpliciter, nimirum, negatio omnis entis realis, sed est ens solùm potens existere; sed dependenter ab existentia in alio genere causæ, nimirum in genere causæ formalis terminatiuæ; idque probatur eodem fundamento quo suprà; quia alia proportio non requiritur ad coniunctionem intrinsecam, & realem, quàm proportio potentiæ, & actus; hæc autem proportio in eo sita est, quod essentia in priori naturæ in genere causæ materialis, est potens existere, siue ens existibile; existentia verò actus huius potentiæ completiuus, sicut vt quantitas dimensiua iungatur substantiæ materiali, non prærequirit vt substantia materialis sit extensa; sed solùm, vt sit extendibilis, vt extendatur actu; etenim si substantia materialis esset extensa ante vnionem cum quātitate dimensiua, iam haberet complementum in ratione extendibilis, & iungi non posset actui vlteriori extensionis; ità à pari iungitur existentia essentiæ, vt existibili, non essentiæ existenti, si enim existenti iam existentia vlterior nihil efficeret; nam reperiret essentiam præhabentem extensionem suam, & huius ratio à priori est; quoniam ratio formalis non præsupponit in eo, cui communicari debet, seipsam in actu; sed solùm capacitatem, & aptitudinem in subiecto ad illam recipiendam formaliter; clara sunt exempla. Albedo est ratio formalis faciens album; adhoc autem non requiritur aliud, nisi vt subiectum sit albificabile; anima animat corpus, vt autem fiat corpus actu animatum, non aliud requiritur, nisi vt sit animabile, vt docet Aristoteles definiens animam, quod est actus corporis potentia vitam habentis, & sistendo in primo exemplo cęteris clariori, quantitas quantificat, sed substantiam quantificabilem.

Quidam impugnant hoc exemplum eo medio; quia multi docent, substantiam materialem habere ex se suam propriam extensionem, penetrabilem tamē, non communicatam ei à quantitate, vt fusè probat Suarius *in methaphys.* Ij verò qui docent, substantiam separatam à quantitate non retinere extensionem; sed redigi in punctū, adhuc coguntur ponere in substantia materiali quantificata duas extensiones; vnam scilicet in quantitate, & alteram extensionem in ipsa substantia communicatam à quantitate, nam sicut quantitas est per se extensa, dum ipsius quantitatis vna pars sit extrà aliam; ità extensa etiam est ipsa substantia quantificata; cum illius vna pars sit extrà aliam: contrarium dicendum est, inquiunt, de essentia, si essentia causatur ab existentia; nam vt sic, essentia non pręsupponitur actualis, sed fit actualis per vnionē cū existentia; ergo dicendum est, quod existentia iungitur rationi, quę nihil est.

Sed hęc impugnatio non est ad rem; quia hic nos loquimur de extensione quantitatiua, quę est propria quantitatis dimensiuę; ad recipiendum autem hanc extensionē, siuè eius effectum formalem satis est, vt substantia materialis sit extendibilis extensione quātitatiua; solùm disparitas est inter substantiam materialem, & quantitatem eius dimensiuam, & essentiam, & existentiam in creatura completa; quia substantia materialis in suo esse actuali essentiali in nullo genere causatur à quantitate dimensiua; essentia verò creaturæ completæ causatur à sua existentia in ge-

genere causæ formalis terminatiuę. Et hoc est, quod difficultatem facit in subiecta materia: nàm effectus non præsupponitur à sua causa; sed potius presupponit suam causam; ad recipiendam autem existentiā, vel effectum existentię in essentia requiritur, vt essentia præsupponatur ab existentia.

Sed hæc difficultas principio illo Aristotelico, quod materia, & causa formalis se se inuicem causant in diuerso genere causæ facillimè diluitur; etenim, hoc dato principio, in genere causę materialis, essentia pręcedit existentiam; in genere verò causæ formalis terminatiuæ, essentia consequitur existentiam; ad recipiendum autem effectum existentię satis est, vt essentia in genere causę materialis, præcedat existentiam, nàm satis est ad recipiendum effectum existentię, vt essentia sit potens existere; hoc autem habet essentia creaturæ completæ, inquantùm est causa materialis suæ existentiæ.

Neque dicas, quod essentia creaturæ non est causa materialis suæ existentiæ, nisi sit existens; sed hoc dato redit argumentum à capite, vel quod existentia non iungitur suę essentiæ, vt existibili, vel quod existentia iungitur essentię, quę non est, nā.

Respondetur, quod essentia, vt existēs in eodem instanti temporis causat suam existentiam, quæ præsupponitur in priori naturę, in genere causę formalis terminatiuæ; non autem pro priori naturæ in genere causę materialis, faciendo ēxistentiam rationem formalem causandi; adhoc autem vt essentia sit apta recipere in se effectum existentię satis est, vt præcedat in genere causæ materialis existentiam.

Communiter Nominales objiciunt, non esse multiplicandas tot essentias, & existentias in vno, & eodem ente, & in ratione obiecti, & in ratione subiecti; quia quodlibet genus entis adæquatur per potētiam, & actum, nimirùm per vnam potentiam, & vnum actum.

Sed hęc communis instantia facilè soluitur; etenim essentia, & existentia in ratione obiecti, sunt essentiæ similitudinariè, & metaphoricè, quæ conueniunt enti creato, vt sic in generali; essentia verò, & existentia in ratione subiecti sunt propriè, & verè dictæ essentię, & hę reperiuntur tantummodò in ente creato completo in genere entis.

Objicies vltimò: essentia subiectiua in creatura completa ponitur distincta realiter à sua existentia; quia si esset indistincta realiter à sua existentia, ea esset essentialiter suum esse; sed hęc ratio non est vera; ergo, &c. probatur minor; primò, quia existentia in creatura completa est essentialiter suum esse; & tamen ex hoc nulla sequitur contradictio, neque sequitur communicari existentiæ creatæ aliquod prædicatum proprium Dei; sed eadem est ratio de essentia in eadem creatura; quia adhuc essentia creaturæ est essentialiter suum esse essentiale; sed quod est suum esse essentiale adhuc est suū esse existentiale; non solū ex eo capite, quia actualitas essentialis est verum esse existentiæ; sed etiam ex alio capite, quia ens, quod est sua essentia non implicat vt sit sua existentia; hac ratione probat S. Thomas *p.p.* in Deo non distingui esse ab existentia, quia Deus est essentialiter sua essentia; sed ens essentiale creaturę cōpletæ est essentialiter sua prædicata essentialia; ergo, &c.

Secundò, quia duplex est ens, quod est suum esse; aliud est suum esse; quia non est in potentia ad illud habendum per dependentiam à causa efficiente; aliud est suū esse, quia est ipsum esse dependens à causa efficiente: esse suum esse primo modo, est preprium Dei; esse verò suum esse secundo modo est proprium creaturæ; sed vt existentia in creatura completa non distinguatur realiter ab existentia, satis est, vt sit suum esse dependens à Deo.

Tertiò; quia saluatur essentia entis creati completi in genere entis per solam potētiam obiectiuam ad causari; per hanc enim potentialitatem adæquatè contradistinguitur ab essentia Dei, cui omninò contradicit omnis potentialitas passiua, cum sit essentialiter actus purus, & primum ens simpliciter; sed hoc posito impertinenter requiritur in creatura completa essentia subiectiua esse existentialis simpliciter.

Quod si respondeas, potentiam obiectiuam ad creari, fundari in creatura completa in eo, quod essentia creaturæ completæ non est essentialiter sua existentia; nàm potentia obiectiua fundatur in essentiali imperfectione creaturæ; imperfectio autem essentialis creaturæ, tanquam à prima radice, oritur ex eo, quia essentia creaturę completæ non est essentialiter sua existentia,

Statim insurgunt Aduersarij objiciendo, quod potentia, & actus, in ratione obiecti, sunt priores differentiæ entis, quàm sunt potētia, & actus in ratione obiecti; & probatur; quia potētia, & actus in ratione obiecti cōueniūt enti creato, inquātū huiusmodi, q abstrahit ab creato cōpleto, & ab ente

creato incompleto; potentia verò, & actus in ratione obiecti, solùm reperiuntur secundùm S. Thomam in ente creato completo; sed prædicatum vniuersalius est prius, quã prædicatum minùs vniuersale, sicut, v.g. prius est in quolibet ente creato esse verum veritate trascendentali, quàm esse verum veritate speciali; ergo, &c.

Respondeo; distinguo maiorem principalis argumenti; dupliciter enim potest intelligi, essentiam in creatura completa esse essentialiter suum esse; vno modo esse suum esse intransitiuum; alio modo esse suum esse transitiuum: vel alijs verbis, & in idem redit; dupliciter essentia potest intelligi esse suum esse; vno modo, esse suum esse essentiale, quod est esse subiectiuum; alio modo, esse suum esse existentiale, quod est formaliter actus receptus realiter in essentia; esse suum esse transitiuum, est proprium solius Dei; esse verò suum esse intransitiuũ, est prædicatum, in quo Deus communicat cum creaturis; quia esse suum esse transitiuum oritur ex illimitatione formali; esse verò suum esse intransitiuum præscindit ab illimitatione, vbi enim est esse transitiuum sunt plures perfectiones formales; sicut cum dicitur, potentia actiua est sua actualis operatio, non potest autem vna perfectio rapere ad suam formalitatem, aliam, nisi sit illimitata formaliter; at vbi est esse intransitiuum, est vna tantum perfectio; applicando ad rem nostram doctrinam cum dicitur, quod existentia subiectiua est essentialiter suum esse, vera est propositio de esse intransitiuo, siuè in locutione intransitiua, non autem de esse transitiuo, siuè de locutione transitiua; vt si diceretur, quod esse in Angelo sit sua operatio, & ideò hoc verificatur de existentia creaturæ completæ. Cum verò dicitur, quod essentia in creatura cõpleta, est suum esse existentiale; propositio est de esse transitiuo, quod non potest ingredi intrà quidditatem essentiæ, nisi essentia sit infinita formaliter, quæ est infinitudo actus puri. Cum dicit opponens, quod Deus est essentialiter sua existentia; quia est essentialiter sua essentia, hoc verum est; sed non potest dici hoc ipsum de ente creato essentiali, & disparitas est, quia in Deo idem est formaliter concretum, & abstractum, in creatis verò non idem; semper enim concretum addit aliquod distinctum ab abstracto, quod non est essentialiter suũ abstractum. Deus est veluti concretum indiuiduale Deitatis; Deitas autem est essentialiter sua ecceitas; ens verò essentiale, est concretum essentiæ in creatis indiuiduale essentiæ; indiuidualitas autem formalis in creatis, est prędicatum extrà essentiam. Neque valet si dicas; hæc propositio, essentia creaturæ est essentialiter suum esse essentiale; ergo pariter vera est hęc alia propositio, ens essentiale in creatis est sua essentia; nàm essentia, quæ est subiectum in prima propositione, est abstractum ab ente essentiali; abstractum autem potest prędicari essentialiter de suo alio abstracto, vt albedo est albedineitas; ens verò essentiale est concretum indiuiduale essentiæ; ideò, &c.

Ad secundam rationem respondeo eadem distinctione; vel enim loquimur de esse intransitiuo, siuè in locutione intransitiua; vel de esse in locutione transitiua: si de esse intransitiuo, vera est propositio, qua dicitur, quod esse existentiale creaturę est suum esse dependens à Deo: si verò loquamur de esse transitiuo; omnis propositio falsa est in creatis, quia in creatis perfectio semper est cum intrinseca *limitatione*.

Ad tertiam rationem respondeo: nego, essentiam creaturę completę saluari per solam potentiam obiectiuam ad creari, quandoquidem, vt suprà *ostendimus*, essentia in creatura completa, est in potentia obiectiua ad creari simul cum sua existentia, quia in priori natura est in potentia subiectiua ad esse existentiale, quod latè suprà ostendimus, vbi plenè soluta est ratio in oppositum; quod scilicèt, potentia obiectiua ad causari est prior, quàm potentia subiectiua ad esse; nàm hoc verum est de prioritate prędicationis, & vniuersalitatis, non de prioritate in causando, quæ est prioritas simpliciter prior, quàm prioritas vniuersalitatis; quandoquidem, vt suprà diximus, potentia ad existentiam subiectiuam est causa, vt ens plurificetur, & consequenter vt potentia obiectiua pluribus conueniat, quàm potentia subiectiua ad esse.

(∴)

AR-

## ARTICVLVS QVARTVS.

### Vtrum essentia subiectiua in creatura completa in genere entis, sit intrinsecè in esse essentiali, creata simul cum sua existentia.

HIc Articulus proponitur examinandus, quoniam sunt duę celebres opiniones, quomodo essentia in creatura sit à Deo causata in suo esse essentiali, siuè quàtùm ad suum esse essentiale, distinctum à sua existentia pariter subiectiua.

Prima est antiquorum omnium, quos sequuntur Caiet., Capreol., & alij principaliores Thomistæ, essentiam subiectiuam in creaturis completis in genere entis, esse causatã à Deo, vt à causa prima ideali idea essentiali, non vt à causa prima efficiente: est autem Deus prima causa idealis, idea essentiali, quatenùs est primum participabile ad extrà participatione essentiali, & hæc causalitas essentialis in eo consistit, quod ex eo, quod Deus est primum participabile participatione essentiali præcisè, succedit consequenter, quod essentię creaturarum sunt necessariò possibiles possibilitate subiectiua; vel ex eo quod Deus est primum imitabile imitabilitate essentiali, necessariò consequuntur essentiæ subiectiuæ creaturarum, idque probant.

Primò, quoniam pręducata essentialia conueniunt essentiæ creaturæ absque omni causa efficiente; sed ante rationem causæ primæ efficientis in Deo, non est nisi ratio causæ primæ idealis, nimirum esse primum imitabile imitatione essentiali; quippè hoc conuenit Deo præcisè in quantum est primum ens; ergo, &c. Maior probatur; ante omnem existentiam creaturarum, sunt essentiæ creaturarum reales intrinsecè realitate extrà Deum, nam ante omnem existentiam actualem, v.g. hominis, homo secundùm se est animal rationale; sunt enim hæc prædicata intrà hominis essentiam; hęc autem prædicata sunt realia realitate intrinseca, contradistincta à prædicatis chymericis; sed hæc prædicata conueniunt essentiæ hominis sine vlla causa efficiente; quia effectus efficientiæ est existentia rerum extrà causas.

Secundò, quia Deus est essentialiter, primum imitabile; sed implicat dari primum imitabile essentialiter sine suo immitatiuo essentiali, quia primum imitabile essentialiter est necessariò imitabile, Quod si obijcias primò: dum homo, vel Petrus non existit, nihil verè illius est, nisi sola materia prima sub alia forma, & ante creationem hominis, nihil hominis reperiebatur extrà Deum, neque prima materia; quia creatio est productio rerum ex nihilo simpliciter.

Statim respondent cum distinctione, nimirum nihil prorsus esse hominis quoad existentiam, non verò quoad essentiam, sed esse ens reale essentiale; idq; probant, quia, vt essentia hominis sit realis, & non ficta realitas; satis est, vt eius prædicata essentialia, & subiectiua non sint contradictoria; per hoc enim adæquatè contradistinguitur ens essentiale reale, ab ente essentiali chymerico, vt v.g. est homo leo; sed hæc prædicata sunt non contradictoria independẽter ab omni existẽtia actuali creaturarum.

Quod si secundò obijcias; implicare contradictionem, reperiri essentiam realem positiuam extra Deum, & illam non existere; quia existere, non est aliud nisi essentiam esse extrà suam causam; sed essentia creaturæ completæ, ponitur realis, & positiuè extrà Deum.

Respondent statim negando maiorem; quia existere formaliter importat, id, quod erat actu potens existere, esse actu sub termino, siuè complemento suæ potentialitatis; at essentia creaturæ completæ, ante omnem existentiam, est ens tantùm actu potens existere, quod est esse ens imperfectum, & perfectibile in genere entis; & declaratur hoc, essẽtia enim creaturæ completæ etiam ante omnem existentiam est ens reale; quia possibile est intrinsecè vt existat; est verò intrinsecè possibile vt existat; quia eius prædicata essentialia subiectiua, siuè potentialia positiua, non sunt contradictoria; hæc verò prædicata non contradictoria sunt extrà Deum præcisè, & adęquatè, quia Deus est primum imitabile, siuè participabile essentialiter.

Quod si tertiò obijcias, Deum adhuc esse primum imitabile, siuè participabile existentialiter; quia est primum ens, non solùm essentiale, sed etiam existentiale; at ex hoc præcisè, quod est primum imitabile existentialiter, non sequitur necessariò, & immediatè actualis existentia creaturarum extra Deum; ergo neque ex hoc, quod Deus est primum ens imitabile imitatione essentiali, sequitur necessariò, & immediatè participatio essentialis, quæ est essentia creaturæ completæ.

Respondent statim negando Deum essentialiter esse primum imitabile imita-

ta-

tatione existentiali; quia existentia est participatio Dei, inquantum est prima causa efficiens; Deus autem est causa efficiens libera per decretum liberum suæ Diuinę voluntatis formaliter, quod est prædicatum Dei virtualiter extra essentiam; causa verò prima essentię creaturarum completarum, est prædicatum essentiale primi entis, conueniens Deo formaliter, & essentialiter, quia est primum ens.

Quod si quartò dicas, vbi nàm est hęc essentia; sit nè eterna, an temporalis, sit nè creata, an increata? hæc enim sunt prædicata adæquata diuidentia ens reale.

Respondent statim hæc quæsita esse inania; nàm omnia hæc sunt prædicata existentiæ propria, vel entis existentis actu extrà Deum; at essentia creaturæ completæ, quæ est essentia subiectiua est diuersæ, & oppositæ conditionis ab existentia; essentia enim, non est alicubi; sed solùm est, vt diximus, ens reale essentiale contradistinctum ab ente essentiali chymerico; quia inuoluit prædicata positiua essentialia non contradictoria, & est ens causatum à Deo, tàquam à causa prima ideali; implicat enim dari ens etiam essentiale extrà Deum, non causatum à Deo, cum Deus sit primum ens simpliciter; primum autem simpliciter est causa cęterorum extrà se; esse verò creatum, & temporale sunt prædicata effectus causę primæ efficientis.

Quod si quintò obijcias: omne ens extrà Deum etiam essentiale subiectiuum in priori, esse causabile ex nihilo suo; quia ens essentiale extrà Deum, prius est potens esse extrà suum nihilum, quàm sit actu. Prius enim natura est intrinsecè causabile à Deo, quam sit actu causatum; hoc autem est sufficiens principium, vt sit ex suo nihilo causabile à Deo; sed hoc est proprium causati, ac causabilis à causa efficiente; ergo falsum est, essentiã subiectiuã creaturę cõpletæ causari tantummodò à Deo, tanquã à causa ideali.

Respondent statim: negando maiorem, & assignant disparitatem inter ens essentiale subiectiuum creaturæ completæ, & ens existentiale eiusdem; quoniam essentia subiectiua in creatura completa est participatio essentialis necessaria primi entis, inquantum primum ens essentialiter; ad rationem autem participationis essentialis necessarię non requiritur esse ex nihilo sui; sed satis est esse dependens à Deo, vt à primo ente, dependentia essentiali; esse verò existentiale creaturarum, est participatio libera primi entis, quæ est terminus Diuinæ voluntatis.

Quod si sextò obijcias; ideam, siuè exemplar complere primam causam ad efficiendum; sed concursus huius est effectiuus; quia complet causam efficientem in suo genere.

Respondent statim, primam ideam, siuè primum exemplar esse duplicis conditionis; aliud .n. est exẽplar essentiale, & hoc est esse primum imitabile necessariò, imitatione essentiali; & aliud est primum exemplar existentiale; & hoc est esse primum imitabile existentialiter; primum complet, & constituit primam causam idealem idealitate essentiæ; secundum verò complet primum efficiens.

Quod si septimò obijcias, existentiam subiectiuam, cum sit primus actus in genere entis, est causa omnis actualitatis in genere entis; sed essentia subiectiua, quæ est in creatura completa est quædam actualitas in genere entis; ergo includitur intrà latitudinem effectus existentiæ subiectiuæ; ergo non est essentia causabilis à Deo, vt prima causa ideali essentialiter antè suam existentiam.

Respondent statim, existentiam subiectiuam esse primum actum in genere entis, vt creabilis, abstrahendo à creabili per se, & à creabili cum alio, non autem in genere entis abstrahentis ab ente creabili, & ab ente non creabili intrinsecè; proculdubio, inquiunt, quod si existentia subiectiua esset primus actus in genere entis abstrahibilis à creabili, & causabili tantum idealiter, quod est ens intrinsecè non creabile: argumentum concluderet; sed non cõcludit, quia essentia non est intrà genus, vt intrinsecè creabilis: & in summa, vt benè aduertit Caiet. *in opusc. de ente, & essentia*, respondens ad argumenta Trombettę *quæst.* 11. si distinguas, inquiunt, quod aliud est esse essentiæ ab esse existentię, & quod aliud est esse essentiæ creaturæ esse causatum à Deo, & aliud est esse intrinsecè creatum à Deo, & imaginationem corrigas, nulla erit difficultas in tuenda opinione primorum Scholasticorum, nàm si alius est conceptus obiectiuus realis essentiæ subiectiuæ à conceptu intrinseco reali existentiæ pariter subiectiuæ; & aliud est esse causatũ à Deo, & aliud est esse à Deo creatum, non apparet ratio cur essentia, ex eo quia aliquando non existat, perdat suam intrinsecam realitatem essentialem, & suum modum essendi intrinsecum potentialem ad existentiam; quandoquidem hęc duo sufficiunt ad saluandum conceptum quidditatiuum essentiæ subiectiuæ creaturæ.

Con-

Confirmatur hæc primorum Scholasticorum opinio; quia in prima causa poni debet maxima perfectio; quia prima causa est infinita infinitudine formali in ratione causæ; quia est actus purus sine vllo sui receptiuo: sed si ponatur in prima causa ratio causæ primæ idealis in ratione essentiæ, & simul ratio primæ causæ efficientis augetur perfectio causæ primæ in Deo, nimirùm erit maior perfectio; ergo, &c. Hanc opinionem ex recentioribus sequuntur Marcus Antonius Palumbus *in suo examine Scholast. in p. p. S. Thom. q. 25. de Diuina potentia in solutione ad quartam, & vltimam instātiam circa finem*, dicens, quod possibilitas essentialis essentię subiectiuę est prædicatum in creaturis, nimirùm, completis intrinsecum, & essentiale ipsi essentiæ, antequam in actu fiat existens, quandoquidem antequam essentia creaturæ fit actu existens, est realiter possibilis, possibilitate positiua, in quo fundamentum habet non repugnantiā, vt fiat existens virtute causæ productiuæ, & Iacobus Granadus *to. 2. in p. p. S. Thom. appen. 1. ad contr. 4. Genera tract. de Diua Potentia*, immediatè post *tract. 13. de lib. vitæ, disp. 7. sect. 2.* qui adducit alios ex Scholasticis antiquioribus, & recentioribus, de quo infrà sermo redibit.

Secunda opinio est etiam multorum Scholasticorum, quos citat, & sequitur Suarez *tom. 1. suæ metaphysic. disput. 31.* dicētium essentiam subiectiuam in creatura cōpleta, etiam data distinctione reali essentię ab existentia, esse intrinsecè creatam in ratione essentiæ actualis actualitate essentiali, non quidem per se, sed simul cum sua existentia; quæ quidem opinio duplicem potest habere sensum; primus est, quod essentia subiectiua in creatura completa, sit intrinsecè creabilis simul cum sua existentia, eo modo, quo existentia est creabilis simul cum sua existentia. Secundus sensus est, quod essentia subiectiua creaturæ completæ in ratione essentię sit intrinsecè creabilis cum sua existentia, vt terminus materialis creationis intrinsecus, ad differentiam existentiæ subiectiuæ eiusdem, quæ est intrinsecè creabilis cum sua essentia, vt terminus formalis creationis, & efficientiæ primæ causæ. Opinio intelligenda est in secundo, nō in primo sensu.

Fundamentum præcipuum huius sententiæ esse potest hoc; quia in Deo non potest esse alia ratio primæ causæ, nisi causæ liberæ; sed hæc est prima causa efficiens; ergo Deus non est, nisi primum efficiens; sed primum efficiens est causa, vt omnia extrà se sint intrinsecè creabilia suo modo, vel per se, vel cum alio.

Quod si Authoribus huius sententiæ obijcias, ex hac eorum opinione sequi, quod si ab essentia subiectiua creaturę completæ auferatur existentia, statim perit essentia; nimirùm, essentia statim perdit suam intrinsecam realitatem essentialem; at hoc est falsum; quia si perit intrinsecè essentia, omnes illæ propositiones, in quibus prædicata essentialia prædicantur de suis subiectis, non essent necessariæ, neque perpetuæ veritatis; consequens autem est falsum, & contra omnium philosophorum sententiā; alioquin omnes veritates extrà essentiam creaturarum essent contingentes, & consequenter non posset de creaturis esse scientia; quia scientia solùm est de veritatibus necessarijs. Sequela probatur, nàm vt docet Aristoteles: ab eo, quod res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est; sed cum perit intrinsecè essentia creatura, non est essentia creaturæ; ergo neque vera est propositio, in qua prędicata essentialia dicuntur de essentia, quod est contra etiam multos SS. PP. dicit enim Augustin. *2. de libero arbitrio capite capite* 8. Tria, & quatuor esse septem, perpetuò verum esse, etiam si nihil sit, quod numeretur, & sensus est etiam si nihil fit existens, nam numeratur, quod existit, & in eodem sensu *lib. 4. Geneseos ad lit. cap. 7.* dicit: Senarius est numerus perfectus, non quia Deus sex diebus omnia perfecit, sed potius è conuerso; ideò Deus sex diebus omnia perfecit, quia ille numerus perfectus est, & perfectus esset etiā si illa non essent. Similite Anselmus *Dialogo de Veritate, cap. 14.* ex professo contendit, veritatem enunciationū essētialium esse perpetuam neque destrui, etiam si res ipse destruantur, nimirùm desinant realiter existere.

Respondet Suarez, reijectis responsionibus aliorum, *loc. sup. cit. disp. 31. sect. 12. nu. 44.* quod si separetur ab essentia creaturę completę omnis existentia, perit essentia, quantum ad suam actualitatem, & realitatem: non autem quantum ad connexionem essentialem prędicati cum subiecto. Explicat Suarez hanc distinctionem dicens, quod copula est in propositione, in qua prædicātur de suo subiecto prędicata essentialia, duobus modis potest accipi. Primò, vt significat actualem, & realem coniunctionē in re ipsa existentem. Secundò, solum vt significat prędicatū esse de ratione subiecti; in priori sensu, veritas propositionis pēdet, inquit, sine dubio ab existentia extremorū, quia

quia verbum, est, in illa significatione significat realem, & actualem durationem, qua non est ablata existentia extremorum, in quo casu propositio falsa est, quia est affirmatiua de subiecto non supponente; & sic verum est illud Aristotelis *in prędicamentis, capite de substantia*; ablatis primis substantijs, impossibile est aliquid earum remanere: & illud etiam Auerrois 1. *physicor.* quando res desinit esse, nomen perdere, & definitionem: in eodem sensu etiam verum est illud Aristotelis: ab eo quod res est, vel non est, propositio vera, vel falsa est; at verò in secundo sensu, propositio in qua prædicantur de subiecto sua prædicata, essentialia, vera est immutabiliter, etiam si extrema actu nõ existant, & consequenter est necessaria ad perpetuæ veritatis, quia ad sui veritatem solùm requirit, vt prædicatum sit intra quidditatem sui subiecti; & ostendi potest hac ratione; quia prædicatum esse de ratione subiecti, competit essentiæ creaturæ secundùm se, & absolutè, scilicèt proùt abstrahit ab essentia creaturæ in Deo, & ab essentia creaturæ extrà Deum; homo enim secundùm se, & essentialiter est animal rationale, prædicata autem conuenientia essentiæ secundùm se, conueniunt ei in quocunque reperiatur; prædicata enim essentialia sunt sine quibus, neque esse, neque intelligi potest rei essentia.

Sed hæc explicatio, quantùm nunc video, non euacuat difficultatem: nam nos hic loquimur de essentia subiectiua creaturæ completæ, secundùm quod est actu distincta non solùm à Deo, sed etiam ab alia essentia creaturæ in Deo, tanquam in prima causa, vt enim docet S.Thomas *p.p.* in Deo tanquam in prima causa sunt perfectiones omnium creaturarum, actualium, & possibilium. Resolutio huius quarti articuli tanquam à prima radice pendet à resolutione huius puncti, an essentia subiectiua in creatura completa sit participatio necessaria diuinæ essentiæ, an libera, siuè contingens: quandoquidem terminus intrinsecus creationis, siuè per se, siuè cum alio, secundùm se debet esse contingens, quia est effectus primæ causę efficientis; Deus autem est primum efficiens liberum; hęc autem prędicata repugnant essentiæ subiectiuæ creaturæ completæ, si ea ponatur necessaria participatio diuinæ essentię, quia sic sunt prędicatum necessarium, & prędicatum contingens secundùm idem.

Conclusio prima: essentia subiectiua in creatura completa in genere entis, implicat, vt sit necessaria necessitate essendi cum dependentia à prima causa. Explicatur conclusio; duplex est necessitas causati, siuè effectus, alia specificationis, & alia est necessitas essendi, siuè exercitij, sed cum dependentia à prima causa; necessitas enim essendi, siuè exercitij; alia est cum dependentia à Deo, alia est sine dependentia à priori causa: necessitas solius specificationis in eo consistit, quod ens causabile, siuè effectibile, non est causabile, aut effectibile, nisi simile suę causę in eo gradu perfectionis, in quo est causabile; & in hoc sensu, essentia cuiuslibet creaturę, vt infra dicemus, est necessaria necessitate specificationis; necessitas verò essendi, siuè exercitij entis causabilis in eo sita est, quod posita eius causa completa in suo genere causę, non potest non causari ab ea. In hac conclusione expressè asserimus, nullam essentiam subiectiuam in creatura completa posse esse necessariam necessitate essendi, & exercitii cum dependentia à Deo, quod est dicere non posse dari ens necessariò causatum à Deo, etiam vt à causa ideali. Conclusio hęc probatur iisdem rationibus, quibus in precedente quęstione ostendimus, ens possibile subiectiuum, non esse à Deo, nisi dependenter à decreto libero diuinę voluntatis de creando; quia essentia subiectiua, quę est in creatura completa, non est aliud nisi possibilitas subiectiua ad existendum; Ad plenitudinem autem doctrinę probatur aliis rationibus.

Prima est: ens essentiale subiectiuum in creatura completa, est essentialiter limitatum ad genus; sed hoc implicat esse necessariò causatum à Deo etiam idealiter, quod est esse necessarium necessitate essendi, siuè exercitii cum dependentia à prima causa; ergo implicat, &c. Difficultas est in minori, potest enim Aduersarius illam negare, & ratio negationis esse potest, quia non videtur includi in conceptu entis causati à Deo, vt sic, quod sit contingens, & non necessarium & probatur; quia ens necessariò causatum à Deo, vt à prima causa necessaria debet esse ex hoc capite illimitatum simpliciter, sed implicat ens essentialiter limitatum ad genus esse infinitum simpliciter; ergo, &c. Maior huius vltimi argumenti probatur; quia Deus vt causa necessaria, causat secundùm totam plenitudinem suę perfectionis; causat enim secundùm totam infinitatem sui actus, sed sic est causa causans ens sibi adęquatum in perfectione, quia omnis vis causę infinitę applicatur ad causandum.

Quod si dicas, Deum esse primam causam idealem necessariam analogam, non vni-

Digitized by Google

vniuocam; causare autem ens sibi adęquatum, nimirùm, adæquatum suæ naturæ, esse proprium causæ necessariæ vniuocæ, non analogæ.

Contra est; nàm aliud est esse primam causam, pręcisè analogam, & aliud est esse causam analogam necessariam in causando; proculdubio ex eo quod prima causa præcisè est causa analoga, potest causatum à Deo esse finitum; verùm ex alio capite, quod prima causa ponitur causa necessaria in causando, necessariò debet causare ens infinitum simpliciter, nimirum adæquatum suæ naturæ; siuè suæ perfectioni infinitæ; quia omnis vis causæ infinitæ necessariæ applicatur ad causandum, & ideò implicat, causam primam esse causam analogam, & esse causam necessariā in causando; quia vt causa analoga causat ens sibi inadæquatum; vt causa verò prima necessaria causat ens adæquatum suæ naturæ, siuè suæ perfectioni; ad eum modum, v.g. quo si ponatur ens esse creatum, & illud esse infinitum in actu, ponuntur duo contradictoria; quia ex eo quod est creatum necessariò est finitum in actu, ex eo vero quod est infinitum in actu non potest esse ens creatum; quia infinitas actus, quæ est infinitas secundùm formam, est proprium entis primi, quod est infinitum simpliciter, & increatum; pariter in subiecta materia discurrendum est.

Secunda ratio est, quia essentię subiectiuæ creaturarum completarum, siuè actualium, siuè possibilium, sunt in multitudine syncathecorematicè, quę infinitas est finitas in infinitum, non solum quia quacumque data specie perfectiori, potest dari alia, & alia perfectior sine fine; sed etiā; quia ens limitatum quantumcumque crescat in perfectione creata, semper distat in infinitum à primo ente; hæc autem distantia in infinitum est sufficiens causa, vt primum ens sit inadæquabile ab essentijs creaturarum; sed implicat ens infinitum infinitudine syncathecorematica, esse à causa infinita in actu necessaria in causando; quia causa infinita necessaria in causando, causat effectum, siuè causatum infinitum in actu, causat enim effectum adæquatum suæ naturæ, & suæ perfectioni; at implicat infinitum syncathecorematicum causari totum in actu. In re nostra, possibilitas subiectiua creaturarum est finita in infinitum, quæ vt potentialis, nunquam reduci potest totaliter in actu; quia caret totalitate essentiali, vt dicetur in questione de infinito, ac proindè nullum ens extra Deum est causabile à Deo, nisi vt à prima causa efficiente libera.

Et confirmatur, nàm causa infinita necessaria in causando, necessitate absoluta, & simpliciter, qualis est Deus vt causa prima idealis idealitate essentiali, secūdùm Aduersarios, impossibile est, quod causet ens limitatum; nàm huiusmodi causa est essentialiter applicata secūdùm totum suum esse, quod est infinitum; causa autem huiusmodi causat necessariò ens illimitatum in actu; quia supponitur essentialiter, & absolutè applicata secundùm rationem causę infinitæ in actu; at possibiles essentiæ subiectiuæ sunt in multitudine finitę in infinitum, quibus repugnat omninò, vt reducantur totaliter in actu simul; ergo impossibile est, quod Deus causet finitum in actu, si ponatur essentialiter causa necessaria in causando; nec est assignabilis ratio cur causa, causans necessariò, & vt natura infinita, causet tantam perfectionem, & non maiorem; iam quia omnis vis causę applicatur ad causandum, vtique si vis huius discursus penetretur, demonstrat propositum intentum.

Triplex potest esse responsio adhoc argumentum; prima est, quod potest esse ens necessarium limitatum, scilicèt, tale, quod non potest non esse, non quidèm à se, sed ab alio, & per hoc sufficienter distinguitur à primo ente; quia primum ens, est simpliciter necessarium à se; causatum autem necessariò à causa infinita in actu, applicata secundùm infinitatem sui actus, est quidem necessarium; sed ab alio, ad eum modum, quo plures Docti Metaphysici, & Theologi dicunt, quod si Deus creauisset ab ęterno creaturam permanentem, illa quidem semper fuisset; sed ex hoc non esset parificata Deo in fuisse; quia Deus semper fuit à se; creatura verò permanens, à Deo creata ab ęterno, semper fuisset dependenter à Deo; sicut enim Sol semper fuisset cum suo lumine; sed cum hac disparitate, quod Sol fuisset independenter à lumine, à se causato; lumen verò semper fuisset cum Sole, sed dependenter à Sole.

Sed hæc responsio facilè reijcitur, vt implicans in terminis; quandoquidem primò dependentia fundatur in potentialitate ad esse; sed in ente causato à causa infinita necessaria applicata secundùm totam infinitatem sui actus; implicat esse potentialitatem ad esse; quia supponitur illud infinitum in actu simpliciter, cui repugnat po-

entialitas ad esse; vbi autem non est potentialitas, nulla potest esse dependentia; daretur enim ratio posterior sine sua ratione priori, siuè daretur effectus sine causa. Secundò implicat, infinitum in actu esse dependens à prima causa; quia ens infinitum in actu in omni genere intrat adæquationem, & commensurationem cum prima causa, quæ est essentialiter independens ab alia; sed prima causa est omninò independens à priori causa; ergo adhuc ens, quod intrat adæquationem, & commensurationem cum prima causa in esse, & sic ens infinitum in actu causatum esset simul secundùm idem dependens, & independens à priori causa; dependens, quia causatum; independens, quia infinitum in actu.

Secunda responsio esse potest, quod non implicat infinitum in actu in multitudine entium essentialium; sed solùm implicat in multitudine entium actu existẽtium; quia hoc secundùm parificaretur Deo in esse, quod implicat; primum autem, non esset parificatum Deo; quia Deus est essentialiter actus purus, cum sit essentialiter Dei essentia suum esse existentiale.

Neque dicas (potest dicere Aduersarius) quod infinitum in multitudine essentiarum, potest fieri totum simul actu existens; nàm hoc falsum est; quia multitudo infinita essentiarum essentialiter est potentialis; non solùm quia est in potentia ad esse; sed etiam, quia ex essentijs potentialibus vna est prior alia, & alia posterior vna; vbi autem est prioritas, & posterioritas in ratione entis essentialis; implicat esse existentia tota simul in actu.

Hæc responsio est iuxtà opinionem illorum, qui dicunt infinitum syncathecorematicum non differre ab infinito cathecorematico in multitudine; sed solum, quia infinitum cathecorematicum, aptum est esse totum simul in actu; syncathecorematicum verò non item; & ratio disparitatis est: quia infinitum in actu sumitur secundum actum simpliciter; syncathecorematicum verò est secundùm actum permixtum potentia; sed remittendo solutionem huius difficultatis ad proprium locum.

Primò reijcitur prædicta responsio eodem principio, implicat esse effectum infinitum in actu in multitudine essentiali, & non posse simul actu existere in eodem instanti temporis; quia est simul tota multitudo essentiarum potentium realiter existere in eodem instanti temporis; non enim huic simultati in eodẽ instanti, temporis obstat, quod ex essentijs vna est prior, vel posterior in perfectione; quia prioritas, & posterioritas huiusmodi sunt secundum naturã, non secundùm idem instans temporis; ad existendum autem simul in vno, & eodem instanti temporis, satis est simultas ad existendum eodem instanti temporis; sed ponitur omnis essentia creaturæ causata, necessariò à Deo causata; ergo, &c.

Secundò, quia implicat ens adæquatũ Deo in ratione essentiali, nõ esse essentialiactu existens totum, & totaliter; sed essentiæ creaturarum subiectiuæ in esse essentiali ponuntur ab Aduersarijs infinitæ in actu, & consequenter parificari cum Diuinis perfectionibus in ratione essentiæ; ergo, &c. Maior probatur; quia ens parificatum Deo in quocumque gradu, necessariò debet esse ens à se, seù independens à priori causa; quia independentia fundatur in actu, sicut ex opposito dependentia fundatur in potentialitate, vt suprà diximus; sed multitudo essentiarum possibilium ponitur parificata Deo in omni gradu perfectionis essentialis; ergo debet esse omninò independens à priori causa, sicut est prima-causa.

Tertia responsio est iuxtà opinionem illorum, qui dicunt, quod si Deus crearet omnem essentiam possibilem creaturæ, siuè quod idem est, si Deus crearet omne creabile, non esset parificata, & adæquata potentiæ Dei creatiuæ; quia post omnium productionem, eadem Dei potentia adhuc haberet, & habere posset aliquem actum producendi; quia, & conseruaret omnia; conseruatio autem est quædam continuata productio, & semper Deus concurreret ad operationes rerum creaturarum, & posset eas destruere, & iterum de nouo producere; posset etiam, secundùm multorum opinionem, idem causatum per alios nouos influxus reproducere, non per modum primæ productionis; sed per modum secundæ productionis; sicut multi Theologi probabiliter tenent idem Corpus Christi antè productum, & existens, reproduci, & recreari sẽper in eucharistia, at per hæc omnia sufficientissimè Deus distingueretur ab ente causato infinito in actu.

Sed hæc responsio adhuc eodem principio reijcitur; quia ex hac commensuratione entis causati cum Deo in omni gradu essentiali, aufertur ab ente causato ratio causati; tunc enim ens, quod dicebatur causatum, & dependens, fit increatum, & independens; quia intrat adæquationem, & commensurationem cum primo ente in ratione essentiali, & huiusmodi ens esset formaliter primum ens, & prima causa. Omnia autem, quæ enumerantur ab opponente, posse fieri à Deo, sunt vera ex suppositio-

tione, quod ens à Deo causatum sit necessariò causatum, non autem simpliciter, & absolutè: verùm ex alio capite; quia illud ens à Deo causatum necessariò, necessitate absoluta, est parificatum Deo in gradu, & perfectione essentiali; implicat illud esse reproducibile, & dependere à Deo quocunq; modo dependentię.

Neque valet si dicas pro Aduersarijs: causatis a Deo omnibus possibilibus essentijs creaturarum, posse Deum participari amplius sine fine ob eam rationem; quia causatis quibuscumque entibus extrà Deũ possibilibus, semper est distantia infinita causati à primo ente; hęc autem distantia sufficiens est ad causandas alias, & alias essentias sine fine.

Quandoquidem data hypothesi, implicat causatum à Deo necessariò, distare infinitè à primo ente; quoniam ens causarem necessario esset parificatum Deo in omni perfectione essentiali, vt suprà ostensum est; implicat autem ens Deo parificatũ, distare à Deo infinitè; solùm distantia conueniret ex suppositione, quod ens parificatum Deo remaneat adhuc ens causatum; sed hoc implicat in terminis, vt ostendimus. Ex his concluditur implicare, Deum esse causam necessariam, vt primum ens imitabile, & participabile in ratione essentię antè omne liberum decretum Diuinę voluntatis.

Secunda conclusio. Essentiæ subiectiuę creaturarum sunt necessarię, tantummodò necessitate specificationis, quatenus, nimirùm, essentiæ subiectiuę creaturarum, non sunt creabiles à Deo, nisi similes suis ideis existentibus in Deo; in hoc sensu intelligendi sunt omnes Theologi, qui dicunt, propositiones, in quibus prędicantur prędicata esentialia de suis subiectis, esse absolutè, & simpliciter necesarias, immutabiles, & perpetuę veritatis in significando. Conclusio hęc non admittitur ab omnibus prę-sertim à Suarez *loc. sup. cit. num.* 4. & 5. vbi dicit, quod veritas prędictarum propositionum, reducitur ad sensum hypotheticum, seù conditionatum; sicut enim, inquit, hęc conditionalis est perpetua, si homo est animal, est sensitiuus; vel si currit, mouetur: ità hęc est perpetua, homo est animal, vel cursus est motus; & subiungit, quod in hoc sensu, connexiones prędicatorum esentialium, & per se cum suis subiectis non habeant causam efficientem; quia, inquit, omnis efficientia terminatur ad actualem existentiam, à qua prędictę propositiones, quatenùs significant prędicatum esse de ratione subiecti, abstrahunt. In hac Suarez explicatione duo displicent. Primum est, hanc necessitatem specificationis reduci ad propositionem veram conditionalem; & ratio est; quia veritas conditionalis pendet ex veritate absoluta; ideò enim si homo esset rosa, eset flos; quia rosa esentialiter est flos: pariter ideò hęc propositio, si homo currit, mouetur; quia cursus esentialiter includit motum. Secundùm, quod displicet, est; quia Suarez dicit, quod connexiones prędicatorum esentialium, & per se cum subiectis, non habent causam efficientem, cuius hanc assignat rationem; quia omnis efficientia terminatur ad actualem existentiam, à qua dictę conditiones abstrahunt; nam si hoc semel concedatur, nullum absurdum erit concedere; etiam esentiam subiectiuam creaturę completę in ratione esentiali, ne materialiter quidem creari simul cum existentia, & hoc est, quod contendunt defendere Authores, qui dicunt, esentiam creaturę non comproduci simul cum sua existẽtia. Primò; quia, inquiunt, quod efficientia, siuè creatio terminatur ad existentiam, saltem vt in suo effectu formali. Notanter autem dico, in suo effectu formali, quia in opinione S. Thomæ, docentis humanitatem Christi Domini existere existentia Verbi per generationem temporalem Christi Domini, non producitur, aut generatur existentia Verbi Diuini, vt forma existendi; nam terminus productionis, siuè generationis, producitur per sui generationem, nimirum, consequitur sui generationem, siuè productionem; existentia autem Verbi Diuini, vt forma existendi; præintelligitur esse antè omnem temporalem generationẽ; sed generatur, seù producitur esse Verbi Diuini, proùt est in suo effectu formali in natura humana Christi. Doctrina in terminis est S. Th. *Quodl. 9. ar. 3. ad 3.* vbi, inquit, quod generatio temporalis terminatur non ad esse suppositi ęterni, vt simpliciter per eam, scilicèt, per generationem esse accipiat; sed quod incipiat esse suppositum, habens illud esse, scilicet, vt natura fiat existens suppositi Verbi Diuini.

Secundò: quia antè omnem actualem existentiam, nimirùm, independenter ab omni existentia, reperiuntur connexiones prædicatorum per se cum suis subiectis, aptæ ad existendum realiter; sed in illis prædicatis consistit formaliter esentia subiectiua creaturarum; independenter enim ab omni existentia, immutabiliter verum

 est,

eſt, hominem eſſe animal rationale; hominem eſſe ens reale, contradiſtinctum ab ente ficto, &c.

Fundamentum concluſionis eſt; quia hæc neceſſitas ſpecificationis ſatis eſt ad ſaluandum omnia, quę dicuntur de eſſentiis ſubiectiuis creaturarum, nimirùm, quod eſſentiæ ſubiectiuæ creaturarum ſunt immutabilis veritatis; ſunt obiectum ſcientiæ perfectiſſimæ, & alia huiuſmodi; hæc autem prædicata verificantur de eſſentiis ſubictiuis creaturarum ſolùm; quia eæ ſunt neceſſariæ neceſſitate ſpecificationis. Sunt verò huiuſmodi; quia non ſunt producibiles, nec cauſabiles à Deo, niſi ſimiles eſſentijs earundem creaturarum, quæ ſunt in Deo, tanquam in prima cauſa; in Deo enim ſunt omnes perfectiones creaturarum, demptis imperfectionibus; quandoquidem Deus eſt ens perfectiſſimum perfectione formali, eminentiali, naturali, & intelligibili; quia eſt perfectiſſimus in omni latitudine entis.

Quod ſi primò dicas, ex hac doctrina ſequi eſſentiam ſubiectiuam creaturæ complete in ſuo eſſe eſſentiali, eſſe independentē à concurſu cauſæ efficientis; quoniam prædicata eſſentialia conueniunt eſſentijs ſubiectiuis creaturarum, quatenùs ſunt reales realitate eſſentiali; ſed hæc realitas competit eſſentiæ creaturæ ſecundùm ſe, ſine vllo concurſu cauſæ efficientis; nàm eſſentia eſt realis adæquatè, quia inuoluit prædicata poſitiua non contradictoria.

Confirmatur primò; nàm eſſentia creaturę eſt realis; quia intrinſecè, & ſecundùm ſe eſt poſſibilis; ſed eſt poſſibilis intrinſecè ex ſeipſa; quia eſſentia ſubiectiua creaturæ ſecundùm ſe inuoluit prædicata poſitiua non contradictoria, in quibus fundamentum habet non repugnantia, vt fiat exiſtens.

Confirmatur ſecundò: impoſſibilia abſolutè, & ſimpliciter ſunt independenter à Deo, vt à primo efficiente, ex eo quia ſecundùm ſe inuoluunt prædicata contradictoria; ſed poſſibilia abſolutè, & ſimpliciter, eſſentialiter inuoluunt prædicata poſitiua non contradictoria; ergo poſſibilia abſolutè, & ſimpliciter ſecundùm ſe, ſunt poſſibilia independenter à concurſu effectiuo primę cauſæ.

Reſpondeo, quod duplex eſt ratio poſſibilitatis ad exiſtendum realiter; alia eſt ex parte effectus, & alia eſt ex parte cauſæ; concedo, eſſentias ſubiectiuas creaturarum completarum habere intrà ſe rationem intrinſecam poſſibilitatis ex parte effectus; nego autem ex parte cauſę; nos hìc loquimur de ratione poſſibilitatis ex parte cauſæ; ratio enim prima, & cauſalis cur eſſentia ſubiectiua creaturę ſit poſſibilis ad exiſtendum realiter, eſt quia Deus eſt primum efficiens; quandoquidem ratio cur ſit poſſibilis; v.g. natura humana eſt; quia pręexiſtit in Deo, tanquam in prima cauſa efficiente. Quod ſi quæras; quam ob cauſam in Deo, vt in prima cauſa efficiēte, ſit quidditas, v.g. hominis, & non chymeræ. Reſponſio in promptu eſt; quia in Deo eſt omnis ratio entis, demptis imperfectionibus; cauſa autem prima, quia eſt omne ens, non poteſt cauſare, & efficere, niſi ſolum ens; & ideò vt docet S. Thom. *p.p.q.15.art.3.in corpore*; ſolùm quicquid poteſt habere rationem entis, continetur ſub poſſibilibus abſolutis, reſpectu quorum Deus dicitur omnipotens; ratio autēm cur Deus non poſſit facere chymeram, vel potius chymera non eſt factibilis à Deo, eſt; quia Deus præhabet in ſe omnem rationem entis, ratio verò cur Deus non poſſit cauſare, ſiuè producere, chymeram eſt; quia Deus eſt plenitudo omnis entis; ex plenitudine autem omnis entis non poteſt oriri, niſi ens; at impoſſibile ſecundùm ſe eſt ſpecies non entis, ſeù nihili formaliter.

Quod ſi ſecundò obijcias; ex eadem doctrina ſequi, nullam eſſe differentiam inter eſſentiam ſubiectiuam creaturæ, & eius exiſtentiam, quod eſt planè falſum. Sequela probatur; quia adhuc exiſtentia ſubiectiua creaturę completæ inuoluit connexionem eſſentialem, & per ſe cum ſuis prædicatis; exiſtentia enim ſubiectiua definitur eſſentiali definitione; actualitas omnis eſſentiæ, ſiuè formæ, quæ connexio adhuc neceſſaria eſt neceſſitate ſpecificationis; non enim eſt cauſabilis exiſtentia extrà Deum in creaturis completis, niſi ſimilis ideæ exiſtēti in Deo, quæ eſt ipſa exiſtentia Dei, vt participabilis in aliquo gradu ab exiſtētia, quę eſt, vel eſſe poteſt in creatura completa; ergo in hoc nulla eſt differentia inter eſſentiam ſubiectiuam creaturæ extrà Deum, & exiſtentiam, quod quidem eſt falſum, & probatur. Primò, quia eſſentia ſubiectiua creaturę non eſt in potentia vt ſit eſſentia; ſed ſolùm eſt in potentia, vt fiat, & ſit exiſtens; hoc autem nō poteſt dici de exiſtētia ſubiectiua eiuſdem: quia hęc ſecundū ſe indifferens eſt, vt ſit, vel vt non ſit. Secūdò, eſſentia eſt potentia ſubiectiua, ſiuè receptiua exiſtētię; exiſtētia verò eſt actus ſubiectiuus, nimirū, cōpletiuus eſſentię in genere entis; at actus, & potētia in ratione ſubiecti, ſunt dif-

differentiæ oppositę oppositione contraria, contrarietate metaphysica; oppositorum autem oppositæ debent esse rationes formales; ergo, &c.

Respondeo, quod diuersitas inter essentiam subiectiuam creaturæ completæ, & eius existentiam pariter subiectiuam, non est; quia essentia subiectiua creaturæ completæ secundùm se, est necessaria necessitate specificationis; existentia verò subiectiua non item; quia hæc necessitas specificationis est prædicatum entis formaliter, prout est participatio primi entis, siuè primæ causæ; hoc autem est prædicatum transcendens, conueniens omni enti formaliter extra Deum; sed diuersitas in eo consistit; quia prædicata essentiæ subiectiuæ sunt prædicata positiua receptiua esse; prædicata verò per se existentiæ subiectiuæ sunt prædicata actus completiui essentiæ in genere entis: vel diuersitas in eo sita est; quia prædicata essentialia, & per se, essentiæ subiectiuæ creaturæ completæ, sunt prædicata prima in ratione subiecti, & termini simùl; prædicata verò per se existentiæ subiectiuæ sunt prædicata solius termini, siuè obiecti potentiæ creatiuæ; prima diuersitas est, iuxtà opinionem asserentium, essentiam creaturæ completæ in ratione essentiæ, nullo modo esse creabilem, neque per se, neque cum alio in ratione essentiæ, sed solùm in ratione entis existentis, nimirum, completi in genere entis; Secunda verò diuersitas est iuxtà opinionem, quam nos sequimur, dicentium, essentiam subiectiuam, quæ est in creatura completa in genere entis intrinsecè creari in ratione essentiæ simùl cum existentia, saltem in suo effectu formali, vt pars materialis termini per se creationis.

Cum verò opponitur quod implicat, essentiam subiectiuam esse potentialem, vt sit essentia; quia adueniret aliquid in ratione essentiæ, distrahens essentiam à sua specifica ratione.

Respondeo cum distinctione; dupliciter enim intelligi potest, essentiam subiectiuam creaturæ non posse esse in potentia vt sit essentia; vno modo, quia non potest esse in potentia subiectiua ad essentiam: secundo modo; quia non potest esse in potentia obiectiua, vt sit actu essentia, vt pars, nimirum, materialis obiecti per se potentiæ creatiuæ; in primo sensu, vera est propositio, quod scilicet adueniret aliquid in ratione essentiæ, quia adueniret actus completiuus in ratione essentiæ: in secundo sensu, falsa est propositio; nam ens possibile, & ens actuale in ratione termini, significant idem prorsus ens in diuerso statu, vt sæpè repetiuimus, & ideò non aduenit aliquod prædicatum in ratione essentiæ, mutans essentiam specie.

Tertia conclusio. Essentia subiectiua in creaturis completis, in genere entis, in ratione essentiæ, sunt intrinsecè terminus creationis simùl cum existentia in suo effectu formali; sed materialiter, nimirum, vt pars materialis termini per se creationis. Conclusio hæc immediatè, & directè respondet articulo; estque contra eos, qui dicunt, essentiam subiectiuam creaturæ, non esse terminum per se intrinsecè creationis, neque simùl cum existentia; sed esse participationem essentialem necessariam, non liberam primæ causæ, & duas habet partes; Prima affirmat essentiam subiectiuam creaturæ in ratione essentię esse intrinsecè creatum simul cum sua existentia; Secunda verò affirmat, esse creatam simùl cum existentia, sed materialiter, nimirum, tanquam partem materialem termini per se creationis; est autem terminus per se creationis, ens actu existens ex nihilo simpliciter: causa enim adæquata, cur existens sit terminus per se creationis est; quia in eo essentia non est realiter sua existentia in ratione subiecti; & probatur; nam creabile per se, est ens habens essentiam essentialiter potentialem; hoc autem est ens, in quo essentia non est essentialiter suum esse existentiale; semper enim dependentia à causa efficiente fundatur, tanquam in prima radice, in ente essentialiter potentiali. Probatur prima pars.

Primò, nam essentia subiectiua creaturæ est necessaria solùm necessitate specificationis; hæc enim sola necessitas satisfacit omnibus, quæ dicuntur de essentijs subiectiuis creaturarum, vt suprà diximus; sed vbi est sola necessitas specificationis, est intrinsecè potentialitas ad produci, vel per se, vel cum alio, siuè ad produci vt sic, præscindendo à produci per se, & à produci cum alio; demonstratur hoc: nam vbi est sola necessitas specificationis, est contingentia, siuè indifferentia in ratione termini, quæ est indifferentia ad fieri, & non fieri.

Secundò; quia essentia subiectiua creaturæ intrinsecè in ratione essentiæ est terminus materialis primæ causæ, scilicet à quo n[illegible] spec[illegible]tur; tum quia prima causa habet terminum primarium intrà se, cum sit independens ab extrinseco termino; tum etiam quia est terminus secundarius; terminus autem formalis, à quo, est specificatio

est

est terminus primarius; quia species est idem quod essentia: essentia autem est prima in re; sed terminus materialis causæ primæ est intrinsecè producibilis, vel comproducibilis; quia est intrinsecè contingens in ratione termini; terminus enim causæ, adæquatè diuiditur in terminum necessarium, & in terminum contingentem; quia membra diuidentia reducuntur ad contradictoria, inter quæ nihil medij esse potest, sed essentia subiectiua creaturę non est terminus necessarius; quia cum sit terminus materialis, sine eo esse potest perfectè, & completè perfectio causæ; ergo est terminus intrinsecè contingens, ergo intrinsecè producibilis.

Tertiò, si qua esset ratio in oppositum, ea esset; quia essentia subiectiua creaturæ est participatio necessaria primæ causæ; sed hoc est falsum, tum quia, vt suprà diximus, participatio necessaria primæ causæ debet esse infinita; at essentia subiectiua creaturæ est essentialiter determinata ad determinatum genus, & speciem; tum etiam quia, vt diximus præcedenti quæstione, causa necessaria inuoluit essentialiter imperfectionem; at in Deo omninò repugnat imperfectio.

Marcus Antonius Palumbus præuidens vim harum rationum super *quæst. 25. p.p. S. Thomæ de Diuina Potentia, doctr. vnica in responsione ad 4. & vltimam instantiam*, dicit, quod essentia, nimirum, subiectiua creaturæ, est terminus potentię actiuæ Dei; non quidem, quia Deus actuali influxu cōcurrit ad illam; hic enim concursus, inquit, terminatur ad existentiam creaturarum; sed ex duplici capite. Primum est, quia Deus potest illud, quod est possibile; nam hęc est quędam attingentia possibilitatis, nisi enim Deus posset illam in actualem existentiam ponere, possibile non esset possibile; careret enim essentiali termino ad quem est. Secundum est; quia Dei essentia, quatenus est prima ratio eminentialis, & vniuersalis essendi, indè consequenter est prima ratio imitabilis à creaturis, multipliciter, & inadæquatè; hęc enim est ratio, vt Deus sit ratio, & origo totius perfectionis extra se, siue efficienter per influxum realem dantem existentiam, siuè idealiter per rationem imitabilis, & ideæ in Deo.

Hæc doctrina acuta quidem est, & ab acutiori Metaphysico prolata; sed, quantum video, non euacuat vim rationum; quandoquidem, essentia subiectiua creaturę in ratione essētiæ est intrinsecè contingens quoad exercitium essendi, & non essendi; vbi autem est contingentia huiusmodi, est potentialitas ad produci intrinsecè à Deo influxu actuali creatiuo.

Neque obstat primum caput, quo dicit Marcus Antonius Palumbus, quod concursus creatiuus terminatur ad existentiam creaturarum; nam hoc est verum de influxu creatiuo ad terminum formalem creationis, non autem de influxu in terminum materialem creationis, qui adhuc creatur intrinsecè simul cum alio, nempè cum existentia, sed vt pars materialis termini per se creationis; essentia autem subiectiua creaturæ, creatur quidem intrinsecè in suo esse essentiali simul cum existentia, sed materialiter, hoc est, vt pars materialis termini per se creationis.

Neque obstat secundum caput, quod Dei essentia est prima ratio eminentialis, & vniuersalis essendi; nam Deus est prima ratio eminentialis, & vniuersalis essendi, modo libero, non modo necessario; concursus autem liber semper est concursus effectiuus in Deo.

Obijcies primò: In Deo esse debet maior perfectio, quæ esse potest; sed si ponatur in Deo ratio primæ causæ, non solùm effectiuæ, sed etiam idealis, quę est per rationem primi imitabilis essentialiter, ponitur in Deo maior perfectio simpliciter, quia ponitur duplex ratio primæ causę; Maior autem perfectio est, quia rapit ad vnam formalitatem, siuè perfectionem, rationes primæ causæ idealis, & efficientis, quam sit perfectio solummodò primæ causæ efficientis; sed hoc posito principio, essentia subiectiua creaturæ, non est intrinsecè creabilis simul in ratione essentiæ cum sua existentia; nam terminus intrinsecus creationis, non præsupponitur creationi, sed consequitur illam; posito autem hoc principio, quod Deus est primum imitabile imitatione essentiali; essentia subiectiua creaturæ præsupponitur creationi, quia est participatio diuinę essentię, ex eo quod diuina essentia est primum imitabile essentialiter; sed hoc habet Deus independenter ab omni efficientia, quia Deus est primum imitabile essentialiter, antè omne liberum decretum diuinę voluntatis de creando.

Respondeo primò cum distinctione: in Deo ponenda est maior perfectio, quæ est possibilis sine vlla intrinseca imperfectione, & concedo; cum permixtione imperfectionis intrinsecè, & nego. Deus enim est ens perfectissimum in tota latitudine perfectionis, at ratio primæ causę idealis per rationem imitabilis, essentialiter inuoluit imperfectionem: omnis enim causa necessaria

cessaria inuoluit essentialiter imperfectionem, vt ostendimus cum S. Thoma *quaest. praecedenti*; at ratio primę causę idealis per rationem imitabilis, essentialiter est causa necessaria, vt etiam ipsi Aduersarij concedunt; quia ponunt essentiam subiectiuam creaturę esse participationem necessariam, & essentialem primi imitabilis, quod praedicatum dicunt competereDeo, ex eo quod est primum ens, quod est prędicatum essentiale Deo, nempè primum prędicatum in Deo, & consequenter essentialiter indepēdens ab omni libero decreto Diuinę voluntatis de creando, siuè efficiendo.

Respondeo secundò, alia distinctione: in Deo concedenda est omnis maior perfectio, qua posita nulla sequitur contradictio, tam in Deo, quàm in creaturis; & concedo, qua posita sequitur contradictio, & nego: si ponatur in Deo ratio primi imitabilis essentialiter necessarii, sequitur contradictio, tum in Deo, tùm in creaturis; in Deo quidem, quia causa necessaria, cum sit causa causans, vt mota semper inuoluit imperfectionem; in creaturis adhuc sequitur contradictio, quia creatura est essentialiter potentialis, cui omninò repugnat esse infinitū in actu; at posito dicto principio, creatura esset infinita infinitate in actu, quod implicat contradictionem. Probatur sequela: nam essentia subiectiua creaturae esset participatio necessaria causę infinitae in actu.

Quod si respondeas, participationem causae necessariae infinitae, esse infinitam, quando est capacitas infinitatis; non autem quando nulla est capacitas infinitatis in causabili; in essentia subiectiua creaturae est incapacitas ad infinitatem in actu, quae est infinitas secundùm formam, ac proindè Deus est prima ratio imitabilis à creaturis multipliciter, & inadaequatè, siuè secundùm quid, & deficienter, non autem adaequatè. Afferri potest ad hoc explicandum exemplū de Sole, qui varios potest producere effectus in sublunaribus: sed iuxta varias capacitates, & varias dispositiones, v.g. in panno lineo causat albedinem, in carne nigredinem, in visceribus terrae varia mineralia, &c. & tamen Sol est causa necessaria.

Respondeo hoc argumentum habere locum in causa necessaria finita, quę causat causalitate eductiua, quae est dependens à capacitate materiae, non autem in causa infinita, si esset necessaria, qualis ponitur ab Aduersarijs, Deus, vt primum imitabile per solam rationem imitabilis, & ideae, siuè per necessariam sequelam imitatiui à primo imitabili; quia omnis ratio primae causae operatur independenter à materia, vel à capacitate materiae, & ideò quantùm est ex se, si Deus vt primum imitabile essentialiter, necessariò causaret, sine dubio causaret ens infinitum in actu: ex alio verò capite, quia implicat infinitum in actu extra Deū, implicat primum imitabile esse causam necessariam; ad eum modum, v.g. quo si supponatur non posse dari infinitum in actu extra Deum, & illud poneretur dari, illud esset infinitum ex suppositione; sed simul esset finitum ex ratione conuincente: quia ens creatum extra Deum, est essentialiter potentiale; implicat autem ens potentiale esse infinitum in actu.

Quod si iterum vrgeas; primum imitabile à creaturis, esse imitabile multipliciter, & inaequaliter, ac proindè inadaequatè, & secundùm quid, & quod idem est particulatim, & diuisim: responsio autem data solùm ostendit non esse causabilem vnam essentiam subiectiuam, quae sit infinita in actu, siuè infinitate secundùm formam.

Respondeo, quod responsio allata non solùm ostendit hoc, sed etiam ostendit non posse Deum esse primū imitabile imitatione essentiali necessariò, quia causaret omnipossibile essētiale totum in actu, quod implicat: quia primum imitabile, si ponatur causa necessaria, est applicatum necessariò, vt participabile secundùm omnem gradum suae perfectionis: sed implicat omnipossibile essentiale esse totaliter causatum: quia est essentialiter syncathecorematicum; implicat autem syncathecorematicum poni totaliter in actu.

Obijcies secundò: implicat dari primū effectiuum sine possibili effici: sed hoc posito necessariò praesupponi debet antè omnem efficientiam primae causae, essentia subiectiua existentiae; nimirùm, ens actu potens fieri existens actione suae causę efficientis; ergo antè omnem efficientiam pręsupponi debet essentia creaturae subiectiuam causata: sed non alio genere causae, nisi idealis, quae est causalitas per solam rationem imitabilis; quia hęc sola causalitas praeintelligi potest, ante omnem efficientiam primae causae. Discursus probatur: quia Deus non potest causare, nisi quicquid nō implicat contradictionem: sed hęc non implicantia fundatur in prędicatis positiuis non oppositis, quae praesupponi debent in ente causabili: in vno enim, & eodem, prius est posse esse, quam actu esse, siuè esse possibile produci, quam esse actu productum: sed causa adaequata cur ens sit per se causabile, siuè ꝑducibile in eo, est essētia, vt in

po-

potentia subiectiua ad esse, ergo, &c.

Respondeo primò: distinguo maiorē; quæ duos potest habere sensus. Primus est, quod non potest dari primum effectiuum, & productiuum, nisi præsupponendo ens possibile produci, in aliquo genere causæ. Secundus sensus est, quod non potest dari primum productiuum, siuè effectiuum, nisi illud causando, & faciēdo, quod nō implicat contradictionem; vtique primum efficiens, non facit, nisi quod non implicat contradictionem, non quidem illud supponendo, sed illud faciendo; & ratio huius est, quia primum efficiens, est independens omninò à suo effectu, vel à suo causato ad extrà; at si supponeret ad causandum possibile produci in aliquo genere causę, dependeret à suo causato, quod omninò repugnat primę causæ. Hoc argumentum solùm vim habet in causa secunda, quæ causat suos effectus, & ab illis causatur, non quidem in eodem genere causæ; sed in diuerso, & clariùs vim habet in agente eductiuo, non autem in agente creatiuo, neque vniuersaliter in omni causa; & radix huius doctrinæ est, quia omnis effectus Dei ad extra est terminus materialis causæ primæ, scilicèt, à quo non specificatur; effectus autem causę secūdæ est terminus formalis virtutis suæ causæ, cum sit terminus primarius, tùm in genere causæ formalis, tùm etiam in genere causæ finalis.

Respondeo secundò: distinguo maiorem; non potest dari effectiuum primum, post decretum liberum de creando, sine possibili effici, & cōcedo; antè decretū liberū de creando, & nego, vt quęstione præcedente explicauimus. Pariter dicendum est de primo imitabili essentialiter, nàm in Deo primum imitabile essentialiter, est primū imitabile, non per solam idealem participationem, siuè per solam successionem, & sequelam necessariam imitatiui à primo imitabili; quia hoc inuoluit intrinsecè imperfectionem, & contradictionem; sed per efficientiam liberam.

Neque dicas, quod participatio per efficientiam est participatio existentialis primi imitabilis; hic autem loquimur de participatione essentiali; nàm, vt suprà innuimus, participatio existentialis, quæ est partis formalis termini per se creationis, adhuc se extendit effectiuè ad participationem essentialem, quæ est pars materialis eiusdem termini per se creationis; quandoquidem primum ens, & prima causa necessariò debet esse agens liberum, & hoc ostēdimus quæstione pręcedente, ea ratione, quia agens primum agit se mouens, non vt motum ab alio; ac proindè hoc prædicatū formaliter competit Deo; causa verò omnis necessaria non causat, vt mota à causa superiori præscribente sibi finem, & terminum suæ causalitatis; & ideò non datur ratio causæ necessariæ in Deo, nec dari potest formaliter.

Fortè dicet Aduersarius in Deo non posse esse rationem causę necessarię formaliter; hoc non tollit quin in Deo sit ratio causę necessariæ eminentialiter, nimirū demptis imperfectionibus, sicut aliqui recentiores Theologi dicunt, dari in Deo scientiam conditionatā eminentialiter, non formaliter.

Sed hæc instantia nulla est; nam dupliciter intelligi potest in Deo dari rationē causę necessarię eminentialiter; idest demptis imperfectionibus; vno modo, quia Deus est causa eminentialis omnis causę necessarię extrà se: alio modo, quia Deus est causa necessaria eminentialiter. In primo sensu, vltrò concedo assumptum; in secundo, nego: quia causa necessaria, non potest pręscindere ab imperfectione, quia illā includit in suo cōceptu quidditatiuo, & essenhuius ratio est manifesta, quia causa necessaria vt sic non causat, nisi vt mota à superiori causa, pręscribente sibi terminum, & finem causandi: pręterea causa necessaria est intrinsecè ad determinatum effectum; causa enim necessaria causat vt natura; natura autem est determinata ad vnum, & eodem modo, & vtrumque pręదicatum essentialiter inuoluit imperfectionem, & limitationem, quę omninò repugnat Deo, nō solùm, quia Deus est ens perfectissimum in tota latitudine entis, quo maius excogitari non potest: sed etiam, quia primum ens necessariò debet esse agens liberum, tùm quia comparatur ad effectus suos non determinatos, sed indeterminatos: potest enim producere tot, & quos vult effectus, tùm etiam quia agens liberum solummodò potest habere rationem primi agentis, scilicèt agentis, quod agit se mouens. Confirmatur discursus, nàm in Deo non potest esse alia causa, nisi causa, cum supremo dominio: sed hęc causa non est alia, nisi causa agens libera.

Objicies tertio. Essentię creaturarum completarum sunt reales, realitate positiua sub negatione actualis existentię: sed hoc non potest esse ex alia causa, nisi quia causantur à primo ente independenter ab omni existentia actuali, & hęc causalitas non potest esse causalitas causę efficientis: quia effi-

efficientia terminatur ad existentiam; ergo, Maior probatur, nàm etiam non existentibus creaturis completis omnibus, potest quis considerare, & concipere essentias reales vera cognitione, nimirùm potest considerare hominem esse realiter animal rationale, leonem esse animal rugitiuum, &c. isti autē conceptus obiectiui sunt veri reales, & positiui; animal enim rationale, & animal rugibile, non sunt conceptus chymerici; sed contradistincti à conceptibus chymericis, sunt ens, non verò non ens, quod dici non potest de existentia; implicat enim existentiam esse realem, & positiuam sub sua negatione; ergo, &c.

Respondeo, in creaturis non existentibus posse considerari earum essentias subiectiuas, vt reales realitate subiectiua signata, & concepta, non autem vt exercita, & in re. Neque verùm est, essentiam realem, ex eo quod est realis in esse concepto, esse adhuc realem in esse exercito, & in re, nàm potest aliquis cogitare, quid sit esse perfectum oratorem, & potest dicere esse talem, qui excedit omnem Oratorem excogitabilem ordinarium, vel esse Oratorem, quo maior excogitari non potest, & tamen verè negare potest, sic existimans simul dari exercitè huiusmodi Oratorem; & ratio huius est; quia esse reale vt exercitum, & in re creaturarum, est realiter terminus causæ efficientis in esse reali; non autem causę efficientis in esse cogitato, & signato; esse verò earundem vt signatum, et conceptum, est terminus intellectus, qui solùm potest cogitare, quid sit res; sed non efficere illam in suo esse reali exercito, & huiusmodi est intellectus creatus, qui cum sit potentia limitata essentialiter, solùm se extendit ad producendum conceptum mentis intrinsecum rei extrà concipientem, & huiusmodi esse signatum causatur tantummodò causalitate obiectiua in esse obiectiuo, quod est, dum præcisè cognoscitur; neque per hoc fit illud, ens rationis purum; quia ens rationis purum in eo, in quo est ens cogitatū ab intellectu, inuoluit contradictionem, & incapacitatem ad existendum realiter; ens verò reale, præcisè vt signatum ab intellectu, non inuoluit in eo, in quo est ens conceptum ab intellectu, contradictionem in suis prædicatis; consequenter neque includit capacitatem ad existendum realiter.

Fortè hac ratione moti, aliqui ex antiquis Theologis dixerunt essentias creaturarum produci ab intellectu Diuino in esse intelligibili prius quam causentur in earum esse reali, & exercito in re; sed decepti sunt; quandoquidem hoc proprium est intellectus creati, & nullo pacto potest competere intellectui Diuino; quia intellectus Diuinus est in sua latitudine formali causa efficiens res ad extrà in earum esse reali, & exercito extrà Deum, quod est proprium intellectus Diuini ob eius infinitatem formalem, quæ est radix vt perfectiones in Deo non sint distinctæ, & diuisæ; intellectus verò creatus cum sit potentia intellectiua limitata ad rationem formalem tantummodò intellectiui, non potest esse potentia exequens, & efficiens in esse reali sui termini ad extrà; cæterum in re nostra, loquēdo de essentia creaturæ in esse suo exercito, & in re, dum creatura realiter non existit, vel existentia sua, vel existentia aliena extrà Deum, non reperitur, nisi negatio actualis essentiæ; siuè, quod idem est, non essentia actualis, & exercita in re; quandoquidem essentia creaturæ completæ, vt demonstrauimus, est terminus intrinsecus creationis simul cum existentia; terminus autem intrinsecus productionis, siuè creationis est causa, vt essentia subiectiua depēdeat non solum à prima causa efficiente, in genere causæ productiuæ; sed etiam vt dependeat essentialiter in genere causæ formalis terminatiuæ ab ipsa existentia; & hoc non solùm, quia implicat, dari potentiam subiectiuam sine suo termino, qui est actus pariter subiectiuus; sed etiam, quia existentia est primus actus in genere entis; implicat verò dari secundum sine primo; ergo cū essentia subiectiua in suo esse exercito, & reali in re sit quoddam ens actu extrà nihilum, & in genere entis; implicat esse sine dependentia essentiali ab existentia, quoniam primum in quodlibet genere est causa cæterorum in eodem genere.

Neque verum est, vt dicunt Aduersarij, existentiam esse primum actum entis creabilis intrinsecè; essentiam verò secundū se creaturæ non esse intrà rationem entis creabilis; quandoquidem essentia est in potentia subiectiua ad existentiam; ens autem creabile intrinsecè est ens in potentia obiectiua, quod prædicatum conuenit, tùm existentiæ, quæ est extrà essentiam rei, tùm etiam enti, vt existenti per existentiam extrà eius essentiam.

Ratio est primò, quia existētia est primus actus essēdi extrà nihilū; sed hic actus se extendit non solùm ad ens, vt existens existētia extrà essentiam; sed etiam ad ipsam essentiam creaturæ secundùm se; quia adhuc essentia creaturæ est extrahibilis ex suo ni-

nihilo, vt plenè suprà ostendimus, tùm quia intrinsecè est terminus materialis causæ primæ; tùm quia non potest esse participatio necessaria primi entis; &c. Maior huius discursus clara est, quia existentia est actus vniuersalissimus omnium rerum, extrà essentiam; hic autem est actus primus essendi extrà nihilum in genere causæ formalis; & ideò vt docet S. Thomas *p. p. quæstion. 4. articul. 1. ad 3.* nihil potest esse actuale, nisi inquantùm est; ergo nihil potest esse actu extrà nihilum, nisi per efficientiam causę primæ; quia hęc est ad esse vniuersalissimum.

Obijcies quartò: prædicata essentialia, tàm in primo, quàm in secundo modo dicendi per se, sunt omninò inseparabilia à suis essentijs, de quibus essentialiter prędicantur; sed hoc posito, essentia creaturę completę, quę est essentia subiectiua, nullo modo est intrinsecè creabilis etiam cum sua existentia; quia hoc posito, implicat vt essentia subiectiua sit in potentia ad produci; quia hoc posito, semper essentia est actualis, nimirùm, non est assignabile signum naturę, pro quo non sit intrinsecè actualis, quia pro quolibet signo naturę prędicata essentialia sunt inseparabilia ab essentijs creaturarum; quod autem est essentialiter actuale, implicat esse creabile intrinsecè, etiam cum alio. Maior principalis argumenti probatur; nàm, vt docet Suarez *loco supra citato numer. 46*: prędicata essentialia sunt formalissimæ ipsę essentię creaturę; etenim omnis prędicatio essentialis, & in recto, fundatur in extremorum identitate formali, quæ licet à nobis concipiatur modo complexo; & per modum coniunctionis prędicati cum subiecto; tamen in re nihil aliud est, quam ipsa essentia, de qua prędicantur; sed idem formaliter omninò inseparabile est à se ipso; ergo, &c.

Respondeo primò: retorquendo argumentum; existentia creaturę completæ adhuc habet sua prędicata essentialia in primo, & in secundo modo dicendi per se, ab ipso omninò inseparabilia; sed hæc inseparabilitas, non est causa per se, vt existentia ipsa creaturæ completę, non sit intrinsecè creabilis cum sua essentia; ergo, neque inseparabilitas prędicatorum per se ab essentia subiectiua, est causa per se, vt essentia ipsa subiectiua non sit intrinsecè creabilis simul cum sua existentia.

Quod respondebunt Aduersarij; respondebimus, & nos.

Respondeo secundò: distinguo maiorem; prędicata essentialia, & per se essentię subiectiuę creaturę, sunt omninò inseparabilia ab ipsis essentijs, inseparabilitate prędicati à subiecto, de quo dicitur essentialiter, & cōcedo; inseparabilitate à modo essēdi essentię, de qua prędicātur extrà causā primam; & nego; ratio primæ partis distinctionis est, quia prędicata essentialia, sunt idem, quod essentia de qua prędicantur; ratio verò secundę partis distinctionis est: quia, vt ostendimus, essentia creaturę complętę, cum sit terminus materialis causę primę est intrinsecè contingens, quoad modum essendi, & non essendi extrà Deum: prę oculis habenda est distinctio, quam suprà sępè explicauimus, quod aliud est, v. g. hominem non esse animal rationale: & aliud est non esse actu hominem: etenim animal rationale, formalissimè sunt idem quod homo; at modus essendi, & non essendi extrà primam causam sunt extrà essentiam hominis, quia hominis essentia cum sit terminus materialis primæ causæ est indifferens ad modum essendi extrà, & ad modum non essendi extrà primam causam.

Respondeo tertiò: concedo maiorem, & nego minorem; prædicata enim essentialia, tàm in primo, quàm in secundo modo dicendi per se sunt inseparabilia ab essentijs, de quibus essentialiter prædicantur; quia essentiæ rerum creaturarum sunt necessariæ necessitate solius specificationis; hæc autem necessitas non tollit ab essentijs, quin sint intrinsecè creabiles simul cum suis essentijs.

Quod si quęras, cur essentia subiectiua creaturæ sit conceptibilis verè cum actuali negatione existentiæ subiectiuæ; existentia verò ipsa subiectiua, non est conceptibilis sub negatione sui actuali, dùm eadem necessitas specificationis reperitur in essentijs, & in existentijs subiectiuis.

Responsio in promptu est, quoniam essentia subiectiua creaturæ, vt suprà diximus, est creabilis tantùm materialiter simul cum sua existentia; terminus autem materialis creationis inuoluit duplicem potentiam, & potentiam subiectiuam ad existentiam subiectiuam, & potentiam obiectiuam ad actum pariter obiectiuum; existentia verò, cum sit terminus formaliter creationis, simul cum sua essentia subiectiua, est tantùm in potentia obiectiua, quæ significat idem

idem prorsus ens, quod significat eius actus pariter obiectiuus.

Adhuc vrgent Aduersarij contendẽtes,esse, nimirùm existentiale,non esse sufficiens, vt cum eo intrinsecè producatur essentia subiectiua creaturæ; quoniam ratio formalis terminatiua ad producendum ens intrinsecè, vel per se, vel cum alio,debet esse intrinseca in omnibus;sed esse existentiale non est intrinsecè in essentia subiectiua creaturæ; ratio enim intrinseca prædicatur essentialiter de suo inferiori,vel de suo subiecto; at essentia subiectiua creaturæ non est essentialiter sua existentia; ergo esse existentiale subiectiuum non est sufficiens ratio terminandi productionem intrinsecam essentiæ subiectiuę in ratione essentię, etiam vt terminus materialis comproductionis, quippè hæc ratio terminatiua deberet esse intrà prædicata essentiæ; sicut, v. g. non potest aliquod esse intrinsecè intelligibile, nisi intrinsecè, & essentialiter inuoluat rationem entis formaliter.

Et hæc ratio sufficiens est ad impugnandam responsionem aliquorum, qui dicunt rationem formalem terminatiuam, necessariò esse in re, quę producitur intrinsecè, non quidem per inclusionem essentialem,sed per vnionem intrinsecã; quia satis est vt reperiatur in termino creationis formaliter: sicut v.g.vt lignum fit visibile materialiter, siuè vt obiectum, quod videtur, non est necessarium, vt lignum sit intrinsecè, & essentialiter color; sed satis est,vt color reperiatur formaliter in ligno per vnionem formalem:& ratio est cur hæc responsio non sit valida; quia essentia subiectiua creaturæ, ponitur intrinsecè producta simul cum sua existentia; at productum intrinsecè, debet intrinsecè,hoc est per inclusionem essentialem, & non per vnionem tantùm formalem, habere in se rationem conterminandi productionem.

Neque valet si dicas, quod hoc requiritur ad terminum per se productionis, vel nimirum ad terminum adæquatum, vt est ens actu existens, vel ad terminum inadæquatum, vt est esse, non autem ad terminum materialem,qualis est essentia subiectiua creaturæ, quoniam essentia subiectiua creaturæ in suo esse essentiali intrinsecè producitur simul cum sua existentia,saltem in suo effectu formali(quod dicitur propter Christi Domini humanitatem, quæ iuxtà opinione S. Thomæ,existit existentia Verbi Diuini,non autem existentia propria) ad terminum autem, qui intrinsecè producitur in suo esse intrinseco,requiritur, vt ratio formalis terminandi productionem, in eo reperiatur per inclusionem essentialem.

Hæc difficultas potest solui iuxtà duplicem opinionem, quæ esse potest de termino formali, & per se creationis.

Prima opinio esse potest, quod terminus per se,siuè formalis creationis,sit ens ex nihilo abstrahens ab ente essentiali, & ab ente existentiali; & fundamentum esse potest, quia terminus formalis creationis est effectus vniuersalissimus, qui non potest, nisi ab vniuersalissimo agente produci, vt dicetur in quæstione de creatione; hic autem effectus vniuersalissimus,alius esse non potest, nisi ens vniuersalissimum vt sic; quia huiusmodi ens est,quod prędicatur intrinsecè dę omni ente,tàm essentiali, quàm existentiali.

Secunda opinio esse potest, quod terminns formalis creationis sit esse existentiale vt sic subiectiuum, & huius opinionis fundamentum esse potest; quia creatio formaliter terminatur ad existentiam; terminatur enim ad ens actu ex nihilo; at ens actu formaliter non est, nisi per existẽtiam, quoniam per existentiam ens potens actu existere,sit actu existens, quod est esse ens in actu, & huiusmodi esse existentiale est effectus formalis adhuc vniuersalissimus; quia reperitur in omni ente, vel per intrinsecam inclusionem, vel per vnionem intrinsecam, quod sufficit, vt essentia subiectiua creaturę intrinsecè comproducatur cum sua existentia; etenim satis est, vt formaliter reperiatur in termino, qui comproducitur cum existentia.

Quod si obijcias contra hanc opinionem; terminum, siuè effectum formalem creationis debere esse vniuersalissimum, nimirùm,ens formaliter vniuersalissimum, sed ex nihilo; hic autem effectus vniuersalissimus non potest esse existentia subiectiua; quia terminus vniuersalissimus debet esse ens, quo non est assignabile aliud ens vniuersalius; at potest assignari ens formaliter vniuersalius, quàm sit esse existentiale subiectiuum, & hoc est ens formaliter ex nihilo abstrahens ab ente essentiali, & ab ente existentiali (appello ens formaliter, quod sua ratione formali est extra nihilum.)

Respondere possunt, effectum vniuersalissimum esse duplicis conditionis; alius est vniuersalissimus, vt causa formalis causandi, & alius est effectus vniuersalissimus vni-

vniuersalitate prædicationis intrinsecè, & essentialis in recto. Hanc distinctionem pluribus in locis explicauimus; aliud enim est prius alio in causando; & aliud prius alio in prædicando, vt, v.g. materia vt sic in communi, est prior in prædicando, siuè prioritate prædicationis, & vniuersalitatis, quàm sit materia prima; è conuerso autem materia prima in causando est prior, quàm sit materia in communi: motus, vt sic est prior prior prioritate in prædicando, quam sit motus primus omnium motuum; è conuerso verò motus primus, vt causa est prior, quàm motus in communi. Pariter in subiecta materia discurrendum est, ens formaliter ex nihilo vt sic est prius, quàm esse existentiale inquantum huiusmodi prioritate in prædicando, siuè prioritate vniuersalitis; è conuerso verò esse existentiale subiectiuum, vt prima causa formalis essēdi actu extrà nihilum, est prius, quàm sit ens extrà nihilum formaliter vt sic, quod in recto, & essentialiter prædicatur de omni ente, tàm essentiali, quam existentiali. Quænam autem ex his opinionibus sit absolutè, & simpliciter vera, & etiam de mente S. Thomę, in quęstione de creatione resoluetur.

Si velimus sequi primam opinionem. Respondendum est ad obiectionem, quæ dicitur, ens formaliter ex nihilo vt sic non posse esse effectū formalem creationis, quia creatio formaliter est ad existentiam, siuè ad esse, quod hoc est verum de termino formali, qui producitur, non autem de termino formali, quo ens producitur; ens ex nihilo vt sic, quod abstrahit ab ente essentiali, & ab ente existentiali, est terminus formalis, vt quo, non vt qui: distinctio hæc duplicis termini formalis creationis, intelligitur distinctione duplicis obiecti formalis, nimirùm vt quo, & vt quod; siuè obiecti formalis in genere entis, & obiecti formalis in genere scibilis, siuè obiecti.

Si verò velimus sequi aliam opinionem, quod terminus formalis creationis sit esse existentiale vt sic; cum arguitur contra, quod terminus formalis creationis debet esse vniuersalissimus, irresolubilis in alium vniuersaliorem. Respondendum est, quod terminus formalis creationis debet esse terminus vniuersalissimus in genere causę formalis terminatiuæ, & huiusmodi est esse existentiale, siuè existentia subiectiua; hæc enim est prima causa formalis terminatiua essendi extra nihilum cęteris; quia est prima actualitas omnis entis.

Obijcies quintò. Essētię rerū abstrahūt ab hic, & nunc; dicunt enim solùm sua prędicata essentialia in sua definitione essentiali secundùm se, v. g. homo in sua definitione essentiali secundùm se, non aliud dicit, nisi animal rationale; idem dico de cæteris: sed huiusmodi essentiæ non sunt intrinsecè creabiles, etiam cum existentia, quia creabile non abstrahit à duratione, & ab existentia; ergo, &c.

Respondeo: distinguo maiorem; essentiæ rerum creatarum præscindunt ab hic & nunc determinatis; & concedo; indeterminatis, & nego: non enim essentiæ creaturarum habent in se, vt exigant creari in in vna determinata ratione, & in vno determinato loco. Ad probationem, cum dicitur, quod essentię rerum secundùm se includunt tantùm sua prædicata essentialia.

Respondeo; distinguo maiorem; includunt tantum sua prædicata essentialia, quæ præscindunt ab hic, & nunc determinatis, & concedo; præscindentia ab hic, & nunc indeterminatis; & nego: ac proindè essentiæ rerum includunt hic, & nunc indeterminatè, quia loquimur de essentijs creaturarum, secundùm earum esse formale, actu distinctum ab esse primę causæ.

Quod si iterum vrgeas: ex hoc sequi essentias subiectiuas creaturarum esse ab æterno; quia definitiones rerū sunt verę ab æterno; ergo in earum veritate includitur duratio ab ęterno. Confirmari potest primò, hæc instantia ex Augustino *lib. 2. de libero arbitr. cap.* 8. vbi in particulari exemplo hanc doctrinam tradit, quod scilicet nihil magis est æternum, quod ratio circuli, & duo, & tria esse quinque, nimirùm, quia prędicatum, quod competit intrinsecè subiecto; ità conuenit subiecto, quod semper illi competat.

Secundò confirmatur, quia semper verum est, hominem esse animal rationale, & nunquam falsum: at si essentiæ rerum non essent veræ ab æterno, aliquando esset falsum, hominem esse animal rationale.

S. Thomas *p.p.q.16.art.7.ad* 1. respondet, quod ratio circuli, & duo, & tria esse quinque habent æternitatem in mente Diuina, quæ est veritas formalis, non veritas obiectiua intrinseca essentijs creaturarum; solus enim intellectus Diuinus est ęternus, & in hoc sensu intelligendus est S. Augustinus.

Sed hęc doctrina, & S. Tho., & S. Augustini, vt remoueatur ab instantijs in oppositum intelligenda est de essentijs creaturarū, & de veritate necessaria necessitate specificationis, quę solùm dicit prędicatum esse de ratione subiecti, non autem de verita-

ta-

tate essendi, siuè exercitij subiecti prędicatorum essentialium; ac proindè ly, semper, non sumitur vt significat durationem ęternam; sed solùm vt significat necessitatem specificationis.

## ARTICVLVS QVINTVS.

### Vtrum existentia substantialis in substantia creata, sit distincta realiter à subsistentia, & an sit ea prior, vel posterior.

IN hoc articulo duo examinanda proponuntur. Primum an existentia (non quidem abstrahens ab existentia substantię, & ab existentia accidentis; sed quatenùs contracta ad substantialem) distinguatur realiter, siuè ex natura rei à subsistentia connaturali in natura substantię creatæ. Secundum, sit nè existentia substantialis in substantia creata prior, an posterior subsistentia. Vtrumque quæsitum controuersum est, tùm inter Metaphysicos, tùm inter Theologos; proponuntur verò ambo simul examinanda; quia secundum quæsitum, non potest habere locum, nisi existentia substantialis in substantia creatata, sit distincta ex natura rei actu à subsistentia connaturali eiusdem substantiæ. Et nè laboremus in æquiuoco, sermo est in vtroque pũcto de subsistentia, & existentia substantiali subiectiuis, non autem obiectiuis, sicut enim existẽtia in generali diuiditur in existentiam obiectiuam substantialem, & in existentiam obiectiuam accidentis; ità diuiditur etiam in existentiam substantialem subiectiuam, & existentiam subiectiuam accidentis; primæ existentiæ sunt in omni genere entis, siuè completi, siuè incompleti: secundæ verò sunt in quolibet genere entis completo in ratione entis; primę sunt existentiæ similitudinariæ; secundæ verò propriè, & rigorosè.

Prima conclusio. Existentia substantialis subiectiua in substantia creata, in qua scilicèt distinguitur essentia ab esse, distinguitur realiter, siuè ex natura rei à subsistentia, abstrahendo à determinata specie distinctionis realis. Conclusio est apertè cõtra Capreolum *in 3. dist. 5. q. 3.* quem plures Thomistæ sequuntur, vt defendant humanitatem in Christo Domino existere existentia etiam Verbi Diuini, vt docet S. Thomas *3. p.* probat enim Capreolus humanitatem in Christo Domino existere existentia Verbi Diuini; quia subsistit subsistentia personali Verbi Diuini: causalem autem probat; quia opinatur existentiam substantialem esse formaliter subsistentiam, non solùm in Deo, sed etiam in substantia creata; idque probatur sequentibus rationibus.

Prima est; quia subsistentia, inquit, Capreolus, non est aliud in suo conceptu adæquato, nisi existentia per se; sed hic est conceptus quidditatiuus existentiæ substantialis subiectiua; etenim existentia subiectiua substantiæ completæ creatæ, de qua nos loquimur, non est existentia substantialis solùm extrinsecè; quia scilicèt est actus naturæ substantiæ; sed etiam est intrinsecè substantialis in seipsa; & probatur quoniam existentia subiectiua adæquatè, & per se est diuisibilis in existentiam substantiæ, nimirùm substantialem, & in existentiam accidentalem, nimirùm, completiuã accidentis in suo genere; sic vt ens essentiale diuiditur adæquatè in substantiam, & accidens.

Quod si primò respondeas Capreolo, existentiam substantiæ creatæ esse per se existentiam, qui est actus essendi per se per solam independentiam à subiecto inhęsionis, non autem per independentiam ab vlteriori termino sustentante, quod est proprium subsistentiæ, quatenùs contradistinguitur ab existentia substantiali; existentia enim substantialis est, quo natura substantiæ est existens independenter à subiecto inhæsionis; subsistentia verò est actus, quo natura substantiæ existit in se, vel existit non in alio subiecto sustentatiuè, quod potest competere etiam formæ substantiali, proùt est informatiuè in materia prima.

Dicet vtique statim Capreolus, quod hoc totum habetur etiam ab existentia substantiali, si essentia substantiæ sit completa in genere entis per se; hoc enim ipso, quod essentia substantiæ est completa, & sit existens substantialiter sine alio actu, vel modo superaddito substantiali, fit non solùm independens actu à subiecto inhęsionis; sed etiam ab vlteriori termino substantiali substãtiæ; quoniã essentia substãtiæ per existẽtiam substantialem compleiur in genere entis per se; sed vterque modus essendi per se, est intrà genus entis per se; ergo, &c.

Quod si secundò dicas; existentiam substantialem saluari in hoc, quod est principium exigitiuum subsistentiæ, sicut con-

cep-

ceptus quidditatiuus essentię substantiæ saluatur per hoc, quod est principium exigitiuum existentiæ per se.

Respondebit statim Capreolus, negãdo assumptum, & assignando disparitatem inter existentiam substantię, & inter naturam, siuè essentiam eiusdem, quod natura substantiæ est principium exigitiuum existentiæ substantialis, siuè subsistentię in creatis, quia essentia subiectiua in ente creato, est essentialiter potentia ad existentiam, cum essentialiter non sit sua existentia; ac proindè potest esse principium exigitiuum existentiæ per se; at verò existentia substãtialis est vltima actualitas naturæ substantiæ, quia existentia est vltimus actus in genere entis; vltimus autem actus non est potentialis ad vlteriorem actum, vt principium exigitiuum vlterioris actus per se essendi; imò potentialitas ad vlteriorem actum per se essendi, destruit conceptum essentialem existentiæ per se, cum sit vltimus actus substantiæ in genere entis per se.

Secunda ratio pro Capreoli opinione est; quia ens creatum adęquate diuiditur in essentiam, & esse, siuè existentiam; diuiditur enim ens creatum adæquatè in potentiam, & in actum in ratione subiecti; quia reducuntur ad contradictoria, inter quę nullum medium esse potest; sed existentia subiectiua entis creati est formaliter ens creatum; ergo, vel est infrà ens creatum vt potentia, vel vt actus: non est vt potentia; ergo est vt actus; sed actus essendi vt sic, non potest esse in potentia ad vlteriorem actũ, actus enim, & potentia sunt opposita formaliter; implicat autem vnum oppositorũ esse in potentia ad aliud, vel implicat idem secundùm idem esse in actu, & in potentia; ergo, &c.

Conclusio, quæ est expressa sententia S.Thomæ, & Caietani *3.p. quæst.17.* varijs rationibus probatur à Metaphysicis, & Theologis.

Primò illam probant paritate; quia, inquiunt, in accidente creato contradistincto à substantia, præter existentiam accidentis, quæ intrinsecè est in eodem genere cum essentia accidentis, datur realiter, & formaliter inexistentia, siuè inhærentia actualis accidentis in suo subiecto, distincta ex natura rei ab existentia; sed eadem ratio est de existentia substantiali, & subsistentia in natura substantiæ creatæ; ergo existentia substantialis in natura substantię creatę distinguitur ex natura rei à subsistentia. Maior probatur in accidentibus sacramentalibus in Sacramẽto Eucharistiæ, quæ formaliter, & realiter existunt ab actuali inhærentia eorundem in suis subiectis; separatio autem realis, est signum realis distinctionis. Minor verò principalis argumenti probatur, nàm ratio cur esse accidentis diuiditur intrinsecè in esse existentiale, & in esse inhærentiale accidentis; est quia esse accidentis formaliter præscindit ab vtroq; esse; sed esse substantiæ creatæ, prout distinguitur ab essentia substantię, adhuc præscindit formaliter ab existentia substantiali, & à subsistentia; ergo, &c.

Respondere potest Capreolus assignãdo disparitatem; potest enim dicere, distinctionem existentiæ ab actuali inhærentia in accidente, prouenire ex imperfectione intrinseca esse accidentis; cum enim accidens sit imperfectum in suo genere, indiget dependẽtia à subiecto diuersi generis, quod est substantia, vel quantitas; at esse substãtiæ, etiam prout distinguitur ab essentia eiusdem, est perfectum in sua latitudine formali; quia substantia est ens perfectum in suo genere; esse autem perfectum in sua latitudine formali est indiuisibile, vt diximus de esse naturæ Angelicæ in suo modo essendi naturali.

Secundò alij probant conclusionem; quia existentia substantialis, & essentialis in Diuinis Personis distinguitur virtualiter à subsistentijs proprijs Diuinarum Personarum; sed ex hoc habetur sufficiens fundamentum, vt existentia substantialis in natura substantiæ creatæ distinguatur realiter à subsistentia, quę constituit suppositum in natura substantiæ, personam verò in natura intellectuali; etenim existentia substantię creatæ est participatio existẽtię Diuinę.

Sed hęc ratio facilè soluitur à Capreolo, nàm in Diuinis Personis, non est nisi vnica existentia, quæ essentialiter est etiam subsistentia, qua non solùm existit, & subsistit natura Diuina, sed etiam omnes tres Diuinę Personæ, vt fusè diximus, & ratio huius pro nunc esse potest, quia existentia, quæ est essentialiter Dei essentia est infinita formaliter in latitudine formali esse per se, hoc autem esse est omninò immultiplicabile; at existentia substantialis substantię creatę, cum sit essentialiter limitata in ratione existentię substantialis, necessariò debet ex natura rei distingui à subsistentia in eadem numero natura substantię creatę.

Tertiò, probant alij; quia existentia substantialis, est intrà latitudinem formalem substantię creatæ; subsistentia verò non item; sed hoc est sufficiens fundamentum distinguendi in substantia creata existentiam

tiam substantialem à subsistentia. Maior probatur: nam natura substantiæ, qua natura realis est; est autem realis, quia possibilis est ad existendum realiter, possibilitate subiectiua; sed existentia est intra latitudinem possibilis ad existendum realiter, quia complet possibile subiectiuum ad existendum realiter in genere entis realis; verùm subsistentia, non est intrà latitudinem formalem essentiæ, quia non complet essentiam ad existendum realiter, quia natura completur ad existēdum realiter per existentiam. Explicatur, quia natura substantiæ, qua natura, est essentialiter ens incompletum in genere entis; hoc autem est complebile à suo actu; sed hic actus, est actus existēdi. Eadem maior probatur etiam à priori; existere, non dicit aliud nisi esse extrà causas, vel extrà potentialitatem ad existendum; hic autem conceptus, non dicit subsistere, ergo, &c.

Sed ista ratio pariter facilè soluitur à Capreolo, nisi aliquid aliud addatur; nam dicet Capreolus, quod subsistentia adhuc est intrà latitudinem formalem naturæ substantiæ creatæ, quia natura substantiæ creatæ in sua latitudine formali est ens per per se; at subsistentia, non aliud dicit nisi esse per se.

Quartò: eandem conclusionem probāt Scotistæ ratione Scoti, qui substinet personalitatem, siuè suppositalitatem, quæ in creatis est subsistentia absoluta, non esse rationem positiuam intrinsecè, sed negatiuam; nimirum esse negationem duplicis dependentiæ naturæ substantiæ creatæ actualis, & aptitudinalis ab alio supposito; & ratio est hæc, existentia substantialis formaliter est realitas positiua; sed subsistentia in creatis, non est ratio positiua intrinsecè; ergo subsistentia creata non est formaliter, & realiter idem, quod existentia substantialis. Minor probatur à Scoto *in 3. dist. 1. q. 1.* vbi distinguit triplicem dependentiam naturæ substantialis à supposito extrinseco, actualem, aptitudinalem, & potentialem; actualis est, quando natura actu dependet à supposito; aptitudinalis, quando natura inclinat naturaliter ad dependendum à supposito: potentialis, quando potest obedientialiter dependere: opinatur Scotus, subsistentiam, qua constituitur suppositum creatum, consistere formaliter in negatione duplicis dependentiæ à supposito extrinseco, nimirum actualis, & aptitudinalis; nullo autem modo potentialis; etenim nulli entitati creatæ positiuæ per Scotum repugnat obedientialiter dependere à supposito diuino. Defectu negationis dependentiæ actualis in natura humana Christi Domini, non est suppositum, vel persona creata; quia dependet actu tantummodò à supposito, siuè à persona Verbi Diuini; defectu verò dependentiæ aptitudinalis, anima separata à corpore, neque est persona, aut suppositum, quia licet actu non dependeat; inclinat tamen ad dependendum à supposito humano per vnionem ad Corpus. Radix huius Scoti doctrinę est; quia si suppositalitas naturę creatę, quę est formaliter subsistentia creata, esset ratio positiua superaddita naturæ substantię, esset assūptibilis à Verbo assumptione, & vnione personali; omnis enim ratio positiua, inquit Scotus, est essentialiter subiecta diuinę omnipotentię; sed subsistentia personalis, aut suppositalis creata, non est assumptibilis personaliter à Verbo; ergo, &c. Hęc ratio non militat de subsistentia in Deo; quia non est subiecta diuinę omnipotentię vt assumptibilis.

Hęc opinio cōmuniter reijcitur, pręterquam à Scotistis, licet Licchetus *in 1. dist. 28. q. 2. & in 3. dist. 1. q. 1.* doceat subsistentiam creatam consistere in positiuo, & quidem rationabiliter.

Primò; quia subsistentia creata est participatio subsistentię diuinę, quandoquidem subsistentia diuina est prima in ratione subsistendi, cum sit à se; Primum autem in vnoquoque genere, est causa cęterorum, quę sunt post in eodem genere; sed subsistentia diuina formaliter est positiua, vt ipsemet Scotus fatetur; ergo subsistentia creata est formalis participatio, licet inadęquatè, & diminutè subsistentię diuinę; ergo est positiua formaliter.

Secundò, negatio duplicis dependentię actualis, & aptitudinalis ab alio supposito, est ratio posterior; omnis autem ratio posterior supponit suam rationem priorem; sed hęc ratio prior non potest esse nisi subsistentia positiua; independentia enim fundatur in actu essendi per se; hic autem actus non potest esse alius, nisi subsistentia; sed actus est perfectio positiua; ergo, &c.

Aliqui impugnant hanc Scoti opinionem alijs rationibus. Prima est: subsistere est perfectio substantię, maior quàm sit existere, quia natura vt existens est in potentia ad subsistere; sed perfectio est ratio positiua; ergo subsistentia est ratio positiua maior, quam sit existentia substantialis. Secundò, subsistere est esse in se; sed hic est conceptus positiuus, ex quo tanquam ex causa oritur vt non sit in alio; ergo, &c.

Ter-

Tertiò, quia Verbum Diuinum perfectione positiua suppleuit in incarnatione personalitatem creatam; sed non potest saluari conceptus suppletiui per affirmationem, nisi subsistentia creata, quam suppleuit subsistentia Verbi Diuini, sit etiam positiua; ergo, &c.

Sed omnes istæ rationes, & aliæ consimiles, facilè soluuntur à Scotistis; dicunt enim eas esse manifestas petitiones principij; idque ex eo, quia sumunt ad probandum, quod est in quæstione.

Quod si eis opponas, subsistentiam esse membrum diuidens esse, quod contradistinguitur ab essentia; quia huiusmodi esse diuiditur in esse existentię, & in esse subsistentiæ; at esse est positiuum; quia est membrum diuidens ens creatum.

Respondent, negando assumptum; esse enim, quod contradiuiditur ab essentia, complet essentiam in genere entis; subsistētia verò sequitur esse existentiale per se, quod est esse perfectum, & ideò, inquiunt, subsistentia consistit in negatione duplicis dependentiæ; & hac ratione respondent etiam ad argumentum, quo aliqui Thomistæ probant, subsistentiam esse rationem positiuam, ex eo quia negatio duplicis dependentiæ est ratio posterior subsistentia; nam dicunt Scotistæ, quod hæc negatio duplicis dependentiæ fundatur in existentia substantiali; quia illa est perfectus actus essendi per se; non autem fundatur in subsistentia distincta realiter ab essentia substantiali.

Vera ratio fundamentalis conclusionis sumitur ex principijs S. Thomæ, quæ explicat, & sequitur Caietanus in *3.p.q.17. art.2.ad* 1. & est huiusmodi. Subsistentia in substantia creata est actus naturæ substantiæ in ratione vltimi subiecti; quoniam subsistentia creata, est actus constitutiuus suppositi formaliter in natura substantiæ; personæ verò in natura intellectuali, cum subsistentia creata sit intrinsecè incommunicabilis vlteriori inferiori, eo quod est limitata intrinsecè in sua ratione formali; sed hic conceptus quidditatiuus nullo pacto competit existentiæ substantiali: quia existentia substantialis supponit suum receptiuum completum in ratione subiecti, & in genere causæ materialis, nam est vltimus actus naturæ substantialis in genere entis per se; implicat autem essētiam completam in genere entis per se, esse subiectum vlterioris actus, hæc ratio fusius explicabitur in sequenti conclusione; estque sufficiens ad soluendas rationes in oppositum.

Ad primam rationem Capreoli respōdeo, negando subsistentiam adæquatè esse actum tantummodò essendi per se; hic enim est conceptus esse substantialis, prout cōtradistinguitur ab essentia substantiæ, qui diuiditur in actum essendi per se in ratione vltimi subiecti, quod scilicet supponitur omnibus prædicatis substantialibus, & accidentalibus, & in actum essendi per se, cōpletiuum entis in genere entis per se, quod non potest præstare subsistentia, quia subsistentia est constitutiua subiecti, siuè receptiui esse, vt fusiùs explicabitur sequenti conclusione.

Ad secundam rationem Capreoli, qua dicit, quod ens creatum adæquatè diuiditur in essentiam, & esse, &c. Respondeo, quod existentia substantialis subiectiua, sicut, & subsistentia sunt immediatè infrà esse substantiale, quod diuiditur contra essentiam substantiæ, quia esse huiusmodi substantiale formaliter præscindit ab esse per se, quod est actus essentiæ in ratione vltimi subiecti, qui est formaliter actus subsistendi, & ab esse, qui est actus per se essendi completiuus entis in genere entis per se, & hic est actus formaliter existentiæ substantialis.

Secunda conclusio subsistentia, posita opinione, quod essentia in creatis subiectiua est distincta realiter ab existentia pariter subiectiua, est prior in genere causæ materialis in natura substantiæ creatæ, quàm sit existentia substantialis; Conclusio in terminis est S. Thomæ *opusc. 32. de natura materię cap.* 8. vbi docet, quod primum, quod sequitur ad naturam, est suppositum; deindè ad suppositum consequitur esse, scilicèt existentia substantialis; his verbis. In substantijs compositis materialibus, in quibus essentia realiter differt a supposito, essentia non habet esse nisi per suppositum, cuius est esse simpliciter, & absolutè. Vndè essentia in ijs, non est vt habens esse, sed vt reductum ad esse per suppositum, cuius est habere esse absolutè, & simpliciter, ad quod terminatur actio producentis.

Hanc eandem sententiam paucis docet S. Thomas etiam *in 3.p.q.17.art.2. ad* 1. vbi ait, quod esse consequitur ad personam, sicut ad habentem esse; quibus verbis apertissimè S. Doctor docuit, subsistentiam esse actum priorem existentia substantiali in natura substantiæ creatæ. S. Thomam sequitur doctissimus Caietanus; conclusio tamen valdè controuersa est, etiam inter Thomistas.

Multi enim docti Thomistæ contendunt existentiam substantialem esse priorem

tem subsistentia in natura substantię creatæ, adhuc in genere causæ materialis; idq; probant.

Primò, quia existētia substantialis est vniuersalior, quàm subsistentia; multa enim existunt per se, quæ nō subsistunt; quicquid verò subsistit, existit per se; sed actus vniuersalior est prior in genere causæ materialis, quam sit actus minùs vniuersalis; v.g. prius in homine in genere causæ materialis est animal, quàm rationale, & sic de cæteris, & ratio à priori est: quia actus vniuersalior contrahitur ab actu minus vniuersali.

Quod si respondeas, maiorem esse veram de existentia, quæ diuiditur in existentiam substantialem, & in existentiam accidentalem; non autem de existentia contracta ad existentiam substantialem.

Statim impugnant responsionē eodē medio; quia existentia etiam substantialis est vniuersalior, quā subsistentia in substantia creata; quoniam existentia substantialis vt sic, est actus essendi per se per independentiam à subiecto inhęsionis; subsistentia verò est actus essēdi per se p independētiā à termino substantiali substētatiuo, siuè per independētiam ab inferiori subiecto receptiuo; at actus essendi per se per independētiam à subiecto inhæsionis est vniuersalior, quam sit actus essendi per se per independētiam ab vlteriori termino substentatiuo, aùt ab vlteriori subiecto substantiali. Hanc rationem latè explicat Suarez *tomo 2. suæ metaph. disp. 34. sect. 4. n. 28.* quod probatur, quoniam formę materiales substātiales per se existunt per independentiam à subiecto inhęsionis in materia, & tamen in materia substantiali non subsistunt, quia dependet à materia substantiali subiectiuè, & substētatiuè; ergo existere per se est vniuersalius quam subsistere, & confirmatur; quia subsistens in creatis, dicitur quod existit incōmunicabiliter vlteriori termino substentatiuo; at sine hoc conceptu potest saluari actus existendi per se, vt est actus existendi independenter à subiecto inhęsionis.

Secundò, probant opinionem paritate inhęrentiæ actualis accidentis in subiecto; in accidente enim prior est existentia, quā inhęrētia actualis ad subiectum; inhęrētia enim supponit accidens in actu; sed eadem est ratio de existentia, & subsistentia in substantia creata; quia substantia, & accidens, diuidunt ens creatum vt sic; diuisibile autem, seù diuisum, ex æquo, descendit in sua inferiora diuidentia; quia immediatè diuiditur ens creatum in substantiam, & accidens; sed in accidente prior est existētia quam inhęrentia actualis ad subiectum inhęsionis; ergo pariter, &c.

Quod si respondeas, inhęrentiā actualem accidētis ad suum subiectum, esse priorem, quam sit existentia in natura accidentis; quoniam existentia accidentis non est actus essentiæ accidentis, nisi vt dependentis à subiecto inhęsionis; sed hæc dependentia actualis accidentis à suo subiecto, est formaliter inhęrentia actualis; ergo prior est inhęrentia actualis in accidente, quàm existentia eiusdem.

Impugnant statim responsionē, quod dependentia actualis accidentis à suo subiecto est separabilis ab accidente salua vnione intrinseca existentiæ accidentalis cum essentia accidentis, vt fides docet in accidentibus, quæ conseruantur in augustissimo Sacramento Eucharistiæ; at si præcederet inhęrentia actualis in accidente vnionem existentiæ cum essentia in eodem accidente, non posset seruari accidens existens sine intrinseca variatione suæ existentiæ cum essentia in accidente.

Tertiò, creatio terminatur formaliter ad ens vt existens, independenter à subsistentia; at hoc sufficienter probat existētiam præcedere in natura substantiæ in genere causæ materialis subsistentiam; ergo, &c. Maior probatur; Verbum Diuinum personaliter sibi vniuit naturam humanam in priori naturæ creatam; non enim Verbum Diuinum sibi vniuit personaliter naturam humanam ante sui creationem, vel naturam vt creabilem, non vt creatam; sed natura humana vt creata inuoluit intrinsecè existentiam subiectiuam; ergo creatio terminatur ad naturam vt existentem independenter à subsistentia.

Alij Thomistæ, alia via probant existentiam substantialem præcedere in genere causę materialis subsistentiam in natura substantiæ creatæ, nimirum; quia post essentiam substantiæ immediatè sequitur ecceitas, siuè gradus indiuiduans, & determinans formaliter essentiam ad hanc determinatam; sed ecceitas formalis non est aliud nisi existentia subiectiua; ergo immediatè post essentiam substantiæ creatæ, sequitur existentia; post verò existentiam subsistentia. Minor principalis argumenti probatur; quia ecceitas, siuè indiuiduatio formalis complet naturam in ratione entis realis; quia non existit nisi, quod est determinatum; nam commune existere non potest; sed natura est determinata per realitatem completam; hæc verò non est nisi existentia.

Quod si primò respondeas, quod existentia subiectiua supponit in priori naturæ, naturam substantiæ iam ecceizatam; quia existentia est actus entis determinati; & probatur: quoniam existentia præcisè, non est capax essentiæ realis; essentia enim præcisè communis est; nihil verò, quod commune est vt sic, capax est existentiæ immediatè; vndè vt inducatur in natura capacitas ad existendum realiter, debet illi attribui ratio determinans; hęc nisi fiat quæstio de vocabulis, est eccheitas, siuè differentia formalis indiuiduans.

Statim reijciunt hanc responsionem eodem principio; nam existentia subiectiua est actus essentiæ determinatæ radicaliter, seù determinatione incompleta, quæ est determinatio essentialis; non autem determinatione completa; at hoc sufficiens est vt existentia sit ecceitas formalis, siuè formalis differentia indiuiduans; nam formalis indiuiduatio in creatis est determinatio formalis extrà essentiam, non intrà essentiam; solùm enim Dei essentia est essentialiter singularis; sed determinatio extrà essētiam, non est determinatio essentialis, quæ est ipsa realitas essentialis; sed est determinatio, siuè realitas existētialis. Nec est assignabilis alius gradus intermedius, inquiunt, quia omnis alius gradus, qui assignatur est impertinens; probatur, si enim ponatur ecceitas media inter essentiam, & existentiam, illa non alia ratione ponitur nisi ad determinandam naturam, siuè essentiam, quę indifferens est, vt sit communis, vel singularis; sed essentia non indiget hac determinatione; quia natura, siuè essentia intrinsecè realis est: ens autem reale est determinatum; quia ens reale vt sic, est potens realiter existere; at nihil existit nisi quod determinatum est; quia commune vt sic, vel natura indifferens, non potest existere realiter.

Neque primò vrgeas, inquiunt, quod existentia subiectiua non indiuiduat formaliter; quia per existentiam essentia fit formaliter extra causas tantummodò.

Statim enim respondēt, quod existentia subiectiua, de qua est sermo, non solùm est causa formalis terminatiua, vt essentia fiat extra suas causas virtute causę, illam comproducentis; fit enim essentia extra suas causas per hoc, quod producitur extrà suum nihilum; sed etiam est terminus complens essentiam in ratione entis realis; complere verò formaliter est determinare, & determinare complete, est indiuiduare.

Neque secundò vrgeas, quod ab existentia non est indiuiduatio formaliter; quia indiuiduatio est vltima differentia, qua vnum indiuiduum est diuersum ab alio; at in existendo indiuidua conueniunt.

Nam statim respondent, quod indiuidua conueniunt in existendo conuenientia analoga, non autem conuenientia vniuoca; conueniunt enim in ratione ecceitatis, seù indiuidui, quę est analoga, nec distrahit ecceitatem à ratione ecceitatis.

His non obstantibus, vera est conclusio, quæ in terminis est S. Thomæ, & Caietani, quod in creatis substantijs, in quibus distinguitur realiter essentia ab existentia, & subsistentia; subsistentia in genere causæ materialis, præcedit in natura substantiæ existentiā substantialē. Probatur conclusio.

Primò, quia subsistentia in substantia creatā, est actus constitutiuus suppositi in natura substantiæ vt sic; personæ verò in natura intellectuali: at ex hoc, subsistentia necessariò præcedit in genere causæ materialis existentiam substantialem; ergo in substātia creata, subsistentia in genere causæ materialis præcedit existentiam materialem; Maior probatur, quia subsistentia in substantia creata, cum sit intrinsecè limitata, est actus subsistendi incommunicabiliter vlteriori subiecto; sed per hoc sufficienter constituit formaliter suppositum in natura substantiali vt sic, & personam in natura intellectuali; quādoquidē primò suppositum dicitur, quod cæteris subijcitur; hoc autem formaliter est vltimum subiectum naturæ substantiæ. Secundò, quia suppositum non est nisi subsistens incommunicabile pluribus inferioribus subiectis ad differentiam singularis, & indiuidui, quod est incommunicabile pluribus inferioribus vt subiectis essentialibus, non pluribus inferioribus vt subsistentibus; & hinc est, quod subsistentia formaliter est actus essendi per se sub cęteris.

Minor principalis argumenti probatur; nam suppositum est, quod supponitur omnibus prædicatis, tam essentialibus, quā existentialibus; hac enim ratione dicitur suppositū, quia est vltimum positum sub cęteris; vt S. Thomas docet; sed ex hoc prædicato per se, suppositum præcedit existentiā substantialem in genere causæ materialis; quia per hoc, suppositum est subiectum, & receptiuum existentiæ substantialis; secùs suppositum non esset subiectum cæteris prædicatis, etiam substantialibus, ad differentiam indiuidui substantiæ, quod supponitur tantùm omnibus prædicatis essentialibus; sed subiectum præcedit in genere causæ

Digitized by Google

causæ materialis actum, quem in se recipit; ergo subsistentia, quæ est constitutiua suppositi, præcedit in genere causæ materialis, existentiam substantialem in substantia creata.

Secundò probatur conclusio; quoniam existentia substantialis creata in genere causæ formalis terminatiuæ, est vltimus actus naturæ substantiæ in genere entis per se; sed ex hoc prædicato, existentia substantialis per se supponit subsistentiam, vt actum priorem in genere causæ materialis; vltimus enim actus in genere entis per se, supponit omnem alium actum per se completiuum naturæ substantiæ, sed subsistentia est quidem actus essendi per se; ergo supponitur in genere causę materialis ab existentia substantiali; secùs non esset vltimus actus per se in genere entis substantialis.

Maior, in qua est difficultas probatur. Primò, quia existentia substantialis est actus subiecti cōpleti, seù determinati in ratione subiecti; hoc autem non solùm complectur omnibus differentijs vsque ad vltimam indiuidualem, sed etiam subsistentia; quia subiectum vltimatè completum in ratione subiecti est vltimum, quod scilicet subijcitur cæteris prædicatis essentialibus, & substantialibus. Secundò, quia existentia substantialis est prima in intentione agentis producentis substantiam; productio .n. & efficientia terminatur ad existens actu; sed primum in intentione, est vltimum in exequutione; ergo existentia est vltimus actus substantiæ in genere entis per se; ergo supponit essentiam, vt subsistentem in ratione vltimi subiecti, quod scilicet ponitur sub cæteris prædicatis.

His rationibus aliqui Thomistæ impugnant doctrinam Scoti, qui in natura substantiæ creatæ post essentiam immediatè ponit ecceitatem, siuè formalem indifferentiam indiuidualem sine qua essentia, siuè natura, non est capax existentiæ realis; nam essentia præscindens ab indiuiduatione formali, siuè ab ecceitate, habet rationē naturæ communis; nihil verò, quod commune est, qua tale, est immediatè capax existentiæ realis, sed solùm natura singularis est apta existere realiter; qua doctrina posita; sic arguunt. Vt natura substantiæ creatæ sit immediatè capax vt quod, existentiæ substantialis; satis est, vt sit singularis singularitate, nimirum, extrà essētiam, sed est singularis independenter à subsistentia; ergo subiectum immediatè capax vt quod, existentiæ realis, non est subsistens siuè suppositum; sed est natura substantiæ vt singularis, siuè concretum indiuiduale naturæ. Confirmatur hæc ratio, & explicatur simùl; ratio cur à Sancto Thoma, & Caietano, ponitur suppositum immediatū receptiuum esse substantialis, & non natura substantiæ, est; quia vt docet Boetius *in opusculo de Hebdomadibus*, esse existentiale non est receptibile in eo, quo ens est vt principio, sed in eo quod est, quod probat; quia id quo ens est vt principio, non potest habere præter se, in se extraneum: etenim id, quod dicit tantùm prædicata essentialia, quibus est ens essentiale; sed quod est, non implicat habere in se extraneum; quia id quod est, est habens esse; hoc autem est suppositum; quod habet in se extraneum suę naturæ. Dicunt prædicti Thomistę, quod ad hoc vt essentia sit receptiua esse, satis est, vt sit singularis singularitate extrà essentiam, nam ad recipiendum extraneum solū requiritur, vt natura sit id quod, non præcisè id quo; sed indiuiduum naturę substantiæ creatæ, est id quod, siuè est habens in se extraneum; hoc autem non prohibetur esse subiectum existentię distinctę; nam satis est solum vt sit habens extraneū.

Hęc impugnatio acuta, quidem est: attamen non euacuat rationem Caie., & S. Thomę, quod receptiuum immediatum existentiæ substantialis, sit suppositum in natura substantiæ, & persona in natura intellectuali; nam receptiuum esse, debet esse receptiuum substantiale, siuè subiectum substantiale, non autem receptiuum, siuè subiectum essentiale; quandoquidem debet esse quod subijcitur, non solùm prædicatis essentialibus, sed etiam esse existentiali, quia suppositum subijcitur omnibus, sed hoc est suppositum, quod est subsistens incommunicabile, non autem solùm concretum indiuiduale naturę; quia hoc subijcitur solùm prædicatis essentialibus, & non prędicato existentiali.

Obijcies primò; essentia, siuè natura substantiæ creatæ, est receptiua realiter suæ existentiæ; quia non est essentialiter sua existentia; nam ex eo quod non est sua existentia, est sufficienter in potentia ad existentiam; & confirmatur ab opposito, nam in Deo essentia non est receptiua suæ existētiæ; quia in Deo essentia est essentialiter sua existentia; sed in hoc nulla est dependentia à subsistentia; ergo essentia, siuè natura substantiæ creatæ, potest esse immediatum receptiuum existentiæ independenter à subsistentia, per hoc solùm, quod est essentia singularis singularitate extrà essentiam.



Digitized by Google

Respondent aliqui, quod essentia, siuè natura substantiæ creatæ, est in potentia obiectiua ad suam existentiam, & non in potentia subiectiua; hęc enim potentialitas subiectiua in ratione entis est impossibilis; præterquamquod, hæc potentialitas solùm obiectiua est sufficiens, vt existentia in creaturis, sit prędicatum extrà essentiam; at potentia obiectiua in essentia substantiæ creatę, immediatè est ad existentiam, mediatè verò est ad subsistentiam.

Sed hæc responsio non est ad rem; quandoquidem conclusio hæc verificatur, vt diximus, in natura substantiæ creatæ, supposito, quod ea distinguatur realiter à sua existentia; potentia verò obiectiua non distinguitur realiter à suo actu obiectiuo, nam ens possibile, & ens actuale in ratione obiecti significat idem prorsus ens in diuerso statu.

Respondeo, iuxtà principia S. Thomę, & Caietani, potentiam receptiuam existentiæ esse duplicis conditionis; aliam vt quo, scilicet, vt principium actus existendi; & aliam vt quod: essentia substantię creatæ est potentia receptiua vt quo existentiæ; quia essentialiter non est sua existentia; neque ob hanc rationem est potentia receptiua vt quod; ad hoc enim requiritur actus per se essendi sub cæteris extrà essentiam, qui non est alius nisi actus subsistendi, qui necessariò præcedit in genere causę materialis, siuè subiectiui, actum existentię per se.

Instabis: ratio, cur essentia non possit vt quod recipere in se subsistentiam substantialem in substantia creata, secundùm S. Thomam, & Caietanum, est quia existentia extranea non potest recipi nisi in eo quod est; sed si hæc ratio vera esset, neque essentia, siuè natura substantiæ esset receptiua subsistentiæ, quia adhuc subsistentia in substantia creata est extranea essentiæ substantiæ; hoc est, subsistentia distinguitur realiter etiam à natura substantiæ; sed hoc est falsum, secundum S. Thomam, & Caietanum, nam natura substantiæ creatæ immediatè in se recipit subsistentiam, per quam constituitur immediatum receptiuum existentiæ.

Respondeo primò, assignando disparitatem inter subsistentiam, & existentiam substãntialem: quoniam subsistentia in natura substantiæ creatæ, est ratio recipiendi in natura existentiam substantialem, quia est ratio formalis constitutiua suppositi, quod est receptiuum existentię: ad rationem autem formalem recipiendi, non requiritur in subiecto recipiente nisi vt essentia non sit sua subsistentia, quia ad rationem formalem recipiendi, non datur alia ratio formalis prior recipiendi, at verò existentia substantialis, est vltimus actus receptibilis realiter; hic autem prærequirit receptiuum sui completum, & hoc est suppositum.

Respondeo secundò, assignando aliam disparitatem ad recipiendam subsistentiam, & ad recipiendam existentiam substantialem; nam ratio ad recipiendam existentiam substantialem, est quia natura substantię creatę est in potentia ad existentiam, quatenus est principium formale, à quo fluit actus existẽdi per se; natura enim, siuè essentia substantię est id quo vt principio, est ens essentiale; eadem verò natura, siuè essentia substantię, est causa recipiendi subsistentiam, ante existentiam substantialem, quia est potentia subiectum quod existentię; nam natura substantię est in potentia suppositum; suppositum autem est vltimum subiectum.

Neque dicas, quod essentia, siuè natura substantię creatę adhuc est in potentia ens existens per se; nam responsio, & disparitas in promptu sunt; quoniam essentia, siuè natura substantię est immediatè potentia suppositum, siuè subiectum quod existentiæ; est verò in potentia existens per se solùm vt principium primum quo, & formale actus existendi, & est adhuc in potentia existens vt quod, sed medio supposito, quia suppositum est immediatum receptiuum existentiæ substantialis.

Instabis secundò, si subsistentia in substantia creata esset actus constitutiuus suppositi in natura substantiæ, quod est receptiuum immediatum existentię, subsistentia esset correceptiuum simùl cum natura substantię ipsius existentię substantialis; sed hoc est falsum; quia actus non recipitur in actu, & existentia est actus, constituens essẽtiam actu existentem, non subsistentiam; Sequela maioris probatur; quia essentia substantię creatę sola, non est adęquatum receptiuum existentię, sed simùl cum subsistentia constituit adęquatum receptiuum; ergo subsistentia adhuc est correceptiuum existentię.

Respondeo, quod subsistentia est actus constitutiuus suppositi, quod est immediatum receptiuũ, non quidem vt actus recipiendi recipiens inadęquatè existentiã, sed vt actus recipiendi nõ recipiens. Explicatur distinctio; datur ratio recipiendi non recipiens, vt v.g. est dispositio determinans materiam primam ad vnam formam substan-

stantialem, vt est siccitas in summo in materia ad recipiendam formam ignis, siccitas enim nō recipit in se formam ignis, sed solùm est ratio recipiendi in materia formam ignis; & datur etiam ratio recipiendi recipiens, quo pacto in materia, quantitas dimensiua est ratio recipiendi, recipiens qualitates materiales. Hæc distinctio traditur non solùm à Philosophis, sed etiam à Theologis, vt videre est apud Paludanum *in 4. dist.49.q.1. art.3.concl.2.* vbi aduertit, duplicem esse dispositionem susceptiuam; vnam, in qua primò recipitur forma, & ea mediante in alio priori subiecto, & huiusmodi est, inquit, quantitas dimensiua, qua mediante substantia materialis figuratur; aliam, quæ complet immediatum receptiuum, vt ratio recipiendi non recipiens, et sic est mollitudo in cera, vt cera figuretur, sic etiam est accidens in materia, vt ipsa possit recipere determinatam formam substantialem; & ratio est, quia recipere est perfici, quod est proprium perfectibilis; at dispositio non perficitur à forma substantiali; hoc modo etiam lumen glorię est dispositio ad recipiendam in intellectu beatorum visionem beatificam. In re nostra, subsistentia in natura substantiæ creatæ, non est actus constitutiuus suppositi, vt ratio recipiendi recipiens; sed vt actus recipiendi non recipiens, sicut est dispositio in materia ad recipiendam determinatam formam substantialem, & lumen glorię in intellectu creato beatorum ad recipiendam visionem beatificā; quę formaliter recipitur in potentia vitali intellectiua; sed præsupposito lumine gloriæ, solummodò vt ratione formali recipiendi: dicitur autem essentia, siuè natura substantiæ creatæ sola, receptiuum incompletum existentię substantialis, non quia existentia substantialis inadęquatè recipitur in natura substantiæ, & inadęquatè in subsistentia; sed quia deest naturæ substantiæ ratio formalis proxima recipiendi existentiam substantialem, sicut intellectus creatus in beatis solus non est incompletè receptiuus visionis beatificæ; quia visio beatifica recipiatur immediatè in lumine gloriæ; mediatè verò intellectu; sicut qualitas materialis immediatè recipitur in quantitate dimensiua, & media quantitate dimensiua in substantia materiali; sed quia solus intellectus creatus non habet rationem formalem recipiendi visionem beatificam, scilicèt determinantem intellectū.

Obijcies 2. subsistentia in substātia creata, est sicut inhærētia actualis in accidente; sed inhærentia actualis, supponit existentiam accidentis in genere causæ materialis; ergo pariter subsistentia supponit in natura substantiæ existentiam substantialem; Minor probatur, quia accidens sine vlla variatione intrinseca vnionis suæ essentiæ cum sua existentia, seruatur à Deo miraculosè sine vlla actuali inhærentia, vt fides Diuina docet contingere in mysterio augustissimo Santissimæ Eucharistiæ; at si dependeret vnio essentiæ cum existentia accidentis à subiecto inhęsionis in separatione esset mutatio intrinseca.

Respondeo primò, concedo maiorem, & nego minorem; essentia enim accidentis, non est receptiua suæ existentiæ, nisi dependenter à suo subiecto inhæsionis, quod est substantia creata, quia accidens essentialiter est entis ens; hæc autem dependentia essentię accidentis à subiecto inhęsionis, scilicet diuersi generis, est actualis inhęrentia.

Quod si dicas, non esse verum, quod cum separatur miraculosè accidens à suo subiecto inhęsionis, vt contingit in augustissimo Sacramento Altaris, nulla fit mutatio intrinseca in vnione essentię cum sua existentia in accidente; quoniam vnio essentię accidentis cum sua existentia dependeret à subiecto inhæsionis.

Respondeo, nego minorem, & ratio negationis est; quia accidens in Sacramento Altaris separatur à suo subiecto inhęsionis per tractum ad aliam nouam dependentiam, qua suppletur à Deo in genere causę efficientis, indigentia actualis accidentis, non verò sine tractu ad nouam dependentiam. Argumentum fortè vim haberet, si accidens separaretur à subiecto suo inhæsionis, sine tractu ad nouam dependentiam, & sic vnio essentię accidentis cum sua existentia sine vlla intrinseca variatione in suo esse, modò dependet à subiecto inhęsionis antequam separaretur, & modò in eodem instanti temporis dependet à prima causa, quę supplet suo concursu effectiuo, & conseruatiuo dependentiam, quam ammisit accidens, quę erat inhæsio actualis; sicut materia prima manens immutata in suo esse intrinseco, modò dependet ab existentia vnius formę; modò ab existentia alterius formę in generatione substantiali; quam doctrinam explicauimus alibi exemplo effectus, iuxtà opinionem multorum dicentium, ꝙ idem effectus potest dependere à pluribus causis successiuè, v.g. idē lumen in aere, quod pendebat à flammā, A, pendet à flammā, B, succedente; neque verò lumen corrumpitur ad corruptionem causę confer-

conseruantis; quia in eodem instanti, succedit noua causa cõseruans; ità in proposito, vnio essentię cum sua existentia in accidente, antequam separetur accidens à suo subiecto inhæsionis, pendebat à suo subiecto media inhæsione actuali; in instanti verò, quo separatur à subiecto, dependet à Deo conseruante concursu effectiuo, absque vlla intrinseca mutatione in suo esse intrinseco; quia hęc separatio, & transitus fit in eodem instanti temporis, per tractum ad nouam dependentiam à Deo in genere causæ efficientis.

Doctrina hæc Aduersarijs duriuscula videtur; quia dicũt, quod est inintelligibile, quomodo prius natura in genere causę materialis, essentia accidentis depẽdet à suo subiecto inhęsionis, quam vniatur suę existentiæ. Sed hæc durities aufertur distinctione duplicis depẽdentię accidentis; alia.n.est essentialis; & alia est existentialis; essentialis est dependentia accidentis à subiecto inhæsionis; quia accidens essentialiter est entis ens, scilicet entis diuersi generis: existentialis verò est à sua existentia formaliter, materialiter verò à subiecto in actu; ex his in vno, & eodem, prior est dependentia in genere causę materialis, quàm dependentia in genere causæ formalis; quoniam dependentia in genere causæ materialis se tenet ex parte potentiæ subiectiuæ; dependentia verò formalis ex parte actus; at in vno, & eodem, prior est potentia quam actus, vt docet Aristoteles in metaphysica.

Dicet fortè Aduersarius, quod si vera esset hæc doctrina, sequeretur etiam miraculosè essentiam substantiæ creatæ posse existere sine subsistentia connaturali, per concursum Dei supplentis in genere causæ efficientis concursum subsistentię connaturalis, sine tractu ad nouam subsistentiam; at hoc est impossibile; ergo, &c.

Respondeo quantum nunc satis est (de hoc enim est specialis quæstio) nego paritatem; & disparitas est, quoniam dependentia accidentis à subiecto inhęsionis, est à termino substẽtatiuo materiali extrinseco; subiectum.n.inhęsionis est diuersi generis, & hæc dependentia à termino extrinseco supplebilis est à Deo in genere causæ efficientis, vt fides Catholica docet in augustissimo Sacramento Eucharistiæ; verùm dependentia naturæ, siuè essentiæ substantiæ à subsistentia est dependentia vt à causa intrinseca constitutiua suppositi; quod est receptiuum immediatum existentiæ substantialis; essentia enim substantiæ creatæ, non est intrinsecè, & formaliter subiectum vltimum, nisi vt actuata à subsistentia; quia subsistentia est actus essendi per se sub cęteris; at dependentia à causa intrinseca, & constitutiua, non est supplebilis a Deo in genere causæ efficientis, quia causa efficiens est causa extrinseca; per extrinsecum autem implicat suppleri effectum intrinsecum; dicitur verò subsistentia constitutiua receptiui immediatè existentiæ substantialis, quia nõ est correceptiua existentię; sed quia est actus vt essentia substantię sit receptiua suæ existentię; sicut enim existentia substantialis est primus actus, vt essentia substãtię sit actualis actualitate essentiali; ita subsistentia, est primus actus vt essentia substantię sit actu subiectum receptiuum, & vltimum omnium prædicatorum; perfectiones enim in creaturis sunt diuisę; & sic esse per se diuisibile est in esse per se, quod est actus essendi per se sub cæteris; & in esse per se, quod est vltimus actus in genere entis per se.

Neque dicas, quod adhoc, vt essentia substantię creatæ sit receptiua immediatè existentiæ susistantialis, satis est, vt sit singularis, nimirum concretum indiuiduale naturę, quia per hoc sufficienter est habens; habens enim singularitatem non prohibetur, quin sit receptiuum extranei.

Nam responsio in promptu est. Primò, quia receptiuũ existentię debet esse suppositum, cum existentia sit vltimus actus in genere entis per se; suppositum verò est per subsistentiam incommunicabilem, & non per singularitatem; quia suppositum est quod subijcitur cęteris; singulare autem, & indiuiduum naturæ precisè, non est huiusmodi. Secundò, quia essentia non potest esse receptiua existentiæ, nisi sit actu in ratione subiecti vltimi; at causa formalis terminatiua prima essendi actu subiectum vltimum, quod est subiectum etiam existentiæ substantialis est subsistentia, vt sæpè repetiuimus cũ acutissimo Caietano.

Obijcies tertiò, existentia est vniuersalior, quam subsistentia in substantia creata: sed prædicatum superius est prius in genere causæ materialis, quàm prędicatum minus vniuersale; quo enim prædicatum est vniuersalius, eo est imperfectius, siuè magis potentiale; potentia verò est causa materialis; ergo existentia in substantia creata est prior subsistentia in genere causæ materialis. Maior probatur; plura enim existunt per se, quam subsistunt, nam formæ substantiales in materia existunt per se, & tamen non subsistunt, vt suprà probatum est.

Quod si respondeas, existentiam, quæ est

est vniuersalior subsistentia, esse existentiam abstrahentem ab existentia substantię, & ab existentia accidentis, non autem, esse existentiam substantialem; quia hæc est propria solius substantiæ, & hæc posterior subsistentia in genere causę materialis in substantia creata.

Statim insurgunt Aduersarij, quod adhuc existentia substantialis est vniuersalior subsistentia, quoniam multa existunt per se, quæ non subsistunt, vt probatum est in principali obiectione; etenim existentia per se, siuè substantialis, est actus per se essendi per independentiam à subiecto inhæsionis; subsistere verò est actus essēdi per se per independentiam ab vlteriori subiecto, quia subsistentia est constitutiua suppositi in natura substantiali; suppositum autem est, quod subijcitur omnibus prædicatis essentialibus, substantialibus, & accidentalibus; vniuersalius autem est, esse independens à subiecto inhæsionis, quàm esse vltimum subiectum, siuè suppositum.

Respondeo, optimam esse primam responsionem, nimirum, existentiam, quæ est vniuersalior subsistentia, esse existētiam, abstrahentem ab existentia substantiali, & ab existentia accidentali, non autem esse existentiam substantialem; quibuscunque enim conuenit existentia substantialis, conuenit etiam subsistentia, licet alio, & alio modo, vt docet Sanctus Thomas *3.p. q.17. art.2.* quod scilicet, existentia per se conuenit naturæ, vt quo, & supposito vt quod.

Ad instantiam, qua Aduersarij impugnant hanc responsionem. Respondeo, nego, existentiam substantialem intrinsecè esse vniuersaliorem subsistentia; nimirum, quia pluribus conuenit existere per se, quam subsistere; solùm enim hæc instantia probat, quod existentia substantialis, alio modo competit formis, & naturæ substantiæ creatæ, & alio modo competit eidem subsistentiæ. Verùm adhoc, vt existentia substantialis sit vniuersalior subsistentia, requiritur, vt pluribus, conueniat existentia substantialis, quàm subsistentia.

Obijcies quartò: in Deo prior virtualiter est existentia substantialis, quam subsistentia, etiam absolutè; nam ratio virtualiter, cur Dei essentia est sua existentia est, quia Dei essentia est essentialiter sua existentia; sed hæc prioritas reperiri debet, etiam in existentia substantiæ creatæ; quia existentia, & subsistentia creatæ substantiæ, sunt formales participationes, licèt diminutè, existentiæ, & subsistentiæ Dei.

Neque dicas, quod conclusio posita intelligitur à S. Thoma, de existentia substantiali, & subsistentia in substantia, in qua essentia distinguitur realiter à sua existentia: in Deo autem essentia est essentialiter sua existentia.

Nam statim dicent Aduersarij, quod hoc non potest esse; quia existentia, & subsistentia sunt participationes formales, licet diminutè existentiæ, & subsistentiæ Dei; sed existentia in Deo virtualiter pręcedit subsistentiam, vt probatum est; ergo in creatis substantijs adhuc existentia debet præcedere subsistentiam, quod confirmatur, nam subsistere ex suo formali, idem significat, quod iterum existere, scilicet, perfectè, existere, siuè completè; quod habetur formaliter per subsistentiam.

Respondeo, quod subsistentia substantiæ creatæ non est prior in genere causæ materialis, quàm sit existentia substantialis, quatenus subsistentia formaliter; nam sic vtique adhuc in Deo subsistentia esset huius conditionis; prædicata enim quæ essentialiter conueniunt termino superiori secundùm se, conueniunt eidem in quocunque reperitur; sed hoc prædicatum conuenit subsistentiæ creatæ, quatenus est constitutiua formaliter suppositi, quod est proprium prædicatum subsistentiæ creatæ, quia cum hæc sit limitata intrinsecè est incommunicabilis pluribus subiectis; verùm subsistentia absoluta in Deo, cùm sit illimitata formaliter, non est incommunicabilis. Argumentum vim haberet, si constituere suppositum, conueniret subsistentiæ creatæ, quatenus subsistentia formaliter. Ratio verò, cur proprium sit existentiæ in Deo præcedere virtualiter subsistentiam, conuenit existentiæ Dei, quatenus est diuina formaliter, seù quatenus est illimitata formaliter, non autem quatenus est actus suppositi; existentia autem vt illimitata formaliter, non potest habere posterioritatem in genere causæ materialis, quia in Deo, quicquid est, est actus purus, & consequenter formale; sed de hoc fusè disputabitur quæstione sequenti.

Obijcies quintò: creatio terminatur formaliter ad existens; at hoc posito, existentia debet præcedere subsistentiam in substantia creata, in genere causæ materialis; ergo &c. Minor probatur; nam creatio humanitatis Christi Domini, terminatur ad humanitatē, vt existentem, non vt subsistentem; quia de fide est, humanitatem Christi Domini subsistere subsistentia personali Verbi Diuini; non autem est de fide, humanitatem Christi Domini, existere existentia

Ver-

Verbi; imò implicat, humanitatem Christi Domini existere existentia Verbi Diuini; quia natura humana Christi Domini priùs natura est creata intrinsecè, quàm vnita personaliter Verbo Diuino; sed non potest esse pro priori naturę creata nisi pro eodem priori, sit existens per se; quia non potest esse terminus creationis, nisi sit intrinsecè existens virtute creationis.

Respondeo, hoc argumentum non esse nouum Thomistis; hoc enim fundamento Scotus vtitur ad probandum, naturam humanam Christi Domini existere existentia sua propria, & consequenter prius natura esse eam in se existentem per se, quàm vnitã Verbo personaliter, scilicèt, quam subsistere subsistentia personali Verbi Diuini; inquit enim Scotus, Christus Dominus generatur in vtero Virginis virtute Spiritus Sancti, generatione reali, non phantastica, & Beatissima Virgo, vt vera, & realis mater, fuit principium huius realis generationis; sed generatio realis terminatur ad naturam singularem vt existentem; implicat enim dari creatio, quę non terminetur formaliter ad existentiam sui effectus; ergo in priori naturæ, intelligitur natura Christi Domini existens virtute generationis temporalis, quàm subsistens subsistentia personali Verbi Diuini. Explicatur vis argumenti; esse Verbi Diuini, est esse increatum; implicat autem esse increatum generari generatione creata; ergo mater Christi Domini, suo concursu materno non generauit naturam humanam Christi in suo vtero Virginali virtute Spiritus Sancti, si esse, quo existit humanitas Christi Domini, foret esse Verbi Diuini. Ad hoc argumentum reducitur aliud, quod idem Scotus proponit. Christus Dominus habet duplicem vitam; non vnam; sed viuere secundùm Aristotilem est esse; ergo in Christo Domino fuit duplex esse, sicut est duplex vita; vita Diuina, & vita humana.

Hoc argumentũ in terminis sibi obijcit S. Thom. in quodlibetis, *quodlib. 9. art. 3.* illudquè profundè satis, soluit his verbis; ad tertium dicẽdum, quod generatio temporalis terminatur, non ad esse suppositi ęterni, vt simpliciter per eam esse incipiat; sed quod incipiat esse suppositum habens illud esse suppositi naturæ humanæ; & sensus verborum S. Thomæ iste est, quod generatio temporalis, qua mater Christi Domini illum generauit, communicauit humanitati esse suppositi Diuini, non quidem simpliciter, vt est formaliter actus existendi; sed cõmunicauit naturæ humanæ illud esse suppositi Diuini in suo effectu formali, quatenus scilicet suppositum Verbi Diuini sit habens in se formaliter naturam humanam, siuè subsistens in natura humana.

Quod si dicas: omnis generatio tendit ad esse, seù ad existentiam formaliter: sed ad hoc requiritur, vt existentia ipsa producatur; quia existentia formaliter est actus existendi.

Respondeo, distinguo maiorem: omnis generatio, siuè productio, tendit ad esse formaliter, quãdo nõ pręexistit in ratione formæ existendi, & concedo: quando autem præexistit, tunc generatio tendit ad existẽtiam in suo effectu formali, quod est existens. In re nostra, existentia Diuini Verbi, vt est actus existendi pręexistit generationi Christi Domini, & ideò per generationem non producitur esse Verbi Diuini vt est actus primus; sed solùm producitur in suo actu secundò, scilicet, in suo effectu formali, quatenus est existens in natura humana Christi: & ratio huius est; quia productio, siuè generatio, est termini vt non præexistentis; at esse Verbi Diuini in suo effectu formali non præexistit generationi Christi Domini, sed solùm præexistit, vt est actus primus existendi precisè, vt suprà exemplificauimus de actione, qua albificatur lignũ vel paries, & de actione Sacramentali, qua producitur Corpus Christi Domini sub speciebus Hostiæ ritè consecratis.

In hac responsione, quæ est profunda doctrina S. Thomæ, debet supponi effectum formalem primarium esse distinctum à forma; nihil enim potest causare seipsum, vel supponi debet, participationem formę esse aliquid de nouo supra formam vt sic, & ex hoc principio, vt notat Capreolus, ad rem nostram patet in forma responsio ad argumentum Scoti dicentis, quod esse personale Verbi Diuini, non potest esse terminus generationis temporalis; nam hæc propositio vera est, intellecta de esse Verbi Diuini, prout est actus primus existendi formaliter; falsa verò si intelligatur de esse Verbi Diuini in suo effectu formali, quatenus scilicet est actu communicatum naturæ humanæ Christi Domini, quod exẽplificat in resurrectione Lazari. Eandem solutionem sequitur etiam Bernardinus de Gandauo *in impugnationibus Gottofredi quodlib. 4. q. 1.*

Impugnant cõmuniter recentiores Scoti argumentum, quasi sibi non constantis; nam inquiunt, ad hominem, etiam in generatione humana mater quæcumque, nec attingit existentiam animæ quæ creatur, neque existentiam materiæ quæ incorruptibilis

bilis est; & tamen quælibet mater in generatione humana verè mater est; non ergo valet argumentum, quod Beata Virgo non esset vera, & realis mater, nisi sua actiuitate attingeret, siuè produceret esse de nouo.

Sed facilè quilibet Scotista, potest pro suo Magistro respondere, & Thomista pro S.Thoma, quod Scotus loquitur de existentia termini in suo effectu formali cum dicit, quod Beatissima Virgo non fuisset vera, & realis mater Christi Domini, nisi attigisset esse Verbi Diuini; Scotus enim suis primis principijs distinguit realiter cum Aristotile, quem etiam sequitur S.Thomas, effectum intrinsecum distingui à sua causa; vniuersaliter enim Scotus, & S.Thomas distinguunt totum formale à collectiuo suarum partium. Sed de hac difficultate fusè disputabitur suo loco.

Dicet Aduersarius, quod hæc doctrina vera est, supposito, quod humanitas in Christo Domino, existit etiam existentia Verbi Diuini; sed hoc falsum est absolutè, & simpliciter; idquè probatur; quoniam Verbum Diuinum sibi personaliter vniuit naturam humanam in priori naturæ creatam, non naturam humanam creabilem; sed in nullo priori potest esse natura humana creata, nisi pro eodem priori, siuè signo naturæ, sit existens vi suæ creationis; quia creatio est ad existentiam formaliter; ergo Verbum Diuinum sibi vniuit naturam humanam, vt præexistentem in priori naturę.

Confirmatur difficultas: creatio, siuè generatio naturę humanæ Christi, & vnio, vel assumptio illius ad Verbū Diuinū, sunt, actiones realiter distinctæ, quarum prima, scilicèt generatio, siuè creatio naturæ humanæ, ordine naturæ præsupponitur ad assumptionem personalem, sicut creatio animæ rationalis præsupponitur ad eius vnionem cum corpore; sed per creationem, siuè generationem, natura humana Christi Domini accipit esse existentiæ, cum creatio sit mutatio de non esse ad esse; ergo humanitas Christi Domini, prius natura, quam vniatur personæ Verbi Diuini, præintelligitur existens sua cōnaturali, & creata existentia.

Respondet ad hoc argumentum Aluarez *in 3.p.S.T.q.2.art.8.disp.14.n.14.notan.3* quod creatio, siuè productio humanitatis Christi Domini in priori naturæ præsupposita fuit, vt in fieri, & in via, ante assumptionem, seù vnionem eius cum Verbo personaliter: Verùm in facto esse, & vt in termino, assumptio, siuè vnio personalis ordine naturæ præcessit creationem humanitatis Christi. Sensus prædicti Theologi est, quod prius natura intelligitur humanitas Christi Domini creati, quam assumi, aut vniri personaliter Verbo Diuino; non tamen intelligitur prius creata, qua m assumpta; sed è conuersò, prius intelligitur assumpta, quam creata. Hanc doctrinam testatur esse Leonis Magni *ep. 11. ad Iulium Episcop. contrà Eutychetem*, vbi ait: *Natura quippè nostra assumpta est, non vt prius creata assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur*. Quibus verbis non obscurè docet, inquit, quod creatio, siuè productio humanitatis Christi Domini considerata vt in termino, vel vt in facto esse, præsupponitur assumptioni, siuè eius vnioni ad Verbum Diuinum; ità vt esse extra suas causas, non habeat, nisi dependenter ab assumptione in facto esse, siuè in termino illius. Declaratur hæc doctrina ab Aduersario, qui dicit, quod per creationem, siuè generationem natura humana Christi Domini, accepit tantùm in actu primo, & in radice esse existentiæ creatæ; quia accepit animam rationalem, quæ est principium primum, & adæquatum existendi in natura humana, sed non exiuit in actualem existentiam; quia præuenta fuit à Verbo Diuino sua existentia personali.

Hæc responsio docta quidem est, sed non satisfacit plenè difficultati, nisi ei aliquid addatur; semper enim dicere potest Aduersarius, quod non potest dari creatio formaliter, etiam in fieri sine suo termino formali; hic autem est existentia, siuè esse existentiale, saltem in suo effectu formali, sed per allatam responsionem, creationi, siuè generationi in fieri humanitatis Christi Domini, non assignatur terminus formalis; qui est existentia in fieri virtute creationis, seù generationis; ergo semper remanet difficultas soluenda, quod Verbum Diuinum non assumpsit, aut vniuit sibi personaliter naturam in priori naturæ vt creatam; quia non assignatur naturæ humanæ existentia in fieri, quatenus præsupponitur assumptioni, & vnioni hypostaticæ. Soluenda est, quantum video, hęc difficultas doctrina Leonis Magni *loco sup. cit.*; quod natura humana assumpta est à Verbo Diuino, non vt prius creata assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur; & sensus verborum Leonis Magni est hic; quod Verbum Diuinum assumpsit naturam humanam illam creando, non autem supponendo illam in priori naturæ iam creatam; & ratio est, quia non potest esse natura humana creata adhuc in fieri, nisi inuoluat existentiam saltem

tem in suo effectu formali in fieri; implicat enim creatio sine suo termino, sicut implicat visio sine visibili formaliter, vel intellectio sine intelligibili formali.

Quod si obijcias vt suprà; creatio, siuè generatio humanitatis Christi Domini, & vnio, vel assumptio illius ad Verbum, sunt actiones realiter distinctæ, & ex his creatio ordine naturæ præsupponitur ad assumptionem, sicut creatio animæ, præsupponitur ad eius vnionem cum corpore.

Respondeo hanc instantiam, plenè solui eadem doctrina Leonis Magni *loc. sup. cit.* quod *Natura quippè nostra assumpta est a Verbo Diuino, non vt prius creata assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur.* Quibus verbis non obscurè docet, quod assumptio, qua Verbum assumpsit humanam naturam est assumptio creatiua naturæ humanæ, non quidem per se, sed cum existētia ipsius Verbi assumentis in actu secundo, siuè in suo effectu formali primario; ad eum modum, v.g. quo causa prima, non creat, nisi quod possibile est, non quidem illud supponendo, sed illud producendo; & hoc ad differentiam causæ secundæ, quæ producit suum possibile, sed illud supponendo, non solùm in potentia materiæ primæ, sed etiam in genere causæ finalis, & in genere causæ formalis terminatiuæ, & radix diuersitatis est; quoniam, causa secunda causat suum effectum; & ab eo vicissim causatur, non in eodem, sed in diuerso genere causæ. Cæterum, causa prima causat quidem omnia extrà se, sed in nullo genere causæ diuerso causatur à suis effectibus; quia est prima simpliciter in omni latitudine causæ primę præscindentis ab imperfectione; ac proindè actio assumptiua, qua Verbum Diuinum assumpsit sibi personaliter naturam humanam, non assumpsit illam, vt prius creatam, sed vt ipsa assumptione crearetur, nimirum assumpsit naturam humanam illam creando simul, vel producendo vt causa prima, cum existentia ipsius Verbi assumentis in actu secundo, siuè in suo effectu formali primario. Notanter dico, vt causa prima, quia ad hanc productionem naturæ humanæ, vt causa secunda habuit suum concursum, etiam Beatissima Virgo Maria, quæ est vera, & realis Mater Christi Domini. Vndè cum dicitur ab opponente; Primò, quod actio assumptiua pręsupponit in priori naturæ humanam naturam creatam, & existentem; negatur assumptum. Quod si Aduersarius vrgeat; ergo Verbum Diuinum assumpsit naturam, quæ non est; Distinguo, assumpsit naturam quæ non est, aut fuit immediatè ante assumptionem & concedo; quæ non est in ipsa assumptione, nimirum in eodem instanti in quo assumitur a Verbo; & nego. Cum denique dicitur ab opponente, quod productio, & assumptio humanitatis Christi Domini, sunt actiones distinctæ, & vna est prior alia ordine naturæ. Respondeo primò, nego maiorem, quia vt dixi, assumptio, qua Verbum Diuinum sibi personaliter assumpsit, & vniuit naturam humanam, est assumptio productiua humanitatis, & creatiua animæ rationalis; quia est operatio primæ causæ, quæ natura sua productiua est, quando non supponitur extrà eius terminus, sicut omnes Theologi dicunt de conseruatione, qua Deus omnia in esse conseruat; etenim si non esset terminus productus, natura sua illum produceret. Respondeo secundò distinguēdo maiorem; sunt actiones materialiter distinctæ & concedo; formaliter, nego; specificantur enim à termino formali, à quo specificatur prima causa.

Quod si dicas, hanc doctrinam esse veram de assumptione, & vnione actiua; quæ est operatio, siuè actio causæ primæ agentis, non autem de assumptione, & vnione passiua, quæ reducitur ad actionem actam; vt enim suo loco dicetur; datur duplex actio, alia agens, & hæc est in causa agente, & est abstractum ab agere, siuè à causa agente; & datur actio acta, quæ est abstracta ab acto, scilicet à producto, & hæc est in causato, siuè producto, & ratio instantiæ esse potest; quia actio acta, scilicet, assumptio, & vnio passiua, quæ appellatur etiam à Theologis assumptio, & vnio formalis, est intrà rationem entis secundi, quod in diuerso genere causæ potest esse causa, & effectus; quia in diuerso genere causæ est in potentia, & in actu, siuè sufficiens, & insufficiens.

Respondeo, quod huiusmodi actio acta primæ causæ, est dependentia tantummodò effectus à prima causa; hęc autem nullo pacto potest dependere à causa creata etiam in diuerso genere causæ, sicut v.g. pręuius concursus virtuosus, quo Deus pręmouet, & complet causam secundam ad causandum suos effectus, & suas operationes, non indiget præmoueri alia pręmotione; quia est formaliter, & ex suo genere pręmotio à prima causa. Hæc doctrina recipi debet ab omnibus, de actione causę secundæ vt actio formaliter; omnes enim dicimus, quod ad actionem non datur alia actio, quia ratio formalis est prima; primum autem est causa cęterorum in eodem

ge-

genere, vel vt alij dicunt, non datur actio ad actionem formaliter; quia actio, vt actio formaliter, siuè actiua, siuè passiua est id quo; id quo verò nõ est receptiuũ extranei.

Quod si iterum vrgeas: actio causę secundę adhuc est actio formaliter, & tamen concursus pręuius virtuosus primę causę, necessarius est in causa secunda, non solùm ad producendos effectus; sed etiam ad producendas operationes, & causalitates earundem causarum secundarum.

Respondeo, hoc competere actionibus causarum secundarum, non quatenus actiones formaliter; sed quatenus sunt operationes, & participationes formales causarum secundarum, quæ sunt essentialiter potentiales, & imperfectæ etiam in suis generibus; & ideò inuoluunt quo, & quod; at concursus pręuius primę causę, est concursus primi, qui à nullo alio potest esse, nisi à primo; Cęterum, actio causę secundæ, non est pura actio formalis, & pura ratio qua, sed est permixta rationi quę, quia est participatio causę, secundę, quę est permixta rationi quę seù rationi materiali, vt probabitur in quęstione de concursu primæ causę in causis secundis.

Obijcies vltimò: si subsistẽtia in substãtia creata esset cõstitutiua immediatè subiecti existentię, non posset natura humana subsistere subsistentia Verbi Diuini, quod est contra fidem Catholicam; quia subsistentia vt constitutiua susceptiui, seù receptiui immediatè existentię inuoluit intrinsecè imperfectionem.

Respondeo, de hoc dicendum est fusè suo loco; pro nũc nego sequelam; ratio negationis est, quia subsistentia constituit receptiuum existentię, vt ratio recipiendi nõ recipiens; imperfectio autem fundatur in ratione receptiui, quia receptiuum est perfectibile.

---

## ARTICVLVS SEXTVS.

### Vtrum ens essentiale in creatura completa in genere entis, sit diuisibile intrinsecè in puram potentiam, & in actum formalem.

PRoponitur hic articulus examinandus, vt primis principiis metaphysicis aperiatur via ad resoluendum alium articulum celebrem inter Thomistas, & Scotistas, cęterosque Metaphysicos, & Philosophos.

### An materia prima seorsum ab omni forma, sit pura potentia in genere entis.

QVi quidem articulus mouetur in quęstionem occasione doctrinę Aristotelis *lib.* 1. *physic.* vbi dicit, quod materia prima, nec est quid idest substantia, quod est primum genus prædicamentale, nec aliquid cæterorum prædicamentorum, sed est potentia hæc omnia; vndè Thomistæ sumpserunt motiuum asserendi, materiam primam, esse puram potentiam in genere entis, & nullius speciei.

Quod dupliciter intelligi potest, vel de specie, quę collocatur in recta linea prędicamentali sub suo genere generalissimo, siuè ea species sit subalterna, vt corpus, & spiritus, siuè athoma, vt homo, bos, &c. vel de specie, secundùm communissimam sui significationem, quam comprehenditur non solùm species, quæ est ab actu formali seù quidditatiuo, & dicitur species in ratione totius, sed etiam species, quę est per ordinem transcendentalem ad actum formalem, vt est, v.g. materia horum inferiorum quæ à S. Thoma dicitur diuersę speciei à materia Cęli; & à Recẽtioribus dicitur species in ratione partis, quia scilicet est vnum membrum diuidens ens essentiale in ratione subiecti, quod est ens abstrahẽs à potentia, & actu in ratione subiecti. Complures Metaphysici, & Physici, opinantur materiam primam esse nullius speciei, loquendo tam de specie, quæ collocatur in recta linea prædicamentali sub suo genere generalissimo, quàm de specie entis essentialis abstrahentis ab actu, & potentia essentialibus; sed decipiuntur, quia vt infrà dicetur esse essentiale in ratione subiecti, diuiditur intrinsecè in potentiam, & actum in ratione subiecti; sed intelligi debet propositio de specie, quæ collocatur in recta linea prędicamentali, quæ est propriè, & rigorosè species: & cum quæritur an materia prima sit pura potentia in genere entis, intelligendus est articulus de pura potentia excludente, à se, non solùm actum formalem, sed etiam omnem actũ existẽtialem subiectiuũ: datur enim duplex actus in genere entis, siuè subiectiuus; alius formalis, siuè quidditatiuus & alius existẽtialis; formalis, siue quidditatiuus est actus à quo est species, quæ collo-

εatur in recta linea prædicamentali; actus verò existentialis est actus, quo natura specifica, siuè essentia, quæ est actu potens esse, fit actu existens; actus formalis, siuè quidditatiuus est principium formale actus existendi, siuè existentialis, sicut calor in igne, est principium formale actus calefaciendi, & dicitur actus primus in genere entis, sit calor vt actus primus calefaciendi; actus verò existētialis est actus secundus essendi ens se habēt enim inter se actus formalis, & actus existentialis, sicut in Sole lux, & lucere, & in viuente vita, & viuere: actus formalis verò adhuc duplex est, alius est completus in specie, vt essentia vniuscuiusque Angeli, quę est forma simplex in specie completa, & alia est incompleta in specie vt est forma substantialis informatiua materiæ, vt anima rationalis, & huiusmodi, & hic actus, alius est Physicus, & alius est Metaphysicus; Physicus est forma substantialis informans materiam primam; & constituens illam in aliqua determinata specie in recta linea prædicamenti substantiæ; Metaphysicus verò est differentia essentialis, quæ est gradus formæ diuidens genus prædicamentale, & constituens speciem sub illo genere, vt corporeitas, & incorporeitas, siuè spiritualitas.

Cùm in hoc articulo inquiritur, an materia prima sit pura potentia in genere entis; sermo est de pura potentia ad omnem actum formalem inadęquatum, & ad omnem actum existentię, qui consequitur formam incompletam, quæ est informatiua materiæ. Notanter autem addidimus, an materia sit pura potentia ad omnem actum formalem, & existentialem in ratione subiecti, quoniam alius est actus obiectiuus, & alius est actus subiectiuus entis. Controuersia est de actu subiectiuo, tam essentiali, quam existentiali; Examinatur verò hic secundus articulus sub primo vniuersaliori, vt possit resolui à prima radice, an materia prima sit pura potentia in genere entis.

Prima conclusio. Ens essentiale subiectiuum in composito, seù in toto physico ex materia, & forma physica, diuiditur intrinsecè in puram potentiam in genere entis, & in actum formalem siuè quidditatiuum. Explicatur conclusio, ens creatum formaliter, quod scilicet sua ratione formali est extrà nihilum actu, vt suprà suis quęstionibus ostendimus, non solùm diuiditur in actum, & potentiam in ratione obiecti; sed etiam in potentiam, & actum in ratione subiecti, quæ diuisiones in re sunt illę ipsæ diuisiones, quibus diuiditur ens creatum in essentiam, & esse, in ratione obiecti potentiæ creatiuæ, siuè effectiuæ; & in essentiam, & esse in ratione subiecti, siuè quod idem est, in ens essentiale: & in ens existentiale in ratione obiecti, & in ens essentiale, & in ens existentiale in ratione subiecti. Hic loquimur de ente essentiali subiectiuo, non autem de ente essentiali obiectiuo. Conclusio in hoc sensu recipitur ab omnibus, qui substinent essentiam subiectiuam in quolibet genere entis creati completi, distingui realiter à sua existentia pariter subiectiua. Fundamentum conclusionis est, quia ens essentiale subiectiuum, quod scilicet reperitur in toto physico, ex materia, & forma substantiali, præscindit à potentia formali nimirum à potentia ad actum formalem, & ab ipso actu formali, siuè quidditatiuo, aut essentiali; Sed dato genere præscindente formaliter, datur diuisibilitas, & contrahibilitas per oppositas differentias diuidentium; ergo ens essentiale in toto completo physico, diuisibile est intrinsecè in potentiā formalem, & in actum formalem. Minor est certa; Maior probatur; quia ens essentiale vt sic in sua definitione essentiali secundùm se, non includit prædicata essentialia propria potentiæ formalis: & actus formalis, siuè quidditatiui: sed hęc non inclusio est adæquata causa vt ens essentiale sit abstrahibile; & præcisibile vera præcisione à suis inferioribus formaliter, vt decimus supra cum S. Thoma: Maior huius vltimi argumenti probatur, quoniam ens essentiale in ratione subiecti, est potentia subiectiua existentiæ, nimirum essentia quæ essentialiter non est sua existentia subiectiua, quia his prædicatis sufficienter, & adæquatè est ens essentiale subiectiuum; sed in hac definitione nō includuntur prędicata essentialia propria potentiæ formalis, & actus formalis, sed solùm potentia subiectiua ad esse; ergo, &c.

Aduersarij communiter non possunt aliam respōsionem afferre huic fundamento, nisi quod definitio, est explicatio essentiæ definiti, proùt conceptibilis à nostro intellectu: sed huiusmodi definitio non est sufficiens fundamentum ad ponendam in ente diuisibilitatem intrinsecam in plura entia realiter.

Sed hęc communis responsio reijcitur eodem fundamento: nam nos loquimur de definitione essentiæ, siuè entis essentialis subiectiui secundùm se, & non definitione entis essentialis subiectiui, & conceptibilis à nostro intellectu cognitionibus inadæquatis, & imperfectis: natura enim siuè es-

essentia, cuiuslibet rei, in omniũ opinione, habet hanc duplicem considerabilitatem, nimirum, est considerabilis secundùm se, siuè proùt est in suo formali in rerum natura, & proùt est repræsentabilis nostro intellectui cognitionibus inadæquatis, & imperfectis, siuè proùt est repræsentabilis nostro intellectui ex perfectionibus diuisis in alijs. Prima considerabilitas conuenit naturæ independenter ab omni modo imperfecto cõsiderandi intellectus nostri, quia cõuenit essentiæ rei ex suis prædicatis essentialibus sm̃ se; hęc autẽ conueniunt essentię independenter à modo imperfecto intelligendi nostri intellectus; & in hoc principio fundantur Theologi, & Metaphysici, cùm distinguũt propositionem per se notam secundùm se, & in per se notam quo ad nos.

Quod si neges allatam definitionem essentiæ subiectiuę, esse definitionem essentiæ subiectiuæ secundùm se; Probatur, nam prædictis tantùm prędicatis, essentia subiectiua secundùm se, est essentia subiectiua; sicut, v. g. animal rationale, est definitio hominis secundùm se: his enim tantùm homo est homo, & hoc significat humanitas secundùm se; hoc scilicèt, quo homo est homo; pariter his prædicatis essentia subiectiua in creatura completa secundùm se, non est essentialiter sua existentia, siuè est essentialiter potentia ad existentiam; essentia subiectiua secundùm se, est essentia subiectiua.

Ex dictis à priori resoluitur alius articulus, an materia prima, seù physica, sit pura potentia in genere entis; habet verò articulus duplicem sensum; primus est, an materia prima secundùm suum esse formale extrà Deum, sit pura potentia in omni genere entis realis distincti à Deo, tam subiectiui, quam obiectiui potentiæ creatiuæ. Secundus sensus est, an materia prima sit pura potentia in genere entis subiectiui tãtùm; ens enim diuersum à Deo, est in duplici genere entis, vt suprà sæpè repetiuimus; in genere entis subiectiui, & in genere entis obiectiui potentię creatiuę Dei; dicitur ens subiectiuum extrà Deum, quod componitur ex potentia receptiua realiter, & ex actu receptibili realiter in potentia receptiua, & subiectiua; dicitur verò ens obiectiuum idem ens, quatenus est ex potentia, & ex actu in ratione obiecti potentiæ creatiuæ, v. g. ens extrà Deum, quatenus creabile, seù producibile à sua causa effectiua, dicitur potentia obiectiua, siuè ens in potentia obiectiua, quatenùs verò est actu productum, dicitur ens in actu obiectiuo, siuè actus obiectiuus, quę diuisio alijs verbis explicari potest per comparationem entis ad suum nihilum, nimirum, ens quatenus potest esse, seù non repugnat esse extrà suum nihilum, virtute suæ causæ effectiuę, dicitur potentia obiectiua; quatenus verò est actu extrà suum nihilum per dependentiam à sua causa efficiente, dicitur ens in actu obiectiuo. Articulus proponitur examinandus in vtroque sensu.

Secunda conclusio. Materia prima secundùm suum esse formale, & essentiale, quod habet in se, non est pura potentia in omni genere entis subiectiui, & obiectiui, ponitur hæc conclusio; quoniam non desunt, qui dicunt, materiam primam, iuxtà opinionem S. Thomæ, & Thomistarum, esse puram potentiam adhuc in genere entis obiectiui, sed decipiuntur; quia hic sensus, nec est S. Thomę, nec vllius, quem viderim, ponẽtis distinctionem realem inter essentiam, & existentiam in ratione subiecti. Sed vera sententia S. Thomæ est, vt dicetur sequenti cõclusione, materiam primam esse puram potentiam in genere entis subiectiui, nimirum ad omnem actum subiectiuum.

Fundamentum conclusionis est; quia materia prima secũdùm esse formale, quod habet extrà Deum, est actu, & formaliter extrà suum nihilum; hoc autem prędicatũ essentialiter inuoluit actum obiectiuum, nimirum actum entis obiectiui: nam actus entis obiectiui nihil aliud est, quàm actu esse extrà suum nihilũ realiter, virtute suæ causæ efficientis, vel esse actu creatum, siuè productum: at materia prima secundum suum esse formale, est actu creata, & actu extra suum nihilum, non quidem per se, sed cum sua forma: quanodquidem dupliciter potest ens esse productum, siuè creatum, vel per se, idest, seorsum ab omni alio, vel cum alio: quia, scilicet non est creabile nisi cum alio, nimirum, cum forma in eo subiecto: materia prima est creata à Deo secundo modo, non primo: ac proindè, potentia, & actus in ratione obiecti sunt duplicis conditionis, vel in ratione obiecti per se potentiæ creatiuæ, vel in ratione obiecti, scilicet creabilis cum alio, puta cum existentia obiectiua.

Tertia conclusio. Materia prima, seù physica in vniuersum secundùm suum esse formale, est essentialiter pura potentia in genere entis subiectiui, nimirùm, excludit à sua quidditate potentiali, omnem actum formalem, & existentialem subiectiuum, tam physicum, quam metaphysicum: Dixi primò, materia prima in vniuersum; quia loquor de omni materia prima, tam horũ in-

inferiorum, quam corporum cęlestiũ, iuxta opinionem S. Thomæ, afferentis in libris de Cęlo Aristotelis, quodlibet Cœlum esse compositum ex materia, & forma substantiali. Dixi secundò, materiam primam excludere à sua quidditate etiam omnem actum existentialem subiectiuum; nam existentia vt ostendimus, sicut & essentia, alia est subiectiua, & alia est obiectiua. Cõclusio in terminis est S. Th. in omnibus suæ doctrinæ locis, quem sequuntur omnes suę Religionis Metaphysici, & Theologi: verum eam negant omnes, qui contendunt in omni ente creato etiam completo in genere entis, non dari essentiam subiectiuã distinctam realiter à sua existẽtia pariter subiectiua. Solũ mihi dubium est, an Scotus, qui adhuc distinguit realiter in creatis essentiã ab existentia, sit eiusdem sententiæ cum S.T., & ratio dubitandi mihi est: quoniam Scotus asserit, materiam primam esse principiũ primum suæ propriæ existẽtiæ; nam opinatur principium primũ, & radicale existentiæ realis, esse quidditatẽ realẽ; at materia prima habet suã propriã quidditatem realem; hoc autem posito principio, difficile est sustinere, materiam primã esse puram potentiam, quoniam radix primã existentiæ subiectiuæ, necessario debet esse actus formalis; at materiæ primæ contradicit esse essentialiter actum formalem vt infra probabitur; ergo, &c.

Ratio prima à priori conclusionis est, discurrendo per prima principia: materia prima est essentialiter potentia subiectiua ad actum essentialem, siuè quidditatiuum, siuè formalem in generali; sed hæc potẽtia est etiam essentialiter potentia ad actum existentialem; ergo materia prima essẽtialiter est potentia subiectiua, non solũ actus essẽtialis, siuè formalis in generali, sed etiã ad actum existentialem; hæc est pura potentia in genere entis subiectiui; ergo materia prima essentialiter est pura potentia in genere entis subiectiui. Maior probatur, quia materia prima est essentialiter poten. tia ad formam substãtialem in cõmuni; sed forma substantialis in cõmuni, est actus essentialis, siuè quidditatiuus, & subiectiuus à quo specificatur materia, ergo materia prima est essentialiter potentia subiectiua ad actum essentialem, siuè quidditatiuum in generali. Minor probatur in vno, & eodem ente actus formalis est prior, quam existentialis; nam actus essentialis est gradus formalis essentiæ, quæ est omnium prima & in creatis est essentialiter potentialis ad esse: potentia autem in vno, & eodem ente est prior quam actus; at materia prima est potentia essentialiter subiectiua ad actum formalem in generali, qui est actus primus in ente subiectiuo; ergo est adhuc essentialiter potentia ad actum existentialem subiectiuum; actus enim formalis est radix prima, & adæquata actus existentialis.

Respondent primò Scotistæ negando actum formalem in generali, esse primam, & adæquatam radicem existentiæ subiectiuæ; nam secundum Scotum, prima radix existendi realiter existentia subiectiua, est quidditas realis subiectiua vt sic; hæc autẽ reperitur formaliter, tam in materia prima, quam in forma substantiali. Assumptum Scoti probatur; quia per hoc sufficienter distinguitur quidditas realis subiectiua à quidditate chimerica; quod quidditas chimerica est principium tantũm existendi prima in ratione: at hoc posito principio falsum est actum formalem in generali, est prima & adęquata radix existendi realiter, vnde sequitur materiam primam esse adhuc radicem suæ existentiæ.

Hæc Scoti doctrina principijs S. Thomę facilè reijcitur.

Primò, nam existentia subiectiua fluit à prima radice sibi proportionata; at quidditas realis non est radix proportionata existentiæ subiectiuæ; nam quidditas realis vt sic, est essentia obiectiua, quia est essentia entis realis vt sic.

Secundò, quia quidditas realis est radix adæquata existentiæ obiectiuæ, prout contradistinctæ ab existentia reali subiectiua; etenim quidditas realis vt sic, cum sit entis realis in cõmuni est proportionata tantum existentiæ obiectiuæ; at nos hic loquimur de radice prima existentiæ subiectiuæ, quæ non potest esse, nisi actus formalis subiectiuus; primum enim in vnoquoque genere est causa cæterorum, quæ sunt post in eodem genere.

Quod si dicas, existentiam subiectiuam esse priorem, quam actus formalis subiectiuus; quia est actus essentiæ, quæ diuiditur in potentiam essentialem, & actum essentialem; actus verò formalis subiectiuus in composito physico est actus immediatus materiæ, quæ est vnum membrum diuidens essentiam subiectiuam.

Respondeo: existentiam subiectiuam esse priorem actu formali subiectiuo in genere causæ formalis terminatiuæ; è contrario verò actum formalem esse priorem in genere principij primi formalis, sicut potentia operatiua est prior sua operatione actuali; è contrario verò operatio actualis est prior in genere causæ formalis terminatiuæ sua potentia operatiua; ne-

Digitized by Google

neque implicat idem esse prius, & posterius alio in diuerso genere causæ. Cum nos dicimus cum S. Thoma, formam, siuè actum quidditatiuum esse primũ in genere actuũ, loquimur de primo actu, quod est principium intrinsecum actus existendi; comparatur enim, vt docet S. Thomas, existentia subiectiua ad actum formalem, sicut viuere ad vitam, & sicut lucere ad lucem. Dicitur existentia, primus actus in genere causæ formalis terminatiuæ; quia existentia subiectiua non solùm est prima ratio formalis terminandi productionem, siuè creationem; sed etiam, quia est terminus cõplens essentiam in genere entis; cæterum actus formalis, siuè quidditatiuus est prior, quàm sit actus existendi, vt principium primum actus secundi; sicut calor est principium actus secundi calefaciendi.

Secundò reijcitur Scoti opinio; quia quidditas realis abstrahit à potentia essentiali, & ab actu essentiali; sed vbi non est ratio actus primi in genere principij, non potest esse principium primum, à quo fluit actus secundus existendi; tùm quia daretur effectus sine causa, tum quia daretur posterius sine suo priori.

Tertiò reijcitur; nàm quidditas realis saluatur per hoc, quod est, id quo ens essentiale, seù nominale, est aptum ad existẽdum realiter per aliud; per hoc enim adæquatè, vel sufficienter distinguitur quidditas subiectiua realis à quidditate entis chymerici; sed hoc posito, non potest inferri, quidditatem realem esse principium formale, & immediatũ actus existendi realiter; & confirmatur, nàm per hoc sufficienter distinguitur materia à forma; quia forma est apta existere immediatè, & per se; materia verò prima est apta existere mediante forma.

Respondent secundò alij ad hanc primam rationem fundamentalem, quod materia prima est essentialiter in potentia ad omnem actum formalem; sed non per hoc est in potentia ad omnem actum existentialem etiam proprium; idque probant primò, quia materia prima, vt distincta ab omni forma substantiali, includit actum entitatiuum, qui est actus existendi diuisibilis in actum existendi materiæ, & in actum existendi formæ; reperitur enim actus entitatiuus, tàm in materia, quàm in forma. Assumptum probatur; quia actus existendi, est actus essendi extrà nihilum, & extrà causas; sed entitas materiæ primæ, vt contradistincta à forma, est actu extrà suum nihilum, & extrà suas causas. Secundò, actus existendi formaliter, est vniuersalior omni actu formali, & quidditatiuo; quoniam primæ differentiæ entis sunt essentiæ, & existentiæ: actus autem formalis, siuè quidditatiuus, est vna ex differentijs primis diuidentibus ens essentiale, proùt contradiuisum ab existentia, quæ est vna ex primis differentijs entis; nàm ens essentiale, vt diximus, diuisibile est in potentiam essentialem, & in actũ essentialem, siuè formalem; at posito hoc principio, existentia etiam subiectiua debet esse actus entis essentialis, quod commune est materiæ, & formæ; quia hoc ens essentiale est differentia entis contradiuisa ab existentia.

Quod si respondeas, materiam primam esse extrà suum nihilum dependenter a forma substantiali, siuè ab actu quidditatiuo, & formali; quia materia, & forma se se inuicem causant in diuerso genere causæ; at hæc dependentia non ex alio capite oritur, nisi quia materia prima non est apta existere, nisi mediante forma, ad quam consequitur existentia subiectiua.

Aduersarij statim negant maiorem; dicunt enim hanc mutuam dependentiam, & causalitatem inter materiam, & formam esse, supposita opinione, quod materia non existit, nisi existentia formæ; at absolutè, & simpliciter hoc est falsum; quoniam vt dictum est, existentia etiam subiectiua, cum sit vniuersalior quocumque actu formali completiuo, & perfectiuo, oritur vt à suo principio adæquato, ab essentia reali, quæ reperitur formaliter, tàm in materia, quàm in forma; vndè cum materia non emendicet suam existentiam à forma, siuè ab actu formali, non est à forma causabilis, etiam in diuerso genere causæ; causalitas enim non est, nisi est influxus, siuè communicatio esse; quippè causa definitur, principium influens esse in aliud.

Ad rationem autem fundamentalem S. Thomæ, respondere possunt formam, siuè actum formalem esse radicem adæquatam, vndè fluit existentia ipsius formæ, non autem existentia materiæ; idque probare possunt eo medio; quia, scilicet, existentia omnis, est actus essentiæ realis; at realis essentia, seù quidditas reperitur formaliter, tàm in materia, quàm in forma diuisa; ergo quidditas realis in materia, & in forma est causa duplicis existentiæ, nimirùm, quidditas realis vt sic, est prima radix existentiæ, præscindendo ab existentia formæ, & ab existentia materiæ; contracta verò ad quidditatem formalem, est radix adæquata existentiæ formæ, & contracta ad quiddita-

ta-

tatem materiæ, est radix adæquata ipsius materiæ.

Sed omnes istę responsiones resoluuntur, & reijciuntur distinctione duplicis existentię, nimirùm existentiæ obiectiuæ, & existentiæ subiectiuæ; existentia quidem obiectiua est actus quidditatis realis, & dicitur actus entitatiuus; quia est actus entis essentialis obiectiui, quod commune est, tā materiæ, quàm formæ physicæ; quia vtraque est terminus creationis vnius cum alio; & hæc existentia reperitur diuisa in materia, & in forma, sicut diuisa reperitur quidditas realis obiectiua. Cæterum existentia subiectiua, de qua nos loquimur, est immediatè tantummodò actus secundus, fluens ab actu formali, siuè quidditatiuo; quandoquidem existentia subiectiua est actus contradistinctus ab essentia subiectiua, siuè à potentia subiectiua in genere entis; hic autem actus non potest fluere à potentia formali subiectiua, quæ scilicèt est essentialiter potentia receptiua omnis actus formalis, siuè quidditatiui; quia eius causa, & radix adæquata debet esse actus formalis subiectiuus; primum enim in vnoquoque genere, est causa cæterorum, quæ sunt post in eodem genere; at existentia subiectiua est quidam actus subiectiuus; ergo debet esse effectus actus primi in genere actus subiectiui: hic autem non est, nisi actus formalis, siuè quidditatiuus subiectiuus.

Neque primò obstat si dicas, quod à S. Thoma *p. p.q.3.art.4.* definitur existentia obiectiua actus, siuè actualitas omnis essentiæ, siuè formæ; nàm vel loquitur de essentia, quæ est actus formalis, vel loquitur de actu essentiæ, siuè immediato, siuè mediato. Vtique existentia subiectiua in composito physico ex materia, & forma, est actus, & formæ, & materiæ, qui est actus totius; est actus immediatus formæ, à qua fluit; est verò actus materię mediante forma; non enim existentia debet fluere necessariò ab illa essentia, cui dat effectum suum formalem; patet nàm existentia Verbi Diuini, nō fluit à natura creata Christi Domini, & tamen vt dicetur suo loco, natura humana Christi Domini non existit, nisi existentia Verbi Diuini.

Neque secundò obstat si dicas, quod etiam existentia obiectiua est subiectiua; quia recipitur in sua essentia obiectiua; & probatur; nam existentia subiectiua, quę est existentia entis creati completi in genere entis est existentia subiectiua; hoc est recipitur in sua essentia; quia essentia creaturæ completæ in genere entis essentialiter non est sua existentia, sed etiam essentia obiectiua non est essentialiter sua existentia, quoniam essentia obiectiua abstrahit ab essentia creata, & creabili; vt docet Suarez *in sua met.* ergo pariter existentia obiectiua recipitur in sua essentia; ergo est etiam existentia subiectiua.

Non, inquam, obstat: quoniam vt supra demonstrauimus; essentia, & existentia in ratione obiecti significant idem prorsus ens in diuerso statu; at essentia, & existentia subiectiuæ, sunt distinctę realiter distinctione per intrinsecam diuisionem realitatis in plures diuersas realitates.

Rationes, quibus Aduersarij oppositum probant, facilè, & impugnantur, & soluuntur. Ad primā enim, qua dicitur; materia prima, prout actu distinguitur ab omni forma substātiali, siuè ab omni actu formali, est actu extrà nihilum; sed non potest esse huiusmodi, nisi inuoluat intrinsecè principium, siuè radicem existentię, quę est prima actualitas omnis entis.

Respondeo primò, distinguo maiorem; est actu extrà nihilum potentiæ formalis, siuè essentialis, & concedo; est actu extra nihilum actus formalis, & nego; materia .n. prima, vt distincta ab omni forma substantiali, est sola quidditas potētialis ad formā, vt ostendimus, & cōsequenter etiā in potētia ad omnē actum existendi obiectiuū. Explicatur distinctio: sicut enim duplex est ens, aliud essentiale, & aliud existentiale in ratione subiecti;ità duplex est nihilum, aliud essentiale, & aliud existentiale: & sicut ens essentiale, aliud est potentia formalis, siuè essentialis, nimirum potētia ad actum formalem, siuè essentialem, & aliud est ens essentiale, quod est actus formalis; ita duplex est non ens essentiale; aliud est non ens, siuè nihilum, negans potentiam formalem, siuè essentialem: & aliud est non ens, siuè nihilum negans actum formalem. Ad secundam rationem, quod materia prima, prout actu distincta ab omni forma substātiali, siuè ab omni actu formali includit actum entitatiuum. Respondeo, quod duplex est actus entitatiuus, alius est actus subiectiuus, & alius est actus obiectiuus: actus enim entitatiuus idem est quod actus entis; actus autem, alius est obiectiuus respondens potentiæ obiectiuæ, & alius est actus subiectiuus, qui est actus perfectiuus, & completiuus potentiæ subiectiuę, siuè receptiuę realiter in genere entis; materia prima vt ens actu distinctum ab omni actu formali includit quidem actum entis obiectiuum; sed non includit actum entis subiectiuum.

ctiuum.Controuersia est de actu entis subiectiuo, non obiectiuo. Ex his actibus,actus entis obiectiuus communis est tam potentię essentiali, quàm actui essentiali, idest tam materiæ primę,quàm omni formę substantiali informatiuæ, quia actus entis obiectiuus idem est, quod esse actu extra nihilum virtute causę efficientis;at esse actu extra nihilum commune est,tam materię primæ,quàm omni formæ, quia ens huiusmodi abstrahit à potentia essentiali, & ab actu essentiali; omnis autem conceptus obiectiuus abstrahens à differētijs diuisiuis formaliter,communis est pluribus, & diuersis inferioribus; vnde actus entitatiuus,est prędicatum transcendens potentiam,& actum ratione subiecti, ex opposito verò actus subiectiuus in genere entis, est prædicatum, conueniens tantummodò acti formali, siuè formæ.

Secunda ratio fundamentalis conclusionis est.Materia prima est essentialiter indeterminata; quia communis est pluribus entibus specie essentiali diuersis; at ex hoc prædicato, materia positiuè excludit à sua quidditate omnem actum formalem, & consequenter omnem actum existentialē subiectiuū; ergo materia prima excludit à se omnē actum subiectiuū, & formalē, & existentialē;hæc est pura potentia in genere entis subiectiua; ergo &c. Maior probatur; nam materia in hoc differt à forma; quia materia potest esse cōmunis pluribus specie essentiali diuersis; forma verò informatiua, non item; quia forma informatiua est determinatiua materiæ ad vnam tantū speciem. Minor verò principalis argumenti ex suis terminis manifesta est; quia quidditas indeterminata excludit à suo constitutiuo intrinseco determinatiuū; indeterminatum enim, & determinatiuum sunt differentiæ oppositæ; sed omnis actus subiectiuus, tam formalis,quàm existentialis, est determinatiuus in specie, & in genere, entis; ergo materia prima ex eo ꝙ est essentialiter indeterminata, excludit à suo cōstitutiuo essentiali, & quidditatiuo omnem actum subiectiuum, tam formalem, quam existentialem. Hac ratione motus Aristoteles 1.*physicorum*, docet materiam primam nullius esse speciei, & nullius generis prędicamentalis, nimirum, non esse quid,nec quale, nec quantum; sed potentia omnia, hæc.

Respondent communiter Aduersarij ad hoc argumentum; primò, distinguendo maiorem; nimirùm concedunt, materiam primam esse essentialiter inindeterminatā in specie totius in recta linea prædicamenti substantiæ; negant verò illam esse essentialiter indeterminatam in specie substantiæ incompletę.Ratio primę partis est;quia species totius in recta linea prædicamentali, sit species formaliter ab actu formali,qui est forma informatiua materiæ; v.g.species hominis est ab anima rationali; ratio verò secundæ partis distinctionis est; quia substantia incompleta diuiditur essentialiter in materiam, & formam, vt totum vniuersale in sua inferiora, quæ necessariò sunt species diuersæ sub vno communi genere; vt autem materia prima, non sit pura potentia in genere entis subiectiui,satis est, vt sit determinata in specie substantiæ incompletæ, quæ dicitur species partis, & ratio huius est; quia pura potentia in genere entis excludit à se constitutiuè omnem actum formalem, & physicum, & metaphysicum; vbi autem est determinatio diuisiua entis essentialis, necessariò est actus formalis saltem metaphysicus; quia actus formalis, formaliter, & essentialiter, est actus determinatiuus. In subiecta materia, materia prima non excludit constitutiuè omnem actum formalem in genere substantiæ;quia materia prima est vnum membrum diuidēs intrinsecè, & formaliter substantiam incōpletam; omnis autem diuisio intrinseca, fit per oppositas differentias, quæ sunt diuersi actus formales metaphysici.

Quod si respondeas, diuisiuum entis incompleti essentialis, & constitutiuum materiæ primæ, esse rationem formalem determinabilis, non autem rationem formalem determinatiui; at ratio formalis actus, est ratio determinatiua.

Statim dicunt,rationem formalem cōstitutiuam materiæ esse rationem determinabilis in specie totius in recta linea prædicamenti substantiæ; non verò esse rationē determinabilis in specie substātiæ incōpletę;neq; incōuenit idē esse determinabile, & determinatiuū in diuerso genere, & in diuersa specie; quia prędicata contradictoria sunt secundùm idem, non secundùm diuersa.In re nostra, materia prima est essentialiter indeterminata in specie totius in recta linea prędicamenti substantię; determinata verò sub substantia, quatenùs distinguitur contrà accidens; substātia enim dupliciter sumitur; vno modo, vt distinguitur contrà accidens: alio modo,secūdùm quod est primum genus prędicamentale diuersum à cęteris prędicamentis accidentium; materia prima est sub substantia,quę distinguitur contra accidens; non autem se-

secundùm quod est primum genus prędicamentale; & de hac substantia loquitur Aristoteles *cum in lib.* 1. *physic.* dicit materiam primam, non esse nec quid, nec quale, nec quantum; sed potentia omnia hæc.

Multa dici possunt, proteruiendo ad substinendum, materiam primam in sua quidditate includere aliquam differentiam metaphysicam sub genere substantiæ, quatenùs distinguitur contra accidens; sed non ad rem; quandoquidem hic nos loquimur de materia prima secundùm quod est potētia essentialis ad omnem actum formalem physicum, à quo est species physica, & ad omnem actum formalem metaphysicum, qui est gradus differentialis formæ physicę; quia loquimur de existentia in ratione subiecti; non autem de existentia in ratione obiecti; existentia autem in ratione subiecti, vt supra ostendimus, est actus, fluens à forma physica, secundùm vltimum gradum suum differentialem. Materia prima dicitur a S. Thoma pura potentia in genere entis; quia est in potentia secundùm se ad omnem actum formalem, à quo est species collocata in recta linea prędicamenti substantiæ, & ad omnem actum existentiæ subiectiuum; quia materia prima est essentialiter potentia ad omnem actum formalem subiectiuum.

Multi adhuc ex Thomistis opinantur, prædictas duas rationes demonstrare, posita distinctione reali inter essentiam, & existentiam in ratione obiecti; sed decipiuntur; quandoquidem prædictæ duæ rationes potiùs ostendunt in creaturis completis, & cōpositis ex materia, & forma dari essentiam subiectiuam distinctam realiter à sua existētia subiectiua; sed principio, siuè medio physico, nimirùm contracto in materia physica, proùt scilicèt per motum, siuè sub physica abstractione, nam ostendit in composito physico distingui realiter essentiam subiectiuam à sua subiectiua existentia per medium, quia materia prima est potentia ad formam physicam substantialem; hęc autem conclusio est etiā de potentia ad existentiam subiectiuam, quoniam existentia obiectiua in toto physico, est ab actu formali physico; metaphysica verò hoc ipsum ostendit; sed medio sub vniuersaliori abstractione; quia scilicet, materia prima est essentialiter potentia ad actum formalem, & quidditatiuum; sed hæc potentia est etiā potentia ad existentiam in ratione subiecti, metaphysica enim considerat actum, & potentiam vniuersaliter.

Aliqui Thomistæ probant hanc eandem conclusionem alijs rationibus; prima est. Vna existentia non necessariò est vnius rei; sed potest esse multarum rerum, componentium vnum per se; sed hoc satis est, vt materia sit apta existere existentia formæ: ergo, &c. Maior probatur, de facto vnica existentia existit Verbum, & humanitas creata Christi Domini: præterea vnumquodque genus entis adæquatè diuiditur per potentiam, & actum, nimirùm, per vnā potentiam, & per vnum actum formaliter: sed in ente vnius generis sunt plura entia essentialia partialia; ergo vna existentia non necessariò est vnius rei: sed potest esse multarum rerum componentium per se vnum genus: ergo non est necessarium in vno ente per se multiplicare existentias. Probatur discursus ad hominem contra Scotum, qui docet, quod gradus formales distincti ex natura rei in vno, & eodem indiuiduo, existunt per vnicam existentiam: sed eadem paritas est materiæ, & formæ: ratio enim cur omnes gradus formales in vno, & eodem indiuiduo existunt vnica existentia, est quia conueniunt ad faciendū vnum per se: sed materia, & forma adhuc conueniunt ad faciendum vnum per se: ergo pariter materia, & forma poterunt existere vnica existentia formæ; sicut gradus, v.g. formalis genericus, qui est potentia ad gradum formalem differentialem, qui est actus metaphysicus generis, existit eadem differentia, qua existit gradus differentialis. Secunda ratio: id, quod habet vnitatem in conceptu suo per se, vnicam exigit existentiam; quia vnitas est ab esse: sed potentia physica, & actus physicus, faciunt vnum per se simpliciter, idest, non cum addito: ergo, &c. Tertia ratio: non inuoluit implicantiam, vt vna existentia sit tantæ plenitudinis, quæ se extendat ad duo: sed possibili absoluto posito in esse, nullum sequitur inconueniens: ergo nulla est repugnantia, vt de facto materia, & forma in toto physico, vnica existant existentia. Prędicti Thomistę probant maiorem hoc medio: subsistentia in Christo Domino vnica est, & tamen per eam subsistit non solum Verbum Diuinum; sed etiam natura humana: sed eadem ratio est de existentia.

Sed hæc ratio non arridet: quia semper potest dicere Aduersarius adhuc Thomista, hoc proprium esse subsistentiæ, & existentiæ Diuinę, quia sunt infinitæ formaliter; at existentia, & subsistentia in toto physico sunt finitæ formaliter: vbi autem est finitas, siuè limitatio, est diuisio.

Vera ratio ostensiua maioris, iuxtà prin-

principia prima S. Thomæ est hæc, quia vna existentia per hoc, quod se extendit ad materiam, & formam, non exit, neque suū genus, neque suam speciem, neque suum indiuiduum; hoc autem sufficit, vt possit vna existentia esse actus existendi, simul materiæ, & formæ, componentium vnum. Potest addi alia ratio huiusmodi: existere realiter in creatis præscindit ab existere per se, & ab existere per aliud; sed hoc posito principio, non repugnat, vt materia existat existentia suæ formæ; nàm materiam existere per existentiam formæ, non aliud importat, quàm materiam existere per aliud; sed posito principio, quod existere realiter præscindit ab existere p se, & ab existere per aliud, concedendi sunt isti duo modi existendi in creaturis compositis ex materia, & forma; nàm genere existente indifferente, concedēda est contrahibilitas, & diuisibilitas per oppositas differentias; sed modus existendi per aliud, non potest competere, nisi materiæ; quia materia est potentia ad formam; dependentia autem in existendo fundatur in potentialitate; forma autem existit per se; quia forma est actus, in quo fundatur independentia; quia in actu fundatur actiuitas.

Obijcies primò: si materia non haberet in se principium intrinsecum suæ existentiæ; sed tantùm esset in potentia ad existendum existentia formæ, materia semper corrumperetur, quando ex ea generantur nouæ formæ; sed hoc repugnat materiæ primæ, quia vt probat Aristotiles 1. *physic.* materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis; omnis enim generatio, & corruptio fit in subiecto primo; at non datur aliud subiectum prius materia prima; ergo materia prima non potest existere existētia formæ; sed solùm existentia propria fluxa ab eius quidditate, vt docet Scotus.

Hoc argumentum torsit multorum Thomistarum ingenia; quandoquidem, cum generatur noua forma ex materia ligni; materia ligni amittit suam existentiam per tractum ad existentiam nouæ formæ, non verò sine tractu ad nouam existentiam in eodem instanti temporis; at corrrumpi nihil aliud est, quam amittere esse sine tractu ad nouum esse nouæ formæ in eodem instanti temporis; e. g. cum ex ligno generatur ignis, corrumpitur quidem forma ligni; sed non corrumpitur, vel potius non desinit intrinsecè materia ligni; quia aliter amittit forma ligni existentiam, & aliter amittit eam materia ligni; etenim forma ligni amittit existentiam sine tractu ad aliam existentiam, & ideò corrumpitur; verùm materia prima ligni, amittit esse ligni, & formam ligni propter tractum in eodem instanti ad aliud esse existentiale, nimirùm, ad esse existentiale ignis, proindè materia ligni intrinsecè non desinit esse.

Explicat hanc doctrinam Capreolus exemplo rami cum inseritur arbori, & guttæ aquæ cum additur mari; ramus enim cū inseritur arbori, & gutta aquę cum additur mari, amittunt quidem esse præcedens, sed tamen non corrumpuntur; quia in eodem instanti trahuntur ad aliud esse totius arboris, & maris: idem etiam contingit, iuxtà multorum opinionem asserentium, quod idem effectus numero potest dependere à pluribus causis adęquatis successiuè; nàm idem lumen in aere, quod pendebat à flamma, A, recedente à flamma, A; in eodem instanti, pendet à flamma, B, succedente, nimirùm, lumen dependens à flāma, A, non corrumpitur cum recedit flamma, A, & accedit flamma, B, in eodem instanti; quoniam idem lumen amittit dependentiam à flamma, A, per tractum ad nouam dependentiam à flamma, B. Ità in proposito, cum ex ligno generatur ignis, materia ligni, amittit existentiam formæ ligni per tractum ad existentiam formæ ignis; ac proindè materia non desinit intrinsecè esse; quia nullum datur signum, in quo materia sit sine existentia.

Obijcies secundò; ex hac doctrina sequitur, agens creatum in generatione substantiali semper creare materiam primam; hoc autem S. Thomas reputauit non solùm absurdum, sed etiam impossibile simpliciter; quia nè instrumentaliter quidem cōcedit vim creandi creaturæ; ergo, &c. sequela probatur; nàm agens in generatione substantiali dat nouum esse materiæ, nullo supposito subiecto; hoc autem est creare formaliter.

Nonnulli territi vi argumenti dicunt, agens creatum in generatione substantiali, non creare materiam; quia creatio est ex nullo præsupposito subiecto, scilicèt, ex nullo præexistente subiecto; at agens naturale in generatione substantiali, supponit materiam primam immediatè antè existentē, vel materiam primam immediatè antè extitisse.

Sed hæc responsio ridicula est; quia materia prima, siuè immediatè antè, siuè multo antè prius extiterit, semper valet dicere, quod in hoc instanti totum producitur, & posset quis dicere, quod ab æterno agens naturale posset totum producere,

quod est proprium creationis, quæ est productio totius entis, cum sit productio ex nihilo simpliciter; quia nunquã pręcessit non esse, neque etiam immediatè antè.

Respondeo, materiam primam non creari ab agente naturali; tùm quia eadem materia, quæ antea erat existens per primam formam, eadem est existens per tractum ad existentiam nouæ formæ; at verò creatio dicit omninò nouitatem essendi totius. Secundò, quia agens naturale producit in eodem instanti, in quo totum pręcedens corrumpitur, existentiam nouæ formę, saltem in suo effectu formali dependenter a materia: dico, saltem in suo effectu formali, propter animam rationalem, quę creatur a Deo in eodem instanti temporis, cuius existentia in suo effectu formali producitur à generante, vt suprà explicauimus, exemplo generationis naturalis, qua Beatissima Virgo, Christum Dominum generauit elauata virtute Spiritus Santi.

Dices: verè mutatur existentia totius; ergo verè materia creatur simul cũ forma; quia creatur independenter à concursu materiæ, siuè subiecti.

Respondeo, antecedens posse habere duplicem sensum. Primus sensus est, mutari existentiam totius; quia existentię prioris formæ succedit existentia formæ posterioris dependenter à concursu subiecti, seù materiæ. Secundus sensus est, mutari existẽtiam totius sine concursu materiæ, aut subiecti. Primus sensus verus est; secundus falsus; quia mutatur existentia totius cum ex ligno, v.g. generatur ignis per tractum quidem materiæ ad esse nouæ formæ, sed dependenter a concursu eiusdem materiæ; intelligo autem tractum materiæ ad esse existentiale nouæ formæ, saltem quantùm ad effectum formalem primarium existentiæ, quod dico propter existentiam animæ rationalis; omnis enim actio agentis creati est eductiua; quia est formaliter ad esse determinatum, siuè limitatum; hæc autem limitatio non aliundè oritur nisi; quia actio agentis creati est ex determinato subiecto.

Quod si dicas, hanc responsionem coincidere cum responsione, quam supra diximus, esse ridiculam, quoniam eductio est ex subiecto præexistente.

Respondeo: nego assumptum; nàm ad actionem eductiuam, non requiritur, vt in materia in eo priori naturæ, seù signo, quo concurrit in suo genere causæ ad eductionẽ formæ, sit existens, siuè præexistens; sed satis est, vt existat in eodem instanti temporis, quandoquidem existentia in materia non est ratio formalis causandi in genere causæ materialis; sed tantùm est conditio requisita in eodem instanti temporis, & totum hoc habet materia, cum mutatur de vna forma in aliam in eodem instanti temporis, vt supra explicauimus, absque vllo præiudicio generationis, siuè actionis eductiuę; etenim prioritas naturæ, cum sit prioritas causæ, non dicit vnum existere in aliquo instanti, in quo aliud non existit; sed solum dicit independentiam vnius ab alio à se dependente: quia in hoc solo conceptu obiectiuo saluatur ratio causæ, & effectus.

Obijcies tertiò: si materia prima existeret existentia suæ formæ, materia prima aliquando existeret existentia spirituali; sed hoc est falsum; ergo id vndè sequitur: sequela maioris certa est in doctrina S. Thomæ; quia materia prima nõ existit, nisi existentia formæ, à qua informatur; sed materia aliquando informatur anima rationali. Minor verò, in qua est difficultas probatur, quia existentia animę rationalis, aut est spiritualis, aut materialis, aut nec spiritualis, nec materialis, aut vtrumque: sed nullum horum dici potest. Probatur minor, non est spiritualis, q̃a eadẽ existentia existit formaliter etiam materia; sed existentia spiritualis non proportionatur materiæ. Non est materialis: quia ea existentia existit formaliter adhuc anima spiritualis; at existentia materialis non proportionatur animæ spirituali: non abstrahit a spirituali, & materiali, quia hæc existentia fluit ab anima, quæ forma spiritualis est; effectus autem est formalis participatio suę causæ: non est denique spiritualis, & materialis simul, quia istæ duæ rationes sunt oppositæ; vna enim dicit formaliter extendibilitatem, alia verò positiuè negat extendibilitatem.

Respondeo in forma, existentiam animę rationalis esse spiritualem, nimirùm independentem ab omni concursu materiæ, siuè subiecti; cum verò dicitur esse eam improportionatam materiæ, distinguo; est improportionata in modo essendi, siuè in gradu entis, & concedo: est improportionata in ratione actus, & potentię, & nego: est quidem improportionata in modo essendi, & in gradu entis; quia materia physica est pura potentia formalis, forma verò est actus, vel quia materia est ens extendibile intrinsecè: anima verò rationalis non item; sed cum hac improportione in essendo, existentia spiritualis animæ rationalis proportionatur materię in ratione actus, & potentiæ: quoniam materia prima est ens potens existere media forma substantiali: existentia ve-

verò spiritualis est actus potentis existere etiam per aliud, & hæc proportio sufficit, vt materia fiat formaliter existens existentia spirituali animæ rationalis: sicut vt materia informetur anima rationali, quæ est formaliter spiritualis, satis est proportio in ratione informabilis, & informatiui: quod si vim haberet argumentum, ostēderet materiam primam non esse informabilem à forma spirituali, quod est, & contra fidem, & cōtra philosophiā naturalē. Neque obstat, quod materia est extendibilis formaliter: anima verò rationalis positiuè excludit à se extendibilitatem: etenim ad informationem, seù actuationem materiæ à forma, satis est proportio formalis actus, & potentiæ, non autem requiritur proportio in gradu entis: quia diuersitas in gradu entis, sicut, & proportio, non impediunt proportionem formalem actus, & potentiæ: quia sunt differentiæ materiales. Hæc distinctio explicari potest alijs terminis: dupliciter enim intelligi potest, formam spiritualem non posse proportionari materiæ primæ. Primus sensus est, quod materia corporalis non potest fieri spiritualis, ad eum modum, quo dicimus Angelum non posse fieri extendibilem à quātitate dimensiua: & hic sensus verus est. Secundus sensus est, quod spirituale non potest proportionari materiæ corporali: quia spirituale non potest informare, siuè actuare materiam corporalem, & hic sensus falsus est; quoniam adhoc, vt anima rationalis, quæ est spiritualis possit informare, & perficere materiā corporalem satis est, vt anima rationalis sit formatiua materiæ, & materia sit formabilis: sicut vt intellectus creatus videat Deum in seipso, nimirùm possit absolutè videre Deum in seipso, satis est proportio potentiæ, & obiecti, nimirùm, vt Deus in seipso sit intelligibilis, & intellectus creatus sit intellectiuus: neque hæc proportio impeditur per hoc, quod Deus est ens infinitum simpliciter, & actus purus: intellectus verò creatus sit ens limitatum, & permixtum essentialiter potentialitati, quoniam hęc diuersitas, & distantia in gradu entis sunt differentiæ materiales: ad posse autem videre Deum satis est proportio formalis in ratione potentiæ, & obiecti.

Aliqui Thomistæ dicunt, existentiam spiritualem animæ rationalis proportionari materiæ primæ, siuè corporali, non quidem secundùm se, & nudè consideratę: sed quatenùs est actuata à forma rationali, & hæc proportio tantùm sufficit, quia existentia, nimirū, subiectiua, de qua nos loquimur, est actus secundus essendi, fluēs ab actu formali; actus autem secundus, non actuat suū subiectum, nisi medio actu primo; vt, v.g. intelligere, quod est actus secūdus intellectus in genere intelligibilis, non actuat potentiam intellectiuam, nisi inquantùm est actu in genere intelligibilis per formam sui obiecti immediati; pariter existentia subiectiua animæ rationalis, non actuat materiam corporalem, nisi proùt est perfecta formaliter ab ipsa forma rationali.

Hęc respōsio, nō est generalis, sed specialis; nimirū, nō est de omni actu, & de omnī potētia; sed tantū de potentia essentiali, siuè formali, & de actu existentię, non quatenùs actus subiectiuus, in quo communicat cum actu formali; sed inquantū est actus secūdus essendi fluens ab actu primo, qui est actus quidditatiuus, siuè formalis; nos autē suprà assignauimus responsionem vniuersalem, & generalem per rationem generalem, quę est proportio potentiæ, & actus in generali, pręscindendo ab actu perfectiuo immediato, & mediato; proportio verò potentię, & actus mediati, est ratio specialis, & propria existentiæ cum materia prima. Explicatur hæc distinctio exemplo duplicis rationis, qua potest implicare quantitas dimensiua infinita in actu; duplex enim potest assignari ratio cur implicet quantitas dimensiua infinita in actu; vna generalis, qua implicat omne ens creatum esse infinitum in actu; vt, v.g. quia quodlibet ens creatum in sua latitudine formali est potentiale, vel vt aliqui docti Recentiores; quia omne ens creatum est compositum, &c. vt dicetur suo loco; alia specialis, qualis est ratio, qua S. Thomas *p.p.q.1.art.3.ad secundum*, ostendit infinitatem in actu repugnare quantitati dimensiuæ, non quidem ex suo genere primo, quatenùs est quantitas dimensiua; sed ex ratione specifica quantitatis dimensiuæ, scilicèt, quatenùs est quantitas bicubita, vel tricubita, siuè circularis, siuè triangularis, & similium; nimirùm, quia non est possibile in genere esse, quod in nulla specie esse potest; sed nulla species quantitatis dimensiuæ potest esse infinita in actu: ergo nulla potest dari quantitas dimensiua infinita, & huius ratio a priori est; quoniam id, quod est in specie, & non quod est in genere, est immediatè capax existentiæ realis; quia cū existentia sit vltimus actus entis in genere entis, supponit essentiam sui receptiuam cōpletam vsque ad vltimam differentiam indiuidualem: pariter in re nostra, ratio generalis cur existentia spiritualis potest esse actus existendi materiæ primæ, est, quia

ha-

habet proportionem cum materia prima in ratione actus, & potentiæ in generali; ob quam proportionem, etiam actus formalis spiritualis potest esse actus perfectiuus materiæ: verùm ratio specialis conueniens existentiæ subiectiuæ, quatenùs huiusmodi est, quia existentia est perfectiua materiæ mediante actu formali, qui est primarius in materia; existentia enim, cum sit vltimus actus, supponit materiam completam non solùm in specie; sed etiam in indiuiduo, quod enim commune est vt sic, non potest existere realiter; materia autem secundùm se est nullius speciei in genere entis formaliter; species enim in genere entis formaliter, (& loquor de specie, quæ est per formã non de specie, quæ est per ordinem transcendentalem ad formam) est ex gradu generico, & gradu differentiali; quia ambo sunt gradus formæ.

Obijcies quartò; si materia prima esset pura potentia in genere entis, existeret existentia subiectiua formæ substantialis, nimirùm, mendicaret actum existendi à forma substantiali; sed hoc implicat; quia hoc supponit materiam causari à forma in genere causæ formalis; quia forma influeret esse in materiam; hoc autem est, materiam causari à forma in genere causæ formalis; & ex alio capite forma causatur à materia, saltem in suo effectu formali primario; at implicat causas se se inuicem causare etiam in diuerso genere causæ, nimirùm, quantùm ad primum esse, quo quælibet causa constituitur primò in suo genere causæ. Probatur minor subsumpta; quia quælibet causa in suo genere causæ, quantùm ad eius primum esse, est independens; at si causaretur à suo effectu secundùm idem, esset dependens; at implicat idem secundùm idem esse dependens, & independens; ergo, &c.

Nonnulli Recentiores censent hoc argumentum esse demõstratiuum; pręcipuum eorum fundamentum est, quia opinantur esse impossibile duas causas se se inuicem causare, secundùm earum primum esse, etiã in diuerso genere causæ; quia implicat primum esse, fieri esse secundum intrinsecè, vel primum esse dependens; quia primum esse causæ est intrinsecè independens; causa enim est id, à quo aliud dependet.

Sed decipiuntur; quia impossibilitas absoluta, non est, nisi ex contradictione formali, quæ est secundùm idem formaliter, non secundùm idem materialiter; vel vt alij loquuntur, est in sensu formali, & reduplicatiuo: non autem in sensu materiali, & specificatiuo; at si causę se se inuicem causent in diuerso genere causæ, nulla ponitur contradictio formalis, nimirùm affirmatio, & negatio eiusdem de eodem secundùm idem, etiam si se se inuicem causent quantùm ad primum esse in diuerso genere causæ; sed solùm contradictio formalis esset, si causæ se se inuicem causent in eodem genere causæ, & ex hoc potest sumi ratio à priori, cur non implicet contradictionem, causas se se inuicem causare in diuerso genere causæ.

Ratio autem hæc est; materia, v.g. eadem non potest causare formam substantialem, & ab ea causari in eodem genere causæ, quoniam idem esse materiæ secundùm idem formaliter esset causa, & effectus, dependens, & independens; primum, & secundùm: sed hæc contradictio non sequitur si causæ se se inuicem causent in diuerso genere causæ formalis influentis esse materiæ a se distinctæ realiter, & probatur; quoniã ratio implicantiæ formalis, esset ex eo capite, quia ponuntur materia, & forma se se causare in eodem genere causę: sed si se causent in diuerso genere causæ, non se causant in eodem genere causæ: ergo, &c. De hoc multa diximus in articulo de distinctione reali essentiæ ab existentia in ratione subiecti; nunc eadem doctrina explicatur duobus principijs ad eius maiorẽ claritatẽ.

Primum principium est, conceptum contradictorium eum esse, qui ponitur, & simul tollitur adęquatè, scilicèt, secundùm omnes circumstantias, secundùm quas ponitur, secundùm easdem tollitur: hoc pacto, v.g. Petrum in instanti, A, sedere contradicit in eodem instanti, A, Petrum non sedere, quoniam secundùm omnes circumstantias, quibus ponitur Petrus sedere, ponitur Petrus non sedere: quod si negatio non cadat adæquatè, & directè super affirmatũ, tunc nulla est contradictio; v.g. istæ propositiones, Petrus sedet in primo instanti huius horę, & Petrus nõ sedet in sequẽti instãti eiusdem horæ, non sunt propositiones contradictoriæ: quia non est affirmatio, & negatio de eodem secundùm omnes circunstantias. In re nostra, si materia, & forma ponantur se se causare in eodem genere causę, proculdubio ponitur cõtradictio formalis; quia ponitur affirmatio, & negatio secundùm omnes circunstantias, si verò ponantur se se causare in diuerso genere causæ, vt docet Angelicus Doctor, aufertur omnis cõtradictio formalis, quia affirmatio, & negatio non sunt secundùm omnes circumstantias. Vnico verbo; contradictio est affirmatio, & negatio adæquata eiusdem

de

de eodem, non verè inadæquata, idq; contingit ponendo materiam, & formam se se inuicem causare in diuerso genere causæ.

Secundum principium est; quia non implicat vnum, & idem in vno genere causæ habere sufficientiam, & in alio genere causæ habere insufficiẽtiam in creatis, quia quodlibet genus causæ in creatis est limitatũ ad suum genus causæ; sed hoc satis est, vt vnum, & idem primum esse limitatum sit prius, & posterius, independens, & dependens, in diuerso genere causæ.

His duobus principijs facillimè soluitur, non solùm argumentum; sed etiam reijcitur à priori opinio asserentium causas non posse esse sibi inuicem causas, quantùm ad earum primum esse in diuerso genere causæ. Sunt enim nonnulli Metaphysici magni nominis, qui hoc principium concedunt in causis extrinsecis; negant verò illud in causis intrinsecis; fortè, vel quia hoc principium Aristoteles exemplificauit in causa efficiente, & finali; vel fortè, quia in causa efficiente, & finali hoc principium euidens est: sed decipiuntur, nàm si semel admittatur hoc principium in causa efficiente, & finali, necessariò admittendum est etiam in causis intrinsecis; quia eadem est ratio vtrobique; & probatur, nàm ratio cur hoc principium admittitur in causis extrinsecis; est quia illæ se se causant in diuerso genere causæ; sed adhuc causæ intrinsecę ponuntur se se causare in diuerso genere causæ; ergo, &c. Ex his remanet plenè solutum argumentum. Aliæ verò instantiæ, quæ fieri possunt sunt adęquatè solutæ in Articulo de distinctione reali essentiæ ab existentia in ratione subiecti, in creaturis completis.

Obijcies quintò: nulla causa potest realiter causare extra Deum actu, nisi vt existens pro eo priori, siuè signo naturæ, quo est causa. Primò, quoniam nulla causa potest esse actu causans, nisi inquantùm est extrà suas causas; hoc autem est causam causare, vt existentem. Secundò; nàm causare actu supponit, causam esse in rerum natura, prius enim est causam esse in se, quàm actu causare; sed si materia prima emendicaret existentiam à forma substantiali, quã in genere causæ materialis causat, saltem in suo effectu formali, non posset materia prima in genere causæ materialis causare formam, quam in se recipit, saltem in suo effectu formali; quia non causaret, vt existens pro primo signo naturæ, quo est causa in actu primo; idque probatur, nàm existentia subiectiua consequitur formam; forma autem, vt effectus consequitur causalitatem materię; ergo materia prima non potest emendicare existentiam à forma substantiali.

Hoc argumentum solutum est in Articulo de distinctione reali essentiæ ab existentia in ratione subiecti; proponitur tamen denuò hìc, non solùm propter difficultatem argumenti; sed adhuc ad pleniorem cognitionem. Illud plenè soluit etiam Caiet. in *Opusc. de ente, & essentia*, qui omninò legendus est.

Respondet enim Caiet., quod omnis causa realis efficiciens extrà Deum, causat inquãtùm est existens, non solùm in eodem instanti temporis, quo causat; sed etiam pro primo signo, seù priori naturę, quo est causa in actu primo: causa verò materialis, vt materia prima, causat solùm, vt existens in eodem instanti temporis, quo causat: & ratio huius est; quia prima causa materialis, quæ est materia prima, causat vt primum subiectũ; primũ autem subiectum causat, vt actu potẽs existere per aliud, nẽpè per formã, nàm hic solus cõceptus obiectiuus satis est, vt materia sit causa realis contradistincta ab ente chymerico, quod est omninò incapax existentiæ realis, & per se, & per aliud.

Quod si dicas, quod causa etiam materialis debet causare, vt existens, quia causa materialis causat, quatenùs est actu extrà suam causam: at non potest esse extrà suam causam, nisi ratione causæ inuoluat existentiam.

Respondebit Caiet. quod causam debere causare, vt existentem habet duplicem sensum; Primus sensus est, vt quando causat, necessariò existat causa. Secundus est, vt pro omni signo, quo causa est potens actu causare in actu primo intelligatur etiam in actu primo ipsa existentia. Primum sensum vltro cõcedit Caiet., secundum verò apertè negat, & ratio huius esse potest; quia existentia non est ratio formalis causandi in materia prima; quippè causalitas materiæ præcisè, quatenus est causans formam, non dicit aliam rationem causandi, nisi eam, per quam est subiectum primum; sed est tãtum conditio requisita ad causandum in eodem instanti temporis, & hoc sufficit ad verificandum, quod materia causat, dum est extrà suas causas, seu in rerum natura.

Explico acutam Caietan. doctrinam. Materia prima, quando recipit formam, vel illam causat, impossibile est, quod materia non existat; quia terminus ille, quando, importat durationem temporis; duratio autem

in

signo naturę; quia hęc non sunt prędicata contradictoria, vt supra latè ostendimus,& ratio manifesta est;quoniam prædicata cõtradictoria,sunt affirmatio, & negatio eiusdem de eodem secundùm omnes circunstãtias: & eodem modo respondendum est, si argumentum fiat de essentia, quatenùs est causa materialis suæ existẽtiæ,scilicèt,quod essentia, vt non existens præcisiuè, siuè negatiuè, in genere causæ materialis, causat suam existentiam: causat verò existens in genere causæ formalis;quoniam pro eodem signo naturæ, est eadem essentia causa materialis, &causa formalis existens, & non existens præcisiuè, siuè negatiuè; sed in diuerso genere causæ.Neque inconuenit, vt eadem existentia sit prior, & posterior, siuè causa, & conditio causandi, siuè causa, & effectus in diuerso genere causę;sicut eadem essentia in genere causæ materialis,est causa, & effectus suæ existentiæ,quæ distinctio valdè notanda est.

Obijcies sextò: materia prima est perfectior, & potior, qualibet forma accidentali; sed qualibet forma accidentalis est radix formalis adæquata suæ propriæ existẽtiæ; ergo etiam materia prima erit causa radicalis suæ propriæ existentiæ;consequẽtia probatur, nàm ratio cur forma accidentalis est radix suæ propriæ existentiæ, est; quia forma accidentalis est quædam perfectio in actu primo: sed materia prima est perfectior, & potior qualibet forma accidentali; etenim materia est formaliter substantia, saltem quæ distinguitur contra accidens; at substantia huiusmodi est perfectior, & potior qualibet forma accidentali.

Respondeo; distinguo maiorem; materia prima in ratione actus formalis est perfectior,& potior qualibet forma accidẽtali, & nego; quia materia prima est pura potentia ad omnem actum formalem: est perfectior, & potior in ratione potentiæ ad actum; & concedo; sed hæc maior perfectio, aut perfectio absolutè non est causa, aut radix adæquata existentiæ subiectiuæ, de qua nos loquimur; causa enim radicalis huius existentię est actus formalis;vndè argumentum est fallax fallacia non causæ, vt causæ.

Cum verò dicit opponens, quod forma accidentalis est radix suæ existentiæ, quia est perfectio in actu primo, &c.

Respondeo; distinguo maiorem, siuè causalem; quia est perfectio formalis;& cõcedo; quia est perfectio transcendens,& nego; hæc enim perfectio transcendens præscindit à potentia formali, & ab actu formali.Similiter respondendum est, si dicatur; materia prima, vt distincta ab omni actu formali,est ens formaliter, nimirum sua ratione formali:ens autem formaliter est perfectum; quia esse formaliter est radix bonitatis:bonitas autem consequitur ens secundùm quod est aliquo modo perfectum, ad differentiam veri, quod consequitur ens secundùm quod ens absolutè: ratio autem perfecti est ratio actus; ergo materia habet in se radicem suæ existentiæ, quia est quædam actualitas in actu primo.

Respondendum est,quod materia prima, ex eo quod est ens formaliter, non est perfectio, qua est actus formalis;sed est perfectio transcendens,quę consequitur actum obiectiuum, non autem actum formalem subiectiuum: nos hìc loquimur de radice adæquata existentiæ subiectiuæ; actus autem obiectiuus, qui est ratio entis extrà nihilum, præscindit ab ente, quod est actus formalis, qui est principium adæquatum actus existendi obiectiui.

Quod si dicas, nullo pacto concedendum esse, materiam primam esse perfectionem quandam transcendentalem; quia materia prima est pura potentia in genere entis; perfectio verò transcendentalis consequitur ens.

Respondeo, nego maiorem; etenim materia prima est pura potentia ad omnem actum formalem, siuè ad omnem actum subiectiuum; siuè est pura potentia in genere entis subiectiui, non autem in genere entis obiectiui; perfectio transcendens est actus obiectiuus, non autem subiectiuus;actus autem obiectiuus præscindit à potentia, & ab omni actu in ratione subiecti, non autem pręscindit ab omni actu obiectiuo; & hęc distinctio notanda est ad tollendam æquiuocationem, quæ in hac materia est causa diuersarum sententiarum.

Neque obstat si dicas,quod materia prima est nullius speciei, secundùm Aristotelem, quia non est, nec quid,nec quale,nec quantum: sed potentia omnia hęc; at si materia prima inuolueret actum, etiamsi transcendentalem,esset in aliqua specie:quia inuolueret potentiam, & actum, huiusmodi autem est species.

Respondeo;speciem esse duplicis generis,aliam per actum formalem,& aliam per ordinem ad actum formalem:primam communiter vocant speciem totius, quę collocatur in recta linea prædicamentali sub suo genere primo, vt Spiritus, & Corpus; homo, & brutum. Secundam vocant,speciem partis; materia,vt distincta à forma est spe-

cies per ordinem intrinsecum ad actum formalem; & in hoc sensu intelligendi sunt, qui dicunt materiam horum inferiorum esse specie diuersam à materia Cęli, & materiam vnius Cęli esse diuersę speciei à materia alterius Cęli. Quando Aristoteles dicit, quod materia non est quid, nec quale, nec quantum; sensus Aristotelis est docere, materiam primam, non esse substantiam secundùm quod est primum genus prædicamentale, aut speciem collocatam in recta linea prœdicamentali: sed esse in potentia omnia hęc; quia genus primum prędicamētale substantiæ est primum omnium, quæ sunt in specie completa, quę constituitur per potentiam, & actum subiectiuum formalem; hoc autem non impedit, quin materia prima sit species per ordinem ad actum formalem, contenta sub substantia, quatenùs contradistinguitur ab accidente, quæ est vniuersalior substantia, secundùm quod est genus primum prędicamentale.

Neque obstat secundò si dicas, contradicere materię primę esse perfectiorem alia, secùs non esset materia prima, pura potentia: perfectio enim est actus: materia autem prima negat omnem actum.

Respondeo enim, contradicere materię primę esse perfectiorem alia perfectione formali, contradistincta à potentia formali; non verò esse perfectiorem alia perfectione transcendentali, quam vocant entitatiuam: quia hæc perfectio est idem, quod ens formaliter vt sic contradistinctum à suo nihilo: at ratio entis formaliter non tollit à materia esse puram potentiam formalem: quia ens formaliter vt sic, abstrahit à potentia formali, & ab actu formali.

Objicies septimò: materia, & forma substantialis, sunt duę entitates actu existētes: sed dualitas existentium est ex dualitate, siuè diuisione intrinseca existentię; quippè materia prima, & forma substantialis, vt actu existentes sunt duo substantiuè; sunt enim duo per se existētia: at pluralitas substantiua est ex intrinseca diuisione formę: ergo materia prima non existit existentia formę, sed sua propria.

Respondeo; distinguo maiorem: materia prima, & forma substantialis, sunt duę entitates existentes, dualitate, & distinctione intrinseca existentię, & subiectiuè, & nego: dualitate quidditatum participantium eandem existentiam, & concedo. Argumentum concluderet, si essent duę entitates actu existentes per diuisionem intrinsecam existentiæ, quod est falsum; sunt enim materia, & forma substantialis, duæ entitates actu existentes; sicut materia, & forma substantialis in toto physico, sunt duæ entitates actu quantæ, non dualitate, seù diuisione quantitatis; sed dualitate, & diuisione entitatum participantium eandem quantiratē: radix autem huius est; quia duæ quidditates actu existentes sunt duo concreta adiectiua, non duo concreta substantiua; & probatur, nam significant existentiam per modum actum informantis, & per modum essendi in alio, non autem per modum per se stantis; at pluralitas adiectiuorum est, in communissima omnium Metaphysicorum sententia, ex diuisione subiectorum, non ex diuisione formæ; è contrario verò pluralitas in substantiuis est ex diuisione formę, & regula vniuersalissima inter Theologos est, quod nomina numeralia addita nominibus substantiuis numerant formas; addita verò nominibus adiectiuis, numerant supposita, siuè subiecta: in re nostra, materia, & forma substantialis, dicuntur duæ quidditates actu existentes adiectiuè, non substantiuè; sicut tres Personæ Diuinæ dicuntur tres existentes adiectiuè, non substantiuè; pariter dicuntur tres Omnipotentes, & coęterni adiectiuè, & ideò sunt tres Personę existentes distinctione suppositorum, & Personarum existentium vnica existentia, non autem diuisione existentiæ.

Neque huic doctrinæ obstat authoritas S. Athanasij, *qui in suo symb.* docet, tres Personas nō esse tres Omnipotentes, sed vnum Omnipotentem; quoniam S. Athanasius loquitur de omnipotente substantiuè accepto, non autem adiectiuè sumpto; potest enim omnipotens esse adiectiuum, & substātiuum; potest enim declinari vno articulo, & tribus articulis.

Objicies octauò; in materia prima prior est potentia ad existentiam subiectiuam, quam ad actum formalem, siuè ad formam substantialem; at hoc posito principio, materia existit propria existentia, nō existentia formæ, nimirùm materia prima apta est existere propria existentia, non existentia formæ. Maior probatur, quia existentia est prior actus, quàm actus formalis, siuè forma, non solùm prioritate vniuersalitatis, sed etiam prioritate causæ: prioritate quidem vniuersalitatis; quia existentia subiectiua, & potentia subiectiua, sunt primæ differentiæ entis creati; ens autem creatum est prædicatum vniuersalissimum, quod reperitur in omnibus entibus creatis; actus verò formalis, & potentia formalis in ratione subiecti, sunt differentiæ diuisiuæ entis essentialis subiectiui, quod est vnum-

mem-

membrum diuidens ens creatum. Insuper est prior actus existendi, quàm actus formalis prioritate causæ; quoniam ratio, siuè causa, cur essentia est diuisibilis in potentiã formalem, & in actum formalem, est; quia essentia est essentialiter potentia ad existentiam subiectiuam; nimirùm, quia essentialiter nō est sua existentia, quod ex opposito fit manifestũ; essentia enim in Deo non est intrinsecè diuisibilis in plures quidditates; quia non est essentialiter potentia ad suam existentiam; sed est essentialiter sua existentia; ergo existentia subiectiua, est prior, quã sit actus formalis prioritate causæ. Minor principalis argumenti adhuc probatur; nàm omnis actus posterior supponit actum priorem, siuè terminus posterior supponit terminum priorem; sed existentia subiectiua est actus prior, quàm actus formalis; ergo prius est in materia actus existendi, quàm actus formalis; hoc autem posito, necessariò materia non existit existentia subiectiua, quæ fluit à forma; sed sua.

Respondeo; distinguo maiorem; existentia est prior, quàm sit actus formalis in genere causæ formalis, & concedo: in genere causæ materialis, & nego: manifestatur distinctio, diuiditur ens creatum in essẽtiam, & existentiam in ratione subiecti, & hæc diuisio est in potentiam subiectiuam, & in actum subiectiuum: actus formalis, siuè quidditatiuus se tenet ex parte potentiæ subiectiuæ, quæ est essentia subiectiua: hæc autem est causa materialis; causa verò materialis; sicut, & potentia subiectiua in vno, & eodem, prior est, quam actus, nimirùm, in genere causæ materialis; actus autem est prior suo subiecto in genere causæ formalis. Hac posita doctrina, prior est actus formalis in materia, quam sit actus existentialis: quia actus formalis se tenet ex parte potentiæ receptiuę, quæ est causa materialis, & hinc est, quod existentia subiectiua est actus vltimus omnis essentiæ, & etiam est actus primus in genere entis; est quidem actus primus in genere causę formalis, actus verò vltimus in genere causæ materialis: quoniam est actus essentiæ completæ vsq; ad vltimam differentiam, etiam individualem.

Quod si dicas: in materia prior est actus obiectiuus, quàm actus formalis, & actus existentialis obiectiuus; quia materia prima est intrinsecè terminus creationis in eodem instanti temporis cum sua forma: simultas verò instantis temporis, non tollit, quin in materia prima, vt distincta à forma, sit prior natura actus obiectiuus, quàm subiectiuus; sicut nō tollit, quin materia prima sit prior natura in genere causæ materialis, quàm sit forma substantialis informatiua materię: sed hoc posito, falsum est, quod actus formalis in genere causæ materialis, sit prior in materia, quàm actus existentialis obiectiuus; ergo, &c.

Respondeo; actum obiectiuum esse priorem omni actu, tàm formali, quàm existentiali in ratione subiecti, prioritate, siuè primitate, tantummodò vniuersalitatis, & prædicationis: actus verò subiectiuus, tàm formalis, quàm existentialis, est prior actu obiectiuo, primitate causæ, quæ est primitas simpliciter: primitas verò prædicationis, & vniuersalitatis, est tantum primitas secundùm quid: nos hìc loquimur de primitate in ratione causæ: quia loquimur de actu, & potentia in rationę subiecti, non in ratione obiecti.

Hæc autem distinctio in hac materia semper ab oculos habenda est; quãdoquidẽ ferè omnes, qui dicũt materiã primã existęre propria existẽtia; loquuntur de existentia obiectiua, quæ nimirùm est actus obiectiuus entis: vel quia non agnoscunt in genere entis creati aliam existentiam, quàm obiectiuam: vel quia concedunt quidem essentiam formaliter in ente creato completo in genere entis, sed distinguibilem tantummodò ratione inadæquata à sua existẽtia, quàm ob causam vocant eam etiam essentiam obiectiuàm, non subiectiuam; quoniam ad rationem essentiæ subiectiuæ requiritur distinctio realis actualis. Nos cum S. Thoma, & Thomistis vltrò concedimus in materia prima essentiam, & existentiam propriam in ratione obiecti; quia omnis effectus à Deo creatus etiam cum alio, est ex potẽtia obiectiua, & actu obiectiuo; at materia prima, vt distincta realiter à forma, est intrinsecè creata simul cũ forma; ergo debet esse ex potentia obiectiua, & actu obiectiuo, non quidem creatis per se; sed creatis simul cum forma. Notanter, dixi ferę omnes contrarij S. Thomæ, & non simpliciter omnes; quoniam Scotus cum suis distinguit realiter in creatis essentiam ab existentia in ratione subiecti, & tamen docet materiam primam existere propria existentia; mouetur autem Scotus, quia opinatur radicem adæquatam existentiæ subiectiuę realis, esse quidditatem realem, quod vt suprà sæpè repetiuimus, implicat; quoniam quidditas realis abstrahit formaliter à pura potentia formali, qualis est materia prima, & ab actu formali, qualis est forma substantialis; at principium adæquatum, & primum exi-

stentiæ subiectiuæ debet esse primus actus subiectiuus, hic autem est actus formalis.

Duæ aliæ difficultates opponi possunt ad plenam defensionem doctrinæ S. Thomæ de pura potentialitate materiæ primæ in genere entis.

Prima est, quod sequeretur saltem diuinitùs, naturã, siuè essentiã vnius substantiæ creatæ posse existere, & subsistere existentia, & subsistentia alterius substantiæ, saltem intrà idem genus, & eãdem speciem; & probatur primò: quia materia, & forma substantialis in vna substantia creata sunt diuersæ quidditates essentialiter; sed hæc diuersitas non impedit, quin quidditas materiæ primæ existat, & subsistat existentia, & subsistentia formæ; ergo neque diuersitas vnius substantiæ creatæ ab alia impediet, quin natura vnius substantiæ creatæ possit existere, & subsistere existentia, & subsistentia alterius substantiæ pariter creatæ, saltem diuinitus; ità de facto vnica existentia existit Verbum Diuinum, & humanitas creata Christi Domni. Probatur secundò, quia, vt suprà diximus, non inuoluit implicantiam, existentiam creatam subiectiuam, esse tantæ plenitudinis, quæ se extendat ad duo. Probatur hoc à proportione subsistentiæ, quæ vnica cum sit in Christo Domino, communicatur Verbo, & naturæ humanæ creatæ: sed consequens videtur absurdum; quia existentia, & subsistẽtia in creatis substantijs sunt limitatæ formaliter ad indiuiduum, &c.

Secunda obiectio est, daretur resolutio vsque ad materiam primam in corruptione substantiali, quod est absurdum, & contra euidentiam sensus; sequela probatur; quia accidens corrumpitur ad corruptionem sui subiecti; non enim accidens existit, nisi dependenter à suo subiecto inhæsionis; at dato, quod materia prima existit existentia, & subsistentia suæ formæ substantialis, in corruptione substantiali corrumpitur subiectum omnium accidentium materialiũ; etenim subiectum accidentium materialiũ, est totum compositum ex materia, & forma substantiali, cuius ratio est, quia subiectum accidentis, est ens actu, vt acutè, & subtiliter probat S. Thomas in pluribus locis suæ doctrinæ; ens autem actu, est compositum substãtiale in rebus materialibus, quod in corruptione substantiali corrumpitur.

Nec valet dicere, quod corrumpitur per tractum ad aliud esse, sicut dicitur, quod materia desinit existentia vnius formæ in corruptione substantiali per tractum ad existentiam alterius formæ: nàm est disparitas manifesta; quia in corruptione substantiali materia prima non corrumpitur; sed remanet, cum sit subiectum commune generationi, & corruptioni substantiali; Cæterum totum formaliter corrumpitur in corruptione substantiali.

Istæ duæ difficultates curiosæ quidem sunt, & necessariæ ad habendam plenam notitiam doctrinæ S. Thomæ; sed non possunt plenè resolui, nisi distinctis, & diuersis Articulis, quos propono examinandos, nè deficiam à munere Metaphysici vniueralissimi.

---

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

### Vtrum essentia, siuè natura vnius substantiæ creatæ, possit diuinitùs existere, & subsistere existentia, & subsistentia alterius substantiæ creatæ.

ARticulus hic; an natura substantiæ creatæ possit existere, & subsistere existentia, & subsistentia alienæ naturæ; examinatur à Theologis, & à Metaphysicis: à Theologis quidem ponitur, & discurritur, an natura substantiæ creatæ possit existere, & subsistere existentia, & subsistentia personali increata; à Metaphysicis verò inquiritur, an natura, siuè essentia substantiæ creatæ, possit existere, & subsistere existentia, & subsistentia alterius naturæ creatæ, vel personæ, siuè suppositi creati, siuè in natura eiusdem speciei, siuè in natura diuersi generis, & speciei; nimirùm, an natura humana Petri, relicta existentia, & subsistentia connaturali, possit saltem diuinitùs existere, & subsistere, existentia, & subsistẽtia Ioannis, vel Angeli; & è conuerso. Hìc nos proponimus Articulum examinandum cum Metaphysicis; in Articulo verò sequẽti examinabitur, an essentia, siuè natura substantiæ creatæ possit existere, & subsistere existentia, & subsistentia personali increata. Dico notanter, existentia, & subsistentia personali Dei; quoniam vnio naturæ creatæ cum existentia, & subsistentia absoluta Diuinarum Personarum, in opinione omnium Theologorum, est omninò impossibilis; cum hæc vnio sit vnio in ratione naturæ; implicat autem omninò, naturam

ram ſubſtantiæ creatæ vniri cum aliqua Diuinarum Perſonarum vnione naturæ.

Dupliciter autem intelligi poteſt, naturam vnius ſubſtantię creatæ fieri exiſtentem, & ſubſiſtentem formaliter, exiſtentia, & ſubſiſtentia alienæ naturæ creatæ, ſiuè intrà idem genus, ſiuè diuerſi generis; vno modo, vnione potentiæ, & actus; ſicut natura ſubſtantiæ creatæ vnitur ſuæ exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ connaturali: alio modo, vnione termini, ſicut in communi omnium Theologorum opinione, natura humana in Chriſto Domino vnitur ſubſiſtentiæ perſonali Verbi Diuini, in ratione termini ſubſtantialis.

Alij Theologi, vt explicent ſenſum Articuli, dicunt, vnionem naturæ ſubſtantię creatę cum ſubſiſtentia, ex exiſtentia alterius ſubſtantię creatę, poſſe intelligi multipliciter fieri; primus modus eſt, vt exiſtẽtia, & ſubſiſtentia, v.g. Pauli, relicta natura connaturali Pauli per modificationem, incipiat fieri exiſtentia, & ſubſiſtentia naturæ Petri. Secundus modus eſt, vt fiat per informationem. Tertius modus eſt, vt fiat per terminationem perſonalem; ſicut perſonalitas Verbi Diuini per terminationem ſubſtantialem, fit perſonalitas naturę humanæ in Chriſto Domino.

Alij denique dicunt hunc articulum intelligi poſſe in duplici ſenſu. Primus eſt, an natura ſubſtantiæ creatæ, relicta ſua cõnaturali exiſtentia, & ſua connaturali ſubſiſtentia, poſſit ſaltem diuinitùs exiſtere, & ſubſiſtere exiſtentia, & ſubſiſtentia alterius naturæ, puta naturæ Pauli, vel naturæ Angeli. Secundus ſenſus eſt, an natura vnius ſubſtantiæ creatæ, manens cum ſua naturali exiſtentia, & cum ſua connaturali ſubſiſtentia perſonali, poſſit Diuinitùs ſimul exiſtere, & ſubſiſtere exiſtentia, & ſubſiſtentia alterius ſubſtantiæ; eo nimirùm modo, quo Theologi docet, naturam humanã in Chriſto Domino, ſubſiſtentem ſubſiſtentia perſonali Verbi Diuini poſſe ſimul ſubſiſtere ſubſiſtentia perſonali Patris, & Spiritus Sancti. In quocumque ſenſu proponatur articulus examinandus, valdè controuerſus eſt apud Theologos, & Metaphyſicos.

Scotus, Bacconus, Baſſolus, & alij, quos Recentiores citant, & ſequuntur, apertè opinantur, non implicare contradictionem, naturam vnius ſubſtantiæ creatæ poſſe perſonari, & ſuppoſitari alieno ſuppoſito creato, quod idem eſt, ac dicere poſſe ſubſiſtere, vel etiam exiſtere, exiſtentia, & ſubſiſtentia alterius ſubſtantiæ creatæ.

Sed, vt verum fatear, in his, quos legi, non inueni, an intelligant de vnione informationis, an de vnione in ratione termini ſubſtantialis; ſed quicquid ſit de illorum mente.

Fundamentum poteſt eſſe hoc commune, tàm ad aſſerendam vnionem poſſe fieri per informationem, quàm per terminationem. Non implicat contradictionem, naturam ſubſtantię creatę, relicta ſua connaturali exiſtentia, & ſua connaturali ſubſiſtentia, exiſtere, & ſubſiſtere exiſtentia, & ſubſiſtentia alienę naturæ; ſed poſſibile eſt fieri quicquid non implicat contradictionẽ; ergo, &c. Maior probatur: quoniam ex nullo capite aſſignari poteſt cauſa contradictionis; nàm. Si

Primò dicas, cauſam, & caput contradictionis eſſe; quia ad hanc vnionem requiritur infinitas in actu in ſubſiſtentia, & exiſtentia alienæ naturæ creatæ; nàm exiſtentia, vel ſubſiſtentia naturæ creatæ, qua ratione poſſet eſſe actus, actuans vnam naturam; poſſet etiam eſſe actus infinitarum naturarum, præter propriam, & connaturalem; ſed contradicit cuicumque enti creato infinitas in actu; vel, quia quolibet ens creatum, ſiuè per ſe, ſiuè cum alio eſt intrà determinatam ſpeciem; ſed infinitum in actu repugnat eſſe in ſpecie; vel, quia infinitas in actu, eſt infinitas ſecundùm formã, ſiuè ſecundùm actum; actus autem infinitus excludit à ſe eſſe receptibile in ſubiecto; at exiſtentia, & ſubſiſtentia creatæ, ſunt actus ſubiectiui.

Reſpondere ſtatim poſſunt duo Primũ quod hæc infinitas eſſet extrinſeca; quia exiſtentia, vel ſubſiſtentia eſt terminus extrinſecus alienæ naturę; nàm, eſt extrà latitudinem formalem propriam alienę naturæ. Secundum, quod nulla omninò eſſet infinitas; nàm eſſet actus terminatus; quia eſſet actus formalis, qui nunquam excedit ſeipſum: tùm quia ratio formalis conſiſtit in indiuiſibili, quę non patitur additionem, neque ſubſtractionem prędicati eſſentialis: tùm etiam quia in quacumque communicatione, ſemper eſt idem terminus ſubſtantialis; puta exiſtentia, vel ſubſiſtentia creata, ſeipſam communicans naturæ alterius.

Secundò ſi dicas, quod tàm exiſtentia, quàm ſubſiſtentia creata, ſunt eſſentialiter modus; quia ſunt eſſentialiter actuale exercitium eſſentię creatę; implicat autem modum vnius naturę, fieri modum alterius diuerſę naturæ.

Reſpondebunt ſtatim dupliciter; exiſtentiam, & ſubſiſtentiam in creatis ſubſtã-

tijs

tijs non esse modos intrinsecos; sed modos extrinsecos; quia sunt actus completiuus essētię in genere entis formaliter: modus verò extrinsecus vnius naturæ potest esse in vno indiuiduo modus extrinsecus alienę naturę: non enim perderet suum conceptum actualis exercitij: nam essentialiter solùm dicit esse actuale exercitium eius naturæ, in qua ponitur; quamquam connaturaliter petit proprium subiectum, siuè naturam: exigentia autem connaturalis, non excludit existentiam, vel subsistentiam posse esse actuale exercitium extraneæ naturæ. Secundò, posset hoc fieri respectu extraneæ naturæ solùm per terminationem præcisa modificatione, nimirùm, vnione modificabilis cũ suo modo, quomodo Verbum Diuinum de facto naturam humanam in Christo Domino suppositat, & personat, hanc opinionem sequuti sunt etiam Tertullianus de facto; *libro de carne Christi* contra Marcionem, ostēdens possibilitatem incarnationis, affert exemplum Angelorum, qui assumpserunt corpora; & Origenes in Euangelium Ioannis videtur existimare, Ioannem Baptistam fuisse Angelum iuxtà illud; *Ecce mitto Angelum meum*, &c.

Thomistæ communiter cum S. Thoma sentiunt oppositum *3. p. quæst. 3. artic. 1. ad 2.* legendus est Caietan. *eodem loco*, quorum opinio explicabitur sequenti conclusioni.

Vnica conclusio: implicat contradictionem, naturam, siuè essentiam vnius substātiæ creatæ existere existentia, & subsistere subsistentia alterius naturæ creatæ, siuè intrà idem genus, siuè diuersi generis; etiam diuinitùs: quod est idem, ac dicere, esse simpliciter, & absolutè impossibile existentiã; sicut, & subsistentiam vnius naturæ, esse actum, vel terminum substantialem alterius naturæ diuersæ; v. g. existentiam substantialem, & subsistentiam, v. g. naturæ Petri, siuè relicta Petri natura, siuè terminans Petri naturam, fieri etiam actum existendi, vel terminum substantialem naturæ Ioannis, vel Angeli; & è conuerso.

Conclusio in terminis est S.Th. *loc. cit. ad 2.* vbi expressè, & clarè docet, esse proprium Diuinæ Personę propter eius infinitatem, vt fiat in ea concursus naturarum: non quidem accidentaliter; sed secundùm subsistentiam, quod autem est proprium Dei, est incommunicabile: contrarium tuetur Scotus *in 3. sententiarum, dist. 1. qu. 4.* qui impugnat S. Thomam, dicens, quod ratio supra allata à S. Thoma *ad 2.* non videtur concludere: quia, inquit, Verbum Diuinum, non est infinitum secundùm rationem suæ personalitatis, secundùm quam substantificat naturam humanam assumptam; igitur non requiritur infinitas in personalitate ad suppositandum alienam naturam: antecedens probat; quia tunc aliqua perfectio formaliter de esset Petri, quæ est in Filio.

Fundamentum conclusionis mihi est; quia subsistentia, sicut, & existentia substātialis vnius substantię creatę: puta Petri, vel Angeli, est intrinsecè, & essentialiter limitata, non solùm ad genus, & speciem: sed etiam ad indiuiduum determinatum; sed implicat existentiam, & subsistentiam huiusmodi esse, vel fieri existentiam, & subsistentiam, non solùm alienę naturę diuersę in specie, vel in genere; sed etiam diuersæ tantùm numero, seù indiuidualiter; ergo implicat, naturam vnius substantię creatę existere, & subsistere existentia, & subsistētia alterius naturę creatę, etiam solùm indiuiduo diuersę. Consimili ratione S. Thomas *in disputatis, quæstione de cognitione Angelorũ*, ostendit, non posse essentiam vnius Angeli, esse speciem intelligibilem, siuè vniri, vt formam intelligibilem in intellectu alterius Angeli; quia essentia vnius Angeli essentialiter est determinata, non solùm ad genus, & speciem; sed etiam ad indiuiduum determinatum; cuius ratio est; quia forma intrinsecè limitata ad determinatum indiuiduum, non potest esse principium formale esse alterius indiuidui; excederet enim seipsam; sed essentia vnius Angeli est limitata, vt sit forma intelligibilis in suo intellectu sui esse intelligibilis; ergo principium formale esse intelligibilis, quod est intelligere intellectu alterius indiuidui; nàm non esset limitata ad vnum determinatum indiuiduum.

Hoc fundamentum, est S. Thomę *loc. supr. citat.* vbi dicit, esse proprium Diuinę personalitatis esse terminum substantialem diuersę naturę propter eius infinitatem; sed repugnat existentię, & subsistentię creatis infinitas in actu: quia subsistentia, & existētia naturę creatę sunt limitatę ad genus, speciem, & indiuiduum determinatum intrinsecè; infinitum autem in actu, negat à se limitationem ad genus, speciem, & indiuiduum, quoniam est actus, siuè esse non receptibile in subiecto; limitatiuum enim actus, est subiectum; ergo infinitum in actu debet esse actus non receptibilis in subiecto; limitatiuum enim actus, est subiectum; ergo infinitum in actu debet esse actus non receptibilis in subiecto, siuè actus sine sui receptiuo. Doctrina S. Thomæ probatur: quo-

quoniam esse tàm existentiæ, quàm subsistentiæ vnius naturæ, vt fiat intrinsecè actus, siuè esse diuersæ naturæ, debet esse non solùm esse formaliter suæ naturæ; sed etiam debet esse formaliter esse alterius naturæ diuersæ speciei completæ, quæ est in recta linea prædicamentali; at hoc necessariò est esse infinitum formaliter; quoniam adunat sub vno esse, absq; vlla diuisione, esse diuersarum naturarum. Discursus est euidens, & explicatur; nàm si esse subsistentiæ, & existentiæ vnius naturæ, & esse subsistentiæ, & existentiæ alterius diuersæ naturæ, adunarentur in vno eminentiori esse, sine vlla intrinseca diuisione; hæc adunatio non aliundè fieri posset; nisi, quia esse diuersarum naturarum eleuantur ad illimitationem formalem vnius esse sublimioris, & eminentioris; quia fieret relictis limitationibus; sicut, v.g. si intellectus, & voluntas adunarentur in vnam formalitatem, quæ simul esset intellectus, & voluntas, sine vlla intrinseca diuisione; hæc adunatio esset ex illimitatione formali esse, in quo adunatur.

Nec oppositum probat ratio Scoti, cum arguit dicens, quod ratio S. Thomæ non videtur concludere; quia Verbum Diuinū non est infinitum secundùm rationem suæ personalitatis, secundùm quam personat naturam humanam assumptam: & ratio est; quia personalitas vnius Personæ Diuinæ non dicit prçcisè incommunicabilitatem, quç est ex oppositione originis: sed etiam subsistentiam; nàm personalitas, siuè suppositalitas est subsistentia in communicabilis pluribus personis; subsistentia autem Dei est formaliter infinita. Vel

Respondendum est, quod personalitas in Diuinis, secundùm quod formaliter est incommunicabilis pluribus Personis, licet non sit infinita infinitate propria, est tamen infinita infinitate esse, & subsistētię absolutæ Diuinæ naturæ, quç scilicèt est ipsa Diuina natura; incommunicabilitas enim personalis in Diuinis est modalitas intrinseca relatiua; modus autem intrinsecus entificatur, & realizatur esse sui veluti modificati, & consequenter incommunicabilitas in Diuina Persona est infinita formaliter non sua propria infinitate; sed infinitate formali esse essentialis Diuinç naturæ: & propter hanc infinitatem, proprium est solius Diuinæ personæ, vt in ea fiat concursus naturarum, non quidem accidentalium; sed substantialium: quod etiam dicendum est de personalitate creata, si ea personat aliam naturā; quoniam personalitas creata, quæ est absoluta, est incommunicabilis: quia est subsistentia limitata; limitatio autem, cum sit modus intrinsecus, non est perfectio in genere entis sua ratione formali; sed ratione formali sui veluti subiecti modificati. Doctrina est euidēs: quia persona etiam in Diuinis est formaliter subsistens incommunicabiliter; subsistens autem incommunicabile non constituitur, nisi incōmunicabili subsistentia entificante incommunicabilitatem in sua ratione formali, quæ ei competit ex oppositione relatiua originis; & hæc incommunicabilitas personalis, non personat, & suppositat extrà subsistentiam, & existentiam essentialem Diuinæ naturæ; sed intrà subsistentiam, & existentiam essentialem in Deo; quoniam personalitas formaliter, in Diuinis, vt cōcedit Scotus, est ratio realis positiua: at incommunicabilitas personalis, qua natura est incommunicabilis alij supposito, siuè personæ, cum sit modalitas intrinseca, non potest esse realis, nisi intrà esse Diuinę naturæ, à quo intrinsecè realizatur, & entificatur, & consequenter infinitatur in tota sua latitudine formali, & vt sic est constitutiua personæ; extrà autem esse Diuinum incommunicabilitas relatiua non est realis; sed chymerica: sicut modus intrinsecus extrà entitatem modificati est chymericus; quia modus non est intrinsecè ens, nisi entitate sui modificati.

Neque ex hac doctrina sequitur, inquit Caietanus, quod arguit Scotus, quod aliqua perfectio formaliter deesset Patri, quæ est in Filio, si personalitas secundùm rationem formalem personalitatis esset infinita; quoniam deesset in Patre Filiatio, & in Filio deesset Paternitas; sed non deesset esse, à quo est omnis perfectio in Deo; quoniam paternitas, & filiatio, cum intrinsecè sint modi reales à realitate esse Diuinæ essentiæ, quod esse est totum formaliter in omnibus Diuinis Personis. Fortè hoc sequeretur, si Paternitas, & Filiatio essent ens formaliter, hoc est, suis rationibus formalibus: sed hoc est falsum; sunt enim intrinsecè ens Diuinum entitate non propria: sed entitate Diuinæ essentię: nàm filiatio, & paternitas in Diuinis Personis, cū sint modi intrinseci Diuinç naturç, non sunt ens existens, & subsistens, nisi intrà existentiam, & subsistentiam essentialem Diuinç essentię, & vt sic, quatenùs sunt reales realitate esse Diuinç essentię, sunt cōstitutiuç Personarum; quoniam, vt dictum est, constitutiuum personç, est subsistentia incommunicabilis, nimirùm, subsistentia veluti modificati, incommunicabilitate, non ex-

extrà, sed intrà esse Diuinę essentię.

Neque dicas, quod Paternitas, & Filiatio sunt reales realitate essentiali propria; quoniam essentia in Deo, est essentialiter esse; sed esse in Deo, vnum tantùm est; quia est infinitum formaliter, hoc est tantùm vnum.

Ex hac Caietan. doctrina colligitur, quod Caietan. soluit argumentum Scoti, sequens eiusdem Scoti acutissimam doctrinam, quam prius docuit S. Thomas, vt suo loco ostendimus, nimirùm, quod modi entis formaliter, non sunt ens, nimirùm, extrà entitatem entis modificati; sed entificātur formaliter ab entitate sui modificati.

Ex dictis facilè soluitur argumentum, quo Authores contrariæ sententiæ ostendunt non implicare contradictionem, existentiam, & subsistentiam vnius substantię creatæ, saltem diuinitùs, posse esse actum subsistendi, & existendi alienæ naturæ, siuè intrà idem genus, siuè diuersi generis: & cum.

Primò dicunt, quod adhoc, vt existentia, & subsistentia vnius substantiæ creatæ, fiant existentia, & subsistentia alterius naturæ, siuè simul, siuè successiuè, non requiritur infinitas formalis, & intrinseca in termino substantiali; sed solum sufficit infinitas extrinseca, quæ potest conuenire enti creato; eo pacto, quo docent Theologi, Visionem beatificam in intellectu creato esse infinitam extrinsecè, non intrinsecè, & formaliter; idq; probari potest. Primò, quoniam existentia, vel subsistentia, quæ vnitur suæ naturæ connaturali, vt actus suæ potentiæ, siuè vnione actus, & potentiæ; vnitur alienæ naturæ vt terminus, non autem vt actus, scilicèt vnione termini substantialis, non autem vnione actus suę potentiæ; quo pacto personalitas Verbi Diuini vnitur naturæ humanæ in Christo Domino, vt terminus substantialis, naturæ vt terminabili substantialiter; at terminus substantialis in ratione termini, naturæ alienæ, est extrinsecus, non intrinsecus; ac proindè ad terminandam alienam naturam substantialiter, non requiritur infinitas in termino substantiali terminante. Secundò, nulla ratione est necessaria infinitas intrinseca; nàm hæc est ex termino formali infinito; sed pluritas naturarum potest esse infinita tantùm materialiter; at vna ratio formalis terminabilis substantialiter finita, potest esse ratio terminabilis in infinitis materialiter.

Confirmari, & explicari potest hæc ratio, hoc alio medio; subsistentia, vel existentia vnius substantiæ creatæ, si diuinitùs fieret terminus alienæ naturæ; fieret terminus alienæ naturæ, quatenùs illa est terminabilis substantialiter vt sic; sed adhoc sufficit infinitas extrinseca in termino substātiali potente terminari; quia in eo esset vis terminatiua tantùm materialiter; nàm ratio formalis cur terminus substantialis potest terminare naturam, nō est, quia natura est terminabilis modo infinito; sed quia est terminabilis substantialiter vt sic; ad rationem autem terminabilis substantialiter vt sic, naturam esse terminabilem modo infinito, vel modo finito, se habent materialiter. Probatur doctrina hæc paritate intellectus creati, qui est eleuabilis ad videndum Deum, quatenùs Deus est intrà intelligibile vt sic; non autem quia Deus est intelligibilis modo infinito; aut quia Deus est ens intelligibile infinitum; ac proindè ad vidēdum Deum intuitiuè, scilicèt, proùt est in seipso, non requiritur in intellectu creato infinitas formalis; sed tantùm infinitas materialis, siuè extensiua, quæ est ad obiectum materiale infinitum.

Respondeo; nego maiorem; quandoquidem vt esse, siuè existentię, siuè subsistentię vnius naturæ creatæ, fiat existentia, siuè subsistentia alterius naturę creatæ; debet esse formaliter esse vtriusque naturę, nàm esse vnius naturę creatę est limitatum ad vnum indiuiduum: sed hoc non potest fieri, nisi adunentur in vno esse sublimiori infinito formaliter, quod scilicet formaliter sit esse vtriusque naturę; ergo vt esse vnius naturæ, fiat esse, siuè existentia alterius naturę, debet in se esse infinitum formaliter; hoc autem repugnat, & contradicit existentiæ, & subsistentię vnius naturę creatę; quoniam esse vnius naturæ creatę est limitatum ad genus, ad speciem, & ad indiuiduum determinatum. Maior, in qua est difficultas est propositio S. Thomę *loc. cit. 3. p.* quod concursus plurium naturarum in vnam personam est proprium Personę Diuinę propter eius infinitatem formalem; & probatur; quoniam esse vnius naturæ creatę non potest fieri esse alterius naturę Diuinę etiam solo numero, nisi transferatur ad esse pręscindens à limitatione, vel potius illimitatū, eo ꝙ debet fieri esse, quod est formaliter esse vtriusque; & comprobatur, nàm esse vnius determinatę naturæ, si fieri debeat esse alterius naturę, debet supplere esse formale alterius naturę diuersę; hoc autem non potest pręstare, nisi sit formaliter esse etiam alterius naturę; ob hanc etiam rationem, non potest species intelligibilis

gibilis

gibilis vnius obiecti esse in intellectu species intelligibilis alterius obiecti diuersi; vt, v.g. species intelligibilis Angeli Gabrielis, non potest simul, neque successiuè fieri species intelligibilis Angeli Rafaelis; quoniā non potest supplere carentiam sui obiecti formaliter in intellectu, & carentiam alterius obiecti formaliter diuersi, nisi sit simul formaliter quidditas vtriusque obiecti in modo essendi intelligibili: hoc ipsum etiam dicendum est de existentia, & subsistentia vnius naturę creatę, si ponatur posse esse existentia, & subsistentia alterius naturę creatę; quoniam existentia, vel subsistentia adhuc supplet indigentiam formalem naturę in existendo, & subsistendo.

Cum opponunt Aduersarij, quod vt esse vnius naturę creatæ fiat esse diuersum alterius naturæ, requiritur in eo infinitas materialis, nō autem infinitas formalis; & hęc, vel quia requiritur infinitas terminatiua, cum esse, vel subsistentia vnius naturæ creatæ, diuinitùs potest fieri esse alterius naturæ in ratione termini, non autem in ratione actus; hæc autem infinitas est extrinseca; quia est extra latitudinem formalem naturæ, cum natura in creatis sit determinata ad ens essentiale, quod non potest dici de existentia, & subsistentia in ratione actus; quoniam actus, & potentia per se sunt in eodem genere; vel quia plures naturæ sunt terminabiles, & plures materialiter sub ratione terminabilis substantialiter, non autem sunt terminabiles formaliter; sicut intellectus creatus potest cognoscere infinitos homines, si essent actu cognitione finita formaliter, infinita autem tantùm infinitate extrinseca, siuè extēsiua: pariter existentia vnius naturæ creatę est terminus vnius determinatæ naturę materialiter, non formaliter; nàm existentia formaliter est actus naturæ, vt existibilis, & ideò, inquiunt Aduersarij, quod qua ratione existentia vnius naturæ est actus vnius, potest etiam esse actus infinitarum naturarum, saltem eiusdem specieį, quod nos negamus.

Respondeo: negando assumptum, & assigno disparitatem inter potentiam cognitiuam potētis cognoscere infinita obiecta materialiter, & inter existentiam, vel subsistentiam vnius determinatæ naturæ in terminando; etenim existentia, vel subsistētia vnius determinatæ naturæ, est terminatiua naturæ propriæ formaliter, non materialiter, idest terminat naturam propriam, inquantùm illa est hoc terminabile substātialiter; non autem inquantùm est terminabilis formaliter; intellectus verò creatus terminatur ad infinita obiecta, inquantùm conueniunt in ratione cognoscibilis vt sic, non autem inquantùm vnumquodq; est tale cognoscibile formaliter: & prima radix huius diuersitatis est, quantùm nunc video; quia potentia intellectiua creata est pura potentia in genere intelligibilis, & est potentia ad intelligibile vt sic; pura autem potentia in eo genere, in quo est pura potentia formalis est nullius speciei, & cōsequenter nullius indiuidui, quod enim non est in specie, neque potest esse in indiuiduo; sicut, quod non est in genere, neque potest esse in specie. Species enim supponit genus, & indiuiduum supponit speciem, ac proindè pura potentia formalis in genere intelligibilis, est formaliter ad intelligibile, vt sic; at verò esse existentię, vel subsistentię vnius determinatæ naturæ est essentialiter limitatum ad genus speciem, & indiuiduum, non vagum, sed determinatum; hoc autem est terminus, siuè actus naturæ terminabilis substantialiter, inquantùm est hoc terminabile substātialiter determinatum; ac proindè, non potest terminare alienam, & diuersam naturam; implicat enim exire suum formale terminabile.

Quod si primò dicas; potentia sensitiua adhuc est obiecti singularis, & tamen potest cognoscere plura singularia; ergo licet existentia, vel subsistentia vnius naturę creatæ est vnius singularis naturæ terminabilis; tamen non impeditur, quin possit esse terminus alienæ naturæ adhuc singularis.

Respondeo: distinguo antecedens; potentia sensitiua est obiecti singularis indeterminati, seù vagi; concedo: obiecti singularis determinati formaliter, & nego; at existentia, vel subsistentia vnius naturę creatę, est terminus formaliter vnius determinatæ naturæ singularis, inquantùm scilicèt est hæc natura terminabilis substātialiter, & radix prima huius diuersitatis est; quoniam potentia cognitiua est receptiua specierum sine modo essendi naturali, quo quidditas obiecti determinatur ad extrà; subsistentia verò est terminus naturalis, scilicèt in modo essendi naturali suæ naturæ connaturalis.

Quod si secundò dicas: etiam si existētia, vel subsistentia vnius naturæ creatæ trāsferatur ad alienam naturam, vel per informationem, siuè modificationem, vel per terminationem; tamen non perdit suum conceptum intrinsecum existentiæ, vel subsistentiæ, nàm essentialiter solùm dicit esse

actuale naturæ, in qua ponitur, quamquam connaturaliter petit propriam naturam, quod non excludit supernaturalem potentiam, vt fiat esse alterius naturæ: ergo, &c.

Respondeo; nego antecedens, & rationem iam assignauimus cum S. Thoma; etenim non potest esse, siuè subsistentia vnius determinatæ naturæ creatæ, fieri esse alterius naturæ, nisi in priori transferatur ad esse infinitum, quod scilicèt sit formaliter esse plurium naturarum. Prætereà non potest esse vnius naturæ fieri esse alterius, nisi relinquat limitationem, per quam est esse suæ naturæ connaturalis; relictio autem limitationis, non fit; nisi quia esse transfertur ad esse infinitum.

Quod si tertiò dicas: esse formæ substantialis fit esse materiæ primæ, quæ est essentialiter diuersa à forma; nam forma est essentialiter actus formalis; materia verò est essentialiter potētia formalis; sed eadem ratio est de esse existentiæ, & subsistentiæ vnius determinatæ substantiæ creatæ: & probatur; quia est maior diuersitas inter materiam primam, & formam substantialem, quàm inter duas naturas distinctas solo numero intrà eandem speciem; sed illa maior diuersitas non impedit, quin existētia formæ substantialis fiat esse materiæ primæ; ergo multò magis, neque minor diuersitas impediet, quin esse vnius naturæ possit fieri esse alterius diuersæ naturæ, nimirùm, quin esse naturæ Petri fiat esse naturæ Pauli; & hæc instantia probat, quod saltem natura, v.g. Petri potest existere existentia naturæ Pauli, quæ sunt naturæ solo numero diuersæ.

Respondeo; concedo maiorem, & nego minorem; & disparitas est, quia forma substantialis, & materia ex quibus fit vnum per se, sunt intrà idem genus, speciem, & determinatum indiuiduum; at duæ naturæ in duobus indiuiduis intrà eandem speciem, sunt limitata ad diuersa indiuidua determinata; pariter existentiæ illarum naturarum sunt adhuc intrinsecè limitatæ ad determinata indiuidua naturæ; esse autem limitatum ad vnum indiuiduum formaliter, implicat fieri esse alterius indiuidui formaliter; quia non potest fieri esse alterius, nisi transferatur ad esse illimitatum. Cum verò dicitur, quod maior diuersitas est inter materiam, & formam substantialem, quàm inter duas naturas duorum indiuiduorum vnius speciei, &c.

Respondeo, quod est maior diuersitas intrà idem indiuiduum, non intrà diuersa indiuidua; materia enim prima, vt alibi diximus, non fit indiuidua formaliter, nisi per differentiam indiuidualem, quæ supponit materiam, iam in specie determinata, & etiam determinata indiuidualiter in radice, iuxtà opinionem S. Tho. dicentis, principiū radicale indiuiduationis, esse materiam signatam quantitate, & dispositionibus determinatis: quæ doctrina non impedit, quin materia formaliter indiuiduetur differentia indiuiduali superueniente materiæ, vt iam constituta in specie per formam substantialem.

Quod si quartò dicas, hanc doctrinam veram esse de potentia naturali, non autem de potentia supernaturali, & absoluta Dei; sicut implicat naturaliter, vnum, & eundē effectum simul causari à duplici causa totali, & adęquata; sed absolutè, & simpliciter non implicat, & vt plures etiam docti Thomistæ dicunt, ꝙ implicat naturaliter multiplicari Angelos intrà eandem speciem athomam; sed non implicat, vt *multiplicentur* Angeli intrà eandem *speciem simpliciterr* & absolutè, & *consequenter* potentia supernaturali.

Respondeo, nego assumptum; possibilitas enim supernaturalis, non potest esse, vbi est absoluta implicantia in terminis; absolutè enim, & simpliciter solùm factibile est à Deo, quod non implicat contradictionem; sed vt ostendimus, implicat contradictionem, existentiam, vel subsistentiam vnius naturæ creatæ, fieri existentiam, vel subsistentiam alienæ naturæ.

Dices vltimò: non inuoluit implicantiam, existentiam creatam esse tantæ plenitudinis, quæ se extendat ad plura; sed hoc posito, non implicat essentiam vnius substātiæ creatæ existere existentia alterius creatę substantiæ. Maior probatur, quia in composito physico substantiali, vnica existentia se extendit ad plura entia diuersa: nimirùm ad materiam, & formam; imò maior distantia est inter materiam, & formam substantialem, quàm inter naturas duorum indiuiduorum intrà eandem speciem athomam.

Respondeo ex dictis, distinguo maiorem: non inuoluit contradictionem, vnicam existentiam se extendere ad plura intrà eādem speciem, & indiniduum determinatum, & concedo: non inuoluit contradictionem, vnam existentiam se extendere ad plura entia diuersa diuersarum specierum, vel diuersorum indiuiduorum intrà eandem speciem athomam, & nego.

AR-

## ARTICVLVS OCTAVVS.

### Vtrum essentia, siuè natura substantiæ creatæ, possit existere existentia Personæ Diuinæ.

PRæcedente Articulo ostendimus cum S.Thoma, naturā, siuè essentiam vnius substantiæ creatæ absolutè, & simpliciter non posse existere existentia alterius substantiæ creatę; nunc proponimus examinandum, an essentia, siuè natura substantiæ creatæ possit simpliciter, & absolutè existere existentia Diuinæ Personæ; certissimum enim est apud omnes Theologos,& de fide, naturam humanam in Christo Domino subsistere subsistentia personali Verbi Diuini: cuius ratio est; quia vnio naturę humanæ cum Verbo Diuino, est vnio personalis, siuè suppositalis; vnio autem suppositalis, siuè personalis,est vnio cum subsistentia personali, quæ est subsistentia incommunicabilis pluribus personis inferioribus.Sed controuersia est apud Theologos solùm, an natura humana in Christo Domino existat etiam existentia Verbi Diuini, & quæsitum habet locum, tàm apud Theologos, qui distinguūt in creaturis cōpletis in genere entis realiter, essentiam ab existentia in ratione subiecti; quàm apud eos,qui nullo pacto distinguūt realiter in creaturis completis essentiam ab existentia: qui enim non distinguunt realiter essētiam ab existentia in ratione subiecti, dicūt existentiam creatam naturæ, v.g.humanæ Christi Domini,non esse ei impedimentum ad existendum etiam existentia Verbi Diuini; sicut personalitas Verbi Diuini,non est impedimentum naturæ humanæ in Christo Domino, vt sit assumptibilis personaliter etiam ab alijs Diuinis Personis, etiam collectiuè sumptis, nimirùm à persona Patris, & à persona Filij.

Dupliciter autem potest intelligi esse possibilis vnio naturæ humanæ Christi Domini, vel naturæ alterius substantię intellectualis;vno modo,in ratione potentię, & actus; alio modo, in ratione naturæ, & termini substantialis. Primo modo, nullo modo potest natura humana Christi Domi,aut alia natura creata intellectualis existere existentia Verbi Diuini;quoniam existentia in Personis Diuinis,nullo modo potest habere rationem actus actuantis; sicut neque potest habere rationem modi;sed solùm habet rationem termini substantialis in ratione entis per se, & ratio huius est, quoniam actus inuoluit rationem partis;in hoc enim distinguitur actus substantialis à termino substantiali, quod terminus substantialis,dicit solùm dependentiam in natura terminabili substantialiter; actus verò dicit perfectibilitatem ab esse totius, quod cum alio componit; vbi autem est perfectibilitas, est dependentia, & indè est, quod vnio compositionis,siuè informationis supponit perfectibilitatem in vtroque extremo;vnio verò termini substantialis, supponit, & requirit tantummodò perfectibilitatem in natura terminabili; nàm vnio naturæ, & termini dicit solùm dependentiam naturæ, vt terminabilis à termino, vt terminante substantialiter;dependentia autem fundatur in potentialitate, siuè in perfectibilitate; in termino verò terminante dicit solùm independentiam, & ratio est; quia esse terminum dependentiæ est esse id, à quo aliud pendet; in hoc autem conceptu depēdentia solùm est ex parte pendentis,vt fusè probabitur *in quæstione de Incarnatione Verbi Diuini*; solummodò controuersia est, an natura humana Christi Domini possit existere existentia etiam Verbi Diuini per vnionem naturæ, & termini substantialis.

Neque dicas, quod subsistentia personalis tantummodò habet rationem termini substantialis; nàm si existentia, adhuc vt existentia,esset terminus substantialis,nulla esset assignabilis diuersitas inter essentiam substantialem, & subsistentiam: & ratio à priori est; quoniam subsistentia personalis, de qua nos loquimur, est qua natura redditur incommunicabilis pluribus naturis, siuè suppositis; incommunicabilitas autem substantialis habet rationem vltimi, siuè termini.

Non hoc dicas; quoniam terminus substantialis duplex est, vt suprà sæpè explicauimus, alius est terminus substantialis in ratione entis per se; & alius est terminus substantialis, quo natura substantialis redditur incommunicabilis formaliter pluribus personis inferioribus; primus terminus est formaliter existentia substantialis;secūdus terminus verò est subsistentia personalis, nempè subsistentia incommunicabilis pluribus suppositis, siuè pluribus personis inferioribus.

Neque dicas, quod hic conceptus est conceptus indiuidui substantiæ, quod est concretum indiuiduale naturæ substantiæ; at indiuiduum substantiæ distinguitur rea-

liter à ſuppoſito, & à perſona, vt patet in natura humana Chriſti Domini, quæ vt ſingularis, eſt perſonata perſona Verbi Diuini; quod enim commune eſt, ſubſiſtere nō poteſt; nam ſubſiſtentia, ſicut & exiſtentia realis habet rationem vltimi termini ſub diuerſa ratione formali, vt diximus; terminus autem realis ſupponit naturam ſubſtātiæ completam vſque ad differentiam indiuidualem incluſiuè.

Reſpondeo enim ex dictis, quod non eadem ratione formali, ſed diuerſa ratione formali, eſt incommunicabilis natura indiuidua pluribus inferioribus, & perſona; natura enim ſingularis eſt incommunicabilis pluribus inferioribus eſſentialibus, nimirū, pluribus indiuiduis, quæ ſunt concreta ſolummodò naturæ ſpecificæ vltimę, ſiuè athomæ; perſona verò eſt incommunicabilis pluribus Perſonis, quæ ſunt veluti ſubiecta ſubſtantialia, quæ ſupponuntur omnibus prædicatis, tàm ſecundùm eſſentiam, quàm ſecundùm eſſe; hoc enim ſignificat ſuppoſitum, vt dicit S.Thomas *3.p.*& ſequitur Dur. quod ſcilicèt ſubijcitur omnibus prædicatis; indiuiduum verò ſubijcitur tantùm omnibus prædicatis eſſentialibus.

Circa hunc articulum in ſenſu explicato ſunt plures Theologorum ſententiæ variæ.

Prima contendit; eſſe impoſſibile, humanitatem Chriſti Domini exiſtere in rerum natura per exiſtentiam increatam Verbi Diuini: hanc ſententiam latè explicat, & ſequitur Suarez in *3.p.S.Thomæ qu.17.artic. 1.diſp.36.ſect.1.& 2.*

Fundamentum præcipuum, quo Suarez probat hanc impoſſibilitatem, eſt hoc: exiſtentia cuiuslibet Diuinæ Perſonæ eſt abſoluta, & eſſentialis, quæ eſt ipſamet Diuina natura eſſentialiter; at implicat, ſiuè impoſſibile eſt, naturam humanam Chriſti Domini exiſtere exiſtentia abſoluta, & eſſentiali Diuinæ naturæ; ergo impoſſibile eſt naturam humanam Chriſti Domini poſſe exiſtere exiſtentia, qua exiſtit Verbū Diuinum. Maior probatur; quoniam vt dicemus in *quæſtione de eſſentia, & exiſtentia Dei*, eſſe, quod eſt Dei eſſentia, eſſentialiter eſt infinitum infinitudine formali, quod eſt eſſe irreceptum, ideſt eſt eſſe ſine ſui limitatiuo; limitatiuum enim eſſe eſt eſſentia receptiua realiter; eſſe autem irreceptibile in eſſentia, eſt ſine ſui limitatiuo; at eſſe infinitum formaliter, non eſt niſi vnum, quod eſt commune pluribus Diuinis Perſonis; eſſe autem commune, eſt eſſe abſolutum, & eſſentiale. Minor principalis argumenti probatur. Primò, quia natura humana non eſt vnibilis Verbo Diuino vnione intrinſeca, niſi vnione naturæ terminabilis, & termini ſubſtantialis; ſed hæc eſt vnio tantummodò naturæ cum perſonalitate Verbi Diuini; quoniam vnio perſonalis formaliter eſt ad perſonam. Secundò probatur, quia vnio naturæ humanæ cum exiſtentia Diuinæ naturæ, eſt vnio in natura; hæc autem contradicit naturæ Diuinæ; quia vnio naturę eſt vnio partium eſſentialium: contradicit autem naturæ Diuinę eſſe partem eſſentialem perfectiuam naturæ humanæ; & confirmatur, ſi eſſet poſſibilis vnio naturæ humanæ cum exiſtentia Verbi Diuini, hoc ipſo, quod vniretur cum exiſtentia Verbi Diuini, vniretur ſimul cum omnibus tribus Perſonis; ſed hoc eſt repugnans, quia vnio naturæ cum tribus Perſonis Diuinis eſt triplex vnio, non vna: quia vnio multiplicatur, & diſtinguitur ex diſtinctione formali ſui termini formalis; ſed eſſent tres termini formales diſtincti formaliter; quia vnio eſſet cum tribus Diuinis Perſonis, quæ ſunt diſtinctæ actu diſtinctione veluti ſpecifica. Prima enim eſt Pater; ſecunda Filius; tertia Spiritus Sanctus.

Secunda ſententia eſt dicentium, naturam humanam in Chriſto Domino exiſtere ſua exiſtentia connaturali de facto; ſubſiſtere verò ſubſiſtentia perſonali Verbi Diuini; at abſolutè, & ſimpliciter poſſe exiſtere etiam exiſtentia Verbi Diuini, non relicta propria, & connaturali exiſtentia; ſicut poſſibile eſt, naturam humanam perſonatam perſonalitate Verbi Diuini perſonari perſonalitate Patris, & Spiritus Sancti ſimul. Hanc concluſionem ſequuntur omnes, qui non diſtinguūt realiter in creaturis completis in genere entis, eſſentiam ab exiſtentia realiter in ratione ſubiecti.

Fundamentum huius ſententiæ eſſe poteſt hoc; nam ratio cur non poteſt natura, ſiuè eſſentia vnius ſubſtantiæ creatæ exiſtere exiſtentia alterius ſubſtantiæ creatæ, ſiuè relicta ſua exiſtentia connaturali, ſiuè manēs cum ſua connaturali exiſtentia; eſt quia exiſtentia naturæ creatæ alienæ, eſt eſſentialiter limitata non ſolùm ad genus, & ad ſpeciem; ſed etiam ad indiuiduū determinatum, determinatæ naturæ ſpecificæ; at exiſtentia Verbi Diuini, non eſt limitata; ſed eſt illimitata in ſua latitudine formali; ergo non reperitur ratio impediens in Verbo Diuino vnionem naturæ humanæ cum exiſtentia ipſius Verbi Diuini.

Tertia ſententia eſt aſſerentium, huma-

manitatem in Christo Domino, non solùm existere de facto per solam existentiam Verbi Diuini; sed etiam de potentia absoluta, non potuisse assumi à Verbo ad suam personalitatem, quin existat etiam ipsa humanitas per existentiam increatam Verbi. Hanc sententiam docent S. Thomas, & Caietan. *3.p.q.17.art.2.* vbi dicunt subsistentiã personalem constituere cum natura, receptiuum immediatum existentiæ substantialis eiusdem naturæ: quam sententiam nos sequimur, & explicabimus sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio. Possibile fuit, naturam humanam in Christo Domino existere per existentiam Verbi: est S. Thomæ, & Caiet. *loco supra cit. in 3.p.q.17.art.2.* contrarium docent Suarez, & alij plures; ratio fundamentalis generalis est, quoniam existentia Verbi Diuini, formaliter est terminus substantialis naturę Diuinę in ratione entis per se; sed ex hoc prædicato possibile est, naturam humanam Christi Domini existere existentię Verbi Diuini; ergo possibile fuit, naturam humanam in Christo Domino existere per existentiam Verbi. Maior certa est, nam definitur existentia formaliter, vltimus terminus entis per se in suo genere, cum sit vltimum complementũ essentiæ in genere entis. Minor verò probatur primò, nàm vnio termini substantialis cum natura substantiæ dicit in termino independentiam à natura, à se dependente substantialiter; sed hæc independentia non repugnat, vt fit in Deo; quia dicit perfectionem sine imperfectione in termino, & solùm supponit imperfectionem in natura dependente: & probatur; quippè independentia a se dependente fundatur in actu, qui perfectio est; dependentia verò fundatur in potentialitate, quæ est entitas imperfecta, & perfectibilis; ergo, &c. Secundò, subsistentia personalis Verbi Diuini potest personare formaliter naturam humanam in Christo Domino, ex eo quia est terminus substantialis essendi per se in ratione incommunicabilis pluribus suppositis, siuè personis; sed existentia Verbi Diuini adhuc terminus substantialis est; ergo adhuc potest terminare in ratione entis per se naturam humanam in Christo Domino.

Secunda conclusio. humanitas in Christo Domino de facto existit existentia Verbi Diuini mediante personalitate eiusdem Verbi Diuini absque propria, & connaturali existentia, est etiam S. Thomæ *eodem loco supra citato*, quem sequuntur Caietan. *eodem loco*, Capreol. *in 3.dist.6.Ferr.4.contr. Gentes, cap.35.circa finem*, nam S. Thomas *citata quæst. 17. artic. 2.* docet in Christo Domino vnum tantùm esse reperiri, nec potest explicari de esse subsistentiæ; sed solùm de esse existentiæ: neque potest explicari de esse existentiæ creatæ; nàm in solutione ad primum docet, personam, siuè suppositum esse immediatum susceptiuum esse substantialis. Ratio fundamentalis conclusionis est; quoniam personalitas, siuè subsistentia incommunicabilis constituit formaliter suppositum cum natura substantię, & personam cum natura intellectuali; sed natura substantiæ non potest esse receptiuũ existentiæ, nisi media persona, siuè medio supposito: ergo humanitas Christi Domini de facto existit existentia Verbi Diuini mediante persona eiusdem Verbi absque propria, & connaturali existentia. Minor, in qua esse potest difficultas, probatur; quippè vt suprà demonstrauimus, subsistentia personalis, siuè incommunicabilis, est terminus substantialis essendi sub cæteris prædicatis, tàm accidentalibus, quàm substantialibus; sed ex hoc prædicato subsistentia personalis Verbi Diuini, siuè personalitas eiusdem Verbi constituit immediatum susceptiuum existentiæ substantialis Verbi Diuini; ergo, &c.

Solet à Thomistis hæc ipsa conclusio probari hoc medio, scilicèt, quod ex opposita sententia sequeretur, quod Beata Virgo nõ esset cum proprietate, Dei genitrix, Deipara, vel Mater Dei, sed solùm Mater humanitatis Christi Domini: consequens est contra definitionem *Concil. Eph. can. 1 tom. 1.* quam adducit S. Thomas. Sequela probatur, nam generatio terminatur ad ens existens; sed huiusmodi existentia, ad quam terminatur concursus maternus B. Virginis in Christum Dominum, nõ potest esse, nisi existentia Verbi Diuini; nam per hunc concursum B. Virgo dicitur Dei Genetrix, Deipara, vel Mater Dei.

Sed hæc ratio, nisi aliud addatur, facillimè soluitur ab Authoribus contrariæ sententię, qui statim respondere possunt, quod B. Virgo cum proprietate dicitur Dei Genitrix, & Deipara, vel Mater Dei; quia terminatur concursus maternus ad humanitatem Christi Domini, vt subsistentem subsistentia personali Verbi Diuini; tum quia subsistentia personalis, est quoddam esse cõtradistinctum ab essẽtia naturę humanę Christi Domini; esse enim diuiditur in esse existentię, & in esse subsistentiæ: tum, etiam quia subsistentia, ex suo genere supponit existentiam substantialem. Quod

Quod si vrgeas, subsistentiam personalem Verbi Diuini, non posse esse terminum intrinsecum productionis causæ secundæ, cum sit increata; quia Diuina formaliter.

Respondeo, cum S. Th. *quodlib. 9.* sçpius supra citato, subsistentiam personalem Verbi Diuini, vt formam subsistendi incõmunicabiliter, non posse esse terminum productionis creatæ; quia vt sic præexistit productioni; sed per hoc non tollitur, quin possit esse intrinsecè terminus productionis creatæ in suo effectu formali, siuè in actu secundo; quemadmodum animam rationalem creatam esse à Deo, non impedit, quin anima rationalis in suo effectu formali attingatur à generante, sua actione generatiua.

Obijcies primò; existentia creata est formaliter actus, siuè modus essentiæ substantiæ creatæ; sed hoc posito, implicat humanitatem Christi Domini, etiam mediante persona Verbi Diuini, existere existentia eiusdem Verbi; ergo, &c. Maior probatur; quoniam existentia creata definitur à S. Thoma *p. p. q. 3.* actus completiuus essentiæ, & ratio est; quia existentia est, id quo essentia, quæ erat tantummodò potens existere, fit actu existens, nimirùm essentia, quę erat ens incompletum, & complebile in genere entis, per existentiam fit ens completum in suo genere; sed per hoc prædicatum existẽtia, non solùm est actus essentiæ in genere entis, sed etiam est modus essentiæ; quia est actuale exercitium, siuè actus secundus potentiæ ad existendum. Minor principalis argumenti probatur; nam si humanitas in Christo Domino trahatur ad existendum existentia Verbi Diuini, hęc debet supplere formaliter existentiam connaturalem, & creatam naturæ; sed implicat existentiam Verbi Diuini supplere existentiam creatã formaliter, quæ est formaliter actus, & modus; quia hæc duo inuoluunt in suo conceptu essentiali essentialiter imperfectionem; at implicat existentiam Diuinam supplere formaliter imperfectionem; quia existentia Diuina deberet includere etiam in suo formali imperfectionem: quod omninò est impossibile.

Hoc argumentum, si vim haberet, ostenderet iam naturam humanam in Christo Domino non esse formaliter personatam, & suppositatam personalitate, & suppositalitate Verbi Diuini; quoniam personalitas creata, & connaturalis naturæ substantiæ creatæ, adhuc inuoluit rationem actus, & modi; sed hæc prædicata inuoluũt intrinsecè imperfectionem, quam Verbum Diuinum sua personalitate formaliter non potest supplere; quia tamen nonnulli illud magnifaciunt, explicandum est; an, & quomodo existentia creata, sicut etiam subsistentia, inuoluat rationem actus, & modi, de quo duplex est opinio Theologorum.

Prima est, existentiam, vel subsistentiam creatam, materialiter consideratam, inuoluere rationem modi, & actus, non autem consideratam formaliter; non enim subsistentia, vel existentia substantialis, est subsistentia formaliter per hoc, quod est actus, vel modus; sed per hoc, quia est terminus substantialis, & complet indigentiam naturæ substantiæ, quæ indiget sustẽtari termino substantiali; sed eadem subsistentia, vel existentia, quatenùs est in entitate creata, quod est prædicatum materiale subsistentiæ, & existentiæ, est actus, vel modus, scilicèt actuale exercitium essendi; & ratio huius à priori est, quia subsistentia diuiditur materialiter in subsistentiam, siuè existentiam creatam; & in subsistentiam, siuè existentiam increatam; posita autem hac diuisione, subsistentia, sicut, & existentia in creatis inuoluit rationem actus, & modi; in Deo autem inuoluit solam rationem termini substantialis: sicut relatio, v.g. Deo est substãtia; in ente verò creato accidens; quia relatio formaliter præscindit ab accidente, & à substantia, vel à creata, & increata, & præcisio est à subiectis entificantibus.

Secunda sententia est asserentium subsistentiam in creatis inuoluere, vt prædicatum intrinsecum, & formalem, rationem actus, vel modi, ex eo principio; quoniam subsistentia in creatis, non potest se communicare naturæ, nisi illam actuando, & modificando; sed hoc est prædicatum formale, & essentiale existentiæ, & subsistentiæ creatæ; non autem prædicatum materiale. Nam diuisio subsistentiæ in subsistentiam actum, siuè modum, & in subsistentiam terminum, est diuisio formalis. Explicatur; subsistentia creata dupliciter sumi iuxtà hanc opinionem; vel qua creata, vel qua subsistentia vt sic: qua creata ex sua ratione formali, siuè differentia est actus, vel modus: qua subsistentia formaliter, prçscindit ab actu, & à termino; quia subsistentia formaliter præscindit à creata, & increata, quantùm ad differẽtias formales, nõ autem quantùm ad differentias subiectiuas. Verbum Diuinum suppleuit sua subsistentia personali subsistentiam creatam; non qua creata; sed qua subsistentia formaliter, quæ est perfectio præscindens ab imperfectione;

nam

nam imperfectio conuenit existentiæ, siuè subsistentiæ, quatenùs est creata, sub qua ratione est actus formaliter, siuè modus; at subsistentia vt sic, præscindit à creata; ergo præscindit ab imperfectione: ad eum modum, quo relatio originis formaliter præscindit a perfectione, & imperfectione; quia præscindit à relatione actiua creata, & à relatione actiua increata, quę diuisio est formalis, non materialis, & subiectiua, nam est diuisio in ratione formali relationis.

Communiter Recentióres amplectuntur primam sententiam, & mouentur ab hoc principio; nam, inquiunt, subsistentia Verbi Diuini personat naturam humanam in Christo Domino, supplendo, siuè complendo formaliter indigentiam naturę in subsistendo incommunicabiliter; hæc autem indigentia non est aliud, nisi carentia subsistentiæ personalis formaliter; ergo si subsistentia formaliter vt subsistentia, esset in creatis actus, vel modus, non posset personalitas Verbi Diuini supplere carentiam subsistentiæ creatæ in natura humana in Christo Domino, nisi esset actus, vel modus formaliter, quod implicat; quoniã actus, & modus formaliter inuoluunt imperfectionẽ, & partis, & dependentiæ, quæ contradicũt Personæ Diuinæ. Explico doctrinam hanc; si v.g. anima rationalis non esset sensitiua formaliter, sed eminenter; impossibile esset, quod homo, qui est constitutus formaliter per animam, sit sensitiuus formaliter; quia anima rationalis, non est sensitiua formaliter: pariter, quia lux est eminenter calefactiua, si illa communicetur alicui subiecto, sine dubio constitutum ex luce, & subiecto, quod appellamus lucidum, non erit calidum formaliter; sed eminenter, seù virtualiter: ità in re nostra, si subsistentia creata, vt subsistentia formaliter, esset actus, vel modus, non posset personalitas Verbi Diuini supplere carentiam formalem existentiæ, vel subsistentiæ creatæ: quia adhoc requiritur, vt subsistentia Verbi Diuini sit actus, vel modus formaliter, ac proindè dicunt prædicti Theologi, quod existentia, vel subsistentia in substantia creata formaliter est terminus naturę, siuè essentiæ substantiæ creatæ: materialiter verò est actus, vel modus, nimirùm, quantùm ad suam entitatem: sicut sensitiuum: v.g. in equo, aut in homine habet duo, & principium sentiendi formaliter, & entitatem: quia est ens, & principium sentiendi formaliter; principium sentiendi formaliter præscindit ab esse materiali, & ab esse spirituali; quatenùs verò est in anima materiali in equo, est materiale; sed materialiter ratione suæ entitatis, quam habet in equo; quatenùs verò est in anima rationali in homine habet esse spirituale, sed materialiter; quia habet esse, siuè entitatem animæ rationalis, quod est esse spirituale. Idem dicendum est de subsistentia creata, quod duo habet, est terminus substantialis essentiæ substantiæ creatæ, & est in entitate creata actus, siuè modus eiusdem essentiæ, quæ duo prædicata conueniunt subsistentiæ materialiter non formaliter, nimirùm, non inquantùm subsistentia formaliter; sed inquantùm est subsistentia in entitate, vel realitate creata.

Sed vtrouis modo dicatur, argumentum facilè soluitur. Secundùm primam sententiã dicendũ est, quod subsistentia personalis Verbi Diuini cõplet carentiam subsistentiæ creatæ, & connaturalis formaliter, nimirùm, quantùm ad suam rationem formalem, quæ est terminus substantialis naturæ substantiæ creatæ humanæ, non autem quantùm ad eius realitatem, seù entitatem, in qua est veluti in subiecto; quoniam subsistentia creata, & connaturalis, secundùm quod est terminus substantialis formaliter, præscindit ab omni imperfectione, & partis, & modi, qui essentialiter dependet a suo modificato: non potest supplere subsistentia Verbi Diuini subsistentiã creatam, & connaturalem naturæ humanæ, quantùm ad eius materiale: quoniam quantùm ad materiale inuoluit formaliter, & imperfectionem actus, & imperfectionem modi. Secundùm aliam sententiam, etiam soluitur facilè argumentum.

Respondeo enim, quod subsistentia creata (idem quoque dicimus de existentia creata) duo dicit in suo conceptu adequato, & rationem formalem subsistendi, & rationem actus, siuè modi; primum veluti genus, secundum veluti differentiam; quantùm ad rationem formalem subsistendi, præscindit à ratione formali modi; quia hæc duo sunt veluti differentię diuidentes formaliter subsistentiam in subsistentiam personalem Diuinam, & increatam, quæ formaliter, nimirùm, vt rationem formalem adęquatam dicit esse terminum substãtialem excludentem à se positiuè rationem formalem actus, & rationem formalem modi; & in subsistentiam creatam, quæ inuoluit, vt differentiam formalem rationem actus, vel modi; sicut, v.g. processio ad intrà vt sic abstrahens à Diuina, & à creata, quæ diuidunt formaliter processionem ad intrà, neque dicit perfectionem simpliciter

excludētem à ſe poſitiuè omnem imperfectionem, neque inuoluit ad mixtam imperfectionem eſſentialiter; contracta tamen ad Diuinam, ſummam inuoluit perfectionem, excludendo omnem realem imperfectionē; nàm fit cum communicatione eiuſdem numero naturæ Diuinæ, quæ proindè cōmunicatur ſine dependentia; contracta verò ad creatam inuoluit imperfectionem admixtam; non quidem ratione ſui generis; ſed ratione ſuæ veluti differentiæ,à qua formaliter præſcindit proceſſio ad intra vt ſic, & probatur; nàm conceptus generis, tunc præſcindit ab aliqua differentia (ſumo conceptum generis,vt confunditur cum conceptu communi per ſimilitudinem) quando taleitas eſt per differentiam diuiſiuam, ſiuè quando taleitas deſumitur ab aliqua determinatione adiuncta: at eſſe actum, vel eſſe modum naturæ ſubſtantiæ creatæ conuenit ſubſiſtentię formaliter per differentiam, ſiuè per determinationem adiunctam; ergo ſubſiſtētia formaliter vt ſic,pſcindit a ratione formali actus,& à ratione formali modi; ſicut eadē ratione ,pceſſio ad intrà vt ſic,eſt formaliter in Deo;quia imperfectio,quæ illi conuenit in proceſſione ad intrà creata, conuenit ei per differentiam diuiſiuam proceſſionis in proceſſionem creatam:do aliud exemplum, intellectiuum humanum, & creatum habet, vel quod ſit per diſcurſum, vel quod ſit per actum accidentalem,& iſtę ſunt differentię diuidentes formaliter intellectiuum,à quibus formaliter intellectiuum præſcindit: hac ſuppoſita doctrina.

Reſpondeo ad argumentum cum diſtinctione;quod ſubſiſtentia creata inuoluit imperfectionem ratione differentiæ, illam diuidentis, non autem ratione ſui veluti generis, quatenùs ſcilicèt eſt ſubſiſtentia formaliter; ſubſiſtentia autem perſonalis Verbi Diuini ſupplet carentiā ſubſiſtentiæ connaturalis naturæ humanæ Chriſti, ſiū quod ſubſiſtentia formaliter; nō autē ſecūdùm quod eſt actus, vel modus, quę eſt differentia diuidens, & conſtituens ſubſiſtentiam creatam; neque neceſſarium eſt, vt ſuppleat ſubſiſtentiam creatam, & connaturalem etiam quantùm ad ſui veluti differentiam; quia huiuſmodi differentia ſe habet materialiter ad vnionem naturæ terminabilis, & termini ſubſtantialis, & hoc cōpetit ſubſiſtentiæ perſonali Diuinæ propter eius infinitatem, vt docet S.Thomas.

Obijcies ſecundò; tota doctrina explicata fundatur in hoc, quod ſuppoſitum eſt vnicum, & immediatum ſubiectum ſuſceptiuum exiſtentiæ; ſicut corpus extenſum quantitate dimenſiua,eſt vnicum,& immediatum ſuſceptiuum figuræ; ſed hæc ratio non ſubſiſtit;ergo neque ſubſiſtit ſi dicatur, quod natura humana in Chriſto Domino exiſtit de facto exiſtētia Verbi Diuini; quia ſubſiſtit ſubſiſtentia perſonali eiuſdem Verbi Diuini.Minor probatur; nàm Verbum Diuinum potuit communicare humanitati,quàm aſſumpſit,propriam ſubſiſtentiam, & permittere, quod in eodem inſtanti flueret exiſtentia creata ab humanitate; ſed in hoc caſu exiſtentia fluxa ab humanitate Chriſti Domini, non eſt receptibilis in ſuppoſito, in quo ſubſiſtit humana natura, & natura Verbi Diuini; ergo,&c.

Reſpondeo: concedo maiorem, & nego minorem; ad probationem nego maiorem; non enim poteſt fluere exiſtentia connaturalis ab humanitate Chriſti Domini, proùt perſonatur perſonalitate Verbi Dini; nàm exiſtentia creata, & connaturalis, non poteſt fluere à natura, niſi proùt eſt ſuppoſita perſonalitate connaturali: & ratio eſt primò, nam exiſtentia creata, & cōnaturalis eſt poſterior in genere cauſæ materialis ſua connaturali exiſtentia; quia ſubſiſtentia conſtituit formaliter receptiuum immediatum exiſtentiæ; nàm conſtituit formaliter ſuppoſitum; receptiuum autem exiſtentiæ in vno,& eodem,eſt prius in genere cauſæ materialis,quàm actus in eo receptibilis.Secundò; nàm exiſtentia creata non poteſt recipi in ſuppoſitò Verbi Diuini, etiam vt eſt ſuppoſitum naturæ humanæ aſſumptæ; quoniam exiſtentia eſt actus perfectiuus ſuppoſiti in ratione entis per ſe; at ſuppoſitum Verbi Diuini, neque vt eſt ſuppoſitum naturæ humanæ Chriſti,poteſt eſſe perfectibile ab exiſtentia creata; ſed ſolùm hęc eſt receptibilis in ſuppoſito creato; tùm, quia ſuppoſitum creatum ſolummodò eſt perfectibile in genere entis per ſe;tùm etiam quia exiſtentia creata, & connaturalis, neceſſariò ſupponit ſubſiſtentiam naturalem eiuſdem naturæ.

Sed dices:hæc doctrina vera eſt de potentia Dei ordinaria, quæ eſt ſecundùm ordinem, & curſum debitum naturæ; non autem de potentia Dei abſoluta, vel de potentia Dei ſupernaturali; ſed hic loquimur de potentia Dei abſoluta, quæ ſolùm ſupponit in naturæ ſubſtantię creatæ proportionem terminabilis, & termini ſubſtantialis; ſed hæc proportio reperitur in natura humana Chriſti Domini independenter à ſubſiſtentia perſonali ſimpliciter,& abſolutè; dico ſimpliciter, & abſolutè, nàm quod ſubſiſtentia præcedat exiſtentiam in natu-

ra

ra substantiæ, illud est secundùm ordinem, & cursum debitum naturaliter naturę; potentia autem Dei respicit solummodò, quod non repugnat naturę creatæ secundùm se, & absolutè consideratæ.

Respondeo, nego assumptum; natura enim substantiæ creatæ secundùm se, & absolutè, non est receptiua existentię substantialis, nisi media personalitate, siuè suppositalitate, quæ est subsistentia incommunicabilis, seù personalis; sicut materia prima non est receptiua existentię realis, nisi mediante forma, quę est principium formale, & adęquatum actus existendi, sicut calor est principium adæquatum, & formale actus calefaciendi, & vita in actu primo, quę est forma viuentis est principium primum, & adęquatum vitę in actu secundo, quę est operatio vitalis, vt v.g. intelligere, sentire, &c. ratio à priori est; q̃a absolutè, & simpliciter implicat esse posterius sine suo priori in eodem genere causę; sed in genere causę materialis prius est natura substantię subsistẽs incõmunicabiliter, quã existens; quia natura, vt subsistens incommunicabiter, est immediatè receptiuum existentię secundùm se, & absolutè: prius enim secundùm se, & absolutè in genere causę materialis est receptiuum, quàm actus receptibilis.

Confirmatur hęc ratio; nàm effectus formalis secundarius formę conseruari non potest, ablato primario; nã implicat dari secundum sine primo; e.g. non est factibile, quod quantitas dimensiua faciat substantiã corpoream extensam in ordine ad locum, quin eam supponat in priori, saltem naturę extensam in se: sed subsistentia est effectus primarius formę substantialis: existentia verò substantialis est effectus secundarius, & vltimus: ergo impossibile est naturam substantię creatę secundùm se, & absolutè existere actu, quin in priori naturę sit subsistens.

Obijcies tertiò: si humanitas Christi Domini existeret existentia Verbi Diuini, vnio naturę humanę in Christo Domino esset facta in natura, non in persona: sed cõsequens est impossibile, quia vnio in natura est vnio partium componentium. Sequela maioris probatur; nàm existentia, qua existunt tres Personæ Diuinæ, est essentialiter Dei essentia; at hoc posito, vnio naturæ humanæ cum existentia Verbi Diuini, est vnio in natura, est enim vnio in essentia; essentia autem idem est, quod natura.

Respondeo: nego sequelam, & ratio negationis est; quoniam natura humana in Christo Domino existit existentia naturæ Diuinæ, quatenùs est veluti informata relatione filiationis; sub qua ratione formali, existentia naturæ Diuinæ, est propria existentia personalis Verbi Diuinę. Argumentum concluderet, si natura humana in Christo Domino existeret existentia naturæ Diuinæ secundùm se, & absolutè, vel quatenùs virtualiter distinguitur à relationibus originis. Hæc responsio est iuxtà doctrinam S.Thomæ, qui vt diximus *in quæstione de essentia, & existentia Dei*, ponit in Diuinis vnicam tantùm existentiam, quæ essentialiter est vnica subsistentia, non quidem per defectum, sed per excessum; nimirùm, est essentialiter non solùm existentia, sed etiam subsistentia; sicut essentia Dei dicitur essentialiter sua existentia, non quidẽ per defectum, sed per excessum; quoniam existentia Dei sub vna ratione formali essendi, est essentialiter existentia, & subsistẽtia; sicut homo essentialiter est animal, & rationale.

Obijcies quartò: si natura humana in Christo Domino existeret, vel potuisset saltem existere existentia propria Verbi Diuini, potuisset etiam antè incarnationem Verbi existere, & subsistere existentia, & subsistentia propria alienæ naturæ creatæ; sed hoc excluditur omninò à S.Thoma, vt ostendimus; est enim proprium solius existentiæ personalis Diuinæ; sicut, & subsistentiæ personalis Diuinæ, terminare depẽdentiam alienę naturę in existendo, & subsistendo; ergo natura humana in Christo Domino, nec existit, nec potuit existere existentia propria Verbi Diuini. Sequela maioris, quam admittunt Scotus, Ochamus, Maironus, Bassolus, & alij, probatur.

Primò; quoniam maior distantia est inter essentiam substantiæ creatæ, & existẽtiam personalem Diuinam; quàm inter essentiam substantiæ creatæ, & existentiam substantialem alterius substantiæ creatæ; nàm existentia personalis Diuina infinitè distat ab essentia substantiæ creatæ; existẽtia verò vnius substantiæ creatæ finitè tantùm distat ab essentia alterius substantiæ creatæ; sed infinita, & maior distantia, non fert secum repugnantiam, vt essentia substantiæ creatæ, possit existere existentia personali Diuina; ergo multò minus fert secum repugnantiam distantia finita. Distantia existentiæ personalis Diuinæ ab essentia substantiæ creatæ est infinita; quia distat per gradum entis infinitum existen-

tia propria Diuinæ Personæ ab essentia substantiæ creatæ; existentia verò propria vnius substantiæ creatæ, finitè distat ab essentia alterius substantiæ creatæ; quia distat per gradum entis finitum.

Secundò; quia, vt Angelus, v. g. assumat naturam humanam ad existendum sua existentia, nulla esse potest repugnantia, neque ex parte naturæ, neque ex parte existentiæ personalis; nulla quidem potest esse repugnantia ex parte naturæ creatæ; nàm hęc, quantùm est ex se, potest simpliciter carere propria existentia; sicut potest carere propria subsistentia personali; posita tamen distinctione reali actuali, inter essētiam, & existentiam in ratione subiecti; ità potest, & existere, & terminari aliena existentia personali, & ostenditur; nàm terminatio naturæ substantiæ per alienam existentiam substantialem ex suo genere non implicat; quoniam si implicaret ex suo genere, non potuisset natura humana in Christo Domino existere existentia personali Verbi Diuini, quod enim implicat in genere, implicat etiam in specie. Neque implicat ex parte existentiæ personalis creatę, nàm per hoc, quod existentia personalis vnius substantiæ creatæ sit existentia alterius substantiæ creatę, non distrahitur à suo genere, neque à proportione terminabilis, & terminatiui substantialis; at si implicaret hęc terminatio ex parte existentię personalis creatę, hęc distraheretur à suo genere; sed non distrahitur; quia adhuc est intrà genus terminabilis, & terminatiui substantialis; at quod est intrà genus reale, non potest implicare contradictionem; quia ens reale radicaliter est possibile ad existendum realiter, eo quod non implicat contradictionem in suis prędicatis essentialibus positiuis.

Tertiò: maior difficultas apparet in existentia personali Diuina ad terminãdãm naturam substantię creatę in existendo, quã in existentia personali vnius naturę creatę ad terminandam dependentiam in essendo substantialiter naturę alterius substantię creatę; quia illa infinitè distat à natura substantię creatę; hęc verò finitè distat; quam ob causam Patres appellant vnionem hypostaticam naturę humanę cum Verbo Diuino, admirabilem, & incomprehensibilem vnionem, nimirùm, propter infinitam improportionem, ac distantiam inter humanitatem, & existentiam personalem Verbi Diuini; sed hęc omnia prędicata maioris distantię, & improportionis, non impediunt vnionem naturę humanæ in Christo Domino cum existentia personali Verbi Diuini; ergo neque impedient vnionem naturę substantiæ creatę cum existentia alienæ substantiæ creatę; præsertìm, quia sunt intrà genus terminabilis, & terminatiui substantialis. Accrescit etiam difficultas in terminabilitate naturæ ab existentia Verbi Diuini, eo quod existentia personalis Verbi Diuini, est omninò idem, & realiter, & formaliter cum natura Diuina, quæ per se formaliter, & immediatè nō potest terminare naturam humanam substantialiter, quin patiatur difficultatem de vnione in ratione naturæ; at existentia personalis substantiæ creatę non habet adiunctum hoc impedimentum: quia est distincta realiter, iuxtà opinionem S. Thomę, à natura substantiæ creatæ; ergo multò facilior est vnio naturæ substantiæ creatæ, cum existentia personali alterius substantię creatæ, quam vnio naturę substantię creatæ cum existentia personali Verbi Diuini; eo vel maximè, quia existentia personalis substantię creatæ, non habet aliam rationem formalem, nisi termini substantialis, cum sit formaliter limitata: existentia autem personalis Verbi Diuini, cum sit illimitata illimitatione esse essentialis Diuinę naturæ, rapitur formaliter in quidditatem Dei.

Quartò: triplex assignari potest differentia, cur non obstantibus his maioribus difficultatibus ex parte existentię personalis Diuinæ, implicet naturam; v. g. Angeli, aut Petri, existere existentia alienæ substantiæ creatę, & non existentia Verbi Diuini.

Prima; quia existentia personalis Diuina, seù increata, continet eminenter omnes existentias personales creatas; existentia verò personalis creata continet solum, id quod ipsa formaliter est.

Secunda; quia existentia personalis increata est infinita; existentia verò personalis creata est finita.

Tertia; quia existentia personalis increata est ens quoddam perfectissimum distinctum virtualiter ab existentia absoluta Diuinę naturæ; existentia autem personalis creata, non est perfecta aliqua realitas, sed solùm modalitas quædam imperfecta; sed hæ differentiæ, non videntur repugnantiam concludere: non prima, quia continentia illa eminentialis tribuitur existentiæ personali increatæ; vel quia potest creatam producere, & hoc partim est falsū; quia agere in Diuinis, non conuenit existētiæ personali formaliter, sed naturæ: partim

tim non est ad rem; quia controuersia non est de causa effectiua, ad quam pertinet producere; sed de causa formali terminatiua, quæ præcisè, & formaliter, vt talis, nō causat producendo; sed solùm intrinsecè terminando, per id quod ipsa in se est formaliter; vel quia personalitas increata est perfectior: sed ista maior perfectio reddit vnionem, & terminationem in existendo difficilliorem propter maiorem distantiam, & improportionem: nam cum existentia personalis aliena debeat terminare, vel actuare naturam, non per aliquid à se factum, seù distinctum; sed solùm formaliter, seù immediatè per seipsam, quantò magis elongatur à natura existibili, tantò minus videtur apta ad illam terminandam, & actuandam in ratione entis seipsa formaliter; & consequenter probaret, solùm existētiam personalem, quæ est imperfectior, aut æquè perfecta, non posse terminare, & actuare alienam naturam, non tamen probaret non posse terminare naturam perfectiorem: v. g. existentia personalis naturæ humanæ, vel equinæ, non posse terminare & actuare naturam Angelicam. Non secunda; tùm propter rationem modo factam de maiori perfectione, quæ terminationem impedit potiùs, quàm iuuat; quæ ratio multò magis procedit contra existentiam personalem infinitè perfectam: sicut enim ex infinitate existentię personalis habet, vt sit adęquata naturę pariter infinitæ; ità ex eadem infinitate habet, vt sit inadęquata naturę finitę; tùm quia nulla est implicantia, si existentia personalis creata distinguatur a natura, vt realitas à realitate: sed in hoc etiam casu existentia personalis creata esset res finita: ergo Verbum Diuinum non habet per se simpliciter terminare humanitatem in existendo: ex eo quod sit persona infinita.

Neque denique tertia ratio. Primò, quia multi tenent, tres Personalitates Diuinas etiam esse modos, non existenes tribus existentijs relatiuis distinctis; sed modificantes vnam existentiam absolutam. Secundò, nōnulli tenent personalitatem creatam non esse modum: sicut neque existentiam, quia non est à parte rei distincta a natura: ad rationem modi realis requiritur distinctio à parte rei à re modificata. Tertiò; esto sit modus; tamen de essentia modi quidem est, non posse per se existere sine actuali modificatione rei modificatæ; per per hunc enim conceptum actualis dependentię constituitur quidditas modi, de cuius ratione est, vt nō possit esse sine suo modificato.

Respondeo: nego sequelam maioris, nimirùm, ex data doctrina sequi naturam humanam Christi Domini potuisse antè incarnationem existere, & subsistere existentia, & subsistentia alienę substantię creatæ. Ad primam probationem, quod maior distantia est inter essentiam substantiæ creatæ, & existentiam personalem Diuinam; quàm inter essentiam substantiæ creatæ, & existentiam substantialem alterius substantiæ creatæ.

Respondeo primò: distinguo maiorē; si existentia, vel subsistentia vnius substantiæ creatæ ponatur posse terminare essentiam alterius substantiæ creatæ in existendo, vel subsistendo formaliter, & nego: si nō ponatur existentiam, vel subsistentiam vnius substantiæ creatæ posse terminare formaliter essentiam alterius substantiæ creatæ, & concedo: & ratio fundamentalis est; quia si supponatur existentiam vnius substantiæ creatæ posse terminare in subsistendo essentiam alterius substantiæ creatæ; huiusmodi existentia, vel subsistentia, necessariò debet esse intrinsecè infinita infinitate formali, quæ nullo modo distat à subsistentia personali Verbi Diuini; quia est formaliter ipsissima existētia Diuina, quæ est in terminis sententia S. Thomæ *loco sæpius supra citat. 3. p.* vbi asserit, quod concursus plurium naturarum in vnam personam, est proprium Personæ Diuinæ propter eius infinitatem, quod suprà probatum est.

Neque dicas: quod, vt natura creata sit terminabilis in existendo, vel in subsistēdo ab existentia, vel subsistentia alienę substantiæ, satis est proportio terminabilis, & terminatiui substantialis; hæc autem proportio reperitur etiam inter naturam vnius substantiæ creatæ, & existentiam, vel subsistētiā alterius naturę creatæ; quoniā natura, siuè essentia vnius substantiæ creatæ, est terminabilis in existendo, & subsistēdo; existētia verò substantialis, vel subsistētia alterius substantiæ creatæ, est formaliter terminus substantialis; ergo, &c.

Respondeo enim: distinguo maiorem; satis est proportio terminabilis substantialiter, & terminatiui substantialis infiniti: cōcedo: satis est proportio terminabilis, & terminatiui substantialis limitati formaliter ad genus, speciem, & indiuiduum determinatum: & nego; hac posita distinctione, existentia, sicut, & subsistentia vnius naturæ creatæ, est quidem terminatiua substantialiter; sed limitata intrinsecè, & essentialiter ad vnum determinatum indiuiduum

vnius naturæ substantialis; hic autem terminus substantialis non potest esse formaliter terminus essentiæ, siuè naturæ alterius substantiæ creatæ; nisi sit formaliter esse alterius substantiæ simul; at hoc non potest competere, nisi existentiæ infinitæ, & illimitatæ.

Quod si dicas: ad cognoscendum obiectum, non requiritur, vt potentia cognitiua sit finita, vel infinita formaliter; sed solù satis est proportio in ratione cognoscibilis, & cognotiui, quæ est proportio obiecti, & potentiæ; ob hanc enim rationem absolutè, & simpliciter potest intellectus creatus, qui est finitus cognoscere, tùm obiectum finitũ, tùm obiectum infinitum; ergo pariter, vt natura substantię creatę, sit terminabilis existentia, vel subsistentia alienę substantię, non requiritur per se, vt existentia, vel subsistentia naturę sit infinita; sed satis est, vt sit terminatiua substantialiter.

Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam, & disparitas est inter intellectum creatum, & eius obiectum formale; & inter naturam vnius substantię creatę, & existentiam, vel subsistentiam alterius substantię creatæ; quoniam intellectus creatus est potentia actiua intelligendi; hęc autẽ non necessariò debet esse intrà esse sui obiecti, quia est causa instrumentalis visiua; causa autem instrumentalis, non est intrà esse formale sui termini; at subsistentia est causa formalis subsistendi, sicut existentia, est causa formalis existendi; causa autem formalis, est causa principalis terminandi essentiam, siuè naturam substantię in subsistendo; & hęc non potest terminare seipsa, naturam substantię alterius, nisi sit formaliter esse, & suę naturę connaturalis, & esse simul alterius naturę, ad quod requiritur adunatio in vno esse, quod formaliter est esse vtriusque. Pręterea esse indiuiduale vnius tantum naturæ indiuidualis, non potest esse indiuiduale formaliter alterius naturę; quia est intrinsecè esse limitatum ad vnum indiuiduum determinatum; hoc autem non potest esse formaliter esse alterius indiuidui; secus non esset limitatum intrinsecè ad esse vnius tantum indiuidui. Explicatur: esse duorum indiuiduorum vnius specificæ naturæ, puta esse naturæ Pauli, & esse naturæ Petri, sunt duo esse; vt autem esse naturæ Petri, fiat esse adhuc naturæ Pauli, debent adunari hæc duo esse in vno esse formaliter, quod simul est esse vtriusque, & hoc intelligi facilè potest exemplo naturę, v.g. humanæ, quæ si abstrahatur à suis diuidentibus, erit vna natura humana, quæ est omnis natura humana in sua lalitudine, & consequenter natura humana non limitata ad vnum indiuiduum; pariter si esse naturæ Pauli, & esse naturæ Petri abstrahantur a suis modis diuisiuis, erit vnum esse, quod est omne esse: erit enim esse, non habens in se, vndè sit multiplicatum, & diuisum, & hoc erit vnũ esse, quod est esse omnium indiuiduorum; pariter esse naturæ Pauli, non potest fieri esse naturæ Petri, nisi separetur a modo essendi, quo limitatur intrinsecè ad esse naturæ Petri, & transfertur ad vnum esse, quod est omne esse formaliter; quod potest competere naturæ humanæ, sicut diximus de esse, quod competit naturæ vnius Angeli in suo modo essendi naturali.

Quod si dicas: ex hac doctrina sequitur, quod non est proprium Personæ Diuinæ terminare dependentiam in existendo, & in subsistendo plurium naturarum, propter eius infinitatem formalem; nam satis est, vt sit esse limitatum ad vnum indiuiduum, adæquans totam suam speciem, vt est indiuiduum naturæ, v.g. Angeli Gabrielis, quod est esse limitatum formaliter; ad genus speciem, & indiuiduum; verùm infinitas Personæ Diuinæ, est infinitas simpliciter, quia est infinitas ab esse irrecepto in essentia.

Respondeo, nego assumptum. Primò, quia nos hic loquimur absolutè, & simpliciter, an existentia vnius naturæ possit esse existentia formaliter alterius naturæ, siuè solo numero, siuè etiam specie distinctæ; hoc autem non potest fieri esse alterius naturæ simpliciter, nisi sit infinitum formaliter, quale est esse solum Diuinæ naturę, quo existunt tres Diuinæ Personæ. Secundò, quoniam esse, ea ratione, qua est separabile à diuidentibus solùm indiuidualiter, est etiam separabile à diuidentibus specificè; hoc autem vt sic, debet esse infinitum simpliciter; quia debet esse vnum esse, quod est actu omne esse.

Respondeo secundò ad eandem principalem instantiam, distinguendo de proportione terminabilis, & terminatiui substantialis; quod alia est intra idem genus, speciem, & indiuiduum determinatum, & huiusmodi est proportio terminabilis, & terminatiui inter formam substantialem, & materiam primam cum existentia in vno determinato indiuiduo substantiæ; alia est proportio terminabilis, & terminatiui substantialis, potentis terminare aliam naturam diuersi generis speciei, & indiuidui; prima est tantùm inter existentiam, & mate-

te-

teriam, & formam substantialem in vno indiuiduo, & hæc proportio non requirit in suo termino substantiali infinitatem; quia esse in terminando, non exit limitationem suam intrinsecam, etiam indiuidualem; alia verò proportio necessariò requirit infinitatem formalem in suo termino substantiali; esse enim vnius naturæ, non potest fieri esse alterius diuersæ naturæ, nisi separetur à limitatione sua ad vnum indiuiduum, vel speciem, & hęc propportio requiritur in termino substantiali ad terminandam etiam alienam naturam.

Quod si quæras disparitatem, cur adhoc vt intellectus creatus sit intellectiuus omnium intelligibilium extrà se, non requirat vt sit infinitus; sed satis est, vt sit limitatus ad speciem, & indiuiduum.

Respondeo primò ex dictis, disparitatem esse ex eo capite. Primò, quia esse intellectus creati in esse rei, siuè in esse potētię naturalis, non debet fieri esse naturale sui obiecti; at esse naturæ vnius substantię, vt possit terminare naturam alterius substantię, debet fieri esse naturale formaliter alterius diuersę naturæ. Neque huic doctrinæ obstat, si dicas ex intellectu, & intelligibili fieri magis vnum, quàm ex materia, & forma; nàm ex intellectu, & intelligibili fit vnum per vnum esse intelligibile: cuius ratio est, quia intellectus est pura potentia in genere intelligibilis, & eius intelligibile formale, est vnica forma substantialis intellectus in genere intelligibilis. Verùm esse naturale potentię intellectiuę, & esse naturale obiecti, sunt diuersa esse, quorū vnū non potest fieri esse naturę alterius, nisi separetur à limitatione, & transferatur ad illimitationem.

Respondeo secundò, quod disparitas est; quia intellectus creatus est intellectiuus aliorū à se materialiter; esse verò naturale vnius substantię debet dici esse naturale alterius formaliter.

Ad secundam instantiam, qua dicitur, quod nulla potest esse repugnantia, neque ex parte naturę, neque ex parte existentię, &c.

Respondeo: concedo nullam esse repugnantiam ex parte naturę; sed negò nullam esse repugnantiam ex parte existentię creatę, & repugnātiā assignauimus; q̄a esse existentię, non potest esse terminus substātialiter terminans dependentiam diuersarū naturarum in existendo, & subsistendo, nisi sit infinitum formaliter; at implicat esse existentiale creatum esse infinitum formaliter. Ad tertiam instantiam, qua dicitur, quod maior difficultas apparet in existentia personali Diuina ad terminandam naturam substantiæ creatę, quam in existentia creata, siuè subsistentia vnius determinatę naturę.

Respondeo: nego assumptum; etenim vt ostendimus, vt vnum esse terminet substantialiter diuersas naturas in existendo, & subsistendo, debet esse infinitum formaliter; hòc autem est propriū esse solius Diuinæ naturæ; prædicata autem propria Dei sunt incommunicabilia ad extrà; quia sunt prædicata prima; primum autem est omninò incommunicabile, & hac ratione Patres appellant vnionem hypostaticam naturæ humanæ cum Persona Verbi Diuini admirabilem, & incomprehensibilem vnionem; neque aliquid probant instantiæ desumptæ ex maiori distantia, vt suprà latè explicauimus.

Ad quartam rationem, qua dicitur, quod triplex assignari potest differentia, &c.

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem, nimirùm, quod prædictæ differentiæ non includunt repugnantiam ex parte existentiæ, vel subsistentiæ creatę; & quidem cum dicit opponens, quod eminentialis continentia dicit, subsistentiam personalem Verbi Diuini esse causam subsistentiæ, vel existentiæ creatæ, &c.

Respondeo, quod dupliciter intelligi potest subsistentiam personalem in Diuinis continere eminenter omnes existētias personales creatas; vno modo, quia continet existentias, & subsistentias creatas, quantū ad earum esse formale, præscindendo ab imperfectionibus; alio modo, quia eas continet præcisè virtualiter virtualitate causę principalis, seù primæ, quo pacto eminentialiter continentur in Deo omnes perfectiones, quæ si essent in Deo formaliter essent cum imperfectione, quales sunt perfectiones secundùm quid, quæ in suo conceptu essentiali inuoluunt essentialiter imperfectionem, vt est accidens; subsistentia naturæ Diuinæ, etiam quatenùs est subsistentia personalis vnius determinatæ Personæ continet eminenter existentias, & subsistentias perfectiones creaturarum, primo modo; quoniam existentia, & subsistentia in creatis, quantùm ad earum esse formale; dicunt perfectionem sine imperfectione; nā dicunt præcisè terminum substantialem, & ob hanc rationem existentia, & subsistētia realiter sunt perfectio simpliciter simplex, quæ graduat ens, secundum absolutam rationem entis, & insuper potest ter-

terminare, ob eandem rationem formaliter, dependentiam naturæ substantiæ creatæ in existendo, & subsistendo.

Explicatur distinctio; eminentia sicut, & virtualitas, alia est quantùm ad rationem formalem, & alia est quantùm ad entitatem, vt explicauimus exemplo gradus sensitiui, qui dicitur esse eminentialiter in anima rationali, non quidem quantum ad rationem formalem principij sensitiui; nàm gradus sensitiuus est principium sentiendi formaliter, tàm in anima bruti, quam in anima rationali; sed solùm est eminenter quantùm ad entitatem in anima rationali; quia in anima rationali habet entitatem spiritualem; in bruto verò habet entitatem materialem.

Neque verum est, quod ista maior perfectio formalis, non est sufficiens ad excludendam repugnantiam ex parte existentię, vel subsistentiæ creatæ; quia est admista cũ infinita distantia, & improportione: nàm responsio facilis est, negando assumptum, & ratio negationis est; quia subsistentia, sicut, & existentia personalis Diuina, cum sit infinita formaliter in ratione existentię, & subsistentiæ, est terminatiua secundariò naturæ omnis substantiæ creatæ, & creabilis; existentia verò, & subsistentia vnius substantiæ creatæ, sunt terminus tantùm substantialis essentiæ vnius determinatæ naturæ creatæ, vt talis formaliter. Neque verum est, quod subsistentia, vel existentia vnius substantiæ creatæ, est terminus naturæ inquantùm est terminabilis substantialiter vt sic; nàm cum sit limitata formaliter ad genus speciem, & indiuiduum determinatum, est terminus substantialis formaliter vnius determinatæ naturæ substãtialis vnius tantùm indiuidui, per quod differt à subsistentia personali Diuina; nàm hæc est terminus secundarius naturæ substantiæ creatæ, non inquantùm est talis natura terminabilis substãtialiter; sed inquãtũ est terminabilis substantialiter vt sic; eo modo proportionali, quo intellectus fertur ad suum obiectum inquantùm est intelligibile vt sic; sensus verò inquantùm est singulare formaliter vagum. Et hac distinctione solui potest hoc vltimum argumentum faciliori modo.

Respondeo enim ad principale (quod vim facit in eo, quod est infinita distantia subsistentiæ increatæ à natura substantiæ creatæ; finita verò distantia est subsistentiæ creatæ à sua connaturali natura terminabili in subsistendo) quod duplex est distantia; alia est in gradu entis, siuè modo essendi) & alia est distantia in ratione terminabilis, & termini substantialis, si loquamur de distantia in gradu entis, siuè in modo essendi, sine dubio subsistentia increata in infinito actu distat ab omni natura substantiæ creatæ, & creabilis; si verò loquamur de distantia in ratione terminabilis substantialiter, & termini substantialis, hæc distantia est quando natura vt terminabilis, est extrà, seù suprà latitudinem formalem termini substantialis; sicut distãtia in ratione potentiæ, & obiecti, nimirùm potentiæ cognitiuæ, & obiecti cognoscibilis, est quando obiectum formale est extrà, vel suprà latitudinem formalem potentiæ cognitiuæ, vt v.g. intelligibile vt sic, est supra obiectum formale latitudinis, siuè habitudinis essentialis potentię cognitiuæ; obiectum autem visibile est extra latitudinem formalem potentiæ auditiuæ, & in hoc sensu accipiendo distantiam inter subsistentiam Verbi Diuini, & naturam substantiæ creatæ, vel creabilis, non est distantia in ratione terminabilis vt sic substantialiter, & termini substantialis, sed solùm est distantia entitatiua in gradu, nimirùm entis; & in modo essendi; natura verò substãtiæ creatæ, vel creabilis, terminabilis vt sic, est extrà latitudinem formalem termini substantialis alterius substantiæ creatæ limitatæ ad genus speciem, & indiuiduum determinatum; sicut intelligibile vt sic est suprà, & extrà obiectum formale potentiæ sensitiuæ, & eius latitudinem formalem: ob quam formalem distantiam, non potest absolutè, & simpliciter subsistentia, sicut, & existentia vnius substantię creatæ esse terminus substantialis alienæ substantiæ, præter essentiam substantiæ sibi connaturalis; quia absolutè, & simpliciter implicat terminum substantialem exire extrà suam latitudinem formalem, & essentialem in terminando substantialiter; sicut implicat potentiam cognitiuam exire in cognoscendo suã latitudinem formalem, quæ est ad obiectum sensibile formaliter; & ratio est; quia terminus secundarius (nàm primarius est natura Diuina) habitudinis subsistentię sicut, & existentiæ Diuinæ in existendo, & subsistendo, est natura substantiæ creatæ, vel creabilis terminabilis substantialiter vt sic; sicut obiectum formale ex parte creaturæ, intellectus Diuini, vt intellectiuus ad extrà, est intelligibile vt sic; natura verò substantialis, quæ est terminus habitudinis, seù virtutis terminatiuę subsistentiæ, & existentiæ substantię creatæ, est determinata natura substantiæ ad genus speciem, & indiui-

ui-

uiduum determinatum; ſicut terminus formalis potentiæ viſiuæ eſt determinatum ſenſibile in ſpecie, nimirùm, viſibile vt viſibile; ac proindè implicat, ſubſiſtentiam,& exiſtentiã vnius ſubſtantiæ creatæ abſolutè, & ſimpliciter eſſe terminum ſubſtantialem alienæ naturę creatæ; ſicut implicat potentiam ſenſitiuam exire in cognoſcendo extrà ſuum obiectum formale,quod eſt ſenſibile.

Hac diſparitate,& ratione etiam facilè reijci poteſt reſponſio, qua Suarez conatur ſoluere rationem S.Thomæ aſſerentis 3. *p. q.3.* proprijſſimum eſſe ſubſiſtentię Diuinę perſonalis terminare plures naturas in ſubſiſtendo propter eius infinitatem,ſiuè vt in ea fiat concurſus plurium naturarum; dicit enim Suarez, quod S.Thomas intelligendus eſt de potentia terminatiua connaturali,quam habet ſubſiſtentia Diuinę Perſonę reſpectu cuiuslibet naturę creatę perfectioris, & perfectioris in infinitum: quia ſcilicèt eſt infinita, & non ſubiecta per potentiam obedientialem alteri; at perſona creata, quia terminaret naturam alienam, non ſecundùm vires naturales;ſed vt ſubiecta Deo per potentiam obedientialem,non requirit ad terminandum,perfectionem infinitam,ſed ſola motione ſupernaturali primæ cauſę. Hęc reſponſio,docta quidem eſt; ſed rejicitur, & ſoluitur facilè doctrina ſuprà explicata; quoniam potentia obedientialis, non habet locum, niſi vbi nulla eſt contradictio; at contradictio eſt, ſubſiſtentiam ſubſtantiæ creatę exire extrà latitudinem formalem ſui termini formalis in terminando ſubſtantialiter, ſicut implicat potentiam cognitiuam exire extrà ſuum obiectum formale; nàm natura terminabilis ſubſtantialiter à ſubſiſtentia creata, eſt terminabile ſubſtantialiter, limitatum intrinſecè ad genus, ſpeciem, & indiuiduum determinatum ſpeciei, cum ſubſiſtentia ſit adhuc intrinſecè limitata ad genus,ſpeciem, & indiuiduum determinatum.

Neque dicas, quod motione ſupernaturali primæ cauſæ, poteſt ſubſiſtentia naturę creatæ exire extrà ſuam latitudinem formalem in terminando; nàm.

Contra eſt:ſubſiſtentia ſicut,& exiſtẽtia lis creata in terminando ſubſtantialiter, eſt cauſa principalis, non cauſa inſtrumentalis; at ſi terminaret ſubſtantialiter naturam vt eleuata, eſſet cauſa inſtrumentalis in terminando, quod implicat in terminis, quia ſubſiſtentia terminat naturam ſubſtãtialem,vt ſubſiſtentia formaliter,quæ vt ſic eſt cauſa principalis.

Dices primò: potentia ſenſitiua non poteſt,vt cauſa inſtrumentalis,cognoſcere obiectum formale intellectus, quod eſt intelligibile formaliter; quia ſenſus in cognoſcendo eſt cauſa principalis: ſed hæc ratio non conuincit, nec reperitur in ſubſiſtentia, neque in exiſtentia ſubſtantiali vnius naturæ creatæ; ergo non eſt impoſſibilitas in ſubſiſtentia, & exiſtentia vnius ſubſtãtiæ creatæ ad terminandam ſubſtantialiter alienam naturam ſubſtãtialem. Minor probatur; nàm potentia cognitiua in cognoſcendo eſt cauſa inſtrumẽtalis; quia eſt potentia vitalis; ſed ſubſiſtentia, & exiſtentia vnius ſubſtantiæ creatæ, non eſt potentia vitalis; non enim ſunt principium viuendi; ergo, &c.

Reſpondeo: eſſe potentiam vitalem, non eſſe cauſam, ſiuè rationem eſſendi cauſam principalem generalem, aut generaliter; ſed eſſe tantummodò cauſam vt potentia vitalis in cognoſcendo, ſit cauſa principalis; idque mediatè, non immediatè,vt infrà. Argumentum concluderet, ſi ratio vitæ eſſet cauſa eſſendi cauſam principalem generaliter, ſed eſſe aliam rationem propriã, & ſpecialem, cur ſubſiſtentia ſit cauſa principalis in terminando ſubſtantialiter naturam ſubſtantiæ: & cauſa hæc eſt, quia ſubſiſteſitia eſt ens per ſe; enti autem per ſe ſic repugnat eſſe inſtrumentum; ſed ſolùm vt ſic ei conuenit eſſe cauſam principalem; quia ens per ſe eſt prima ratio in eſſendo; cæterum ratio generalis eſſendi cauſam principalem eſt eſſe primam rationem in eſſendo in ſuo genere, ſiuè eſſe rationem non ſubordinatam in cauſando alteri priori cauſæ in ſuo genere. Notanter addidi, quod potentiæ vitali mediatè, non immediatè conuenit eſſe cauſam principalem in cognoſcendo: quoniam potentia vitalis in operãdo virtualiter, non eſt ſubordinata in operando vitaliter, niſi ſubſtantiæ viuenti creatæ; ſubſtantię autem in vniuerſum, vt ſubſtantia eſt,repugnare eſſe inſtrumentum etiam obedientiale, quod ſi aliquando ſubſtantia à Deo eleuatur ad effectum,ſiuè terminum ſuperioris ordinis; hæc eleuatio cõuenit ſubſtantiæ non inquantùm ſubſtantia; ſed inquantùm res quædam.

Neque huic doctrinæ obſtat, ſi dicatur,quod intellectus creatus eleuatur ad cognoſcendum Deum in ſeipſo; non obſtat inquam; quia hæc eleuatio non eſt ad vitalitatem, quæ dicit modum operandi ab intrinſeco;ſed ſolùm quantùm ad tendentiam in obiectum ſupernaturale, vt fusè probabitur in *quæſt. de Viſ. Dei intuitiua.*

Di-

Dices secundò: præcipua ratio, cur subsistentia vnius substantiæ creatæ, non potest terminare substantialiter alienam naturam substantialem est: quia adhoc requiritur infinitas in subsistẽdo intrinseca; sed hoc est falsum, & probatur; nam ratio cur deberet esse subsistentia infinita, esset; quia subsistentia substantiæ creatæ, si posset esse terminus alienæ substantiæ, posset esse terminus adhuc in infinitis substantijs creatis præter propriam; quia non est maior ratio de vna, quam de pluribus; & probatur; quia posse terminare substãtialiter naturã, est aliqua perfectio, quia reperitur formaliter in Deo; maior autem perfectio est, posse terminare duas naturas, quam vnam: ergo posse terminare plures, & plures in infinitum est perfectio infinita. Sed hæc ratio nulla est, & soluitur ab Aduersarijs, qui dicunt, quod subsistentia, si consideretur prçcisè in ordine ad puram terminationem naturæ substantialis, est eadem pluries vnita; etenim nihil plus addit subsistentiæ ipsa subsistentia, ex eo quod est terminus substantialis in pluribus, quam in vna; semper enim, inquiunt, est eadem subsistentia, quæ seipsa immediatè terminat, & solùm variatio, & additio est ex parte plurium vnionũ, quæ non sunt a subsistentia terminante, præcisè quatenùs terminatiua; sed à subsistentia quatenùs agente, & vniente, in qua est necessaria, inquiunt, infinita potentia, si producat vniones infinitas, ad eum modum, v.g. quo hoc album terminet duas, vel plures relationes similitudinis, non est maior perfectio, quam si terminaret vnam tantum, & posito, quod replicetur, v.g. quãtitas palmaris, non est maior perfectio occupare duos palmos spatij; quam vnum; quia semper ista occupatio est per ipsam quantitatem, vt replicatam sine alio distincto actu, aut perfectione, augente ipsam quantitatem palmarem, quamquam nullũ est, inquiunt, absurdum ponere potentiam terminatiuam infinitam obedientialem; quia est essentialiter subiecta Diuinç potẽtiæ simpliciter infinitę: sicut in genere causæ efficientis, aqua, v.g. in Sacramento Baptismi habet potentiam obedientialem producendi gratiam maiorem, & maiorem in infinitum, cui in anima correspondere debet etiam potentia obedientialis passiua infinita, & sic illud, quod est naturaliter, ac physicè finitum, dici potest infinitum obedientialiter; nimirùm, potẽs obedire in pluribus, & pluribus sine fine, quod tandem totum redundat in eminentissimam infinitatem imperantis Dei, qui sicut vti potest naturalibus ad supernaturalia, ità finitis ad infinita: quando enim Deus imperat, ità imperat, vt etiam adiuuet, & eleuet ad id quod imperat, nisi aliundè res implicet.

Respondeo: concedendo maiorem, & negando minorem: requiritur enim, vt ostendimus, infinitas intrinseca, & formalis in existentia, & subsistentia, vt possint terminare substantialiter alienas naturas præter propriam; nimirùm, requiritur vt existentia, & subsistentia vnius naturæ creatæ transferantur ad existentiam, & subsistentiam infinitam intrinsecè, nimirũ, ad existentiam, & subsistentiam, quæ adunant existentias, & subsistentias infinitarũ naturarum in vnam existentiam, & subsistentiam: vndè falsum est, quod eadem numero est existentia, vel subsistentia finita, quatenùs replicata in pluribus, vel infinitis naturis, nihil maioris existentię, vel subsistentiæ includens vt terminet plures, & infinitas naturas; idque prçter supradicta in conclusione. Probatur.

Primò, quia vt doctè, & acutè notat Caiet. *in 3. p. q. 3. super art. 1. & 2.* Ratio cur subsistentia Verbi Diuini potest terminare substantialiter naturam creatam; est quia formaliter, & primò est terminus substantialis naturæ Diuinæ, quæ est infinita infinitate formali, quę est infinitas actus, siuè secundùm formam simpliciter; sicut v.g. intellectus Diuinus potest intelligere omnia alia à se; quia intelligit seipsum immediatè, & formaliter; omnis enim operatio in Deo habet terminum formalem intrà se, cum sit actus purus, & infinitus in tota sua latitudine formali; sed hæc ratio non est in subsistentia, neque in existentia substantiæ creatæ; quia existentia, vel subsistentia substantiæ createç, per se, & primò, est terminus naturę essentialiter limitatę ad genus, speciem, & indiuiduum; ergo non potest subsistentia naturę creatę terminare substantialiter alienam naturam prçter propriam; idque ex eo, quia non est terminus substantialis per se primò naturę infinitæ, & consequenter; quia non est terminus substantialis infinitus intrinsecè, sicut ex opposito potest subsistentia Verbi Diuini secundariò terminare naturam substantię creatę; quia, cum sit terminus substantialis naturę infinitę formaliter, adhuc ipsa est infinita formaliter eadem infinitate formali.

Secundò: implicat, vt subsistentia naturę creatę sit terminus substantialis alienę naturę; quia hoc non potest prçstari, nisi vt causa instrumentalis in subsistendo; sed vt pro-

probauimus suprà, implicat subsistentiam naturæ substantiæ creatæ, esse causam instrumentalem in terminando substantialiter naturam;ergo, &c.

Tertiò;quia subsistentia creata est terminatiua formaliter naturæ, quatenus est hæc formaliter, & singularis; est enim limitata formaliter non solùm ad genus, & speciem, sed ad indiuiduum etiam determinatum formaliter; at implicat hunc terminum substantialem exire naturam, prout est hæc terminabilis natura, & singularis; quia,vt suprà demonstrauimus, non potest terminus substantialis exire etiam supernaturaliter latitudinem sui terminabilis formaliter; sicut non potest potentia sensitiua in cognoscendo exire extrà latitudinem sensibilis formaliter,etiam per eleuationem supernaturalem.

Aduersarij decipiuntur ex eo quia opinantur, subsistentiam vnius substantiæ creatæ esse terminum naturæ substantialis, quatenùs est terminabilis substantialiter vt sic,sed hoc est falsum;quia subsistêtia vnius substantiæ creatæ est essentialiter limitata ad naturam indiuiduam substantiæ determinatæ; ex hoc autem prædicato non potest exire in terminando alienam naturam substantialem: sicut, vt diximus, potentia sensitiua non potest exire in cognoscendo sensibile, quod est eius obiectum formale; nec accidens creatum, vt dicemus in *q.de infin.cathecorem.*cũ S.Thoma, potest esse infinitum in actu; quia est essentialiter determinatum ad substantiam limitatam formaliter, cum accidens sit essentialiter entis ens. Sine dubio si subsistentia naturæ creatæ,esset terminus substantialis naturę creatæ vt terminabilis substantialiter vt sic formaliter, posset terminare substantialiter omnes possibiles naturas substantiales alienas; quoniã infinitas termini, est ex terminabili substantialiter vt infinito formaliter, nõ autem ex natura terminabili materialiter;sicut intellectus creatus nõ requirit intrinsecè infinitatem positiuè,& formalẽ ad cognoscendum intuitiuè Deum, qui est obiectum intelligibile infinitum; quia ratio formalis cur intellectus creatus absolutè, & simpliciter potest cognoscere Deum infinitum in se, non est, quia Deus est intelligibile infinitum; sed quia Deus est intelligibilis vt sic: pariter potest intellectus humanus cognoscere infinita obiecta materialiter: quia ratio formalis cur illa cognoscat, potest esse ratio formalis finita. Eadem ratione, hoc album terminat duas, & plures, vel infinitas relationes similitudinis:quoniã ratio formalis terminãdi, est ratio cõsimilis vt sic; infinitæ verò similitudines sunt termini materiales.Neque ad hoc sufficit, vt subsistentia creata pluries replicetur, sicut dicunt Aduersarij, quantitas palmaris vt replicata potest adæquare spatium maius se: & ratio huius quatenùs ad præsens spectat, esse potest,quia spatium maius,& maius potest adæquari per replicationem à quantitate minori, eo quod est commensurabilis materialiter;nàm ratio formalis cur sit commensurabilis est, quia est extensum. Dixi quantùm ad præsens spectat, quandoquidem vt fusè probabitur in quæstione de replicatione: implicat qnantitatem dimensiuam posse replicari per modum commensurationis, quia intrinsecè diuideretur à se ipsa: &hæc de Articulo.

## ARTICVLVS NONVS.

### Vtrum natura humana, vel quæuis alia substantialis vnibilis *Deo* hypostaticè, possit hypostaticè assumi à tribus Diuinis Personis, scilicèt à Patre, Verbo, & à Spiritu Sancto.

ARticulus hic duplicem potest habere sensum; primus est,an vna, eademque natura substantialis vnibilis Deo hypostatice, sit assumptibilis à tribus Diuinis Personis diuisim, siuè successiuè. Secundus sensus est;, vtrum sit eadem numero natura substantialis assumptibilis à tribus Diuinis Personis coniunctim, & simul. In hoc secũdo sensu,'dicunt aliqui', quod comprehenditur alius Articulus, an, nimirùm, natura humana retenta propria, & connaturali personalitate, siuè subsistentia personali, potuerit hypostaticè assumi à Verbo Diuino; sed decipiuntur. nàm vt in alio Articulo dicetur, est longè diuersus: sed solùm Articulus controuertitur in vtroque sensu apud Theologos, de natura creata personata, vel personabili personalitate increata, & de vtroque quæsito,paucis, sed acutis principiis pertractat S.Thomas *3.p.q.3.art. 5. & 6.*

**Prima conclusio**. Natura humana assumpta à Verbo Diuino personaliter, siuè hypostaticè, potuit assumi diuisim ab omnibus tribus Personis, hypostatica assumptione. Conclusio est S. Thomæ *loc. citat. quæst. 3. præcitata, articul. 5. in corpore*; sed intelligitur hæc assumptibilitas vnius, & eiusdem naturæ humanę respectu plurium personalitatum, non secundùm vnam, & eandem hypostaticam vnionē veluti indiuidualem: sed de diuersa vnione veluti specifica: quicquid sit de veluti indiuiduali, & ratio est: quia vnio hypostatica multiplicatur ex multiplicatione, & distinctione hypostasis: vnio enim hypostatica, sicut sumit sui vnitatem formalem à suo termino formali; ità sumit sui multiplicationem formalem à multiplicatione formali sui termini formalis: quemadmodum vnitas, & multiplicatio formalis potentiæ cognitiuæ sumitur ex vnitate, & diuisione formali sui obiecti formalis; sed tres Diuinæ personalitates sūt veluti specie distinctę: prima enim persona ingenita, secunda persona genita, tertia persona procedens à Patre, & Filio modo impulsiuo.

Ratio fundamentalis conclusionis prima est: quoniam eadem ratio subsistentiæ infinitæ est in tribus Diuinis Personis, licet proprietates personales sint distinctæ: sed subsistentia infinita in Verbo veluti modificata proprietate personali filiationis, est ratio, vt possit terminare dependentiam, siuè indigentiam naturæ humanę in subsistendo formaliter: ergo pariter infinitas est ratio, vt Pater, & Filius possint personare, seù terminare dependentiam eiusdem naturæ humanæ diuisim: vel alijs verbis, ratio cur Verbum Diuinum possit personare sua propria personalitate diuisim naturam humanam in subsistendo incommunicabiliter, est, quia subsistentia in persona Verbi Diuini est infinita; sed eadem existentia infinita est in Persona Patris, & in Persona Spiritus Sancti: ergo, &c. Maior remanet satis probata in Articulo præcedente. Minor verò probatur: quia vnica est subsistētia, qua existunt tres Diuinæ Personæ, sicut vnica est existentia; quandoquidem vt dicemus suo loco existentia in Deo est formaliter ipsa Dei essentia; quia est existentia irrecepta formaliter, & simpliciter, hæc autem non potest esse, nisi vna, tum quia est infinita simpliter, tùm quia excludit à se omnem taleitatem diuidentem; quia est essentialiter tota in sua latitudine formali: sed idem dicendum est adhuc de subsistentia in Deo; quia subsistentia in Deo est ipsa formalissima existentia; esse enim in Deo, non est diuisibile in esse èxistentiæ substantialis, & esse subsistentiæ; quia est esse infinitum formaliter, & essentialiter in sua latitudine formali.

Secunda ratio est; quippè natura humana, e.g. per eleuationem Diuinam, quæ est caput vnionis hypostaticæ, non magis respicit vnam personalitatem Diuinam, quàm aliam absolutè loquendo; hæc autem indifferentia satis est, vt eadem natura humana diuisim possit assumi à tribus Diuinis Personis.

Vtraque ratio potest comprehendi in hac vna. Personalitates Diuinæ, æquè se habent in ratione subsistendi; natura humana æquè est eleuabilis ad Diuinas personalitates; virtus Diuina efficienter assumens æquè etiam se habet, vel vt loquitur S. Thomas, indifferenter se habet ad actum assumendi naturam; ergo vna, & eadem natura humana diuisim est *assumptibilis à tribus Diuinis Personis diuisim*, *quandocumque* enim ait D. Thom. *art. 5. in corpore*, virtus aliqua indifferenter se habet ad plura, potest ad quodlibet eorum suam actionem terminare: sicut patet in potentijs rationalibus, quę se habent ad opposita, quorum vtrumq; agere potest: pariter Diuina virtus potuit humanam naturam vnire Personæ Patris, vel Spiritus Sanctus; sicut vniuit eam Personæ Filij; & ideò, inquit, *dicendum*, quod Pater potuit carnem assumere, sicut, & Filius, eleuando naturam humanam creatam ad esse personale cuicumque Personæ Diuinæ; hæc autem eleuatio, non fit media aliqua dispositione supernaturali eleuante naturam ad ordinem supernaturalem, sicut intellectus creatus lumine gloriæ eleuatur ad rationem potentiæ supernaturalis, vt possit videre Deum in seipso, vt docet S. Thomas *p. par. quæst. 12. art. 5. in corpore*, dicens, omne, quod eleuatur ad aliquid excedens suam naturam, oportet, vt disponatur aliqua dispositione, quæ sit supra suam naturam.

Et ratio est à priori; quia ratio substantialis antecedit accidentalem, siuè esse per se antecedit esse accidentale; sed eleuatio naturæ humanę ad esse personale Personæ Diuinę, est eleuatio ad esse substantiale, siuè per se; ergo hęc eleuatio non supponit aliquod esse accidentale, ac ideò vnio hypostatica à Theologis dicitur radix donorum omnium ac-

accidentalium in Christo Domino, & hæc est disparitas cur intellectus creatus eleuatur ad visionem beatificam Dei in seipso, quæ est supernaturalis formaliter præuio lumine gloriæ, disponente, & eleuante intellectum ad esse potentiæ supernaturalis; eleuatio autem ad esse personale Personæ Diuinæ nullam supponit dispositionem supernaturalem; quia hæc eleuatio est ad esse accidentale, quod est esse tale; vnum autem esse accidentale potest præsupponere aliud esse accidentale; at esse substantiale, quod est esse simpliciter, nullum potest supponere aliud esse simpliciter, siuè substantiale; est enim primum simpliciter. Cæterum propositio S.Thomæ, scilicèt omne, quod eleuatur ad aliquid eccedens suam naturam; oportet vt disponatur aliqua dispositione, quæ sit suprà suam naturam: intelligenda est de omni, quod eleuatur ad esse accidentale, quod consequitur formam accidentalem, non autem de omni, quod eleuatur ad esse supernaturale substantiale, & per se, quale est esse personale Personæ Diuinę: semper enim esse per se supponit esse accidentale; quia esse simpliciter semper præcedit esse secundùm quid.

Quod si primò dicas: natura intellectualis eleuatur ad gratiam habitualem, quæ est forma accidentalis, & tamen nullum supponitur esse per se.

Respondeo, quod supponitur esse per se naturale, in quo est esse per se formaliter, & simpliciter.

Quod si secundò dicas, quod vnio duarum naturarum in Christo, dicitur à Theologis facta per gratiam.

Respondeo, quod vnio duarum naturarum in vna persona Verbi Diuini, dicitur facta per gratiam; quia facta est gratuita Dei voluntate, sine præcedentibus meritis, non autem dicitur facta per gratiam habitualem, vt suo loco fusè dicetur.

Conclusio secunda. Vna, & eadem natura intellectualis est assumptibilis, absolutè loquendo, ab omnibus tribus Diuinis Personis coniunctim, siuè collectiuè, siuè simul sumptis. Dico absolutè loquendo; quia loquimur de potentia Dei absoluta, quę respicit quicquid non implicat contradictionem in suis prædicatis. Conclusio est S.Th. *3.p.q.3.art.6.in corpore*; est autem, inquit, in corpore Articuli talis Diuinarum Personarum conditio, quod vna earum non excludit aliam à Communione eiusdem naturæ; sed solum à communione eiusdem Personæ. Contrarium tuetur Scotus *cum suis in 3.dist.* 1.*q.*2. cuius fundamentum infrà proponetur, & radicitùs soluetur. Ratio fundamentalis, & demonstratiua est, quæ in terminis assignatur à S.Thoma *loc.cit.* Diuinæ Personæ collectiuè sumptæ vt sic, non se excludunt ab vna natura Diuina; sed solum ab vna Persona: at hoc posito non implicat, vt vna natura intellectualis creata, Diuina virtute, pro infinita potentia Dei assumentis, assumatur hypostaticè coniunctim à tribus Diuinis Personis; ergo loquendo collectiuè absolutè, & simpliciter, vna, & eadem natura intellectualis vnibilis est hypostaticè tribus Diuinis Personis simul contra Scotum, & alios ex veteribus, qui apertè opinantur, impossibilem esse hanc assumptionem collectiuè, & coniunctim vnius numero naturæ intellectualis. Maior est S. Thomæ in terminis *loco citato*, vbi dicit, quod est talis Diuinarum Personarum conditio, quod vna earum non excludit aliam à communione eiusdem naturæ; sed solum à communione eiusdem Personæ: & ratio huius est manifesta, quoniam incompossibilitas solùm oritur ex contradictione; contradictio autem est secundùm idem formaliter, & adequatè; sed vnam Personarum Diuinarum Personam excludere aliam à communione eiusdem Personæ, & non excludere aliam à communione eiusdem naturæ, non sunt affirmatio, & negatio secùndùm idem formaliter, & adæquatè; ergo nulla est implicantia, vt talis sit Diuinarum Personarum conditio, quod vna earum nō excludit aliam à communione eiusdem naturæ; sed solùm à communione eiusdem Personæ; ergo de facto ità est conditio Diuinarum Personarum; in actu enim puro idem est actu esse, & posse esse. Minor principalis argumenti probatur; quia si vna, eademque numero natura intellectualis assumatur hypostaticè à tribus Diuinis Personis coniunctis, & simul, vna Diuinarum Personarum, non excludit aliam à communione eiusdem naturæ; sed solùm à communione eiusdem Personæ; etenim hac facta assumptione, erunt tres Diuinæ Personę actu distinctæ ex oppositione originis; sed subsistentes in duplici natura, in natura Diuina, & in natura hypostatica assumpta simul à tribus, quod est proprium Diuinarum Personarum propter earum infinitatem formalem.

Obijcies primò: præcipuum fundamentum Scoti in *3.dist.*1.*qu.*2. quo probat oppositum. Implicat vnum, & eundem effectum numero dependere simul à pluribus causis totalibus; at si vna, eademque natura

natura intellectualis creata assumeretur hypostaticè simul, & coniunctim à tribus Diuinis Personis, idem numero effectus dependeret simul à pluribus causis totalibus; ergo implicat vnam, & eandem numero naturā intellectualem creatā, &c. Maior probatur; quia implicat esse dependētia, siuè indigentia causæ in effectu; sed in vno, & eodem numero effectu, non est indigentia plurium causarum adæquatarum, sed vnius tantùm causæ adæquatæ; effectus enim dependet à sua causa quantùm ad suum esse; sed effectus ab vna tantùm causa adæquata recipit totum esse, quod potest recipere; ergo hæc dependentia fundatur tantummodò in indigentia vnius tantùm causæ adæquatæ, & principalis. Dico, causa adæquata principalis, quia vt suo loco probabitur, non implicat vnum, & eundem effectum dependere à pluribus causis instrumentalibus; hoc principio posito, implicat vnum, & eundem effectum numero dependere simul, & coniunctim à pluribusi causis princpalibus, & adęquatis. Minor principalis argumenti probatur; quia vna Diuinarum Personarum per seipsam est causa adæquata, terminans indigentiam intrinsecam naturæ intellectualis creatæ in subsistendo personaliter; ergo si ea ponatur simul, & coniunctim dependere in subsistendo personaliter à tribus Diuinis Personis, poneretur vnus, & idem numero effectus simul, & cōiunctim à pluribus causis totalibus, quarū scilicèt quęlibet concurrit vt causa adæquata, & totalis. Intelligitur hæc ratio Scoti de potentia Dei absoluta, siuè supernaturali.

Quod si respondeas, dicens, quod licet indigentia effectus reducatur in actum adęquatè per vnam causam totalem; hoc tamen efficit solùm, quod de nouo nihil possit tribui effectui; sed non tollit, quod idem esse, non possit tribui bis, vel ter ab alijs causis totalibus. Explico vim huius responsionis, lignum, v.g. quantum, calefit ab hoc calore signato, A, quantùm potest calefieri. Ex hoc supposito certum est, quod alius color distinctus non potest tribuere eidem ligno aliquam nouam particulam caloris; sed per hoc non tollitur, quod illum eundem calorem, quem habet lignum à calore, A, etiam habeat à calore, B.

Hæc responsio acuta valdè est; sed quantùm video, non attingit vim argumēti; nàm quod detur idem esse bis, vel ter, vel dicit aliquam dationem esse, vel nullam, & redit argumentum à suo capite. Explico per hoc, quod idem esse tribuitur effectui bis, vel ter; aut aliquid tribuitur, aut nihil tribuitur. Si nihil tribuitur; ergo alia causa nihil efficit; quia causare est influere esse effectui. Si aliquid tribuitur contra est; ergo hic effectus non accepit totum suum esse, quod poterat accipere ab vna causa adæquata.

Allata responsio sumitur è Suarez *t.3. 3. par. S. Thom. disp. 39. sect. 1. à vers. quoniam verò*; vbi disputans Suarez, quomodo Christus Dominus sit in Sanctissimo Sacramento; & quia probat eam sententiam, quæ tenet esse per actionem nouam terminatam ad substantiam Christi, (quam appellat Suarez conseruatiuam, quia supponitur Christus alibi esse.)

Obijcit sibi; quomodo est noua actio, si nihil nouum fit in termino? actio enim sine termino non est; ergo neque noua actio sine nouo termino.

Respondet: vt actio sit noua, satis esse, quod eadem res incipiat habere nouam dependentiam, quam anteà non habebat, etiā si nouum esse non recipiat; *sed illud ipsum per influxum alterius causæ; quo sensu falsum est*, inquit, *nihil fieri in termino per illam actionem*.

Quæ responsio apparet mihi, ni fortè fallor, non attingere vim argumenti; nàm ponit secundum implicante priori, nimirùm indigentiam, quæ est radix dependentiæ, in quo puncto difficultas est in hac quęstione.

Explico, quæ dico: ideò est dependentia effectus à causa; quia in effectu est insufficientia ad habendum esse; si ergo in effectu sit omnimoda sufficientia, & nulla indigentia causæ ad habendum esse, implicabit ponere depentiam; erit enim ratio posterior sine ratione priori, ad eum modum, quo quis afferit Patrem in Diuinis etiam si sufficientiam omnem habeat in esse, adhuc subire rationem suboriginatæ Personæ; & in hoc sensu licet verba responsionis allatæ prima fronte videantur soluere contradictionem, re vera tamen ponunt maiorem; quia vbi est sufficientia omnimoda, ponitur adhuc esse insufficientia secundùm idem, cuius ratio formaliter coniuncta est dependentiæ.

Argumentor præterea; quia ex opposita sententia sequitur, quod res, siuè causa, dum efficit aliquid simul, possit effici in eodem genere, vel à suo effectu, vel etiam ab alia aliqua causa, quod, & falsum est, & nō conceditur ad hominem ab eodem Suarez.

Ostendo, quod dico, nàm Suarez *loco cit. disp. 50. sect. 4.* disputans, an possit Christus existens iam in Cęlo, influere in productio-

ctionem, sinè conseruationem sui ipsius; ità discurrit. Impossibile est idem efficere, seù conseruare seipsum secundùm primam rationem existendi, vel secundùm primum influxum causæ efficientis, per quem sufficienter constituitur, vel conseruatur in rerum natura; & hoc est, quod demonstrant principia philosophiæ; quia causa efficiēs supponitur existens, & independens à suo effectu: at verò si postquam res, semel sufficienter existit per actiouem, & influxum totalem vnius causæ, per aliam actionem distinctam, quasi iterum fiat, seù conseruetur, nullum est inconueniens, quod eadem res vt iam facta, possit esse instrumentum ad hanc actionem; quia iam cessat tota ratio, quæ obstabat, cum res illa supponatur existens antè talem actionem, & aliundè possit Deus vti quacumque re, vt instrumento ad omnem subsequentem actionem; quod si ità est.

Sequela argumenti proposita, non obscurè sequitur; nàm licet causa, dum efficit, in eo, in quo efficit habeat sufficientiam, & sit independens; quia sufficentia non obstat nouæ dependentiæ, neque in hoc casu proposito, quidquam obstabit; dicam enim à pari, quod sicut Christus existens, in quo habet sufficientiam, potest iterum existere ex vi alterius productionis; ità causa à qua existit effectus, in quo habet sufficientiam poterit subire nouam dependentiam ab eodem effectu, vel certè ab aliqua distincta causa.

Quod si opposita sententia id concedens, est contra principia prima, quicquid ex hoc antecedente consequitur, erit etiam contra prima principia.

Ex hac doctrina sequitur corollarium, ità apertum, sicut sequela præcedens, scilicèt, quod eadem res posset producere seipsam, quod sic ostendo; sufficientia in esse non impedit nouam dependentiam, nihil ergo vetabit, quod Christus Dominus producat seipsum per nouam actionem; quia vt dicebamus, sufficientia in esse non impedit.

Hæc omnia obiter diximus; non solū quia fungimur officio vniuersalissimi Metaphysici; sed etiam vt ostenderemus, quod concesso principio Scoti, vnum, & eundem effectum non posse simul causari à pluribus causis adæquatis causalitatibus, non est ità facilis responsio ad argumētum eiusdem Scoti; certum enim est, quod qui substinent non implicare eundem effectum posse dependere à pluribus causis totalibus, argumento Scoti non vrgentur; qui verò illud principium substinent, non vno modo respondent.

Respondent enim primò Nominales, distinguendo de causa totali; aut enim est totalis, quæ excludit aliam causam in eodem genere, & talis dependentia à pluribus causis adæquatis omninò implicat; quia data hypothesi non dātur plures causæ totales in eodem genere: aut est totalis; quia est sufficiens, nimirùm est causa, quæ suo influxu sufficienter influit esse in effectum, & talis dependentia, inquiunt, non implicat, nàm sufficere vnam causam, non excludit simpliciter aliam causam; quia solùm importat aliam causam esse superfluam; sed non ostendit aliam causam esse impossibilem.

Sed quantùm video hæc distinctio nō euacuat vim argumenti; nàm sufficiens influxus, aut est partialis, aut totalis, & redit difficultas à capite, & ostenditur, nàm posito influxu totali causæ adæquatæ aufertur ab effectu indigentia intrinseca causæ; & potētialitas ad habendum esse, expletur ab vna causa totali, vbi autem non est potentialitas, neque indigentia esse, implicat ponere dependentiam causalem; quia implicat posterius esse sine suo priori; exuperantia verò tunc habet locum, quando fit aliquid de nouo; sed illud tale non est omninò necessarium.

Caietanus in *3.p.S.Th.q.3.ar.6.* circa primam conclusionem concedit Scoto maiorem, quando effectus dependet à causa per influxū; negat verò in casu nostro de vnione hypostatica, quæ importat solam terminationem; personalitas enim Verbi Diuini personat naturam humanam in Christo Domino, terminando illam in subsistendo communicabiliter. Hanc acutam Caietani responsionem plures docti sequuntur.

Sed quantùm video etiam argumentū Scoti habet vim suam; nàm dato Scoto, quod vnio hypostatica sit sola terminatio naturæ humanæ à persona Diuina, redit à capite eadem difficultas: etenim hæc terminatio, aut est totalis, aut partialis; si est partialis, non sumus in casu, si totalis, non potest esse multiplex terminatio totalis in vna natura intellectiua creata in subsistendo; quia non est indigentia in natura creata, nisi ad vnam subsistentiam personalem; sicut in vno numero effectu, est indigentia tantummodò vnius esse totalis.

Quod si obijcias ad hominem nobis, vnam relationem posse terminari ad plures terminos eiusdem speciei; ergo, &c.

Respondeo enim: nego opinionem, quan-

quando plures termini sunt plures formaliter; concedo verò, quando sunt plures materialiter; in re nostra, tres Personalitates Diuinæ, sunt plures formaliter, non materialiter; filius enim producitur generatione; Spiritus Sanctus verò spiratione. Hac ratione non potest esse vna paternitas ad plures filios; nàm plures Filij sunt plures formaliter; non autem sunt plures termini materialiter secundùm Scotum.

Explicatur distinctio: difficultas est inter Logicos, & Metaphysicos, an vna relatio possit terminari ad plures terminos numero distinctos, & an sicut multitudo fundamentorum multiplicat numero relationes, sic etiam multitudo terminorum. Mihi aliquando non displicuit opinio, distinguens inter relationes primi, & secundi modi, scilicèt fundatas in vnitate; & inter relationes fundatas in actione: & passione, quod relationes, quæ in vnitate fundantur, non numerantur pro numero terminorum; iuxtà quam distinctionem, vnum albũ vnica relatione similitudinis refertur ad plura coalba numero distincta. Pater verò non vna paternitate refertur ad plures filios, sed pluribus paternitatibus; cuius ratio est, quia plura coalba, seù plura similia sunt plures termini materialiter; plures verò filij geniti ab vno Patre, sunt plures termini formaliter, non materialiter; relatio autem multiplicatur semper ex multiplicatione terminorum formalium; sicut, & quęlibet potentia actiua; & quidem ratio huius diuersitatis est, quoniam.

Similitudo, cum fundetur in vnitate specifica, respondens terminus formalis, non erit hoc simile numero, sed simile in communi; itaùt hoc, vel illud simile, sit terminus materialis; ità opinatur S. Thomas, vt in *quæst. de relationibus*, plenè disputabitur; at in relationibus fundatis in actione, tot sunt relationes in causa, quot sunt numero termini, & sic, qui genuit decem filios habet in se decem paternitates, quibus formaliter refertur ad decem filios actu existẽtes.

Ratio, quæ me mouit, est; quia licet ex parte potentiæ generantis, impertinens, & materiale sit, hic vel ille filius; tamen ea est fundamentum incompletum, & consequenter potentiale, quod completur per diuersas generationes; itaùt non materialiter generetur hic filius, sed formaliter; ergo iuxtà fundamenta distincta, aderit distinctio relationum; distinctio enim fundamentorũ, non sumitur ex distinctione fundamentorũ materialiter, sed formaliter, quia actus est, qui distinguit.

Neque obijcias, quod Franciscus, v. g. qui genuit decem filios actu existentes, esset decem Patres: quoniam, vt docent Logici, & Theologi, accidentia eiusdem speciei, nõ dant nisi vnam denominationem, cuius ratio est; quia est vnum subiectum habens, ità opinatur Scotus.

Qui verò volunt tueri contrariam partem: substinere debent, paternitatem, e. g. pro adæquato termino, non habere hunc filium, vel illum; sed filium in commune, & si obijciantur diuersæ generationes, dici debet, quod illæ sunt conditiones, non fundamenta formalia.

Quod si velimus sequi opinionem, plures filios, esse plures terminos materialiter vnius paternitatis in generante; impugnãda est responsio Caietani, hoc principio, quod ratio cur vnus, & idem effectus numero non potest causari etiam per terminationem à pluribus terminis adæquatis numero distinctis, est: quia non potest esse terminabilitas in effectu, nisi per indigentiam, & potentialitatem: hæc autem potentialitas non reperitur in terminabili adæquatè terminato ad vnam numero hypostasim, siuè ad vnum numero suppositum, vt de facto natura humana in Christo Domino, est adæquatè terminata a personalitate Verbi Diuini ad constituendam vnam hypostasim; sicut infrà clariùs explicabitur.

Bacconus, Palud. & alij, quos sequuntur aliqui docti Recentiores, respondent vnam, & eandem naturam assumptibilem terminari perfectè quidem extensiuè; sed non intensiuè.

Sed hęc responsio, vt video petit, quod in quæstione est: prætereà, aut dependentia perfecta intensiuè est totalis, aut partialis, & reddit difficultas à suo capite.

Plerique Recentiores respondent, aliud esse recipere rationem formalem, & aliud esse dependere. Ex his hoc secundum implicat esse à pluribus adæquatis causis, non primum: sed isti non assignant rationẽ disparitatis, & facilè impugnari possunt: aut enim ratio formalis est totalis, aut partialis & similiter redit argumentum à suo capite.

Responsio adæquata huic argumento Scoti, nisi fallor est, quam tradunt Marsilius, & Argentina, quod dependentia vnius, & eiusdem naturæ intellectualis à tribus Personis Diuinis, aut est secundùm idem, aut secundùm diuersa (idem dico de dependentia vnius numero effectus à pluribus causis totalibus, & eiusdem generis) si dependentia sit secundùm idem, concedo Scoto, propter

pter maximam vim argumenti, non posse esse dependentiam vnius effectus à pluribus causis totalibus; si verò dependentia sit secundùm diuersam rationem formalẽ, nihil implicat, vnum, & eundem effectum esse à pluribus causis totalibus; quia ponitur vnum, & idem materialiter, multiplex verò formaliter: quo principio suppposito.

Respondeo in forma ad argumentum Scoti: distinguo minorem, nàm vna, & eadem natura intellectualis assumptibilis à pluribus Diuinis Personis, si traheretur ad tres Diuinas Persona simul, & collectiuè, non assumeretur secundùm idem formaliter; sed tantùm secundùm idem materialiter; quia traheretur ad tres Diuinas Personas simul, & coniunctim secundùm aliam, & aliam capacitatem essentialem; nimirùm, natura vna, & eadem intellectualis creata assumeretur à Verbo secundùm capacitatem, quam habet ad personam compositam Verbi Diuini, nimirùm, fieret Verbum subsistens in natura creata. secundùm quod dicit natura capacitatem essentialem, aut obedientialem ad Personã Verbi Diuini formaliter; assumeretur verò à Persona Patris, aut à Pesona Spiritus Sãcti secundùm aliam, & aliam capacitatem obedientialem, & sic esset idem materialiter, quod dependeret, sed non idem formaliter; quia esset secundùm aliam, & aliam capacitatem obediẽtialem; & ratio à priori esse potest hæc; quia distinctio formalis capacitatis est ex distinctione formali termini formalis; sed tres Personæ Diuinæ sunt tres termini substantiales, veluti specie, & essentialiter inter se distincti, & quilibet est adæquatus in sua latitudine formali; Pater enim solus est Persona generans, Verbum persona genita, quia producitur à Patre productione consubstantiali modo assimilatiuo; Spiritus Sanctus verò est Persona procedens à Patre, & Filio modo impulsiuo, qui sunt termini veluti specie distincti.

Dices primò cum Riccar., quod ex hoc sequitur vnam, & eandem naturam intellectualem creatam, esse infinitè perfectam; nã prouenit ex infinitate naturæ, vt sit in pluribus Personis; at implicat naturam creatam esse actu infinitam.

Respondeo: nego sequelam, nam in in Diuinis est infinitas naturæ propter idẽtitatem vnius, & eiusdem naturæ, in concreto, & in indiuiduo, in tribus Personis Diuinis, inuicem realiter distinctis, cum ordine originis, qui est summa perfectio; in casu verò nostro non reperitur hæc identitas, & consequenter deest caput astruendę infinitatis.

Explicatur responsio: terminabilitas, aut terminatio vnius naturæ substantiæ à pluribus Personis diuisim, vel coniunctim, alia est per identitatem in ordine purę originis, & alia est per solam terminationem ad diuersas personas constituendas. Prima requirit infinitatem etiam in natura assumptibili personaliter. Secunda requirit tantummodò infinitatem in personalitate personante, seù terminante substantialiter.

Dices secundò: terminus formalis hypostaticæ vnionis, est Persona Diuina formaliter; nam vt docet S. Thomas, proprium est Diuinarum Personarum terminare vnã eandemque naturam, ex eo quod sunt Diuinæ Personæ formaliter; sed hoc posito principio adhuc vrget argumentum Scoti, & probatur; quia hoc posito principio tres Diuinæ Personę sunt plures termini materialiter, non formaliter; quælibet enim Diuina Persona terminat substantialiter naturam Diuinam; non quia est hæc Persona Diuina, sed quia Persona Diuina formaliter, puta Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus; hæc enim est prima ratio terminandi substantialiter; quia est vniuersalior, quam vnaqueque Persona Diuina determinata; ex hoc autem posito principio, non reperitur in natura, vt diximus triplex capacitas formalis, ob quam non sequitur vnum, & eundem effectum numero causari à pluribus causis totalibus in actu.

Respondeo: nego maiorem; etenim in Deo non est alia ratio formalis terminandi hypostaticè naturam substantiæ assumptilis, nisi paternitas, filiatio, & spiratio passiua, nempè personalitas Patris, personalitas Filij, & personalitas Spiritus Sancti; persona autem vt sic in Deo non est ratio formalis terminandi naturam substantiæ assumptibilis; quia terminus substantialis personalis deberet esse formaliter abstrahibilis à terminus substãtialibus in particulari; at persona, vt docet S. Tho. *p. p. qu. 30. art. 4. in corpore*, non est huiusmodi, etenim vt S. Thomas ostendit eo loco, non est communis tribus Diuinis Personis communitate rei; sicut vna essentia in Deo communis est tribus; quia sic sequeretur vnam esse personam trium; sicut essentia est vna, neque est communitas rei per omnimodam similitudinem, sicut vna est natura humana in pluribus indiuiduis; lege S. Thomam *cit. loc.* sed est communis communitate rationis; sicut commune est indiuiduum vagum,

quod

quod quidem est analogum analogia proportionis, tres enim Diuinæ Pesonæ conueniunt in modo existendi incommunicabiliter; omne autem analogum proportionis importat plura intrinsecè, & formaliter diuersa, quatenùs proportionaliter similia, & hæc sunt plures termini formaliter: ità pariter tres Diuinæ personalitates, sunt tres termini substantialiter formaliter, non materialiter, & consequenter in natura substantiæ creatæ assumptibilis hypostaticè à Deo, sunt tres capacitates formaliter diuersæ ad tres Diuinas personalitalitates, quæ inter se distinguuntur veluti specie, vt suprà ostendimus.

Quòd si dicas: ad esse terminum formalem potentiæ satis est esse ens formaliter; sed ens formaliter est analogum; ergo esse analogum nó impedit ad esse terminum substantialem essentiæ substantiæ creatæ, vt assumptibilis à Deo personaliter.

Respódeo ex dictis in 1. *quæst.* ens, quod est terminus formalis, non est ens, vt analogum aliqua specie analogiæ, qua ratione inuoluit similitudinem imperfectam; sed est ens vt vniuocum; quia est ens formaliter, non autem ens materialiter; ens autem formaliter est vniuocum, vt citato loco ostendimus.

Neque obstat authoritas Arist. 3 *met. text.* 20. vbi reijcit ens à communitate generis vniuoci; quia non dantur in illo verę differentiæ, nisi velis differentiam entis esse non ens, & ità assignes enti, & generi differentias extrà genus, quod etiam similiter iure reprobat Philosophus.

Non inquam obstat; quia Aristoteles *cit. loc. metaph.* loquitur de genere vniuoco diuisibili per differentias, quæ sunt formaliter gradus entis; non autem de genere vniuoco in vniuersum comprehendente etiam genus vniuocum per abstractionem à modis intrinsecis diuidentibus.

Ex dictis soluitur etiam responsio aliorum ad argumentum Scoti, qui dicunt vnā ex Diuinis Personis terminare inadæquatè, naturam substantiæ assumptibilis, nimirùm personā Verbi inadæquatè terminare naturam humanam assumptam, non quod personalitas Verbi Diuini se totam naturæ humanæ non communicauit; sed quia suo esse personali, quod communicauit naturæ humanæ non adęquat terminabilitatem obedientialem naturæ humanæ; sed quia sua vi terminandi excedit teminabilitalem naturæ humanæ.

Quæ doctrina acuta quidem est; sed non eneruat vim discursus modo facti; etenim personalitas Verbi Diuini, non terminat terminabilitatem naturæ humanæ, vt terminus substantialis materialis, sed vt terminus formalis; terminus autem formalis adæquat terminabilitatem formalem naturæ humanæ ad hypostasim, vel personam Verbi, est quidem natura humana adhuc terminabilis hypostaticè à Persona Patris, & à persona Spiritus Sancti; sed secundùm aliam, & aliam terminabilitatem formalē, quarum vnaqueque adæquatè terminatur à personalitate sibi correspondente.

Dices tertiò, non potest esse multiplex forma, quæ simul det esse simpliciter vni eidemque materię; sed vnaquęque personalitas Diuina, dat esse simpliciter naturæ in genere substantiæ; ergo semel terminata natura ab vna personalitate Diuina, non poterit terminari ab alia personalitate pariter Diuina.

Respondeo: distinguendo maiorem; duplicem enim potest maior habere sensū. Primus est, non posse esse *multiplicem formam*, quæ dat esse *simpliciter omni modo*, quo est dabile *idem esse simpliciter*. Secundus sensus est, non esse dabilem multiplicem formam, quæ dat esse simpliciter, idest quę dat totum esse; sed non omnimodo, quo dabile est. In primo sensu vera est maior; In secundo sensu verò est falsa; vna ex Diuinis Personis; v. g. Persona Verbi dat quidem totum esse simpliciter naturæ humanæ assumptæ; sed non omni modo, quo natura humana est terminabilis formaliter; quia natura humana est terminabilis secundùm diuersas capacitates, & terminabilitates à diuersis terminis formalibus substantialibus.

Neque dicas, quod ex hac doctrina sequitur contra S. Thomam, in vna eademque materia prima posse dari plures formas substantiales simul illam informantes, non quidem ad constituendum vnum compositum per se; sed diuersa composita per se, quia scilicèt vna forma substantialis dat quidem totum suum esse simpliciter; sed nō adæquat potentialitatem materiæ ad diuersa composita per sæ; at hæc doctrina non solum contraria est S. Thomæ; sed etiā suæ rationi, vt suo loco probabitur.

Non inquam hoc dicas, & assigno disparitatem. Pimò, quia tres Personæ Diuinæ dant vnum esse existentiæ, & subsistētiæ simpliciter eidem naturæ substantię assumptibilis, quod scilicèt est communicabile Diuinis Personis diuersis modis formalibus; Patri quidem à se, Filio per generationem, Spiritui Sancto per spirationem;

in Diuinis enim Personis, vt plenè probatur in *quæstione de essentia, & existentia Dei*, non datur, nisi vnica existentia, & vnica subsistentia, quibus existunt tres Diuinæ Personæ: sed veluti modificatis tribus relationibus originis oppositis: at forma substātialis quælibet dat esse simpliciter, formaliter diuersū ab esse simpliciter alterius formæ substantialis; duo autem esse simpliciter in vna, & eadem materia simul sunt simpliciter incompossibilia; quia vnum deberet esse secundùm quid, siuè accidentale; quia foret esse tale; implicat autem esse simpliciter dare esse tale, siuè secundùm quid, præterea implicat reperiri in vna, & eadem materia duo esse simpliciter, etiam ad facienda diuersa composita substantialia, vel etiam ad diuersos effectus formales primarios, tùm quia esse simpliciter est primum in suo genere; implicat autem in eodem genere esse duo prima; tùm etiam quia hoc principio posito aliud esse simpliciter, non esset esse simpliciter; sed esse secundùm quid, quod implicat contradictionem.

Dices quartò, D. Anselmus *lib. 4. de Incarn. Verbi, cap. 4. & in libro cur Deus homo, cap. 9.* docet impossibile esse, plures Personas Diuinas assumere vnum, eundemque hominem, nimirùm vnam eandemque naturam indiuidualem; sumit enim D. Anselmus hominem, vt concretum indiuiduale naturæ humanæ, non vt concretum personale, seù suppositale. Doctrina autem D. Anselmi ab Ecclesia maximè comprobatur; ergo, &c.

Respondeo: ommissis aliorum responsionibus, quod D. Anselmus præcitatis locis, aut loquitur secundum potentiam ordinariam ad finem redemptionis: quia pro fine redemptionis vnius personę Diuinę Incarnatio de necessitate requiritur: aut loquitur secūdùm vnitatem hypostasis vnius, & eiusdem; nam implicat multas personas assumentes vnam, & eandem naturam hypostaticè, non esse plures personas pro multiplicitate plurium terminorum personalium, & in hoc sensus interpetratur Ansel. D. Thomas *3. p. q. 3. ar. 3. in corp.* dicēs, quod conditio Diuinarum Personarum talis est, quod vna earum, non excludit aliam a cōmunione eiusdem naturę; sed solùm à communione eiusdem personę, & ideo in fine corporis Articuli concludit, quod non est impossibile Diuinis Personis vt duæ, vel tres assumant vnam naturam humanam; esset tamen impossibile, vt assumerent vnā hypostasim, vel vnam personam humanam, sicut, inquit, & Anselmus dicit *in lib. cur Deus homo*, quod plures personæ non possunt assumere vnum, eundemque hominem, scilicet in vnitatem Personæ; sunt, qui dicunt, quod S. Anselmus loquitur de natura humana singulari personata propria, & connaturali personalitate; sed hęc est difficultas longè diuersa, vt sequenti Articulo demonstrabitur.

Dices quintò: vnio naturę humanæ cum Persona Diuina, est vnio hypostatica, quę est ad hypostasim formaliter: hęc autem est in vnitatem Personę; at tres Personę Diuinę non possunt fieri vna persona, vt probat S. Thomas *præcit. ar. 3. in corpore*, dicens, quod talis est conditio Diuinarum Personarum, quod vna excludit solùm aliam à communione eiusdem personę.

Respondeo: nullum esse argumētum, quandoquidem pro multiplicitate personalitatum essent multę hypostaticę vniones, cum tres Diuinę Personę sint termini formales, non materiales hypostaticę vnionis; & ex singulis resultaret vna persona composita, sicut suo modo cum identitate vnius naturę Diuinę, alia est persona Patris, alia Filij, & alia Spiritus Sancti.

Dices sextò: si tres Personę Diuinæ hypostaticè assumerent vnam naturam humanam, sequeretur, quod quicquid dicitur de qualibet trium personarum, diceretur de homine assumpto; sed hoc est absurdum; ergo id vndè sequitur; sequela probatur; quia in mysterio Incarnationis personalis fit communicatio prędicatorum, siuè vt loquuntur Theologi, idiomatum; dicitur enim Verbum Caro factum est, vel dicitur Verbum Homo, & Homo Deus; at absurdum est dicere, quod filius generat, non est ergo possibile, quod tres Personæ Diuinæ assumant vnam naturam humanam.

Respondeo cum S. Thoma *præcitat. artic. 6. ad 3.* quod in mysterio Incarnationis fit communicatio proprietatum, siuè idiomatum pertinentium ad naturam; quia, inquit D. Thomas, quæcumque conueniunt naturæ, possunt prædicari de persona subsistente in natura, cuius ratio est, quia persona, siuè suppositum dicitur, quod supponitur omnibus prędicatis, non autem fit cōmunicatio proprietatum, siuè idiomatum pertinentium ad propriam personalitatem vniuscuiusque personæ, nimirùm, conuenientium personæ Patris ratione propriæ personalitatis, & Personæ Filij, & Personę Spiritus Sancti propter distinctionem personarum, quæ remaneret, e.g. dato, quod tres Personæ Diuinæ assumerent hypostaticè

ticè vnam numero naturam humanam, de persona Patris possent prędicari ea omnia, quæ sunt humanæ naturæ, & e a quæ sunt Diuinæ; similiter de Persona Filij, & Spiritus Sancti; at non possent prędicari de persona Filij prædicata, quę conueniunt Patri ratione proprię personalitatis, vt esse ingenitum; neque è contra de Persona Patris posset prædicari, quod est proprium personæ Filij, scilicèt, quod sit persona genita; ratio diuersitatis est, quia in mysterio Incarnationis quando tres Personæ Diuinæ coniunctim personaliter assumerent eandē personam humanam, vnio fieret naturæ cū tribus Diuinis Personis in ratione termini personalis; non autem vnio esset vnius personæ cum alia; ac proindè, quæ dicuntur de natura Diuina in concreto sumpta, significata nominæ Dei, vel hominis, possent dici de alia eodem modo significata, & de quacumque persona; sed quę dicuntur, vt propria vnius personæ, dici nō possunt de alia persona, v. g. non potest dici, Pater est Filius, est genitus, &c. quia proprium Patris est esse distinctum à Filio, esse ingenitū, &c. & sicut de facto ob eadem rationē; quia tres Diuinæ Personæ inter se nullam habent vnionē personalē; sed realem oppositionem, neque possunt inuicem prædicari, neque ea, quę prædicantur de vna persona, possunt prædicari de alia, licet cum natura Diuina habeant connexionem per omnimodam identificationem, quam haberent cum humanitate per vnionem distinctam, separabilem, tàm ab humanitate, quàm ab vnione.

Dices septimò: si vna natura humana assumeretur à tribus Personis Diuinis, siuè suppositis coniunctim: tres Personæ Diuinæ, neque essent plures homines propter vnitatem naturæ humanæ, neque vnus homo propter pluritatem Diuinarum Personarum: vel vt alij dicunt, persona composita ex ipsis, & natura humana, esset simul vnus homo, & tres homines; vnus quia ab vna natura humana, non nisi vnus homo potest constitui; tres verò, quia tribus suppositis vniretur: singula autem supposita singulas naturas demonstrant: vel vt alij dicunt, cum tres Personæ Diuinæ dicuntur assumere simul vnam naturam humanam, vel tres Personæ Diuinæ in tali assumptione se haberent vt vna, vel se haberent vt tres, si vt vna: ergo in tali assumptione tres Personæ Diuinæ, non retinerent suam distinctionem; si vt tres; ergo in ea assumptione natura humana non retineret suam vnitatem.

Hoc argumentum proponit, & soluit S. Thomas *prædicto articul. 3. ad primum*, & sensus responsionis est, quod homo dupliciter sumi potest; vno modo vt concretum indiuiduale naturæ humanæ; alio modo vt concretum personale, siuè suppositale; si sumatur homo vt concretum indiuiduale naturæ humanæ, suppositione facta, quod tres Personæ assumerent vnam naturam humanam, essent vnus homo propter vnā naturam humanam indiuidualem; sicut tres Personæ Diuinæ sunt vnus Deus simpliciter propter vnam naturam Diuinam indiuidualem, existentem in tribus Diuinis personis cum ordine originis, & non plures Dij, quia Deitas, cum sit essentialiter singularis, non est diuisibilis in plures naturas Diuinas; & Pater, & Filius sunt vnus Spirator, vel vnum principium spiratiuum ob eandem rationem; si verò homo sumatur vt coончretum suppositale, siuè personale naturæ Diuinæ, in hoc sensu tres Diuinæ Personę essent tres subsistentes in vna numero natura humana, & nisi fiat lis in verbis, possent dici tres homines cum addito, nimirùm, non per diuisionem intrinsecam naturæ humanæ in plures humanitates; sed per diuisiouem, & distinctionem Diuinarum personarum, participantium vnam, & eandem naturam; hanc distinctionem explicauimus obiter alibi, cum diximus tres Diuinas personas esse tres existentes, non diuisione, & multiplicatione existentiæ; sed multiplicatione plurium personarum participantiū eandem existentiam, ad eum modum, quo plura entia actu distincta in vnu composito physico substantiali sunt plura quanta, non pluralitate & diuisione intrinseca quātitatis; sed pluralitate actuali entium participantium; eandem quantitatem.

(∴)

ARTI-

## ARTICVLVS DECIMVS.

### Vtrum natura humana, vel quæuis alia assumptibilis personaliter à Deo, personata sua connaturali personalitate creata, possit assumi personaliter à Verbo Diuino, aut à Patre, & Spiritu Sancto.

PRæcedente articulo explicauimus, an vna, & eadem natura substantiæ creatæ, denudata à sua connaturali personalitate, possit assumi à tribus Diuinis Personis, aut diuisim, aut coniunctim; nunc examinandum suscipimus articulum, in quo inquiritur, vtrum natura humana crata retenta sua connaturali personalitate, sit personabilis ab vna diuinarum personarum, vel a pluribus de quo agit S.T. *3.p.q.4.ar.2.*

Articulus hic in duplici sensu examinati potest. Primo in sensu formali, & reduplicatiuo, nimirùm, an natura, v.g humana, vt personata personalitate sua creata, & connaturali, potuerit assumi simul hypostaticè à persona Patris, aut à persona Spiritus Sancti. Secundò in sensu specificatiuo, & materiali, nimirùm, an natura humana, aut quæuis alia substantialis assumptibilis, quę actu est personata sua connaturali personalitate sit personabilis etiã ab vna, aut ab omnibus tribus Diuinis personis: & in vtroque sensu ad plenitudinem doctrinę articulus examinabitur; non quidem de potentia ordinaria; sed de potentia absoluta Dei, quæ respicit possibile absolutum, & secundùm se, quod scilicet, non implicat contradictionem in suis prædicatis essentialibus. Hunc articulum examinat S. Thomas *3.p.q.4.ar.2.* & resoluit illum conclusione negatiua in corpore articuli, dicēs, quod filius Dei, nullo modo assumpsit personam humanam, quæ conclusio intellecta de facto certa est apud omnes Catholicos; quia fides Diuina docet, in Christo Domino non esse duas personas; sed vnam Diuinam Verbi, seù Filij tantum; subsistentem in duabus naturis, in natura Diuina, & humana, & ratio huius est.

Primò; quia incarnatio Verbi Diuini facta fuit pro fine redemptionis generis humani; ad hunc autem finem de necessitate requiritur tantum, vt persona Verbi assumpserit sibi hypostaticè naturam humanam singularem præuentam ad suam connaturalem personalitatem.

Secundò; quia, vt docent B. Petrus Alexandr. relatus in *Conc. Eph. to.2. can.7. et S. Thomas præd. ar* 2. humanitas Christi Domini in ipso primo conceptionis instanti, fuit vnita personæ Verbi Diuini, quod ostēditur, tùm ex Verbis Angeli *Luc. primo.* Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrauit tibi; ideoque; & quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei, quem locum explicans S. Aug. *in enchiridion. cap.3. & 6.* ex quo inquit, homo esse cæpit, non aliud esse cæpit, quam esse Dei filium; si igitur Christus in eodem instanti, in quo fuit homo, fuit Deus, ergo nunquã habuit humanam personalitatem; tùm etiã; quia vt probat S. Thomas *cit. ar.2. in corpore*; illud, quod assumitur, scilicèt, personaliter, oportet præintelligi assumptioni; sicut illud, quod mouetur localiter, præintelligitur ipsi motui; sed persona non præintelligitur assumptioni personali; ergo persona non assumitur; sed potius se habet vt terminus assumptionis.

Sed tota controuersia est de possibili, vtrum, scilicet, natura humana terminata propria subsistētia personali, potuerit assumi à Verbo Diuino, quod dupliciter intelligi potest vno modo, an potuerit assumi à Verbo natura humana personata connaturali personalitate assumendo simul hypostaticè personalitatem creatam, siuè personam creatam, qui est sensus formalis, & reduplicatiuus. Secundò, absque eo, quod assumatnr personalitas creata præexistens, qui est sensus specificatiuus &, materialis; & sermo est de potentia Dei absoluta.

Prima conclusio. Natura humana in Christo Domino etiam de potentia Dei absoluta, vt personata connaturali, & propria personalitate, non potuit assumi à Verbo assumptione personali, idest nõ potuit vniri hypostatica vnione, personę Verbi Diuini. Conclusionem hanc profundè docuit S. Thomas *3.p.q.3.ar.6. in corp.* dicēs quod talis est Diuinarum personarum conditio, quod vna earum non excludit aliam à comunione eiusdem naturæ; sed solùm à communione eiusdem Personæ; vndè infert, quod non est impossibile Diuinis personis, vt duę, vel tres assumant vnam naturam humanam: esset tamen impossibile, vt assumerent vnam hypostasim, vel vnam personam humanam; sicut, inquit, dicit Anselm. *in lib. cur Deus homo*, quod plures personæ non possunt assumere vnum, eundemque hominem idest concretum perso-

nale naturæ humanæ, in vnitatẽ personæ.

Ratio fundamentalis cõclusionis est. Primò, quia ad vnionem personalem essentialiter prerequiritur proportio terminabilis, & terminatiui substantialis; sicut ad vnionem essẽtialem in ratione nature, prerequiritur proportio informabilis, & informatiui: sed persona, vt persona formaliter contradicit esse terminabilem vlteriori termino substantiali, & personali non minus ac contradicit materiæ primæ, esse actum formalem; quia persona vt persona, est incommunicabilis vlteriori termino; est enim incommunicabiliter subsistens in natura intellectuali; tum etiam; quia vt docet S. Thomas *prȩcitato ar.6.* ea est conditio diuinarum personarum, quod vna earum excludit aliam à communione eiusdem personæ, sed eadem ratio militat etiam, vt excludat aliam personam creatam; ergo, &c.

Secunda conclusio. Probabile est naturam humanam de potentia Dei absoluta personatam propria, & connaturali personalitate potuisse personali à Verbo Diuino in sensu specificatiuo, & materiali, siuè concomitanter, siuè antecedenter. Totum pondus difficultatis huius articuli consistit in hac conclusiione, quæ valdè controuersa èst, tàm inter antiquos Theologos, quã inter modernos, qui non solum contendunt inter se de veritate conclusionis, sed etiam de ratione.

Caietanus enim, quem sequitur Aluarez *de Incarn. disp. 26.* asserit quod quando suppositum terminans naturam, est proprium, & ei connaturale, impossibile est naturam assumi personaliter ab aliqua Diuinarum Personarum, quin assamatur eius suppositum. Conclusionem tamen positam tuentur plures ex antiquis prȩsertim Bacconus *in 3. senten. q. vnica, ar. 2.* quẽ plures sequuntur. Eius autem.

Primum fundamentum est. Actus diuersorum ordinum, siuè actus subordinati non repugnant simul esse in eodem subiecto, sed subsistentia connaturalis, & propria natura, v.g. humanæ, & personalitas Verbi Diuini sunt actus diuersorum ordinum, & subordinati. Ergo isti duo actus personales non repugnãt esse simul in vna, & eadem natura humana. Ergo probabile est naturam humanam, retenta propria personalitate, potuisse assumi personaliter à Verbo Diuino. Maior probatur. Quoniã actus subordinati etiam diuersorum ordinum formaliter non sunt oppositi; & ex hoc principio non implicat, vt idem obiectum videatur, tùm in se, tùm in alio, v.g. vt creaturæ secundum earum esse formale videantur, tùm in seipsis, seù in proprio genere, & in Deo viso. Minor pariter probatur; quia subsistentia, siuè personalitas connaturalis naturæ humanæ, est secunda, & naturalis; personalitas autem Verbi Diuini, est prima, & ordinis supernaturalis: eodem principio probatur eundem numero effectum posse simul causari à pluribus causis totalibus, & adæquatis diuersi ordinis, & generis; puta à causa prima, & à causa secunda.

Secundum fundamentum est. Natura humana personata personalitate Verbi Diuini in sensu specificatiuo, & materiali potest terminari etiam personaliter à Persona Patris, & à Persona Spiritus Sancti; quia vt articulo prȩcedente docuimus cum S. Thoma, omnes tres Diuinæ Personȩ potuerunt assumere coniunctim eandem numero naturam humanam; sed ratio huius possibilitatis militat in natura humana, vt personata personalitate connaturali, & propria; tùm quia ratio formalis personæ reperitur, tàm in personis Diuinis, quàm in personalitate connaturali, & creata: tum etiam quia in natura humana est terminabilitas, simùl, & naturalis, & obedientialis hypostarica.

Quod si primò dicas, quod hæc opinio est contra PP. omnes, qui contra Nestorium probant non adesse personalitatem creatam, eo quia in natura humana initio suæ conceptionis est persona Verbi Diuini.

Bacconus statim respondet SS. PP. loqui de facto, & connaturaliter.

Quod si secundò dicas, personalitatem Verbi Diuini complere indigentiam naturæ humanæ Christi Domini, quantum ad subsistentiam personalem connaturalem: hoc autem posito, implicat naturã humanam retenta propria personalitate potuisse assumi ad subsistendum subsistentia personali Verbi Diuini.

Respondet statim Bacconus, subsistentiam personalem Verbi Diuini non complere indigentiam naturalem naturæ humanæ ad subsistẽdum subsistentia propria, & connaturali, sed indigentiam absolutam, & obedientialem, de qua est difficultas.

Caietanus, quem sequuntur Alua. *de Incar. disp. 25.* & alii plures assignat disparitates cur impossibile sit, vnã eademq; naturã humanã personatã personalitate Verbi Diuini, adhuc personari posse personalitate Patris, & personalitate Spiritus Sancti; im-

impossibile verò sit naturam humanam personatam personalitate propria, & connaturali, potuisse personari etiam personalitate Verbi Diuini.

Prima disparitas est; quia natura humana, siuè intellectualis quæuis creata, minus terminatur à Diuino supposito, quàm à proprio extensiuè.

Sed statim arguet Bacco., quod hæc responsio manifesta petitio principij est, huius enim rei ratio quæritur.

Secunda disparitas est; natura humana creata ex intrinsecis constituit suam propriam, & connaturalem personam, quomodo non constituit Diuina; ergo non poterit propria personalitate terminata ad alienam personalitatem trahi.

Arguit statim Baccon. tùm à paritate Diuinarum personarum respectu naturæ Diuinæ, tum etiam, quia iste actus naturalis constitutionis, non se extendit ad aliud, quam ad vnam personalitatem connaturalem creatam, quod non præiudicat eleuationi.

Tertia disparitas est. Propria personalitas est adęquatiua naturæ; vna personalitas verò Diuina, non est adęquatiua naturæ Diuinæ, & ità intelligitur Caietanus dicens pro infinitate, quæ pariter est in tribus personis Diuinis, quod si personat vna infinita, personabit, & alia.

Sed statim dicit Bacconus. Primò, quod posita adæquatio petit principium; quia de hoc est quæstio. Secundò, inducta infinitas magis excludit adæquationem.

Paludanus Argent., & Marsilius, quos sequuntur Recentiores, præsertìm Suarez, & Vasquez, afferunt aliam disparitatem, quod natura humana per propriam, & cõnaturalem personalitatem, est in se, & per se; at per alienam personalitatem fit natura creata in alio; sed hi conceptus in se, & in alio inuicem contradicunt ex oppositione propriarum rationum formalium; ergo fieri non potest, vt vna natura personata in se personalitate connaturali, amplius personetur in alio. In hac disparitate notandum est, quod esse per se, est diuersum ab esse in se; ly .n. per se, negat solùm inherentiam in alio, tãquam in subiecto diuersi generis, quæ est innitentia secundùm quid, & accidentalis; ly verò in se, supra hoc negat etiam innitentiam in alieno subiecto.

Sed statim insurget contra Bacconus, & quiuis alius pro eo, quod esse in se, & esse in alio, vel sumuntur secundum idem, vel secundum diuersa; secundum idem sunt contradictoria, secundum diuersa autem non sunt contradictoria; in subiecta materia esse in se, & esse in alio, sunt secundum diuersa, non secundum idem, & ostenditur; nã eadẽ natura humana per connaturalem personalitatem est in se, modo naturali per personalitatem verò Diuinam, & per eleuationem est in alia persona, vel in alio supposito modo supernaturali; & in forma. Argui potest, quod esse in se non adęquat, nisi capacitatem naturalem; ergo haberi poterit locum esse in alio secundum alienã capacitatem supernaturalem.

Alij soluunt hanc disparitatem, negando primò esse in se, & esse in alio, seù subsistere in se, & subsistere in alio, esse modos essendi oppositos; præsertim cõtradictoriè; tùm quia de facto in Christo Dño sunt ab eadem personalitate indiuisibili Verbi Diuini, personata natura Diuina in Verbo, & natura humana; personalitas .n. Verbi Diuini, immediatè, & formaliter dat naturę Diuinæ subsistere in se, & simùl naturę humanę subsistere in alio, puta in Verbo; est autẽ omninò in intelligibile, vt vna simplicissima forma per seipsam immediatè, & formaliter, det duos effectus oppositos, & repugnantes; v. g. vt idem calor per immediatã suam entitatem, faciat ignem calidum, & aquam non calidam; alioquin idem repugnaret sibi ipsi; quia illi effectus, qui dantur formaliter, debẽt etiam formaliter contineri in forma, à qua dantur; tùm quia de facto in Christo humanitas, & diuinitas subsisterent modis essendi contradictorijs, nempè illa in alio, & hæc in se; nàm quod est in alio non est in se; quod verò est in se non est in alio; at si isti modi essendi essent contradictorij, dici non posset, quod vtraq; natura subsistit formaliter eadem indiuisibili, ac simplicissima verbi personalitate, & tanta est conuenientia, vt liceat vnam naturam de alia prædicari in cõcreto, vt homo est Deus, at Deus est homo: tum quia duę subsistentię eiusdem speciei, v. g. Petri, & Pauli, non sunt inter se oppositę; & tamen si altera cũ alterius natura vniretur, daret esse per se, & esse per aliud, siuè esse per se, & esse in alio: tùm à priori, quia si non sonum, sed significationem verborum, inquiunt spectare velimus, esse, & subsistere in se, nihil aliud est, quàm esse per subsistentiam suam, idest connaturalem sibi, ac proprię naturę suę; esse verò, & subsistere in alio, nihil est aliud, quam esse siuè subsistere per subsistẽtiam alienã, idest connaturalem sibi, ac propriam naturæ alterius; non sunt autem isti conceptus repugnantes, hoc esse proprium, & cõna-

naturale mihi, non tibi; illud esse connaturale, & proprium tibi non mihi; nam possunt verificari per respectum ad diuersa, v. g. idem calor est connaturalis igni, non aquę. In re nostra, humanitatem Christi Domini subsistere in alio, est illam subsistere personalitate connaturali, ac propria naturæ Diuinæ, non humanæ: subsistere verò in se est subsistere per subsistentiam sibi propriam, & connaturalem, in quibus conceptibus sic explicatis, nulla prorsus, inquiunt, apparet repugnantia, & cōtradictio; sed tantùm modus diuersus subsistēdi.

Secundò respondent, esto esse in se, & esse in alio, sint duo essendi modi substantialiter oppositi, tamèn adhuc essent compossibiles in eadem natura: quia essent positiui, & singuli per se possent esse in natura, quod addunt propter inhęrentiam, & subsistentiam, quæ sunt quidem modi positiui, tamen non datur aliqua natura communis vtrique: nàm substantia est substantialiter incapax inhærentiæ: accidens verò incapax subsistentiæ: omnes autem oppositę formæ sunt per Diuinam omnipotentiam compossibiles in eodem communi subiecto: vt v.g. albedo, & nigredo, frigus, & calor, &c. neq; est. n. de his maior ratio, quàm de alijs; & huius hanc assignāt rationem pro omnibus; quia, inquiunt, contradictio non consistit in negatione vnius positiui fūdata in alio positiuo: hęc enim in omnibus contrarijs positiuis reperitur, quę non sunt cōtradictoriè opposita; sed in pura negatione positiui, quæ cum positiuo, quod negat, simùl esse non potest; quod autem quędam cōtraria positiua magis, vel minus expressè significent mutuam negationem, id non oritur ex rebus ipsis, sed solū ex eorum vocibus, quę magis, vel minus expressè oppositionem significant, & consequenter negationem alterius contrarij: æquè fundatam in positiua natura cuiuscumque contrarij: v.g. album, & nigrum, non ità expressè significant negationem nigri in albo, & negationem albi in nigro, sicut significat disgregatiuum visus, & congregatiuum visus, & tamen sub æqualibus vocibus, siuè synonimis vocibus, eadem res significatur: neque inquiunt, implicabit idem esse albū, & nigrum sub secunda significatione, si sub prima significatione non implicat: ergo ex eo, quod esse in se quasi expressè significat negationem, seù potius oppositionem essendi in alio, non rectè colligitur negationem vnius positiuè esse de essentia alterius, & propterea in illis includi essentialē incompossibilitatem: vndè inquiunt, si aliter loqui velimus, nulla apparebit implicantia, v.g. me subsistere subsistentia mea propria, & simùl subsistere alia subsistentia, quæ est propria alterius, & mihi tantū vnita, sicut facilè intelligimus eūdem, v.g. ignem esse calidum calore innato, & esse calidum per calorem aduentitium: sicut etiam, vt opinatur Suarez, decens, quod idē potest conseruasse seipsum, idem esset, esse à se, & esse ab alio; & tamen si spectemus voces, non videtur minor repugnantia aliquid esse ex se, & esse ab alio, quam esse per se, & in se, & esse in alio.

Neutra harum responsionum, licet lōgo sermone explicata, attingit radicem verę solutionis disparitatis propositę: quippè ratio generalis oppositionis contradictorię, siuè formalis, siuè virtualis illa sit: quando negatio, & affirmatio, sunt secundum idem adæquatè: sub ijdem .s. circumstantijs: non autem quando sunt secundum diuersa; at in re nostra, si natura, v.g. humana potuisset in Christo *Domino subsistere* subsistentia *personali Verbi Diuini*, retenta propria, ac *connaturali* subsistentia personali, *na*tura humana Christi fuisset in Christo Domino in se, & in alio secundum diuersa formaliter: dicent Baccon. & Caiet. quod infrà explicabitur.

Tertia conclusio; absolutè, & simpliciter implicat naturam humanā, vel quāuis aliam intellectualem personatam personalitate propria, & connaturali, esse de potentia Dei absoluta, assumptibilem ad subsistendum simul subsistentia personali Verbi Diuini in sensu specificatiuo, & materiali. Conclusio hæc est communior *sententia* Theologorum præsertim ad confirmandas argumentationem SS. Patrum, qui contra Nestorium probant, in *Christo* Domino, non adesse personalitatem creatam; quia in Christo Domino est personalitas Verbi Diuini.

Quod si respondeat Bacconus SS. PP. loqui de facto.

Statim poterit cōtra argui SS.PP. loqui etiam de possibili possibilitate absoluta; quoniam implicat contradictionem, naturam creatam intellectualem personatam personalitate connaturali, personari adhuc personalitate increata, etiam ad constituēdas diuersas, & distinctas personas.

Neque oppositum probatur si dicas, quod Patres eodem modo argumtantur in materia de eucaristia ad probandum in ea adesse absentiam panis ex præsentia corporis Christi, & tamen ad hominem per absolutam Dei potentiam substantia panis po-

potest esse simul cum substantia corporis Christi, de qua re loco suo; pariter discurrendum est de Sanctis Patribus cum argumentantur in Christo Domino non esse personalitatem creatam; quia in eo est personalitas Verbi Diuini, & ratio manifesta est; quandoquidem in vna, & eadem numero natura absolutè impossibiles sunt simul personalitas connaturalis, & creata, & quãtum nunc video, saluo semper meliore iudicio, est dispar ratio inter argumentum, quo Patres deducunt absentiam panis in Sacramento Eucharistię ex præsentia corporis Christi Domini, & argumentum, quo Patres deducunt absentiam panis in Sacramento Eucharistiæ ex præsentia corporis Christi; quoniam personalitas connaturalis, & creata, & personalitas connaturalis, & creata, & personalitas Diuina dicunt oppositionem intrinsecam in eadem natura intellectuali simul, quam non habent substantia panis, & substantia corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ, vt infra, & suo loco dicetur.

Neque inconueniens est eandem cõclusionem esse probabilem, & demonstrabilem; eadem enim propositio probari potest, & medio probabili, & medio demonstratiuo eandem conclusionem docent Thomistæ, quo sequitur Aluarez *de in Incarnatione disput.26.* ob hãc rationem, quod quando suppositum terminans naturam est proprium, impossibile assumi naturam, quin assumatur suppositum, quod implicat, quam non admittimus.

Primum fundamentum conclusionis est hoc; subsistentia personalis Verbi Diuini in natura humana Christi Domini supponit carentiã subsistentiæ personalis connaturalis, & creatæ formaliter, scilicèt, quantum ad rationem formalem subsistentiæ; quia subsistentia personalis Verbi Diuini supplet eminenter, idest sine vlla imperfectione subsistentiam connaturalem, & creatam naturæ humanæ formaliter, sed ex hoc prædicato implicat subsistentiam personalem Verbi Diuini, vel alterius Diuinæ personæ personare naturam humanã creatam personatam sua personalitate connaturali etiã in sensu specificatiuo, & materiali; ergo implicat absolutè naturam humanam personatam, siuè retenta sua connaturali subsistentia personali personari, siuè subsistere simul in sensu specificatiuo personalitate Verbi Diuini, vel alterius Diuinæ personæ. Minor probatur, nam ex hoc quod subsistẽtia Verbi Diuini supponit formaliter carentiam subsistentiæ creatæ connaturalis in natura humana Christi Domini, subsistentia Verbi Diuini, & subsistentia connatutalis naturæ humanæ, includunt virtualiter contradictionem ex parte eiusdem subiecti; ex hoc enim quod est personalitas Verbi Diuini formaliter in natura humana Christi Domini, non est subsistentia cõnaturalis creata in natura humana, sicut ex eo quod species intelligibilis sui obiecti immediati, & formalis est in intellectu, non est, neque esse potest in eodem intellectu formaliter, eius obiectum immediatum, & formale, non ob aliam rationem, nisi quia species intelligibilis supplet formaliter carentiam sui obiecti immediati, & formalis; pariter existente in natura humana personalitate Verbi Diuini in Christo Domino implicat simul esse in eadem natura humana sua existentia creata, & connaturalis.

Neque dicas: subsistentiam personalem Verbi Diuini supponere carentiã subsistentiæ connaturalis, & creatæ formaliter ad faciendam, siuè componendam eandem personam, non autem ad faciendã diuersam, & distinctã personã; verum quando Authores contrarię sententiæ dicunt in sensu materiali, & specificatiuo naturam humanam retenta propria, & connaturali personalitate absoluta Dei potentia posse personari, & subsistere etiam personalitate Verbi Diuini, contendunt solum absolutè posse esse subsistentiam personalem connaturalem, & subsistentiam personalem Diuinam, simul in eadem natura humana, ad componendam diuersas, & distinctas personas, quandoquidem pluralitas personarũ est ex pluralitate personalitatum, non ex pluralitate naturæ, vt est in Deo, in quo sunt tres Personæ Diuinæ in vna eademq; natura Diuina.

Nam contra est, personalitas, connaturalis, & personalitas, v.g. Verbi Diuini sunt oppositæ formaliter ex parte subiecti terminabilis, vt ostendimus; sed opposita ex parte subiecti non possunt esse simul in eadem numero natura, quam opponuntur respectu vnius naturę, vt infra.

Cum essem iunior probabam hanc conclusionem,

Hac ratione; terminabilitas essentialis naturæ humanæ expletur formaliter tantum per suam connaturalem personalitatem; quoniam terminabilitas essentialis naturæ humanæ cum sit limitata ad genus speciem, & indiuiduum specificatur a tali personalitate determinata, scilicèt, in indiuiduo; sed hoc posito principio natura

ra humana retenta sua connaturali personalitate, etiam in sensu specificatiuo, non potest simul subsistere subsistentia personali Verbi Diuini; nam implicat dari terminationem personalem, vbi non est terminabilitas personalis, sicut implicat, vt sit productio actualis, vbi non est in priori naturæ potentialitas ad produci, sed in natura, quæ est formaliter expleta in subsistendo personaliter, non est potentialitas ad aliã personalitatem; ergo, &c.

Hæc ratio persimilis est rationi, qua ostendimus non posse vnum, & eundem effectum dependere simul à pluribus causis totalibus, & adæquatis, vbi enim semel intelligitur esse sufficientia, implicat esse insufficientia secundum idem.

Sed nisi reducatur ad priorem facilè solui potest ab Aduersarijs; statim enim dicent primò terminabilitatem naturę humanæ creatæ expleri per suam connaturalem personalitatem ad constituendam personam creatam; non autem ad constituendam personam Diuinam, vt subsistentem in eadem natura.

Secundò dicent, subsistentiam connaturalem explere terminabilitatem formalem connaturalem naturæ humanæ, non autem terminabilitatem essentialem, & absolutam, sicut obiectum formale connaturale intellectus creati adæquat, & explet potentiam intellectiuam essenttialem, quæ est ad intelligibile vt sic.

Cæterum reducendo, & resoluendo rationem ad rationem primam fundamentalem, neutra responsio satisfacit; & quidē non satisfacit prima responsio; quandoquidem cum formæ habent oppositionem formalem ex parte subiecti, neque possunt constituere, & causare diuersos effectus formales in eadem materia simul, quia causare simul plures effectus formales in eadem materia supponit formas posse esse simul in eadem materia; at formæ oppositæ formaliter ex parte subiecti, non possũt esse simul etiam de potentia absoluta; oppositio enim formalis est oppositio intrinseca, quæ est insuperabilis ab extremis; neque satisfacit secunda responsio; quoniam non est dabilis potentia essentialis, neque obedientialis ad opposita formalia simul habenda; implicat enim potentia realis ad impossibile; sed impossibile est opposita formaliter ex parte subiecti esse simul in eodem subiecto; essent enim, & non essent simul secundum idem, huiusmodi sunt subsistentia connaturalis naturæ creatæ, & subsistentia personalis Verbi Diuini, aut alterius Diuinæ personæ, vt ostensum est.

Secunda ratio fundamentalis conclusionis sumitur etiam ab altiore principio satis familiari, & S. Thomæ, & Thomistis, quod est hoc; esse personale naturæ creatę, est esse simpliciter contradistinctum ab esse secundùm quid; sed hoc posito, implicat contradictionem naturam humanam Christi Domini, retenta sua subsistentia creata, subsistere simul in sensu specificatiuo, & materiali, subsistentia personali Verbi Diuini, aut alterius Diuinæ personæ; ergo implicat naturam humanam personatam, & subsistentem sua connaturali subsistentia, subsistere simul subsistentia Verbi Diuini, vel alterius personæ Diuinæ. Maior est clara ex suis terminis; subsistentia enim est à forma substantiali; sed forma quælibet substantialis in hoc distinguitur à forma accidentali, quia forma substantialis dat esse simpliciter, scilicèt esse *sine addito*; forma verò accidentalis dat esse *secundum quid*, idest esse tale, puta forma substantialis dat esse per se, forma verò accidentalis dat enti per se esse quantum, vel quale. Minor principalis argumenti probatur: quoniam implicat esse simpliciter fieri esse secundum quid, distrahitur enim à sua ratione formali; at si simul in eadem natura humana Christi Domini essent esse personale connaturale creatum, & esse personale Verbi Diuini alterutrum ex his, esset esse simpliciter, & alterutrum esset esse secundũ quid: quia alterutrum supponeret aliud, & alterutrum adueniret naturæ existenti per se in actu; vel vt alij dicunt neutrum esset primum esse; quia esse simpliciter est primũ esse in vnoquoque genere; primum autem est causa cæterorum; & hinc est, vt simplicet in vno, & eodem esse duo prima.

Aliqui opinantur satisfacere huic principio, distinguendo duplex esse simpliciter aliud adæquatum, vel inadęquatũ, vel aliud subordinatũ, aliud nõ subordinatũ; sed decipiuntur; nam esse simpliciter, cum sit primum esse in quolibet genere entis necessariò debet esse adæquatum generi; quoniam est causa cæterorum in eodem genere; causa autem cæterorum est completa, non autem incompleta.

Alij verò opinantur soluere argumẽtum distinguendo plura esse simpliciter in vno, & eodem subiecto, alia nimirum ad faciendum vnum, & idem compositum per se; alia verò ad facienda diuersa comopsita per se; primo modo, inquiunt, implicat in vna, & eadem natura posse dari duo esse sim-

simpliciter; secundo verò modo non item.

Sed neque hæc responsio euacuat vim Metaphysici principij; semper enim, quod aduenit enti in actu est esse secundum quid, nisi trahatur ad existendum eodem esse; quia supponit esse simpliciter in ente, siue in subiecto, cui aduenit: at quod supponit esse simpliciter est esse secundum quid, nam supponit rem esse; v.g. esse quantum est esse secundum quid, quia supponit, v.g. substantiam esse, vnde alterutrum esse personale debet esse secundum quid, nimirùm esse, quod supponis esse simpliciter, est secundù quid; esse verò quod præcedit aliud esse in vna, & eadem natura est esse simpliciter.

Dicent fortè Aduersarij, ex hoc sequi naturam humanam Christi Domini personatam personalitate Verbi Domini nō posse simul personari à personalitate Patris, vel à Spiritu Sancto in sensu specificatiuo, & materiali; quia quælibet Diuina persona dat naturæ esse simpliciter.

Respondeo: nego assumptum, & disparitas est; personalitas vnius Diuinæ personæ dat esse simpliciter quidem, sed indissum ab esse alterius Diuinæ personæ; in Diuinis enim non datur, nisi vnum tantum esse existentiale, quod dicitur esse vt natura, quo existit Deus, & tres Diuinæ personæ, cuius ratio à priori est; quoniam esse in Deo est esse irreceptum in essentia; hoc autem est infinitum in tota latitudine formali esse, siuè est formaliter omne esse, vt fusè probabitur *to. 2. quæst. 1.* at persona Diuina quælibet dat esse distinctum, & omdinò diuersum ab esse, quod dat persona creata.

Vtraque ratio huius conclusionis supponit eleuationem, siuè potentiam obediētialem, tunc impliçare, quando eleuatio inducit opposita formaliter ex parte subiecti in eodem subiecto; probo hoc à posteriori, & à priori; à posteriori quidem, linea, v.g. si sit recta etiam in sensu materiali, & specificatiuo, neque per eleuationem fieri potest curua, dum recta est, & ad tollendas æquiuocationes suppono lineam in eodem loco, & sub iisdem circumstantijs esse rectā. Similiter corpus, quod in quiete positiua est, neque per eleuationem simul, & semel moueri potest; horum, & similium non alia redditur ratio, nisi quia rectum, & obliquū sunt opposita formaliter ex parte subiecti, & quies positiua, & motus similiter.

Neque valet responsio si quis dicat lineam esse rectam secundum vnum modum rectitudinis, obliquam verò, secundem aliū modum; nàm tunc tollitur contradictio, quoniā rationes formales, quę nō sūt secundum idem, non sunt opposita formaliter ex parte subiecti.

A priori oppositio secundum rationē formalem ex parte subiecti, est oppositio intrinseca; hæc autem oppositio est ex natura rei; sed eleuatio non tollit naturam rei, quin illam potius perficit; ergo stante oppositione intrinseca, neque per eleuationem, quæ sunt opposita possunt esse simul.

Hinc obiter intelligitur, quam ob causam S. Thomas, neget cognitionem fidei posse esse simul cum visione eiusdem obiecti, quia scilicèt fides intrinsecè includit obscuritatem; visio verò euidentiam ex parte eiusdem subiecti, scilicèt intellectus; de ratione enim essentiali fidei est, vt per eam intellectus obscurè cognoscat, de ratione verò essentiali, & formali scientiæ est, vt intellectus per eam clarè cognoscant.

Putant Aduersarij hanc rationem S. Thomæ non concludere, quoniam euidentia, & obscuritas sunt ex diuersis motiuis formalibus, non autem ex eodem motiuo formali, sed decipiuntur; quoniā oppositio formalis, & essentialis, quæ est inter fidem, & scientiam eiusdem obiecti, per quam repugnant esse simul in eodem intellectu, non est ex parte obiecti formalis, sed ex parte subiecti, nimirum ex parte eiusdem intellectus. Dixi oppositio intrinseca, & formalis, nàm si sit oppositio non intrinseca, sed materialis, vel extrinseca potest illa absoluta Dei potentia auferri, & impediri; ita calidū, & frigidum in summo possunt esse in codē subiecto per Diuinam potentiam; ita albū, & nigrum in summo, ita vniuersaliter disparata.

Quod si istas duas rationes primò opponas contra secundam conclusionem, quā docet Baccon. asserens posse eandem naturam intellectualem in sensu specificatiuo, & materiali simul psonari personalitate creata, & personalitate Diuina.

Respondebit vtique statim Bacconus, negando personalitatem creatam, & personalitatem Diuinam esse oppositas formaliter ex parte subiecti; idque probabit, quia sunt prædictæ personalitates actus diuersorum ordinum subordinatos; at subordinatio non excludit simultatem in eodem subiecto: ergo subsistentia personalis connaturalis Christi Domini est subsistentia personlis Verbi Diuini possunt simul terminare substantialiter eandem naturam humanam ad componendas distinctas personas; distinctio enim personarum, non est ex diuisione naturæ, sed sufficienter est ex dististinctione personalitatum, vt

est in Diuinis Personis. Maior probatur; quoniam causę diuersorum ordinum, simul concurrunt ad eundem numero effectum producendum diuersis concursibus receptis in eodem termino, siuè effectu. Secundò subordinatio saluatur per solam dependentiã vnius ab alio; dependentia autem excludit solum simultatem naturæ, non autem instantis temporis. Minor verò principalis argumenti adhuc probatur; quia subsistentia connaturalis naturę humanę est ordinis naturalis; subsistentia verò Verbi Diuini est ordinis supernaturalis.

Ad secundam verò rationem statim adhuc respondebit Baccon. dari duplex esse simpliciter aliud incompletum, & aliud completum; plura esse simpliciter completa inquiet, sunt incompossibilia simul in eadem natura, non verò esse simpliciter incompleta; vt autem hęc distinctio vim habeat apud Thomistas, qui ponunt vnam tantum existentiam in composito per se; quia in eo ponitur vna tantum formam substantialis simpliciter completa; esse simpliciter incõpletũ, nõ dicitur, quod est in essentia incompleta, vt materiam esse, vel animã rationalem esse; esse verò simpliciter completum, quod est esse totius essentiæ specificæ, vt hominem esse, vel alijs terminis esse simpliciter incompletum, quod est esse consequens formam genericam; esse verò simpliciter completum, quod est esse consequẽs formam specificam, & completam, sed esse completum dicitur, quod adæquat potentialitatem essentiæ; esse verò simpliciter incompletum, quod non adæquat potentialitatem, siuè terminabilitatem essentiæ, v.g. esse personale creatum dicitur inadæquatũ naturæ humanæ, quia non adæquat eius potentialitatem absolutam, & essentialem, licet adæquet terminabilitatem, siuè potẽtialitatem naturæ humanæ. Cum opponitur Bacconο, quod personalitas naturę humanæ est esse simpliciter. Statim respondet, personalitatem creatam, & connaturalem conferre naturę esse simpliciter completum in natura, quatenùs est terminabilis terminabilitate naturali; non autem quatenus est terminabilis substantialiter terminabilitate absoluta, & substantiali; ac proindè personalitas connaturalis, & personalitas Verbi Diuini, absoluta Dei potentia possunt terminare eandem naturam humanam ad cõstituendas plures personas, & humanam, & Diuinam subsistentes in eadem natura humana.

Sed neutra responsio satisfacit demõstratiuè; non quidem satisfacit demonstratiuè prima responsio; etenim actus diuersorum ordinum, & subordinati, sunt duplicis generis; alij ferunt secum oppositionem formalem ex parte subiecti, alij excludunt oppositionem formalem ex seipsis ex parte subiecti; vt v.g. actus scientiæ, & actus fidei Diuinæ, sunt actus diuersorum ordinum, & subordinati, sed oppositi formaliter ex parte subiecti; cognitio verò creaturarum in proprio genere, sunt actus subordinati, & diuersorum ordinum, sed sine oppositione formali ex parte subiecti. Actus subordinati, & diuersorum ordinum primi generis, qui sunt oppositi formaliter ex parte subiecti, proculdubio non possunt simul esse in eodem subiecto, vt scientia, & fides Diuina; actus verò subordinati, & diuersorum ordidum, non oppositi ex parte subiecti possunt simul esse in codẽ subiecto; quia excludũt à se contradictionem ex parte *subiecti*, quę est causa incompossibilitatis.

Neque verum est, quod *subordinatio* excludit oppositionem *circa idem subiectũ*; subordinatio enim *dicit* vnum post aliud; vnum autem potest esse post aliud in codẽ subiecto, vel in diuersis instantibus naturæ, sed in eodem instanti temporis, vel in diuersis instantibus temporis, quæ sunt opposita formaliter ex parte subiecti sibi inuicem succedunt in eodem subiecto in diuersis instantibus temporis, vt forma, & eius priuatio in eadem materia; quæ verò subordinantur per solam dependentiam vnius ab alio absque vlla oppositione ex parte subiecti, sunt in eodem subiecto cum sola prioritate, & posterioritate naturæ. Subsistentia personalis creata, & subsistentia personalis Verbi Diuini sunt actus subordinati, & diuersorum ordinum, sed essentialiter permixti oppositione formali ex parte subiecti, vt probauimus.

Neque satisfacit responsio ad secundã rationẽ de esse simpliciter, & de esse secũdũ quid; quoniam esse simpliciter, & esse secũdùm quid sunt duplicis conditionis, alia sunt, quæ habent oppositionem formalem ex parte subiecti, & alia sunt, quæ non habet oppositionem formalem ex parte subiecti; v.g. visio creaturarum in Deo viso, & visio creaturarum in seipsis, siuè in proprio genere dicunt duo esse sine vlla oppositione formali ex parte eiusdem subiecti; scientia verò euidens, & fides Diuina de eodem subiecto dicunt quidem duo esse distincta, & diuersa, sed opposita oppositione formali, & essentiali ex parte vnius intellectus, ex quo subiectari possit, & huiusmodi sunt esse personale creatum, & esse personale

Di-

Diuinum respectu vnius,& eiusdem naturę humanæ; idque ob duplicem causam, vt diximus. Prima est: quoniam esse personale diuinum supplet carentiam esse personalis connaturalis, & creati, sicut species intelligibilis distincta ab obiecto supplet carentiam obiecti formalis, & immediati existẽtis intra potentiam. Secunda est: quoniam esse quod supponit esse, simpliciter in subiecto est esse secundum quid,& huiusmodi esset esse personale diuinum, si personaret naturam humanam,iam personatam sua connaturali personalitate etiam in sensu specificatiuo, & materiali.

Hoc ipsum Aluarez cum Caiet. *loco cit.* probat alia ratione, nimirùm, quando suppositum terminans naturã est propriũ, & ei connaturale impossibile est, naturam assumi quin assumatur eius suppositũ, propter naturalem, & intrinsecam connexionẽ, quam habet cum natura,quia illud suppositum est terminus intrinsecus, & proprius naturæ ab ea emanans per simplicem emanationem; sed suppositum, vt supra ostendimus simpliciter est inassumibile; ergo absolutè,& simpliciter fieri non potest, vt natura terminata propria personalitate, simul subsistat personalitate Verbi Diuini.

Cęterum quando suppositum terminãs naturam est extraneum, potest assumi natura per illud suppositum terminata absque eo, quod suppositum ipsum assumatur, & ob hanc rationem natura humana personalitate Verbi Diuini potest personari adhuc personalitate Patris, & Spiritus Sancti.

Sed hęc ratio facilè soluitur:statim .n. dicit Bacconus duo, primum quod ista supposita sunt subordinata,& diuersorum ordinum; actus autem diuersorum ordinum, non repugnant esse simul in eodem subiecto. Secundò dicet, quod si natura personata personalitate connaturali personetur in sensu specificatiuo, & materiali adhuc personalitate Diuina ad constituendam vnam, & eandem personam,vtique erit impossibile; at à contraria sententia solum asseritur naturam creatam retenta sua connaturali personalitate posse personari personalitate Diuina ad componendam aliam distinctã personam;quoniam personalitas creata, & connaturalis, & personalitas Diuina, non repugnant esse simul in eadem natura formaliter,vt suprà probat Bacconus.

Obijcies primò contra tertiã conclusionem, nulla est contradictio,si natura creata personata sua connaturali persona personetur personalitate Diuina in sensu specificatiuo;vbi autem non est contradictio est cõpossibilitas;ergo, &c. Maior probatur,nam contradictio non est secundum diuersa, sed secundum idem formaliter, sed si simul eadem natura creata personetur personalitate creata, & personalitate Diuina,istę duæ personalitates non essent secundùm idem formaliter, sed secundùm diuersa formaliter; probatur hoc; quoniam in natura, v.g.humana in sensu specificatiuo, & materiali sunt duę potentiæ terminabiles, siuè personabiles distinctę formaliter,alia naturalis, alia verò essentialis, sicut in intellectu creato est duplex potentialitas intellectiua,alia naturalis,alia essentialis; naturalis terminatur obiecto formali connaturali; essentialis verò terminatur obiecto formali essentiali; probatur assumptum; distinctio enim formalis potentiæ in vniuersum sumitur ex distinctione formali termini formalis:sed hoc posito principio personalitas connaturalis creata, & personalitas Diuina non sunt oppositę formaliter; quia non sunt secundùm idem formaliter, sed tantum secundùm idem materialiter; oppositio autem formalis est secundũ idem formaliter;hoc principium latè ostendimus cum probauimus essentiam, & existentiam in creatis in ratione subiecti se se inuicem causari in diuerso genere causę.

Respondeo: nego maiorem; ad probationem, qua dicitur in natura creata dari duplicem terminabilitatem substantialem; aliam naturalem,& aliam essentialem, siuè obedientialem.

Respondeo: distinguo maiorem quantum ad terminabilitatem essentialem, siuè obedientialẽ ad personalitatem Diuinam, & creatam,simul habendas in eadem naturam substantialiter, & nego; ad personalitatem creatam, & Diuinam, terminantes eandem naturam successiuè, & disiunctim, & concedo; & ratio est, quia personalitas Diuina, & personalitas creata sunt oppositæ formaliter, siuè essentialiter ex parte subiecti; hęc verò opposita implicat, vt sint simul in eodem subiecto; quoniam oppositio essentialis, siuè formalis est inseparabilis ab extremis;cum verò dicitur ab opponente, quod oppositio formalis ex parte subiecti debet esse secundùm idem formaliter, non autem secundùm diuersa formaliter; at in re nostra est idem tãtum materialiter non formaliter, quia formaliter alia est potentia naturalis,& alia est essentialis, siuè obedientialis.

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem; potentialitas enim essentialis, siuè obedientialis, non est ad simul habendam personalitatem Diuinam, & creatam, sed solùm ad habendum personalitatem

Diuinam seorsum à personalitate creata, & connaturali; difficultas autem in re præsenti est, an in vna eadem natura humana, & creata detur potentialitas essentialis, siuè obedientialis ad habendum simul personalitatem creatam, & personalitatem Diuinã. Aduersarij supponunt eam dari, sed decipiuntur, quia vt ostendimus, prædictę duæ personalitates sunt incompossibiles, simul in eadem natura; ad impossibile autem nulla datur potentialitas, etiam obedientialis; potentia enim non est, nisi ad possibile absolutũ, q. i. non inuoluit cõtradictionẽ.

Obijcies secundò; natura humana personata personalitate Verbi Diuini in sensu specificatiuo potest personari personalitate Patris, & personalitate Spiritus Sancti simul, vt ostendimus cum S. Thoma, sed hæc possibilitas militat, etiam in natura humana retenta sua connaturali personalitate; omnes enim difficultates, quę sunt ad probandum non posse naturam humanã terminari simul substantialiter tribus Diuinis personalitatibus, sunt etiam ad probandum non posse naturã humanã personalitate, vt sunt, v.g. esse in se, & esse in alio, &c.

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem disparitas est; quoniam tres personæ Diuinę, si personarent simul eandem numero naturam humanam tribuerẽt ei solumodò vnum esse per se, quia vt sępè probauimus omnes tres Diuinæ personæ non existunt, nisi existentia, quę est essentialiter Dei essentia; verum personalitas creata, & personalitas Diuina sunt duo esse per se, quæ sunt incompossibilia, simul in eadem natura, vt supra ostendimus in conclusione tertia; & hoc est, quod Concilia, & Patres docent in Christo Domino non reperiri personalitatem creatam: quoniam humanitas Christi Domini subsistit personalitate Verbi Diuini; quia nimirũ impossibile est naturam humanam, retenta cõnaturali personatitate posse personari personalitate Verbi Diuini; idque probat S. Th. *q. 4. ar. 2. in corp.* dicens, Filium Dei nullo modo assumpsisse personam humanam: quia illud quod assumitur oportet præintelligi assumptioni; sicut illud, quod mouetur localiter præintelligitur motui; persona autem non pręintelligitur in natura humana assumptioni, sed magis se habet, vt terminus assumptionis; nàm vt diximus Verbum Diuinum creando cum alijs Diuinis personis naturam humanam illam assumpsit personaliter, & assumendo creauit; creatio autem est ad suppositum, & ad personam.

Neq; dicas: Concilia, & Patres, aut loquutos esse sm̃ potentiam ordinariam; quia pro fine redemptionis vna tantũ erat necessaria persona Filij, vel Cõcilia, & Patres nõ aliud voluisse docere, nisi non potuisse personam creatam posse vniri personæ Diuinæ vnione termini.

Non inquam hoc dicas, quippè notum euidẽter fuit, & Cõcilijs, & Patribus, impossibile esse eandem naturã personari, simul personalitate cõnaturali, & Diuinæ simul.

Neq; secũdò dicas, quod si vera esset hęc opinio sequeretur nõ posse animã rationalẽ, semel annihilatã reproduci per aliã numero actionẽ ab actione, qua producta fuit, & nõ posse eandẽ numero formã corruptã reproduci, & reuniri materię per aliã vnionẽ distinctã à prima, quę duo nullus concedit.

Resp. enim, cõcedo sequelã, neq; verũ est, quod hoc nullus cõcedit, nã cõcedẽdũ est in doctrina S. Th. asserẽtis essẽtiã Angeli in essẽtia Angeli in esse naturali, nõ esse multiplicabilẽ numero intra eãdem specie athomã, & vt diximus cõtra Scotũ Angelus, semel annihilatus non est reproducibilis, nisi eadem numero creatione.

## ARTICVLVS VNDECIMVS.

### Vtrum in corruptione substantiali naturali detur resolutio vsque ad materiam primam exclusiuè.

Articulus hic proprium locũ habet in libris *de Gen. & Corrupt.* proponitur tamen hoc loco examinãdus; quoniam dubium est, an data opinione, quod materia prima sit pura potentia in genere entis, necessariò ex eo sequatur in corruptione substãtiali, & naturali dari resolutionẽ, vsq; ad materiã primã exclusiuẽ. Consideratio autẽ sublimis materiæ primæ; præsertim existat nè propria existẽtia, an existẽtia formæ, ad metaphysicã spectat, cuius proprium est in promptu reddere rationem omnium, vel difficillimarum difficultatum.

S. Tho. & Thomistæ omnes apertissimè tuẽtur, quod quãdo corrũpitur aliquod totũ substãtiale naturale, abeunte forma substãtiali, dextruitur quicquid sensibile est, remanẽte sola materia prima totius corrupti; est verò maximè sensibile, accidẽs materiale, quo fit formaliter sensibilis substantia materialis, & hanc dicunt esse in terminis sententiã Aristotelis, qui in *lib. 1. de Gen. & Corrup.* definiẽs generationẽ substãtialẽ, & corruptionẽ, dicit esse mutationẽ totius substãtialis in totũ, nullo sensibili remanẽte, vt subiecto eodẽ; e.g. quãdo ex ligno generatur ignis; materia prima, quæ est subiectum cõmune huius transitus, spoliatur nõ solum for-

forma ligni, ſed omni accidēte in ea exiſtēte, recipiēs cū forma ignis omnia accidētia, quæ cōcomitantur formā ignis, quæ quidē accidētia: inquiūt Thomiſtæ cū S. Tho., sūt ſimilia in ſpecie, diuerſa verò in numero.

Ab hac celebri, & Ariſtotelica ſententia ferè omnes alienæ ſcholæ, tanquam valdè difficili, & contraria ſenſibus abhorrent, ſequētes oppoſitā, aſserētiū, quod iſta reſolutio, & totalis formarū deſitio ſubſtātialiū, & accidētaliū, naturaliter impoſſibilis eſt.

S. Tho. ſuam, & Ariſtot. ſententiam multis in locis explicat, & probat; ſed pſertìm *p.p.q.76.ar.2.* eam à prima radice explicat, & probat differens. An Anima intellectiua vniatur corpori præuijs diſpoſitionibus accidentalibus: negatiuè reſpondet, & huius negatiuę doctrinę occaſione docet, ꝙ impoſſibile eſt, ꝙ recedente forma ſubſtantiali remaneat aliqua forma accidentalis corrupti.

Fundamentū præcipuū huius ſententiæ, eſt hoc ꝙ profundè explicat S. Doctor *loco modo cit. in corp. Art.*, his verbis; cū materia prima ſit in potētia ad omnes actus ordine quodā, oportet; quod id ꝙ eſt primū ſimpliciter in actibus, primò ſit in materia. Primū autem inter omnes actus eſt eſse; impoſsibile eſt ergo intelligere materiam prius, v.g. eſse calidam, & quātam, quam eſſe in actu: eſse autem in actu habet per formam ſubſtantialem, quæ facit eſſe ſimpliciter; vndè impoſſibile eſt, quod quæcunque diſpoſitiones accidentales pręexiſtant in materia ante formam ſubſtantialem, quī diſcurſus in hunc ſyllogiſmum formaliter deducitur.

Impoſſibile eſt, materiā eſse calidam, vel quātā, niſi prius ſit actu ſimpliciter, ideſt ſine addito .ſ. prius eſt rem eſse, q̃ rem eſſe talem; ſed omnis forma accidentalis dat eſſe tale; forma verò ſubſtātialis dat eſſe ſimpliciter; ergo impoſſibile eſt, ꝙ materia antequam ſit ſimpliciter, ſit quanta, vel qualis; at ſi remanerent accidentia in corruptione ſubſtantiali, eſſe ſecundùm quid, ſcilicèt, eſſe tale præcederet eſſe ſimpliciter, nimirum, materiam eſſe: hæc minor ſubſumpta probatur; quia forma, quæ de nouo generatur ſupponit accidentia, quæ dant eſſe tale.

Ad hūc diſcurſū reducūtur omnia, quæ adducere ſolēt Thomiſtę ad cōfirmandā S. Tho. doctrinā; quippè vim nō habēt, niſi ex hoc fundamento, ꝙ eſt præcipuū, & vnicū.

Primum eſt; totum cōmpoſitum ex materia, & forma eſt adæquatum ſubiectum inhæſionis accidentium materialium; quia ſubiectum accidentium eſt ens in actu: per hoc enim differt ſubiectum formæ ſubſtantialis à ſubiecto formæ accidentalis: quia ſubiectum formæ ſubſtantialis, quod eſt ſubiectum generationis ſimpliciter, eſt ens in potentia, & hoc eſt ens in actu; vnumquodque autem eſt actu per formam; Sed corrupto ſubiecto, corrumpuntur omnia accidentia, quæ in eo ſubiectantur; depēdent etiam à ſubiecto in fieri, & in eſse; ergo in corruptione ſubſtātiali, in qua corrumpitur cōmpoſitum ſubſtantiale, deſinunt etiā omnes formę accidētales: remanēte ſola materia prima corrupti; q̃a materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis, cū ſit primū ſubiectū cōmune corruptioni; & nouę generationi.

Secūdum eſt; definitio generationis, quæ traditur ab Ariſtot. q̃ definit generationem eſse mutationē totius in totū, nihil sēſibile remanēte vtriq; termino, vt ſubiecto cōmuni, ſiuè eodē: at ſi nō daretur ſolutio omniū formarum vſq; ad materiā primā, remaneret aliꝗ sēſibile, vt ſubiectū vtriuſq; formę.

Alij ferè cōmuniter cōtra sētiūt: fūdant autē eorū opinionē in duobus principijs; Primū eſt, q̃a opinātur, materiā primā eſse ſufficiēs ſubiectū inhęſionis quātitatis dimēſiuę, & qualitatū materialiū; at hoc tātū ſufficit, vt nō detur reſolutio vſq; ad materiā primā in corruptione ſubſtantiali. Secundū eſt: q̃a sēſus nō erat circa euidēs sēſibile nimirum circa ſenſibile per ſe, ſenſibile enim per ſe eſt obiectum formale ſenſus; circa autem obiectum formale, potentia non errat, vt probat S. Thomas *p.p.qu.16.* ſed plura accidentia per ſe ſenſibilia remanent in genito, quæ erant incorrupto; remanent enim eadem quantitas dimēſiua, eadē figura, cicatrices eędem &c. Secus ſenſus per ſe erraret.

Neque dicas, accidentia, quę remanēt in corrupto eſse ſimilia, ſiuè eadem in ſpecie, non autem eadem numero; tum quia hoc eſt contra euidentiam ſenſus; tum quia accidentia, quæ remanent, ſunt per ſe ſenſibilia, circa quæ non poteſt errare ſenſus, vt infrà probabitur cum S. Thoma *loco ſup. cit.*

Prima concluſio; probabile eſt, dato quod materia prima ſit pura potētia in genere entis, non dari reſolutionem vſque ad materiam primam excluſiuè; Concluſio mihi ratis veriſſimi eſt, ſolum retardor ad illam abſolutè aſserendam, ab authoritate, & ratione S. Thomę, tamen illam probandam propono; quoniam adhuc principijs S. Thomæ poteſt oſtendi eius probabilitas.

Primum principium concluſionis eſt; etenim non eſt aſſignabilis alia ratio in oppoſitum, niſi quæ aſſignatur à S. Thoma *p.p.q.76. art.6.* impoſſibile eſse formam ſubſtantialem in materia præcedere formā accidentalem, non ſolum quia eſse ſubſtantiale præcedit eſse accidentale, ſed etiam

quia

quia esse simpliciter præcedit semper esse secundùm quid: sed hæc ratio solui potest ex ijsdem principijs S. Thomæ; possunt enim respondere cum distinctione, formam substantialem in genere causæ formalis precedere formam accidentalem; E conuerso verò formam accidentalem præcedere in genere causæ materialis formam substantialem, eo modo, quo materia, & forma se se causant in diuerso genere causæ, materia nimirum in genere causæ materialis præcedit formam; forma verò in genere causę formalis præcedit materiam.

Secundum principium est; quia in corruptione substantiali, materia prima non amittit, seù perdit esse formæ præcedentis simpliciter, sed per tractum ad esse nouæ formæ in eodem instanti, tùm temporis, tum naturæ, quo primò non est forma corrupti, & primò est forma de nouo genita; sed hoc est sufficiens principium, vt remaneant in materia genita illa eadem numero accidentia, quæ erant in corrupto. Probatur minor; tum quia hoc est sufficiens principium, vt in genito remaneat eadem materia, quæ erat in corrupto secundum suum esse intrinsecum essentiale, & quidditatiuum; tùm etiam, quia per hoc quod materia relinquit vnam formam per tractũ ad aliam formam in eodem instanti temporis, dependentia, quam habeant accidentia à forma corrupti, suppletur per dependentiam in eodem instanti à forma substantiali geniti; quoniam dispositiones p ręcedentes, tam quantitatiuę, quam qualitatiuę; quãuis perdant dependentiam in existendo pręcedentis formæ, quæ corrumpitur, & consequenter, quamuis perdãt existentiam pręcedentis formę, remanent tamen quoad esse proprium essentiæ, & existentiæ nouæ formæ: quia prædictis dispositionibus succedit in eodem instanti temporis forma substantialis geniti de nouo, puta cadaueris, aut ignis, à quibus materia recipit esse simpliciter, in qua successione ex prioritate, & posterioritate in diuerso genere causę, (quæ est doctrina satis familiaris Thomistis,) esse simpliciter in genere causæ formalis præcedit dispositiones: & è contra dispositiones in genere causæ materialis præcedunt formam substantialem, quæ dat esse simpliciter; dispositiones enim materiales reducuntur ad genus causæ materialis, cum se tenent ex parte materiæ. Explico, quæ dico: cum ex viuente generatur cadauer, accidentia illa, quæ erant in viuente, puta in homine, quantitas, scilicèt, cicatrices, nigredo, vel albedo &c. quæ dependebant in esse simpliciter ab esse quod dabat forma viuentis, in eodem instanti temporis in quo relinquũt hanc dependentiam, primò nõ est forma corrupti, depẽdẽt ab esse simpliciter, ꝙ dat forma de nouo geniti: in eodẽ enim instanti tẽporis, in quo forma corrupti primò non est, primò est forma geniti.

Quod si dicas: forma geniti etiam in eo instanti, in quo primò est in materia, iuxta hanc conclusionem, pręsupponit, præsuppositione naturæ, seù in priori naturæ accidentia, quæ erant in corrupto; sed hoc est omninò repugnans principijs S. Thomæ: nam esse simpliciter necessariò debet præcedere esse secundùm quid, at data hac explicatione. Quod prius natura, quam forma de nouo genita dat esse simpliciter materiæ, pręintelligitur accidentia, quæ erãt in corrupto dare materiæ esse secundùm quid; quod est esse tale, nempè quantum, & quale: falsa est propositio.

Respondeo nego assumptum, & ratio est; quia accidentia, quæ erant *in corrupto* per separationem *formæ substantialis*, quæ erat in corrupto, amittunt dependentiam, quam habebant à materia prima sub forma corrupti non simpliciter, & absolutè; sed per tractum in eodem instanti ad nouam dependentiam à materia; quatenus est actu simpliciter per formam de nouo genitã, & hoc satis est, vt semper pręintelligatur, esse simpliciter pręcedere natura esse sm̃ quid.

Secunda conclusio; absolutè, & simpliciter vera est sententia S. Thomæ, in corruptione substantiali, dari resolutionem vsque ad materiam primam exclusiuè, non solum quantum ad actualem informationẽ, qua accidentia informabant materiam primam, dum erat sub forma corrupti; sed etiam quantum ad earum esse intrinsecum, & quidditatiuũ. Conclusio hæc valde controuersa est, & eã ferè omnes, qui tribuunt materię primę propriã existentiam, negant.

Fundamentum conclusionis, est quod supra tradit S. Thomas *p.p.q.76.* nimirum, quia esse simpliciter necessariò pręcedit esse secùndum quid in quolibet genere entis, præcedentia simpliciter, & absoluta, quæ est prior, quam sit præcedentia naturæ in quolibet determinato genere causæ; hoc autem esse simpliciter, materia prima habet à forma substantiali; sed hoc posito principio, necessariò datur resolutio vsque ad materiam primam exclusiuè in corruptione substãtiali. Minor; in qua est difficultas probatur: Primò; quia si quę esset ratio in oppositum, ea esset; quia forma substantialis, & dispositiones materiales, se se mutuò causant in diuerso genere causę, ex quo principio sequitur, quod forma substantialis in ge-

genere causæ formalis præcedit dispositiones materiales; & è conuerso dispositiones materiales in genere causæ matrialis præcedunt formam substantialem; sed hæc ratio non est sufficiens; nam esse simpliciter, non solum in genere causę formalis est prius esse secundùm quid, sed etiam prioritate simpliciter, & absoluta, quæ est prior prioritate formali; ad eum est modum, quo v.g. verũ obiectiuũ, & trascendẽtale, non solum præcedit in genere causæ formalis bonum, sed etiam pręcedit prioritate simpliciter, & absoluta, nimirum, non solum præcedit secundùm aliquam determinatam rationẽ entis, sed etiam secundùm absolutam entis rationem, vt acutè probat S. Thomas *p. 1. qu. 16. art. 6. in corp.* duplici ratione; prima est; quia verum consequitur ens, secundùm quod ens absolutè, & immediatè: ratio verò boni consequitur ens secundùm quod est aliquo modo perfectum Secunda quia verum est obiectum formale intellectus; bonum verò obiectum formale voluntatis; at intellectus, non solum in genere causæ formalis; sed etiam prioritate simpliciter, & absoluta præcedit voluntatem; ergo, &c. at si non daretur resolutio vsque ad materiam primam, esse simpliciter, non præcederet præcedentia absoluta, & simpliciter esse secundùm quid: sed tantum in genere causæ formalis, quæ est prioritas secundùm aliquam determinatam rationem entis. Quod esse simpliciter pręcedat pręcedentia absoluta, & simpliciter esse secundùm quid; probatur, nàm est esse sine addito, hoc autem est esse absolutum, & simpliciter, nimirum, secundùm absolutam rationem entis. Secundò probatur eadem minor principalis argumenti: nàm prioritas simpliciter, & absoluta; est præcedens omnem prioritatem secundùm aliquam determinatam rationem entis: quia est primitas vniuersalissima: prioritates verò, secundùm aliquam determinatam rationem entis sunt prioritates inferiores; quia contractæ: Cæterum si nõ daretur resolutio vsque ad materiam primam in corruptione substantiali, esse simpliciter non procederet præcedentia absolutè, & simpliciter esse secundùm quid: quia præcedentia simpliciter, & absolutè, nullam supponit præcedentiam secundùm aliquam determinatam rationem entis: verùm si non daretur resolutio vsque ad materiam primam exclusiuè, pręcedentia esse simpliciter absoluta, supponeret aliquam præcedentiam, & prioritatem secudùm aliquam determinatam rationem entis: quandoquidem supponeret, dispositiones materiales in genere causæ materialis; quam quidem præcedentiam habent dispositiones materiales circa esse simpliciter, secundùm quod est priùs in genere causæ formalis; non autem secundùm quod est esse simpliciter hoc sine addito.

Obijcies primò: si vera esset hæc ratio S. Thomæ, subiectum quantitatis dimensiuæ immediatum, esset totum compositũ; sed hoc est falsum; ergo id, vndè sequitur: sequela maioris probatur; quia subiectum quãtitatis dimensiuæ debet esse ens in actu; hoc autem non est, nisi ens compositum ex materia, & forma; quia vnumquodque est actu per formam; minor verò probatur ex duplici capite; primùm est; quia in homine, vbi forma spiritualis est quantitas dimensiua, non potest esse in composito, tanquam in subiecto inhęsionis; totum enim compositum ex materia, & forma rationali, est collectiuum animæ rationalis, & materiæ; sed quantitas dimensiua non potest esse inhæsiuè in anima rationali; quia subiectum inhęsionis quantitatis dimensiuæ debet esse formaliter extendibile; at implicat animam rationalem esse extendibilem quantitate dimensiua; quoniam esset intrinsecè diuisibilis per quantitatem: quod est proprium substantiæ materialis. Secundum caput est; quia quantitas est accidens proprium materiæ: accidens autem proprium recipitur in quidditate, vndè fluit: quidditas autem materię nõ est totum formaliter; sed pars materialis totius. Confirmatur; quia materia non potest recipere formam ab agente naturali, nisi disposita; prima autem dispositio in materia est quãtitas dimensiua; quia materia disponitur ab agente quanto; patiens autem proportionatur suo agenti.

Hoc argumentum multis difficilè est, præsertim ex capite de anima rationali, quę cum sit entitas spiritualis, non potest in se recipere formaliter quantitatem dimensiuam: quia subiectum quantitatis dimensiuę formaliter debet esse extendibile; hoc autẽ prædicatum contradicit formæ spirituali.

Aliqui Thomistæ ponentes vnam tãtum formam substantialem in homine, dãtem materię omnes gradus essẽtiales, nimirum, gradum primum substantię, qui est primum genus prædicamentale, gradum corporis substantialis, gradum viuentis vsque ad rationalem, putant facilè se expedire ab hoc argumento, asserendo subiectum immediatum quantitatis dimensiuæ esse compositum ex materia, & gradu corpori substantialis, sicut, qui substinent in homine

ne pręter formam rationalem, dari formam corporeitatis, asserunt subiectum adæquatū quantitatis dimensiuæ esse compositum ex materia, & forma corporeitatis.

Sed hæc responsio, non est conformis principijs S. Thomę, neque euacuat vim argumenti; quoniam gradus corporis substantialis, non est extendibilis per quantitatem formaliter: sicut extendibilis est forma corporeitatis, si ponatur distincta à forma rationali in vno, & eodem homine; sed solùm est gradus animæ rationalis exigitiuus quantitatis dimensiuæ in composito, vt suo loco fusè probabitur; hoc autem principium exigitiuum quantitatis dimensiuæ, nō necessariò est extendibile; quia potest esse præcisè substentatiuum quantitatis, vt infrà probabitur; neque est responsio conformis principijs S. Thomę ob hanc aliam rationem; nàm secundùm S. Thomam, anima rationalis dat quidem esse corporeum substantiale formaliter materiæ, & toti: sed hic gradus corporis substantialis in anima rationali, est gradus formæ rationalis, inquātùm, est exigitiua quantitatis in composito: sine dubio si detur forma corporeitatis in homine, argumentum nullum est; sed difficultas est in opinione S. Thomæ, quam nos sequimur ponentis in homine vnam tantū formam substantialem; sed difficultas plenè solui non potest, nisi resoluatur scientificè alius Articulus.

Vtrum subiectum adæquatum receptiuum quantitatis dimensiuæ in composito sit totum compositum substantiale, an sola materia prima.

HIc articulus alijs verbis proponi solet, nimirùm, quænam sit ratio formalis recipiendi recipiens quantitatem dimensiuā in composito; hoc enim explicato metaphysicè, explicabitur à priori, an accidentia materialia recipiantur in toto, an in aliqua parte totius.

Ratio autem dubitādi in hac materia est; nam aut quantitas habet sui receptiuū solam formam, aut totum compositum, aut solam materiam; si solam formam, anima rationalis, seù intellectiua erit ratio recipiendi in se extensionem formaliter, ac proindè erit extendibilis, sicut forma materialis; quod, & falsum, & hæreticum est. Si totum compositum; ergo adæquatum principium recipiendi recipiens erit forma, & materia, & recurrit eadem vis argumenti, nimirū, quod anima rationalis recipiat formaliter quantitatem extensiuam, & extendetur; denique, nec sola materia; nàm non esset perfectio corporis in anima formaliter, quia exigeretur extensio in alia comparte, & non in ipsa anima rationali.

Plures ad effugiendam vim argumēti, dicunt receptiuum adæquatum inhæsionis quantitatis dimensiuæ, esse solam materiā primam; quia ratio in oppositum modò allata non conuincit; quia gradus corporis substantialias in anima rationali est principium exigitiuum quantitatis dimensiuæ, non in se, sed in materia; sed hæc responsio suas patitur difficultates.

Prima enim difficultas est; quia, si quantitas in sola materia reciperetur, sequeretur hoc absurdum, quod actus genere remoto differentes, & requirentes diuersitatem propriorum receptiuorum, habere idem prorsus receptiuum. Explicatur ratio. Forma substantialis, & forma accidentalis, summo genere discrepant; at posito, quod quantitas reciperetur in sola materia, istæ duæ formæ debent habere idem prorsus subiectum, quod est falsum, quia subiectum formæ substantialis est ens in potentia; forma verò accidentalis, est ens actu.

Prætera, sicut se habet ens in potentia simpliciter ad recipiendam formam substantialem, quæ est actus simpliciter, sic se habet ens iu potentia secundùm quid ad recipiendam formam accidentalē, & secundùm quid: scilicèt, secundùm conditionem potentiæ, est conditio actus; sed ens in potentia simpliciter habet, rationem recipiendi actum simpliciter, idest, formam substantialem: ergo ens in potentia secundū quid, &c. Sed ens secundum quid, non est sola materia; ergo, &c.

Præterea effectus communis habet causam communem; sed quantitas dimensiua reperitur in entibus corruptibilibus, & in Cœlis, qui sunt incorruptibiles; ergo materia non est subiectum huius accidentis; Cęlum enim materiam non habet in multorū opinione; præterea forma accidentalis dependet à subiecto in actu; sed materia prima non est ens in actu, quia est pura potentia.

Denique actus secundùm quid, nimirùm quantitas est ratio receptiua aliquorū accidentium, nimrum, coloris, & figuræ; ergo actus simpliciter erit ratio receptiua omnium accidentium; nàm magis dependet actus secundùm quid, ab actu simpliciter; quàm actus secundùm quid, ab alio actu secundùm quid.

Propter hæc, & similia argumenta va-

variè respondent Metaphysici huic quæsito.

Quidam Thomistę, distinguentes in receptiuo subiecto id, quod recipit, & rationem recipendi; opinantur, quod illud, quod recipit quantitatem, est compositum ex materia, & forma; rationem verò recipiendi dicunt esse solam materiam, cum hoc ordine naturæ, vt prius natura prçexigatur forma substantialis in materia ante quantitatem, vt terminans dependentiam quãtitatis; nam materia non potest substentare quantitatẽ sine forma, & per hoc vltimum, inquiunt, saluatur, quod anima rationalis non fiat quanta; nam sic, nec est subiectum quantitatis, nec ratio recipiendi illam. Opinionem suam fundant hoc fundamento: materia prima pura potentia est; subiectum quantitatis debet esse potentia in actu: est autem potentia in actu per formam; ergo materia prima prçcisè non potest substentare quantitatem; ergo requiritur forma; sed non requiritur forma, vt subiectum, nec, vt ratio recipiẽdi quantitatem; quia scilicet anima rationalis extenderetur; ergo requiritur forma, vt terminans dependentiam quantitatis in materia; quia scilicet materia non subiectaret quantitatem, nisi per formam esset ens actu.

Respondet secundò Durand. *in primũ distin.8.q.4. à num.* 19. rationem recipiendi quantitatem in quocunque composito ex materia, & forma substantiali, esse totum compositum ratione vtriusque partis; itaut, nec sola materia sit immediatum receptiuũ quantitatis, nec sola forma; sed totum vnitum, itaut materia, vt partialis causa receptiua coexigat formam, vt concausam, cum qua facit vnum integrum, & completum principium receptiuum.

Fundamentum Duran. est. Sola materia non potest recipere quantitatem; quia pura potentia est, nec sola forma; quia anima rationalis extenderetur; sed præter materiam, & formam non est nisi collectiuum partium, quod est totum; ergo necessariò sequitur, quod totum compositum sit principium receptiuum quantitatis.

Neque dicas inquit Duran. quod indè sequitur etiam animam rationalem extendi; nã ex hoc solo, quod aliquid est causa partialis receptiua quantitatis, non est necesse ipsũ esse quantũ; sed aggregatũ esse quãtũ.

Cuius doctrina fortè hanc habet sui explicationem; illud extenditur, quod recipit; sed totum cõpositũ est illud, quod recipit; sicut illud operatur quod est; ergo totum compositum tum extenditur; neque ex hoc sequitur, quod anima rationalis in homine extenditur, nam totum compositũ est id, in quo est forma, nimirum rationalis. Dat exemplum Duran. sicut ex hoc, quod anima, & corpus sunt partiales causæ receptiuæ potentiæ visiuæ, & actus videndi. non est necesse, quod anima secundùm se videat, vel corpus; sed compositum, quod est videns, nimirum quod habet in se potẽtiam, & actum videndi. Fortè in opinione Durandi, totum, non est formaliter collectiuum partium ex æquo; sed habens formam formaliter, quod propriè competit materiæ in concreto.

Opinatur alij, principiũ immediatũ receptiuũ quãtitatis esse solã formã; quia verò forma non exigit quãtitatẽ nisi in materia, principium mediatũ, & remotũ est ipsa materia. Fundamentum est. Actus simpliciter est fundamentum, & radix actus secundùm quid; hic enim fundatur in illo: at actus simpliciter est forma substantialis: ergo sola forma est principium immediatum receptiuum quantitatis.

Alius modus opinandi est, solam materiam esse principium immediatum, & adęquatum receptiuum quantitatis, in quo modo dicendi adhuc distinctio est; qui enim tenent materiam dependere à forma in esse; consequenter dicunt, vt materia etiam in substentando quantitatem, à substantiali forma dependeat, siuè sit, hæc siuè illa: Secùs opinantur alij, qui volentes materiam esse omninò independentem à forma, siuè tamquam à complemento in genere causæ formalis, siuè tamquam à complemento, quod sit tantum concomitans, consequenter etiam dicunt, quod materia sit principium receptiuum quantitatis sine forma, quamquam connaturaliter semper illam recipiat cum forma: quia nunquam accidit compositum aliquod corrumpi, quin aliud de nouo generetur.

Fundamentum huius opinionis est: quantitas est accidens: ergo dependet in esse substantialiter à substantia: sed non potest pendere à sola forma, nec à toto composito: ergo dependet à sola materia: consequentia manifesta est, probatur minor: si enim dependeret immediatè, & adæquatè à sola forma; ergo anima rationalis, quę est in homine, extenderetur extensione quantitatis dimensiuę, idem dicendum, si dependeret adequatè à toto composito, nimirum à collectiuo partium.

Hanc difficultatem pręuiderunt ij, qui solam formam faciunt subiectum quantitatis, & respondent, quod quantitas recipitur

tur in illa sola forma, quæ est immediatum principium quantitatis; hæc verò forma est forma corporeitatis; ac proindè in homine, salua semper indiuisibilitate animæ rationalis, dicunt formam corporeitatis, & esse principium quantitatis, & extendi à quantitate; quod totum compositum non sit principium receptiuum quantitatis probāt similiter; quia anima rationalis saltem inadæquatè extenderetur à quantitate: quia esset correceptiua quantitatis.

Alius denique dicendi modus, quem legi, est eorum, qui dicunt totum compositum esse subiectum adæquatum substentatiuum quantitatis, siuè sit totum purè materiale, siuè sit totū ex materia, & forma spirituali, qualis est homo, & hæc opinio, nisi fallor est S. Thomæ, & omnium Thomistarum; vt videre est apud Caiet. *super Opusc. de Ente, & Ess. cap. 7.* vbi Caiet. ex eo probat dari resolutionem vsque ad materiam primam; quia totum compositum est subiectum adæquatum accidentium; resoluto autem subiecto, necesse est etiam, vt detur resolutio omnium accidentium, quę in eo erant; Sed totum compositum, quod scilicet est collectiuum partium non potest esse subiectum receptiuum quantitatis, quia in homine etiam anima rationalis extenderetur, quod est impossibile; ergo totū compositum est subiectum tantummodo substētatiuum quantitatis dimensiuæ, receptiuū autem est solùm materia prima, quæ simul est receptiua, & substentatiua quantitatis dimensiuę.

Ex his varijs dicendi modis, vltimus semper mihi arrisit, & .

Fundamentum est; quia eius est operari, cuius est completè, & adęquatè esse, & esse secundùm quid supponit semper esse simpliciter, nimirum, esse actu secundùm quid, supponit ens actu simpliciter; sed id quod operatur, & est actu simpliciter, est totum compositum; ergo totum compositum est subiectum esse secundùm quid in esse, & operari; sed non potest totum compositum esse subiectum receptiuum quantitatis; quia non totum compositum est extendibile formaliter; sed tantum materia, loquendo de toto composito ex materia, & forma rationali; ergo totum compositum debet esse subiectum substentatiuum; subiectum enim aliud est simul inadæquatè receptiuum, & inadæquatè substentatiuum, & aliud est subiectum pręcisè substentatiuū. Anima rationalis est subiectum substentatiuum præcisè quantitatis dimensiuæ; materia verò prima est subiectum inadæquatè receptiuum, & inadęquatè substentatiuum eiusdem quantitatis. Cęterum totum physicum, secundùm totum, est subiectum substentatiuum quantitatis dimensiuæ; substētare enim quantitatem conuenit, tàm formæ rationali, quàm materiæ vnitis; recipere verò conuenit tantummodò toti, ratione materiæ.

Hæc doctrina supponit, quod fusè probabitur in sequentibus articulis, potentiam receptiuam, & potentiam substentatiuam, distingui inter se ex natura rei in vno, & eodem subiecto, cuius contrarium multi docti Metaphysici mordicùs substinent, asserentes potentiam substentatiuam in materia esse idem formaliter, quod potentia rēceptiua; eorumque fundamentum est; quia materia substentat formam in genere causæ materialis; sed causa materialis est receptiua formæ: ergo &c.

Sed argumentum facilè soluitur: subiectum enim ex suo genere, non est aliud nisi id ex quo fit aliquid, cum insit; Sed huiusmodi subiectum potest esse, tum perfectibile, tum perfectiuum intra genus subiecti, potest enim fieri vnum per se, tum ex materia, vt perfectibili, tum ex materia, vt perfectiua indigentię formæ in essendo; materia enim, siuè causa materialis duplicem habet causalitatem, & causalitatem formabilis, & perfectibilis, & causalitatem termini materialis; substentatio est causalitas termini materialis: substentatiuum enim in materia, dicit materiam complere indigentiam formæ in fieri, & in esse; recipere verò dicit materiam esse perfectibilem à forma in specie, & in genere causæ formalis in existendo.

Ad secundum caput eiusdem argumēti. Respondeo, quod materia prima disponitur ab agente naturali toto tempore præcedente instans intrinsecum generationis nouæ formæ, quando sub quantitate veteris formæ existit; & tantum abest, vt materia in instanti intrinseco introductionis nouæ formæ, debeat esse disposita, & quanta formaliter, vt potius, si esset quāta formaliter, esset indisposita; quia esse secundùm quid, præcederet esse simpliciter; sed satis est, vt sit disposita immediatè ante instans intrinsecum generationis nouæ formæ substantialis.

Neque, hæc responsio obstat cōmuni principio omnium philosophorum, asserētium formam non introduci nisi in materia disposita; quia non introducitur forma, nisi in materia propria; appropriatur autē materia formæ per dispositiones.

Non

Non in quam obstat; nam hoc commune dictum philosophorum intelligẽdum est de materia disposita, seù pręparata immediatè ante instans intrinsecum introductionis nouę formę; non autem intelligendũ est,quod multi dicunt in eo sensu,quia in materia in instãti intrinseco debent pręintelligi simplicitèr dispositiones appropriantes materiam formæ, quæ primò est in eodem instanti intrinseco suæ generationis in materia; secùs esse secundùm quid præcederet simplicitèr esse simplicitèr, quod implicat in terminis; priùs enim est,materiam esse, quàm materiam esse quantam, siuè calidam, & siccam; at materia est per formam substantialem: & hæc responsio notanda est, non solùm; quia ea est primũ & vnicum principium S. Thomæ in hac materia; sed etiam necessaria est ad soluendas sequentes difficultates.

Non desunt Thomistæ, qui dicunt, materiam primam in instanti intrinseco generationis nouæ formæ esse dispositam dispositionibus, quæ sequũtur formam denuo genitam in genere causæ formalis, sed præcedunt formam substantialem in genere causæ materialis; & ita dicunt esse intelligendum principium communissimum Philosophorum, formam nimirum substantialem introduci in materia disposita, quod est dicere formam substantialem introduci in materia prædisposita; etenim dispositiones pręcedunt formam introducẽdã in genere causę materialis tãtùmodo; hęc autẽ pręcedẽtia,non debet esse in instãti immediato, siuè in tẽpore immediato ante instãs intrinsecũ generationis, sed in eodẽ instanti intrinseco generationis; quia est pręcedentia solius independentis à se dependente; & nonpręcedentia temporis.

Obijcies. Secundò quantitas dimensiua ingenerabilis est, & incorruptibilis;quia per se sequitur materiam, quæ est ingenerabilis, & incorruptibilis; sed si daretur resolutio vsque ad materiam primam exclusiuè, quantitas non esset ingenerabilis, & incorruptibilis.

Respondeo: duplicitèr aliquid potest corrumpi, siuè desinere intrinsicè; vno modo per se, & primò; alio modo consequenter, siuè per accidens, & secundariò; illud primò, & per se desinit, & corrumpitur, quod à contrario suo expellitur, sic calor v. g. frigore primò corrumpitur: illud consequenter, & secundariò definit,& corrumpitur, quod corrumpitur tantum ad corruptionẽ alterius,in quo est,nimirũ,ad corruptionẽ sui subiecti:corrupto enim subiecto, necesse est etiã corrũpi omnia, quæ in eo existebãt:quãtitas est incorruptibilis primò per se;quia quantitati nihil est contrarium, sed desinit,& corrumpitur consequenter,& secundariò,siuè ex accidenti, nimirùm,corrumpitur ad corruptionem compositi ex materia, & forma substantiali.

Potest etiam responderi acutè, quod quantitas dicitur incorruptibilis per analogiam ad materiam primam, quę dicitur ingenerabilis, & incorruptibilis; quia est primum subiectum; ita quantitas est primum, & immediatum subiectum omniũ qualitatum materialium.

Neque dicas,quantitatem non corrũpi ad corruptionem compositi substantialis; quia in coruptione substantiali, materia prima in eodem instanti temporis trahitur ad aliam in eodem instanti intrinseco corruptionis,in quo primò non est forma. v. g. ligni,est primò forma ignis; sed hoc sufficit, vt quantitas dimensiua remaneat in genito eadem numero.

Non inquam, hoc dicas; quoniam forma substantialis est prior simpliciter in materia prima, quàm accidens, quia esse simpliciter est prius esse secundùm quid, nõ solùm prioritate in genere causæ formalis, sed prioritate simpliciter; quia forma substantialis dat esse simpliciter, nimirum;sine vllo addito: hoc autem debet præcedere necessariò semper omne esse secundùm quid prioritate simpliciter.

Obijcies tertio, si daretur resolutio vsque ad materiam primam exclusiue in corruptione substantiali, tolleretur argumentum,quod sumitur ab euidentia sensuum: sed hoc est falsum: quia sensus circa proprium sensibile errare non potest: ergo falsum est,dari corruptionem vsque ad materiam exclusiue. Probatur sequela: quia est sẽsibus euidẽs in cadauere Æthiopis.v.g.remanere eadem numero accidentia, nimirum, eandem numero quantitatem, & figuram: easdem numero qualitates, vt nigredinem, easdem numero cicatrices, vt tritis exemplis vtamur: at si daretur resolutio vsque ad materiam primam in corruptione substantiali, tolleretur hęc euidentia sensibus, & sensus posset errare circa proprium sensibile per se, quod est falsum, vt probat S.Thomas *p.1.q.17.art.2.in corp.* dicens, quod sensus circa proprium sensibile non potest habere falsam cognitionem per se, sed tantùm per accidens, & in paucioribus, ex eo quod propter indispositionem organi, non conuenienter recipit formam sensibilem, sicut, & alia passiua potentia

tentia propter suam indispositionem, deficienter recipit impræssionem agentis; & inde est, quod propter corruptionem linguæ, infirmis dulcia, amara esse videntur.

Respódeo, nego sequelam maioris; ad probationem verò, nego, esse per se euidens sensibus, remanere in cadauere eadem numero accidentia, quæ erant in corpore viuo; nam identitas numeralis, sicut, & similitudo specifica, non est obiectum per se sensus, vt optimè notat Herue.; sed est obiectum intellectus. Sine dubio quando obiectum cadit sub euidentia sensuum, tūc prudenter, & peripateticè, inde argumentum desumptum validum est; secùs verò, si obiectum sub euidentiam sensuum non cadat, & ità res se habet in subiecta materia: & probatur experientia, & à simili; oculus, v.g. inspicit Solem, veluti quiescentem, qui tamen non quiescit, sed velocissimo motu mouetur, iudicat oculus, aquam fluminis perpetuo decurrentis, eandem numero esse: Iudicat oculus, multiplicem esse linguam in serpente, dum illam citissimo motu mouet. Iudicat oculus, duplicem esse flammam in lucerna, & quòd potissimum exemplum est, si canis ex alta turre decidat, & in medio itinere moriatur, motus discontinuus est ex diuersitate mobilis, quod vtique oculus non discernit; sunt etiam alia exempla ex fide Catholica petita, oculus in hostia ritè cōsecrata nullam differentiam agnoscit. Applicando exempla ad rem nostram, istam mutationem, & resolutionem vsque ad materiam primam, sensus nō aduertit; quià non cadit sub euidentiam sensus, quod mirum non est propter perfectam similitudinem specificam, quę est inter accidentia corrupti, & accidentia geniti. Narratur ad hoc propositum exemplum de matre, quæ simillimos gemellos aliquando, non discreuit, & vt veritas hæc magis appareat; fingamus per possibile, Deum mutare accidentia in vno, & eodem indiuiduo, & supponere in eodem instanti similia; sine dubio hanc mutationem sensus non apprehendit. Pariter sensus non apprehendit intrinsecam mutationem omnium accidētium in corruptione substantiali; quia in eodem instanti intrinseco, quo præcedentia accidentia primò desinunt, primò succedunt alia omninò consimilia, non quidem per identitatem formalem, sed per omnimodam similitudinem, & hoc ratio demonstratiua ostendit; secus enim esse secundùm quid, præcederet præcedentia simpliciter esse sine addito.

Dicent fortè primò Aduersarij: qualitates, & accidentia, quæ sunt in genito, & in corrupto pertinent ad sensibile per se, vel commune, vel proprium, v.g. quantitas pertinet ad sensibile per se commune, color ad sensibile per se proprium visus; calor verò ad sensibile per se tactus; sed sensus non potest errare circa suum sensibile per se, siuè commune, siuè proprium, nisi ex accidente, vt dictum est.

Respondeo, quantitatem, & alia accidentia, tam in corrupto, quam in genito dupliciter posse considerari; primò, vt sunt quędam accidentia singularia; secundò, vt similia per omnimodam similitudinem, vel quatenus dant esse secundùm quid; primo modo pertinent ad sensibile per se, nimirum aliqua ad sensibile per se commune, & aliqua ad sensibile per se proprium; minor vera est de accidentibus primo modo consideratis; falsa verò de accidentibus consideratis; Secundo modo, quia hoc secundo modo non sunt per se sensibile: sed formaliter, & per se sunt intelligibilia; intelligibile autem est obiectum intellectus, non sensus.

Dicent fortè secundò: eadem numero visione inuariata intrinsecè, oculus videt accidentia, quæ erant in viuo, & quæ sunt in corrupto, nimirum, quæ erant in Aethiope viuo, & in cadauere Aethiopis, nimirum, figura, magnitudo, color, & similia, vt terminum formalem, non vt terminum materialem; quoniam oculus videt prædicta accidentia singulariter, non vniuersaliter; sed hoc est sufficiens ad demonstrandum, non dari resolutionem vsque ad materiam primam exclusiuè: etenim, si mutarentur intrinsecè accidentia, non viderentur accidentia corrupti, & accidentia geniti eadem numero visione; quoniam obiectū sensus est singulare formaliter: mutato autē obiecto formali, siuè motiuo, siuè terminatiuo, necessariò mutatur visio, siuè cognitio sensitiua; visio enim esēntialiter depēdet à suo termino, siuè obiecto formali.

Qui tenent, accidentia, quæ erant in corrupto, & quæ sunt in genito esse terminos materiales, non formales visionis, & actus, facilè se expediunt; concedunt enim maiorem, & negant minorem: quia dicunt visionē intrinsecè variari ex variatione intrinseca sui termini formalis, nō autē ex variatione intrinseca sui termini materialis; nā corrupto vno ex terminis materialibus, remanet terminus formalis in alio termino materiali superstite; hoc principiū vt moris est, adhibet S. Thomas ad plura simi-

similia demonstranda, præsertim ad explicandum, quomodo relatio eadem numero inuariata intrinsecè, extendatur ad plures terminos materiales, v.g. vnum album vna relatione similitudinis numero respicit plura coalba, quorum vno corrupto, non variatur intrinsecè relatio similitudinis in albo: quia relatio non dependet in esse à suo termino materiali; sed à suo termino formali, qui formaliter remanet in alijs coalbis. Eodem principio vtitur S. Thomas ad demonstrandum, quod habitus scientiæ in initio totus acquiritur, & solùm extenditur ad has, vel illas conclusiones; quia eodem medio formali illas deducit ex suis principijs; pariter eodem lumine fidei diuinæ assentimur pluribus, & diuersis articulis fidei.

Sed contrarium sentientibus, hęc responsio deficiens est, ex eo quod ponit, prędicta accidentia esse terminos materiales, non autem formales visionis, & tactus, nā, vt docet Aristo. 2. *de Ani. tex.* 1. quem pluribus in locis sequitur S. Thomas, sensus in hoc differt ab intellectu humano; quia intellectus humanus est vniuersalium formaliter; sensus verò est singularium formaliter, nimirum intellectus humanus cognoscit hoc album, vel quia album formaliter, vel quia ens, vel quia intelligibile, siuè verum; sensus verò visus cognoscit hoc album formaliter, quia hoc album. Qua doctrina posita.

Respondet aliter ad instantiam, negādo maiorem, & ratio negationis est; quia accidentia, quæ sunt in genito, sunt tantùm similia in specie, cum accidentibus, quæ erant in corrupto, & solo numero diuersa, quæ sunt plures termini diuersi formaliter; mutato autem termino formali, necesse est, vt mutetur eius cognitio.

Verùm hæc doctrina labitur in aliā difficultatem maiorem; quoniam vnus, ac idem visus simul intuetur plura singularia, non solùm similia in specie; sed etiam diuersa, quod si singularia sensibilia essent termini formales sensationis, non posset sensus visus, & quiuis alius sensus simul sentire plura singularia; vt enim docet Arist. *in lib. de sensu, & Sensato*, & cum eo S. Thomas *lect.* 17. & multis alijs in locis, non potest vna potentia cognitiua plura formaliter, cognoscere, de qua difficultate fusè dicetur suo loco.

Ratio, autem, qua probant oppositū, facilè soluitur.

Respondetur enim; quod sensus est singularium formaliter, non quidem determinatè, sed indeterminatè, & vagè; & probatur; nā si potentia. v.g. visiua esset visiua in vnius singularis determinati formaliter, v.g. si visus esset visiuus Petri; quia hoc determinatum singulare formaliter; idest, quia Petrus formaliter; neque simul, neque successiuè posset cognoscere alia singularia colorata, & quanta; implicat enim potentiam cognitiuam in cognoscendo exire latitudinem formalem sui obiecti formalis. Explicatur responsio, dicitur intellectus humanus ab Arist: *lib. 2. de Ani. tex.* 1. vniuersalium; sensus verò particularium; quia intellectus humanus cognoscit per species abstractas à principijs indiuiduantibus, & à materia indiuiduali; sensus verò ab opposito cognoscit singularia; quia cognoscit per species non abstractas, sed immersas in cōditionibus materialibus, nimirum, repręsentatiuas, non solùm naturæ, sed etiam conditionum indiuidualium naturę, in sola abstractione, & pręcisione à modo essendi naturali, per quam abstractionem species omnes sensibiles dicuntur immateriales.

Neque ex hoc, quod obiectum formale sensus est singulare sensibile vt sic, tollitur quia singularia sensibilia determinata sint termini plures materialiter; nam indiuiduum sensibile vt sic, dupliciter considerari potest, vno modo vt inuoluit taleitates determinatas, idest indiuiduationes determinatas, vt proportionaliter similes; alio modo, vt dicit gradum vltimum entis incōmunicabilem pluribus inferioribus, ad eum modum, quo, v.g. ens reale positiuum vt sic, dupliciter sumi potest; vno modo, prout idem significat, quod significat id, quod est, cōfundens in vnum id, quod est formaliter, & id quod est materialiter: alio modo vt significat idem, quod ens formaliter, prout contradiuiditur ab ente materialiter. Indiuiduum sensibile primo modo, non est obiectum formale sensus, quia obiectum formale, & connaturale formaliter reperiri in quolibet obiecto materiali, etiam seorsim ab alijs obiectis materialibus, secùs vnū obiectum materiale sensus, non posset cognosci à sensu seorsum: etenim potentia cognitiua, non tendit nisi ad terminum, in quo reperitur eius obiectum formale: at indiuiduum, vt inuoluit taleitates indiuiduales, vt proportionaliter similes, sub qua ratione est analogum proportionis, non potest formaliter reperiri in vnoquoque obiecto materiali sensus seorsum à cæteris. Cęterum singulare, vt dicit vltimum gradum entis incommunicabilem pluribus inferioribus indiuiduis, est obiectum formale sensus

sensus; quia sic reperitur formaliter in quolibet obiecto materiali sensus; sic enim est gradus entis formaliter contradiuisus ab ente materialiter, & sub ista ratione formali, est obiectum vniuocum, non analogum, sicut ens creatum formaliter, vt diximus cum Scoto, est obiectum vniuocũ, non analogum, differens à genere vniuoco prædicamentali; quia hoc perfectè præscindit à differentijs, quæ sunt gradus entis formaliter; illud verò præscindit tantũ à suis modis intrinsecis; & hæc responsio adnotanda est; quoniam conducit etiam ad probandum, quamlibet potentiam sensitiuam esse vniuocam, non analogam.

Obijcies quartò: implicat dari effectũ sine sua causa efficienti, vel principali, vel instrumentali; sed si in corruptione substantiali daretur resolutio vsque ad materiam primam exclusiuè, daretur effectus in instanti intrinseco nouæ generationis, sine sua causa efficiente, neque principali, neq; instrumentali. Maior est certa ex suis terminis; minor probatur, quia in instanti intrinseco generationis nouæ formæ in materia, sunt accidentia similia in specie accidentibus, quæ erant in corrupto, præsertim accidentia, quæ sunt signum speciei, vt figura, &c. quorum nulla est assignabilis ratio in instanti intrinseco; in instanti enim intrinseco solùm reperitur causa saltem instrumentalis formæ geniti: sed non causa figuræ cicatricum; & aliorum accidentium similium accidentium, quæ erant in corrupto.

Neque dicas, causam consimilis quantitatis, figuræ, & aliorum accidentium, quæ sunt in genito, esse causam à qua efficienter fuerunt producta accidentia consimilia, quæ erant in corrupto, vsque ad vltimum instans, immediatè antè instans intrinsecum generationis nouæ formæ.

Quandoquidem, causa efficiens debet esse simul in eodem instanti temporis cum effectu à se dependente; causa enim efficiẽs debet esse causa in actu, causa autem in actu est, à qua actu dependet effectus; sed in instanti intrinseco generationis nouæ formæ, quæ sequitur corruptionem veteris compositi, nulla est causa efficiens, neque principalis, neque instrumentalis; quoniã forma geniti reperit materiam spoliatam omni forma substantiali, & accidentali.

Neque causa accidentium, que sunt in genito consimilium accidentibus, quæ erant in corrupto, potest esse causa efficiens nouæ formæ; hæc enim causat tantummodo accidentia consequentia formam substã-tialem, quam educit è potentia materiæ; sed figura, cicatrices, & alia accidentia consimilia accidentibus, quæ erant in corrupto, non sunt dispositiones ad nouam formam substantialem; sed potiùs dispositiones formæ corrupti.

Respondeo, causam efficientem, quæ reperitur in instanti intrinseco, esse causã vniuersalem, à qua fuerunt antecedenter productæ dispositiones in debita temperie, & complexione, quæ durant in materia vsque ad terminum, in quo vltimo sunt; influxus enim causæ vniuersalis, complet indigentiam, & defectum omnis causæ particularis: & probatur,

Primò: si enim quid obstaret, esset illud; quia daretur effectus in actu, sinè sua causa in actu; sed hoc nullo modo accidit; semper enim est causa vniuersalis; v.g. cum producitur rana ex puluere, posita gutta aquæ, causa vniuersalis, quæ produxit cũ causa particulari dispositiones illas præuias, & illam temperiem, quæ disponit materiam pulueris ad formam ranæ, adest, & durat vsque ad instans intrinsecum generationis nouæ formæ inclusiuè.

Quod si dicas, ad effectum in actu requiritur etiam causa particularis in actu, saltem instrumentalis; causa enim prima causat mouendo causam secundam; sed in instanti intrinseco generationis nouæ formæ, nulla est causa particularis, neque instrumentalis, neque principalis propria.

Respondeo, maiorem duplicem posse habere sensum; primus sensus est, quod ad concursum causæ vniuersalis requiritur sẽper causa particularis dispositiua materiæ vltima dispositione necessitante, & appropriante materiam ad determinatam formã substantialem, vsque ad instans generationis exclusiuè, & in hoc sensu vera est maior: nam in omnium Catholicorum opinione, homo hominem generat; nec homo generans producit animam rationalem; hæc enim cum sit spiritualis, non est producibilis nisi creatione, quæ est propria causalitas causæ primæ; sed tantum dicitur homo alium hominem generans, quatenùs sua virtute generatiua decisa à sua substantia, producit dispositiones vsque ad vltimas exigentes in materia prima formam rationalem determinatam.

Neque verum est, causam primam, siuè intra genus, siuè extra genus, causare effectum præueniendo causam particularẽ, existentem in instanti intrinseco productionis effectus vniuersaliter loquendo ob eandem causam: sed verum est hoc, quando causa

causa particularis, non est supplebilis à causa prima, vt est causa particularis vitalis: v.g. intellectus ad producendam vitaliter intellectionem; falsum verò quando causa particularis supplebilis est à causa prima, vt contingit in homine, generante alium hominem; homo enim generans alium hominem producit, vt dixi, solum dispositiones, necessitantes materiam ad recipiendam formam rationalem: & etiam in generatione ranæ; Sol enim non habet vim producendi formam ranę iuxta communiorem philosophorum opinionem, sed supplet defectus causa prima, vt Deus, qui complet indigentiam omnis causæ creatæ.

Secundus sensus est; quod semper causa principalis particularis saltem instrumẽtalis debet adesse in instanti intrinseco in quo actu producitur effectus, & hic sensus vniuersaliter est falsus vt diximus.

Respondent secundò aliqui docti Thomistę causam efficientem, à qua fuerunt productæ dispositiones præuię, vltimò disponentes materiam .v. g. ad formam cadaueris, non necessariò debere adesse in instãti intrinseco generationis nouæ formæ; quia causat non media actione, sed naturali sequela.

Sed hæc responsio veritatem non continet; quia in naturali sequela, seù resultãtia non attenditur per se, communicatio similis perfectionis; sed solùm connexio ordinis, nimirum; quod hoc sit, quia est aliud absque vlla communicatione similis perfectionis; v.g. punctum naturali sequela cõsequitur extensum, potentiæ naturali sequela sequuntur ab essentia substantiæ, in quibus sequelis nulla est communicatio similis perfectionis, & per hoc, vt fusè probabitur suo loco sufficienter distinguitur actio causę efficientis à resultantia, seù naturali sequela; vt verò in re presenti, de qua loquimur, est communicatio similis perfectionis: nam dispositiones præuiæ, quę scilicet existunt in composito corrumpendo, sunt à natura ordinatæ etiam ad similes dispositiones producendas dependenter à concursu causæ vniuersalis secundæ vsque ad instans, in quo vltimò sunt; post quod, quia primò non sunt prædictæ dispositiones generationis nouæ formæ, subintrat agens vniuersale eodẽ cõcursu, quo disposuit materiam, & quo præmouit agens particulare ad producendas dispositiones, quæ sunt similes accidentibus, quæ de nouo generãtur; accidentia enim, quæ pręexistebant virtute causę vniuersalis disponunt, & pręparant materiam ad nouam formam, puta cadaueris, ad quã sequũtur cõsimiles dispositiones, seù cõsimilia accidẽtia, & hoc voluit fortè Caiet. docere *in opus. de Ente, & Essen.* S. Tho. *c.7.* dicens; quod accidẽtia in generatione noui compositi, similia in specie accidentibus pręexistentibus in corrupto, sunt producta necessitate materiæ; accidentia enim præexistentia præmota motu virtuoso à generante nouam formam, dispositiuè concurrunt ad formam substantialem, ad quam consequuntur consimilia accidentia in specie accidentibus, quæ pręerant in corrupto, cuius ratio esse potest; quia accidentia præcedentia habent duplicem concursum, vnum causę principalis, & alium causæ instrumentalis; concursum quidem principalis, in quantum agunt virtute proprię formę; concursum verò instrumentalem, quatenus agunt virtute causæ principalis, sicut.v. g. calor ignis producit alium calorem virtute proprię formæ, quæ est ipsa quidditas caloris; producit verò formam alterius ignis, vt causa instrumentalis, quatenus eleuatus virtute ignis producentis; pariter accidentia, quæ erant in corrupto in ordine ad alia accidentia consimilia in specię, habent concursum principalem causę dispositiuè; vt eleuata autem virtute, siuè motu virtuoso causæ principalis, quæ in hac re est causa secunda vniuersalis, habent concursum dispositiuum antecedenter ad formam substantialem, ad quã ob hanc causam consequuntur accidentia consimilia in specie accidentibus dispositiuis, quæ præexistebant in corrupto.

Quod si primò dicas: causa producens formam in materia, debet adesse in eodem instanti, quo actu producit formam; agens enim, & passum oportet esse simul.

Respondeo, hanc propositionem esse veram de causa immediata, non autem de causa mediata; v.g. quando non potest adesse in instanti intrinseco productionis formæ causa principalis, satis est causa instrumentalis vt patet in semine, in quo est virtus generatiua causæ principalis; quando verò desunt causa instrumentalis in instanti intrinseco, & causa particularis, principalis, cõplet sua pręsentia causa vniuersalis suo concursu defectum vtriusque.

Ad hoc ipsum argumentum dantur à Philosophis, & Metaphysicis alię plures, & diuersæ responsiones, vt videre est apud Mazziottam *tom.* 1. in hac materia; sed verior respõsio videtur allata à nobis, quę est conformis principijs S. Thomæ; etenim S. Thomas *in 4. sent. dist. 24. Quæ. 2. art. 2. ad primum, & art. 3. in corp.* docet quod agens

agens proximè disponens materiam, est illud idem, quod inducit formam, itaut dispositiones præuię concurrant dispositiuè, agens verò actiuè, vel per instrumentum coniunctum, vel per instrumentum à se decisum, vt Cęlum; quod producit metalla per influentias diffusas vsq; ad viscera terræ.

Ad argumentum autem commune, quo probatur, accidentia disponentia præsupponi in materia à forma substãtiali, quę generatur ex ea, quia forma non recipitur nisi in materia disposita; sed si detur resolutio vsque ad materiam primam in corruptione substantiali, forma non recipitur in materia disposita; quoniam esse dispositum est effectus formalis primarius accidẽtium disponentium; in instanti autem intrinseco generationis; quod est instans intrinsecum etiam corruptionis substãtialis; in eodem enim instanti, in quo primò est forma geniti, primò non est forma corrupti, non sunt dispositiones disponentes materiam; ergo neque est materia disposita formaliter, nisi velimus fingere impossibile, nimirum dari materiam dispositam sine dispositione.

Respondeo primò, dupliciter intelligi posse materiam in instanti intrinseco corruptionis veteris compositi, & generationis noui compositi esse dispositam, siuè prædispositam; vno modo; quia in illo instanti intrinseco temporis dispositiones in genere causæ materialis præcedunt formã substantialem, quæ de nouo generatur ex materia, vt est forma materialis, vel quæ de nouo infunditur, & creatur, vt est anima rationalis; subsequuntur verò in genere causæ formalis, & hic sensus verus est; sed non est contrarius datæ doctrinæ S. Thomæ docentis, esse simpliciter præcedere esse secundùm quid; nam S. Thomas, vel loquitur de præcedentia in genere causæ formalis, cui non contradicit posteritas in genere causæ materialis; quoniam materia, & forma se se inuicem causant in diuerso genere causæ; vel loquitur de præcedentia simpliciter, quæ est secundùm absolutam rationem entis. Alio modo: quia in instanti intrinseco generationis nouæ formæ in materia, dispositiones præcedunt in genere causę formalis formam substantialem, & hic sensus falsus est. Cum autẽ dicunt philosophi formam introduci in materiam dispositam, loquuntur in primo sensu, non in secundo.

Respondeo secundò, dupliciter intelligi posse, formam de nouo genitam recipi in materia disposita. Primò, quia recipitur in materia præordinata a pręcedentibus dispositionibus, vt post earum corruptionem intrinsecam, quæ est in eodem instanti intrinseco generationis, immediatè sequatur in materia forma, ad quam prędisposita fuit materia. Secundò, quia in eodem instanti intrinseco, quo primò est noua forma, sint formaliter, & primò dispositiones. Primus sensus est verus; Secũdus autem falsus, & loquor hìc de dispositionibus materiæ ad totam formam, non autem de, dispositionibus materiæ ad subordinatos gradus formæ, de quibus fusè loquitur S. Tho. *in q. de Ani. art. 9. ad 5.* vbi inquit dispositiones accidentales, quæ faciunt materiam propriam formę recipiẽdę, non esse media formaliter inter materiam, & formam, sed inter materiam, & formam secundùm quod dat vltimam perfectionem, vel vlteriorem gradum: *materia enim, inquit, est propria potentia respectu infimi gradus perfectionis formæ; quia materia secundùm seipsam est in potentia* materię ad esse substantiale corporeum, quia hic gradus corporeus substantialis est immediatus; neque ad hoc requirit aliquam dispositionem, quod intelligendum est in hoc sensu, quia forma substantialis pręcedit in generę causæ formalis, etiam secundùm quod dat gradum corporeum substantialem, dispositiones materiæ, vel quia forma substantialis secundùm quod dat gradum corporeum substantialem, simpliciter pręcedit dispositiones materiæ, quæ deindè in generę causæ materialis, pręcedunt formam, vt est causa formalis.

Quod si aliquis ingeniosus dicat, esse simpliciter consequitur vltimum gradũ formæ; quia existentia est vltimus actus in genere entis; hic autem supponit essentiam formę completam, vsque ad gradum indiuidualem; quippè quod commune est, non potest existere realiter; sed hoc posito, neque possunt præintelligi dispositiones post gradum corporeum substantialem in materia; quia esse simpliciter semper debet pręcedere esse secundùm quid: sed in illo priori non præcedit esse simpliciter; quia esse simpliciter consequitur vltimum gradum formæ, qui vltimo loco subsequitur gradũ primum corporeum substantialem; ergo non possunt pręintelligi in materia, etiam prout informata primo gradu substantiali corporeo, dispositiones ad vlteriorem gradum.

Respondeo, hanc doctrinam S. Thomæ igtelligendam esse in eodem sensu, quo supra

suprà diximus, formam substantialem recipi in materia disposita; nimirum, formã substantialẽ, etiam secundùm gradus inferiores recipi in materia disposita à dispositionibus formæ, quæ de nouo generatur; quia istæ dispositiones,quæ sequuntur formam, vt causam formalem,pręcedunt in genere causæ materialis eandem formam; vel quia in instanti intrinseco generationis nouæ formæ, materia est à pręcedentibus dispositionibus disposita ordinabiliter, & successiuè; nimirùm,quia forma primò est in materia in instanti intrinseco, immediatè sequente instans vltimum, in quo materia erat disposita ordinabiliter ad recipiendam determinatam formam.

Sunt etiam,qui obijciunt,falsum esse causam efficientem formam, quæ de nouo generatur, esse causam efficientem,à qua productæ fuerunt dispositiones præexistẽtes in corrupto; quia,inquiunt,potest corrũpi totũ ab agente non potente producere pręuias dispositiones, vt cum quis moritur decollatus, aut iugulatus.

Respondeo, nos hìc loqui de causa agente per se,non de causa per accidens; decollatio, siuè iugulatio,est causa per accidens, quatenus scilicet est coniuncta causæ per se; quandoquidem semper pręintelligi debet intemperies productiua, quæ in eodem tempore, quo quis iugulatur,introducitur iuxta exigentiam materię, remotis conditionibus necessarijs conseruationis vnionis per decollationem, vel iugulationem, & hæc intemperies introducitur à causa vniuersali, quæ supplet concursum causæ particularis, quando non potest adesse.

Obijciuntur quartò, nonnullę auctoritates Arist. quæ videntur esse in oppositũ & quibus aduersarij maximè nituntur.

Primus locus est *lib.1. de Gen. tex.* 24. vbi apertè docet Philosophus,aliqua accidentia remanere in genito, quæ erant in corrupto; in his autem, inquit, si aliqua maneat passio eadem contrarietatis in generato, & corrupto, vt quando ex aere fit aqua; si ambo trasparentia, aut frigida sint, non oportet huius alterã passionem esse,in qua transmutatur.

Secundùs locus est *lib.2. de Gen. tex.* 25. vbi docet Arist., quod inter ea elemẽta, quæ cognationem habent ad inuicem, dici solet, quæ symbola sunt; idest, quæ conueniunt in aliqua qualitate,vt v.g.sunt ignis, & aer, velox horum transmutatio est; quæcunque autem subdit, cognationem ad inuicem non habent, tarda est; redditque rationem, quia facilius est vnũ, quàm multa transmutare; quod si omnes qualitates, siuè symbolæ, siuè dissymbolæ pereũt, discursus Aristotelis nullus est. His, & alijs auctoritatibus,nixi aduersarij, vehementer mirati sunt, quod S. Thomas alioqnin Aristotelicus, de quo dici consueuit, tacente D. Thoma, mutus fit Aristoteles; in hanc opinionem de resolutione vsque ad materiam primam exclusiuè inciderit,sine vllo fundamento in doctrina peripatetica: sed nisi fallor mirantur immeritò: nam præter generationis definitionem; quam tradit Arist. 1.*de Gen.* Quod generatio,est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente vt subiecto eodem, sunt duo loca in libro 1. de Gen: in quibus luce clarius proponit, vt absurdum, quod generatio simpliciter fit ex materia,cum solis accidentibus.Legendus est Aristo.

Respondeo, quod Arist. *in tex.*24. libri primi asserens identitatem passionis in genito, & in corrupto, loquitur de identitate in specie, non in numero, & hoc est clarum ex ipsomet textu; nam ibi asserit Aristoteles remanere eandem transparentiã in aqua,& in aere.Addi posset, & valdè ad rem,quod transumutatio denominat transitum de contrario in contrarium. *In tex.* 25 *lib.2.*Arist. loquitur de actione contrarietatis, quæ saluatur in alteratione præcedente, & non in termino.

Obijciuntur etiam aliqua argumenta Theologica contra sententiam Arist. & S. Thomę.

Primum est, si daretur resolutio vsque ad materiam primam exclusiuè in corruptione substantiali, falsò adorarentur reliquię sanctorum; nos enim .e. g. adoramus os D. Petri; quod re vera non est os, quia alia forma dat esse ossis, data resolutione vsque ad materiam primam exclusiuè.

Secundùm est, quia in triduo mortis Christi Domini, non potuisset fieri consecratio panis in corpus Christi Domini,nec vini, conuertendo illud in sanguinem corporis Christi; nam in triduo data resolutione,vsque ad materiam primam, non erat idem corpus Christi ac quando Christus viuus erat: erant enim in corpore viuo aliud os, & alia caro,& alius sanguis.

Hæc, & similia argumenta, quantũ ad rem pertinet,facilè soluuntur; ad primũ enim, quod attinet ad adorationem reliquiarum Sanctorum, qui iam vita functi sunt.

Respondeo, quod nos adoramus reliquias Sanctorum, quia illæ fuerunt vera, & realis pars corporum Sanctorum; quod sine dubio certissimum est; nam illa materia ossis, & carnis, fuit verè pas compositi substantialis, e. g. Sancti Petri Cælestini, & quod noua forma aduenerit, de quo doctissimi Theologi dubitant, non inde sequitur, quod hæc, vel illa reliquia non fuerit vera, & realis pars corporis S. Petri, veræ, & realis materiæ, quæ nunc existit sub alia forma substantiali ossis, & eadem erit suo tempore realis pars in resurrectione. An verò totum vt totum, adoretur, vel adorandum sit, dicendum fusè est suo loco. Hoc solùm adnotandum est, nunc, quod adoratio alia est per se, & absoluta; & alia est per aliud, siuè relatiua; sinè dubio adoratione relatiua, & per aliud, adoranda est adhuc noua forma ossis.

Ad aliam difficultatem de corpore Christi, non defuerunt ex grauissimis Theologis, qui dixerunt, remansisse materiam primam, cum forma corporeitatis substantialis: neque defuerunt, qui dixerint aduenisse nouam formam substantialem cadaueris dantem esse ossis, &c. & hęc opinio est Sancti Thomæ; prima verò Scoti.

Quod si ab his quæratur, an ista forma fuerit vnita hypostaticè Verbo, nõeodē modo respõdent: quidam negatiuè respondent, iuxta illud cōmune dictū inter Theologos; quod semel assumpsit, nunquam dimisit: quidam respondent affirmatiuè inter quos est Suarez *in 3. par. qu.* 50. de quo loco ex professò disputabitur; pro nunc nō displicet opinio hæc Suarez, & fundamentum esse potest, quia forma substantialis corporis, cum sit formaliter substantia, debet subsistere: sed in Verbo diuino, nō potest habere aliam subsistentiam, quàm personalem eiusdem Verbi, quæ opinio est conformis principijs S. Thomæ, cum hac sola diuersitate; quia S. Thomas opinatur formam corporis Christi, non solùm subsistere subsistentia personali Verbi Diuini; sed etiam existentia eiusdem; Suarez verò, & alij opinantur, subsistere tantùm subsistentia personali Verbi Diuini; illud verò dictum commune, quod semel assumpsit numquam dimisit, intelligendum est de partibus essentialibus naturæ humanæ.

Ad aliam difficultatem de corpore Christi Domini in triduo mortis.

Respondeo doctrina S. Thomæ 3. *p. qu.* 50. *art.* 5. Apostolos in triduo mortis Christi potuisse consecrare idem numero corpus Christi, quod antea erat viuum; quamuis enim defuncto Christo Domino, alia forma substātialis distincta aduenerit, remansit tamen idem Corpus simpliciter: quia remansit eadem numero materia saltem negatiuè, cum eodem supposito; vt autem explicet S. Thomas, vtrum idem numero Corpus Christi viuentis, sit idem numero mortuum simpliciter, dicit quod simpliciter dupliciter potest accipi; vno modo secundùm quod simpliciter idem est, quod absolutè, iuxta illud *Topic.*, simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur; & in hac significatione corpus Christi mortuum, & viuum, inquit, fuit idem numero simpliciter; quia est supposito idem Corpus Christi viuum, & mortuum; non enim habuit aliam hypostasim viuum, & mortuum præter hypostasim Verbi Diuini; quo pacto, inquit, loquutus est Athan. *in Epist. ad Epict.*; alio modo simpliciter sumitur, in quantùm significat idem quod omninò, vel totaliter, & sic Corpus Christi mortuum, & viuum non fuit simpliciter idem numero, cum vita sit aliquid de essentia corporis viuentis; est enim viuens, prædicatum essentiale, non accidentale; & eadem ratione, neque dicitur idem simpliciter Corpus Christi Domini, quantum ad formam corporeā substantialem; qua posita distinctione: si in triduo mortis Christi, Apostoli consecrassent panem consecratione Sacramentali, panis consecratus fuisset conuersus sacramentaliter in Corpus simpliciter Christi Domini; quia Corpus Christi Domini, idē fuit viuum, ac mortuum simpliciter, prout scilicet idem est simpliciter, quod absolutè, idest sine addito; Quantùm verò ad sanguinem dubium est, an potuerint Apostoli in triduo mortis Christi consecrare vinum in Sanguinem; nam data resolutione vsque ad materiam primam, in corruptione omni substantiali, tā corruptione mortis animæ à corpore, quàm corruptione putrefactionis, quæ non fuit in Christo Domino, quo pacto Corpus Christi Domini, dicitur incorruptibile, non remansit idem numero sanguis in corpore mortuo Christi Domini, qui fuit in eodem viuo; quod relinquitur explicandum fusè suo loco. Legendus est S. Thomas cum Caiet. *præcit. art.* 5. vterque enim plenè satisfacit omni quæstioni. Ne autem deficiam à munere metaphysici vniuersalissimi.

Respondeo ad dubium, quantum nūc satis est, potuisse Apostolos in triduo mortis Christi consecrare vinum in Sanguinem eundem

eundem numero, sicut potuerunt consecrare panem in idem numero Corpus Christi; sicut enim, vt docet S. Thomas *3. par. q. 50. art.5.* idem numero simpliciter, idest sinè addito, fuit Corpus Christi Domini mortuum, quia fuit idem corpus viuum, & mortuum supposito, cuius ratio est; quia Corpus Christi Domini, non habuit aliam hypostasim, viuum, & mortuum, præter hypostasim Verbi Diuini; ita etiam Sanguis Corporis Christi Domini, fuit idem numero viuus, ac mortuus suppositi Verbi Diuini; Sanguis enim Christi Domini, fuit hypostaticè vnitus personę Verbi Diuini; licet sub alia forma partiali corporea; sicut Corpus Christi Domini, dicitur fuisse idem numero viuum, & mortuum supposito; licet sub alio, & alio gradu corporis substantialis; nam in morte Christi, separata est realiter anima à corpore; sed remansit eadem numero materia, saltem negatiuè, hypostaticè vnita eidem personæ Verbi Diuini; quod profunde declarat S. Thomas, dicens, quod ly simpliciter, potest accipi dupliciter; vno modo secundũ quod, simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur; alio modo, vt importat idē, quod totaliter: in re præsenti sumitur primo, non secundo modo; etenim, inquit, S. Thomas loco supra allegato, quod si diceretur, Corpus Christi Domini mortuum, esse idem totaliter, quod corpus viuum, sequeretur, quod non esset corruptũ Corpus Christi Domini corruptione mortis, quod est hęresis.

Quod si dicas: Sanguis Christi Domini, in quem conuertitur vinum Sacramentaliter, est sanguinis, qui effusus est in passione, vt declaratur in verbis consecrationis Sanguinis, hic autem fuit separatus à Corpore Christi Domini, in triduo mortis; reassumptus verò fuit in resurrectione, vt docet S. Thomas *3. par. q. 54. art. 2. ad 3. & quodli. 5. art. 5.*

Respondeo, quod Sanguis Christi Domini effusus, fuit quidem separatus à corpore in triduo mortis, & etiam in passione, quando effusus est; remansit tamen semper vnitus hypostaticè Verbo Diuino; sicut anima, & materia Corporis Christi Domini, in morte anima realiter separata fuit à corpore; sed, tàm anima, quàm corpus remanserunt vnita personæ Verbi Diuini; & hæc satis sunt ad præsens; fusior autem huius explicatio fiet suo loco.

## ARTIC. DVODECIMVS.

### De potentia materiæ primæ.

PRoponitur, hic articulus examinandus hoc in loco; quia hic tractatur de essentia, & existentia entis creati; potentia autem materiæ ad formam saltem radicalis, est prædicatum essentiale materiæ, & quidem sub isto Articulo tria puncta sunt diligenter discutienda. Primum est, an in materia prima præter potentiam essentialem, quę est differentia essentialis constitutiua materiæ primæ, detur alia potentia formalis, & proxima accidentalis, sicut in substantia creata, prçter formam substantialem, quæ est principium primũ agendi, datur alia potentia formalis, & proxima, fluens à forma substantiali. Secundum est, an potentia receptiua, & potentia substentatiua, tam formæ substantialis, quàm accidentalis in materia, sint diuersę formaliter, & in recto. Tertium, an potentia substentatiua formæ substantialis, sit potentia accidentalis materiæ primæ, an essentialis.

## PVNCTVM PRIMVM.

### An præter potentiam essentialem, concedenda sit in materia prima potentia proxima, & accidentalis.

PVnctum hoc, & quæsitum potest intelligi, tum de potentia proxima, & formali, qua materia prima est vnibilis formę substantiali; tum de potentia formali, & proxima, qua materia prima sit apta formaliter transmutari ab agente naturali. In hoc enim sensu disputant de hac re Ioan: de Magis. *in lib. 1. phycorum. Quæ. 12.* Zabarella, & ante hos Auerr. de substantia orbis *cap. 1.* & in Primum Physicorum, *tex. 21. com. 70.* & alijs recentiores.

Ad intelligentiam autem puncti quęsiti, Ioannes de Magis. loco. cit. distinguit duplicem potentiam passiuam; vnam appellat remotam, siuè radicalem, siuè fundamentalem, & aliam formalem, & proximam; hęc distinctio explicatur communiter in anima rationali, quæ habet dupli-

cem potentiam ad recipiendum in se actũ intellectionis, scilicet, remotam, & proximam, siuè radicalem, & formalem. Remota, siuè fundamentalis, est ipsa essentia animæ; quia quidditas, siuè essentia animæ, est primum principium vitale actus intelligendi; proxima verò, & formalis, est potentia intellectiua, quę est extra essentiam animę, vt suo loco probabitur cum S. Thoma: in hoc puncto difficultas est, an in materia prima concedenda sit potentia passiua proxima, & formalis, superaddita essentiæ materiæ, quod dupliciter intelligi potest; primò, an sit concedenda in materia potentia formalis, qua materia sit formaliter, & proximè apta recipere in se formam substantialem; secundò an sit concedenda potentia formalis, & proxima passiua, qua materia sit formaliter apta subdi actioni agentis naturalis,

Prima conclusio; in materia prima, implicat esse potentiam formalem, siuè proximam accidentalem, per quam sit apta formaliter, & proximè recipere formam substantialem. Explicatur conclusio; Materia prima dupliciter considerari potest; vno modo quatenus, est receptiua formæ substantialis, nimirũ, quatenus est formabilis, siuè deteminabilis in specie à forma; alio modo, quatenus est transmutabilis ab agente naturali, idest, quatenus est potens formaliter subdi actioni agentis naturalis, potentis illã transmutare de vna forma substantiali ad aliam, vel de vna specie formali ad a iã; in conclusione negamus dabilem esse potentiam formalem, & proximam, per quam materia fiat formaliter potens recipere formam substantialem, à qua constituitur in specie prædicamentali. Conclusio in hoc sensu ab omnibus recipitur; solũ controuersia est inter Philosophos, an sit concedenda in materia prima, prçter potẽtiam essentialem, qua est perfectibilis in specie essentiali à forma substantiali, alia quoque potentia proxima, & formalis, qua sit apta formaliter transmutari ab agente naturali. Conclusionis huius duplex est fundamentum.

Primum est; quia potentia, qua materia prima est formaliter apta recipere formam substantialem, est pars, componens vnum per se in genere substantiæ prædicamentali; Vnum enim per se in genere prædicamentali fit ex materia vt perfectibili, & ex forma substantiali vt perfectiua in specie substantiæ; sed implicat hanc potentiam formalem, & proximam superadditam essentię materiæ, ingredi vnum per se, & substantiale; quia potentia proxima, & formalis, est formaliter accidens, quia est extra essentiam materiæ; prædicatum autem extra essentiam, accidens est; hac enim ratione quartum, & quintum prædicabile sunt accidens, quia prædicantur de subiecto extra essentiam, vt cum dicitur homo est risibilis, homo est albus; at implicat accidens ingredi compositionem vnius per se in genere substantiæ prædicamentalis; vnum enim per se in genere substantiæ, est perfectè vnum; substantia enim prædicamentalis est in suo genere ens perfectum; at perfectum est ex integra causa; imperfectum verò ex singulis defectibus; si accidens ingrederetur compositionem vnius per se, non esset vnum per se substantiale perfectum in suo genere.

Secundum fundamentum est; quia materia prima est primum receptiuum omnis formæ substantialis; est .n. materia prima primũ subiectũ; *sed implicat in terminis primũ subiectũ, siuè primũ receptiuũ habere in se potentiã formalẽ, & proximã,* per quã sit formaliter aptum recipere formam substantialem; ergo implicat materiã primam habere in se potentiam formalem, & proximam superadditam suę essentiæ ad recipiendam formam substantialem. Minor probatur: quoniam primum receptiuum per suam quidditatem, & essentiam est completissimum in ratione receptiui; at si haberet potentiam formalem, & proximam ad recipiendam formam substantialem, siuè si exigeret potentiam formalem & proximam ad recipiendam formam substantialem, à qua ponitur in specie prædicamentali substantiæ, non esset completissima in ratione receptiui, nec esset primũ receptiuum, quia potentia passiua est ad complendum subiectum.

Dicet fortè aliquis ingeniosus, quod ratio primi receptiui in materia prima, est quidem ratio prior; sed inadęquata materiæ, sicut animal in homine, est prior ratio, sed inadæquata; homo enim essentialiter, & adæquatè est animal rationale; at hoc posito, non implicat materiam primam ex co, quod est primum subiectum, siuè primum receptiuum, admittere intra suam latitudinem formalem, potentiam proximã, & formalem, per quam materia sit complete, & formaliter potens recipere formam substantialem; sed hęc ratio, & instantia soluetur sequenti conclusione.

Secunda conclusio. In materia prima, prçter potentiam essentialem, quę est differentia essentialis materiæ, concedenda est

est potentia formalis, siuè proxima accidentalis, per quam materia est apta formaliter transmutari ab agente naturali. Conclusio valde controuersa est, tùm inter antiquos, tùm inter recentiores Philosophos, & Metaphysicos; Complures enim doctissimi Metaphysici mordicùs defendũt, hanc potentiam passiuam proximam, & formalem, esse omninò impossibilem.

Præcipuum eorum fundamentum est hoc; quia potentia passiua omnis fundatur in imperfectione; sed materia prima est imperfectissima in genere substantiæ per suam essentiam; ergo implicat habere potentiam passiuam extra suam essentiam; secùs non esset imperfectissima per suam essentiam; sed per potentiam extra suam essentiam. Explicatur discursus: potentia passiua proxima, si daretur, esset ad complendum receptiuum formæ substantialis; hoc autem supponit, materiam primam non esse imperfectissimam in genere substantiæ, neque esse primum in genere perfectibilis, & receptiui; ergo implicat dari in materia hanc potentiam passiuam formalem, & proximam.

Probant aliqui, nobiscum in hac re sentientes, conclusionem hoc fundamento; materia prima secũdùm se in sua definitione essentiali, non includit hanc potentiam passiuam proximam, & formalem: sed hoc satis est, vt detur in materia prima hæc potentia formalis, & proxima accidentalis ad recipiendum formam substantialem; ergo &c.; Maior probatur, quia essentia materiæ secundùm se adæquatè habetur per hoc, quod est substantia incompleta essentialiter exigitiua huius potentię passiuæ proximæ; hoc enim principio solo posito, remoto quocunque alio, ponitur materia essentialiter, & eo solo remoto, posito quocunque alio non ponitur materia prima essentialiter, & secundùm se; ergo materia prima secundùm se, non aliud est, nisi principium exigitiuum huius potentię passiuæ formalis.

Sed hæc probatio facilè eluditur; dicere enim possunt aduersarij implicare in adiiecto, materiam esse primum ens incompletum complebile, quia est primum subiectum, siuè primum receptiuum formæ substantialis, & non includere in sua quidditate potentiam formalem, & proximam recipiendi formam. Primum enim subiectum, siuè receptiuum, est completissimum in ratione receptiui; vndè argumentari à principio exigitiuo contradistincto à formali potentia in primo receptiuo, seù subiecto in genere entis, est directè argumẽtari supponendo id, quod expressè negat contraria sententia, & contradicit primo subiecto, seù primo receptiuo in genere entis.

Hùc reducitur aliud argumentum, quod ijdem proponunt ad confirmandam nostram sententiam: si per impossibile, inquiunt, non esset in materia hæc potentia proxima passiua; sed solùm in ea esset principium exigitiuum huius potentiæ proximæ, & formalis; haberetur essentia non alterius rei, quam materiæ primæ; distingueretur enim adæquatè, non solùm à forma; sed ab omni eo, quod non est materia prima; forma enim non est, nec potest esse principium exigitiuum huius potentiæ proximæ; hùc inquam reducitur: nam si supponatur, materiam primam esse ens essentialiter incompletum in genere entis, & imperfectissimum perfectibile impossibile est, materiam primam non esse essentialiter suam potentiam proximam, quia materia proxima passiua datur ad complendũ principium receptiuum; at primæ materiæ contradicit perfectibilitas in ratione receptiui, quia cum sit primum receptiuum in genere entis ẽst completissimum in ratione receptiui sua essentia, seù quidditate.

Fundamentum conclusionis mihi est hoc. Dantur in agente creato potentia actiua remota, siuè fundamentalis, & potentia formalis, & proxima agendi; sed eadem ratio est de potentia passiua in materia, vt transmutabili ab agente naturali; ergo in materia prima datur duplex potentia passiua; vna ad recipiendas formas substantiales, quæ est remota, siuè fundamentalis in ratione subiecti transmutabilis ab agente naturali; & alia proxima, & formalis. Maior clara est, nisi contra torrẽtem Philosophorum velimus esse Nominales; ita, e. g. ignis habet potentiam remotam productiuam caloris, quæ est ipsa forma substantialis ignis, & habet potentiam proximam, & formalem, quæ sunt calor ignitiuus, & siccitas ignitiua, & quantum nunc satis est, hoc probatur etiam ratione à priori, nam in substantia agentis creati sunt duo actus diuersorum generum, nimirum existentia substantialis, quæ est existentia in genere entis per se, & existentia in genere agentis, quę est actio constituens vnum prædicamentum accidentis diuersum per se primò à cæteris; at isti duo actus distinguũt essentialiter duas potentias ad agendum remotam, siuè fundamentalem, & formalem, siuè proximam;

mam; diſtinctio enim eſſentialis potentiæ eſt ex diuerſitate eſſentiali actuum; ſpecies enim ſumitur ab actu, non à potentia, vt probauimus ſæpe, cum S. Thoma *prim.* 2. Minor verò, in qua eſt difficultas probatur; Primò auctoritate Ariſtotelis, qui in prædicamento qualitatis, non ſolùm poſuit inter ſpecies qualitatis, naturalem potentiam actiuam; ſed etiam expreſsè paſſiuam. Secundò probatur ratione: quia potentia proxima, qua materia eſt tranſmutabilis ab agente naturali, eſt extra eſſentiã, ſeù quidditatem materiæ primæ ſecundũ ſe; ſed hoc ſatis eſt, vt in materia præter materiam remotam, & fundamentalem, detur potentia paſſiua proxima accidentalis materiæ. Maior probatur; quoniã materia prima ſecundùm ſe eſſentialiter, & adęquatè ſaluatur in hoc, quod eſt ens imperfectum, & perfectibile in ſpecie eſsẽtiali à forma ſubſtantiali, vel ſaluatur in hoc, quod eſt prima potentia formalis, nimirum ad omnem formam ſubſtantialem; ſed in hoc conceptu adæquato obiectiuo ſecundùm ſe, non includitur potentia proxima, & formalis, qua materia prima eſt formaliter tranſmutabilis ab agente naturali; ergo hęc potentia proxima paſſiua eſt extra quidditatem adæquatam materię primę, & ſecundùm ſe. Addidi ſemper, ly ſecundùm ſe materiæ primæ, ad reijciendã reſponſionem, qua contrarij opinantur euacuare vim argumenti; dicunt enim, quod materia prima dupliciter poteſt conſiderari; vno modo ſecundùm ſe, nimirum quantum ad prædicata, quæ ei conueniũt eſſentialiter, prout in ſe eſt; alio modo prout eſt conceptibilis à noſtro intellectu conceptibus, ſiuè cognitionibus inadæquatis, & imperfectis, quorum vnus non adæquat quidditatem materiæ; qua diſtinctione dicunt, materiam primam, quatenùs eſt cognoſcibilis à noſtro intellectu conceptibus inadęquatis, non includere in ſua quidditate obiectiua potentiam, qua eſt apta formaliter ſubdi actioni agentis naturalis; verùm ſi conſideretur materia ſecundùm ſe, ſiuè prout eſt in rerum natura, neceſſe eſt, vt includat in ſua quidditate potentiam proximam, & formalem, qua eſt potens, & apta formaliter, & proximè tranſmutari ab agente naturali.

Sed hæc ſolutio, eſt fuga potius, quàm ſolutio argumenti; nam quidditas materiæ ſecundùm ſe, & in ſtatu eſſendi in rerũ natura adequatè ſaluatur per hoc, quod eſt prima potentia formalis; his enim tantũmodò duobus prædicatis habetur quidditas adequata materię, ſicut quidditas hominis ſecundùm ſe adequatè eſt animal rationale, quia his tantum prædicatis vt docet S. Thomas. *par.* 1. *q.* 3. *art.* 3. in corpore, homo eſt eſſentialiter, & eadem quoque ratione materia indiuidualis, cum accidentibus omnibus indiuiduantibus ipſã, non cadit in definitione ſpeciei: non enim inquit S. Thomas, cadunt in definitione hominis, hę carnes, & hæc oſſa, aut albedo aut nigredo; explicatur amplius hæc ratio. Eſt quidem materia prima ens imperfectiſſimum in genere entis, & conſequenter nullius ſpeciei, ac proinde perfectibile in omni ſpecie à formis ſubſtantialibus, & in hoc conceptu obiectiuo eſſentiali adæquato ſaluatur tota eſſentia materiæ primæ ſecundùm ſę; ſed quod ſit materia prima formaliter apta, vt paſſiuè ſubdatur actioni agentis naturalis, eſt conceptus ſuperadditus rationi perfectibili in ſpecie vt ſic; fluens tamen à quidditate vt perfectibili in ſpecie à forma; & argumentor hunc in modum.

Ratio perfectibilis in ſpecie, in prædicamento ſubſtantiæ collocata, ſaluatur per ordinem intrinſecum, & eſſentialem ad actum formalem; ſaluatur enim quidditas perfectibilis in ſpecie per ordinem ad actum à quo ſpecificatur; ſed hic conceptus quidditatiuus, non includit in ſua definitione eſſentiali potentiam proximam, & formalẽ, qua materia eſt formaliter apta ſubdi actioni agentis naturalis; quia actio agentis naturalis potentis tranſmutare materiam, non eſt actus dans ſpeciem ſubſtantialem materiæ primæ, quia eſt formaliter accidens. Confirmatur minor, primò, quia vt dixi hæc potentia proxima, nõ cadit in definitionem eſſentialem materiæ primæ ſecundùm ſe. Secundò; quia præſcindendo à quoquunque reſpectu ad agens naturale potens tranſmutare, materia prima ex ſuis intrinſecis habet vt ſit formabilis in ſpecie ſubſtantię prędicamentalis; hic autem eſt conceptus adęquatus materiæ ſecundùm ſe; hic enim conceptus ſatis eſt, vt materia ſit per ſe vnibilis formæ danti ſpeciem. Tertio; quia potentia materiæ primæ per ſe primò adequatè eſt potentia formalis; dicitur enim materia prima, in communiſſima philoſophorum opinione, pura potentia formalis, quia eſt in potentia ad omnem actum formalem ſubſtantialem per ſe primò: eſſentia enim cuiuslibet rei adequatè ſaluatur per prædicata, quæ ei conueniunt in primo modo dicendi per ſe; at verò hæc prædicata ſunt, prima poten-

potentia passiua ad omnem actum formalẽ substantialem. Neque dicas, quod hæc duo prædicata non sunt prædicata adæquatiua materiæ essentialiter, & per se primò; prędicata enim, quæ constituunt speciem, adęquant essentiam; nam species, quæ est in recta linea prædicamentali, præsertim dicit integram rei essentiam; vt potentia proxima, & formalis, per quam materia est apta formaliter transmutari ab agente naturali, est extra hunc conceptum adęquatũ materiæ; ergo est potentia accidentalis, quæ additur supra rationẽ determinabilis in specie, sed est potentia tamen accidentalis, non communis, sed propria.

Dices primò: potentia essentialis materiæ, est prima potentia passiua; quia materia prima secundùm se excludit à sua quidditate adequata, omnem actum formalem, in quo fundatur actiuitas; sed potentia prima passiua adęquatè, non solum est, ad actum formalem substantialem; sed etiam ad agens potens transmutare naturaliter materiam: siuè, & in idem redit, est adęquatè ad formam substantialem, vt inducibilẽ ab agente naturali, cuius ratio est; quia passiuum adęquatè opponitur, non solùm suo actui; sed etiam suo actiuo naturali; sed actiuum naturale materiæ primæ est agens vt inducens formam, siuè agens potens transmutare materiam; ergo potentia passiua materiæ primæ adęquatè dicit ordinem, non solùm ad formam substantialẽ dantem ei speciem in genere causæ formalis; sed etiam ad agens potens transmutare materiam, quod dat ei speciem substantialem in genere causæ efficientis.

Respondeo primò, distinguo maiorẽ; materia prima dupliciter sumi potest; vno modo, quantùm ad sua prædicata, quæ ei conueniunt in primo modo dicendi per se tantũmodò; alio modo, quantùm ad omnia prædicata per se, tam in primo, quam in secundo modo dicendi per se: materia primo modo, est tantum ens determinabile in specie essentiali prædicamenti substantiæ; hæc autem determinabilitas completur adęquatè a forma substantiali; hæc enim determinabilitas materiæ est in specie collocata in recta linea prædicamenti substantiæ; at hæc species per se primò, & adęquatè est à forma substantiali, & sub ista consideratione formali, materia prima non includit in primo modo dicendi per se potentiam formalem, & proximam, qua est potens, & apta formaliter subdi actioni agentis potentis illam transmutare, sicut homo in primo modo dicendi per se, non includit risibilitatem; ac proindè risibilitas est prædicatum extra essentiam hominis. Cæterum, materia secundo modo, est adęquatè non solum determinabilis à forma substantiali in genere causæ formalis; sed etiam ab agente inducente formam in materiam. Materia autem, per potentiam assentialem, per se primò adequatur à forma tantùm substantiali, ad quam dicit ordinẽ essentialem, vt predicatum conueniens materiæ in primo modo dicẽdi per se; ad agens verò naturale, materia ordinatur formaliter per potentiam accidentalem, quę fluit à quidditate materiæ, vt à ratione priori adęquata, sicut risibilitas fluit ab essentia hominis, vt à ratione priori adęquata. Aduersarij autem putant, potentiam proximã, per quam materia est formaliter apta, & potens transmutari ab agente naturali, esse rationem quidem posteriorem, sed ratione priori inadęquata, sicut rationalitas est ratio posterior animalitate, vt ratione priori inadęquata in homine; sed hoc est omninò falsum; quia esse enş perfectibile in specie substantiæ prędicamentalis est ratio prior adęquata materiæ primæ; nam præscindendo à quocunque respectu formali ad agens potens transmutare formaliter materiam, habetur adęquatè quidditas materiæ primę, per hoc quod est formabilis in specie à forma substantiali; his enim tantùm prędicatis ponitur adęquatè essentia materiæ primæ.

Respondeo secundò, in materia prima esse duplicem potentiam passiuam; alia est passiua, qua materia patitur à forma substantiali, & hæc potentia est essentialis materiæ, in primò modo dicendi per se; & alia est potentia passiua formalis ad agens naturale potens transmutare materiam, & hæc est potentia passiua qua materia est formaliter, & proximè transmutabilis ab agente naturali; Probatur assumptum; quia diuisio, & distinctio essentialis potentiæ passiuæ est ex diuisione formali termini formalis; at duplex est terminus formalis potentiæ passiuę materiæ; alius est terminus formalis substantialis; & hic est forma substantialis; & alius est actus agentis naturalis, & hic est actus in genere accidentis; ergo in materia prima debet esse duplex potentia passiua, alia, per quam materia est essentialiter perfectibilis in specie prædicamenti substantiæ; & alia, per quam formaliter est apta, & potens subdi actioni agentis naturalis potentis transmutare materiam.

Dices secundò. Distinguitur à nobis in

in materia prima potentia passiua essentialis materię, & potentia passiua accidentalis ob eam causam, quia distinguitur in substantia creata agentis naturalis potentia actiua fundamentalis, siuę radicalis à potentia actiua formali, & proxima; omni autem potentiæ actiuæ debet corresfpondere sua potentia passiua; sunt enim actiuum, & passiuum relatiua; sed hæc ratio non cōuincit; ergo &c. Minor ꝓbatur; quia est dispar ratio de potentia actiua, ac de potentia passiua; primò, nam potentia actiua non ordinatur intrinsecè ad faciendum vnum per se; sed tātùm ordinatur per se ad actionem, quæ est accidens, ad quod per se nullo modo ordinatur substantia causæ agentis creati, quæ proindè essentialiter saluatur, vt sit potens tantùn fundamentaliter; at in materia prima, potentia formalis passiua ordinatur per se ad faciendum vnum per se, quod est compositum substantiale, quod à se excludit omne accidens. Secūdò (& ratio est à priori) potentia formalis actiua fundatur super actualitatem limitatam causæ agentis, atque adeò restrictā tantùm ad genus substantiæ; substantia enim creata nihil aliud dicit, nisi principium essendi per se, & ob hanc limitationem apta est perfici, & augeri in alio genere, nimirum in ratione agentis, quod est extra genus substantiæ limitatę; substantia enim limitata ad genus substantię adæquatę, est ens per se; in hoc autem conceptu non includitur formaliter potentia formalis actiua: at potentia passiua materiæ, quę est constitutiua materiæ in ratione materiæ primę, procul dubio quidem non est perfectibilis in ratione materiæ, quia primum perfectibile est completum in suo genere per essentiam suam; ac proindè non potest in materia prima distingui potentia passiua formalis à potentia essentiali materiæ.

Respondeo; concedo maiorem, & nego minorem: etenim ratio, cur in agente creato, vt diximus in ratione ostensiua conclusionis, potentia actiua formalis, & proxima distinguitur ab essentia agentis creati est; quia potentia actiua formalis est extra quidditatem completam substantiæ agentis creati; hæc autem ratio distinctionis reperitur, etiam inter quidditatem materiæ primæ, & quidditatem potentiæ passiuę formalis, qua materia est formaliter potēs subdi actioni agentis naturalis; quandoquidem, vt diximus, quidditas materiæ primæ saluatur per hoc, quod est primum perfectibile in specie substantiæ prædicamentalis à forma substantiali; at potentia, qua est apta formaliter subdi actioni agentis, est extra conceptum adæquatum formabilis, seù determinabilis in specię prædicamentali; quia hæc formabilitas, seù determinabilitas completur essentialiter a forma substantiali, & ratio in promptu est; quia quidditas potentiæ completur adæquatè à suo termino formali, & primario, qui est forma substantialis. Aduersarij opinantur, hanc potentialitatē proximā, qua materia est apta formaliter subdi actioni agentis, poni in materia ad complendam materiam in ratione primi formabilis, seù in ratione primi subiecti formæ substantialis; sed decipiūtur; solùm enim ponitur, hæc potentia, vt materia fiat apta formaliter subdi actioni agētis, nimirum, vt sit apta, & potens formaliter transmutari ab *agente naturali*; quandoquidem hæc *potentia est extra cō*ceptum adæquatum, *& essentialē materię* primæ, vt *ostendimus*, & hæc ratio sufficiens est, vt hæc potentia distinguatur ex natura rei à quidditate adęquata materiæ primę, quod nullo modo potest dici de potentia ad recipiendam formam substantialem; quia hæc est intra essentiam materiæ primæ, vt pluries diximus; explicatur hæc doctrina quantùm nunc satis est.

Ob duas rationes, in substantia agentis creati, præter potentiam radicalem agēdi, quæ est forma substantialis, ponenda est alia potentia proxima, & formalis, quę est qualitas prædicamentalis.

Prima est; quia potentia formalis, & immediata agendi est ordinata per se ad suam actionem, quæ est accidens à quo specificatur; potentia enim proxima, & formalis est vis immediata agendi; substantia verò non specificatur ab accidente, quia habet terminum formalem intra suum genus.

Secunda ratio est, quia conceptus essentialis adæquatus substantiæ creatæ, est principium essendi per se; huic autem conceptui accidentalis est potentia formalis, & immediata agendi, quia potentia formalis & immediata agendi, non includitur in definitione essentiali substantiæ.

Istæ duæ rationes non reperiuntur in materia, prout est formabilis à forma substātiali; sed solū reperiūtur in materia, prout est transmutabilis ab agente naturali;

ma-

materia enim præſcindendo à quocunque ordine ad agens tranſmutans, eſt perfectibilis, & determinabilis adæquatè in ſpecie eſſentiali prædicamenti ſubſtantiæ; quia ſpecificatio materiæ, eſt à ſuo actu formali; ſed actus formalis materiæ eſt forma ſubſtantialis tantùmodò. Neque poteſt diſtingui in materia, vt perfectibili à forma, potentia proxima, & potentia remota in ratione perfectibilis: quoniam potentia proxima in ratione perfectibilis, eſt intra conceptum eſſentialem, & quidditatium primi perfectibilis in ſpecie, ſiuè primi receptiui. Cæterum, potentia proxima, & immediata, vt materia ſubdatur actioni agentis naturalis, eſt extrà quidditatiuum conceptum primi receptiui, ſiuè primi ſubiecti; nec materia, vt formabilis à forma ſubſtantiali, dicit ordinem immediatum, & formalem ad agens tranſmutans.

Quod ſi dicas: materia, vt tranſmutabilis ab agente naturali, adhuc eſt perfectibilis; ſed in ratione perfectibilis, non eſt diſtinguere potentiam perfectibilem remotam, & potentiam perfectibilem proximã, & immediatam; ergo neque in materia, vt tranſmutabili ab agente naturali, eſt diſtinguere potentiam proximam à potentia remota.

Reſpondeo, duplicem eſſe rationem perfectibilis in materia; vnam per formam ſubſtantialem, & aliam ab agente naturali potente tranſmutare: prima perfectibilitas, quæ eſt à forma ſubſtantiali, non admittit intra ſe potentiam proximam, & immediatam, & diſtinctam à remota, & radicali ob rationes ſupra allatas; ſed tantùm perfectibilitas ab agēte extrinſeco potente tranſmutare, & ratio eſt, quia materia prima, eſt potens tranſmutari ab agēte naturali eſſentialiter, ex eo tamquam à prima radice, quia eſt perfectibilis, & determinabilis in ſpecie à forma ſubſtãtiali; ſicut ſubſtantia ſpiritualis eſt volitiua ex eo, tamquam à prima radice, quia eſt intellectiua, & homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis, & hæc potentia proxima, qua materia eſt apta tranſmutari ab agente naturali, non ingreditur vnum per ſe, ſed eſt extra vnum per ſe; ſicut riſibilitas eſt prædicatum extra eſſentiam hominis.

Neque primo dicas, ex hac doctrina ſequi, in materia prima eſſe duplicem potentiam eſſentialem perfectibilem, ſiuè receptiuam; aliam eſſentialem, qua materia eſſentialiter eſt completè perfectibilis, per ſuam eſſentiam à forma ſubſtantiali; & aliam, per quam materia fundamentaliter, & radicaliter eſt potens ſubdi actioni agentis naturalis; ſed hoc eſt multiplicare potentiam in materia prima, ſine vlla neceſſitate; vna enim potentia ſufficit tantùmodò, vt materia patiatur à forma ſubſtantiali, & ab agente naturali; ergo &c.

Reſpondeo enim negando ſequelam, & ratio eſt: quia multiplicatio formalis potentiæ, eſt ex multiplicatione formali actus primarij, & primi, à quo ſpecificatur; at non eſt actus primarius ſpecificans, niſi forma ſubſtantialis, quæ vna eſt in materia, & in compoſito; & ideò perfectibilitas, qua materia eſt radicaliter apta tranſmutari ab agente naturali, eſt illa ipſa formaliter, qua materia eſt perfectibilis, & determinabilis in ſpecie à forma ſubſtantiali; & probatur; nam materia prima eſt tranſmutabilis radicaliter ab agente naturali, vt à cauſa adæquata; quia eſt perfectibilis, & formabilis in ſpecię ſubſtantiæ prædicamentalis; quod patet; quia ſi hoc ſolùm remoueatur à materia, nullo pacto materia remanet tranſmutabilis ab agente naturali.

Aduerſarij, vt ſuprà diximus, decipiũtur ex eo; quia opinantur ab auctoribus noſtræ ſententiæ poni, in materia prima potẽtiam proximam, & formalem ad hoc, vt materia ſit formabilis, & determinabilis in ſpecie à forma, quod nullus ex auctoribus nobiſcum ſententibus hoc dixit; ſed tantùm ponitur potentia formalis, & proxima ad hoc, vt materia prima ſit formaliter, & proximè apta, vt tranſmutetur ab agente naturali: nam conceptus adæquatus eſſentialis materiæ ſaluatur ſolùm per hoc, quod eſt formabilis in ſpecie à forma ſubſtantiali.

Neque ſecundò dicas, ex hac doctrina ſequi, accidens in materia prima ſimpliciter præcedere formam ſubſtantialem: nam hæc potentia accidentalis immediata, & formalis, cum ſit proprietas materiæ quarto modo, ſiuè accidens proprium, ſicut eſt riſibilitas proprietas hominis quarto modo, præcedit formam ſubſtantialem, ſicut ipſa materia prima præcedit ipſam formam ſubſtantialem: in vno enim, & eodem, prior eſt potentia, quam actus: ſed falſum eſt accidens ſimpliciter præcedere formam accidentalem. Supponit hæc inſtantia, hanc potentiam proximam, & immediatam eſſe accidens proprium, contradiſtinctum à ſubſtantia.

Reſpondeo enim negando ſequelam, & ratio eſt: quia hæc potentia proxima, & immediata, qua materia eſt apta for-



Digitized by Google

maliter subdi actioni agentis, emanat à quidditate materiæ dependenter à forma in genere causæ formalis; nam vt supra sæpè repetiuimus, materia, & forma secundùm earum primum esse, quod est esse essentiale vtriusque, se se mutuò causant in diuerso genere causæ; substantia autem, siuè esse substantiale in materia præcedit in genere causæ formalis, & etiam præcedētia simpliciter, omne accidens, & omne esse accidentale, siuè secundùm quid,

Neque tertiò dicas, (quod est Achilles aduersariorum,) potentia formalis, & proxima accidentalis datur ad supplendum defectum substantiæ causæ creatæ; quia nimirum substantia causæ creatæ ob suam intrinsecam limitationem, est potens tantùm radicaliter causare per suam essentiā; sed materia prima per suā essentiam est cōpletè potens transmutari ab agente naturali; quia hæc potentialitas fundatur in imperfectione; at materia prima est cōpletissima in sua imperfectione; quia est primum perfectibile; primùm autem perfectibile est ex carentia omnis actus, siuè perfectionis formalis. Confirmatur primò: nam materia prima concurrit ad sui transmutationem ab agente naturali in genere causæ materialis; sed causa materialis constituitur formaliter per rationem entis imperfecti, & perfectibilis, & in hac ratione materia prima, est completissima per suā essentiam. Confirmatur, & explicatur secundò idem argumentum. Ratio cur detur potentia proxima, & formalis in aliquo genere causæ præter potentiam radicalem, & fundamentalem est; quia causa in illo ipso, in quo est causa, est insufficiēs per suam essentiam; sed materia prima in genere causæ materialis est completissima per suam essentiam, non solùm ad recipiēdam in se formam substantialem; sed etiam ad recipiendam in se actionem, per quam est transmutabilis ab agente naturali; ergo &c.

Respondeo concedo maiorem, & nego minorem; nam materia essentialiter, siuè per suam essentiam est completa; immò completissima solùm in ratione formabilis, seu perfectibilis in specie à forma substantiali; ex hoc autem conceptu quidditatiuo, tamquam ex prima radice emanat potentia proxima, & formalis, per quam materia est apta, & potens formaliter, & immediatè transmutari ab agente naturali.

Cum verò dicitur ab opponente, quod hæc potentia formalis, & proxima fundatur in imperfectione; at materia prima per suam essentiam, est completissima in sua imperfectione per suam essentiam, &c.

Respondeo concedo maiorem, quod fundatur in imperfectione, & distinguo minorem; materia per suam essentiam est cōpletissima in imperfectione formabilis, seù determinabilis in specie à forma substātiali; & concedo; est completissima per suam essentiam in imperfectione transmutabili ab agente naturali, & nego; nam materia, vt transmutabilis ab agente naturali duo dicit; vnum tamquam radicem primam transmutabilitatis ab agente naturali, & hoc non aliud significat, nisi materiam primam esse formabilem, siuè perfectibilē in specie à forma substantiali; & aliud, vt sequens ex dicta radice, & hoc est, potentia formalis, & proxima, qua materia est formaliter potens, & apta transmutari ab agente naturali, quæ est extra conceptum essentialem adęquatum materiæ primæ; Conceptus autem posterior conceptu priori adęquato est accidens proprium. Assumptum probatur; ideo enim causaliter materia prima est transmutabilis ab agente naturali; quia materia prima adæquatè est perfectibilis à forma substantiali in specie substantiali collocata in recta linea prædicamenti substantiæ.

Explicatur amplius: est quidem materia prima ens dimidiatum formabile in specie omni; quia materia prima caret omni forma substantiali, & accidentali, in quo conceptu saluatur quidditas adæquata materiæ primæ; hoc enim posito, remoto quocunque alio adæquatè ponitur materia prima; his .n. tantùm prędicatis materia prima est primum subiectum, & primū receptiuum; sed quod sit aptum completè, vt passiuè subdatur actioni agentis potentis transmutare materiam, est conceptus superadditus rationi formabili, vt sic; & probatur, nam ratio formabilis in specie præscindit à respectu ad agens; ex hoc autem prędicato ratio formabilis præscindit etiā à respectu trascendentali ad agens potens transmutari; quia potentia proxima, qua materia est formaliter apta, & proximè transmutari ab agente naturali, dicit ordinem intrinsecum, & immediatum ad actionem agentis potentis transmutare; sicut potentia intellectiua dicit ordinem intrinsecum, & essentialem ad actionem intelligendi, vt receptibilem in ipsa potētia intellectiua; ergo præscindit ratio formabilis vt sic, a ratione potentiæ proximè, & rom-

& completè ad transmutari. Maior probatur, quia præscindendo à quocunque respectu intrinseco ad agens, materia prima ex intrinsecis suis habet, vt sit formabilis à forma substantiali, quia forma substantialis est actus primus, & adæquatus specificans materiã; omnis autẽ ratio extra specificatiuum adæquatum intrinsecum, est ratio accidentalis, quia supra rationem primi formabilis, quod dicit intrinsecum, & essentialem ordinem ad formam substantialem, additur respectus ad agẽs naturale.

Dices pro aduersarijs: hic respectus includitur intrinsecè in eo, quod materia formabilis est essentialiter in genere substantiæ.

Respondeo, distinguo assumptum, includitur hic respectus ad agens potens trãsmutare ex eo, quod materia prima est, primum formabile tamquam in prima radice adęquata, vnde fluit: & concedo; includitur in eo, quod materia est primùm formabile, tanquam differentia essentialis cõstituens essentialiter primum formabile, nimirum, vt ratio essentialis differentialis, & nego: quia materia prima essentialiter est primum imperfectum perfectibile in genere substantiæ; primùm autem imperfectum perfectibile essentialiter, & per se primo tantùm respicit, à quo eius imperfectio perficitur; sed imperfectio materiæ primę solùm perficitur à forma substantiali, nam forma substantialis est primum, & adæquatum specificatiuum in genere substantiæ; esse verò perfectibile ab agente potẽte transmutare perficitur in genere causæ efficientis, quæ est perfectio extrinseca, & accidentalis: do exemplum valde aptum; existentia creaturę completæ, quam appellauimus existentiam subiectiuam, est receptibilis in essentia realiter, & est etiam receptibilis ab agente producentis creaturam completam; ex his autem prędicatis, primum, & adæquatum est, existentiam creaturæ completę esse receptibilem realiter in essentia; esse verò existentiam receptibilem ab agente creante est prædicatum posterius prædicato priori adæquato; causa enim adæquata, & intrinseca, cur existentia in creatura completa sit receptibilis realiter à Deo, vt agente creante, est quia existentia est receptibilis realiter in essentia creaturæ; quandoquidem ratio adęquata, cur ens extra Deum, completum in genere entis sit creabile à Deo, est quia essentia in eo essentialiter, non est sua existentia, ex eo autem quod essentia non est sua existentia; existentia est receptibilis adęquatè, & realiter in essentia; ex eo deinde existentia creaturæ habet, vt sit receptibilis a Deo, est quia est receptibilis realiter in essentia creaturę; pariter discurrendum est de forma perficiente materiam in specie substantiali, & etiam de materia, prout est perfectibilis, & formabilis in specie à forma substantiali; sine dubio, materia prima, est receptiua formę substantialis inducibilis ab agente; sed in hoc ratio prior adæquata, est esse perfectibile in specie à forma substantiali; ex eo autem quod forma substantialis est perfectiua materiæ in specie, cõsequitur in materia, vt sit naturalis potentia passiua respectu agentis potentis illam naturaliter transmutare, qui secundus conceptus, vt extrinsecus materię vt formabili, est conceptus extrinsecus, & accidentalis materię.

Responsum est ad hoc ipsum argumentum supra paulò aliter, & hoc solùm ad explicandas rationes cur potentia proxima, & formalis, tam in causa efficiente, quam in causa materiali distingui debet à potentia remota fundamentali, & radicali.

Obijcies primò; frustra fit per plura, quod fieri potest per pauciora ęquè bene; sed sine hac potentia accidentali proxima, posita solùm potentia essentiali, õnia benè saluãtur; ergo, &c. Probatur minor, quia materia prima seipsa perfectibilis est, & consequenter potest perfici, & recipere per se primò formã substantialem perfectibilẽ, vt inducibilem ab agente.

Respondeo concedo maiorem, & nego minorem, quoniam materiam esse perfectibilem in specie à forma substantiali, est prior in materia, vt ratio prior adæquata, quàm sit materia, vt transmutabilis formaliter ab agente naturali; argumentum concluderet, si esse perfectibile in specie à forma substantiali, esset ratio prior inadęquata in materia; sed hoc est falsum, quia forma substantialis est specificatiuum adęquatum materię primę.

Obijcies secundò, si poneretur hæc secunda potentia, qua materia est formaliter transmutabilis ab agente naturali, deberet forma substantialis recipi in illa; sed hoc est impossibile, quia implicat formam substantialem recipi in accidente; fieret enim vnum per se ex forma substantiali, & accidenti, quod implicat in terminis. Assumptum probatur, quia hæc potentia proxima, & accidentalis materiæ primæ, est potentia passiua; passiua autem potentia, est receptiua.

Respondeo, potentiam passiuam esse duplicis conditionis, aliam nimirum esse rationem formalem recipiendi, recipientem; & aliam esse rationem recipiendi, non recipiẽtem. Exemplum primi est, quantitas dimensiua, quæ est ratio recipiendi recipiens qualitates omnes materiales; exemplum secundi est, mollitudo in cera ad recipiendam figura sigilli, vel dispositiones accidentales ad recipiendum formam substãtialem in materia, vt calor, & siccitas ad recipiendam formam ignis. Ista potentia proxima, qua materia est apta formaliter subdi actioni agentis, non est ratio recipiẽdi recipiens formam substantialem in materia, sed solùm est ratio recipiendi, non recipiens; ratio autem recipiendi recipiens formam substantialem adæquatè est, quia materia prima est primum perfectibile in specie substantiæ, qui conceptus, vt ratio prior adęquata præcedit potentiam proximam, qua materia est apta formaliter transmutari ab agente naturali.

Obijcies tertiò, si daretur hæc potentia proxima in materia prima, vt transmutabili ab agente naturali distincta ex natura rei à potentia receptiua essentiali materiæ; ipsa materia prima esset immediatè receptiua dictæ potentiæ; sed hoc est falsum, priùs enim est predicatum substantię in materia, quàm pręd icatum accidentale; ergo, &c.

Respondent aliqui nobiscum sentientes; materiam primam, non esse receptiuam huius proximę potentiæ, quæ est accidens; quia potentiæ daretur potentia, & sic in infinitum; sed inquiunt, hanc potentiam fluere a materia, tanquam propriam passionem, & proprietatem illius.

Sed hæc responsio non subsistit; implicat enim dari accidens, quin sit receptibile in suo subiecto; est enim essentialiter accidens, entis ens. Cum verò dicitur, quod potentiæ non datur potentia; hoc verum, est de potentia potentiæ in eodem genere, non autem de potentia potentiæ in diuerso genere; in re nostra, materia prima essẽtialiter est potentia radicalis, & fundamentalis huius potentiæ proximæ, per quam materia est formaliter transmutabilis ab agente naturali; hæc autem est potentia proxima, & accidentalis. Denique, neque verum est, quod hæc potentia proxima, non recipitur in materia prima, vt est transmutabilis ab agente naturali, ex eo quia fluit à materia, tanquam propria passio, & proprietas illius; nam huiusmodi potentia fluit fluxu immanente à quidditate màteriæ primæ, non autem fluxu trãseunte in aliud subiectum, seù in aliam materiam: exempla huius clara sunt de accidentibus proprijs quarto modo.

Respondeo ego, concedo hanc potentiam recipi in materiam primam, ob rationem modo datam.

Neque verò primò dicas, si materia seipsa recipit hanc potentiam; potest etiam recipere formas accidentales, antequam recipiat formas substantiales, quod est impossibile; quia impossibile est, esse secundum quid præcedere esse simpliciter; & ratio disparitatis est; primò quia hæc potentia est prædicatum per se materiæ primæ in secundo modo dicendi per se; aliæ verò formæ accidentales sunt accidentia communia: prius autem est prædicatum accidentale proprium, quam commune; quia proprium est prædicatum aliquo modo per se, & intrinsecum; accidens verò commune, est predicatum extrinsecum. *Secundò*, *disparitas est*, *quià accidens proprium*, *est immediatius suæ radici*, *quàm prædicatum proueniens ab extrinseco*.

Neque dicas secundò, non posse, esse secundum quid præcedere simpliciter esse simpliciter, quod necessariò sequeretur, si admittatur hæc potentia proxima accidentalis in materia prima.

Respondeo enim, esse simpliciter in genere causæ formalis præcedere esse secundùm quid, non autem in genere causæ materialis, cum hoc autem stat benè, vt esse secundùm quid pręcedat in genere causę materialis esse simpliciter.

Vel dicendum, est, vt supra etiam innuimus, materiam primam non recipere in se hanc potentiam, per quam est formaliter, & proximè apta transmutari ab agente naturali, nisi dependenter à forma, à qua habet esse simpliciter; potentia enim ad esse, est prima potentia in quocumque genere entis, vt initio huius quæstionis probauimus; hæc autem dependentia in esse simpliciter à forma, est essentialis materię primæ.

Obijcies quartò. Aristo. multis in locis appellauit materiam primam potentiam, nam in primò physicorum, tum 2. *lib. de. Ani. &* 8. *metaph*. Aristotelem sequitur *Auuer*., qui in multis suę doctrinę locis docet, materiam primam substantiari per potentiam.

Sed hęc, & similia loca Aristoteles vnica adęquata responsione soluuntur; intelligenda enim sunt de materia, vt formabili, seù perfectibili à forma substantiali

in

in aliqua ſpecie ſubſtantiæ prędicamentalis, non autem de materia, vt transmutabili ab agente naturali, & ratio eſt, quia potentia proxima ad recipiendum eſt intra quidditatem materiæ primæ, vt formabilis; potentia autem, qua materia eſt transmutabilis formaliter ab agente naturali eſt extra quidditatem materiæ; materia enim prima adęquatè ſaluatur per eſſe primum ſubiectum, ſiuè primum receptiuum; eſſe verò materiam tranſmutabilem ab agente naturali, eſt conceptus ſuperadditus, & extra eſſentiam primi formabilis, ſeu primi perfectibilis in ſpecie prædicamentali.

Neque huic doctrinę obſtat ſi dicas, materia prima eſt receptiua formarum accidentalium, quæ diſponunt materiam ad formas ſubſtantiales; ſed eadem eſt ratio, vt materia per ſuam potentiam eſſentialē, ſit receptiua actionis agentis, potentis trāſmutare materiam; ergo non neceſſariò addenda eſt hæc potentia formalis, & proxima materiæ primæ, vt ſit formaliter tranſmutabilis ab agente naturali.

Non inquam obſtat, & aſſigno diſparitatem; nam diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem ſunt per ſe ordinatæ, vt rationes recipiendi formam ſubſtantialem, à qua materia eſt formabilis in ſpecie ſubſtātiæ prædicamentali; ſed hæc potentia proxima, vt materia tranſmutetur ab agente naturali, eſt per ſe ordinata ad terminum extrinſecum; præterquàm quod, hic ordo eſt ratio poſterior ratione priori adæquata materiæ, vt pluries probatum eſt; ex eo .n. quod materia per ſuam eſſentiam eſt receptiua formæ ſubſtantialis oritur tamquam ex prima radice adæquata, vt ſit tranſmutabilis ab agente; at ratio receptiui eſt intra eſſentiam materiæ.

Neque obſtat, ſi dicas; diſpoſitiones accidentales materiæ ad formā ſubſtantialem ſunt termini formaliter diuerſi; vnus enim eſt in genere ſubſtantię, & alius in genere accidentis; ex diſtinctione autem formali termini formalis diſtinguuntur, & diuerſificantur potentiæ proximæ formales.

Non inquam obſtat; nam diſpoſitiones materiales ordinant materiam ad formam ſubſtantialem recipiendam, quę eſt terminus formalis, & intrinſecus; potentia autem accidentalis proxima ordinat materiam ad agens potens tranſmutare, qui eſt terminus extrinſecus materiæ; neq; verum eſt, quod diſpoſitiones materiales, & forma ſubſtantialis ſunt diuerſi termini formaliter, ſed tantùm ſunt materialiter diuerſi; nam diſpoſitiones materiales ordinantur adæquatè ad formam ſubſtantialem, à qua ſpecificatur materia; materia enim non ſpecificatur à diſpoſitionibus, ſed à forma ſubſtantiali; potentia verò accidentalis, & proxima ordinat materiam ad terminum extrinſecum. Cæterùm, diuiſio, & multiplicatio formalis potentiæ, eſt ex diuiſione formali termini ſpecificatiui, & hæc eſt mens Ariſtotelis in locis ſupra citatis: & ne videamur dicta Ariſtotelis extorquere, argumentor ad hominem; Ariſt. *lib.* 1. *phyſ.* & expreſsè in *meta.*, materia, inquit, non eſt quid, nec quale, nec quantum; ſed potentia omnia hæc. Certè materia non habet potentiam eſſentialem ad accidens; quomodo ergo eſt potentia ad quantitatem, nulla alia ratio huius aſſignari poteſt, niſi quia materia prima dicit ordinem eſſentialem ad formam ſubſtātialem, vt ad terminum formalem, & adęquatum, ſcilicet ex eo quod eſt potentia ſubſtantia, eſt potentia etiam quantitas, qualitas, &c.

Obijcies vltimò: ex hac doctrina ſequitur hanc potentiam accidentalem, non eſſe proprietatem per ſe conuertibilem cū materia; ſed hoc, eſt contra rationem proprij accidentis, quod eſt prædicabile extra eſſentiam, ſed conuertibiliter de ſuo ſubiecto: ſequela probatur; quia materia prima non habet potentiam ad formam corruptā ſed ſolùm ad formam naturaliter introducibilem in materia: aſſumptum probatur; quia materia non poteſt ampliùs recipere formam ſemel corruptam, cum non detur regreſſus à priuatione ad habitum naturaliter; ergo cum corrumpitur forma ſubſtantialis, materia pręcedit potentiam proximam, quam habuit, vt tranſmutatetur ab agente naturali.

Ad hoc argumentum, qui tenent corruptum poſſe naturaliter reproduci, facilè reſpondent; ſemper enim potentiæ paſſiuę correſpondet actiua.

Alij concedentes, corruptum naturaliter reproduci non poſſe; reſpondent, & quidem ſubtiliter, ad huc materiam primā habere potentiam ad formam corruptam; idque probant eo diſcurſu, quod forma quæ corrupta eſt, dupliciter conſiderari poteſt, vel ſpecificatiuè, vel reduplicatiuè. Materia quidem habet potentiam recipiēdi formam corruptam, ſed non quatenus corrupta eſt, ſed quatenùs illa forma pro aliquo tempore naturaliter producibilis fuit.

Quæ quidem reſponſio mihi non diſpli-

plicet (quiquid alij in contrarium dicant) ſemper enim potentiæ paſſiuæ aſſignari debet ſuus terminus: ſed ne fugere videamur argumentum.

Reſpondeo primò, ad huc remanere potentiam ad formam corruptam, idque oſtendo hac ratione; radix, cur materia reſpiciat hanc, & illam formam, quam poteſt recipere ab agente naturali, & cur fluat hæc proprietas, oritur ex eo quod materia prima formabilis, eſt in ſpecie ſubſtantiæ prædicamentalis; vnde etiam ſi forma corrupta ſit: quia remanet proprietas reſpectu formarum naturaliter producibilium, remanet etiam reſpectu formæ corruptæ, & ſi quid deeſt materiæ, defectus eſt agentis, non potentiæ; poteſt hæc doctrina confirmari à priori; quia proprietas ſpecificatur à ſua radice.

Hęc reſponſio pati poteſt hanc inſtātiam, quia proprietas poteſt dupliciter cōſiderari; vno modo, vt proprietas formaliter; alio modo vt potentia, qua materia eſt formaliter apta ſubdi actioni agentis naturalis; ſicut. e. g. potentia viſiua in equo, & in homine, vt proprietates ſecundū aliquos, differunt ſpecie, vt potentiæ verò viſiuæ formaliter, ſunt vnius ſpeciei athomę; poſita diſtinctione, poteſt dicere aduerſarius, quod potentia hęc accidentalis, corrupta forma ſubſtantiali, remanet vt proprietas; ſed non vt potentia formaliter.

Sed hęc inſtantia facilè ſoluitur; nam hęc proprietas materię, etiam oritur ex eo, quod materia eſt formabilis in ſpecie ſubſtantię peædicamentalis, ergo remanente eadem radice, remanet, & ipſa potentia.

Reſpondeo ſecundò ad principale, remanere eandem potentiam proximam, vt potentiam formaliter; quoniam forma corrupta, non eſt terminus formalis prædictę potentialitatis, etiam vt inducibilis ab agente naturali; ſed eſt terminus materialis terminus formalis, qui eſt forma, vt perfectiua materiæ in ſpecie formaliter remanet; licèt aliquis terminus materialis corrumpatur; remanet enim terminus formalis: in alijs formis ſubſtantialis; ſicut non corrumpitur ſimilitudo formalis vnius albi ad plura coalba, ſi vnum ex coalbis corrūpatur; quia remanet terminus formalis in alijs coalbis non corruptis. In re noſtra, ſi corrumperētur omnes formæ ſubſtantiales, non remaneret in materia prima hæc potentia proxima accidentalis, quia deſineret intrinſecè materia prima, iuxta opinionem S. Thomæ aſſerentis materiam primam, non exiſtere niſi exiſtentia formę ſubſtantialis.

Reſponderi poteſt tertiò, quod cum corrumpitur vna forma ſubſtantialis, remanet potentia hæc accidentalis in materia ſub alia forma exiſtente, quantū ad ſubſtātiam; ſed non quantū ad modū naturalem; nam forma ſemel corrupta quoad ſubſtantiam ſemper eſt naturalis; quantum verò aq modum, non eſt naturaliter introducibilis ab agente.

## PVNCTVM SECVNDVM.

### An potentia receptiua, & potentia ſubſtentatiua, tàm formæ ſubſtantialis, quàm accidentalis, in materia prima ſint diuerſæ formaliter.

SVpponit hoc punctum, ſiuè quæſitum dari in materia prima potentiam, tum receptiuam, tum ſubſtentatiuam formæ ſubſtantialis, & accidentalis, & ratio ſuppoſiti eſt; quia materia prima eſt puriſſima potentia ad formam; cōtra diſtinguitur .n. ab actu formali informatiuo; ſed in hac potentia comprehenduntur, tum potentia ſubſtentatiua, tum receptiua formæ; minor probatur, quia intra latitudinem formalem formæ informatiuæ, datur forma independens in eſſe, & fieri à materia, qualis eſt anima rationalis, ſiuè intellectiua, & datur forma dependens in eſſe, & fieri à materia; prima eſt forma receptibilis tantummodo à materia; ſecunda verò eſt etiam ſubſtentabilis; ergo datur in materia potentia receptiua, & potentia ſubſtentatiua. Explicatur doctrina; duplex eſt dependentia, & indigentia in formis informatiuis; altera eſt in imperfectione eſſētiæ, & exiſtentię formæ fundata; altera verò in entitate non dicente omnem perfectionem, v. g. forma caloris, eſt imperfecta in ſua eſſentia; & exiſtentia; quia eſt eſſentialiter forma accidentalis; ac proinde huiuſmodi forma requirit præter concurſum, quo dependet ab agente, concurſum ſubſtentatiuum materiæ, à quo ſuppletur eius indigentia, & imperfectio in eſſe, & fieri, quia verò calor non eſt tota perfectio calidi requirit compartem, per cuius conſortium fit calidum; totum hoc, quod reperitur, in forma accidentali reperītur pro-

proportione in forma substantiali; etenim ea si corruptibilis est, siuè materialis, habet essentiam, & existentiam sibi insufficientẽ ad existendum sinè concursu materiæ, & ideò supplebile mà concursu substentatiuo materiæ; & eadem, quia non est tota substantia compositi physici, requirit compartem, cui vniatur, vt perfectiuum suo perfectibili, vt inde resultet totum compositum substantiale, in qua compositione si forma sit immaterialis, & spiritualis, materia se habet præcisè, vt receptiuum formæ; vnitur enim materia formæ rationali, vt subiectum, non quidem substentans illam, sed componens cum illa: cæterum, si forma sit materialis, materia vnitur ei, & vt subiectum substentans illam, & vt componens cum illa vnum per se. Ex duplici hac dependentia, & independentia formæ in esse, & fieri, oritur, vt forma spiritualis, non est educibilis ex materia, siuè ex potentia materiæ; sed completur in esse, & fieri solùm concursu causæ efficientis; forma verò materialis substantialis educitur è potentia suæ materiæ, nimirum, fit dependenter à concursu materiæ, in fieri, & esse, quod manifestum est in forma accidentali: huius enim essentia, & existentia adeò imperfectæ sunt, vt nõ solùm dicant esse ens dependens ab alio in genere causæ efficientis, sed etiam dependens in esse, & fieri à concursu causę materialis, & ideò dicitur ab Alensi, accidens non habere esse in se fixum, sed inclinatum in subiectum.

Circa hoc vna difficultas est explicãda, quę nõ est ita facilis, quid nimirũ sit, educi de potẽtia subiecti, nimirũ fieri, & esse depẽdẽter à subiecto; & ratio difficultatis est; quia quicquid affertur, resoluitur in hoc antecedens; quod forma materialis, siuè accidentàlis, non producitur, nisi in subiecto; quod antecedens, aut nihil probat, aut petit principium; si enim fieri in subiecto, est substentari ab illo, est petitio principii, si verò est fieri, nõ separatim, sed coniunctim cum subiecto, antecedens nihil probat; quia anima rationalis, non creatur à Deo extra subiectum, & tamen non substentatur a subiecto: quia est completa in esse per solũ concursum causæ efficientis. Veritas hæc ostendi potest primò à posteriori, quia anima intellectiua habet operationem independentẽ à materia, vt intellectionem, & volitionem: quoniam istæ duæ operationes sunt intelligibilis, & volibilis vt sic; istæ verò operationes sunt independentes à materia, vt latius dicetur suo loco; formę verò materiales, etiam viuentium, habent operationes dependenter a materia indiuiduali; quia habet sensationes varias: sensus autem sunt singularium formaliter. Secundò probatur a priori, quia forma informatiua materialis, contradiuiditur à forma spirituali, informatiua essentialiter, & consequentur specificè; sed hęc contradistinctio essentialis ex eo adæquatè est; quia forma materialis, est essentialiter indigens concursu mãteriæ in fieri, & esse: probatur hoc; quia illa est ratio formalis constitutiua, qua sola posita res ponitur essentialiter, & qua sola remota, res non ponitur essentialiter; sed hac sola formalitate posita in forma materiali, adęquatè ponitur forma materialis essentialiter; hac ratione enim animal rationale sunt prędicata essentialia naturæ humanæ, quia his solis positis ponitur homo. Maior huius discursus probatur; quia forma substantialis informatiua diuisibilis est in formam informatiuam materialem, & formam informatiuam spiritualem; quia forma substantialis informatiua vt sic, præscindit ab vtraque formaliter.

Neque primò obstat, quod suprà dictum est, quod quicquid affertur ad probandum hanc doctrinam, resoluitur in hoc antecedens, quod forma non producitur, nisi in subiecto, quod antecedens, aut nihil probat, aut petit principiũ; etenim aliud est produci in subiecto, aliud est produci dependenter à concursu subiecti, anima enim rationalis creatur in materia vltimò disposita, sed non educitur de potentia materiæ, quia est immaterialis, neque hoc petit principium, quia huius assignatur ratio.

Neque secundò obstat, si dicatur; si forma substantialis materialis fieret dependenter à concursu subiecti, non differret à forma accidentali; hæc enim adhuc fit dependenter à concursu substentatiuo subiecti.

Non inquam obstat; quia alio, & alio modo formaliter dependet in fieri accidens à concursu substentatiuo materię, & forma substantialis materialis; profectò hanc difficultatem ex professo exagitatam non reperio, ea tamen resolui potest metaphysicè iuxta duplicem opinionem de natura accidentis.

Prima est hæc, nonnulli magni nominis Philosophi voluerunt, accidentia existere existentia substantiæ, ex qua doctrina potest ostendi apertè, in quo differat esse in subiecto substantiali ab inhærere acci-

cidentis; quia, nimirum, forma substantialis habet suam propriam existentiam; accidens verò illam non habet; & huius opinionis illud est fundamentum præcipuum; quia accidens est essentialiter, entis ens. Addi potest, quia aliter non posset assignari differentia, vnius, & alterius generis inexistentiæ.

Sed hæc opinio veritatem non continet; primò quia accidētia in SS. Sacramēto existunt sine existentia substantiæ creatæ, à qua fuerunt separata per conuersionem substantialem sacramentalem; at si existerent accidentia existentia substantiæ, non possent existere extra substātiam; quia existerent sine existentia, quod implicat in terminis. Secundò; quia forma accidentalis in suo genere est actus formalis: sed omnis actus formalis, est prima radix suæ proprię existentiæ, vt supra ex parte demōstratum est.

Secunda opinio est, differre formam substantialem materialem à forma accidētali in existendo per dependentiam à subiecto sustentante, quia forma substantialis essentialiter indiget subiecto sustentatiuo eiusdem generis; forma verò accidentalis essentialiter quidem indiget subiecto diuersi generis; & hæc opinio vera est, & conformis principijs Sancti Thomæ; quandoquidem accidens, est essentialiter imperfectum in suo genere; substantia verò est ens perfectum in suo genere, vnde inhęrere, siuè esse in subiecto inhęsionis, quod est proprium accidentis, non aliud in suo formali significat, nisi esse in subiecto diuersi generis, quod nullo modo potest competere formæ substantiali; quia hęc sustentatur à à subiecto eiusdem generis, & à pura potētia in genere entis.

Quod si dicas, ex hoc sequi, accidens posse existere existentia substantiæ, quod supra negatum est: probatur sequela; quoniam accidens essentialiter indiget in existendo, subiecto diuersi generis; sed hoc satis est, vt existat existentia substantiæ; quia saluat proportionem existibilis, & existentiæ.

Respondeo nego sequelam: quia existentia fluit à forma, non à subiecto, quod est potentia; at forma accidentalis est quidem actus formalis; ergo debet existere existentia, quæ ab ipsa emanat; quia verò existentia accidentis est essentialiter imperfecta, non quidem imperfectione potentiæ; sed imperfectione actus, indiget in existendo subiecto diuersi generis.

His explicatis, inquiritur, an potentia receptiua formæ, & potentia sustentatiua, sint potentiæ diuersæ formaliter, siuè essentialiter; nomine potentiæ receptiuæ intelligitur potentia, qua materia prima vnibilis est formæ, vt perfectibile suo perfectiuo in specie; nomine verò potentiæ sustentatiuæ, intelligitur, & significatur potentia, qua materia vnitur quidem formæ insufficienti in existendo ex suis intrinsecis, vnione sustentatiui ad sustentabile: in horum terminorum explicatione, omnes Metaphysici conuenire debemus; sed difficultas est in explicando an istæ potentiæ, & receptiua, & sustentatiua in materia prima, sint inter se diuersæ essentialiter; an tantùm materialiter. Quæsitum hoc valdè metaphysicum est; de eo autem duæ sunt contrariæ opiniones.

Prima opinio, est quorundam Metaphysicorum magni nominis, qui dicunt potentiam receptiuam, & potentiam sustētatiuam, esse vnam, & eandem potentiam formaliter, differentem solùm materialiter.

Primum fundamentum est; dicunt .n. quod materia prima, quatenùs est vnibilis formæ spirituali, siuè quatenùs est receptiua formæ spiritualis, quæ est independens in esse, & fieri à concursu materiæ, & solùm indiget materia ad faciendum vnum per se, dicitur potentia purè receptiua; eadem verò, quatenus est receptiua formę materialis, siuè formę dependentis in fieri, & esse à concursu materiæ, dicitur potentia sustentatiua materialis, hæc diuersitas inquiunt, non distinguit in materia formaliter, & essentialiter potentiam receptiuam à potentia sustentatiua materię; quia est diuersitas in actu materialiter considerato; non autem considerato formaliter; distinctio verò formalis potentiæ est ex distinctione formali actus formalis, sicut distinctio formalis, siuè specifica potentiæ actiuę, est ex diuisione formali sui obiecti formalis; omnes formæ substantiales differunt inter se materialiter sub ratione actus formalis dantis speciem.

Secundùm fundamentum præcipuum eorundem est; quia potentia sustentatiua in materia considerata formaliter, est popotentia, qua materia est causatiua formę substantialis materialis; sed materia non est huius formæ causatiua, nisi per potentiam formaliter receptiuam; ergo potentia substentatiua materiæ est formaliter receptiua; ergo eadem est formaliter potentia sustentatiua, quod potentia receptiua formaliter. Neque valet si dicas, quod hic est sermo de potentia purè receptiua, non

autem

autem de potentia receptiua impura; nam statim dicent auctores opinionis, quod hęc puritas, non est in materia, sed in forma substantiali spirituali, quæ dicitur purè receptibilis, quia non indiget ex suis intrinsecis in esse, & fieri, concursu materiæ; nam insufficientia, & sufficientia in esse, & fieri, sunt differentię materiales formæ, vt dantis speciem materiæ.

Minor principalis argumenti, in qua est difficultas, probatur à priori; materia secundùm potentiam naturalem (quicquid sit de obedientiali) non est apta causare aliquam formam, nisi in genere causę materialis, alioquin non distingueretur à causis aliorum generum; ergo non est apta causare, nisi recipiendo per suam potentiam, formam substantialem; ergo materia non est dictæ formæ causatiua, nisi per potentiam formaliter receptiuam.

Tertium fundamentum est; quia potentia substentatiua est formaliter receptiua influxus, quo substentat formam materialem; ergò verè est potentia receptiua formaliter. Antecedens probatur, tum à priori: quia potentia materiæ substentatiua, non est causatiua alicuius influxus, nisi in genere causæ materialis, & subiectiuæ; atque adeo receptiuæ; tum, quia dicta potentia non transmittit influxum in formam, vt in ipsam recipiendam; ergo illum recipit in se immediatè; ergo est formaliter potentia receptiua. Antecedens probatur; quia si transmittit; ergo materia per eam potentiam se habet, vt id, à quo verè, & realiter egreditur influxus ille in formam; ergo materia est vera causa efficiens illius influxus, & formæ; causa enim efficiens est id, à quo æqualiter procedit influxus in effectum, & ipse effectus.

Neque dicas materiam, non esse causā efficientem, eo quod non influit nisi in formam sibi vnitam, quod non requirit causa efficiens; nam,

Contra est; quia saltem hinc sequitur materiam esse causam efficientem immanenter, atque adeò simul efficientem, & materialem; nam causa efficiens, siuè operans immanenter illa est, à qua realiter procedit effectus in ea receptus, vt patet de intellectu, & voluntate creatis; in casu verò nostro sic se habet materia; ergo sequitur, materiam esse speciem causæ efficientis; sicut enim actio diuiditur in duas species, scilicet, in immanentem, & transeuntem, quia præscindit ab vtraque formaliter; ita causa agens, siuè efficiens diuiditur in duas species sibi subiectas, nempè, in causam efficientem immanenter; quæ simul est efficiens, & materialis, seù recipiens; & in causam efficientem, siuè operantem transeunter, quæ est purè efficiens; ipsa verò causa efficiens abstrahit ab vtraque; dicere autem, quod materia sit vera causa efficiens, est implicans in terminis; quia materia prima essentialiter, est pura potentia formalis.

Secunda opinio est, potentiam receptiuam, & potentiam substentatiuam materialem, esse potentias essentialiter, & formaliter diuersas; idque verò non eodē modo explicant, vt dicetur sequentibus conclusionibus, in quibus plenè resoluetur quæsitum.

Conclusio prima; potentia receptiua formaliter, & potentia substentatiua formæ substantialis materialis in materia prima, sunt potentiæ diuersæ formaliter, & in recto inter se. Conclusio valdo controuersa est; est enim contra auctores primæ sententiæ, qui dicunt prædictas potentias formaliter, & in recto esse vnam, & eandem potentiam receptiuam formaliter, quę distinguitur, & diuiditur in potentiam receptiuam, & in potentiam substentatiuā, per differentias materiales formæ substantialis, sicut differt potentia visiua nigri, & potentia visiua albi, quæ sunt obiecta materialia obiecti formalis potentiæ visiuæ: pariter, inquiunt, forma, vt receptibilis, cui correspondet potentia receptiua materiæ; & forma, vt substentabilis, cui correspōdet potentia substentatiua in materia, sunt differentiæ materiales materiæ, .f. sustentabile, & purè receptibile, sub ratione actus formalis substantialis; quoniam forma substantialis est receptibilis formaliter, quia est perfectiua materiæ in specie: est verò substentabilis, quia dependet in fieri, & esse à materia, vt à causa materiali ex qua; istæ verò duę formalitates sunt actus differentes materialiter sub ratione actus substantialis formalis, sicut albedo, & nigredo sub ratione formali coloris, siuè visibilis, quod est obiectum formale potentiæ visiuæ.

Fundamentum præcipuum conclusionis est; quoniam potentia, vt receptiua formaliter, est formaliter ratio perfectibilis, & determinabilis in specie ab actu formali; potentia verò substentatiua in materia est ratio perfectiua formæ in fieri, & esse; sed ratio perfectibilis, & perfectiui, sunt rationes diuersæ formaliter; ergo prędictæ duæ potentiæ in materia prima sunt potētiæ diuersæ formaliter; præscindendo

nunc à quæstione, an dictæ potentiæ sint ambæ essentiales materiæ, & an sint rationes adæquatæ distinctę in materia. Maior est clara ex terminis; nomine enim potentiæ receptiuæ formaliter intelligimus omnes materiam, quatenus est formabilis, & perfectibilis ab actu formali, quæ in materia dicit intrinsecè potentialitatē, & indeterminationem in specie; dicit enim materiam, quatenùs est in potentia ad quãlibet speciem; nomine verò potentiæ substentatiuæ materialis, intelligitur materia, quatenùs complens, vt terminus materialis, indigentiam formæ in fieri, & in esse; ex his duabus potentijs, materia prima in toto ex materia, & forma spirituali, exercet potentiam receptiuam tantummodò circa formam spiritualem; in toto, verò ex materia, & forma materiali, exercet vtramque potentiam; non solùm enim materia perficitur, & determinatur in specie à forma materiali; sed etiam illam substentat in fieri, & esse, tanquam causa materialis ex qua; forma enim materialis essentialiter dependet in fieri, & esse à concursu materiæ in genere causæ materialis. Minor verò principalis argumenti probatur, primò; quia perfectibilitas in specie, dicit intrinsecam indigentiam, & dependentiam materiæ à forma; perfectiuitas autem materialis inuoluit essentialiter independentiam in genere causæ materialis à forma à se dependente in eodem genere; istæ autem duæ rationes sunt diuersæ formaliter: quia sunt rationes positiuè contrariæ, & oppositæ: Secundò, quia distinctio formalis potentiæ sumitur ex distinctione formali actus formalis: sed recipere formaliter, & substentare formaliter, sunt actus diuersi formaliter; tum quia recipere, est perfici formaliter: substentare verò est perficere, & complere indigentiam formæ in fieri, et esse: tum, etiam quia perfectibilitas in specie, dicit intrinsecam habitudinem posterioris ad suum prius formale, à quo dependet: perfectiuitas verò in genere causæ materialis, dicit intrinsecam habitudinē prioris ad suum posterius à se dependens, forma enim materialis, dicitur substentabilis ex suis intrinsecis; quia in fieri, et esse essentialiter indiget concursu materiæ.

Doctrina hanc (quæ etiam valde necessaria est, ad explicandum misterium SS. Incarnationis, vt suo loco explicabitur) impugnant auctores contrariæ sententiæ, hoc medio, materia prima substentat formam materialem in genere causæ materialis; non enim potest exercere aliam causalitatem, nisi intra suum genus, cum causalitas sit exercitium virtutis causatiuę; sed causa materialis formaliter est receptiua; contradistinguitur enim a causa agente, & formali; sed istę duę causæ causant dando esse, quælibet in suo genere causæ; ergo ex opposito materia prima causat recipiendo esse a cæteris causis in suis generibus; ergo materia prima substentat formam materialem recipiendo in se nō solū formam materialem; sed etiam influxum, quo forma materialis causatur ab agente naturali dependenter a concursu materiæ; ergo potentia substentatiua materiæ est formaliter, & in recto receptiua. Hoc argumentum est Achilles contrariorum; sed distinctione facilè soluitur.

Respondeo distinguo maiorem; materia prima substentat formam materialē in genere causæ materialis substentatiuæ, & concedo: in genere causæ materialis receptiuæ, & nego. Ratio distinctionis est: quia causa materialis comprehendit in se, non solùm vim receptiuam; sed etiam vim substentatiuam in suo genere, sicut homo comprehendit in se animal, & rationale, & ostenditur hoc; quandoquidem materia prima est prima causa materialis, quatenùs est primum, ex quo fit aliquid per se, cum in sit; hoc autem comprehendit in se non solùm potentiam receptiuam, sed etiam potentiam substentatiuam materialiter, quia non solùm est essentialiter perfectibile, & formabile in specie; sed etiam est perfectiua formę materialis. Ad minorem respondeo distinguēdo illam; causa materialis inadæquatè formaliter est receptiua, & concedo; adæquatè est receptiua, & nego: ergo materia prima substentat formaliter recipiendo: nego consequentiam, quia potentia substentatiua est ratio inadęquata causæ materialis: argumentum tunc vim haberet, quando causa materialis adęquatè esset receptiua.

Quod si dicas: materia prima recipiēdo formam substantialem illam substentat suo concursu; substentat enim formam materialem præbendo eis seipsam, illam in se recipiendo; at hoc est formaliter recipere formam indigentem concursu materię in esse: ergo &c.

Respondeo, distinguo maiorem: materia prima recipiendo formam substantialem materialem in sensu identico, siuè specificatiuo, aut materiali, substentat illam, concedo: in sensu formali, & reduplicatiuo, et ne-

& nego: quia recipere formaliter, et sustentare formaliter, sunt actus diuersi formaliter; recipere enim, dicit in recipiente dependentiam à recepto; sustentare verò è conuerso, dicit independentiam termini à sustentato, vel, vt loquitur Scotus recipere, dicit ordinem posterioris ad suum prius; sustentare verò, dicit ordinem prioris ad suum posterius. Sine dubio illa ipsa materia, quæ recipit formam substantialem materialem, eandem sustentat: sed diuersa ratione formali; materia enim recipit in quantum est perfectibilis, & determinabilis in specie; sustentat verò inquantum est perfectiua, & completiua indigentiæ formæ, vt terminus, materialis modo, quo supra explicauimus.

Respōdent aliqui ad principale argumētū distinguendo maiorē, qua dicitur, quod materia prima sustentat formam, illam recipiendo; dicunt enim; quod materia dupliciter potest recipere formam, nimirùm, formaliter, & materialiter: recipere formā formaliter significat: materiam perfici formaliter à forma; recipere verò materialiter non aliud significat, nisi illam materiam, quæ secundùm vnam rationem complet indigentiam formę; secundùm aliā rationē formalem inadæquatam perficitur formaliter.

Neque dicas sustentare, & recipere in materia sunt differentię materiales; quia specificantur à formis, secundū differentias eorum materiales; quoniam, non solùm sustentatio, sed etiam receptio formæ substantialis materialis sunt ad faciendū vnum per se; vnum autem per se necessariò prærequirit proportionem formalem materię, & formæ, vel scilicet, quia materia est perfectibilis, & formabilis à forma, vel quia materia est terminus complens indigentiam formæ in esse, quę est vis quędam sustentatiua, et terminatiua in materia: cæterum materia, vt habens formā præcisè, non est vnum per se.

Nam contra est; quia dependere, et esse independens, sunt differentiæ formaliter diuersæ.

Possum tertiò ęquidem respondere, quod materia prima sustentat formam substantialem vnione termini; eadem verò materia recipit formaliter eandem formam vnione compositionis; pariter materia causat formam materialem in genere causæ materialis terminatiuæ, quia causat formā materialem, quatenùs est terminus materialis complens indigentiam formæ in esse: non autem causat formam materialem, vt causa materialis perfectibilis, siuè formabilis in specie.

Dicet ingeniosus aliquis, quod vnio termini, est vnio secundùm esse, vel existentię, vel subsistentiæ; hac enim ratione vnio hypostatica, dicitur vnio termini; at vnio materiæ cum forma, siuę, vt sustentabilis, siuè, vt receptibilis, est vnio secundùm essentiam, siuè naturam; ergo &c.

Respondeo nego maiorem; etenim vnio termini intrinseci in generali, & est vnio sustentabilis cū suo sustentatiuo intrinseco; siuè termini, & terminabilis, hæc autem vnio præscindit ab vnione termini substātialis, & ab vnione termini essentialis, vt in sequenti obiectione fusè explicabitur.

Obijcies primò: materia prima per eundem modum vnionis, per quem vnitur formæ ad componendum compositum, vnitur, etiam ad sustentandam in se formam materialem; at si in materia prima distingueretur formaliter, siuè essentialiter, potentia receptiua à potentia sustentatiua materiali, non esset idem modus vnionis, per quam materia vnitur formę, vt perfectiuæ, & vt sustentabili; ergo prædictæ potentię non sunt diuersę formaliter. Minor probatur; quia vnio diuersificatur formaliter ex diuersitate formali vnibilis; est enim exercitium actuale vnibilis in suo genere. Maior verò, in qua est difficultas, probatur; primò; quia non est necessarius alius modus, quo partes vniantur ad componendum totum, nisi is, quo vniuntur, vt materia sustentet formam, & quo forma sustentetur in materia, idque probatur; quia hac ratione fit vna essentia ex materia, & forma materiali. Secundò probatur, quia optimè fit vnū, per se in ratione essentiæ ex eo formaliter, & pręcisè, quia forma vnitur materiæ cum dependentia in fieri, & esse, & materia vnitur formæ, vt sustentabili in esse, & fieri: tum quia in materia est vis sustētatiua, & in forma materiali est vis sustentabilis, tū quia materia est potentia essentialiter; forma verò est actus formalis, sed ad hoc sufficit tantum vnica vnio essentialis; quia est ad vnum formaliter causandum; ergo vnica vnio erit sufficiens, vt materia sustentet formam, & forma materialis sustentetur à materia.

Neque obstat, si dicas, potentiam formalem, & actum formalem esse differētias formaliter, & contrariè oppositas; quia ad vnitatem vnionis, solùm requiritur in partibus conuenientia ad faciendum vnum formaliter, præsertim in opinione S. Thomæ asserentis ex materia, & forma

fieri vnum per se distinctum realiter à collectiuo partium.

Respondeo nego maiorem; quoniam alia est vnio termini essentialis. f. substentatiui, & sustentabilis substantialiter, & alia vnio materiæ, vt receptiuæ cum forma, vt receptibili: prima afficit intrinsecè, tam materiam, quàm formam; vnio autem materiæ, vt substentatiuæ, cum forma materiali, vt substentabili, est vnio termini materialis afficiens vnum tantùm extremum; dicit enim formaliter hæc vnio independentiam materię à forma materiali à se dependente in esse, & fieri, vt à termino materiali complente indigentiam formæ in existendo in esse, & fieri; quandoquidem, vt sæpè repetiuimus, forma spiritualis, vt anima rationalis in fieri, & esse completur solùm concursu causæ creatiuę; forma verò substantialis materialis indiget intrinsecè in fieri, & in esse, non solū concursu causæ effectiuæ, sed etiam concursu causæ materialis; vnio termini afficit solùm vnum extremum componens, nempè extremum dependens, & posterius, quod est extremum substentabile, quod explicari solet aliis terminis: in vtraque vnione ad componendum vnum per se, vtrumque componens præbet seipsum per intrinsecam vnionem, sed differenter in vnione perficitur vtrumque extremum; secùs verò contingat in sustentatione, quæ est vnio termini; nā in substentatione vtrumque extremum componens prębet seipsum; sed vnione solùm afficitur extremum substentabile; quia afficientia intrinseca supponit perfectibilitatem, & indigentiam, quæ est in extremo substentabili. Quod vnio termini sit diuersa ab vnione receptionis inter materiam, & formam substantialem potest etiam ostendi hoc alio medio; quia non apparet, quo pacto Deus stante vnione essentiali materiæ cum forma, vt informatiua, non possit per se ipsum concurrere ad substentandam formam materialem dissolutione cōpositi non cōsequente, quod vtiq; appareret, si vna, & eadē esset formaliter vnio receptionis, & vnio termini.

Neque satisfaciunt aduersarij, si dicāt, quod si Deus substentaret formam materialem, corrumperetur prior vnio, itaut, si vellet Deus formam informare materiam, deberet producere aliam vnionem, quæ esset vnio informatiua, & compositionis.

Nam hæc responsio, nisi fallor, conficta est ad fugam, non ad solutionem argumenti: etenim si dependentia formæ à materia, tamquam à substentante, non est dependentia totius essentialis à sua caussa, quæ ratio est, cur dici non possit, salua dependentia essentiali vnionis informatiuę tolli per se dependentiam substentationis; ergo si Deus substentaret formam materialem, non corrumperetur prior vnio, quę est per receptionem formalem formæ in materia.

Neque secundò dicas, quod substentatiuum, vt fiat substentans debet habere in actu secundo substentationem, tamquā sibi propriam causalitatem; ergo terminus debet habere aliquem influxum; sed influxus est in causa influente; ergo vnio termini, quę est inter materiam, vt substentatiuam, & formam, vt substentabilem afficit etiam intrinsecè materiam, vt substentatiuam formæ; ergo huiusmodi vnio materiæ, vt substentatiuæ cum forma, vt substentabili, erit eadem formaliter, quod vnio receptionis; nam ratio distinguens istas duas vniones, siuè compositiones, est quia vnio compositionis afficit intrinsecè, vtrumque extremum componens; vnio verò termini afficit tantùm vnum extremum, nempè extremum substentabile.

Quando quidem si hoc argumentum vim haberet ostenderet, impossibilem esse vnionem termini substantialis naturæ humanæ cum persona Verbi Diuini in Christo Domino, quod est contra fidem catholicam, quod etiam ostenditur ratione à priori soluendo argumentum.

Respondeo, nego maiorem, substentatiuum enim dicit independentiam à se dependente, vt à termino; dependentia autem est in dependente, & in posteriore, non autem in priore, & in termino.

Obijcies secundò impossibile est, quod fiat vnum per se, in ratione essentiæ tamqua ex materia, & forma, nisi forma actu perficiat subiectum, siuè materiam; sed ex materia, vt substentatiua, & forma materiali, vt substentabili fit vnum per se in ratione essentiæ, siuè naturæ; ergo &c. Maior probatur, quia teste Aristotele ex materia, & forma substantiali fit vnum per se; quia materia est per se potentia formalis, forma verò est per se actus formalis.

Respondeo totum ex materia, & forma substantiali materiali fit vnum per se duplici ratione; primò est vnum per se in ratione naturæ vnione essentiali receptionis; Secundò est vnum per se in ratione essentiæ vnione termini essentialis, ex forma enim, & termino per se materiali, nimirum ex forma, vt substentabili, & ex materia, vt substentatiua, fit vnum per se in

in

in ratione naturæ, siuè essentiæ vnione substentatiua, & probatur; nam ad hoc satis est, vt forma sit substentabilis in esse essentiæ intrinsecè à materia, vt substentatiua; hæc autem vnio termini essentialis afficit tantùm formam materialem intrinsecè, sicut vnio termini substantialis Personæ Filij Dei, cum natura humana creata, afficit intrinsecè tantummodo naturam humanam, quod non potentes nonnulli intelligere, passi sunt insuperabilē difficultatem; si ergo potest fieri verè vnitum vnione existente in vno tantum extremo, cur aliud extremum non potest vniri materiæ, forma non pertingente subiectum.

Instabis: vnio essentialis in ratione substentabilis, & substentatiui ex parte vtriusque vnibilis; ergo est intrinseca similiter ex parte vtriusque; ergo hæc vnio termini essentialis afficit vtrumque extremū intrinsicè. Confirmatur quia materia vt substentatiua, & forma materialis, vt substentabilis, vt substentabilis, vniuntur tamquam partes componentes vnum essentiale; sed partes componentes, ambæ intrinsicè afficiuntur per vnionem; quia componentia sunt semientia; at semiens habet intrinsecè perfectibilitatem, vbi autem est perfectibilitas, est depēdētia, & potētialitas.

Respondeo, quod tam in antecedenti, quam in consequente termini patiuntur equiuocationem, & quidem primò antecedens duplicem potest habere sensum; primus est, quod vnio essentialis est ex parte vtriusque extremi; quia afficit intrinsecè vtrumque extremum, & hic sensus vniuersaliter est falsus; quia vnio essentialis afficiens intrinsecè vtrumque extremum, est vnio receptionis, non autem vnio termini essentialis materialis, de qua nos loquimur; at vnio essentialis pręscindit ab vnione receptionis, & ab vnione termini: secundus sensus est; quod vnio essentialis est ex parte vtriusque vnibilis; quia vnit vnum extremum cum alio, & hic sensus verus est; sed inde non rectè infertur, quod vnio afficiat vtrumque extremum; quia vnio termini, solum intrinsecè afficit, hoc est perficit vnum tantum vnibile, quod est extremum substentabile, siuè terminabile ab alio: & ratio à priori est quia vnio termini siuè substantialis, siuè essentialis, non dicit aliud nisi dependentiam intrinsecā extremi substentabilis ab extremo substentatiuo; dependentia autem intrinsecè afficit, idest, perficit tantùm extremum substentabile in esse suo intrinseco, siuè quidditatiuo siuè existentiali.

Quod si dicas ex hac doctrina sequi, naturam humanam in Christo Domino, saltem de possibili, posse vniri vnione naturæ, siuè essentiæ cum Verbo Diuino, quod ab omnibus Theologis negandum est; probatur sequela; quia si aliquid obesset, hoc illud erit; quia vnio in ratione naturæ, siuè essentiæ, afficit vtrumque vnibile; sed hoc impedimentum non esset, si natura humana vniretur Verbo Diuino in natura vnione essentiali termini, sicut materia vnitur formę substentabili; quia hæc vnio, vt dixi, est vnio termini materialis essentialis, non vnio receptionis.

Respondeo nego sequelam, & assigno disparitatem inter vnionem termini, qua natura humana in Christo Domino vnitur personę filij Dei, & inter vnionem, qua materia prima vnitur formæ substentabili; quoniam vnio materiæ primæ cum forma substentabili, est essentialiter permixta vnione receptionis essentialis: & probatur, quia materia prima non solùm substentat formam substantialem materialem, sed etiam illam recipit, nec potest illam substentare, nisi eam recipiat; receptiuum autem semper inuoluit perfectibilitatem, ac proindè hæc vnio omninò contradicit naturæ Verbi diuini; cæterùm vnio naturę humanæ cum Verbo diuino est tantùm vnio substantialis, quę afficit intrinsicè tantumodo naturam humanam substentabilē, solùm enim dicit intrinsecam dependentiā humanitatis à personalitate Verbi Diuini.

Neque huic responsioni obstat, si obiicias, quod nos supra asseruimus, nempè, posse materiam primam recipere formam materialem, substentante Deo in genere causæ efficientis eandem formam materialem, nimirum, supplente Deo in genere causæ efficientis cōcursū receptiuū; sicut .n. potest Deus supplere concursū substētatiuū materiæ, ita etiā poterit supplere in genere causę efficientis concursum receptiuum.

Respondeo enim hanc doctrinam allatam esse à nobis ad probandam distinctionem inter vnionem substentatiuam, & vnionem receptiuam, non autem ad probandū posse Deum concursu effectiuo supplere concursum receptiuum materiæ; primum possibile est absolutè; secundum verò est omninò impossibile: quia primum præscindit ab imperfectione; secundum verò inuoluit essentialiter imperfectionem; & ratio disparitatis est; quia vnio substentatiua est vnio termini, quia est vnio substētantis, cum suo substentabili; vnio verò receptionis, est vnio intrinseca partium com-

componentium, quæ afficit intrinsecè vtrumque extremum, sed de hoc pleniùs tractabitur, cum sermo erit de vnione hypostatica cum Verbo Diuino.

Secunda conclusio: potentia receptiua, & substentatiua in materia prima sunt rationes diuersæ inadæquatę. Explicatur conclusio dupliciter intelligi potest, materiam primam esse potentiam substentatiuã, & potentiam receptiuam formę materialis; vno modo adæquatè, alio modo inadæquatè; primum omninò implicat, nimirum materiam primam esse adæquatè receptiuam, & adęquatè substentatiuam; Secundum verò nullam inuoluit contradictionẽ; quia, vt sæpe repetiuimus, contradictio est secundùm idem; si ponatur materia adæquatè receptiua, & adæquatè substentatiua, sine dubio materia erit secundùm idem formaliter receptiua, & non receptiua: verùm si ponatur inadæquatè receptiua, & inadæquatè substentatiua, nulla est contradictio; quia non sunt secũdùm idem formaliter, sicut ex eo, quod homo est inadæquatè animal, & inadæquatè rationale, non est secundùm idem formaliter homo rationalis, & animal: eodem modo diximus, Theologiam Sacram esse inadæquatè practicam, & inadæquatè speculatiuam, non verò adæquatè; quia secundùm idem esset practica, & non practica, quæ est manifesta contradictio. Hęc explicatio manifestè indicat, materiam primam de possibili esse inadæquatè receptiuam, & inadæquatè substentatiuam; quia nulla est contradictio, cum non sit secundùm idem; in conclusione autem asserimus de facto materiam primam esse inadæquatè receptiuam, & inadæquatè substẽtatiuam, & istas duas potentias esse actu distinctas; sed, vt rationes inadæquatas, constituentes materiam primam,

Probatur: eadem materia prima substentat formam substantialem materialem in fieri, & esse, & eandem formaliter recipit; etenim forma substantialis materialis non fit, nisi dependenter à concursu materiæ, & materia formaliter perficitur, & ponitur in specie ab eadem forma; hoc autem non est possibile, nisi ponatur materia de facto inadæquatè receptiua, & inadequatè substentatiua eiusdem formæ; sed istæ duæ rationes formales, sunt in re actu distinctæ; ergo prædictæ duæ potentiæ distinguuntur, vt rationes inadæquatæ actu inter se in materia. Minor probatur: quia sunt potentię diuersæ, & probatur; quia distinctio actualis, & formalis potentiæ, est ex distinctione formali, & actuali actuum; sed actus harum potentiarum sunt actu, & formaliter inter se distincti: quia actus potentiæ substentatiuæ, est vnio termini essentialis materialis; actus verò potentiæ vt receptiuæ, est vnio receptionis essentialis partium ambarum essentialium; istæ verò duæ vniones sunt actu inter se distinctæ.

Quęres, vtra harũ potentiarũ est prior. Quæsitum hoc resoluetur in tertio puncto, quod remanet explicandum.

## PVNCTVM TERTIVM.

### Vtrum ex prædictis potentijs, vna sit prior alia.

AD hoc punctum reducitur aliud persimile quæsitum, an potentia essentialis materiæ ad formam essentialem, sit prior potentia eiusdem materię ad existentiam, siuè ad esse, & vtrumque punctum controuerti potest, & quidem quantum ad primùm.

Possunt aliqui dicere, potẽtiam receptiuam essentialem materiæ esse priorem, vt rationem adæquatam potentia substentatiua eiusdem, sicut animal rationale est prior, quàm sit risibilitas in homine, & potentia receptiua formæ substantialis est prior potentia, qua materia est formaliter apta subdi actioni agentis: & fundamentũ esse potest; quia adęquata quidditas, siuè essentia materiæ, est qua sola posita ponitur materia, & qua sola remota non ponitur materia; sed posita prima potentia receptiua formę substantialis ponitur materia; ista autem sola remota, aufertur statim materia essentialiter; ergo potentia receptiua pręcisè formę substantialis est essentia adęquata materiæ primæ.

Contrarium autem dicendum est; nã supra ostendimus, potentiam receptiuam, & potentiam substentatiuam formæ substantialis, constituere essentialitr, materiam primam, sicut animal, & rationale constituunt essentialiter essentiam hominis; & principium volitiuum, & intellectiuum adequatè constituunt viuens supremum, quorum vno remoto, non habetur adæquatè, & essẽtialiter homo, nec viuẽs supremũ si ab eo remouatur principiũ volitiuũ; quod sequẽtibus conclusionibus ostẽdetur.

Prima conclusio: potentia tam receptiua, quam substentatiua formę substantialis

lis, sunt prædicata essentialia materiæ primæ, sicut animal, & rationale sunt prædicata essentialia hominis.

Fundamentum conclusionis, primum, & præcipuum est; quia materia prima essentialiter est primum principium, ex quo fit aliquid cum insit, siuè est primum principium intrinsecum materiale in toto physico; sed primum principium materiale essentialiter comprehendit principium primum receptiuum, & principium primum substentatiuum formę substantialis: vtrumque enim est principium primum materiale, sed aliud receptiuum, & aliud substentatiuum, vt terminus materialis ad differentiam subsistentię, quæ substentat naturam Christi Domini, vt terminus formalis substantialis; datur enim duplex terminus formalis quidditatiuus, siue essentialis, & substantialis. Hæc doctrina explicari potest exemplo viuentis supremi, quod in sua latitudine formali comprehendit tum intellectiuum, tum volitiuum; vtrumque enim est viuens supremum; pariter principium primum materiale, ex quo fit aliquid cum insit in sua latitudine formali comprehendit tum principium receptiuum, ex quo, vt perfectibili fit aliquid per se cum insit etiã principium materiale substentatiuum, ex quo principio substentatiuo fit aliquid cũ insit, tanquam ex termino materiali, complente indigentiam formæ materialis in fieri, & esse.

Ad Argumentũ autem oppositę sententiæ asserentium, materiam primam adequate esse per se primo, & essentialiter potentiam receptiuam per se verò secundo, & consequenter esse substentatiuum; etenim negari, non potest, quin materia prima sit substentatiua, & receptiua simul; sed solũ vertitur in dubiũ, an vtraque potẽtia, et receptiua, et substentatiua sit prędicatum essentiale, et per se primò materiæ.

Respondetur negando quidditatem materiæ adequate saluari per potentiam primam receptiuam; hoc enim principium falsum, est, sicut falsum est substantiam spiritualem adequatè essentialiter saluari per solum principiũ primum intellectiuũ: & ratio est, vt diximus, quia materia prima essentialiter, & est principium primum materiale intrinsecum ex quo fit aliquid cum insit; hoc autem comprehendit in se formaliter, & essentialiter, tum principiũ primum receptiuum, tum substentatiuum formæ substantialis; fit enim vnum per se non solùm ex materia, vt receptiua, & ex forma substantiali, sed etiam ex materia vt substentatiua, et forma substentabili, cũ hac sola diuersitate, quod ex materia receptiua vt receptiua, fit vnum per se vnione receptionis partium essentialium; ex materia verò substentatiua fit vnum per se vnione termini essentialis materialis, modo quo supra explicauimus.

Quod si dicas ex materia, et forma substantiali, etiam vt substentabili fit vnum in ratione naturę, siuè essentię; hęc autẽ in composito est essentialiter diuersa à compositione, siuè diuisione termini.

Respõdeo primò, duplicem esse vnionem, siuè compositionem termini, aliam ex termino materiali essentiali, et aliam ex termino formali substantiali, qualis est personalitas, siuè subsistẽtia personalis; prior est vnio naturæ; sed ex termino essentiali materiali; secunda est personalis.

Respondeo secundò, vnionem termini essentialis, et vnionem partium essentialiũ in toto physico ex materia prima, et forma materiali, esse duas rationes inadæquatas ad faciendum vnum per se, nõ autem duas rationes adæquatas; quia est tantum vnũ per se, non autem duo per se; vndè si dicatur, quod ex data distintione, vnitũ per se in ratione substentati est aliud ab vnito per se ratione compositi ex partibus essentialibus, hoc verum est de alietate inadæquata, non autem de alietate adæquata.

Cum denique in argumento obijcitur materiam primam constitui adęquatè essentialiter, & per se primò per solam potentiam receptiuam formę substantialiter, quandoquidem materia distinguitur adęquatè per se primò à forma substantiali, quia materia prima est essentialiter perfectibilis, siuè formabilis; forma verò substantialis est per se primò perfectiua, & informatiua.

Respondeo negõ assumptum, ob rationem qua probauimus conclusionem.

Secunda conclusio: ex his prędicatis essentialibus, nimirum ex primo substentatiuo formæ substantialis, & ex principio primo receptiuo eiusdem, prius est, vt ratio inadæquata esse primum substentatiuum formæ substantialis, quàm esse primum receptiuum eiusdem: Conclusio hæc habet locum in omnium opinione, etiam si dicta duo prædicata prima distinguantur inter se ratione; conclusio potest esse controuersa; possunt enim aliqui dicere, prius esse in materia esse primum receptiuum, quam esse primum substẽtatiuũ formæ substantialis.

Fundamentum primum conclusionis

est

est, quia forma, vt informet, & perficiat materiam, debet esse; sed forma non est, nisi substentetur; quia forma realiter non communicat se materię reali cõmunicatione, nisi in priori naturæ sit ipsa forma, id enim, quod non est, non seipsum communicat.

Secundum fundamentum est; quia vnio termini est vniuersalior, quàm vnio compositionis partium componentium intrinsecè, & per se; quia hęc reperitur tantũ in materia vt perfectibili, & in forma substantiali vt perfectiua; illa verò reperitur secundùm generalem, & communem rationem, siuè vnionem termini; quia reperitur etiam in materia, vt substentatiua, & in forma rationali; sed ratio vniuersalior est ratio prior, quàm sit ratio propria in quolibet ente; ergo prius est in materia prima esse principium substentatiuum, vt rationem inadęquatam, quam esse principium receptiuum.

An autem hęc duo prędicata, siuè istę duæ potentiæ essentiales materiæ, sint distinctæ inter se realiter an ratione. Quęsitũ hoc controuerti potest.

Possũt enim aliqui dicere primò, quod sint distinctæ tantùm ratione, non ex natura rei.

Primò; quia distinctio potentiæ ex natura rei, est ex distinctione formali actus formaliter; sed vnio substentationis, & vnio receptionis, non sunt actus causalitatis distincti formaliter, sed tantùm materialiter; quoniam distinguuntur intra rationem, siuè latitudinem formalem principij primi materialis intrinseci; nam materia vt receptiua, est primum principium materiale, & vt substentatiua adhuc est principium materiale, vt supra demonstrauimus; sed hæc diuersitas est diuersitas materialis, non formalis, sicut diuersitas trium operationum intellectus humani, est diuersitas materialis, non formalis; quia distinguũtur intrà idem obiectum formale specificum, et athomum intellectus humani; distinctio autem intrà eandem speciem athomam, materialis est.

Secundò, quia substentatio, siuè unio substentationis, et receptio, siuè unio receptibilis, et receptiui, sunt causalitates subordinatæ; sed causalitatum subordinatarũ potest esse vnũ principium primum; sicut trium operationum intellectus humani datur unum principium primum, quia sunt operationes subordinatæ. Maior probatur quoniam vniuersalior est unio substẽtatiui, et substentabilis, siuè termini, et terminabilis, quàm unio receptiui, et receptibilis, ut supra ostendimus; sed ratio minùs uniuersalis subordinatur rationi uniuersaliori.

Equidem autẽ, saluo semper meliori iudicio, opinor potentiam substentatiuam, & potentiam receptiuam formæ substantialis in materia distingui ex natura rei, ut rationes inadæquatas cõstituẽtes integram quidditatẽ materiæ primæ: moueor autem ad hoc dicendum ex cõtrario motiuo; quia substẽtatio, & receptio distinguũtur formaliter, nõ materialiter; sed ex distinctione formali actus, causatur distinctio potentiæ ex natura rei ergo &c. Maior probatur, quia substentatio est vnio termini; receptio verò est vnio perfectibilis, & perfectiui; istæ autem duę vniones, siuè isti duo actus sunt diuersi formaliter; vnio enim substentationis afficit vnum tantum extremum, nimirum extremum substentabile; vnio verò receptionis, quæ est perfectibilis, & perfectiui afficit vtrumque extremum, & perfectibile, & perfectiuum; quia est vnio partium, formaliter componentiuum intrinsecè vnum per se; in vnione verò substentatiua vnum tantùm extremum vnitur, vt affectibile intrinsecè; semper enim vnitur, vt pars, quod conuenit materię, quatenus est substentatiua; quia, vt substentatiua dicit tantùm rationem termini materialis complentis indigentiam formæ in fieri, & esse.

Quod si primò dicas, materiam etiam vt substentatiuam, esse partem intrinsecam ad faciendum vnum per se cum forma in ratione naturę.

Respondeo, materiam primam, vt substentatiuam formę, esse idẽticè partem, non formaliter, siuè esse materialiter partẽ, non formaliter, ad eum modum. v. g. quo existentia in creatis identicè, & materialiter est actus; formaliter verò est terminus, & ob hãc rationem plures doctissimi Thomistę dicunt, naturam humanam in Christo Domino existere etiam existentia Verbi Diuini; quia existentia Verbi Diuini vnitur naturæ humanę in ratione termini, non in ratione actus; quia existentia in ratione actus, dicit rationem partis; in ratione verò termini dicit solùm, existentiam esse id, à quo dependet formaliter natura humana in existendo, vt fusè explicabitur suo loco.

Quod si secundò dicas, vnionem in ratione substentatiui, & substentabilis, & unionem in ratione receptiui, & receptibilis, differre inter se tantùm materialiter, nõ for-

formaliter; quia differunt intrà rationem formalem causæ materialis; at distinctio formalis potentiæ, & ex natura rei, debet esse ex distinctione formali actuum adhuc inadæquatorum.

Respōdeo, nego assumptum; distinctio enim materialis diuersorum actuum est intra eandem specificam, & athomam rationem obiecti formalis, qualis est diuersitas trium operationum intellectus humani; non autem quando est intra rationem genericam obiecti, siuè potentiæ, & hiusmodi est distinctio vnionis substentatiui, & substentabilis, & vnionis receptiui, & receptibilis in materia prima; etenim materia prima est unum genus causæ; quandoquidem materia prima, vt diximus, est nullius speciei, & ratio huius diuersitatis à priori est; quia quando obiectum formale est genericum, datur diuisibilitas in diuersitas species, tàm ut rationes completas, quàm, ut rationes incompletas; hæc autem non potest esse, quando obiectum est unum specie athoma.

Quod si tertiò dicas: materia prima est principium rerum materialium; sed primum in quolibet genere, est indiuisibile; ergo non potest materia prima esse diuisibilis in potentiam substentatiuam, & in potentiam receptiuam, ad huc tamquam in rationes inadæquatas.

Respondeo, materiam primam esse primum principium materiale, vt primum genus causæ materialis, non autem, vt prima species causæ materialis; quodlibet autem primum est indiuisibile sub eadem ratione formali, qua primum est; non autē sub diuersa; quia sub diuersa ratione, nulla est contradictio. Primum, vt genus, non est diuisibile in plura genera, sed ei non contradicit, vt sit diuisibile in plures species, siuè, vt rationes inadæquatas. v. g. materia prima est diuisibilis in plures materias adæquatè diuersas, vt est diuisio materiæ in materiam horum inferiorum, et in materiam corporū cælestium; materia verò prima est diuisibilis in substentatiuā, et in receptiuam, tamquam in rationes inadęquatas; non autem, vt rationes adæquatas.

Conclusio tertia: in materia prima simpliciter, et absolutè, prior est potentia ad existentiam, quàm ad formam substantialem, siuè ad actum formalem, non solū prioritate causæ; sed etiam prioritate vniuersalitatis; hac conclusione resoluitur alia pars quæsiti tertij, et vltimi puncti. Hanc conclusionem scriptam non reperio; ea tamen veritatem continet.

Probatur prima pars: est prior prioritate causæ potentia materiæ ad existentiam; quia causa cur essentia entis creati completi in genere entis, est diuisibilis in actum formalem, & in potentiam formalem, est quia essentia entis creati completi ex suo genere non est essentialiter sua existentia, quod ex opposito est manifestum; quippè essentia, quæ est essentialiter suum esse ex suo genere, non est diuisibilis in potentiam, & in actum formalem.

Quod si opponas dicens, quod essentia Angeli non est essentialiter sua existētia; & tamen essentia Angeli non est diuisibilis in actū formalem, & potentiam formalem, cum sit forma irreceptibilis in materia, & consequenter adæquatè in sua specie.

Respondeo, hoc conuenire naturæ, siuè essentiæ Angeli, non ex suo genere, quatenùs scilicet est essentia entis creati completi; sed quia est forma irreceptibilis in materia; nos autem hìc loquimur de prædicatis conuenientibus essentiæ entis creati ex suo genere.

Secunda pars probatur; quia potentia ad existentiam conuenit pluribus, quàm potentia ad actum formalem; potentia enim ad existentiam conuenit etiam formę partis, & formæ totius; potentia autem ad actum formalem conuenit solùm materiæ primæ, & radix prima huius diuersitatis est; quia potentia ad existentiam cōuenit essentiæ entis creati completi ex suo genere; potentia verò ad actum formalem conuenit eidem, quatenùs est ens reale restrictum ad potentiam formalem, sicut, v. g. veritas formalis conuenit cognitioni ex sua ratione formali specifica; veritas verò trascendentalis conuenit eidem ex suo genere, quod est ens; ac proindè veritas trascendentalis est vniuersalior, quàm veritas formalis, siuè specialis.

## ARTICVLVS DECIMVS TERTIVS.

### Vtrum materia prima, saltem diuina virtute supernaturali, possit existere realiter, sine omni forma substantiali.

HIc articulus controuerti potest in duplici sensu; primus sensus est, an materia prima independenter totaliter ab omni forma substantiali, possit realiter existere: secundus sensus est, an saltem possit existere existentia formæ, sed separata ab omni forma, diuina virtute supernaturali, supplente concursum formæ substantialis, subiectiuum; quoniam forma, iuxta S. Thomæ sententiam, habet duplicem concursũ in existentiam, qua materia, & totum existunt: vnum veluti effectiuum; quia forma est principium actus existendi, sicut potentia formalis actiua in substãtijs creatis, est principium actualis operationis: & alium concursum receptiuum; quia forma est ratio recipiendi recipiens existentiam in materia, & in toto composito, sicut diaphaneitas, est ratio recipiendi colorem, qui definitur actus diaphani in actu; & pũctum difficultatis in vtroque sensu quæsiti, non est an possit materia prima existere, sine existentia formæ substantialis; quia hoc manifestam inuoluit contradictionem, nimirum, materiam esse existentem actu, & formaliter sine existentia; sed solùm, an materia prima possit, saltem diuina virtute supernaturali, conseruari existens, sine omni forma substantiali concurrente suo concursu.

Ratio dubitandi est, quam proposuit S. Thomas in quæstionibus quodlibetalibus, *quodlibeto 3. art. primo*, & est hæc: virtus actiua Dei supernaturalis excludit à suo obiecto, quod rationi entis repugnat, & huius ratio à priori est; quia Deus est essentialiter primum ens, primum autem ens non agit, nisi sibi simile quantùm potest, vt probat idem S. Thomas *par. 1. qu. 25. art. 1.* & hoc non propter defectum diuinæ potentiæ; sed propter defectum termini implicantis contradictionem; quia, scilicet, cum ipsum non sit ens causaliter, habet, vt fieri non possit. Subsumit verò minorem; sed repugnat rationi entis, quod materia existat, sine omni forma substantiali; omne enim quod est actu, aut est ipse actus, aut est potentia, participans actũ: esse autem actum, repugnat rationi materiæ, quæ essentialiter est ens in potentia; ergo materia non potest esse in actu, nisi quatenùs participat actum; sed actus participatus à materia est forma; ergo materiam esse actu, est esse cũ forma; ergo materiam esse actu, est esse cum forma; ergo materiam esse actu, & sine actu, scilicet, forma, secundùm idem, implicat in terminis.

Hic discursus S. Thomæ, omnibus eius sequacibus occasionem præbet, vt nõ solùm iuxta naturæ cursum; sed absolutè, & simpliciter negent, materiam posse separari à forma omni collectiuè sumpta; quia materiam existere, supponit materiã esse in actu per formam; in exponenda verò sententia S. Thomæ.

Aliqui, præsertim recentiores, docent, S. Thomam loqui secundùm potentiam, quàm Theologi appellant ordinariam, nõ absolutam; id verò consultò dicunt, nè apertè conuincantur ore proprio S. Thomã deserere; quandoquidem in manifesto est, quod S. Thomas loquatur non de potentia ordinaria, sed absoluta, dum ponit contradictionem, quod materia existat actu sine omni forma collectiua; quia, inquit, materiã esse actu, sine actu secundùm idem, siuè esse actu, & non actu secundùm idem, vel esse actu, & in potentia ad actum secũdum idem, implicat contradictionem.

Alij dicunt, materiam posse existere separatam ab omni forma substãtiali, posse intelligi in duplici sententia, vel nimirũ in sententia eorum, qui dicunt essentiam subiectiuam esse indistinctam realiter à sua existentia. Vel in sententiã S. Th. & sequacium dicentiũ, essentiam subiectiuam in natura completa distingui realiter à sua existentia. In prima sententia dicunt, diuinitùs esse possibile, materiam absolutè, & simpliciter posse existere, sine omni forma substantiali collectiuè, & ratio huius esse potest; quia hac data opinione, non sequitur illa cõtradictio materiam esse actu, sine actu in ratione materiæ; etenim hęc contradictio sequitur, si ponatur formam substantialẽ esse radicẽ adęquatã existentię materiæ totius. Cęterũ data opinione, quod essentia subiectiua, tam materiæ, quam formæ est distincta realiter; omninò implicat, materiam posse existere sine forma.

Sed horum opinio, nisi aliud addatur, fa-

facilè reijcitur; etenim Scotus cum suis, distinguit, adhuc realiter essentiam ab existentia in creatis; & tamen vltrò concedit, diuinitùs posse materiam primam existere separatam ab omni forma substantiali, & ratio Scoti est; quia materia prima, secundùm se considerata, habet radicem adæquatam suæ existentiæ; sed hoc sufficit, vt possit saltem diuinitùs existere sinè omni forma substantiali. Maior probatur: quia secundùm principia prima, & acutissima Scoti, radix adæquata existentiæ est quidditas realis; at materia prima est quędam quidditas realis diuersa ab omni forma substantiali; ergo, &c.

Sed hæc Scoti opinio mihi nunquam placuit ex eo præcisè; quia est contraria principijs S. Thomæ asserentis, radicem primam, & adæquatam existentiæ, tàm in materia, quàm in toto, esse formam, non autem quidditatem realem vt sic; quoniã radix prima, & adæquata actus existendi, est actus formalis, siuè quidditatiuus; actus enim primus in vno, & eodem, est radix adęquata actus secundi; quidditas autem realis vt sic, non est actus formalis, seù quidditatiuus; quia præscindit à quidditate, quæ est potentia, & à quidditate, quæ est actus formalis, vt infrà probabitur.

Alij denique possunt resoluere hunc articulum distinctione, vt equidem olim dicebam; possunt enim dicere, hunc articulum posse intelligi dupliciter; primò an materia prima possit existere seorsim ab omni forma, per existentiam fluxam à forma, supplendo Deus solum concursum subiectiuum, quo forma subiectat, vt pars totius, existentiam; quandoquidem existẽtia, iuxta principia S. Thomæ, non solùm fluit, vt à principio primo formali, à forma substantiali; sed etiam recipit in se, licet inadæquatè, existentiam, ad eum modum, v. g. quo potentia intellectiua, non solùm causat in se; sed etiam recipit intellectionem. Secundò potest articulus tractari in alio sensu inquirendo, an materia prima possit existere separata ab omni forma, existentia producta à Deo, sine concursu formæ substantialis, eo modo nimirùm, quo multi Theologi opinantur, intellectũ creatum posse intelligere diuinitùs intellectione producta ab alio intellectu, vel producta à Deo, supplente concursum formalem, vel effectiuum, quo forma substãtialis causat existentiam, qua tàm forma, quàm materia existunt vnitè in toto: in primo sensu concedebam, posse materiam existere diuinitùs existentia fluxa, & emanata à forma, supplendo Deus concursu suo, solùmodo concursum subiectiuum formæ ad recipiendam, vel sustentandam existentiam; mouebar autem ad hoc dicendum ab eo motiuo; quia ex vno capite, est proportio inter essentiam, & existentiam fluxàm à forma ratione potentiæ, & actus, scilicet, in ratione perfectibilis, & perfectiui: ex alio verò capite, Deus potest supplere concursum subiectiuum in genere causæ efficientis, v. g. albedo in pane sustentabatur in substantia panis, illa eadẽ albedo potest sustentari sine suo subiecto, ipsa in nihilum non vergente, efficiendo Deus per concursum suum effectiuum, ne accidens pereat, vt accidit de facto in augustissimo Sacramento altaris, in quo existunt accidentia à Deo conseruata, sine vllo concursu subiecti, quod iam conuersũ est Sacramentaliter in Corpus Christi Domini: verùm in secundo sensu negabam, posse Diuinitùs materiam primam existere existentia create non fluxa, aut causata à sua forma substantiali; idque eo motiuo assesebam; vel quia existentia non potest causari sine concursu formæ substãtialis, vel; quia existentia non habet proportionem formalem cum sola materia prima, vt explicabitur in sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio: data indistinctione reali essentiæ ab existentia in creatura cõpleta; materia prima potest diuinitùs existere sine omni forma substantiali collectiuè, nimirùm sine tractu ad aliam formam; non ob eam solam rationem; quia essentia est indistincta realiter ab existentia: sed quia posita hac indistinctione reali, quidditas materiæ primæ est virtualiter radix, prima suæ existentiæ. Est contra aliquos, qui dicunt materiam primam posse existere sine omni forma substantiali, ob eam, solùm rationem; quia essentia in materia est indistincta realiter à sua existentia; quorum opinio inadæquata est; nam si ea vera esset, posita sola distinctione reali inter essentiam, & existentiam materiæ, necessariò dicendum esset, posse materiam primã existere separatam ab omni forma substantiali, quod est falsum: quandoquidẽ Angelicus Doctor asserit, materiam primam distingui realiter ab existentia, qua existit; ponit enim materiam primam esse aptam existere sola existentia formæ, à qua distinguitur realiter; & tamen apertissimè negat posse materiam primam existere spoliatã omni forma substantiali; idque probat

bat ex eo, quia radix adæquata actus existendi, est actus formalis, siuè quidditatiuus; sed contradicit materiæ primæ essentialiter, esse actum quidditatiuum, seù formalem; quia materia prima essentialiter est pura potentia formalis; ergo implicat materiam primam esse radicem suæ existẽtiæ; ac proindè non potest existere spoliata ab omni forma substantiali: quo discursu plenè probata remanet conclusio.

Secunda conclusio posito: quod prima, & adæquata ratio existentiæ est sola forma, siuè actus formalis, probabile est, quod diuinitùs potest materia prima existere existentia fluxa, siuè emanata à forma separata ab omni forma substantiali in actu primo. Conclusionem hanc scriptam non reperio, eam tamen probabilẽ puto, & olim sequutus sum; sensum conclusionis huius, explicaui initio huius articuli; contrarium verò tuentur Scotistæ, & Thomistæ, sed alia, atq; alia ratione; Scotistę .n. dicunt, posse materiam primam existere spoliatam ob omni forma substantiali diuinitus: quia opinantur cum Scoto, quidditatem materiæ primæ esse adæquatam radicem suæ existentiæ; idquæ probant; quoniam dicunt, quidditatem realem esse radicem adæquatam existendi realiter; sed materia prima habet suam realem quidditatem distinctam à quidditate formæ; ergo habet in se radicem adæquatam suæ existentiæ: verùm si radix adæquata existentiæ realis ponatur sola forma, negant materiam primam posse separatam existere: quia implicat esse posterius sine primo; Thomistæ verò cum S. Thoma, ob eam solam rationem defendunt, nè diuina quidem potentia supernaturali, vel absoluta Dei potentia, posse materiam primam existere spoliata ab omni forma substantiali; quia implicat dari in materia existentiam, sine prima radice adæquata existentię: sed in materia prima spoliata ab omni forma substantiali, nulla est radix existentiæ realis, quia radix existentiæ realis est sola forma: in materia autem spoliata ab omni forma collectiuè, nullus est actus formalis: ergo implicat, materiam primam spoliatam ab omni forma substantiali existere realiter: equidem autem non contẽdo in hac conclusione, posse causari existẽtiam ab alio principio, quàm à forma; sed solùm contendo posse diuinitus materiam primam seruari existentem existentia iam fluxa, & causata à forma, separando formam à materia sine tractu ad aliam nouã formam, in quo casu supplet Deus, solùm concursum subiectiuum formæ in suã existentiam: quandoquidem forma est non solùm principium adæquatum existentiæ realis: sed etiam est subiectum correceptiuum existentiæ, inadæquatè tamen: sicut potentia vitalis, qualis est potentia intellectiua, est potentia, & causatiua, & receptiua suæ operationis.

Fundamentum primum conclusionis mihi est; quia materia prima apta est formaliter existere existentia formæ, & Deus potest supplere concursum subiectiuum formæ in suam existentiam; sed hæc duo sufficiunt, vt materia prima possit existere per existentiam fluxam à forma absolutè, & simpliciter, separata ab omni forma substantiali, ergo absolutè, & simpliciter, siuè diuinitùs, potest materia prima existere separata realiter ab omni forma substãtiali. Prima pars maioris est certa, iuxta principia S. Thomæ; quia materia non est apta existere nisi existentia suæ formæ. Secundã pars item est manifesta; quia concursus subiectiuus formæ in suam existentiam, non est concursus cõstitutiuus, sed receptiuus, & sustentatiuus; hic autem concursus potest suppleri à Deo, vt de facto supplet dependentiã accidentis in Hostia ritè consecrata, a suo subiecto; non quidem recipiendo in se accidentia, sed illa sustentando influxu actiuo, & sustentatiuo.

Secundum fundamentum est; quia ratio cur S. Thomas doceat, materiam primam non posse existere spoliatam ab omni forma substantiali, est; quia materia prima esset actus sine actu; sed hæc implicantia non sequitur, si diuinitùs conseruetur existentia fluxa à forma in materia, separando materiam à forma; quia actus essendi realiter, est existentia, quæ materia ponitur existere existentia separata à forma, & non poneretur existens sine existentia; ergo &c. Argumenta contra hanc conclusionem sunt sequentia.

Primum est: si materia prima esset diuinitùs existens absque vlla forma substantiali, esset in rerum natura indiuiduum cõtentum sub genere substantiæ, & non sub aliqua determinata specie substantiæ; hoc autem est impossibile: v. g. esset materia sub genere substantiæ materialis, & non sub aliqua specie determinata substantiæ materialis; hoc autem est impossibile; quia genus nõ potest participari ab inferioribus nisi ordinatè, hoc est immediatè à specieb⁹; mediatè verò, scilicet medijs speciebus, ab indiuiduis; vnde ortum dux it illud assatum satis vulgatum apud Dialecticos: quicquid

de-

determinat sibi genus, determinat sibi aliquam speciem, vel nihil potest esse in genere, nisi quod est in specie; ergo impossibile est, dari aliquod indiuiduum sub genere substantiæ, nisi prius sit sub aliqua determinata specie substantię; at materia prima de se non est in aliqua determinata specie, nam est in potentia ad omnem actum formalem, à quo est species.

Respondeo, distinguo maiorē; duplex enim est species; alia est species totius, & alia est species partis; species totius est constituta formaliter per formam determinatę speciei; puta humanitas, equinitas, &c. species verò partis constituitur per ordinem intrinsecum ad formam dantem speciem, & in hac significatione speciei, materia prima horum inferiorum secundùm S. Thomam est diuersę speciei à materia corporis cœlestis, & materia vnius corporis cęlestis, est diuersæ speciei à materia alterius cæli; si conseruaretur diuinitùs materia prima cū existentia fluxa à forma, seorsum ab omni forma substantiali; materia esset in specie determinata partis, & esset indiuiduū sub determinata specie partis, & hoc sufficit, vt materia prima possit existere existētia quidē formæ, separata autē ab omni forma; solùm sequitur quod materia in tali casu, non esset indiuiduum completum sub determinata specie totius.

Secundum argumentum est, pręcipuū fundamentum S. Thomæ; si materia prima existeret absque omni forma substantiali secundùm idem simul esset, & non esset; hoc est, simul actu existeret, & non existeret; hoc autem implicat contradictionem; quia dicit idem secundùm idem simul esse, & non esse; ergo implicat materiam primam existere sine omni forma substantiali. Sequela maioris probatur; quia existentia supponit necessariò formam; existētia enim est effectus formalis formę, tanquam principii formalis adæquati; at effectus necessariò supponit suam causam; sed materia prima separata ab omni forma substantiali non habet in se principium formale existendi, quia hoc est forma substantialis; ergo materia prima separata ab omni forma substantiali, collectiuè simul existeret, & non existeret secundum idem; existeret quia supponitur; non existeret, quia non haberet in se formam, quæ necessariò supponitur ad existentiam; sed hoc argumentū soluitur: quoniam.

Respondeo, distinguo maiorem; si materia existeret sine forma, & sine omni existentia formæ, vtique simul esset, & non esset secūdum idem: cum nos dicimus, posse materiam primam existere sine omni forma substantiali, asserimus, vt probabile, materiam primam posse diuinitùs existere existentia fluxa à forma, separando solùm formam à materia, postquam communicata fuit existentia forme ipsi materiæ: forma enim habet duplicem influxum in existentiam: alium, tanquam principiū primum existendi, & alium influxum subiectiuum: hic secundus influxus potest suppleri à Deo, quia est influxus materialis extrinsecus: primus autem non est supplebilis: quia licet nō sit influxus in existentiā, tamquam effectū formalem primarium, tamen est influxus intrinsecus, & per se, conueniens formæ, sicut conuenit essentię influxus in suam proprietatem quarto modo, qui non est supplebilis diuinitùs, non propter defectum diuinæ omnipotentiæ sed propter incapacitatem effectus: hic solùm nos contendimus actum existentiæ, qui originatur à forma, vt à principio suo formali, & immediatè, postquam ille emanauit à forma, posse seruari diuinitùs in sola materia prima, & reddere illam formaliter existentem actu, separando à materia omnem formam substantialem: quod etiam probatur alia ratione: quoniam existentia non recipitur formaliter in forma substantiali tamquam in subiecto adæquato; sed tanquam in subiecto inadæquato: nam recipitur in materia vnita formæ, quod euidenter patet non solum de existentia formæ materialis, sed etiam de existentia formæ spiritualis, qualis est anima rationalis; tam enim materia prima, quam forma substantialis, sunt formaliter existentes: argumentum vim haberet, si existentia substantialis formaliter, & immediatè reciperetur tantummodò in forma substantiali; mediatè verò in materia, ad eum modum, quo qualitates materiales immediatè recipiuntur in quantitate dimensiua: mediatè verò in materia prima; & hoc principium substinendum est ad defendendam positā conclusionem.

Instabis primò: effectus formalis est inseparabilis à forma; sed existere est effectus formalis formæ: ergo non potest separari à forma: ergo materia non poterit fieri existens existentia formæ, si separetur ab omni forma substantiali.

Respondeo distinguo maiorem, duplex est effectus formalis formæ: alius primarius, & alius secundarius: primarius est effectus constitutus intrinsecè à forma, quo pacto

pacto esse album est effectus albedinis, & esse animatum est effectus animę; & esse existens, est, effectus primarius existentiæ.

Instabis secundò: esse existentiæ est proprietas quarto modo formæ: sed proprium quarto modo, est inseparabile à forma, cum sui conseruatione saltem; ergo non potest materia existere existentia formæ sine vnione cum forma. Maior probatur autoritate S. Thomæ *pp.q.50.art.3.* vbi dicit quod esse per se competit formæ: & idem dicit *q.75.art.6.& 1.C.Gen.c.55.* vt autem S. Thomas hoc explicet locis citatis, docet, esse ità conuenire formæ, sicut rotunditas circulo; sed rotunditas coniungitur per se, perseitate metaphysica; ergo etiam esse coniungitur formę perseitate metaphysica; inseparabilitas autem metaphysica dicit connexionem per se proprietatis cũ suo subiecto, saltem in conseruari; ergo secundum S. Thomam non est conseruabile esse in materia, separata ab omni forma substantiali collectiuè.

Respondeo cum distinctione, quod existentia est passio physica consequens formam: non autem passio metaphysicè consequens. Doctrina est Caetani *pp.q.50. art.5* vbi docet, quod esse consequitur per se formam perseitate physica, non autem perseitate logica, aut metaphysica. Prędicatum dicitur conuenire suo subiecto in secundo modo dicendi per se, perseitate metaphysica, quę competit suo subiecto, facta suppositione, quod illud sit in rerũ natura, seù quando consequitur suum subiectum in modo essendi, quæ est in rerum natura de lege ordinaria; illud verò prædicatum conuenit per se suo subiecto in secundo modo dicendi per se, quando conuenit illi simpliciter, & absolutè, præscindẽdo a modo naturali, quo existit in rerum natura: risibilitas, v. g. competit essentiæ hominis perseitate metaphysica, & logica, quia conuenit essentiæ hominis simpliciter, & absolutè: & hoc prædicatum per se in secundo modo est omninò inseparabile à suo subiecto; esse verò existẽtiæ conuenit formę per se perseitate physica, & hoc prædicatum per se in secundo modo est separabile a suo subiecto, saltem de Potentia Dei absoluta: quando docet S. Thomas, esse existentiæ conuenire per se formæ, vel esse proprietatem formę, nõ loquitur de proprietate, conueniente per se proprietate Metaphysica, siuè Logica, vt, v. g. est risibilitas in homine; sed loquitur de proprietate, conueniente per se perseitate physica tantùm: & hęc est realiter separabilis saltem diuina virtute, & huiusmodi est existentia; nam, vt docet S. Thomas, natura humana in Christo Domino existit sine propria existentia, sola existentia Verbi Diuini, & ratio à priori est; quia esse existentię conuenit formę, prout est in suo modo essendi in rerum natura, & non simpliciter, & absolutè. Explicatur distinctio: differunt inter se, hæc duo prędicata per se, in secundo modo dicendi per se; nam prædicatum per se perseitate physica supponit aliquid, quod non est necessarium absolutè, qualis est modus essendi ordinarius, quo vnumquodque est in rerum natura; prædicatum autem per se perseitate metaphysica, siuè Logica, conuenit naturæ Dei absolutè, præscindẽdo à quolibet essendi modo. Sunt qui dicunt, proprietatem etiam rigorosam esse diuinitùs separabilem a natura sui subiecti, v. g. risibilitatem esse diuinitùs separabilem ab homine; idque probant hac ratione; quia subiectum passionis est prius ipsa passione, omninò ab illa independens; sed prius potest esse sine suo posteriori, à quo non dependet; ergo subiectum est diuinitùs realiter separabile; secus esset prius, & posterius, secundùm idem; quia secundum idem dependeret, & non dependeret. Hoc sustinent *Bann.p.1.qu.71.art.1. Feria 4. cõtrà Gen.& Sot.q.2.* de proprio. Sed opinio contraria, mihi semper vera visa est, quam sequuntur *Caiet.p.1.q.50.& Soncin.8. metaph. q.1.ad 4.* argumentum autem supra expositum, distinctione facilè eluditur; duplex enim est prius; aliud est prius alio à se dependente essentialiter per se, & necessariò, siuè aliud est priùs alio à se dependente per seitate metaphysica, & aliud est priùs alio à se non dependente, perseitate metaphysica; sed perseitate Physica; quod est prius primo modo, non potest realiter separari a suo posteriori; quod autem est priùs secundò modo potest realiter separari, & huius conditionis est forma respectu existentiæ; nam datur natura humana, sine propria existentia in Christo Domino iuxta sententiam D. Thomæ *3.par. qu.27. art.2.* Neque obstat quando D. Thomas dicit, quod esse existentiæ conuenit formæ, sicut rotunditas circulo; nam mens S. Thomæ non est docere, quod sicut rotunditas est de essentia circuli, idest, quod sicut rotunditas est prædicatum per se primò circuli, ita esse sit prædicatum formæ per se primò, & essentialiter; sed sensus est, quod sicut circulus, qui dicit extensionem circularem lo-

localem, concomitatur circulum, vt dicit extensionem circularē in se, ita esse existētiæ consequitur formam; & hoc pacto esse, est realiter separabile à forma, sicut rotunditas circularis localis, est separabilis à circulo extenso in se; & ratio est, quia esse, iuxta sententiam S. Thomę, est actus secundus formę; hic autem non est comparabilis, nisi cum circulatione locali.

Instabis tertiò: adhuc effectus formę secundarius, non potest esse absque primario; licet è conuerso, effectus primarius potest esse absque secundario, vt contingit in quantitate, cuius effectus primarius est extensio substantiæ corporeę in ordine ad se; effectus verò secundarius, est extensio eiusdem in ordine ad locum; sed existentia est effectus secūdarius formæ, effectus verò primarius est esse specificum; ergo impossibile est, saluari in materia existentiam formæ sine ipsa forma, vel sine effectu formali primario formæ, quæ est species essentialis in prędicamento substantiæ. Hec instantia potest proponi alijs verbis; effectus formalis secundarius formæ, non potest esse ablato primario; non enim v. g. potest esse substantia corporea extensa in loco; quin in priori eadem sit extensa in ordine ad se; licet è conuerso, potest substantia corporea esse extensa in ordine ad se, & non extensa in ordine ad locum, sicut contingit in quātitate corporis Christi, vt est in Sacramēto Eucharistiæ; sed essentia specifica est effectus primarius formę substantialis, existere verò est effectus secundarius, & vltimus; ergo impossibile est, materiam actu existere in rerum natura, remoto à materia esse formaliter in specie in prædicamento substantiæ in recta linea.

Respondeo, distinguo maiorem: quando forma constituit susceptiuum connaturale tantùm existentiæ; nego maiorem; quando constituit susceptiuum simpliciter; concedo maiorem: in re nostra, forma substantialis, dando speciem materiæ in recta linea prædicamenti substantiæ, constituit susceptiuum connaturale existentiæ, non autem constituit susceptiuum simpliciter; etenim susceptiuum simpliciter existentiæ realis, est quidditas realis, quæ est tàm in forma, quam in materia. Quare est disparitas maxima inter effectum formalem secundarium quantitatis, & effectum secundarium formæ, qui est existere actu; nam effectus primarius quantitatis dimensiuæ, est susceptiuum simpliciter extensionis in ordine ad locum; effectus verò formalis primarius formę, qui est esse specificum, est susceptiuum connaturale tantūmodò existentiæ, quod ex eo patet; quando quidē forma sola, est inadæquatum susceptiuum esse; susceptiuum enim adæquatum, est totum collectiuum ex materia, & forma; extensio verò in ordine ad se, est adæquatum susceptiuum extensionis localis; sicut quantitas, est immediatum, & adæquatum susceptiuum accidentium, siuè qualitatum materialium; ac proinde non non potest dari extensio localis quantitatis dimensiuę, nisi in ipsa quantitate dimensiua, vel separata diuinitùs à suo susceptiuo substantiali, vt contingit in quātitate Hostiæ ritè consecratæ, vel in quantitate dimensiua, existente in substantią corporea: potest verò dari existere actu in materia, remota ab eo forma substantiali; quia materia est receptiuum inadæquatum, & immediatum existentiæ formæ substantialis. Deus potest supplere dependentiam existentiæ à forma substantiali, tamquam à subiecto connaturali; non autem potest supplere dependentiam extensionis localis à quantitate dimensiua, vt à subiecto; quia dependentia esse à forma, est dependentia connaturalis; dependentia verò extensionis localis est à quantitate dimensiua, tamquam a subiecto simpliciter.

Instabis quartò: materia secundùm se, est pura potentia: sed hec non potest esse immediatum subiectum sine forma substātiali, illam informante: ergo non potest materia prima saluari existens sine ipsa forma substantiali. Minor probatur: quia existentia est actus essentiæ determinatæ vsque ad indiuiduum, nimirum, essentiæ singularis: quia, quod commune est, non potest existere: sed materia prima, non est indiuidualis, & singularis, nisi dependenter à forma substantiali: materia enim prima est vna tantùm negatiuè in genito, & in corrupto: non autem vna numero positiuè, vt sæpius suprà repetiuimus, & ratio est manifesta: quia differentia indiuidualis, cū sit vltima differentia, supponit differentiā specificam, quæ est à forma.

Respondeo, cum distinctione; materia est pura potentia ad formam, à qua est species, quæ collocatur in recta linea prędicamenti substantiæ, & concedo; est pura potentia ad differentias, quibus diuiditur quidditas realis in potentiam formalē, & actum formalem; & nego: nam materia contradistinguitur, & contradiuiditur à forma substantiali infrà ens essentiale, siuè quidditatiuum vt sic; contradiuisio autem

tem est per differentias diuisiuas, sicut, v.g. homo ex eo quia contradiuiditur à bruto in genere animalis, est species constituta essentialiter per differentiam, qua diuiditur animal, & constituitur essentialiter homo; vt autem materia sit receptiuum inadæquatum existentiæ formæ substantialis, satis est, vt sit species entis quidditatiui vt sic.

Secunda conclusio; absolutè, & simpliciter implicat, materiam primam existere sine omni forma substantiali, existentia formæ; scilicet, implicat materiam primam existere existentia fluxa à forma substantiali, semota à materia omni forma substantiali. Hanc esse sententiam S. Thomæ, non est dubitandum; nam D. Thomas *par. 1. q. 66. art. 1. in corp.* ait, dicere materiam existere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem: constat autem ea, quæ implicant contradictionem, diuina omnipotentia fieri non posse, & *Quodli. 2. art. 1.* quærens D. Thomas, an Deus possit facere, quod materia sit sine forma, sic concludit, quod aliquid simul sit, & non sit, à Deo fieri non potest, nec aliquid contradictionem includens, huiusmodi esset, si materia posset esse sine forma: ergo implicat simpliciter materiam primã existere sine omni forma substantiali.

Fundamentum conclusionis est hoc; quia materia prima, non est receptiua existentiæ formæ, nisi quatenus est in specie constituta per formam substantialem; etenim existentia formæ substantialis fluit ab ipsa forma substantiali; hæc autem existẽtia est actus determinati in specie per formam substantialem; sed si auferatur à materia omnis forma substantialis, tollitur, & aufertur à materia omnis species, quæ formaliter constituitur per formam; ergo aufertur etiam à materia ratio receptiui immediati existentiæ formæ; sicut si transferatur ab aere diaphaneitas, tollitur immediatũ, & formale receptiuũ luminis ab aere.

Si velimus sustinere præcedentem conclusionem, vt probabilem; debemus adhuc sustinere, materiam primam esse immediatum, sed inadæquatum susceptiuum existentiæ; hoc autem difficile est sustinere, si loquamur de existentia subiectiua, quæ fluit à forma, à qua est materia in specie prædicamentali; quandoquidem hæc existentia, non solùm supponit speciẽ essentiæ, siuè quidditatis realis vt sic; sed etiam supponit, materiam esse in specie prędicamentali; quia debet esse actus determinati in specie prædicamentali; sed determinatum in specie prædicamentali, est effectus formalis primarius formæ substãtialis; ab hac rationem S. Thomas pluribus in locis docet, dicens, existentiam, nimirum, subiectiuam, esse actum totius, non solùm; quia, vt diximus existentia est actus determinati in specie, & in indiuiduo in suo genere, quod est genus completum in specie prædicamentali, vsque ad vltimã differentiam indiuidualem inclusiuè; sed etiam, quia, vt S. Thomas docet *par. 1. q. 75.* illud existit, quod operatur, vt quod; illud verò, quod operatur vt quod, totum est: pars enim est ratio, qua est totum, siuè compositum.

Confirmatur conclusio ex doctrina S. Thomę, & *Caiet. q. 17.* Receptiuum adæquatum, & immediatum existentiæ substantialis subiectiuæ, est suppositum; suppositum autem totum est, vt suo loco explicauimus.

Obijcies primò: esse conuenit simul composito, formæ, & materiæ; quia existentia est actus totius; totum autem est collectiuum materiæ, & formæ vnitarũ; sed ex hoc infertur, existentiam substantialem subiectiuam conuenire immediatè materiæ, vt receptiuum inadæquatum, quod sufficit, vt existentia diuinitùs conseruari possit in materia prima seiuncta ab omni forma substantiali. Dico, vt cõseruari possit formaliter in materia, ad denotandum, materiam inadæquatè, licet immediatè, esse capacem existentiæ fluxæ à forma substantiali.

Respondeo cum distinctione; existẽtiam fluentem à forma substantiali, conuenire simul, & æquè primò duratione, seu instanti temporis; sed non æquè primò, & simul simultate ordinis, & naturę, siuè exigentiæ; nam, quod primò exigit existentiam ordine naturæ, est totum, resultans ex materia, & forma substantiali vnitis; sed collectiuè; non enim ideò totũ exigit esse: quia materia, & forma exigunt; sed è contra ideo materia, & formã exigunt; quia totum exigit, vtpotè id, quod absolutè, & propriè est; deindè, nimirum, in posteriori naturæ, exigit existentiam forma; quia non ideo forma exigit esse, quia materia exigit; sed è contra: quia forma, quæ totum specificat exigit esse; ideo materia, quæ cum forma constituit totum, exigit esse: quo fit, vt forma prius secundùm ordinem exigentiæ, habeat esse, quàm materia, & inde est etiã, quod in intentione agentis producentis totum,

tum,

tum, prius esse intenditur toti, quam partibus; agens enim intelligit principaliter producere ens completum in specie, quod est totum, ob quod secundariò intendit dare esse partibus, ex quibus resultat totum: & ratio huius à priori est; quia, vt sæpè suprà repetiuimus, existentia subiectiua, est actus essentiæ determinatæ vsque ad vltimam differentiam indiuidualem; existentia enim est vltimus actus in genere entis; etenim posse esse, & actu esse, adæquant quodlibet genus entis.

Obijcies secundò: in vno, & eodem ente, prior est potentia, quàm actus, vt probat *Arist. in metaph.*; sed in toto physico materia est potentia; forma est actus: ergo prior est in toto materia, quam forma: sed quod prius est ordine naturæ, prius exigit existere: ergo prius conuenit ordine naturæ existentia materiæ, quam formæ: ergo materia est immediatè potens existere, & consequenter est immediatum receptiuum, licet inadęquatum existentiæ, ergo separata à materia omni forma substantiali, potest materia formaliter existere, & immediatè, existentia fluxa à forma substantiali.

Respondeo, distinguo maiorem: in vno, & eodem, prior est potentia, quam forma ordine essentiali, & concedo: ordine existentiali, & nego: ex ordine autem essentiali non potest inferri ordo in existendo: quia mutatur medius terminus, & ratio est: quia ordo essentialis in genere causę materialis incipit à potentia: ordo verò in existendo incipit ab actu formali: quia existentia est actus secundus fluens a forma, tamquam ab actu primo; hac distinctione Caiet. soluit argumentum Scoti super Opus. de ente, & essentia *cap.5.q.8.* argumentum scilicet, quo Scotus probat, materiam primam existere independenter ab existentia formæ, eo medio: quia materia prima causat in genere causæ materialis formam: ad hoc autem requiritur, vt materia existat independenter ab existentia formæ, quia causa realis in illo ipso priori naturæ, quo est causa, debet esse existens independenter a suo effectu: sed materia in eo, in quo est causa formæ, est prior, & consequenter independens a forma: ergo etiam est independens in existēdo: quoniam causa non causat, nisi in eo priori, in quo causa sit existens; cuius ratio est: quia prius est, causam esse, quàm causam causare suum effectum.

Respondet Caiet. cum distinctione, quod quando materia causat, necessariò debet esse existens: sed non loquendo, quādo causa exercet suam causalitatem: sed de ordine, & prioritate causalitatis essentialis: quia prioritas causalitatis essentialis, præscindit à duratione, non debet materia in existendo præcedere formam; quia alius est ordo causalitatis essentialis, & alius est ordo temporis, & causalitatis existentiæ, & qui arguit ab ordine causalitatis essentialis ad ordinem causalitatis existentię, labitur in fallaciam æquiuocationis, & in fallaciam consequentiæ.

Affert instantiam Caietanus contra Scotum, quæ mihi semper visa est habere magnam vim, & est huiusmodi, vt alibi fusè diximus in doctrina Scotistarum, gradus essentiales, siuè metaphysici, sunt distincti ex natura rei, & prior est ordo coordinationis essentialis, quàm ordo existentiæ: prius enim natura intelligitur animal informari rationali, & deinde intelligitur animal informatum rationali existere realiter; & si hoc negetur, probatio est manifesta; quia quod existit in priori naturæ, supponitur aptum ad existendum. Tunc sic discurrit Caiet; in priori naturæ animal causat rationale, & vt sic est actu causa, independenter à differentia rationali, aut à differentia irrationali; sed in illo priori, non potest intelligi animal causare, vt actu existens; quia existentia, cum sit vltimus actus in genere entis, est actus entis essentialis determinati; animal autem non est determinatum, nisi informatum differentia rationali, aut irrationali.

Respondebit vtique Scotus inquit Caietan.; quod numquam animal est actu causans, nisi quando est existens; sed non loquendo quando animal suam exercet causalitatem; sed de ordine, & prioritate causalitatis essentialis, animal non causat suam differentiam, vt existens; quia existentiam est prædicatum temporale creaturæ, siuè durationis; ordo autem essentialis pręscindit à duratione, & ab existentia; ita respondeo ego, inquit Caietan; quod materia quando causat, nimirum, in tēpore siue in instāti tēporis, quo causat, causat existens; sed loquendo de ordine, & prioritate causalitatis essentialis, materia non existit nisi in posteriori naturæ, sed in eodem instanti tēporis, cū iam est in actu determinatæ speciei per formam; ordo enim naturæ, siuè essentiæ inquit Caiet. talis est vt in eodem instanti temporis, quo compositum existit, & partes existunt cum ordine & prioritate naturæ, priùs existit totum, deinde forma, & vltimò materia.

Obiicies tertiò: inter materiam, & formam, non est connexio essentialis; sed naturalis tantùm; at si implicaret; materiā primam existere sine omni forma substantiali, esset connexio essentialis inter, materiam, & formam, ergo, &c. Maior probatur: nam sufficit tantùm connexio naturalis, & probatur ex Aristotele, qui in vniuersum docuit, generationem vnius substantiæ esse ex corruptione alterius, & huius ratio hęc meo iudicio afferri potest; quia numquam corrumpitur forma, nisi à dispositionibus contrarijs, non in quacumque latitudine, sed a dispositionibus contrarijs certo gradu intensis; ac proindè dispositiones, quę valuerunt corrumpere formam præteritā, valebunt introducere formam nouam.

Scio, nonnullos veteres Scholasticos negare assumptum argumentum, præcisè in eo casu, si quis violenta morte, & valdè subita pereat; huiusmodi sunt, qui dixerunt, nō dari resolutionem vsque ad materiam primam exclusiuè, vt diximus suo loco.

Sed re vera, siuè corruptio sit per dispositiones longo tempore introductas, siuè per dispositiones statim immutatas, semper remanet intemperies dispositionum in aliquo paruo tempore, vt qua ratione fuerunt corruptiuę formæ præteritæ, fuerunt etiam dispositiuę formę noue, &c.

Ad casum de repentina morte; Responsio facillima est; ideo enim viuens moritur; quia complexio vitę mutata est; illa ergo complexio mutata, sicut valet ad expellendam formam priorem, nullum fundamentum est cur negetur valere ad introducendam formam nouam. Ad argumentū autem principale.

Respondeo nego maiorem: dependēdentia enim est essentialis; quia existentia ex suis intrinsecis, est actus entis essentialis determinati, vsque ad indiuiduum inclusiuè; materia autem non est ens essentiale determinatū, nisi, vt est in determinata specie per formam substantialem;

## ARTICVLVS DECIMVS QVARTVS.

### An materia prima sit entitas simplex.

ARticulum hunc reperio exagitatum à Scotistis, & proponitur examini occasione doctrinæ Aristot. qui in *lib. 1. phy.* docet, quod materia prima de se, neque est entitas finita, neque infinita; sed finitatem habet beneficio quantitatis, quibus verbis, videtur Aristot. negare in materia compositionem partium integralium; de qua cōpositione hìc est sermo, siuè partes sint actu, siue in potentia; sunt autem partes integrales in actu, quæ non solùm habent entitatem diuisibilem realiter; sed etiā actualem distinctionem vnius ab alia; partes vero in potentia dicuntur, quæ præcisè habent entitatem realiter diuisibilem in plures partes; sed non actu diuisam.

Ad intelligentiam quæsiti supponendum est, compositionem opponi simplicitati; ac proindè, quot modis dicitur compositio, tot modis consimiliter dicitur simplicitas.

Scotistæ multiplicem distinguūt cōpositionem, quæ doctrina est adhuc Thomistarum; quædam compositio, est cum his; quædam verò est compositio ex his. Compositio, cum his dicit præcisè vnum componentium alteri iungibile, siuè vt actus suæ potentiæ; & è contra, vel vt terminus suo terminabili; compositio verò ex his, est quando ex componentibus resultat vnum per se; differt verò vnum per se ex principijs metaphysicis ab vnito per se; vnitum enim inuoluit distinctionē realem eorum, quæ vniuntur; idest, dicit plura actu distincta simul iuncta, vt actus potentiæ, & potentia actui; vnum verò excludit actualem distinctionem plurium, si de vno stricto modo sermo fit; & huiusmodi est totum, resultans ex materia, & forma simul iunctis; ex componentibus autem compositione cum his, non resultat vnum tertium distinctum formaliter, & realiter à collectiuo componentium. Et hæc explicatio fundatur in eo, tamquam in prima radice; quia totum, resultans ex materia, & forma substantiali vnitìm, formaliter est simplex; materialiter verò, & causaliter compositum, vt speciali articulo, suo loco probabitur cum S. Thoma, quem

quem sequitur Fonseca *tom.3.lib.7. cap.17. qu.vnica sect.3.in sua met.* sustinens, totalitatem physicam esse formaliter simplicem; Fundat verò opinionē in Aristotele primùm, deinde in ratione; Aristotele enim *secundo de Anima*, docet totum non esse solas partes vnitas; sed aliquid aliud, vt syllaba, Ba, non est, B, & A; sed, Ba, idest, non est elementa; sed aliquid aliud ex elementis. Præterea eodem loco de Anima Arist. diuidit substātiam in materiam, formam, & in substantiam ex his resultantē: quod autem, subdit Fons. per se resultat ex coniunctione duorum, non est realiter ipsa coniuncta; hanc opinionem expressiùs docet Arist. 12. *met.* vt suo loco probabitur, cum S. Thoma.

Ratione verò probatur à Fons. loco supra cit, quæ est hæc: totum physicum est vnum per se; at verò materia, & forma etiam coniunctæ simul, sunt plura entia per se; ergo totum physicum, est aliud formaliter à collectiuo suarum partium; addo ego; sed non compositum formaliter: ergo simplex formaliter; implicat .n. totum esse formaliter compositū, & esse distinctū à collectiuo partiū, à quo causatur.

Compositio præterea apud eosdem Scotistas, & Thomistas, triplex est; vel .n. est partium essentialium physicarum, e.g. materię, & formę substantialis: vel partium essentialium metaphysicarum, veluti generis, & differentiæ: vel partium integralium, siuè entitatiuarum, quo genere compositionis constant homogenea, siuè similaria; vt quantitas dimensiua, præter genus, & differentiam essentialem, habet partes quantitatiuas, siuè entitatiuas.

Hic nobis non est sermo de compositione cum his; quia certum est, materiam coniungibilem esse formæ; sed sermo est de compositione ex his; non quidem ex partibus, aut physicis, aut metaphysicis; sed integralibus, & entitatiuis; nam certum est, materiam non habere compositionem generis, & differentiæ, qui sunt gradus formæ; quia non ponitur materia directè in prædicamento substantiæ; & multò magis certum est, non habere compositionem materiæ, & formæ.

In hoc quæsito, quantū facit ad propositum, sunt tres modi dicēdi varij Scholasticorum.

Primus dicendi modus est Suarij *tom. 2. suæ met. disp. 40. sect. 4. à num. 7.* qui alioquin antiquarum opinionum cultor, antiquitatis oblitus (melius, inquit, moderni auctores aduerterunt) asserit, non solùm substantiam materialem habere partes entitatiuas distinctas, quin etiam concedit eidem extensionem propriam distinctam ab extensione quantitatis; secutus in hoc Sotum in prædicamento quantitatis *qu. 2.* ne verò videatur asserere, extensionem substantiæ, esse verè, & propriè extensionem quantitatis. Primò acutè distinguit triplicem extensionem; vna est entitatiua, quæ non pertinet ad rationem formalem quantitatis; quia potest reperiri in ipsa substantia, & qualitate, quæ partes habentes entitatiuas, hanc secum habent extensionem entitatiuam; alia extensio est localis, siuè situalis in actu, nimirum per correspondentiam actualem ad locum extensum; & hæc extensio posterior est extensione quantitatis, quæ est ratio formalis, propria quantitatis dimensiuæ; quia illam consequitur, tamquam effectus impedibilis, vt patet in quantitate Corporis Christi, in Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ, quæ extensa in seipsa, extrinseco loco non coextenditur: denique alia est extensio quantitatiua, quæ dici potest, inquit Suarez, situalis aptitudine, & hæc extensio est propria quantitatis dimensiuę; affert exemplum satis accōmodatū ad explicandā suā sententiā; quod materia, v.g. lapidis substantialiter, & realiter sit distincta à materia ligni, id non prouenit à quātitate; sed quod hæ duæ materiæ necessariò debeant separari loco, siuè situ formali, prouenit istud à quantitate. Secundò, vt magis declaret hanc suam opinionem, distinguit duplicem distinctionem partiū; vnam cum penetrabilitate partium in eodem situ, & aliam cum impenetrabilitate partium, tàm in situ quantitatiuo, quàm locali; primā asserit conuenire substantiæ materiali, & qualitati adhuc materiali independenter à quantitate; secundam verò conuenire eidem, quatenùs sunt extensæ per quantitatem dimensiuam.

Fundamentum Suarez præcipuum est; quoniam substantia materialis distinguitur essentialiter a substantia immateriali infrà rationem substantiæ; sed non est assignabilis alia contradistinctio, nisi hęc, idest, quod substantia spiritualis, non est distinguibilis in plures partes; substantia verò materialis, est diuisibilis in plures partes entitatiuas: idque probatur; quia substantia materialis est coextendibilis in se, & loco, per quantitatem dimensiuam: substantia verò spiritualis est omninò inextendibilis in se, & loco: sed radix huius diuersitatis, non alia esse potest, nisi quia sub-

substantia materialis, est diuisibilis in plures partes entitatiuas; substantia verò spiritualis non item.

Secūdus modus dicendi est Nominaliū, qui non distinguentes vllo modo substantiam materialem à quantitate dimēsiua, asserūt substantiā materialē esse diuisibilē in partes extensas; an autem istæ partes sint actu distinctæ, aut indistinctæ, non explicant: ab isto modò dicendi Nominalium, quales sunt *Gugl. Ockam & alij*, non multū discrepant Scotus, & ij, qui Scotum sequuti sunt; dum scilicet eodem pacto res materiales, quantas esse contendunt, nisi, quod Suarez, vt supra diximus, vna ratione impenetrabilitatis adinuenta, Nominalem se esse dissimulat Fundamĕntum Nominalium præcipuum est; quia substantia materialis (idem dicitur de qualitatibus materialibus,) est idem realiter quod quātitas dimensiua, nimirum, ens per se extensum: hoc probant; quia nulla ratio introducendi quantitatem distinctam à substantia materiali, & à qualitatibus materialibus, demonstratiuè est assignabilis.

Quod si dicas: posita distinctione quātitatis dimensiuę à substantia materiali, nō saluatur mysterium venerabilis sacramenti Eucharistię; nā desinit in eo substantia panis, & vini, remanente quantitate vtriusque, quod fieri non posset, nisi substantia materialis esset distincta realiter à quantitate sua dimensiua.

Respondent Nominales satis acutè, quod necessariò illa extensio, quæ indistincta est à substantia materiali, desinit cum ipsa substantia materiali; remanet verò quantitas, quæ proprium est accidentium materialium, desinente ea, quæ indistincta est a substantia materiali.

Quod si secundò dicas: si in Hostia consecrata essent plures quantitates, illę se se penetrarent, quod impossibile est: ita argumentantur omnes, quotquot vidi, ad euertendam opinionem Nominalium.

Vidit hanc instantiam Ockamus, vir àlioquin acutissimi ingenij, & respondere conatur in hunc modum. Tàm substantia, inquit, quam qualitates materiales, habent partes; quarum vnaquia non est intra aliam, distat ab alia; idest vna alij mediatè semper coniungitur, & quando in augustissimo Eucharistię Sacramēto, desinit substātia panis, & vini, consequenter desinunt partes tam panis, quam vini; quia à pane, & vino non distinguūtur; Remanet tamen albedo cum suis partibus, quarum vna est extra aliam, & illa est quantitas, inquit Ocamus, quam in speciebus sacramētalibus ritè consecratis, intuemur; Neque verò inde putes, quod dimensiones albedinis, & substantię, se penetrabant.

Nam dimensiones diuersorum entiū differentium specie, mutuò se penetrare possunt; solùm dimensiones materialium eiusdem speciei penetrare se se non possūt; & ideo inquit, quia materia in omnibus materialibus est eiusdem speciei, materiales substantiæ, quamuis diuersæ [illegible]icem, penetrare se non possunt; & quia accidentia non sunt sine subiecto; neque ipsa, aut subiecta possunt se penetrare: accidentia verò quæ in. SS. Sacramento videmus, neque penetrant manum sacerdotis, neque vas; in quo asseruantur ob eamdem rationem.

Quod si queras ab Ockamo, vnde nam oriatur hæc tanta diuersitas?

Respondere statim potest, quod quātitas dimensiua vt sic, ex sua ratione impenetrabilitatem non dicit; sed dicit impenetrabilitatem ex modo superaddito, quando scilicet dimensiones, siuè quantitates sunt eiusdem speciei, non possunt se se penetrare; quando autē sunt diuersæ rationis possūt se penetrare: qua de causa in accidentibus Hostiæ ritè consecratæ, & etiam antè consecrationem, non est penetratio.

Hanc Nominalium opinionem sequitur Berar. Telesius *in lib. suis de natura rerū.*

Tertius dicendi modus est *Capr. in 2. distinc. 3. q. 1. & docti. 10. q. 1.*, quem multi ex Thomistis sequuntur, qui asserit, substātiam materialem nullas ante quantitatē partes habere, idest nullam distinctionem actualem partium entitatiuarum; sed illam habere dependenter à quantitate dimensiua. Distinguit hic Doctor in vnaquaque entitate materiali duo, entitatem, & partitionem eiusdem entitatis, scilicet, entitatem, & diuisam, seù diuisibilem entitatem. Concedit substantiæ materiali entitatem substantialem, sed negat ab illa partitionem, siuè diuisibilitatem independenter ad ordine intrinseco ad quantitatē. Fundatur hæc opinio in eo, quod si entitas materialis haberet partes entitatiuas; vna pars illius entitatis, non esset alia, & consequenter esset extra aliam, & consequenter vna extenderet cum alia, quæ omnia sunt prædicata quantitatis dimensiuæ; sed substantia materialis, sicut & qualitas materialis est distincta realiter à quantitate dimensiua; ergo substantia materialis, sicut & quęlibet qualitas materialis sine ordine intrinseco ad quantitatem dimensiuā exten-

tendentem formaliter substantiam, nullam habet distinctionem, neque distinguibilitatem plurium partium entitatiuarum; proculdubio quæsitum hoc, siuè hic articulus, non habet locum apud opinantes, substantiam materialem esse formaliter quantitatem dimensiuam, vel identificari cum quantitate dimensiua; sed solùm apud opinantes, substantiam materialem, sicut, & quamlibet qualitatem materialem, esse genus entis realis diuersum à genere qualitatis dimensiuæ; verùm quia Metaphysici vniuersalissimi est in promptu reddere rationem omnium, etiam difficillimorum; probandũ est primùm, substantiã materialẽ distingui realiter à quantitate dimensiua.

Prima conclusio; quantitas dimensiua, est accidens distinctum realiter à qualibet substantia materiali. Conclusio controuersa est ijs, qui tenent substantiam materialem intrinsecè habere partes extra partes entitatiuas, & substantiales, non quidem ex suo genere; sed ex sua specie, idest, non quatenùs substantia vt sic, quę communis est substantiæ materiali, & substantiæ immateriali; secus substantia immaterialis adhuc haberet partes extra partes entitatiuas; prædicata enim, quæ cõueniunt superiori secundùm se, conueniũt eidem in omni suo inferiori; sed solum, quia est substantia materialis. Conclusio, hæc asseritur ab Arist. *lib. 2. Phy.* vbi argumentans contra ponentes omnia esse vnũ: saltem, inquit, erit substantia, & quantitas; sæpè etiã *in metaph.* dicit, quantitatẽ accidere substantiæ, & in logica primũ prędicamentũ accidẽtis, cõstituit quantitatẽ.

Fundamentum ad hanc conclusionẽ demonstrandam sumẽdum est ex metaphysicis; conceptus essentialis adæquatus obiectiuus substantiæ materialis essentialiter saluatur sine quantitate dimensiua; sed hoc satis est, vt quantitas dimensiua distinguatur realiter à substãntia materiali, & vt sit accidens prædicamentale; ergo quãtitas dimensiua est accidens extra essentiam substantiæ materialis: ergo quantitas dimensiua est accidens extra essentiam substantię materialis; ergo quantitas dimensiua est accidens realiter distinctum à substantia materiali, idem dico de qualitatibus materialibus. Maior probatur: nã substantia materialis adæquatè saluatur tantùm his prædicatis, quod sit ens per se dependens à materia substentatiuè, sed in hoc conceptu obiectiuo essentiali, non includitur quantitas dimensiua; ergo, &c. Minor probatur, tùm à priori, tùm a paritate; à paritate quidem; quia hac ratione qualitas accidens est distinctum realiter à substantia materiali; à priori verò, quotiescunque intelligitur essentialiter substãtia materialis independenter à quocunque alio conceptu; tunc omnis alius conceptus superueniens extrà primum conceptum essentialem, est accidens realiter diuersum; quia est extrà essentiam rei; hoc autem prædicatum, appello accidens; sed ita est in casu nostro: ergo quantitas dimensiua accidens est, distinctum realiter à substantia materiali.

Dicent fortè aduersarij, quantitatem dimensiuam esse extra essentiam substantię materialis, inquantùm substantia præcisè: non autem inquantum substantia materialis est, siuè inquantum est contracta ad substantiam materialem; incumbit verò nobis probare, quantitatem dimensiuam esse extra conceptum substantiæ contractę ad materiale: nam potest dici, quod substantia, vt materialis adæquatè, ex eo quod est substantia materialis, includat partem extra partem entitatiuam; & probatur, quia substantia materialis cõtradistinguitur à substantia spirituali; sed substantia spiritualis excludit à se partem extra partem; ergo ex opposito, substantia materialis, vt materialis adæquatè includit partes entitatiuas, quarum vna est extra aliã; hæc sunt prædicata quantitatis dimensiuę: ergo substantia materialis in suo conceptu essentiali adæquato, & definitiuo, includit quantitam dimensiuam.

Sed hæc responsio, non euacuat vim argumenti: nam substantia materialis cõtradistinguitur adæquatè à substantia spirituali; quia substantia materialis, non solùm est quidem ens per se, scilicet independens à subiecto inhæsionis; sed etiam dependens à materia substentatiuè; substãtia verò spiritualis, est ens per se; sed independens à materia substentatiuè: his .n. tantùm prædicatis habetur adæquatè adęquata ratio substantiæ materialis, & substantiæ spiritualis.

Neque dicas, ad distinctionem realẽ requiritur, vt quantitai dimensiua sit extra substantiam materialem secundùm se, non autem prout conceptibilis est a nostro intellectu conceptibus inadæquatis, & imperfectis; sed extensio dimensiua est extra essentiam substantiæ materialis, quatenùs est conceptibilis à nostro intellectu cõceptu inadæquato: dicitur enim extensio dimensiua extra essentiam substantiæ materialis; quia est extra eius definitionem; sed de-

definitio conuenit substantiæ materiali, secundùm quod concipitur à nostro intellectu, qui intelligit rerum quidditates conceptibus inadæquatis; lumen enim intellectus nostri, est lumen inadæquatum ad differentiam intellectus Angelici, qui nō discurrit, eo quod cognoscit lumine intellectuali adæquato.

Sed hęc respōsio reijcitur primò: quia his tantum prædicatis saluatur essentia substantiæ materialis secundùm se; siue, vt alij dicunt, prout est in se in rerum natura, & probatur; quia positis his tantùm prædicatis essentialibus, nimirum ens per se dependens à materia substentatiuè, & remotis quibuscunque aliis, ponitur adæquatè essentia substantię materialis secundū se; & his tantum semotis, positis quibusquumque aliis, aufertur omnino essentia substantiæ materialis; sed hoc est signum euidens, quod allata definitio substantiæ materialis est definitio substantiæ materialis secundùm se. Secundò: quia materialitas, est differentia formalis diuisiua substantiæ creatæ; differentia autem formalis substantiæ est intra latitudinem formalem entis per se; sed esse extensum, siuè in loco, siuè in se, est conceptus extra rationem entis per se; nam ens per se cum sit perfectum in suo genere, sistit in se; at esse substantiam materialem quantam, aut dicit commensurationem ad locum, qui est respectus extrinsecus, aut est proxima radix commensurationis substantiæ ad locū; quod si substantia materialis includeret extensionem dimensiuam, vt sui differentiam essentialem, non esset substantia, quatenus, materialis ens per se; quia ens per se sistit in seipso; esse verò commensurabile loco extrinseco, non sistit in se; sed dicit ordinem intrinsecum ad locum extrinsecū, quæ ratio sufficiens est, vt quantitas distinguatur realiter à substantia materiali; hæc enim ipsa ratio, vt Deo duce suo loco docebimus cū S.Th. est causa vt potentiæ animę, accidentia sint: quia sunt proxima fundamenta operationum, & actuum, qui sunt quid extrinsecum; esse verò ens per se dicit conceptum absolutum, & non relatiuum; sicut esse quātum quantitate dimensiua, quod dicit conceptum respectiuum, aut proxima radix, est respectus ad locum.

Fateor discursum hunc, nō satisfacere proteruis; sed sine dubio Metaphysici eo contenti esse debent, ne omnia cum Parmenide, & Melisso, vnum faciamus.

Obiicies primò: quantitas dimensiua est extensio, non in abstracto, sed in concreto; est enim ens extensum per se; sed ex hoc prædicato satis est vt substantia materialis sit sua quantitas dimensiua, ergo, &c. Minor probatur; nam ex hoc, quod quantitas est extensio in concreto, non inconuenit, quod ratio materialis, sit sibi sua ratio formalis; sed hoc prædicato sufficienter substantia materialis est sibi sua extensio.

Hoc argumētum proponit Ocka. In tractatu de Santissimo Sacramento *cap.* 4. ; sed certe eius vis nulla est. &

Respondeo facile; nā rationē formalē esse sibi rationē formalē, nō cōcludit quod ratio materialis sit sibi sua ratio formalis: in re nostra, quantitas, est sibi sua extensio; quia est ratio formalis essendi extensum; hoc autem non potest concludere, substantiam materialem esse essentialiter sibi suam quantitatem dimensiuam; mutatur enim medius terminus. Explico quæ dico: motus v. g. habet formaliter, quod sit motus per seipsum; quia est ratio formalis mouendi, & tamen non valet; ergo corpus est sibi ratio mouendi: prætereà vnio, seipsa vnio est; & tamen partes vnibiles, seipsis vnio non sunt.

Ad illum modum loquendi, quem vsurpat Ockam. scilicet, quod quantitas est quanta.

Respondeo cum distinctione; duplex enim huius loquendi modi potest esse sensus; primus sensus est, quod quantitas est subiectum, habens in se rationem formalē quantitatis, & hic sensus falsus est; nam quantitas quanta est formaliter; quia est ratio formalis extensionis. Secundus sensus est quod ratio abstracta extensionis, siuè quantitatis, sit concreta per sui differentiā indiuidualem, & hic sensus est metaphysicus, & verus; exemplo doctrina fit manifesta: albedo alba est, non quasi albedo sit ratio materialis substrata albedini, sed quia albedo in sua ratione formali recipit differentiam indiuidualem, per quam fit concreta, scilicet fit indiuidua.

Obijcies secundo; substantia materialis sine quantitate à se distincta realiter, est etiam formaliter extensa; at si substantia esset quanta, & extensa per quantitatem, & extensionem extra suam essentiam, non posset substantia materialis esse extensa sine quantitate dimensiua; implicat enim dari effectum formalem primarium sine forma. Maior probatur; quia Deus sine quantitate dimensiua, si ea esset distincta realiter, potest conseruare substantiā materialem in eodem situ, in quo erat sub quātitate

titate dimensiua; aliter substantia materialis deberet redigi in punctum si remoueatur ab ea quantitas hæc autē reductio fit per motū; motus autem non fit nisi à corpore extenso; ergo sine quantitate quantitas materialis est formaliter extensa; ergo quantitas dimensiua distincta à substantia materiali, est conficta, & impossibilis.

Respondeo hoc argumentum, sicut, & præcedens fallax esse. Primum quidem; quia ponit per motum substantiam redactum iri in punctum, quod omninò falsum est; nam reducitur ad pūctum non per motum, seu per solam ablationem rationis formalis extensionis, sicut. v. g. ablata albedine à pariete, statim atque paries non habet albedinem, fit non albus; & nisi fallor, argumenti fallacia ex falsa imaginatione prouenit; supponit enim imaginatio hoc fieri per transitum, qui fit quędam complicatio partium substantiæ

Neque obstat si dicas, quod partes sub quantitate, erant distantes: distantia autem non potest separari, nisi per motum, e, g. vt extrema pars corporis palmaris se coniungat parti distanti; prius debet esse in minori, quàm in distantiori parte; sed hic est motus formaliter, & transitus successiuus.

Non, inquam, hoc dicas: nam quamuis partes corporis quanti quantitate dimensiua, sunt distantes; sunt tamen distātes per rationem formalem extensionis, qua ratione formali ablata, sine omni cōplicatione, quæ fiat per transitum, & successiuum motum, remanebunt partes formaliter indistantes.

Difficultas hic fieri solet; vbi nam substantia se redigat in punctum; sed mihi hoc incertum est, fortè determinabit Deus si nihil natura præscripsit, aut in medio, aut nullibi.

Fallax etiam est hoc argumentum; quia supponit, quod potest Deus conseruare substantiam materialem extensam sinè quantitate, quod est idem, ac si quis diceret, posse Deum, ablata albedine, conseruare parietem album; solùm hic aduertendum est, quod in vno sensu verum esse potest, quod Deus conseruet substantiam materialem in eodem loco: scilicet, replicando semper totam substantiam, v. g. si substantia sub quantitate erat palmaris, potest Deus eandem conseruare palmarem, separando ab ea quantitatem; sed hæc conseruatio non erit per commensurationem ad o cum palmarem, quàm communiter appellant commensurationem circumscriptiuam; sed solùm erit per replicationem vnius, & eiusdem substantiæ in toto spatio, & in qualibet parte spatij; quicquid tamen de hoc sit, certum est, eam substantiam non posse esse extensam sine extensione.

Conclusio secunda; substantia materialis, præscindendo à quantitate dimensiua, habet omnem entitatem suarum partium; nemo est, quem viderim, qui veritatem huius conclusionis neget, & ratio cōclusionis est; quia entitas substantiæ materialis, tota est substantialis; sed substantia, vt sic est independens à quantitatè dimensiua in ratione substantiæ; ergo substantia materialis, præscindendo à quantitate dimensiua, habet omnem entitatem partiū, quas potest habere dependenter à quantitate dimensiua.

Tertia conclusio: substantia materialis sine quantitate, non est diuisibilis in partes quantitatiuas; quicquid sit, an habeat partes entitatiuas; sunt autem partes quantitatiuæ diuisibiles in partes minores semper mediatas, scilicet in quibus non est inuenire plures partes immediatè vni. Suarez verò definit partes quantitatiuas, impenetrabiles in eodem situ quantitatiuo, & locali; sed hæc definitio est à posteriori, siuè accidentalis: nam datur per genus, & proprietatem; prima verò definitio est definitio essentialis, siuè, vt alij dicunt a priori; & huius ratio manifesta est; quia causa cur vna pars sit impenetrabilis cum alia, in eodem situ est; quia vna pars essentialiter est extra aliam semper mediatè; nam impenetrabilitas est ex distantiam essentiali in situ; hæc autem est ex distantia mediata vnius partis ab alia.

Fundamentum conclusionis est; quia implicat esse effectum sine sua causa; sed diuisibilitas in partes situ distantes, tùm in se, tùm in loco, est effectus per se quantitatis dimensiuæ; ergo substantia materialis sine quantitate dimensiua, non potest esse diuisibilis in partes situ distantes, separatas à quantitatè dimensiua.

Quarta conclusio: substantia materialis à quantitate dimensiua separata, nullam habet distinctionem partium entitatiuarū; & substantialium sine ordine intrinseco ad quantitatem dimensiuam; neque potest habere distinguibilitatem, siuè diuisibilitatem in partes entitatiuas. Duo assero in hac conclusione; primum est, substantiam materialem à quantitate dimensiua præcisam, nullam habere posse distinctionem suarum partium entitatiuarum nimirum

nimirum, in ea non potest signari pars à parte sine quantitate; secundum est, substantiam materialem, præscindendo ab ordine intrinseco ad quantitatem dimensiuã, nullo pacto posse esse intrinsecè diuisibilem in partes entitatiuas; & clariùs, sine capacitate quantitatis dimensiuæ, substantia materialis nullo pacto potest esse diuisibilis in plures partes entitatiuas, quarum vna non sit alia, & in hoc sensu loquutus est Capreo. *loco sup. cit.* vt illum legenti facilè patet. e. g. est quantitas palmaris lapidea; assero in hac conclusione, quod substantia lapidis quæ nunc est sub hac quantitate palmari, si præscindatur ab ordine, & intrinseca capacitate ad quantitatem dimensiuam, non habet in se vllum fundamentum, cur sit diuisibilis in plures partes entitatiuas.

Huius rei probatio à priori difficilis vtique est, communiter hæc ratio assignatur. Diuisibilitas, passio est quantitatis ex Aristotele; sed implicat dari passionem sine sua radice; ergo implicat substantiam materialem à quantitate præcisã, & maiori ratione sine capacitate intrinseca quantitatis, esse diuisibilem in partes entitatiuas, ratio maioris propositionis est; quia diuisibilitas oritur ex eo, quod vna pars est extra aliam in entitate; sed hæc extreitas est ratio formalis quantitatis dimensiuæ.

Respondet Suarez loco supra cit. distinguens duplicem diuisibilitatem entitatiuam; aliam in partes entitatiuas impenetrabiles situ, & hanc asserit esse propriam passionem quantitatis dimensiuæ; & aliam esse in partes sine impenetrabilitate, & hanc diuisibilitatem conuenire, tàm substantiæ materiali, quàm qualitatibus materialibus.

Sed hęc Suarez responsio ab aliis reiicitur hoc fundamento, causa cur vna pars sit impenetrabilis, cum alia in quantitate, est; quia vna pars est extra aliam: sed in substantia materiali vna pars entitatiua est extra aliam; quia vna pars est distincta entitatiuè ab alia; distinctio autem entitatiua, dicit vnam partem esse extra aliam; ergo si substantia materialis, pręcisa à quãtitate, esset diuisibilis in partes entitatiuas, haberet in se partes impenetrabiles in quãtitate; ergo impenetrabiles situ, tùm in se, tùm in loco.

Idem Suarez *disp.* 40. *sect.* 4. *n.* 17. ad hoc soluendum argumentum distinguit etiam multiplicem diuisibilitatem; aut .n. inquit, diuisibilitas est metaphysica in ordine ad intellectum, qui intelligit vnam partem, non intellecta alia; aut physica; quæ est secundum realem separationem à quocunque agente; aut est physica strictè loquendo, scilicet. in ordine ad agens physicum, & docet secundùm genus diuisibilitatis nullo pacto pendere à quantitate: asserit tamen hoc, nullam reddens rationem, nec mirum; is enim, si extensionem non facit propriam rationem formalem quantitatis dimensiuæ; multo magis non faciet diuisibilitatem entitatiuã, propriam diuisibilitatem quantitatis dimensiuæ; & in specie secundum hanc doctrinã, non saluatur diuisibilitas passio quantitatis; nam si quæ esset, esset tertia in ordine ad actionem physicam, quę non est propria passio quantitatis; propria enim passio quantitatis conuenit omni quantitati dimensiuę; at non omnis quantitas dimẽsiua subditur actioni agentis physici realiter diuidentis, vt est quantitas in minimo naturali.

Equidem ad excludendas, & reiiciendas istas, & similes responsiones, notanter addidi illam particulam, substantiã materialem non esse diuisibilem intrinsecè, vtpotè in partes entitatiuas substantiales; quoniam hæc necessariò est passio quantitatis dimensiuæ.

Fundamentum autem est hoc; quia diuisibilitas in partes entitatiuas adæquatè duplex est; alia in partes entitatiuas intensionis; alia in partes entitatiuas extensionis; diuisibilitas in partes intensionis omninò contradicit substantiæ materiali; substantia enim materialis, non potest suscipere magis, & minùs, idest, non est capax augumenti intensiui ex communi doctrina ab Aristotele sumpta in prædicamẽto substantiæ, cuius rationem à priori reddit S. Thomas *prima secundæ*.

Quia nimirum substantia etiam vt materialis est ens per se, ens autem per se consistit in termino, scilicet habet modum essendi perfectum, & in termino; vnde à se abiicit modum gradualem; quia hic contradicit termino; sed solùm capacitas intensionis potest competere accidenti materiali: quia accidens materiale est essẽtialiter imperfectum: imperfecto autem vt sic, non repugnant gradus: quia imperfectum vt sic, non habet terminum: ergo substantiæ materiali non potest competere alia diuisibilitas, nisi in partes extensionis: sed hæc est passio propria quantitatis, quæ non potest competere substantiæ materiali, nisi dependenter à quantitate, & consequenter substantia materialis

lis

lis præcisa ab ordine intrinseco; siuè à capacitate intrinseca quantitatis dimensiuæ, nullo pacto potest esse diuisibilis in partes entitatiuas; ex qua doctrina sequitur, quod si per possibile daretur substantia materialis, sine vlla capacitate intrinseca quantitatis dimensiuæ, illa nullo modo esset intrinsecè diuisibilis in partes entitatiuas. Cui doctrinæ ex suppositione data.

Non obstat si obijcias; substantia materialis contradistinguitur à substantia spirituali; sed hæc est essentialiter indiuisibilis in partes entitatiuas; ergo ex opposito, substantia materialis debet esse essentialiter diuisibilis in partes entitatiuas; quia oppositorum, sub vno communi genere, oppositæ debent esse differentiæ.

Non inquam hoc obstat, quia vt supra diximus substantia materialis sufficiēter distinguitur à substantia spirituali; quia hæc est essentialiter independens à materia substentatiuè; substantia verò materialis, vel est dependens essentialiter à materia substentatiuè; vel est ipsa materia prima, quæ est prima radix omnis materialitatis.

Secunda ratio fundamentalis conclusionis est, quam accipio adhuc ex principijs S. Thomæ; substantia materialis, neque ex suo genere, neque ex sua specie, præscindendo à capacitate intrinseca quātitatis dimensiuæ, habet vndè diuidatur diuisione entitatiua; non quidem ex suo genere; quia, si ex suo genere haberet in se vndè diuideretur entitatiuè; etiam substātia spiritualis esset intrinsecè diuisibilis, diuisione entitatiua, neque ex sua specie: quoniam substantia materialis, vt materialis, præscindendo à capacitate intrinseca quantitatis dimensiuæ, essentialiter adæquatè, non aliud dicit, nisi ens per se dependens à materia substentatiuè; sed vbi non est radix diuisibilitatis nulla potest esse diuisio, vel diuisibilitas entitatiua; ergo substantia materialis, præcisa à capacitate intrinseca quantitatis dimensiuæ, non habet in se, neque diuisionem actualem, neque diuisibilitatem entitatiuam.

Tertia ratio conclusionis esse potest; quia substantia etiam, vt materialis, præscindendo ab ordine intrinseco ad quantitatē dimensiuam, est perfecta in suo genere; sed perfecto vt sic, repugnat diuisibilitas entitatiua; quia diuisibilitas entitatiua, dicit latitudinem entitatiuam; at latitudo repugnat termino, & perfecto, vt sic; ergo substantiæ materiali vt sic, præscindendo ab ordine intrinseco ad quantitatem dimēsiuam, omninò repugnat diuisibilitas; ergo si substantia materialis est diuisibilis, hoc habet dependenter à quantitate dimēsiua; quia scilicet, est capax quantitatis, vt diuisiuæ; hæc ratio persimilis est rationi, qua supra ostendimus cum S. Thoma, substantiam materialem esse omninò incapacem intensionis. Hæc doctrina, præter allata fundamenta, fundabitur magis discurrendo de difficultatibus, quæ opponi possunt ab aduersarijs.

Si enim primò dicant, substantia etiā vt materialis, est prior quantitate dimensiua; quia quantitas dimensiua accidens est, at omne accidens est posteriùs substantia.

Respondeo distinguo maiorem; est substantia materialis quantùm ad entitatē per se; siuè vt substantia formaliter, prior quantitate dimensiua, & concedo; vt diuisibilis in partes entitatiuas, & nego; nō inconuenit autem, vt idem sit prius, & posterius alio, in diuerso genere: quia contradictio est secundum idem, & ad idem: at prius, & posterius in diuerso genere, non sunt prædicata secundum idem, & ad idem, vt ostendimus cum S. Thoma, asserendo causas etiam intrinsecas posse, se se inuicem causare in diuerso genere causæ.

Si secundò dicant contra hanc responsionem: substantiam etiam materialem, esse priorem simpliciter, quàm sit quantitas dimensiua; sed priori simpliciter contradicit posterioritas secundum quid: quia prioritas simpliciter præscindit ab omni prioritate, & posterioritate secundū quid, qualis est prioritas in diuerso genere causæ.

Respondeo distinguo maiorem; substantia etiam materialis in genere entis per se, est prior simpliciter, quàm sit quantitas dimensiua, & concedo: vt diuisibilis entitatiuè, & nego: argumentum aliquā vim haberet, si substantia materialis, vt diuisibilis entitatiuè, esset simpliciter prior quantitate dimensiua.

Si tertiò deniquè acriùs instent: substantia materialis, per quantitatem diuiditur accidentaliter; at verò diuisio, siuè diuisibilitas entitatiua est per diuisiua in genere substantiæ; quia est diuisio intra genus substantiæ, non intra genus accidentis.

Respondeo, vt supra diximus in articulo de multiplicatione indiuiduali substantiæ intra eandem speciem, quæ oritur tamquam à prima radice à materia prima signata quantitate, & dispositionibus va-

rijs indiuidualiter; distinguendo maiorē; substantia materialis, per quantitatē, partitur quidem accidentaliter, quia partitur ab accidente, vt a prima radice diuisibilitatis, & in hoc sensu vera est maior; sed hoc non obstat; quia ipsamet substantia materialis partitur entitatiuè; partitur accidentaliter; quia differentiæ indiuiduales diuisiuæ, sunt in genere accidentis, & in hoc sensu falsa est maior; cum verò dicitur ab opponente, quod diuisio est per differentias intra substantiam.

Respondeo cum distinctione; diuisio substantiæ materialis per differentias indiuiduales formales, & concedo, per primam radicem in genere causæ formalis, & nego; non enim inconuenit, vt substantia materialis secundùm aliquam determinatam rationem sit prior, & posterior aliquo accidente in diuerso genere causæ.

Quinta conclusio: substantia materialis, vt capax quantitatis dimensiuæ, est diuisibilis intrinsecè, diuisione quantitatis dimensiuæ: Cōclusio hæc duos potest habere sensus; primus est, quod substantia materialis ex eò præcisè, quod est capax quantitatis dimensiuæ, est diuisibilis entitatiuè, separata ab omni quantitate; secundus sensus est; substantia materialis, quatenus capax quantitatis, est diuisibilis in plures entitates per eandem diuisionem, qua diuiditur quantitas dimensiua, eo modo. v.g., quo materia prima est apta existere existētia formæ; sed quatenus in priori naturæ intelligitur constituta in specie à forma substantiali; Conclusio intelligitur non in primò sensu; quia, vt diximus non potest dari effectus sine sua causa; sed radix prima diuisibilitatis substantiæ materialis, est quātitas dimensiua; quia quantitas dimensiua est prima radix habēdi partes extra partes in entitate; sed intelligitur in secundo sensu, in quo puto loquutum esse Capreolū *locis supra cit.* Fundamentum conclusionis est modo allatum; quia scilicet prima radix habendi partes extra partes in entitate, est ratio formalis propria quantitatis dimensiuæ; sed implicat dari effectum independentem à sua causa prima; ergo &c; doctrina hęc clarè intelligitur paritate materiæ primæ, quæ est quidem apta existere existentia formæ; sed priùs natura actuatur à forma in specie; in posteriori verò naturæ existit existentia eiusdem formæ.

Obiicies primò substantia materialis est receptiua quantitatis dimensiuæ, sed non potest esse receptiua, nisi præsupponatur extensa; non quidem extensione quantitatiua; sed entitatiua, quæ est sine impenetrabilitate; ergo substantia materialis independenter à quantitate habet extensionem entitatiuam; hæc autem est diuisibilis in partes entitatiuas; minor principalis argumenti probatur; vt substantia recipiat quantitatem dimensiuam debet præsupponi vicina illi: at non potest esse vicina quantitati dimensiuæ, nisi sit extensa toti quantitati dimensiuæ: ergo &c.

Respondeo hoc argumentum difficile esse propter immaginationem, quæ fertur ad sensibile tantùm immaginabile; sed re vera solutio facilis est, si inspiciamus rationem demonstratiuam: & ostendo primum hoc à pari. Essentia debet recipere existentiam; vt autem recipiat in se existentiam, non debet præsupponi existens, quia causa formalis, non præsupponit in subiecto suum effectum formalem: ita pariter, non benè arguitur, substantia materialis debet recipere quantitatem dimensiuam; ergo debet præsupponi quanta: Secundò ostenditur rationibus supra explicatis, quę demonstratiuæ sunt; vbi autem est ratio demonstratiua, cessat omninò immaginatio, & est infirmi ingenii constituere iudicem sensum, aut immaginationem, vbi est ratio demonstratiua in oppositum.

Respondebit primò Suarez, & quidem doctè iuxta sua principia; ideo non debere poni in creatis essentiam distinctam realiter ab existentia.

Respondebit secundò Ockam. ideo, nō esse distinguēdam substantiam materialem à sua quantitate dimensiua; sed arguitur contra Suarez ad hominem ex doctrina ipsius Suarez: In creatis essentia est *distincta* ratione ab existentia, & secundùm rationē ab existentia, & secundùm rationem fundatam, præconcipitur essentia creaturæ ab existentia existens; tunc argumentor hoc pacto: essentia in creatis, vt distincta ratione ab existentia, est receptiua existentiæ, quia essentia, vt distincta ab existentia, est incompleta in ratione entis; sed vt recipiat essentia existentiam, non debet præsupponi existens; & quod hic doctor respondebit, respondebimus, & nos in nostris principijs; & magis vrgendo, substantia materialis habet extra suam essentiam extensionem quantitatiuam, qua carere potest, vt ipsemet Suarez docet *disp. 40. sect. 4.* Ponamus, substantiam hanc suā extensionem quantitatiuam amittere, & ei iterùm communicetur eadem extensio quan-

quantitatiua; tunc quærò, aut substantia materialis extenditur extensa, aut inextēsa: non quidem extenditur, vt in priori naturæ extensa etiam extensione entitatiua; nam non posset reddi ratio, cur substantia materialis seipsa non esset locabilis; sed locabilitas est passio quantitatis; ergo &c. Probatur sequela maioris; nam si substantia materialis seipsa esset coextensa, nō est fundamentum, cur non potest dari distinctus situs primæ partis, & secundæ; itaut situm, quem occupat prima pars, nō occupet secunda pars.

Quod si respondeat Suarez, extensionem substantię materialis, non esse extensionem quantitatiuam, sed entitatiuam tantùm; quia est sine penetratione vnius partis, cum alia comparte entitatiua; pars autem quantitatis dimensiuæ est impenetrabilis cum alia.

Contra est; nam causa cur vna pars in quantitate sit impenetrabilis cum alia est: quia vna pars essentialiter est extra aliam mediatè; sed extensio entitatiua habet partes huius conditionis: ergo, &c.

Eadem argumenta fieri possunt contra responsionem Ockami, nam substantia materialis in eius opinione est ratione distinguibilis à quantitate dimensiua, nam Ockamus asserit substantiam materialem esse suam quantitatem dimensiuam inadęquatè, non adæquatè, secùs substantia materialis esset sola sua quantitas dimensiua, quod implicat in terminis: quia est substantia extensa, nimirum, est substantia materialis, & est sua quantitas realiter.

Secundò à priore reijciuntur datę responsiones; etenim in ordine ad recipiendū effectum formalem, non debet præsupponi effectus formalis, quia præsupponeretur causa formalis; implicat enim esse effectum formalem sine sua causa formali; sed præsupponitur solum proportio, & habilitas ad effectum formalem, & explicatur doctrina in materia difficili de essentia, & existentia in creatis, non falsum, quod essentia in creatis, vt existat debet præexistere, sed solùm requiritur essentia apta ad existendum, & quia, quæ chimerica sunt carent ista aptitudine impossibile est, quod recipiant existentiam.

Quod si respondeat Suarez substantiā materialem præsupponi extensam, non extentione quantitatiua ob rationem datam, sed præsupponi extensione entitatiua.

Contra est primò, quia ad recipiendam quantitatem dimensiuam, & eius effectum formalem, satis est, vt modo diximus proportio formalis; hæc autem proportio, non dicit nisi rationem extendibilis, & extensiui. Secundò contra est, quia vt diximus hæc extensio entitatiua solo nomine differt ab extensione quantitatiua, quia est diuisibilis in partes extra partes in situ, quia pręsupponitur coextensa suis partibus, quantitatis dimensiuæ: ergo, hęc extensio quantitatiua est omninò conficta: In forma ergo ad argumentū: concedo maiorem, & nego minorem: ad probationem autem minoris, quod substātia materialis debet esse vicina quantitati, vt recipiat quantitatem.

Respondeo distinguo de vicinitate; alia enim est proportionis, & alia coextensionis: primam vicinitatem concedo: secundam verò nego: scilicet, vt substantia materialis extendatur, requiritur vicinitas extendibilitatis, nimirum, vt sit apta extendi.

Caietanus, quem communiter sequitur Thomistæ ad *opusc. de Ente, & Essen. cap.5.q.8. vers. ad secundam confirm.* tradit doctrinam ad hoc propositum valde aptā, scilicet, quod non inconuenit causas esse sibi inuicem causas, non in eodem; sed in diuerso genere causæ, vt dicitur quinto *met. tex.com.2.* sicut labor, siuè motus causa est sanitatis, & sanitas causa laboris in diuerso genere causæ, vt sæpè nos in prædictis quæstionibus explicauimus.

Obijcies secundò, partes substantiæ materiales, quando sunt sub quantitate dimensiua, distant inuicem distantia diuisibili. e.g. substantia lapidis palmaris habet suam primam partem substantialem distantem ab vltima sui parte, distantia diuisibili, & extensa; sed hoc posito necessariò quantitas materialis debet esse extēsa extēsione entitatiua; probatur minor, quia si à substantia materiali separetur quantitas dimensiua, necessariò partes substantiæ materialis debent remanere inter se distantes situ, quod ostenditur hoc medio, quia separatio quantitatis dimensiuæ à substantia materiali fit in instanti; in illo autem instanti necessariò partes substantiæ, quæ distabant adinuicem sub quātitate, debent remanere distantes, quia in instanti non possunt conuenire ad punctum loci; implicat enim motus localis fieri in instāti, nam vt pars prima. e.g. se coniungat parti distanti, priùs debet esse in viciniore, quam in distantiore parte; ergo transitus, & mo-

motus erit in tempore; sed in illo intermedio tempore, necessariò substantia materialis debet esse cum aliqua extensione; si ergo concedatur aliqua extensio, iam habetur nouum genus extensionis, quod suarez appellat genus extentionis quantitatiuæ; idem argumentum solet fieri alio modo, v. g. si a substantia bipalmari, separetur quantitas intermedia palmaris, remanentibus duabus quātitatibus semipalmaribus in extremis partibus loci; in hoc casu substantia non quanta intermedia, debet remanere extensa; sed non extensione quantitatiua; ergo extentione entitatiua.

Hæc difficultas multis, qui in doctrina non infimum locum tenent, visa est momenti; sed, vt video argumenti fallacia ex falsa immaginatione prouenit; supponit enim hoc debere fieri per transitum, qui nimirum est quędam complicatio partium substantiæ, vndè in forma.

Respondeo negādo partes substantiæ per separationem quantitatis dimensiuæ ab eis per motum, siuè transitum localem reduci ad puntum loci; ad probationem autem Respondeo, quod quamuis partes sint distantes sunt distantes per rationem formalem extensionis quantitatiuæ, & nō per motum, siuè transitum localem; vnde ablata quantitate dimensiua, semota omni complicatione, quæ fit per transitum, remanebunt partes substantię materialis in extensæ; ad quod puntum autem loci reducantur partes distantes iam supra explicauimus; reductio autem hæc fiet per remottionem quantitatis, non autem per motum localem.

Hæc responsio communi argumento impugnatur ab aduersarijs: dicunt enim, Deus potest seruare substantiam materialem, siuè corpoream, sine quantitate in eodem loco, in quo sub quantitate existebat; sed in eo euentu partes substantiæ, essent ordinatę, non secùs ac sub quantitate; ergo hic ordo partium substantiæ corporeæ, siuè materialis non potest prouenire à quantitate; ergo præexistebat in substantia materiali, siuè corporea independentèr a quantitate dimensiua; probatur maior; nulla enim apparet contradictio, cur hoc non sit factibile potentia absoluta Dei, & ostenditur à simili; Deus potest conseruare duas substantias materiales, siuè corporeas sine quantitate in diuersis locis; ergo poterit seruare duas dimidietates eiusdem substantię materialis in duabus partibus spatii, siuè loci, in quibus antea erant; ergo potest paritèr conseruare totam substantiam in eodem loco; Confirmatur, nam potest Deus diuidere illam substantiam corpoream, & ponere vnam dimidietatem cōtiguam alteri; quia in hoc nulla apparet repugnātia; ergo poterit etiā totā substantiā materialē conseruare continuam in eodem spatio siuè loco.

Respondeo primò ex dictis; nego maiorem, nimirum esse conseruabilem substantiam materialem in eodem loco in quo erat sub quantitate, si ab ea separetur quantitatas; quia ad hoc requiritur necessariò, vt substantia materialis sit saltem indistans à toto spatio, siuè à toto loco, indistantia entitatiua; hæc autem indistantia requirit partes inter se distantes in substantia materiali, quæ distantia, cum sit effectus formalis quantitatis dimensiuę, implicat esse sine quantitate; argumentum sine dubio concluderet si reductio totius substantię materialis, cum ab ea separatur quantitas deberet fieri, per motum siuè fluxum substantiæ ad punctum; nam hic fluxus substantiæ materialis ad punctum, deberet fieri in istanti, quia ablatio totius quantitatis dimensiuæ à tota substantia materiali supponitur fieri in istanti; at fluxus partium distantium situ, & quantitatiuo, & locali implicat esse in istanti, e.g. ponamus primam partem corporis viginti palmorum fluere ad partem vltimam eiusdem corporis, vel ad locum vltimæ partis corporis viginti palmorum; hic fluxus nō potest esse nisi per motum; inquiunt aduersarij; hìc autem fluxus si sit successiuus non potest esse in eodem instanti, in quo separatur quantitas dimensiua viginti palmarum; sed hoc suppositum est error immaginationis, etenim, vt diximus, partes substautiæ materialis in eo euentu reducūtur ad aliquod punctum, non quidem per fluxum, siuè per motum successiuum localem, sed per solam remotionem quantitatis dimensiuæ, quæ fit in istanti, & non in tempore, sicut supponitur fieri remotio quantitatis à substantia materiali.

Dicet fortè aliquis ingeniosus, quantitas dimensiua potest successiuè separari à substantia corporis decem palmorum; sed in hac separatione pars prima substantiæ, quæ erat sub prima parte quantitatis, reducitur per motum ad partem à se distantem; ergo &c.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem, vtique separatio successiua quāntitatis potest esse per motum, quia motus successiuus requirit mobile quantū, & extensum formaliter, quam extensionē præ-

præhabet quantitas ipsa dimensiua, quæ separatur, & hæc extensio non potest esse in substantia materiali eo tempore, quo est separata à quantitate dimensiua; sed illa pars, quæ signatur in substantia materiali existente sub prima parte quantitatis reducitur ad partem distantem eiusdem quantitatis per remotionem formalem quantitatis; non autem per fluxum, siuè per motum successiuum.

Respondeo secundò ad principalem instantiam; per absolutam Dei potentiam posse perseuerare totam substantiam materialem in eodem loco, in quo prius erat: sub quantitate, si ab ea separetur quantitas dimensiua, non quidem per modum commensurationis; sed per modum essentiæ; siuè substantiæ, eo modo, v. g. sed non Sacramentali; quo substantia Corporis Christi Domini perseuerat tota sub tota quantitate Hostiæ ritè consecratæ, vt fusè dicetur suo loco.

## ARTICVLVS DECIMVS QVINTVS.

### De forma substantiali informatiua materiæ.

SVb hoc vnico articulo perstringemus multa quæsita de forma substantiali potente informare materiam primam. Primum quid sit; secundùm, an sit radix adæquata existentiæ substantialis. Tertium, an sint plures formæ substantiales saltem de possibili in vno, & eodem composito substantiali, & occasione huius; an in homine detur forma corporeitatis distincta ab anima rationali. Quartùm quid sit anima in communi, & in speciali; hæc, & multa alia, quæ tractari possunt de forma substantiali possunt considerari sub metaphysica abstractione, non solùm, quia in anima reperitur potentia essentialis, quæ est vna ex primis differentijs entis; etenim ens adæquatè diuiditur in essentiam, & existentiam, siuè in potentiam, & actum in ratione subiecti; forma autem substantialis, directè continetur sub essentia; sed et à considerabilis est sub metaphysica abstractione; quoniam essentia, quæ est vna ex primis differentijs entis adæquatè diuiditur, vt supra ostendimùs in materiam primam, & in formam substantialem, nimirum in puram potentiam formalem, & in actum formalem præcedentibus articulis, quantum satis fuit explicauimus omnia prædicata, quæ materiæ primæ conneniunt: remanet, nunc vt explicemus, prædicata, quæ conueniunt formæ, quæ est actus primus materiæ; idque ob eam rationem; quippè, vt docet Aristoteles eadem est disciplina, idest cognitio contrariorum, & vnum oppositum per aliud oppositum cognoscitur, e.g. si materia est substantia formabilis, forma debet esse formatiua materiæ; si materia est potentia physica, forma debet esse actus physicus; & alia huiusmodi.

Relinquitur quæsitum de forma substantiali, an sit in rerum natura; quia notum est dari formas substantiales, sicut per se notum est, dari in rebus corruptibilibus, & generabilibus mutationem substantialē, quæ est transitus materiæ de vna forma substantiali ad aliam; quæsitum autem sicut, & demostratio, est de rebus non notis: ob quam causam Aristoteles omisit quæsitum de natura in secundo libro phy; dicens ridiculum est demonstrari dari naturam physicam; quoniam natura in physica acceptione, non est aliud nisi primum principium motus, & quietis insitæ in eo, in quo est, primò, & per se; at notum est entia naturalia moueri, & quiescere motu, & quiete insita.

Conclusio prima; forma substantialis physica est actus essentialis, siuè actus primus determinatiuus materiæ in specie vltima, siuè, athoma in recta linea prædicamenti substantiæ. Dicitur forma physica substantialis, actus primus, siuè actus essentialis, vt distinguatur ab actu existendi subiectiuo; quæ est vna ex primis differentijs entis creati, siuè creabilis, & ab actu accidentali, qui supponit actum essentialem in materia. Dicitur determinatiuus materiæ in specie vltima in recta linea prædicamenti substantiæ, tùm quia materia prima, vt in articulis præcedentibus ostendimus, est nullius speciei formaliter; cum sit prima potentia formalis; hæc autem est nullius speciei, & consequenter determinabilis in specie à forma; quod docet Arist. illis verbis; materia primā non esse, nec quid, nec quale, nec quantum; sed potentia omnia hæc; potentia autem ad quodlibet prædicamētum intrinsecè, est determinabilis ad speciem collocatam in genere prædicamentali, tùm quia forma physica distinguitur à forma metaphysica, quæ est vna ex differentiis diuisiuis primi generis in prædicamento substantiæ, & ratio diuersitatis est, quia differētia essentialis

tialis primi generis prædicamentalis, est quidem actus essentialis determinatiuus potentiæ metaphysicæ, quæ est genus substantiæ in specie; sed abstrahente à specie vltima, & non vltima, siuè à specie athoma, seu specialissima, & à specie intermedia, siuè subalterna; quoniam differentia essentialis diuisiua generis, abstrahit ab vtraque differentia; at verò forma physica, determinatiua est materię in specie vltima, & clarius, est determinatiua materiæ, vsque ad speciem vltimam, siuè athomam inclusiuè; quoniam forma substantialis physica, inuoluit omnes gradus essentiales à primo genere prædicamenti substantię vsque ad vltimam differentiam essentialem inclusiuè; materia autem prima est in potentia ad omnes gradus formales, etiam ad substantiam, secundùm quod est primū genus prædicamentale, & de hac substantia intelligendus est Arist., cum dixit, materiam primam non esse, nec quid, nec quale, nec quantùm; quandoquidem, vt supra etiam innuimus, substantia est duplex, alia, quæ distinguitur contra accidens, & alia, quæ est genus primum in prædicamento substantiæ. Materia prima secundùm se, est quidem essentialiter substantia, quæ distinguitur contra accipens; est verò potentia substantia, quæ est genus primum prædicamentale.

Ratio fundamentalis cōclusionis est, forma substantialis, & materia prima sunt contraria contrarietate metaphysica infra ens essentiale receptiuum existentiæ; essentia enim, quę diuiditur contra existentiam adæquatè diuiditur, vt supra ostendimus in potentiam formalem, quæ est materia; & in actum assentialem, siuè quidditatiuū, quæ est forma substantialis; contrariorum autem, quę scilicet sub eodem genere maximè distant, contrariæ debent esse rationes formales; at forma est contraria formaliter materiæ primę: quia materia prima est pars determinabilis in speciæ prædicamentali; forma autem physica, siuè informatiua est determinatiua materiæ in specie vsque ad vltimam speciem in recta linea prædicamentali; ergo &c.

Discursus est euidens, ex regula generali, forma physica opponitur conceptui essentiali formabili; qui cum dicat ratione perfectibilis essentialiter, forma dicere debet rationem perficientis formalis; ad eum modum, v. g., quo calor est calefactiuus manus, quia manus est calefactibilis; ita etiam actus substantialis, forma est materię primæ, quia materia prima, cum nullam habeat speciem substantiæ prædicamentalis est in potentia ad omnem speciem, tam intermediam, quam athomam siuè vltimā. Qui opinantur materiam Cœlorum esse eiusdem rationis, cum materia horum inferiorum; dicunt materiam primam esse in potētia ad omnem speciem athomam prędicamenti substantiæ. Nos verò, qui sequimur opinionem S.Thomæ, quodlibet Cœlum intrinsecè ex materia, & forma; & materiam cæli esse diuersæ rationis à materia horum inferiorum; quoniam materia vniuscuiusque cęli, est tota in sua latitudine formali; & consequenter immultiplicabilis solo numero intra eandem speciem; materia verò horum inferiorum est multiplicabilis solo numero; dicimus materiam primam, seu physicam in communi, & ex suo genere esse in potentia ad omnem speciem, tam intermediā, quam vltimam in recta linea predicamenti substantiæ; mateteriam verò horum inferiorum esse in potentia ad plures, siuè ad omnes species athomas, quæ collocantur in recta linea prędicamenti substantiæ, non ex eo quia materia prima, secus adhuc materia cęli esset huiusmodi; sed ex eo quia materia horum inferiorm, cum non sit tota in sua latitudine formali, est diuisibilis solo numero per quantitatem.

Obijcies: si forma substantialis physica essentialiter esset informatiua, & determinatiua materię in specie, forma substantialis haberet intrinsecè inclinationem in materiam; atque adeo illam appeteret; sed hoc est absurdum; ergo &c. Minor probatur. Primò quidem, quia perfectum non appetit imperfectum; cum vnumquodque appetat suam perfectionem. Secundò, quia anima extra corpus in eo statu esset violenter, quod non est admittendum, nam aliqua forma, etiam vt docet Arist. ratione naturali, non debet poni æterno tempore esse in statu violento. Quod si dicas animam, v. g. rationalem esse reunibilem suo corpori in resurrectione. Contra est, quia resurrectio, & reuniutio supernaturales sunt. Quod si secundò dicas formam substantialem appetere materiam, quia materia est bonum formę informatiuæ; non autem potest dari informatiuum, sine suo informabili formaliter; at bonum e st esse materiam primam. Contra est, quia bonum vnumquodque, est ex eo quod perfectum, vt enim docet Arist. bonum consequitur ens non absolutè; sed inquantum est aliquo modo in actu; quod autem est actu perfectum est; at materia prima

prima est ens imperfectissimum, vt supra ostendimus; ergo non potest esse bonum materiæ, & consequenter, nec appetibile à forma.

Respondeo concedo primam, & secundam sequelam maioris, & nego minorem; ad probationem autem contra primã sequelam. Respondet S. Thomas *qu. 21. de verit. art. 2. ad 3.* materiam primam, sicut non est ens, nisi in potentia; ita nec esse bonum nisi in potentia; vt autem forma à naturali appetitu, siuè appititu innato appetat materiam primam, vt formabilem, siuè determinabilem, satis est vt sit materia, ens in potentia subiectiua; neque huic responsioni obstat, quod bonum consequitur ens, vt est aliquo modo actu, & consequenter perfectum, ad differentiam veri, quod consequitur ens, inquantum ens absolutè, & simpliciter; nam hæc definitio boni intelligitur de ente in actu trascendẽtali, siuè entitatiuo, quod dicitur esse aliquo modo in actu, quia est actu extra suum nihilum ad differentiã entis in actu formaliter, quod ponitur in actu per actum formalem, & quidditatiuũ. Materia prima autem est ens in potentia per oppositionẽ cõtrariã ad ens actu per formãm, & non per oppositionem ad suum nihilum essentiale. Potest etiam dici ex doctrina eiusdẽ S. Th. *p. 1. q. 5. art. 2. ad 2., & lib. 3. C. G. cap. 20.* circa medium, vbi vult, bona simpliciter dici, non solum, quę actu sunt; sed etiam, quæ ordinem, & potentiam habent ad esse; omne autem quoquumque modo perfectũ, est ab aliquo appetibile; bonum enim est, quod conuenit enti; & sensus responsionis est, quod dupliciter potest dici ens in actu; vno m odo quod est actu per formam, siuè per esse existentiale; alio modo per ordinẽ, trascendendentalem ad formam, & ad esse: hic autem ordo, quidem actus est ad rationem boni trasçendentalis satis est, vt consequatur ens quatenus est perfectum, abstrahendo ab vtroque perfecto.

Respondeo secundò formam substantialem appetere suam materiam: & fundamentum est, quia formę sua materia bonum est, tum ad existere, quando forma materialis est, tum ad constituendam vnam tertiam essentiam perfectam, & licet forma actus sit, & materia potentia, quo sensu actus perfectior est potentia; tamen actus ipse magis perficitur ex consortio suæ potentiæ, tum scilicet quoad existere, tum quoad essentiam.

Ad probationem autem contra secundam sequelam. Respondeo, tribus dictis. Primum est; separatio animę à suo corpore, non est naturalis anime; est doctrina S. Thome *pp. q. 89. art. 2.* fundamentum est, quia separatio a corpore, non est consentanea animæ, vt forma est, & probatur; daretur enim impetus in anima ad separationem, quod falsum est; & maximè consentaneum est animæ, quod sit vnita corpori' Secundum dictum est; hæc separatio non est violenta animæ; fundamentum est, quia anima non habet influxum, ad vnionem cum corpore; violẽtum autem dicitur, quod est contra impetum, & inclinationẽ naturę. Tertium dictum est. Separatio animæ à corpore, est præter naturam. Fundamentum est, quia inter violentum, & naturale, non est nisi esse præter naturam; neque huic obstat, quod anima inclinet naturaliter ad sui vnionem cum corpore, vt docet S. Thomas *p. p. q. 67. art. 1. ad 6.* cuius rationem assignat S Thomas, quia; vnumquodque propendit in finem suum, & in suam perfectionem; & loquor hic, non de appetitu elicito animæ extra corpus; sed solum de appetitu innato, idest de naturali inclinatione.

Neque obstat, quod reuiuitio animæ cum corpore non sit virtute naturali, quia à priuatione ad habitum naturaliter non datur regressus; sed fiet virtute supernaturali Dei; inclinatio autem naturalis, non est nisi ad bonum naturale, nam.

Resp. primò, ex dictis, quod reuiuitio animæ cũ corpore, dupliciter considerari potest, specificatiuè, & reduplicatiuè; specificatiuè vtiq; est bonũ naturale: reduplicatiuè verò; quatenus, scilicet reuiuibilis est supra vires naturales, ad eum modum, quo forma corrupta, dupliciter considerari potest, vel specificatiuè ad formam corruptã: specificatiuè est in materia prima potentia naturalis; sed reduplicatiuè sumpta non est ad eam potentia naturalis, quæ responsio reducitur ad hunc sensum, quod in materia est potẽtia naturalis ad formam corruptã, pro eo tempore, quo naturaliter producibilis fuit.

Respondeo secundò, reuiuitionem, dupliciter sumi posse: vno modo quantum ad suam substantiam, siuè essentiam; alio modo quantum ad modum, quia scilicet producibilis est post sui corruptionem; quantum ad suam substantiam, siuè essentiam reunitio animæ cum corpore est naturalis; quantum verò ad modum, quo scilicet non primò fit, sed reproducitur semel corrupta, est supernaturalis. Inclinatio natura-

turalis corporis, & animæ, est naturalis quantum ad substantiam; supernaturalis verò, tantum quoad modum; ad rem nostram satis est, vt sit naturalis; quoad substantiam.

Ex his facile est declarare, quomodò anima separata à corpore, non sit in eo statu violenter; nam in eo statu, non habet impetum ad reunionem; violentum verò ex Arist. *lib.4. Ethico*, est cum contranitentia passi, qualis est in graue, & in leui; graue enim semper, si tendat sursum, semper habet impetum ad tendendum deorsum; & si leue tendat deorsum semper producet impetum ad motum connaturalē tendendi sursum; & hinc oritur, quod vt docet Arist. *lib.2. de Cælo tex.* 18. nullum violentum est durabile; cuius propositionis sensus est hic, quod quando est impetus semper perseuerans ad oppositum actum, semper impetus naturalis obtinebit victoriam: magis enim præualet principium intrinsecum, quàm extrinsecum.

An verò cognoscibile sit naturaliter, hanc reunionem aliquandò esse futuram, aut possibilem.

Docent nonnulli Theologi, naturaliter hominem cognoscere reunionem animæ rationalis, cum corpore non esse impossibilem: quia nulla apparet implicantia positiua, quæ non saluatur, vt de facto facit S. Thomas disputans contra Gentiles; certò tamen, & euidenter eo modo, quo Catholica Fides docet, nemo vnquā naturali lumine assequi potest futuram esse, & fundamentum est; quia nemo potest cognoscere liberum, & extraordinarium Dei decretum, à quo necessariò pendet reunio, & resurrectio.

Secunda conclusio. Forma substantialis physica est prima, & adæquata radix existentiæ subiectiuæ in composito physico substantiali, quod scilicet est ex materia, & forma substantiali. Conclusio hæc controuertitur inter Scotum, & S. Thomā, qui ambo distinguunt ex natura rei, in creaturis completis existentiam subiectiuam ab essentia, pariter subiectiua; terminos explicauimus præcedētibus articulis huius quæstionis.

Scotus, cum suis vult radicem primā, & adæquatam existentiæ subiectiuæ, in creatis esse quidditatem realem, & fundamentum eius est; quia quidditas realis est prima radix essendi realiter; quidditas enim realis, est prima causa cæterorum, quæ sunt in ente actu existente, quia quidditas realis est prima in quocunque ente; primùm autem est causa cæterorum in eo in quo est primum.

S. Thomas è contrario, vult radicem primam, & adæquatam existentiæ subiectiuæ in composito substantiali esse formā substantialem; & hanc doctrinam nos sequimur, & fundamentum est: quia existētia subiectiua, est actus secundus essendi realiter in rerum natura; est enim existētia subiectiua actus, quo id, quod poterat esse, actu est; sed radix prima, & adæquata actus secundi, est forma substantialis in composito substantiali physico: nam forma substantialis in toto physico, est actus quidditatiuus, siuè essentialis; actus autem quidditatiuus primus est in quocunque ente, & hæc est ratio cur materia prima, non possit existere sua existentia; sed tantum existentia formæ substantialis; quoniā materia prima, vt distincta à forma est essentialiter pura potentia formalis; at contradicit puræ potentiæ formali esse actum primum formalem.

Fundamentum Scoti facile diluitur; nam falsum est quidditatem realem esse primam radicem existentiæ realis subiectiuæ, & ratio est; quoniam radix prima, & adæquata existentiæ debet esse actus primus; at quidditas realis præscindit ab actu, & potentia formali; quidditas enim realis reperitur formaliter, tam in forma substātiali, quàm in materia.

Neque dicas; existentia subiectiua, est vna ex primis differentijs entis, quę sunt actus, & potentia in ratione subiecti; estque existentia actus; sed forma substantialis essentialiter se tenet ex parte potentiæ; ergo forma substantialis in genere entis nō potest esse radix existentiæ subiectiuæ, quia essentia in genere entis est potentia, non est actus; hæc autem difficultas aufertur si ponatur radix prima, & adæquata existentiæ, quidditas realis.

Respondeo enim ex dictis, quod forma substantialis est actus quidditatiuus, siuè essentialis; est enim vna ex primis differentijs essentiæ, prout contradistinguitur ab existentia in ratione subiecti, & sub ista ratione formali est prima, & adæquata radix existentiæ subiectiuæ in composito substantiali, non autem ratione sui, veluti generis, quod est essentia, vt sic, prout contradistinguitur ab existentia in ratione subiecti.

Quod si adhuc vrgeas; radix prima, & adæquata existentiæ subiectiuæ, debet esse prior, ipsa existentia: quia est causa, vndè fluit existentia; omnis autem causa est prior suo

or suo effectu; sed essentia etiam secundum quod est actus formalis, siuè quidditatiuus, non est prior; sed posterior existentia subiectiua, & probatur: quia actus formalis se tenet ex parte potentiæ; non ex parte actus; actus autem est simpliciter prior potentia. Explicatur discursus; ens reale adæquatè diuiditur in essentiam, & in potentiam, idest in potentiam, & actum in ratione subiecti; essentia verò deinde subdiuiditur in potentiam formalem, & actũ formalem; hoc discursu euidenter apparet actum formalem, se tenere ex parte potentiæ, non ex parte actus in genere entis.

Respondeo, in vno, & eodem ente, priorem esse potentiam, quàm actum; in diuersis verò, è contra; priorem esse actum, quam potentiam. Qua posita doctrina, quæ est in termi. Arist. in metaph., actus formalis est prior, quàm existentia in cõposito substantiali.

Quod si iterùm vrgeas, ex hac respõsione sequi actum formalem esse radicem existentiæ subiectiuæ, secundùm quod est potentia subiectiua, non autem secundùm quod est actus formalis; at S. Thomas vult radicem adæquatam existentiæ, esse actum primum in quantum huiusmodi.

Respondeo radicem adæquatam existentiæ subiectiuæ, esse actum primum subiectiuum: causa enim debet proportionari suo effectui; at primus actus subiectiuus, est forma substantialis in composito physico, ex materia, & forma. Explicatur clariùs, hæc S. Thomæ doctrina; dissidiũ inter Scotum, & S. Thomam in eo est, quia Scotus vult radicem existentię subiectiuę, esse quidditatem realem, vt sic, quę reperitur formaliter, tàm in potentia formali essentiali, quàm in actu formali, seù quidditatiuo; & indè infert Scotus materiam primam esse radicem suę propriæ existentię subiectiuę; Verùm S. Thomas vult esse actum formalem, qui est quidditas realis, vt contracta ad actum realem formalem, prout contradistinctum à potentia formali, seù essentiali. Opponens autem contẽdit, actum formalem, etiam, vt contradistinctum a potentia formali, siuè essentiali, non esse primam radicem existentię, quia se tenet ex parte potentiæ; existentia verò non fluit a potentia, sed ab actu; sed oppositio procedit ex æquiuocatione potentię: alia enim est potentia physica, & alia est potentia metaphysica; potentia physica, est potentia determinabilis in specie prędicamentali à forma substantiali; & huic potentię omninò contradicit actus formalis; potentia verò metaphysica, est quæ diuiditur contra existentiam, & huic non contradicit, vt contrahatur, & determinetur formaliter ad actum formalem, siuè quidditatiuum.

Respondent aliqui Thomistæ: radicẽ adæquatam existentiæ subiectiuæ, esse formam; prout est instrumentum causæ efficientis, non autem, vt causam principalem.

Sed hæc responsio, nec necessaria est, neque conducit ad soluendum argumentũ; non est necessaria: immò neque vera; quia forma essentialis in composito physico, est substantia formaliter; substantiæ autem formaliter contradicit esse instrumentum: neque conducit ad argumentum diluendũ; quia satis est, vt forma substantialis, sit actus formalis; siuè quidditatiuus formaliter, vt possit esse prima radix existentiæ in composito physico. Diximus formam substantialem esse primam radicem existentiæ subiectiuæ in composito physico, non quia radix prima existentiæ, sit forma substantialis informatiua vniuersaliter; nam vt supra docuimus radix adæquata existentiæ subiectiuæ, est actus formalis; siuè sit completiuus materiæ in specie, siuè sit completus in specie, vt est Angeli essentia, sed solum loquimur, hìc de radice prima existentiæ subiectiuæ in composito substantiali ex materia, & forma.

Dices vltimò, causæ non possunt, sese causare in eodem genere causæ, sed forma essentialis, & existentia sunt in genere causę formalis, e.g. non possunt se se causare.

Respondeo distinguo, causæ in eodẽ genere causæ proximæ, & in eodem ordine non possunt se se causare concedo: causæ in eodem genere remoto, & in diuerso ordine, & nego. Forma essentialis, & existentia, sunt quidem in genere causæ formalis remotè, & in diuerso ordine; alius enim est ordo essentialis: alius existentię.

Tertia conclusio, in vno, & eodem composito physico substantiali; nec dantur, nec dari possunt plures formæ substãtiales; v.g. in homine, qui est ex materia, & anima rationali. Conclusio, hæc valdè controuersa est, inter Scotum, & S. Thomam: Scotus enim vult in homine esse duas formas substantiales; vnam, quam vocat formam corporeitatis, & aliam, quam vocat formam rationalem, & formam viuentis; vita vegetatiua, sensitiua, & rationali; formam corporeitatis vult esse formam inadæquatam, & veluti genericam; formã verò rationalem, vult esse, formam

vltimam, & specificam. Fundamentum Scoti præcipuum est; quia implicat dari in composito substantiali effectum formalē, sine forma; sed datur in homine corpus substantiale formaliter; ergo necessariò debet esse in homine formaliter forma corporeitatis.

Quod si respondeas primò: effectum formalem esse duplicis conditionis, alium, scilicet, esse effectum formalitatis, siuè gradus formalis, & alium esse effectū formalem formæ, in qua sunt plures gradus essentiales; in homine autem esse quidem corpus substantiale, quod est effectus formalis gradus corporeitatis, qui est in anima rationali, & non corpus substantiale, quod sit effectus formæ corporeitatis, quod hunc in modum ostendi potest; nam causa cur in homine est formaliter corpus substantiale, est; quia genus primum prædicamentale substantiæ diuiditur adæquatè per corporeitatem, & incorporeitatem, nimirum, in substantiam corpoream, & in substantiam incorpoream; sed corporeitas diuisiua substantiæ, quod est primum genus prędicamentale, est gradus formalis corporeus, non autem forma; etenim est differentia prædicamentalis; at differentia est gradus corporeus, non autem forma: forma enim includit omnes gradus à primò vsque ad vltimam differentiam specificam.

Respōdebit statim Scotus, quod corpus substantiale in homine, est receptiuū quantitatis dimensiuæ, & organicæ; at hoc nō potest esse gradus essentialis, qui sit ab anima rationali formaliter: anima enim rationalis, cum sit forma spiritualis, implicat, vt sit receptiua quantitatis dimensiuæ; ergo debet esse forma corporea formaliter, quæ sit materialis, & extendibilis, quantitate dimensiua.

Quod, si secundò respondeas; corpus substantiale, in homine esse effectum formalem materiæ, quatenus est principium exigitiuum quātitatis organicæ; nàm corpus substantiale, est vndè fluit quantitas trinæ dimensionis; quantitas autem fluit à materia, cum sit passio materiæ, quod ex eo fit manifestum, quia quantitas dimensiua non reperitur, nisi vbi est materia.

Respondebit statim Scotus, à materia prima, materialiter esse corpus substantiale, non autem formaliter; & ratio esse potest; quoniam corpus substantiale, est quædam species in recta linea prædicamenti substantię; & probatur: nam substantia, quæ est genus primum prædicamentale, diuiditur in substantiam corpoream, & in substantiam incorpoream: omnis autem species in recta linea prædicamentali collocabilis formaliter, est à gradu formali formæ substantialis, & radix huius responsionis est; quia materia prima secundum se, est nullius speciei, & simpliciter indeterminata, & determinabilis; cum sit primum subiectum, & primum receptiuum: species autem in recta linea prædicamentali sub primò genere substantiæ prædicamentalis, est substantia determinata in specie: omnis autem determinatio est à forma.

S. Thomas autem *p. 1. q. 76. art. 3. & 4.* asserit in homine non esse nisi vnam tantùm formam substantialem, quę dat materię formaliter omnes gradus essentiales à primò, quod est primum genus prędicamentale, vsque ad vltimam differentiā specificam, quæ est gradus rationalis.

Nec te moueat, inquit, primò S. Thomas, quod anima dicitur ab Arist. actus corporis: ergo necessariò anima est actus habentis formam corporis: ergo saltē sunt duæ formæ: vna corporeitatis dans esse corporis substantialis, & alia animæ, dans gradum vegetatiuum, sentitiuum, & rationalem: nam anima est actus corporis, sicut calor est actus calidi, & lumen est actus lucidi: in quibus forma constituit formaliter calidum, et formaliter lucidum, quæ interpetratio Aristotelica est: Aristoteles enim post datam definitionem animæ docet, quod anima est actus corporis potentia vitam habentis; itaut talis potentia, non abiiciat animā, idest, non sit sine anima; ad denotandum animam esse actum totius, nimirùm constitutiuum totius materiæ, quàm informat; & explicans paulò infra, quomodo anima sit actus corporis; affert exemplum scientiæ, dicens, quod anima est actus corporis, sicut scientia est, actus scientis: scientia autem, non supponit scientem; sed constituit formaliter scientem, & loquitur de scientia in actu primò.

Nec te moueat, inquit, secundò S. Thomas, quomodò anima sit actus corporis formaliter; nàm per animam, & est corpus, & est organicum, quę doctrina difficilis est, propter animam rationalem, quæ incorporea est, & denominatur; forma autem incorporea, non potest dare materiæ formaliter esse corporeum, v. g. dare esse ossis, esse sanguinis, &c. corporeum enim & incorporeum, sunt opposita formaliter, cum

cum sint membra diuidentia substantiam formaliter, quæ est genus primum prædicamentale: vnum autem oppositorum, non potest tribuere formaliter materiæ effectũ alterius oppositi, v.g. non potest differentia irrationalis tribuere materiæ effectum formaliter, quem ei tribuit differentia rationalis.

Vt autem; hæc profunda S. Thomæ doctrina intelligatur.

Sciendum est primò, quod corpus, aliud est de prædicamento quantitatis, & hoc est quantitas trinæ dimensionis, scilicet, longa, lata, & profunda; aliud verò est corpus de prædicamento substantiæ; idest aliud est corpus quantum, à quantitate trinæ dimensionis; & aliud est corpus à perfectione substantiali, quæ est vna ex primis differentijs diuidentibus substantiam, quę est genus primum prædicamentale, & dicitur corporeitas: sine dubio, anima rationalis, non dat esse corporis quantitatiui formaliter, cuius ratio est; quia anima rationalis, est subsistens, & spiritualis, quod demonstratur ex eius operatione, quæ inorganica est, scilicet, intelligere; non enim intelligere dependet ab organo, siuè fit per organum corporale, sicut videre fit per visum, & audire per organum auditus; sed verè dat anima rationalis materiæ, perfectionem corporis substantialis, siuè dat formaliter esse corporis substantialis; quia anima rationalis informando materiam, dat illi perfectionem, siuè gradum substantialem, qui in materia est principium, exigitiuum quantitatis dimẽsiuæ, quam exigunt etiam cæteri gradus inferiores; quia perfectio corporis substantialis, quam dat anima materiæ, illam informando, est prima causa, quæ informans materiam, est exigitiua quantitatis dimensiuæ, sicut, v.g. substantia, quæ est genus primum prædicamentale, est ens per se, non quodcunque, sed ens per se, quod est prima causa, vt cæteri gradus inferiores sint per se; cæteri enim gradus, vt sunt gradus corporis, gradus vegetatiuus, & gradus sensitiuus, & gradus rationalis, sũt ens per se; quia sunt differentiæ formales substantiæ, quæ est genus primùm predicamentale; pariter ex eo, quod gradus substantialis corporis, informans materiam, est exigitiuum principium primum quantitatis dimensiuæ in materia, est causa prima, vt cæteri gradus inferiores exigant etiam quantitatem dimensiuam, & organicam in materia animati.

Hanc profundam doctrinam, quæ est S. Thomæ, aduersarii negant; quoniam opinantur, gradum corporis substantialis, esse gradum substantiæ perfectibilis, siuè extendibilis per quantitatem dimensiuam in toto animato anima rationali, vel esse gradum substantię formaliter materialem, quod est falsum; nam gradus corporis substantialis in homine, non aliud dicit, nisi perfectionem, quæ in materia, & in animato est exigitiuum formale quantitatis dimensiuæ, & organicę; principium autẽ formale exigitiuum quantitatis dimensiuę, ex suo genere, non est materiale, nisi quatenus contractum ad formam materialem; neque necessariò ex suo formali, vt supra diximus, est receptiuum quantitatis dimensiuę, & organicę; sed solum ex eo, quod est contractum in forma materiali, siuè viuentis, siuè non viuentis; potest enim principium formale exigitiuum quãtitatis saluari per principium substentatiuum, quod dicit rationem termini complentis indigentiam quantitatis in existendo. Doctrina hęc potest etiam manifestari a pari; nam gradus corporis tribuitur substantię materiali ab anima rationali; sicut tribuitur etiam eidem ab anima rationali esse vegetatiuum, & sensitiuum; sed isti gradus vegetandi, & sentiendi, non sunt formaliter materiales ex suo genere; sed præscindunt à materiali, & immateriali; in homine nimirum: secundum entitatem sunt immateriales; in brutis verò sunt materiales; quia in homine sunt in entitate immateriali; in brutis verò in entitate materiali; ita esse corporis substantialis potest trahi ad perfectionem altiorẽ; idest ad perfectionem substantiæ immaterialis, quæ sit principium primum exigitiuum quantitatis in composito.

Per hæc facillimè intelligitur, quomodò anima rationalis dat esse ossis, sanguinis &c: Non enim anima rationalis dat hæc prædicata, vt gradus materiales; sed hæc omnia prædicata tribuit anima rationalis, vt forma perfectior; nam vt docet S. Thomas *loc. cit.* anima rationalis continet omnes gradus essentiales, quos habent formæ imperfectiores, & inferiores, pręter gradum superiorem, qui est proprius ipsius formæ rationalis, & ipsa sola anima rationalis facit, quicquid imperfectiores formæ in alijs faciunt. Legendus est super hac re Aegidius *in correct. corrupt.* S. Thomæ; sed infra de hoc iterùm sermo erit. His explicatis, sensus conclusionis, est in homine, esse vnam tantùm animam rationalem, siuè vnam formam immaterialem tantùm,

quæ dat materiæ formaliter omnes gradus essentiales, à primo genere generalissimo prædicamenti substantiæ, vsque ad vltimã differentiam athomam, quæ dicitur gradus rationalis; conclusio est in terminis S. Th. *p. 1. q. 76. art. 3. & 3.* Conclusio probatur a S. Th. ex eò præcisè, quia implicant in vno composito substantiali physico, esse plures formæ substantiales, quod quidem principium metaphisicum, demonstratiuũ est in Schola Thomistarum, vt paulò infrà probabimus; nunc specialiter probatur contra Scotum, qui ex eo principio mouetur ad ponendum in vno composito physico substantiali plures formas substantiales; quia dicit in homine, præter animam rationalem, ponendam esse, adhuc formam corporis distinctam realiter ab anima rationali, quæ iuxta principia S. Thomæ, vtiquè chymericha est, & huius rei est, hoc aliud fundamentum, prçter fundamentum S. Thomæ infra explicandum.

Primò, esse corporis substantialis in homine, v. g., sumitur à perfectione substantiali, quæ est in homine, contrahente primam perfectionem, quæ est differentia generis primi substantiæ prçdicamentalis; sed perfectio substantiæ prædicamentalis, non est forma distincta realiter ab anima rationali; ergo neque perfectio corporis substantialis, sumitur à forma corporea distincta realiter ab eadem anima rationali. Explicatur hæc ratio; nam homo est substantia corporea formaliter; quia est infra substantiam corpoream, quæ diuidit intrinsecè genus primum prçdicamentale cum substantia incorporea; sed substantia est corporea, per gradum differentialem substantiæ, quæ est genus primum prædicamentale, qui formaliter, est à forma rationali, quæ est forma perfectior, quam sint formæ inferiores, & non per formam corpoream; forma enim corporea, continet formaliter gradus substantiales à primò genere generalissimo vsq; ad vltimam differentiam essentialem specialissimam inclusiuè; hoc enim nos appellamus formam, nisi velimus facere quæstionem de vocabulis, & appellare gradum differentialem formæ, formam substantialem; quod sine dubio Scotus non concedet; nam Scotus non ponit in homine, nisi duas tantùm formas; formam corporis substantialis; & formam rationalem; quod si velimus nomine formç substantialis intelligere vnum tantùm gradum essentialem, tot essent formæ in vno composito substantiali, quot sunt gradus essentiales differentiales, quod negat Scotus.

Secundò probatur, sicut compositum physicum; puta, homo, denominatur corporeus à perfectione formali corporis substantialis, ita denominatur viuens, sentiẽs, & rationalis, a cæteris perfectionibus inferioribus substantiæ viuentis; sed à reliquis perfectionibus essentialibus, non desumuntur plures formæ; ergo neque à perfectione corporis substantialis. Minor probatur: primò; quia ratio cur à gradibus inferioribus, non desumãtur plures formæ, est; quia sunt gradus differentiales diuisiui; sed gradus corporis substantialis, adhuc est differentia essentialis, per se, diuisa primi generis prædicamenti substantiæ: ergo, &c. secundò, quia forma substantialis est principium formale esse, per se, in composito; sed forma nõ potest esse principium per se, & immediatum existentiç substantialis, nisi per vltimam; & athomam differentiam substantialem, quæ supponit cæteros alios gradus superiores; existentia enim est vltimus actus entis; ergo, &c.

Tota difficultas in hac materia, est in explicando, quomodò homo exerceat operationes sensitiuitas, & vegetatiuas, si non habeat animam vegetantem, & sentientem mareriales; nam istç operationes vegetare, scilicet, & sentire, sunt operationes materiales formaliter: operatio autem materialis formaliter sunt participationes formales suorum principiorum formalium: in homine, non sunt anima sensitiua, & vegetatiua formaliter, materiales, si in homine ponatur, tantum vna forma substantialis, quæ est anima rationalis.

Neque dicas; operationes vegetandi, & sentiendi prouenire ab anima rationali, tanquã principio eminẽter sensitiuo, & vegetatiuo: nã hoc dici nõ potest: & ratio est, quia homo formaliter sensitiuus est, & vegetatiuus; nam formaliter homo, animal est: si ergo homo est formaliter vegetatiuus, ergo, non est eminenter: quçmadmodũ Sol, quia est eminenter calidus, non valet dicere, Sol formaliter calidus est: forma enim siuè ratio formalis, præbendo seipsam formaliter, causat suum effectum formalem primarium.

Augetur difficultas: nàm in homine, sunt ossa formaliter, caro, & sanguis, si animatus est formaliter: esse verò ossis, carnis, & cçtera, cum sit esse materiale, à forma spirituali prouenire non potest: anima rationalis formaliter spiritualis est: ergo cõmunicando se formaliter materiæ, dat ei esse spirituale, & ex consequenti non dabit

bit esse ossis, vel carnis, quod est, esse materiale, cuius signum est; quia extincto animali viuo, remanent ossa, caro, &c. vt apertè sensus demonstrat.

Propter has difficultates, aliqui ex Thomistis exterriti, apertè concedunt animam rationalem, non dare formaliter esse vegetatiuum, aut sensitiuum, & ex consequenti negant hominem esse sensitiuum formaliter, quemadmodum, Sol non est calidus formaliter; sed tantùm eminenter, vel virtualiter; sed hæc opinio, sola explicatione reijcietur, vt infrà.

Alij verò affirmant, illud esse ossis, quod Scotus vult esse à forma partiali materiali, tribui formaliter ab anima rationali; sed hæc opinio explicatione indiget.

Et quidem primò, certum est, vt supra diximus de corporeitate substantiali, hominem esse formaliter vegetatiuum, & sensitiuum, non solùm, quia homo formaliter animal est; sed etiam manifestè probatur ex eo; quia homo elicit sensationes formaliter, & easdem in se recipit; hoc autem non posset esse, si homo non esset formaliter sensitiuus: & si hic modus arguendi negetur, posset etiam negari, hominem, nec formaliter esse cognoscitiuum, & intellectiuum; sed solùm eminenter; quod si homo sensitiuus est formaliter, pari ratione erit, & vegetatiuus.

Secundò certum est, quod homo non est formaliter vegetatiuus, & sensitiuus, quemadmodum sunt bruta, & ratio est: quia vegetatiuum, & sensitiuũ substantialia in brutis, dicunt intrinsecè materialitatem; quia dependent à materia substentatiuè in fieri, & in esse; non sic autem vegetatiuum, & sensitiuum in homine, in quo, isti gradus sunt eleuati ad communionem in esse, cum gradu rationali, in vna, & eadem forma.

Fortè hoc attẽdentes præcitati Thomistæ, absolutè asseruerunt, hominem non esse formaliter vegetatiuum, & sensitiuũ; sed tantùm eminenter, siuè virtualiter; quæmadmodum Sol, est eminenter, siuè virtualiter calidus.

Tertiò certum est, quod homo est formaliter vegetatiuus, & sensitiuus in hoc sensu; quia in homine est formaliter principium primum operationis formaliter vegetandi, & sentiendi; nam in homine, sunt istæ duæ operationes formaliter, non eminenter, aut virtualiter: implicat autem esse operationẽ vitalem, et esse sine suo principio primo, & vitali.

Quod si dicas, quod operatio formaliter materialis, necesse est, proueniat à principio primo, & substantiali, adhuc materiali.

Respondetur primò distinguendo assumptum: quando principium formale, & primum, est in forma informante inferiore, & concedo; quando est in forma superiore, & nego; sensitiuum autem, & vegetatiuũ in homine, sunt in forma superiore: etenim in forma superiore, & perfectiore, sunt sine illis imperfectionibus, cum quibus reperiuntur in forma imperfectiore, & inferiore essentialiter. Explicatur hæc doctrina ex principijs Theologicis, & Metaphysicis; dicitur, e.g. Deus esse formaliter cognoscitiuus, quamuis non sit cognoscitiuus formaliter, cum imperfectione, quæ reperitur in principio cognoscitiuo limitato, siuè creato; verè enim, & formaliter Deus cognoscit; ergo cognoscitiuus formaliter. Formaliter Deus intelligit; ergo est intellectiuus formaliter; ita data paritate, anima intellectiua, formaliter sensitiua est, & vegetatiua, quia formaliter habet principium sentiendi, & vegetandi; Sed tamen non sic sensitiua, & vegetatiua est, quod sit principium materiale sentiendi, & vegetandi; nam principium sensitiuum, & vegetatiũum materiale est, quatenus contrahitur ab imperfectionibus formę sensitiuæ materialis; idem dicendum est de gradu corporis substantialis in homine; gradus enim corporis substantialis formaliter, non dicit principium receptiuum quantitatis; sed solùm dicit principium primum, quod informando materiam, exigit quantitatem dimensiuam, & organ cã in materia; hoc autem principium, cum præscindat formaliter à principio receptiuo, & substentatiuo, & à principio præcisè substentatiuo, potest in forma materiali esse cum imperfectionibus, & in anima rationali, sine illis imperfectionibus, cum quibus reperitur contracta in forma materiali.

Et hic dicendi modus, valdè aptus est ad intelligendam opinionem illorum Thomistarum, qui dicunt, hominem esse eminenter, siuè virtualiter sensitiuum, & vegetatiuum; nam sensus eorum est, quod vegetatiuum, & sensitiuum in homine, non sunt cum illis imperfectionibus, cum quibus reperiuntur in brutis, eo modo, v.g. quo in Deo dicitur esse sapientiã eminentialiter solùm in eo sensu; quia in Deo sapientia est sine omnibus illis imperfectionibus, cum quibus reperitur contracta sapientia in substantia intellectiua creata,

non

non verò; quia in Deo non sit sapientia, quantum ad suam rationem formalem, & essentialem.

Dices fortè; ergo bruta, & homo in esse vegetatiuo, & sensitiuo specie differut; nam homo vegetat principio intrinsecè immateriali; ita etiam sentit eodem principio intrinsecè immateriali; bruta verò vegetant per principium intrinsecè materiale, & corruptibile,

Respondeo distinguo consequens: nã duplicem potest hoc consequens habere sensum: primus est, quod vegetatiuum, & sensitiuum, quantum ad eorum rationẽ formalem specie differunt in homine, & in brutis, & hic sensus falsus est; nam principium vegetatiuum, & sensitiuum, quantum ad eorum esse formale, nihil aliud sũt, nisi principium operationis vegetandi, & sentiendi; hæc autem prædicata retinent formaliter, tam in brutis, quàm in hominibus; Secundus sensus est, quod principiũ sentiendi, & vegetandi, quatenus sunt cõtracta in brutis, in esse formæ spiritualis, specie differunt.

Et hic sensus verus est; sed non contradicit doctrinæ datæ, vt ex dictis est manifestum: & fortè in hoc sensu, ijdẽ Thomistæ intelligendi sunt, dum dicunt animã intellectiuam esse eminenter sensitiuam, & vegetatiuam; quia nimirum, anima intellectiua principium spirituale est, & operationes animæ, scilicet, sensatio, et vegetatio, operationes materiales sunt; quas eliciunt prædicti gradus, quatenùs informant materiam.

Responderi potest secundò clariùs, animam intellectiuam virtute continere, non formaliter, animam vegetatiuam, et sensitiuam; quia hæ animæ secundum entitatem, materiales sunt in brutis; secundũ verò perfectionem formalem principij substantialis vegetandi, et sensiendi, anima intellectiua in homine est formaliter vegetatiua, et sensitiua; quia est formaliter principium primum vegetationis, et sensationis: in quo sensu anima intellectiua, vniuocatur cum anima vegetatiua, et sensitiua in brutis; quia præscindendo à materialitate, et immaterialitate entitatiua, consimilis perfectio reperitur in homine, et in brutis, quod patet: quia hæc perfectio, omni animæ dat, quod sit principium operationum vitalium, et materialiũ, quatenùs informat materiam, sunt enim operationes coniucti.

Hæc sententia in terminis, est S. Thomæ *q. 76. art. 4.* qui in fine corporis, ita loquitur, postquam in initio docuit animã, in homine dare esse simpliciter; vndè infert esse vnam; quia, inquit, nec esset generatio simpliciter per aduentum animæ. Ipsa, inquit sua virtute, sicut continet animam sensitiuam, et nutritiuam, ita virtute continet omnes inferiores formas; et facit ipsa sola quicquid imperfectiores formæ in alijs faciunt.

Ex his patet, quonàm pacto in anima to rationali sint operationes triplicis generis, non tamen sit triplex anima, vt male nonnulli senserunt; nam hæc distinctio operationũ prouenit ab vna entitate principii sub triplici perfectione formali; nec aliud dici potest; quia vnica forma substatialis dat esse simpliciter: Explicat Arist. hanc doctrinam exemplo figurarum, quarum vna continet aliã *in 2. de Anim.* sicut, inquit Pentagonum continet tetragonũ, et excedit, sic anima intellectiua continet, quicquid habet anima sensitiua brutorum, et nutritiua plantarum; et sicut *superficies, quæ habet figurã pentagonum, non per aliam figuram est tetragona, et per aliam pentagona, quia scilicet superflueret figura tetragona, ex quo in pentagona continetur*; ita, nec per aliam, animam Petrus est homo, et per aliam animal; sed per vnã, et eandem formam; clariùs hæc ipsa doctrina intelligitur exemplo specierum numeri, quarum vna essentialiter differt ab alia per solam additionem, vel subtractionem vnius vnitatis, et vna continet aliam, nimirum maior continet minorem, addendo aliam, et aliam vnitatem; vndè oritur quod Arist. *in 8. meth.* assimilat essentias rerum, siuè species numeris, qui differunt specie per solam additionem, vel subtractionẽ vnitatis. His explicatis *ponuntur* rationes, quibus S. Thomas probat *loco sup. cit.* in vno, et eodem composito physico substantiali non esse, nec posse esse, nisi vnã tantùm formam substantialem.

Prima est, quia forma quęlibet substantialis dat esse simpliciter, idest, sine vllo addito; sed esse simpliciter in vno composito substantiali, non est, neque esse potest, nisi vnum tantùm; ergo in vno composito non potest esse, nisi vna tantùm forma substantialis; hæc autem in homine nõ est, nisi anima rationalis; maior probatur à S. Thoma loco *cit.* Arist. 4. *in corp.*; quia forma substantialis a forma accidentali in hoc differt; quod forma substantialis dat esse simpliciter; idest dat esse; forma autem accidentalis, non dat esse simpliciter, sed esse tale, idest quantum, quale, &c; quod

dicitur

dicitur esse secundùm quid,sicut,v. g. calor non facit suum subiectum esse simpliciter; sed esse calidum; minor verò principalis argumenti probatur, quia esse simpliciter; idest, sine vllo addito, est primùm esse in quolibet genere entis; sed primum,in quolibet genere, est vnum tantùm; est enim causa cæterorum in eo genere in quo est primum; ergo in quolibet composito substantiali est vnum tantùm esse simpliciter, nimirum est causa prima cæterorum esse, quæ sunt in vno, & eodem composito substantiali; et hinc est, vt infert.

S. Thomas,quod si darentur duæ formæ substantiantiales in vno, & eodem cõposito physico: vna tantùm esset forma dans esse simpliciter; alia verò daret esse secundùm quid,& consequenter vna tantũ esset forma substantialis; alia verò accidẽtalis, etenim, non daret esse simpliciter;sed esse secundum quid; & consequenter, non omnis forma substantialis esset terminus generationis simpliciter.

Respondent Scotistæ; duplicem esse formam substantialem in composito physico substantiali; aliam genericam, & inadequatam,siuè non vltimam, & aliam specificam adæquatam, & vltimam, & ex his formam adæquatam, siuè specificam,siuè vltimam esse, quæ dat esse simpliciter materiæ, quia esse sequitur vltimum actum formalem.

Sed contra est: quęlibet forma substantialis in composito substantiali, est actus primus essentialis; quælibet enim forma substantialis contradistinguitur à materia prima immediatè infra ens essentiale diuisum contra existentiam: ens enim essẽtiale,prout contradiuiditur ab existentia, diuiditur in potentiam formalem, & in actum formalem; sed primus actus quidditatiuus, siuè essentialis est prima radix actus;existentia enim est actus secundus in genere entis,sicut lucere est actus secundus lucis, & viuere est actus vitæ substentialis; at actus primus, est prima radix omnium actuum in vno, & eodem.

Dicent alii secundò;in vna, & eadem natura possunt dari saltẽ supernaturaliter duo esse simpliciter, quia possunt dari duæ subsistẽtię:supra .n. ostendimus supernaturaliter in vna eadẽque natura humana,posse dari duas subsistentias personales, & eadem ratio est de existentiis simpliciter; ergo non est impossibile, vt docet S. Thomas,dari duas formas substantiales in vno, eodemque composito physico, ex eo quia quęlibet forma substantialis dat esse simpliciter, idest sine nullo addito.

Respondeo,in vna, & eadem natura substantiæ creatę posse, dari duo esse simpliciter,saltem diuina virtute subordinata, & ad constituenda diuersa supposita, non subordinata ad costituendum vnum suppositum, seù vnam personam; ; hic cum S. Thoma asserimus tantumodo, non posse, dari duo esse simpliciter ad constituendum vnum, & idem compositum physicum; in vno enim, et eodem composito, non potest dari,nisi vnum primum esse in composito physico substantiali.

Secũda ratio est: vnumquodque compositum physicum substantiale, est vnum, per se; sed vnum per se non est,nisi per vnã formam; vnum enim per se est vnum per suam formam, nam ab eodem,vnum per se habet, quod sit ens, et, quod sit vnum; sed habet à forma, vt sit ens, per se; quia forma est principium essendi formale, ergo non impossibile est,totum physicum per se esse vnum per plures formas substantiales: pluralitas enim formarum substantiarũ constituunt plura per se.

Dicent fortè Scotistæ: vnum physicũ substantiale, et per se, excludere à se pluralitatẽ formarum substantialium, non subordinatarum; non autem excludere pluralitatem formarum substantialium subordinatarum; in re nostra forma corporeitatis, et forma specifica in homine sunt plures formæ substantiales subordinatæ; forma enim specifica subordinatur formæ genericæ.

Sed contra est, quoniam vnum physicum per se,est vnum simpliciter, idest vnũ sine vllo addito: sed hoc excludit pluralitatem formarum substãtialium adhuc subordinatarum: nam vnum simpliciter,idest sine vllo addito,cõsequitur ens simpliciter; passio enim, siuè proprietas proportionatur suæ radici: sed totum physicum substantiale est ens simpliciter per vnam tantum formam substantialem;quælibet enim forma substantialis dat esse simpliciter, ideo homo non potest esse vnum per se, siuè simpliciter, nisi ab vna tantum forma substantiali informante, per quam totum est substantia, sub genere primo prædicamenti substantiæ,corpus viuum,sensitiuũ, etc.

Tertia ratio S. Thomæ, est; omnia prædicata, quæ conueniunt toti physico substanliali per formam substantialem informantẽ materiam, prædicantur de eo in primo

primo modo dicendi, per se; at pluralitas formarum substantlium in vno, et odem toto physico substantiali, aufert à toto hāc predicabilitatem in primo modò dicendi per se; ergo impossibile est, in vno, eodemque toto substantiali physico, per se, esse plures formas substantiales informantes materiam; minor principalis argumenti probatur; nam corpus essentialiter, & in primo modo dicendi, per se, prædicatur de homine, non per accidens; homo enim, non ponitur in definitione corporis substantialis; sed è conuerso; at si homo esset corpus substantialiter per formam distinctam à forma, per quam est homo formaliter, corpus, non prædicaretur de homine essentialiter; quia homo, non est homo formaliter, per formam corporeitatis; quia forma corporeitatis, non est prædicatum essentiale animæ rationalis, per quam homo, est homo formaliter; Discursus fundatur in eo principio: quod prędicatum omne essentiale contradistinguens hominem a cæteris speciebus, est prędicatū, siuè gradus essentialis formę, per quam, homo formaliter; at si forma. v. g. corporeitatis, esset forma distincta à forma rationali, non esset gradus essentialis formæ, per quam homo, est homo formaliter; notanter semper additum est, esse impossibile plures formas informantes in vno composito physico, per se; etenim, vt notat Angelicus Doctor loco *sup. cit. art. 3. in corp.* nihil inconueniens sequitur, si ponatur quod, anima vnitur materię, non vt forma informās sed, vt assistens: tamen his omnibus rationibus sufficienter reijcitur opinio Auic. *in lib.* fontis vitæ, qui tot posuit formas substantiales in vno composito physico, & per se, quot sunt prędicata essentialia: nimirum, quod homo per aliam formam est substantia prædicamentalis, per aliam, corpus, per aliam viuens &c.

Contra hanc conclusionem, aliqua sunt argumenta, quæ infra soluentur.

Quarta conclusio; anima in communi rectè definitur ab Aristo 2. *de ani. tex. 6.* Actus corporis physici, idest naturalis, organici, potentia vitam habentis; hanc definitionem profundè explicat S. Thomas, non solum in commune textus Arist. sed etiam *pp. q. 76. art. 4. ad* 1. & ea communis est omni animæ informanti materiam, etiā animæ intellectiuæ, siuè rationali; quoniā adhuc anima intellectiua, est actus corporis physici organici, potentia vitam habentis, & sensus est, quod anima est actus corporis physici, idest, corporis, quod est radix diuersorum organorum, & in potentia ad gradus substantiales vitæ; talis enim potentia, vt docet S. Thomas loco modo cit.; non est abiiciens, idest, non excludens animam, & huius ratio; est quia anima, secundum suum primum gradum essentialem, est actus corporis, sicut calor est actus calidi, & scientia est, actus scientis in actu primo. Probatur conclusio: per hanc definitionem explicatur genus, & differentia animæ in communi; genus enim, est actus corporis physici: in hoc enim conuenit anima cum formis substantialibus corporum inanimatorum: reliquę verò partes definitionis sunt differentiæ essentiales; nam per eas distinguitur anima à formis substantialibus rerum naturalium inanimatarum.

Traditur ab Arist *lib. 2. de ani. tex.* 24. hæc alia animæ definitio, scilicet, anima est id, quo primò viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus. Sed hæc definitio, non est definitio animę in communi; quia non omnis anima est id, quo primò intelligimus; at si hoc prædicatum esset intra essentiam animę in cōmuni, omnis anima esset primum principium vitæ intellectiuæ: solum prima definitio, est animę in communi; quoniam omnia prędicata, quæ in ea ponuntur, conueniunt omni animæ.

Ab interpretibus Arist. duo, inter alia quęruntur.

Primum est, qua de causa, Aristot. adhibuerit duas definitiones animæ?

Cui quęsito, ferè communiter respondent; quod Arist., vt haberetur clara cognitio animę in communi, voluit illam explicare, definitione à priori, & definitione a posteriori; nimirum, definitione essentiali, & definitione accidentali, quæ est per proprietatem; nam prima definitio est à priori, siuè essentialis; secunda verò, à posteriori, siuè per proprietatem: hinc intelligitur, inquiunt, quod Arist. voluerit, cum dixit secundam definitionē probare primā: nam principium intrinsecum, non alio argumento demonstratiuo cognoscitur, nisi ex eius operationibus formalibus, nisi velis dicere cum cōnimbricentibus, secunda definitione, probari primam à priori, per causam finalem: anima enim dirigitur ad operationes vitales tamquam ad finem.

Equidem autem saluo semper meliori iudicio, opinor, quod Arist' voluit adhibere duas definitiones, non quidem ad explicandam essentiam animę in communi;

quoniam

vt dixi anima in communi, non est intellectiua; aliòquin omnis anima esset intellectiua, quod est falsum; sed, quia voluit prima definitione explicare essentiam animæ in communi; secunda verò voluit explicare essentiam animæ intellectiuę, quę est perfectissima species animæ in communi; gradus enim intellectiuus, est gradus vitæ, omnium supræmus, & vt notat Caiet. *in 2. de Ani.* egregiè, anima intellectiua in vno sensu, est abstractior, quàm intellectus, & è conuerso: intellectus, est abstractior, quàm sit anima, & huius doctrinæ, hic sensus est; anima, forma quidem est corporis organizzati; sed quia subsistit, est independens quoad esse: intellectus verò; quia accidens est, non habet hanc indepēdentiam quoad esse: etenim inhæret; verùm, quia anima informat corpus, informatiuè recipitur in aliquo materiali; intellectus verò recipitur in sola anima: ac proindè in hoc sensu abstractior est; intellectus enim, inquit, Caiet. habet hunc modum abstractionis, scilicet, non actuare materiam; essentia verò animæ actuat materiam, constituendo corpus substantiale; habet tamen alium modum maioris abstractionis, quo magis abstrahit à materia; quoniam est formaliter subsistens.

Secundùm quod quęritur ab interpretibus Aristotelis, est, quomodò vnica definitione, tanta animarum diuersitas ab Aristotele explicari potuerit; & ratio difficultatis est, primò: nam inter animas, alia est materialis, & alia est spiritualis; alia independens à materia, & alia dependens; alia operatur per primas qualitates, cuiusmodi est anima vegetans; alia operatur nobiliori modo, scilicet, per solas species intentionales. Secundò, animæ in sua quidditate diuersitatem habent; ergo vnica definitione definiri non potuerunt.

Vt à radice, hæc difficultas discutiatur, examinandum est, an anima in communi, sit vniuoca, an analoga in suis inferioribus.

Sunt qui dicunt, animam in communi non esse vniuocam, sed analogam; idque probant: quia animæ inter se diuersæ naturæ sunt; alia enim est vegetatiua; & alia sensitiua; & tamen in eo, in quo diuersæ sunt, animæ sunt; sed hæc prædicata cōstituunt analogum saltem proportionis; analogum enim in eo ipso, in quo dicit cōuenientiam inuoluit diuersitatem.

Sed hoc fundamētum non necessariò concludit; facilè enim responderi potest, distinguendo, de anima secundùm conceptum animæ in communi, & de anima, prout est hæc, vel illa anima, nimirùm, vegetatiua, vel sensitiua; Verùm quidem est, quod anima vegetans, vt vegetans, dicit conceptum communem animæ sensitiuæ, & conceptum proprium, quo anima vegetans distinguitur ab anima sensitiua; incūbit arguenti demonstrare, quod anima, v. g. vegetans, vt vegetans, dicat diuersitatē, seù dissimilitudinem.

Alij sine dubio acutiùs, idem probāt eo medio, ea quæ sunt vniuoca, habent gradum superiorem, qui debet diuidi per differentias, quæ immediatè contrahant gradum superiorem; at verò si anima in communi esset gradus superior, is deberet diuidi immediatè per vegetatiuum, sensitiuum, & rationalem; hoc verò impossibile est; nam vegetatiuum contrahitur a sēsitiuo, sensitiuum à rationali; nulla verò differentia est, quæ diuidat genus, & contrahat oppositam differentiam; & indè est, inquiunt, quod Arist. volens tradere perfectam cognitionem animæ, prætermissa priore definitione *tex. 6. lib. 1.* addit secundam *tex. 24.* scilicet anima est, qua primò viuimus &c. Et confirmatur, nam si daretur, hæc vniuocatio in composito animato, præter animam, aut vegetantem, aut sentiētem &c., deberet poni gradus animę in communi, quod patet esse falsum; quia definientes animam, huius gradus mensionem non facimus.

Sed nequè hę rationes concludunt intentum, & à facilioribus incipiendo, Arist. tradit accuratiorem explicationem animę *lib. 2. tex. 24.*; quia non solum explicat genus, & animam in communi, quemadmodum fecerat *tex. 6.*; sed etiam, animam in specie, in qua re maior distinctio est. Dicit verò se figuram tradidisse animæ, priore definitione: nam vt aliqui interpetres vertunt, animam in generali, non in speciali declarata est; in definitionibus verò, huius gradus mensio non fit, & ratio est ea; quia explicata anima in specie, facillimo negotio, innotescit gradus superior; ita respondet Scotus prætermitti gradum vniuocum entis in definitione rerum.

Maior difficultas est, quomodò differentiæ contrahant, & primus gradus, adhuc sit vniuocus.

Sed huic quæsito satisfit, hac doctrina, nimirum; quod ad rationem vniuoci, non aliud requiritur, nisi quod vnus, & idem conceptus, secundum idem reperiatur in pluribus vniuocatis, nec impedimētū est, quod vniuocata in aliquo respectu in-

inuicem se contrahant; hoc enim non tollit, quod idem prior conceptus sit in illis, & probatur; nam, quod differentiæ debeant diuidere genus, id quidem verùm est; sed in hoc sensu, quod illę sint taleitates primi conceptus, siuè sint mediatè, siuè immediatè; hoc enim non tollit quominùs, sit idem cõceptus formaliter in vniuocatis. Explico, quæ dico. Est conceptus animæ in communi, qui ideò vniuocus est, quoniam idem reperitur formaliter in vegetatiuo, sensitiuo, & rationali; & quãuis sensitiuum, & vegetatiuum contrahãt, hoc non tollit, quominus sit taleitas prioris conceptus animæ in communi.

Nequè dicas, quod non est taleitas immediata, sensitiuum; nam,

Respondeo, concedo assumptum; indè tamen non sequitur, quod conceptus animæ, vt sic, non reperiatur formaliter, cum taleitate mediata; verè enim, quod sensitiuum est, qua sensitiuum est, habet principium viuendi, quamquam supponat, quod hoc principium viuendi, priùs communicetur taleitati primæ, scilicet vegetatiuæ; hac in re, hoc velim adnotetur, quod hoc argumentum nullam vim habet, si quis supponat, non implicare animatum per præcisè sensitiuum, & rationale per præcisè intellectiuum, quamquam de facto ij gradus sic non reperiantur.

Alij deniquè idem probant, hoc alio argumento; anima non aliundè innotescit nobis, ex Arist, quam ex operationibus vitæ; sed aliud genus operationum vitæ non cognoscimus, quàm vegetandi, sentiendi, & intelligendi; ergo cum hæc principia vitæ, diuersa sint; præsertim si inspiciamus principium intellectiuum, in quo est spiritualitas, & excessus supra materiam, ij verò Authores loquuntur de vniuocatione ex natura rei; non autem ex modo nostro intelligendi imperfecto: in hoc enim sensu dicunt, cõcedi posse animam in communi esse vniuocam.

Quod si ab eis quæras, quæ analogia sit in anima in communi.

Respondent, esse analogiam proportionis, cum modo attributionis: & fundamentum eorum est: quia sicut viuimus verè vegetando, ita etiam sentiendo, &c; dicitur verò hæc, analogia proportionis, cum modo attributionis; quia vnus gradus supponit alium priorem; & indè est, quod anima in communi, vnica definitione potuit definiri, nam est proportio, & similitudo.

His non obstantibus dicendum est, animam in communi, esse vniuocam ex natura rei omnibus animabus etiam diuersarum specierum. Hoc dictum conforme est principijs Scoti, quæ non sunt aliena à mente S. Thomæ; est autem principium hoc, quod ens creatum formaliter, prout contradiuiditur ab ente materialiter, siuè à modis intrinsecis essendi, vt docuimus *q. 2.* cum Scoto, & S. Thoma est vniuocum ex natura rei in suis inferioribus; quia formaliter ex natura rei præscindit à suis modis intrinsecis, siuè taleitatibus diuisiuis; ens enim formaliter secundum se, non est modus eius intrinsecus, neque modus formaliter, & secundum se est ens formaliter; hæc autem præcisio, satis est ad vniuocum ex natura rei: recolenda sunt ad intelligẽtiam huius, quæ diximus *q. 2. de vniuoc. entis.*

Confirmatur; quoniam omnes gradus formæ substantialis in communi, quantum ad eorum quidditatem, siuè formaliter, sũt omninò similes in suis inferioribus; formaliter enim præscindunt à materialitate, & spiritualitate, vt supra ostendimus; formaliter enim gradus corporis substantialis, est principium exigitiuum quantitatis dimensiuæ, & organicæ in materia, illam informando; gradus vegetatiuus principium formale actus vegetãdi est, informãdo materiam: idem dico de gradu sensitiuo, in his definitionibus habent omnimodam similitudinem ex natura rei; sed hoc tantũ satis est, vt prædicti gradus vniuocationẽ habeant ex natura rei.

Rationes in oppositum, quibus probatur, animam ex natura rei, esse analogam supra sunt explicatæ, & plenè solutæ.

Prima ratio in oppositum est; quia animæ ex natura rei, diuersæ naturæ sunt, & in eo, in quo diuersæ sunt conueniunt; sed hæc, data distinctione de Anima, secundum conceptum in communi animæ, & de anima, prout vna anima specie contradistinguitur ab alia, plenè diluta est: nam ratio ostendit tantũ, diuersas in specie animas, inuoluere in eo, in quo tales animę sunt, diuersitatẽ, & conuenientiã, vt anima: sed ostẽdi debebat ab opponente, animam. v. g. vegetantem, vt simpliciter anima est, dicere analogiam, in vno, & eodem conceptu, scilicet similitudinem, & dissimilitudinem.

Secunda est hæc, ea quæ sunt vniuoca, habent gradum superiorem diuisibilem per differentias, quæ immediatè illum contrahant; sed animæ, non habent hunc gradum superiorem, qui immediatè diuiditur

ditur per vegetatiuũ sẽsitiuũ, & rationale; sed tãtũ mediatè: sed hæc ratio adhuc adequatè reiecta est, & rationem huius eam assignauimus; nam ad rationem vniuoci ex natura rei, non aliud requiritur, quam, quod vnus, & idem conceptus formaliter reperiatur in pluribus: nec impedimentum est, quod vniuocata in aliquo respectu, se contrahant, dum vnus conceptus formaliter in eo, in quo dicit similitudinem, nullam includat dissimilitudinem, quemadmodum latè explicauimus *q. 2. de vniu. entis*.

Tertia ratio, est; gradus essentiales animæ, sunt principia vitalia diuersarum operationum formaliter; sed hęc sunt principia analoga formaliter, sicut, & eorum operationes vitales; nam operationes vitales, sunt formales participationes suorum principiorum vitalium: sed hęc ratio pariter, distinctione, est plenè diluta; quandoquidem, gradus vegetatiuus. v. g. existens in homine, formaliter consideratus, non habet vniuocationem, cum gradu sentitiuo, aut rationali, sed cum gradu vegetatiuo existente in alio viuente, puta in bruto, & hoc est, quod supra diximus. Neque obstat; quod gradus vegetatiuus in brutis sit materialis, in homine verò sit spiritualis; nam hæc prędicata conueniunt gradui vegetatiuo, quantum ad diuersas entitates, quas habet in homine, & bruto, non autem sũt prędicata conuenientia illi quidditatiue, & essentialiter.

Quarta ratio in oppositũ, est: corruptibile, & incorruptibile, nõ sũt vnius quidditatis, & essẽtię; sed diuersę substãtię, sed anima v. g. intellectiua est incorruptibilis intrinsecè; aliæ verò animæ brutorũ, sunt intrinsicè corruptibiles; at si animę in specie, diuersæ, haberent vniuocationem, in rationæ animæ in communi, omnes, vel essent incorruptibiles, vel omnes essent corruptibiles.

Quod si dicas; animam in communi, præscindere ab anima incorruptibili, & ab anima corruptibili.

Aduersarij statim dicent, corruptibile, & incorruptibile, differunt secundum genus, vt docet Arist. 10. *metaph.*, at si anima in communi præscinderet a corruptibili, & incorruptibili, esset eiusdem generis, & non diuersi generis in homine, & in brutis, scilicet, non erit eiusdem generis, anima sentitiua in homine, & in bruto; animal enim. v. g. dicitur ex eo, quod habet animam sensitiuam; si verò animal esset corruptibile in bruto, & incorruptibile in homine, animal, non esset vnum genus commune homini, & brutis; sed esset diuersi generis, quod est falsum.

Respondeo ad primum, cum S. Thoma *p. 1. q. 76. art. 3. ad primum*; quod anima sensitiua. v. g. in homine, non habet incorruptibilitatem ex hoc, quod est sensitiua formaliter, alioquin adhuc in bruto esset incorruptibilis, quod est falsum, sed est incorruptibilis ex eo, quod est coniũcta cum intellectiuo in homine; etenim anima sensitiua formaliter, neque est corruptibilis, neque, est incorruptibilis; sed est corruptibilis, quatenus est iuncta cum gradu specifico materiali, incorruptibilis verò, quatenus est iuncta in entitate cum forma spirituali.

Ad instantiã verò in oppositũ, qua dicitur, corruptibile, et incorruptibile, differre genere; sed, animę differũt genere; ergo, &c.

Respondeo, corruptibile, & incorruptibile, esse duplicis conditionis: dantur enim corruptibile, & incorruptibile, per se, & formaliter, & dãtur corruptibile, & incorruptibile ex coniunctione cũ gradu corruptibili; corruptibile, et incorruptibile, primò modo, differũt genere, vt sũt inferiora, & corporea cælestia, corruptibile verò, & incorruptibile secundò modo, nõ differũt genere; & huius conditionis, sunt anima sentitiua in bruto, & anima sensitiua in homine.

Obiicies primò contra tertiam conclusionem: in homine anima, est actus corporis, sicut est actus materiæ; sed hoc posito, anima in homine supponit formam corporeicatis, à se distinctam realiter; ergo dantur in homine plures formæ substantiales, vna veluti generica, alia specifica; minor probatur, quia materia est potentia receptiua animæ; ergo si anima est actus corporis, sicut est actus materię, corpus substantiale, est receptiuum animæ; at omne receptiuum, distinguitur realiter à natura recepti; ergo corpus substantiale, vt corpus formaliter, est constitutum in ratione corporis ante quam recipiat in se animam, & confirmatur, nam vt docet Arist. 8. met. genus sumitur a materia; differentia verò à forma, sed corpus est genus in homine; gradus verò vegetatiuus, & sensitiuus, sicut & rationalis, sunt differentiæ; ergo corpus substantiale dicit materiam receptiuam animę, non autem effectus primarius animæ.

Respondeo, nego maiorem; nam, vt supra diximus cum S. Thoma, anima est actus corporis, sicut calor est actus calidi, &

scientia habitualis est actus scientis; & ratio est primò; quia anima est actus primus substantialis, & quidditatiuus materiæ, at actus primus, nullum alium priorem supponit. Secundò: quia materia prima, de se nullam perfectionem habet, vel actum: sed quantum est de se, est in potentia ad omnem actum. Tertiò; quia actus primus substantialis dat materiæ, esse simpliciter: vbi autem est esse simpliciter, non est capacitas ad vlteriorem actum substantialem simul habendum. Cæterùm corpus substātiale in homine, v.g. non est effectus formalis primarius formæ corporeitatis distinctæ ab anima rationali: sed est effectus formalis primarius, gradus formalis corporeitatis: qui est vnus ex gradibus formalibus animæ rationalis: etenim, vt supra ostendimus, corpus substantiale est, per differentiam formalem diuisiuam, et contractiuam substantiæ, quę est genus primum prædicamentale: nam homo est vna ex infimis speciebus generis supræmi prædicamenti substantiæ.

Cum verò dicitur ab Aduersarij, quod genus sumitur à materia; differentia verò a forma; sed corpus est genus; ergo &c.

Respōdeo, genus in prædicamento substātiæ, sumi à materia, quatenus est perfecta à gradu formali generico formę substantialis, siuè animæ, non autē à materia nudè sūpta, prout scilicet, distinguitur à forma substantiali; nam genus infrà prædicamentū substantię est genus respectu inferiorū, in quibus, est formaliter, & prędicatur essētialiter; species verò respectu generis suprẹmi: omnis autem species formaliter est, vel à forma, vel ab aliquo gradu formæ; omnis enim species, est ens determinatum; omnis autem determinatio est a forma, vel ab aliquo gradu formæ; dicitur autem genus sumi à materia, & differentiā à forma; tum quia genus est potentia receptiua differentiæ, per quam diuiditur; tùm etiam; quia genus potentia quædam est perfectibilis per gradum differentialem; prima autem radix omnis potentialitatis, in rebus materialibus, est materia prima; differentia verò dicitur sumi à forma; quia forma actus formalis est; prima autem radix omnis actus formalis est forma.

Obijcies secundò; gradus essentiales, siuè formales, v.g. in homine, sunt realiter inseparabiles in existendo; quia existūt vnica existentia, quæ consequitur formā, secundum vltimum sui gradum essentialē, & indiuidualem; Sed materia potest esse actu, corpus viuens, & sensitiua, cum actuali separatione, à principio vegetatiuo, sensitiuo; ergo isti effectus formales, non sunt effectus diuersorum graduum vnius formæ; sed diuersarum formarum, siuè animarum substantialium; quia proprium est formæ dare esse materiæ, & fortè Arist. *in lib. de Gen.* animalium hac ratione motus dicit, quod embrio priùs est animal, quàm homo: at hoc esse non posset, si in vno composito physico, v.g. in homine, esset tantùm vna forma substantialis, & vna anima; nam animal, est per animam sensitiuam: homo verò per animam intellectiuam.

Respondeo, cum S. Thoma *loco cit. art. 3. ad tert.*; concedo maiorem, & distinguo minorem, quod anima, alia est tātum sensitiua, vel tantùm vegetatiua, & hæc anima, excludit quidem gradum vitæ; tæ; sed includit suā differentiam specificā, & alia est simul vegetatiua, sensitiua, & intellectiua; quando anima est tantùm sētitiua, vel vegetatiua, tunc materia potest esse seorsum tantùm species substantię sensitiuæ; at verò quando anima informans, & actuans materiam, est simul sensitiua, vegetatiua, & intellectiua; tunc non potest esse seorsum substantia vegetans, vel sentiens: quia vt rectè probat exponens, gradus essentiales sunt inseparabiles in existendo: et in hoc principio, tamquam in prima radice fundatus, Scotus docuit distinctionem formalem ex natura rei, esse distinctionem actualem plurium formalitatum, siuè quidditatum in vna entitate, cum omnimoda inseparabilitate in existēdo: formalitates enim in rigore loquendo, sunt gradus formę, qui, vt ostendimus suo loco, sunt distincti formaliter ex natura rei.

Neque ex hoc, quod gradus formales sunt realiter inseparabiles in existendo tollitur: quin prius natura sit viuens vita vegetatiua, quàm viuens, vita sensitiua; sed solùm tollitur, quod prioritate temporis, siuè durationis, et seorsum non possit esse viuens, vita vegetatiua, siuè vita sensitiua.

Sunt, qui dicunt in instanti generationis in vtero infundi à Deo animam rationalem, quæ non simul tempore dat omnes gradus suos formales materiæ: sed successiuè, eo quod successiuè materia vltimatè disponitur, cum ordine ad recipiendos in se formaliter gradus formæ.

Neque dicas, quod vita vegetatiua constituit speciem completam distinctā à cæteris speciebus in recta linea prædicamenti

menti substantiæ; sed hęc non est per se ordinabilis, cum alijs gradibus essentialibus substantiæ: non enim possunt esse duæ vitæ, specie diuersæ in vno composito per se.

Respondeo; quod sicut corporeitas potest dupliciter accipi, vno modo, vt dicit formam corporeitatis distinctam ab alijs formis specificis; alio modo, vt dicit gradum perfectionis genericum, qui est vnus ex gradibus essentialibus formæ substantialis; ita vita vegetatiua, potest adhuc dupliciter accipi, & vt dicit formam vegetatiuam, quæ est diuisibilis in varias species, vt videre est in plantis; alio modo, vt dicit tantùm gradum essentialem vegetatiuum, qui est differentia diuisiua corporis substantialis: primo modo, vt existens seorsum à cæteris gradibus, præter gradum vegetandi, dicit alium gradum essentialē specificum, & athomum, quo vna species substantiæ vegetantis distinguitur ab alijs; quoniam omnis gradus formalis diuisiuus substantiæ, quæ est genus primum prædicamentale, est à forma, quia omnis gradus essentialis, est determinatiuus gradus superioris, qui est in potentia ad alios gradus nobiliores; omnis autem determinatiō est à forma, non à materia.

Obijcies tertiò, homo, & quodlibet animal, est mouens seipsum omne autem mouens seipsum diuiditur in partem mouentem, & in partem motam, vt probatur in octauo phy. ab Aristot; pars autem mouens est anima; pars verò mota est materia: omne enim mobile, potentiale est ad motum; sed materia prima non potest moueri, vt probatur in quinto phy., cum sit pura potentia in genere entis; immò omne, quod mouetur est corpus; ergo oportet, quod in homine, & in quolibet animali sit duplex forma substantialis; vna per quam constituitur corpus, & alia per quā constituitur viuens.

Respondeo, cum S. Thoma *quæst.76. par.1. art.4.ad 2.*, quod anima non mouet corpus suo gradu formali corporeo; quia gradus corporeus, non supponit corpus substantiale; sed mouet corpus per potentiam motiuam, quæ supponit corpus iam constitutum formaliter ex materia, & gradu corporeitatis, & in hac motione, anima, quatenùs mouens principio motiuo, est pars mouens; corpus autem substantiale constitutum per animam suo gradu corporeo, est pars mouens; in materia enim quatenus est informata per formam viuentem, siuè per animam, sunt diuersi gradus perfectionis formalis; v. g. esse, quod est genus primum prædicamentale, corpus substantiale, sentire, & intelligere; semper enim gradus posterior, est perfectior priore; & hinc est, quod forma, quæ dat solùm primum gradum perfectionis in materia est imperfectissima; forma verò, quæ dat primum, & secundum, vsque ad vltimum inclusiuè, est forma perfectissima; neque hic ordo graduum essentiatiuum tollit, quin anima vniatur immediatè materiæ, immediatione formali; quoniam ordo graduum essentialium constituunt vnam tantùm formam substantialem, quę dat materię esse impliciter.

Obijcies quartò: dictum est supra, in anima rationali esse formaliter animam vegetatiuam, & sensitiuam; quia in anima est principium formale operationis vegetatiuæ, & sensitiuæ; sed hæc ratio non est sufficiens; quia operatio sensitiua, & vegetatiua, sunt formaliter materiales; at operatio materialis, non potest esse operatio, nisi principij formalis materialis; hoc autem principium implicat esse in anima rationali, ergo &c.

Respondeo, operationem vegetatiuā, & operationem sensitiuam esse operationes gradus vegetatiui, & gradus sensitiui media potentia vegetandi, & media potentia sētiendi; non autē immediatè, & proximè; nulla enim substantia creata, aut nullus gradus substantialis formæ creatæ, vt obiter probatum est præcedentibus articulis, & fusè ostendetur in quæstione de ente creato in genere agentis; est immediatè operatiuus; istæ autem potentiæ sunt formaliter materiales, cum sint potentiæ organicæ, dependentes ab organis corporeis informatiuè, & substentatiuè; ratio huius est, quia prædictæ potentiæ, sunt potentię coniuncti, non autem potentiæ solius animæ, vt est intellectus creatus; vt autem operatio sit intrinsecè materialis, satis est, vt sit media potentia materiali formaliter.

Quod si dicas potentię organicæ fluunt ab anima inquantum anima; quia sunt potentia vitales.

Respondeo distinguo antecedens, fluunt ab anima, vt informante materiam, & corpus substantiale, & concedo: quia sunt potentiæ coniuncti; fluunt ab anima inquantum anima formaliter seiuncta à materia, & nego: at anima, vt informans materiam, dependet à materia informatiuè, quæ informatio materialis est, & indè est, quod potentiæ prędictæ, sint potentiæ materiales, siuè organicæ: dependent enim

enim ab anima, quatenus est actus corporis physici organici potentiam vitam habentis; ego non præscindunt a materia informata ab anima; & proindè recipi debent in toto coniuncto.

Hinc difficultas esse potest, quomodò accidens pendeat à duobus; Sed hæc difficultas distinctione soluitur, quod dependet à duobus, tamquam causis inadæquatis, non autem tamquam causis adæquatis.

Hinc intelligis doctrinam S. Thomæ in hac materia de anima separata, quod facta separatione animæ rationalis à materia, comitantur animam solùm, potentiæ inorganicæ, quæ enim organicæ sunt, corrumpuntur: quia subiectabantur in toto coniuncto: & in speciali decidere possumus quid sentiendum de sensibus exterioribus, quorum habilitates materiales, & organicæ corrumpuntur: & de sensibus interioribus, quorum habilitates materiales, etiã corrumpuntur; & denique de potentia motiua materiali, & organica, quæ affixa est musculis.

Quod si vltimò quæras quomodò potentiæ organicæ subiectentur in materia, & forma collectiuè vnitis.

Respondeo, informatiuè recipi in materia; substentatiuè verò præcisè in forma spirituali.



QVÆ-

# QVÆSTIO SEXTA. DE METAPHYSICA VNIVERSALISSIMA.

## De Essentia, & Existentia entis realis positiui cognoscibilis, siuè intentionalis formaliter.

VNA ex pręcipuis diuisionibus entis realis positiui formaliter, scilicet, quod sua ratione formali, est ens ad differentiam, entis materialiter, quod est ens entitate sui veluti subiecti, vt est modus intrinsecus entis realis, est diuisio entis, in ens naturale, & in ens cognoscibile, siuè intentionale formale, quę duo genera entis realis positiui ampliorem habent significationem extra diuisionem, seù propositionem, quàm intra diuisionem; etenim ens naturale extra diuisionē, potest significare, vel ens oppositum enti ordinis supernaturalis, vel ens quod opponitur enti intentionali reali formaliter: intra verò diuisionem, qua diuiditur ens, in ens intentionale, & in ens naturale, restringitur ad ens, quod precisè existit intra suam naturam, sine vllo ordine ad potētiam cognoscitiuā, in qua significatione, ens naturale potest esse adhuc supernaturale, sed sine ordine ad potentiam cognoscitiuā supernaturalem, vt infrà fusè dicetur. Pariter ens intentionale, siuè cognoscibile formaliter extra diuisionem, indifferens est ad standum pro ente intentionali obiectiuo, extra potentiā cognoscentem, & ad standum pro ente intentionali, quod est intra potentiam cognitiuam, vt eius perfectiuum formale, in genere entis cognoscibilis; intra verò hanc diuisionem, qua diuiditur ens reale, in ens naturale, & in ens intentionale, siuè cognoscibile formale, stat pro ente, quod est intra potentiam cognoscentem, vt eius perfectiuum formale in genere obiecti. Materia huius quæstionis nedum amplissima, est: multa enim quæsita in se, continet, veluti an dētur species intentionales in potentijs cognitiuis, quæ sit natura earum, quæ efficacitas, à quo producantur, & similia: sed etiam difficillima est, vt in discursibus ap-

apparebit, & præsertim, meo iudicio, propter incertitudinem de specierum intentionalium existentia; neque enim omnes Authores has species admittunt, & ex his præcipui nominis scolastici, quæmadmodum apertè docet Durādus, qui eas negant contenti, sola potentia cognoscitiua cū suo lumine, & debita applicatione obiecti, facta potentiæ cognitiuæ; sicut inquiunt, vt calor calefaciat, satis est, vt calor sit debitè applicatus calefactibili. Nos hic quātum poterimus, conabimur explicare quicquid firmiùs, & stabiliùs in hac materia, erit dicendum iuxta principia Arist. & S. Tho., eandem methodum adhibendo qua vsi sumus superioribus quæstionibus.

## ARTICVLVS PRIMVS.

### Vtrùm detur in vniuersitate creaturarum ens reale intentionale, seù cognoscibile formale.

SVB hoc articulo, duo comprehendimus; primum est, an sit possibile ens intentionale, siuè cognoscibile formale in vniuersitate creaturarū. Secundum, an actu illud existat, siuè actu reperiatur; questio enim an est, vtrumque esse amplectitur. Hic articulus communiter his verbis proponitur, an dentur species intentionales siuè cognoscibiles; proponitur verò à nobis quæsitum de speciebus, sub genere entis intentionalis, siuè cognoscibilis, formaliter; quia tota quæstio explicabitur principiis primis sub metaphysica abstractione.

Prima conclusio; possibile est, ens intentionale, siuè cognoscibile formale contradivisum ab ente naturali: conclusio recipitur ab omnibus, qui putant, necessariò dandas esse species intentionales, siuè cognoscibiles, quibus potentiæ cognitiuæ costituuntur formaliter in genere suorū immediatorū obiectorū; negatur verò expressè à Doctoribus, qui negāt esse necessarias species intentionales, in qualibet potentia cognoscitiua ad cognoscendum sua obiecta immediatè. Non dum legi apud Authores, negantes, esse necessarias species intentionales in potentiis cognitiuis ad cognoscendum sua obiecta, an asserant species intentionales, non esse necessarias ad cognoscendum in potentiis cognitiuis, quia sunt superfluæ, vel quia sunt impossibiles.

Fundamentum metaphysicum conclusionis est; quia ens reale positiuum formaliter; idest contradistinctum ab ente reali materialiter, præscindit ex natura rei ab ente naturali, & ab ente intentionali, siuè cognoscibili formali; sed existente genere prescindēte à suis inferioribus formaliter, possibilis est diuisibilitas, & contrahibilitas per oppositas differentias; ergo possibile est dari ens intentionale, siuè cognoscibile formale.

Hoc fundamentum, aliis verbis explicari potest, quia quidditas, siuè essentia rei, præscindit à quolibet essendi modo, nimirum, tam à modo essendi in propria natura, quam à modo essendi intra potentiā cognitiuam, vt perfectiuum in suo perfectibili in genere obiecti, siuè *cognoscibilis*; sed hac posita abstractione, *possibile est, ens intentionale, siuè cognoscibile formale*; quia hac posita abstractione, potest rei essentia, esse in potentia cognoscente, vt forma essendi in genere obiecti; sed rei essentia in modo essendi intra potētiam cognitiuam, vt perfectiua potentiæ cognitiuæ in genere obiecti, est ens intentionale, siue cognoscibile formaliter contradistinctum, ab ente naturali, ergo etc. Maior vtriusque discursus probatur; nam ens reale positiuum formaliter, diuisibile est per modos intrinsecos essendi, et in sola sua natura, siuè specie, et in potentia cognitiua, vt perfectiuum in suo perfectibili in genere obiecti, siuè cognoscibilis: *in hoc enim* differt ens formaliter à quolibet genere prædicamentali; quia quodlibet genus prędicamentale, est diuisibile per diuersos, et oppositos gradus formales, qui sunt gradus entis formaliter; ens verò formaliter, est diuisibile tantummodò per modos essendi intrinsecos, vt latè, et fusè probauimus præcedentibus quæstionibus; sed ens creatum formaliter, ex natura rei præscindit à suis modis intrinsecis diuisiuis, vt demonstrauimus, cum Scoto supra; tum quia modi intrinseci entis realis formaliter, non sunt ens; tum etiam, quia ens creatū formaliter reperitur essentialiter in quolibet suo inferiore; quodlibet enim ens inferius, sub quacunque reduplicatione, est essentialiter ens: at si ens formaliter non abstraheret à suis modis intrinsecis ex natura rei, nō reperiretur formaliter, siuè essentialiter in quolibet suo inferiore; quia essentiæ rerū sunt

sunt veluti numeri, teste Aristotele *octauo metaphysicorum*, quibus vna vnitas addita, vel ab eis subtracta, variatur species; & probatur, ex eo; quia ens. v. g. in substantia creata, non potest reperiri simul cum inhæsistentia in subiecto inhęsionis; & è contra, in accidente, non potest reperiri cum perseitate, quæ est per independentiam à subiecto inhæsionis; at si ens creatum formaliter includeret alterutrum modum essendi, separaretur ab ente formaliter, vnum ex suis prædicatis essentialibus; ergo non esset amplius ens creatum formaliter, sed aliud ens chymericum.

Secunda cõclusio: in vniuersitate creaturarum actu datur ens intentionale, siuè cognoscibile formale contradistinctum ab ente naturali; contrarium huius conclusionis tuentur complures, & inter cæteros Durandus in. 2. *distin.* 3. *q.* 7. negans dari ens intentionale, siuè cognoscibile, quod, scilicet, est perfectiuum potentiæ cognitiuæ in genere sui obiecti immediati, existens intra potentiam: Durandus enim expresse negat dari species intentionales in qualibet potentia cognitiua; sic discurrens, *à numero* 10. species, inquit, orginaliter introductę, videntur propter sensum visus, & eius sensibilia; color enim videtur facere speciem suam in medio, & in organo; sicut apparet in refractione, quæ est in speculo; hoc autem, inquit, non reputo esse verum, nec in sensu, nec etiam in intelluctu nostro, quia eadem ratio de vtroque est.

Non quidem in sensu; primò, quia omne illud, per quod tamquam per reprę sentatiuum, potentia cognitiua fertur in suum obiectum, est primò cognitum à potentia cognitiua; quicquid enim se habet obiectiuè; idest habet rationem obiecti ad potentiam cognitiuam, vt cognitiua formaliter, ab ea est cognoscibile, seù cognitum: repræsentatiuum autem obiecti suæ potentiæ cognitiuæ, se habet obiectiuè; sed species cognoscibilis siuè intẽtionalis, non videtur, & si existeret in oculo, ab oculo, non videretur; oculus enim est visiuus colorati extra se. Secundò si species visibilis concedenda est; propter similitudinem concedenda est; at ex hoc capite, species habet rationem cogniti; quia similitudo est imago sui obiecti, imago autem visibilis est; ergo species si detur, debet esse primum cognitum; minor probatur; quippè absurdum, est, quod potentia cognitiua feratur in cognitionem sui obiecti per represenṫatiuum, quod est sibi totaliter incognitum; ergo species intentionalis in visu, non datur, quia, non videtur.

Nec datur species intelligibilis in intellectu, inquit, Durandus, quod sic primò probat; aut species intelligibilis esset necessaria, respectu omnium obiectorum, quæ cognoscuntur; aut solum respectu primi obiecti, seù primi cogniti; neutrum dici potest; ergo species intelligibilis, non datur in potentia intellectiua ad cognoscendum: non respectu omnium obiectorum, quæ cognoscuntur; quia phãtasmata, cum non sint omnium obiectorum, neque species intelligibiles, quæ eliciuntur à phãtasmatibus, erunt omnium obiectorum: neque respectu obiecti primò cogniti; quia in potentiis subordinatis, obiectum posterioris potẽtiæ præsẽtatur potẽtię per actũ prioris, vt contingit, inquit, Dur. in appetitiua potentia, cui à cognitiua potentia præsentatur obiectum; voluntas enim, est boni præcogniti: nam bonum, quod cognoscimus, appetimus. Secundò, cognitio per speciem, non est discursiua; sed nos multa cognoscimus per discursum; ergo species, non dantur in intellectu, maior probatur; quia species se tenet ex parte obiecti; vis autem discursiua, ex parte potentiæ; ergo cognitio per speciem, non est discursiua. Tertiò, deberemus experimento experiri species in intellectu: sicut experimur actus intelligendi in intellectu, dum cognoscimus, & habitus, quando cum facilitate cognoscimus: sed species sub experimento, non cadit; ergo species nempe intelligibilis, non datur. Quartò, species reprę sentatiua, est eiusdem speciei cum suo primo repræsentato; sed, non potest esse in intellectu creato species eiusdem rationis cum suo obiecto: species enim in intellectu creato est essentialiter accidens: quia inhæret intellectui; nos verò intelligimus substantias: ergo &c. maior probatur: primò quidem ex sensibilibus, ex quibus introductæ videntur esse species; sicut enim se habet lux in corpore luminoso ad lumen causatum in medio, sic color in corpore termininato ad speciem causatam in medio; quia sicut proprium subiectum huius, est corpus densum, sic proprium subiectum coloris, qui in se continet aliquid de natura lucis secundum suum perfectum esse, est perspicuum terminatum opacum. Accedit paritas primarum qualitatum, quæ agũt actione vniuoca, vt calor præsertim distans, qui calefacit etiam, quod medium est, & propinguius; & a priore sic probatur discursus: species est secundum similitudinem; similitudo autem, non est inter diffe-

differentia ſpecie, & natura, vt patet inter duo alba, quæ ſunt ſimilia: quia ſunt vnius naturę. Hęc Durandus.

Alii, qui eandem ſequuntur opinione, hoc medio probant, non dari ſpecies intētionales in potētijs cognitiuis. Aut ſpecies intentionales aſſeruntur ad determinandā potentiam cognitiuam, aut propter ſimilitudinem; quia, ſcilicet ad cognoſcendum prærequiritur in potētia cognitiua ſimilitudo ex parte obiecti ſed ex neutro capite, ſpecies neceſſarię ſunt, ergo ſine fundamento conceduntur. Non primum; quia potentiæ cognitiuæ externæ, quæ primæ ſunt in cognoſcendo, determinantur ſufficienter à pręſentia obiecti:poſitis verò actibus potentiarum exteriorum,connaturaliter determinantur omnes alię potentię internæ cognitiuę.

Quod ſi obijcias,nos habemus actum memoratiuum,nullo exiſtente actu de pręſenti.

Reſpondebit Duran: quoniam potentiæ cognitiuæ diuerſę ſunt,non vno,& eodem pacto, illæ determinantur. v.g. ſicut actus ſenſus communis determinantur à pręſenti actu potentiæ exterioris, ita actus potentiæ memoratiuæ determinabitur ab actibus pręteritis; quo pacto dicunt qui opinantur actus præteritos concurrere ad generationem habitus, moti hac ratione: habitus eſt qualitas conſurgens ex repetitione actuum: in repetitione autem actuum, ſunt actus qui pręceſſerunt.

Durandus, neſcio quas impreſſiones corporales immaginatur,quę remanſerunt in ſpiritibus; ſed niſi fallor, dum ſpecies contendit negare,apertè eas admittit:nam ſpecies intentionalis in re, eſt quædam impreſſio obiecti cognoſcibilis in potentiā cognitiuam.

Nec concedendæ ſunt ſpecies intentionales propter ſimilitudinem, quod ſic probatur primò; quia ſpecies eſt medium ad cognoſcendum obiectum, ſed ſimilitudo, non eſt medium ad cognoſcendum obiectum; nam ſimilitudo, eſt eiuſdem rationis conuenientia: ſed eſſe medium ad cognoſcendum, non conuenit omnibus ſimilibus, nimirum repræſentato,& repræſentatiuo. Secundò quia ſpecies ponitur ſimilitudo,ad determinandam potentiam, circa determinatum obiectum; ſed determinatio hęc, poteſt haberi ſine ſimilitudine, hac ratione Vaſq. oſtendit ad vidēdum Deum,non eſſe neceſſariam in intellectu beatorum ſpeciem intelligibilem ex parte obiecti; ſed ſufficere ſimilitudinem ex parte potentiæ, quod eſt lumen gloriç.

Sed iſtæ, & aliæ rationes facillimè ſoluuntur iiſdem principiis, quibus Ariſtoteles, & S. Thomas probant concluſionem poſitam, nimirum, dari actu in vniuerſitate creaturarum, præſertim in cognoſcentibus ens actu intentionale,ſeù cognoſcibile formale, quod diuiditur in eſſe cognoſcibile, ſiuè eſſe intentionale intelligibile,& in eſſe intentionale, ſiuè cognoſcibile;ſenſibile quod ſubdiuiditur in eſſe intentionale, viſibile,audibile, odorabile &c.eſſe intentionale,quod eſt in intellectu eſt, eſse intelligibile, eſse verò intentionale, quod eſt in potentiis cognitiuis ſenſitiuis, tam internis, quàm externis, dicitur eſse ſenſibile: v. g. eſse intentionale, quod eſt in ſenſu communi, dicitur ſenſibile abſolutè; quod eſt in ſenſu viſus,dicitur ſenſibile viſibile, &c.

Primum principium cōcluſionis eſt; quilibet gradus genericus entis formaliter in hoc vniuerſo, debet eſse completus, & perfectus in ſua latitudine formali; etenim vniuerſum hoc, eſt perfectum, & completum: eſt autem perfectum, & completum; quia in ſe continet omnes gradus entis formaliter completos in ſua latitudine formali: hoc autem complemenrum, eſt per differentias formales diuiſiuas generis, & conſtitutiuas ſpecierum diuerſarum ſub vno communi genere: ſed datur in hoc vniuerſo gradus entis formalis genericus diuiſibilis in ens intentionale, & in ens naturale; ergo hic gradus entis formaliter debet eſſe completus in ſua latitudine formali; eſt autem gradus entis formaliter completus, quatenus eſt actu diuiſus in ens intentionale, ſiuè cognoſcibile formale, & in ens naturale; primum, actu exiſtit in cognoſcentibus; ſecundum exiſtit in ſua propria natura extra cognoſcentia. In hoc principio primo, fundantur alia ſecunda, quorum. Primum eſt, dato vno contrariorum in natura datur, & aliud; contrarietas enim requirit duo; ſed datur in vniuerſitate creaturam actu ens naturale, quod eſt vnum contrariorum, contrarietate metaphyſica; ergo adhuc debet dari in natura ens intentionale, ſiuè cognoſcibile formale in cognoſcentibus. Secundum eſt: quodlibet genus ſimul diuiditur in ſuas ſpecies per oppoſitas differētias,quia quodlibet genus in vniuerſum, debet eſſe perfectum in ſua latitudine formali, ergo &c.

Se

Secundum principium ostensiuum conclusionis est; quælibet potentia cognitiua, cognoscit alia à se, etiam diuersæ speciei, & generis; nimirum, quælibet potentia cognitiua cognoscit sua cognoscibilia, quæ sūt diuersę speciei, & generis; at non potest cognoscere cognoscibilia alia à se, nisi in priori naturæ fiat actu in genere cognoscibilium; ergo quælibet potentia cognitiua, vt cognoscat actu, indiget obiecto intrà se formaliter, saltem per similitudinem, vt illud per vitalem actum cognoscat. Hoc appellamus ens intentionale, siuè cognoscibile: Minor principalis argumenti, in qua est difficultas probatur; quia quælibet potentia cognitiua, non potest pertingere formaliter, nisi ad terminos, qui sunt intrà latitudinem formalem formæ, qua est in actu, non enim potest pertingere terminos extra latitudinem formalem suæ formę, sed potētia cognitiua est actiua vitalis; ergo nō potest pertingere terminos diuersę speciei, & generis, nisi fiat actu per formā aliorum à se; sed huiusmodi forma, non est aliud, nisi formale obiecti cognoscibilis, intrà potentiam cognoscentem; ergo &c. Hoc appellamus ens cognoscibile, siuè ens intentionale formale.

Nequè sufficit potentiæ cognitiuæ ad cognoscēdum aliud à se, proportio potentiæ ad obiectum terminatiuum. Primò, quoniam potentia cognitiua separata, & seiuncta ab obiecto suo formali motiuo, quod est intra potentiam cognoscētem, non continet intra latitudinem formalem suæ formæ, qua constituitur in ratione potentiæ, suum obiectum terminatiuum, quod est cognoscibile extra cognoscentem; sed potentia non potest exire latitudinem formalem suæ formæ; ergo, &c. Discursus est manifestus; quia vnumquodque agit inquantum est actu; at potentia cognitiua quælibet, est actu in genere obiecti, siuè cognoscibilis per formale obiecti intra se, modo, quo explicauimus. Secundò, quia potentia cognitiua separata à suo obiecto formali motiuo, est potentia suum obiectum formale motiuum; idque supra ostendimus ex eo; quia obiectum potentiæ cognitiuæ formaliter, idest, quantum ad sua formalia, aptū est esse, in modo essendi intra potentiam, vt perfectiuum intra suum perfectibile in genere obiecti, cuius ratio est, quia obiectum formaliter, præscindit à quolibet essendi modo, & à modo essendi naturali extra potentiam cognoscentem, & à modo essendi intra potentiam cognoscentem; sed cum nihil agat inquantum est potentia, non potest potentia cognitiua, operatione sua vitali, percipere obiectum extra, nisi in priori naturæ fiat actu per formam obiecti.

In hoc principio fundatur differentia inter cognoscentia, & non cognoscentia; quam latè explicat S. Thomas *p. 1. q. 14. art. 1. in corp.* docens, quod in hoc distinguūtur cognoscentia à nō cognoscentibus; quoniam non cognoscentia, solum habent formā naturalē, qua sunt in propria natura; sed cognoscentiā nata sunt habere etiā formas suorum obiectorum; nam inquit, species cogniti est in cognoscente; species autem cogniti est obiectum formale intra potentiam; ex quo infert S. Thomas, quod immaterialitas est causa, siuè ratio, vt potentia sit cognoscitiua, & secundum modum immaterialitatis, est modus cognitionis, quod principium S. Thom. sumpsit ab Aristotele, qui *in 2. de Anima* docet, quod plantę, non cognoscunt propter suā materialitatem; sensus autem cognoscitiuus est, quia receptiuus est specierum sine materia, nimirum sine modo essendi naturali, qua eorum obiecta existunt in rerum natura extra potentiam cognoscentem, & intellectus magis cognoscitiuus est, quia magis separatus est à materia, vt idē Aristot. docet in *3. de Ani.* Verùm, quod sensus, & qualibet potentia cognitiua sit immaterialis, non aliundè probari potest, nisi quia, potentia cognitiua, est cognitiua, etiam aliorum à se; quoniam hæc operatio, cum sit amplior, & vniuersalior, nō potest oriri, nisi à potentia immateriali, nimirum eruta à materia in aliquo gradu immaterialitatis; quoniā principiū limitatiuum formę, est materia, siuè subiectum, quod probat S. Thomas. *par. p. q. 7. art. 1.* dicens; quod forma determinatur per hoc, quod recipitur, siuè receptibilis est in materia; & sensus est, quod forma; vt in determinata specie, quia est receptibilis in materia appropriata dispositionibus determinatæ speciei, nimirum in materia; vt ignibili, vel aquabili; est determinata in indiuiduo, quatenus est receptibilis in materia signata quantitate, & dispositionibus determinatis in indiuiduo; nimirum, ab hoc calore, & ab hac siccitate; quoniā verò potentia intellectiua, est in supremo gradu immaterialitatis; quia est spiritualis, natus est esse omnia, vt docet Aristo. *3. de Ani.*; sensus autem natus est, esse tantum sua sensibilia, est receptiuus specierū sensi-

bilium tantum; sed sine materia, nimirum, est receptiuus specierum sine materia, quia recipit illas; sine modo essendi, quem habent in suis obiectis: & intellectus est magis cognoscitiuus; quia est magis separatus à materia, de quibus gradibus immaterialitatis, infrà fusè dicetur,

In secundo fundatur, etiam aliud principium est, quod explicat S. Thomas *p. 1. q. 27. art. 4.*, quod hæc est differentia, inter intellectum, & voluntatem, quod intellectus fit in actu, per hoc, quod res intellecta, est in intellectu secundum suam similitudinem, quando non potest esse per se ipsam: voluntas autem fit in actu, non per hoc, quod aliqua similitudo voliti, fit in voluntate; sed per hoc, quod voluntas habet quandam inclinationem ad rem volitam; sed perfectio rei intellectæ, prout est in cognoscente, appellatur forma intentionalis, siuè ens intentionale formaliter; ergo datur actu in natura rerum creatarum in cognoscente ens intêtionale formaliter; maior probatur; quia intellectus est potentia appræhensiua obiecti; cognoscere enim est appræhendere in se obiectum; hæc autem appræhensio, quando obiectum se ipso, potest esse perfectiuum intellectus, est appræhensio immediata obiecti, vt est cognitio intuitiua, qua beati vident Deum in se ipso; quãdo autem obiectum non potest esse principium esse intelligentis, cognitio est appræhensiua obiecti per eius similitudinem intentionalem; & hinc est, quod verum dicitur, esse in intellectu: bonum autem in rebus; voluntas enim inclinat ad assequendum bonum præcognitum in esse, quod in se habet extra voluntatem; intellectus verò est appræhensiuus veri formaliter intra se.

In eodem principio fundatur hoc aliud, potentia cognitiua indiget obiecto intra se formaliter, vt illud cognoscendo percipiat per actum immanentem; idque probatur primò: quia omnis potentia cognitiua, cognoscit per actum vitalem, qui est repræsentatio vitalis rei cognitæ; cognoscere enim non aliud est, nisi repræsentare vitaliter obiectum, quod cognoscitur; repræsentare verò vitaliter est ponere obiectum intra potentiam cognoscentẽ; sed non potest præstare hoc potentia cognitiua, nisi in priori naturæ fiat actu, obiectum in esse intelligibili, quod fit per formam obiecti, quæ est principium formale cognitionis, vnumquodque enim agit in quantum est actu, est autem actu vnumquodque per formam; sed forma ad cognoscendum obiectum, non potest esse, nisi obiectum intra potentiam in esse intentionali, tamquam principium formale cognitionis, & hoc nos appellamus ens intentionale, siuè cognoscibile formale, vel speciem intelligibilem; neque enim potentia cognitiua sola per se, est similitudo rei cognitæ extrà potentiam cognitiuam, & ratio est; nam potentia cognitiua cognoscit alia à se diuersa, diuersitate speciei, generis, & indiuidui; at nihil potest operari secundum, quod est in potentia, sed secundum quod est per aliqua formam; hæc autem non est, nisi forma rei cognitæ intra potentiam cognoscentem, quæ fit principium cognitionis formale, vt calor est principium calefactionis, non sicut intelligendi terminus, vt docet S. Thomas in omnibus suæ doctrinæ locis, tum *in sum. in quæstionibus disputatis, q. 9. art. 5. in corp.*

Contra hæc explicata principia, multæ insurgunt difficultates, quibus confirmari potest opinio negantium, necessariã esse in potentia cognitiua, vt principium formale cognitionis, quo scilicet potentia cognitiua fiat in priori naturæ actu in genere sui cognoscibilis.

Prima est; dictum est supra, cum Arist., & S. Thoma, quod causa cur potẽtia sit cognitiua est, quia immaterialis est; sed hæc ratio, non est vera, nam potentia volitiua, siuè voluntas, est immaterialis intrinsecè, & formaliter, est enim potentia fluens à forma spirituali, & tamen non est cognitiua, aut intellectiua; sed est inclinatio tantummodò in bonum præcognitum; ergo immaterialitas non est causa, vt potentia sit cognitiua, siuè intellectiua, quod si esset causa, quod potentia sit cognitiua; omnis potentia immaterialis, esset cognitiua, quod est falsum.

Secunda difficultas, dictum est secũdò, cum S. Thoma, quod cognoscentia in hoc differunt à non cognoscentibus, quia cognoscentia, sunt nata esse alia à se formaliter, non cognoscentia verò, solũ indigent forma, qua existunt in proprijs naturis, & in se, & ratio huius diuersitatis est, quia cognoscentia. vt cognoscentia, sunt immaterialia in aliquo gradu immaterialitatis; non cognoscentia verò, ex suo genere non sunt immaterialia, quia non cognoscentia, possunt esse immaterialia, seu spiritualia; sed hæc ratio non est vniuersalis, quoniam voluntas, siuè potenti-

ten-

tentia volitiua, vt diximus, est intrinsecè, & formaliter immaterialis; pariter potentia volitiua in Angelis, & in animabus separatis, est formaliter immaterialis: & tamen neutra harum est cognitiua, siuè intellectiua formaliter.

Tertia difficultas; dictum est, quod potentia cognitiua, est immaterialis in aliquo gradu immaterialitatis, quia cognitio, quæ est operatio potentiæ cognitiuæ est cognoscibilium diuersæ speciei, generis, & indiuidui; hæc autem operatio, necessariò debet esse principij operatiui immaterialis; sed hæc ratio, neque est vera vniuersaliter; & per se, quoniam volitio, quæ est actus vitalis voluntatis, etiam est circa volibilia diuersæ rationis, generis, & indiuidui, & tamen ex suo genere non est principij immaterialis: secùs omnis appetitus etiā sensitiuus esset principium immateriale, quod est falsum; est enim potentia dependens substentatiuè ab organo corporali, sicut, & potentia sensitiua; ergo &c.

Sed omnes istæ difficultates, & similes distinctione facilè diluuntur; quandoquidem immaterialitas, quæ est causa, cur potentia sit cognitiua, non est immaterialitas, vt sic, sed est immaterialitas prima; sicut causa, cur calor sit ignitiuus, non est calor, vt sic, secùs adhuc calor naturalis igniret, sed est calor ignis, vt ignis: & ratio huius est, quia potentia cognitiua, est prima potentia in viuete, vltra quam, non est sublimior; at causa huius, non potest esse nisi prima immaterialitas, quę non reperitur formaliter in voluntate, nequè in oppetitu sensitiuo; quoniam potentia volitiua, & appetitus sensitiuus, sunt potentiæ secundæ, siuè posteriores in virtute; consequuntur enim, per se potentiam cognitiuam, vt ostendit S. Thomas. *p.* 1. *qu.* 19. *art.* 1. *in corp.* probans in Deo esse voluntatem formaliter, quia in Deo est intellectus; etenim, vbi reperitur cognitio boni, ibi reperitur necessariò volunas, siuè appetitus, qui est inclinatio in bonum, vt præcognitum; & ostenditur; nam vnumquodque tendit, & inclinat in suum bonum; appetitus sensitiui, est bonū vt cognitum, siuè apprehensum per formā intentionalem, & hac distinctione remanet non solum soluta prima difficultas, sed etiā secunda, nam differentia, supra explicata à S. Thoma inter cognoscentia, & non cognoscentia, oritur ex prima immaterialitate, & non ex secunda, & consequente; voluntas siuè appetitus animalis, sunt quidē potentiæ immateriales in suo gradu, sed immaterialitate secunda, & consequente, ac proindè voluntas, & appetitus animalis, non indigent bono appetibile; intra se, vt in illud inclinent, seù, vt illud appetant, quia hoc est proprium potentiæ cognitiuę, quę est cognitiua causaliter, quoniam est immaterialis prima immaterialitate; Probatur et explicatur simul hæc distinctio, nam primitas potentię oritur ex primitate sui obiecti formalis; sed obiectū formale potentiæ. v.g. intellectiuæ; est primum in latitudine obiecti; obiectum verò formale voluntatis, ex suo genere est secundum; obiectum enim formale intellectus, est verum; obiectum autem voluntatis est bonum at verum est primum absolutè, & simpliciter; bonum verò est secundum, qnoniam verùm consequitur immediatè ens in quantum ens, bonum verò consequitur ens secundum quod, aliquo modo est *in actu*; idest secundū quod est aliquo modo perfectum; sic .n. est appetibile vt ostendit S. Thomas. *p.* 1. *q.* 16. *art.* 4. *in corp.* & hinc est, vt cognitio præcedat appetitum, quippè, appetitus, siuè voluntas, non mouetur, seù tendit in aliquid, nisi præsupposita cognitione illius, quod dici solet appetitus, non fertur in cognitum; præterea ex alio cap', vt idem S. Thomas *loc. cit.* ostendit cognitio, siuè intellectus simpliciter, & absolutè est prior, quam voluntas, quia intellectus versatur circa quidditatem boni appetibilis, intelligit enim intellectus, vt proprium obiectum, quod quid est rei, quā intelligit, quia quod quid est rei, est primū principium omniū, quæ sunt in re; at appetitus est circa bonū, tendit in bonum secundum, quod est reale; appetitus enim appetit assequi bonum cognitū in esse reali, quod habet in se, v.g. intelligitur propriè formaliter quidditas sanitatis, appetitur verò sanitas, quæ est in re, nimirū appetitur esse sanum realiter.

Hinc etiam est, vt suo loco fusè probabitur, quod beatitudo, siuè naturalis, siuè supernaturalis substantię intellectiuæ, consistit, formaliter in cognitione summi, & pefecti boni, ad quam consequitur amor, & delectatio, quandoquidem per cognitionem, substantia intellectualis possidet summum, & perfectum bonum, faciendo illud intra se præsens; per velle verò substantiæ intellectualis, non possidet summum bonum, sed suponit illud in priori, possessū per intellect onē seù cognitionem, quæ est operatio prior, quā velle; ac proinde substantia intellectualis indi-

indiget intra se suo obiecto formali, vt illud cognoscendo percipiat, & possideat intra se; hanc autem indigentiam, non habet voluntas, quia supponit obiectum iam possessum, sed solum illud amat, & de eo delectatur, quæ est vitaliter operatio consequens cognitionem summi boni.

Ad tertiam difficultatem, consimili distinctione respondeo, quoniam ratio cur cognitio præsupponit in priori naturæ in potentia cognitiua similitudinem obiecti quod cognoscitur, non est, quia cognitio est cognoscibilium diuersæ speciei, generis, & indiuidui à natura cognoscētis, sed quia est prima operatio circa cognoscibilia, vel quia est actio primò, & per se conueniens naturæ cognoscentis, vel quia est operatio primò, & per se, scilicet potentia cognitiua primò, & per se operatur circa cognoscibilia sua, & non secundariò, & consequenter; hęc autem primitas, non competit appetitui animalis, siuè voluntati: voluntas enim siuè appetitus animalis, supponit bonum per se, & primò cognitum.

Quod si quęras, cur prima operatio cognoscentis, prę supponit in priori naturę similitudinem sui obiecti formalis, & primarii, & non secunda operatio.

Responsio in promptu est, quod opperatio prima in viuente, est operatio naturę, non voluntatis; at operatio naturę est secundum similitudinem speciei; species autem est à forma: ac proinde cognitio, quia est prima operatio naturæ cognoscētis, procedit ex cognoscēte, quatenus est in actu per similitudinem, siuè per formam sui obiecti, sed intra potentiam cognoscētem; operatio autem secundaria cognoscentis, quæ est operatio voluntatis, siuè appetitus animalis, cum non sit operatio naturæ, quæ est primus actus in re, quia natura est prima in re, non prærequirit in suo principio similitudinem formalem boni appetibilis, sed tantum inclinationem.

Neque dicas, quod bonum formale, quod est obiectum voluntatis, siuè appetitus animalis, imprimit aliquam impressionem sui in potentiam appetitiuam, qui communiter dicitur amor, quæ est impressio facta à re amata in amante; sed hæc impressio quędam similitudo est rei amatę in amante, siuè boni appetibilis in in appetente; ergo voluntas, siuè appetitus, nō differt ab intellectu, quia intellectus fit in actu per similitudinem sui obiecti; appetitus verò per solam inclinationem, siuè impulsum in bonum sibi præsentatum ab intellectu, aut à potentia cognitiua.

Respondeo, quod impressio boni pręcogniti in voluntatem, non est impressio secundum similitudinem naturæ, quia impressio secundum similitudinem naturę, est actus propagatiuus naturę, qui est generatio, quæ est prima operatio naturæ, & consequenter perfectè assimilatiua; sed est impressio solum inclinans voluntatem in bonum præcognitum; quia est inpressio consequens, & secundaria, quę sequitur intellectum, quatenùs est in priori suum obiectū immediatū secundū speciem; sed in modo essendi intra potentiam cognitiuam, qui est modus essendi intentionalis contradiuisus à modo essendi naturali, quo obiectum existit extra potentiam cognoscentem in sua propria natura; hæc autem secundaria impressio, quæ natura sua, præexigit aliam priorem in eodem principio primo, non est communicatiua, & propagatiua naturæ, quia non est actus naturæ, nimirum non est actus primus; semper enim, vt dicemus *in quæstione de diuinis processionibus*, *cum S. Thoma* dato ordine in processionibus, si plures reperiantur in vno producente, prima erit generatio, & non secunda; prima erit secundum similitudinem in natura specifica, & non secunda, quantum est ex suo genere, & ob hác rationem, inquit S. Thomas in disputatis q. 10. *de processionibus diuinarum personarum art. 2. in fine corporis*, processio Verbi à Patre in diuinis, est generatio formaliter, quia, scilicet, *est prima processio personalis*, quæ est in Deo; processio verò Spiritus Sancti, & Filii, non est generatio, quia est secunda processio, quæ supponit naturam per se, iam adæquatè communicatam, processione secundum similitudinem naturæ. Notanter dixi, quantum est ex suo genere propter processionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio, quæ per se est communicatiua naturæ Diuinæ, quod competit ei, vel quatenus est per se processio personalis, quæ per se est communicatiua naturæ personę producentis, personæ productæ, vel quatenus processio in Deo, est essentialiter Dei essentia, secundum quod dicit actum, vel intellectus, vel voluntatis, quia intelligere, & velle, sunt esse Dei; Deus .n. est actus purus essendi formalissimè; esse autem in Deo est essentialiter Dei essentia, de quo fusè dicitur suo loco.

Neque ex hoc sequitur processionē Spiritus Sancti à Patre, & Filio esse forma-

Digitized by Google

maliter generationem, nam generatio, vt supra diximus, cum S. Thoma, est actio per se, primò spectans ad naturam, siuè est actio primaria naturæ, vel quia est actio per se communicatiua naturæ, sed modo assimilatiuo; processio autem Spiritus Sancti à Patre, Filioque, est quidem processio per se communicatiua naturæ, sed secunda; idque habet non ex eo, quod est secunda processio, vt sic, etenim si haberet hoc ex eo, quod processio secunda, quæ conuenit naturæ consequenter; omnis processio secunda, esset per se communicatiua naturæ, quod est falsum; sed hoc ei conuenit, quatenùs est formaliter esse Dei, quod est Dei essentia.

Hinc oritur alia difficultas, quæ est quarta in ordine, circa illud principium supra explicatum, quod intellectus in hoc differt à voluntate, quia intellectus fit in actu ad intelligendum per similitudinem obiecti immediati, quod intelligit: voluntas verò fit in actu ad volendum bonum præcognitum per inclinationem, quæ ei imprimitur à bono præcognito, & communiter dicitur amor in actu primò; & difficultas hæc est, nam S. Thomas *prima 2.q.27.ar.3.* docet, quod similitudo est causa amoris in actu secũdo, idque probat authoritate Ecclesiast. 13. omne animal diligit sibi simile; secũdò ratione, dicens quod similitudo inter aliqua, potest esse dupliciter, vno modo ex hoc, quod vtrũq; habet idẽ in actu: sicut duo habentes albedinem dicuntur similes; alio modo ex hoc, quod vnum habet in potentia, & in quadam inclinatione, illud quod aliud habet in actu, sicut dicimus, quod corpus graue existens extra suum locum, habet similitudinem, cum corpore graui in suo loco existenti, vel etiam secundum, quod potentia habet similitudinem ad actũ ipsum, nam inquit, in ipsa potentia quodammodò est actus. Ex his duobus modis; primus, inquit, S. Thomas, causat amorem amicitiæ, seù beneuolentiæ; secundus verò modus similitudinis, causat amorem concupiscientiæ, vel amicitiam vtilis, seù delectabilis; quia vnicuique existenti in potentia, in quãtũ huiusmodi, inest appetitus sui actus, & in eius consequutione delectatur, si sit sensiẽs, & cognoscens; ex hac posita doctrina potest quis dicere, quod saltem vnus homo amat alium, ex eo quod voluntas amantis habet in se similitudinem amati, & consequenter, quod saltem hic modus amandi sit à voluntate constituta in actu per similitudinem rei amatæ.

Respondent aliqui, quod duplex est similitudo, alia naturalis, scilicet in modo essendi naturali, & alia est intentionalis, nimirum in modo essendi intẽtionali, quo scilicet obiectum, est intra potentiam, vel vt eius perfectiuum, & motiuum formale, vel vt terminus. S. Thomas *loc.cit.* docens similitudinem esse causam amoris, loquitur de similitudine naturali, non de similitudine intentionali; exemplificat enim hanc doctrinam, exemplo duorum hominum, qui se se amant mutuò, ex eo quod vnus habet in actu, quicquid habet alius in potentia, vel quia vnus in potentia habet alius in actu.

Sed hæc responsio non adæquat, nã potest vnus homo amare alium, quia sunt similes in principijs, & in modis philosophandi, vel quia habent eodem modo species intelligibiles earundem rerum, vel actu, vel potentia.

Respondeo, quod, vt dicit S. Thomas *loco sup. cit; p.2.qu.27. art.3.* similitudo est duplex, alia est obiecti boni formalis, & hæc est similitudo intelligibilis obiecti sui immediati, & alia est similitudo obiecti boni, in quadam inclinatione. Cum dicitur, quod intellectus differt à voluntate, quia intellectus constituitur in actu, per similitudinem sui obiecti immediati, voluntas verò non item; sed per inclinationem: intelligitur, hoc principium de similitudine boni intellecti formaliter, quæ scilicet, est similitudo formalis boni intellecti formaliter, nimirum, quantum ad formalia obiecti, non autem quantum ad modum essendi naturalem; nam hoc, est proprium intellectus, prout distinguitur à voluntate; non autem intelligitur de similitudine in vniuersum, siuè ea sit similitudo formalis, siuè ea sit similitudo in inclinatione, vt est similitudo, quam habet corpus graue extra suum locum, cum corpore graui in suo loco existente. Vtique in voluntate, est similitudo in inclinatione ad bonum; sed hæc, est ipsamet inclinatio ad bonum, quæ alia est radicalis, & alia est actualis, & proxima. proxima imprimitur in voluntate à bono cognito; ratio autem, cur hæc inclinatio proxima, non sit similitudo formalis, sicut est similitudo impressa intellectui ab eodem bono cognito, est; quia impressio, siuè motio, qua bonum præcognitum mouet intellectum, est primus actus boni intellecti; motio verò, siuè impressio, qua bonum cognitum mouet voluntatem, est impressio, siuè motio secũdaria;

daria; quippè bonum mouet intellectum, vt verum formaliter; bonum verò cognitum mouet voluntatem, vt bonum formaliter; prius autem, est verum, quam bonum, vt sæpe ostendimus, cum S. Thoma; prima motio, est motio naturæ, qua ex suo genere communicatur natura mouentis, quæ proindè dicitur operatio in similitudinem naturæ; quia communicatur modo primò, qui est modus assimilatiuus, & est per se primò ad naturam; nā prima operatio, est ad terminum primarium; terminus verò primarius in re, natura est, motio autem, siuè operatio secunda, qualis est motio, qua bonum, vt bonum formaliter mouet voluntatem, vt præcognitum, de per se, non est communicatio naturæ, & consequenter, non est communicatio similitudinis formalis mouentis: quia motio secunda de per se, est ad terminum secundarium, qui sequitur naturam: natura enim, est prima in re. Hanc profundam doctrinam paucis, sed doctè satis explicat S. Thomas *p.p.q.27 art.4. ad* 1. dicens, quod propria ratio, qua vna processio distinguitur ab alia, in diuinis accipitur secundum ordinem vnius processionis ad aliam: hic autem ordo, est secundum actum intellectus, & voluntatis; & hæc est vna ex rationibus, quibus, vt suo loco dicetur: Probatur, cur processio Verbi à Patre sit generatio: processio verò Spiritus Sancti à Patre, Filioque, non sit generatio, quippè intellectio in Patre, est primus actus naturæ diuinæ, qui per se, est ad communicandum naturā modo primò, siuè assimilatiuò: actus verò voluntatis in Patre Filioque, non est actus primus; sed posterior, qui ex suo genere, non est per se, primo communicatiuus naturę; actus .n. per se, primo naturæ, est actus primus, qui ex suo formali, est modo assimilatiuo, qui est modus primus.

Adde solum, quod sine fundamento, contra Aristotelem asseritur, has species intentionales, non dari in potentiis cognitiuis, vt ex facili solutione argumentorū patebit; vndè firmissimum est, quod docet Aristoteles *in 3. de Ani.*, nimirum animam, siuè intellectum possibilem, esse quodammodò omnia; quia nata est omnia cognoscere, & secundum hunc modū possibile est, vt in vna re totius vniuersi perfectio existat, quę est vltima perfectio, ad quam anima potest peruenire: firmissimum etiam est, quod idem Aristoteles docet *lib. 2. de Ani.* probans commune esse omni sensui: esse susceptiuum specierum obiectorum sensibilium sine materia, & ne sit locus interpretationis subdit exemplum sigilli, & ceræ, dicens quod cera accipit signum, idest imaginem, siuè figuram à sigillo aureo, vel ferreo inquantum figura sigilli formaliter, non autem inquantum est aurea, vel ferrea, aut ænea, quæ ratio ostendit, quod cera assimilatur aureo sigillo, quantum ad immaginē formaliter; sed non quantum ad modum essendi naturalem, quem figura sigilli habet in auro, vel ferro; figura enim impressa ceræ à sigillo, vel ab annulo aureo, vel ferreo, non est, neque aurea, neque ferrea, similiter sensus recipit à suo obiecto primario (idem dico de potentia intellectiua,) similitudinem illius, quantum ad eius prædicata formalia, quibus est obiectum formale sensus, sed non quantū ad modum essendi naturalem, quo quidditas obiecti sensibilis existit extra potentiam sensitiuam: & ratio est, quia potentia sensitiua patitur, à suo obiecto formali, & primario, inquantum suum obiectū formaliter, vnumquodque enim est actiuum secundum formam; at obiectum, vt obiectum formaliter præscindit à modo essendi, naturali, quo existit in sua propria natura extra potentiam cognoscentem.

Ad argumenta, quæ obiiecimus ex Durando facilis est responsio ex dictis.

Respondent enim primò aliqui ad primum, quo probat Duran., quod repræsentatiuum obiecti debet etiam cognosci &c, negando hoc assumptum, & dicunt, quod repræsentatiuum obiecti in intellectu est principium, quo intellectus, siuè potentia cognitiua sit in actu ad cognoscendum; hoc autem, vt sic non est cognoscibile, vt quod, quia cognoscibile, vt quod, habet rationem termini; ex qua distinctione apparet fallacia argumenti expositi à Durando, qui confundens medium, siuè principium formale operandi, cum termino operationis negat species intentionales; nam inquit species intentionalis, cum sit ratio repræsentandi, ipsa deberet cognosci, quod falsum est.

Addit illud vocabulum, inquiunt Doctor Durandus; quod species se habet obiectiuè, quod si præsſè explicetur, petitio principii est; si enim species obiicitur, iam terminus est: si autem in latiore significatione vsurpetur, verùm dicit Duran., sed tunc nihil concluditur, species enim inquiunt est obiectiuè, vt quo, non vt quod, idest, est ratio, vt terminus obiicia-

ciatur, ipsa verò non obiicitur.

Falsum similiter, inquiunt idem Authores aliud assumptum ab eodem Duran. quod similitudo, est cognoscibilis; sed species ponitur ab Arist., & S. Thoma, similitùdo sui obiecti in potentia cognoscente; ergo &c. nam respondent, quod similitudo, alia est obiectiua, seù terminatiua, & alia est similitudo, quæ est principium formale in potentia cognitiua. Ex his terminatiua, est terminus cognitionis, non autem similitudo, quæ est principiū formale cognoscendi, neque inquiunt, verum est, quod dicitur ab eodem Duran., quod omnis similitudo est immago, si in rigore loquamur; similirudo enim conuenientiam solum importat, etiam si hæc analoga sit, qua de causa solent creaturæ, quarum vna non est causa alterius dici similes: at imago, dicit similitudinem in natura specifica, cum expræssione; vndè non valet consequentia, vnum esse imaginem alterius, quia est illi similis, adhuc in specifica natura, nam vnū ouum est simile alteri, & tamen non est eius imago.

Ista responsio vera est iuxta opinionem dicentium, speciem intentionalem, puta intelligibilem, v.g. non esse essentialiter ipsum obiectum immediatū, quod cognoscitur formaliter in modo essendi intentionali intra potentiam, sed satis esse speciei intentionali solam proportionē repręsentabilis, & repræsentatiui, quorū præcipuum fundamentum est hoc; quia si species intelligibilis essentialiter esset suum obiectum immediatum formaliter intra potentiam, non posset accidens formaliter repræsentare substantiam, vel nulla daretur species intentionalis, quod est falsum; omnis enim species intentionalis distincta realiter, etiam à suo obiecto immediato, est formaliter accidens, nimirum inhærens potentiæ cognitiuæ.

Sed hæc doctrina, numquam mihi placuit cum sit contraria Aristoteli, & S. Thomæ, & etiam rationi demonstratiuę vt sequentibus articulis dicam.

Vera autem responsio est, quod duplex est repræsentatiuum, aliud motiuum & aliud terminatiuum, sicut duplex est obiectum quod cognoscitur, aliud motiuū, & aliud terminatiuum, & hoc, aliud extra, & aliud intra potentiam cognoscentem, ex his obiectum terminatiuū est obiectum, quod cognoscitur, vt terminus cognitionis; obiectum verò motiuum, non item, licet, sit obiectum, quod formaliter est intra potentiam, vt sequentibus articulis fusè ostendam.

Quantum ad argumenta, quibus Duran; probat neque in intellectu dandas esse species intelligibiles, querebatur à Durando in argumentis, quorumnam obiectorum sint species intelligibiles, sic arguens; aut species intelligibilis esset necessaria respectu omnium obiectorum, quæ cognoscunnur, aut solum respectu primi obiecti, quod cognoscitur; neutrum dici potest ergo.

Respondeo iuxta opinionem Aristotelis, & S. Thomæ, quod species intelligibiles sunt obiectorum, quæ immediatè, & primò cognoscuntur ab intellectu, idem dico de speciebus sensibilibus; omnis enim potentia cognitiua indiget obiecto intra se formaliter, vt illud cognoscendo percipiat per actum immanentem: & indè est quod Aristotiles 3. de Anim. docet ex potentia cognitiua, & obiecto fieri magis vnū, quā ex materia, & forma; materia enim, non fit forma, per vnionem; potentia autem cognitiua fit ipsum obiectum formaliter, in esse tamen intentionali, vel intelligibili, ex quo apparet, potentiā cognitiuā, nō in esse entis, sed in esse potentiæ m foraliter quatenus scilicet respicit suum actum formalem, speciem scilicet intelligibilem, siuè intentionalem, aliud, non esse, nisi ipsum obiectum formaliter, vt sequentibus articulis demōstrabitur; at hoc posito principio, necessariò species intelligibilis debet esse species sui obiecti primarii, & immediati per se primò, & formaliter, quæ doctrina vt explicanda in sequentibus articulis, valdè notanda est.

Neque oppositum probat Durandus dicens, quod, non potest esse species nececessariò obiecti sui primarii, & immediati, quia in potentiis subordinatis obiectum posterioris potentiæ repræsentatur ei per actum prioris potentiæ, vt patet, inquit Durandus, in appetitiua potentia, cui à potentia cognoscitiua repræsentatur obiectum.

Respondeo enim, quod ab intellectu, siuè à potentia cognoscitiua repręsentatur materialitèr, non formaliter obiectum potentiæ appetitiuæ; quoniam obiectum potentiæ appetitiuæ cognoscitur materialiter, non formaliter à potentia coginitiua, cuius ratio à priori est; quoniam obiectum formale potentiæ cognoscitiuæ, est vniuersalius; quam obiectum potentiæ appetitiuę; obiectum autem vniuersalius est ratio

tio formalis obiectiua cognoscendi obiectum inferioris potentiæ; v. g. obiectum formale voluntatis, est bonum; hoc autem cognoscitur ab intellectu, non quia bonū sed quia verum, nimirum, cognoscit quidē intellectus essentialiter bonum, quod est obiectum formale voluntatis: sed ratio formalis obiectiua, cur intellectus cognoscat bonum, est quia illud est verum; at verum est simpliciter priùs, & vniuersaliùs, quam bonum: quoniam, vt sepè repetiuimus, verum conuenit enti, secundum quod ens absolute, bonum verò competit eidem quatenùs est aliquo modo perfectum, idest in actu, Cum dicimus speciem intelligibilem esse repræsentatiuam sui obiecti immediati, & primi, loquimur de specie repræsentatiua, quatenùs est repræsentatiua formaliter, non quatenùs est repræsentatiua materialiter,

Quærebatur similiter à Durando ad negandum species intelligibiles in intellectu, quomodò discurrimus, cum species intelligibilis nō sit repræsentatiua discursus; arguens cognitio per speciem, non est discursiua; multū verò nos cognoscimus, per discursum; ergo species, non datur; nā si daretur esset ea necessaria ad repræsentandum obiecta quæ cognoscuntur,

Ad hoc quęsitum respondent aliqui, speciem intelligibilem esse duplicis generis, quædam est representatiua simplicium obiectorum, quædam est repræsentatiua sequelę, siuè causalitatis vnius ab alio; qua posita distintione dicunt, quod ad discursum per se, & immediatè, requiritur species repręsentatiua sequelæ, siuè causalitatis effectus à causa; existente in subiecto effectus; species verò repręsentatiua simplicium terminorum, non faciunt per se, & primò ad discursum, de quo est sermo; discursus enim, vt alibi adnotauimus, alius est virtualis, & alius formalis; formalis, alius est puræ successionis, & alius est discursus causalitatis; ad discursum virtualē, qui dici solet obiectiuus, satis est species repræsentatiua causalitatis vnius obiecti ab alio, & huiusmodi discursus est in Angelis, prout cognoscunt naturalia obiecta, solo naturæ lumine; ad discursū verò causalitatis, de quo loquimur, per se, & formaliter, satis est, vt detur in intellectu species repręsentatiua sequelæ, siuè causalitatis effectus à causa, existente in subiecto conclusionis.

Quod si quis pro Duran. arguat, quod si species intentionales, siuè intelligibiles darentur, illæ essent similitudines ex parte obiecti, at discursus causalitatis, est ex parte potentiæ discursiuæ; sed similitudo ex parte obiecti, non potest deseruire potentiæ discursiuæ ad discursum; quia obiectum, non est discursiuum; ergo potest dari discursus in potentia intellectiua, ad quem, non est necessaria species intentionalis, siuè intelligibilis; sed semel dato, quod in intellectu potest esse cognitio discursiua, ad quam, non est necessaria species intelligibis, hoc ipsum, est dicendum de omnibus speciebus intentionalibus, siuè intelligibilibus.

Respondere statim possunt Authores prædictæ responsionis; ad discursum causalitatis necessariam esse speciem repręsentatiuam causalitatis vnius ab alio, existente in subiecto conclusionis, quæ potest dici species discursiua, non in ratione potentię, sed in ratione cognoscibilis per cognitionē effectus ex sua causa, aut è conuerso; cuius ratio esse potest: quia potentia intellectiua, vt cognoscat quoquumque modo obiectū, in priori naturæ indiget illo formaliter intra se, & hoc sufficit, vt species sit necessaria etiam ad discursum.

Quod si Durandus contendat, speciē intelligibilem necessariam ad discursum, esse discursiuam intra rationem potentiæ; negatur assumptum, quoniam species intelligibilis, est constitutiua intellectus in genere intelligibilis, non autem est perfectio potentiæ intellectiuæ intra rationem potentiæ.

Principalis responsio ad hoc argumētum Durandi, non subsistit, primò; quoniā sicut ad discursum causalitatis requiruntur plures cognitiones, quarum vna causatur ab alia, ita requiruntur etiam plures species intelligibiles, quarum vna sit species intelligibilis causæ, & alia sit species effectus, necessariò connexi cum sua causa in subiecto conclusionis, & ratio est manifesta; nam aliud est effectum cognosci in sua causa cognita, & aliud est effectum cognosci cognitione, vt sequente ex sua causa; ad cognitionem effectus in sua causa, solum requiritur species intelligibilis causę; quia causa cognoscitur formaliter, effectus verò cognoscitur materialiter, quo pacto creaturæ, secundum earum esse formale cognoscuntur in Deo viso à beatis; ad cognitionem autem effectus ex sua causa, vel causæ ex effectu, requiruntur duæ species distinctæ realiter, nimirum species intelligibilis causæ, in ratione causæ, & species intelligibilis effectus, in ratione effectus; quoniam, tàm causa, quam effectus cognoscuntur

ſcuntur formaliter, cauſa ſcilicet, vt cauſa, & effectus, vt effectus; ad cognitionem autem plurium formaliter, qualia ſunt cauſa, vt cauſa, & effectus, vt effectus, requiruntur plures ſpecies formaliter diſtinctę, & diuerſę, quarũ vna cauſatur à cauſa, vt independens à ſuo effectu; alia verò ab effectu, vt cauſato à ſua cauſa.

Neque ſubſiſtit ſecundò data reſponſio; etenim ſpecies intelligibiles, non ſunt ſimilitudines, niſi obiectorum ſimplicium, & ratio huius eſt; vel quia ſpecies intelligibilis, eſt objectum immediatum formaliter intra potentiam intellectiuam, nimirũ in modo eſſendi intelligibili, qui eſt modus eſſendi obiecti formaliter, vt præſcindit, ſaltem negatiuè à modo eſſendi naturali, quo obiectum exiſtit in ſua propria natura extra intellectum, vt ſequentibus articulis dicemus; obiectum autem formale, & immediatum intellectus, debet eſſe ens formaliter, non ens materialiter; vel quia ſpecies intelligibilis, eſt ſimilitudo in repræſentando, non in eſſendo ſui obiecti immediati, ſiuè primarii, & formalis; hoc autem debet eſſe ens formaliter, non autem ens materialiter; at ſequela ſiuè dependentia effectus à cauſa, cum ſit modus intrinſecus, non eſt ens formaliter, ſed tãtum materialiter, quia, nõ eſt ens niſi entitate ſui modificati. Hac poſita doctrina.

Reſpondeo ad argumentum Durandi, primò negando, nõ eſſe neceſſarias ſpecies intelligibiles ad diſcurſum cauſalitatis; nã ſufficiunt ad diſcurſum cauſalitatis ſpecies intelligibiles causæ, in ratione cauſæ, & effectus in ratione effectus exiſtentes intra intellectum diſcurſiuum; oſtendo quæ dico; diſcurrere duo dicit, & plures cognitiones, quarum vna cauſatur ab alia, & vim inferentem vnam cognitionem ex alia in intellectu diſcurrente. Sine dubio ſpecies ſufficiunt ad cognoſcenda obiecta, quorum vnum eſt cauſa, & aliud eſt eius effectus; ſed hac poſita cognitione, ſufficiens eſt idẽ intellectus, qui cognouit prædicta obiecta, deducere, & inferre vnum ex alio, vel ſeparare vnum ab alio à ſubiecto concluſionis; quia pręhabet intellectus intra ſe ſpeciem cauſæ, vt cauſãtis effectum, & ſpeciẽ effectus, vt cauſati à cauſa in ſubiecto concluſionis; neque ex hoc licet concludere, ſpecies intelligibiles, non eſſe neceſſarias ad cognoſcẽdum per diſcurſum; ſunt enim neceſſariæ, vt habeatur ſimpliciter terminorum notitia, quorum vnus eſt cauſa, & alius effectus; poſita enim horum cognitione, non aliud requiritur ad diſcurrendum niſi, vt intellectus ex cognitione, qua cognoſcit cauſam, deducat aliam cognitionẽ ad cognoſcendum effectum ex cauſa, & ratio eſt manifeſta; quia per ſpeciem propriam cauſæ, intellectus cognoſcit cauſam cauſare effectum in ſubiecto concluſionis, e.g. cognosco hominem habere in ſe causã, vt ſit viſibilis; hęc cognitio ſatis eſt, vt inferam aliam cognitionem, qua cognoſco hominem eſſe viſibilem.

Reſpondeo ſecundò ad idem argumentum; ſufficere ſpecies intelligibiles ſimplicium terminorum cauſæ, & effectus ad diſcursũ cauſalitatis; quoniam ſpecies intelligibiles causæ, & effectus, modificantur per hoc, quod recipiuntur in potentia intellectiua, vt diſcurſiua; nam formæ determinantur, per hoc, quod ſunt receptibiles in ſubiecto; e.g. ſpecies intelligibilis hominis, per hoc, quod recipitur in intellectu creato humano, qui eſt diſcurſiuus, modificatur, vt ſit ſpecies intelligibilis ad diſcurſum cauſalitatis; in intellectu verò Angeli, qui, nõ eſt diſcurſiuus intra ſuum lumen naturale, ſpecies intelligibilis hominis determinatur ad cognoſcẽdum hominem formaliter, & ſingulares homines materialiter, ſiuè vllo diſcurſu, hac poſita doctrina dicendum eſt, quod ſpecies intelligibilis abſolutè, & ſimpliciter conſiderata, non cõcurrit ad diſcurſum cauſalitatis, ſed, vt modificata in potentia intellectiua diſcurſiua, vt ſic concurrit ad cognitionem diſcurſiuam; ſed de hoc aliis articulis iterum ſermo erit.

Arguit tertiò Durandus, quod ſicut experimur actus cognoſcendi, & habitus; e.g ſicut cognoſcimus nos intelligere cũ facilitate; ita à pari deberemus experiri ſpecies intentionales exiſtentes in potẽtiis noſtris cognoſcitiuis; ſed niſi experiremur facilitatem intelligẽdi, negaremus habitũ, ergo; quia, nõ experimur ſpecies intẽtionales, negandæ ſunt ſpecies intentionales.

Reſpondeo; ommiſſis aliorum reſponſionibus, quod nos adhuc experimur in potentiis cognoſcentibus, dandas eſſe ſpecies intentionales, & probatur; nam nos experimur actus cognoſcendi; quia nos vitaliter operamur, ſcio enim me videre, audire, intelligere, & ſimilia: Experimur habitus, non quia ſit experientia directè qualitatatis habitualis; eſset enim huiuſmodi experientia ad ſtabiliendam firmius communẽ opinionem habituum; ſed experimur habitus, experientia actuum ex facilitate in illis; vndè à poſteriori colligitur in potentia operatiua, habitus: ita

experimur species intentionales; quia experimur actus cognitionis determinatæ; cognitio enim determinata, non potest esse, nisi à principio formali determinante; vndè à posteriore colligitur, principium determinatiuum potentię cognoscentis, & hoc principium communiter appellamus, speciem intentionalem.

Arguit quartò Duran; quod si detur species intelligibilis, siuè intentionalis, species intelligibilis, & eius obiectum, essent eiusdem rationis formaliter, licet differenter in modo essendi; quia scilicet obiectum extra potentiam cognitiuam, est in modo essendi naturali; species autem eius in intellectu, est in modo essendi intelligibili, siuè intentionali, vt in sequentibus articulis explicabitur, & probabitur; sed hoc est falsum: species enim in intellectu creato existens, est accidens, & eius obiectum potest esse substantia, &c.

Respondent aliqui primò, simpliciter negando assumptum; tùm quia, non requiritur alia proportio in specie intelligibili, cum suo obiecto, quam proportio repræsentatiua, & repræsentabilis; sic enim species intelligibilis, inquiunt, quæ est accidens, repræsentare potest perfectissimam substantiam; tùm etiam, quia species intelligibilis, siuè intentionalis, est virtualis similitudo sui obiecti, non autem formalis.

Sed hæc responsio, non admittitur; quoniam est contra Aristotelem, Sanctum Thomam, & rationem demostratiuam, vt sequentibus articulis demonstrabitur.

Respondeo ad hoc argumētum, iuxta principia Aristotelis, & S. Thomæ, concedendo maiorem, & negando minorem; nec verum est, quod accidens potest repręsentare substantiam formaliter potentiæ, illam cognoscenti, sed necessariò species intelligibilis repræsentatiua per se primò, substantiæ, debet esse substantia in modo essendi intelligibili; quoniam potentia cognitiua indiget intra se obiecto formaliter, vt illud vitaliter cognoscat. Cum deniquè dicunt aliqui pro Durando, quod, non requiritur in specie intelligibili, vt intellectus per illam cognoscat eius obiectū formaliter, aliud, nisi proportio repræsentatiui, & repręsentabilis; hæc autem proportio, non necessariò dicit conuenientiā formalem, & vniuocam in quidditate, seù essentia; nam ad cognoscendum, satis est proportio potentiæ, & obiecti, quæ in eo sita est, vt intellectus. v.g. sit intellectiuus, & eius obiectum sit intelligibile.

Respondeo, nego assumptum; quia species intentionalis, seù intelligibilis, vt probabitur infrà, suo loco, complet carentiam obiecti formalis intrà potentiam; hoc autem fieri non potest, nisi per similitudinem formalem, & vniuocam; licet in diuerso modo essendi.

Arguit quintò, quod species, si daretur, esset similitudo sui obiecti; similitudo autem non est inter differentia specie, & natura, vt patet inter duo alba, quæ similia sunt, quia sunt vnius naturæ; sed species intelligibilis, siuè intentionalis, & obiectum, differunt specie, & ratio huius esse potest; quia differunt genere: nam obiectum, quod cognoscitur extra intellectum, est in genere entis naturalis; species verò, est in genere entis cogniscibilis, siuè intentionalis; sed quæ sunt diuersi generis, differunt specie, ergo &c.

Respondent aliqui, qui negant speciem intelligibilem, esse suum obiectum formaliter intra potentiam cognoscentē, quod verum est assumptum, si species intentionalis, vel intelligibilis, sit similitudo formalis sui obiecti immediati; falsum verò, si similitudo sit virtualis, e. g. duo calores formaliter similes sunt, quia conueniunt vniuocè in eadem specifica natura; calor, & lumen, quia sunt similes virtualiter, diuersæ naturæ sunt: in subiecta autem materia, species intentionalis, est similitudo virtualis sui obiecti, vt supra ostensum est.

Hæc responsio, falsa est, secundum quod asserit, speciem intelligibilem, siuè ens intelligibile formaliter esse similitudinem virtualem, & non formalem sui obiecti immediati, quantum ad sua prædicata formalia, siuè essentialia; quippè potentia cognitiua, vt ostendimus, indiget obiecto primario intra se formaliter, vt illud immediatè formaliter cognoscat intra se vitaliter.

Ad vltimam rationem, qua alii probant, non esse concedendas species intentionales in omnibus potentiis cognitiuis, arguentes; aut species intentionales asseruntur ad determinandam potentiam; aut quia, cognitio omnis fit ex eò, quod in potentia cognitiua est similitudo obiecti, &c.

Respondent, qui admittunt, necessarias esse species intentionales ad cognoscendum; sed negant eas esse similitudines formales suorum obiectorum, quantum ad eorum formalia prædicata, species inten-

tentionales, esse necessarias ad determinandam potētiam cognitiuam ex parte obiecti, non autem ex parte potentiæ, nimirum ad determinandam potentiam cognitiuam in genere obiecti, non autem in genere potentiæ, vt similitudines suorum obiectorum immediatorum virtuales; non tamen, inquiunt, indè sequitur, quod non possit repræsentari obiectum, quod idem non est, cum specie formaliter; immò; quia similitudo virtualis, est in specie intentionali, necessariò terminatur ad obiectum diuersum; idque probant hoc medio; similitudinem virtualem esse repræsentatiuam sui obiecti, vel esse virtualiter similem suo obiecto immediato, non facit hunc sensum; quia video similitudinē virtualem, videam eius obiectum; nam species intelligibilis, non est species intellecta, aut cognita; sed facit hunc sensum, intellectus per similitudinē huius obiecti, cognoscit hoc obiectum, & non aliud; quia per similitudinem virtualem huius obiecti, determinatur potentia cognitiua ad cognoscendum hoc, & non aliud, sicut ex calido, A, & sicco, B, determinatur materia ad formam, C, & non ad aliam.

Hæc responsio, admittitur secundum quod asserit speciem intentionalem, esse necessariam ad determinandam potentiā in genere obiecti immediati; sed reiicitur in quantum asserit, quod species intentionalis hoc præstat; quia est similitudo virtualis sui obiecti primarii; quoniam species intentionalis, necessaria est, ad complendam indigentiam formalem potentię; apta enim est potentia cognitiua, vt potentia formaliter, esse suum obiectum formaliter; hæc autem indigentia, non cōpletur per similitudinem virtualem, sed tantùm per similitudinem formalem obiecti formaliter, vt fusè probabitur in articulis sequētibus.

## ARTICVLVS SECVNDVS.

### Vtrum ens intelligibile formale, siuè ens intentionale in generali, sit in genere entis in essendo, siuè in existendo, an in genere entis in agendo, siuè in operando.

IN hoc articulo initium sumimus ad explicandam naturam, siuè essentiam entis intelligibilis, siuè intentionalis; nimirum, quæ sit natura specierum intelligibilium, siuè intentionalium, quæ non plenè explicari, potest, nisi explicentur omnia prædicata essentialia, quæ speciebus intelligibilibus, siuè intentionalibus tribui solent à primo genere, vsque ad vltimam differentiam specificam, e. g. non plenè explicatur essentialiter, natura hominis, nisi sigillatim examinentur, omnia prædicata essentialia hominis, à primo genere, vsque ad vltimam differentiam; nimirum, an homo essentialiter sit substantia, secundū quod est genus primum prædicamentale, an corpus, an viuens, an sensitiuus, & an rationalis: pariter in hoc articulo initiū sumimus ad explicandam naturam, siuè essentiam specierum intelligibilium, & intentionalium in generali, à primo genere, inquirendo, an species intelligibilis, siuè intentionalis in generali, sit in genere entis in essendo, siuè in existendo; an in genere entis in agendo, siuè in operando; datur enim duplex genus entis realis positiui, vt diximus in primo articulo præcedentis quæstionis, de diuisionibus essentiæ, & existentiæ entis creati positiui; nimirum aliud est ens in essendo, siuè in existēdo, & aliud est ens in agendo, siuè in operando; primum, definitur ens, quod est actu potens existere, vel quod actu existit. Secundum, definitur, quod est actu potens operari, vel quod actu operatur; primum, est ens per potentiam ad esse; secundum, est ens per potentiam ad operari.

*Suarez in p.p. S.Tho. lib.2. cap.12. à n.5.* inquit, quod speciei intentionali multa prædicata tribuuntur; inhærere intellectui, constituere illum in actu primo, infor-

informare intellectum, vnire obiectum potentiæ, efficere actum intelligendi, repræsentare obiectum potentiæ, & tandē determinare potentiam ad determinatum actum cognitionis. Aliqui addunt aliud munus speciei, valdè familiare S. Thomæ, & Thomistis, scilicet, facere magis vnum ex intellectu, & intelligibili, quam ex materia, & forma; quæ est doctrina Aristotelis.

Verùm non distinguit Suarez, an hæc omnia prædicata conueniant speciei intelligibili, siuè intentionali, vt est species in essendo, an vt est species in repræsentando, quod est valdè notandum in hac materia, vt docet Caiet. *in. p. p. S. Th. q. 12. art. 2.* dicens, quod omnes rationes Aureoli apud Capreolum *in 4. distinct. 47. q. 1.* cōtra rationes S. Thomę peccant, nō distinguendo; sed idem iudicium faciendo de specie in essendo, & in repræsentando; cum tamen constet, magnam differentiam inter eas esse, & ratio huius est; nam species in essendo potest esse accidēs, & in repræsentando, substantia; nos autē hic inquirimus prædicata essentialia, quę conueniunt speciei intelligibili, siuè intentionali, inquantum formaliter repræsentatiua est sui obiecti immediati, & formaliter repręsentatiua est sui obiecti, immediati, & formalis. Notanter semper addidi hanc particulam, nimirum obiecti formalis, & immediati; quia vt dicemus, species intelligibilis, siuè intentionalis, nō est similitudo formalis, nisi sui obiecti immediati, siuè primarii, quod non aduertens acutissimus Caiet. dicit formalem similitudinem, cum suo obiecto, non semper esse necessariam in specie intelligibili, vt repræsentatiuam formaliter, sed sufficere eminentem, vt patet, inquit, in Diuina essentia, quæ eminenter continet, & est omne intelligibile creatum; quæ opinio si vera esset, facillimū erit sustinere speciē intelligibilem posse esse similitudinē virtualem sui obiecti, quod est contra, & Aristotelem, & S. Thomam, vt infra dicam.

Caietanus autem *loc. supra cit* distinguit prædicata, quæ conueniunt speciei intelligibili per se, à prædicatis, quæ conueniunt eidem per accidens, siuè materialiter, hoc est, extra essentiam; nam dicit, quod quęlibet species intelligibilis, siuè intentionalis, est in duplici genere; & in genere entis in essendo, & in genere entis in repræsentando; prima consideratio speciei intelligibilis, quantum ad suum esse materiale, seu entitatiuum; secunda consideratio, est eiusdē speciei, in quantū species formaliter, scilicet inquantum est repręsentatiua; species quidem intelligibiles, per se quidem, non habent, inquit Caiet., quod sint substantia, vel accidens in genere entis; sed hoc accidit eis; verùm per se conuenit speciei intelligibili (idem dico de specie cognoscibili, siuè intentionali in generali), vt sit repræsentatiua, non quidem per modum signi; quoniam quodlibet potest significare quodcumque; sed per modum similitudinis; hoc est, vt infra probabitur, per modum similitudinis formalis sui obiecti immediati, quantum ad sua formalia prędicata; non autem quantum ad eius modum essendi naturalem.

Posita hac distinctione speciei, cum quæritur in Articulo, an species intelligibilis, siuè intentionalis sit in genere entis in agendo, siuè in operando, an in genere entis in essendo; articulus hic potest habere duplicem sensum, nam potest intelligi, vel de specie intelligibili, vt est forma essendo, & vt est forma in repræsentādo, quę distinctio sumitur etiam a S. Thoma, loco infra citando, dicente speciem intelligibilem esse similitudinem in essendo, non in repręsentāndo sui obiecti.

Sed hęc doctrina in vniuersū dubia mihi est, primò an .f. omnis forma intelligibilis, siuè intentionalis, sit in duplici genere, scilicet in genere repręsentatiui, seu intelligibilis formaliter; materialiter verò, siuè per accidens; idest extra suam essentiam in genere entis, præsertim; quia genus entis vt contradistinguitur à genere repræsentatiuo, & intelligibili formaliter, est genus entis naturalis, vt Caiet. & alii qui Caietanum sequuntur dicunt; nam hoc, nō verificatur de specie intelligibili distincta a suo obiecto immediato, & primario; sed solum verificatur de specie intelligibili indistincta à suo obiecto, vt, est species intelligibilis, qua Angelus cognoscit seipsum; hęc enim materialiter, & identicè, siuè, vt loquitur Caiet. per accidens, est ens naturale; secundò quia in hoc articulo, sermo, est de specie intelligibili, vt est repræsentatiua formaliter, & inquiritur sit nè in genere entis in essendo, an in genere entis in agendo, & ratio dubitandi mihi est; quia, vt infra dicam, etiam ens intelligibile formaliter, potest esse ens in essendo, & in operando, sicut ens naturale, aliud est ens in essendo, & aliud est ens in operando, Caietanus verò, & alii, qui eum sequuntur asserunt, speciem omnem

nem intelligibilem siuè intentionalem, esse in duplici genere entis, per se quidem esse in genere repræsentatiui, quod genus repræsentatiui per eos, est genus entis intelligibilis, siuè intentionalis in operando; quia species intelligibilis, vt sic, est principium formale actus intelligendi, qui est actus existendi in genere agentis, sicut calor est principiũ calefactionis, calefactio autem est existentia caloris in genere agentis, & non in genere entis nimirum naturalis.

Prima conclusio, species intelligibilis, siuè species intentionalis distincta à suo obiecto, non est in genere entis naturalis per accidens, siuè materialiter; est cõtra Caiet. & alios, qui ponunt omnem speciem intelligibilem, pręsertim creatam, per accidens & materialiter, esse ens naturale, non loquor de specie intelligibili vniuersaliter; quoniam, vt supra dixi species intelligibiles, quæ sunt indistinctæ à suis obiectis materialiter, & per accidens, sunt ens naturę, prout contradistinguitur ab ente intentionali, non autem prout contradistinguitur ab ente supernaturalis ordinis; species verò intelligibiles distinctæ à suis obiectis, nullo pacto, etiam per accidens, & materialiter sunt ens naturale; quod si omnis species intelligibilis, siuè intentionalis esset indistincta à suo abie cto sine dubio falsa esset conclusio; hæc ipsa conclusio explicari potest aliis terminis, nimirum, species intelligibilis, siuè intentionalis, ex suo genere non exigit esse ens naturale, prout distinguitur ab intentionali, etiam per accidens, siuè materialiter.

Fudamentum conclusionis mihi est; quoniam species intelligibiles distinctæ à suis obiectis, sunt præcisè in genere entis intentionalis, quoniam sunt productæ vel à suis obiectis formaliter, vt sunt omnes species intelligibiles, siuè intentionales in homine influxu intelligibili, siuè intentionali tantummodò, vel à Deo, vt species intelligibiles in Angelis, quæ, vt suo loco dicetur sunt causatæ, & productæ à primo intelligibili; at influxu intelligibili, non producitur, nisi ens intelligibile; verùm si species intelligibiles distinctę à suis obiectis, essent per accidens, siuè materialiter in genere entis naturalis, non essent productæ solo influxu intelligibili; discursus est euidens; quia producuntur influxu obiectiuo, nimirum producuntur à suis obiectis: inquantum obiecta formaliter sunt, quod explicat *Arist. 2. lib. de Anima* exemplo figuræ, quæ imprimitur cerę à sigillo, vel ab annulo; sed concursus obiecti inquantũ obiectum formaliter, est præcisè influxus intentionalis siuè obiectiuus; ergo &c.

Secunda conclusio, species intelligibilis, siuè intentionalis, prout repræsentatiua formaliter, est non solum in genere agentis intelligibilis, sed etiam in genere entis intelligibilis; nimirum, non solum est ens intelligibile in agendo, sed etiam ens intelligibile in essendo; idque per se, & non per accidens, siuè formaliter, & nõ materialiter: conclusio est contra eos, qui dicunt, speciem intelligibilem', siuè intentionalem, vt formaliter repræsentatiuam, esse tantumodò in genere entis agentis intelligibilis; idque probant hoc principio, quoniã forma intelligibilis, vt docet S.Th. pluribus in locis, est principiũ formale intellectionis, sicut calor, est principiũ formale calefactionis, sed calor, vt principiũ formale calefactionis, est in genere agẽtis naturalis; ergo forma intelligibilis, vt pricipiũ intellectionis, est in genere agentis intelligibilis; discursus fundatus est; nam potentia ad operari, siue potentia operandi formaliter, constituit ens in genere agentis, sicut potentia ad esse, constituit ens in essendo.

Conclusio antequam probetur, explicanda est, & explicatio est hiusmodi; dicimus in conclusione, quod ens intentionale, siuè intelligibile formale, quatenùs repræsentatiuum, esse in duplici genere entis intelligibilis siue intẽtionalis; entis. s. intelligibilis in essendo, & entis intelligibilis in operando, sicut ens naturale, prout contradistinguitur ab ente intelliglbili, est in duplici genere entis naturalis, & in genere entis naturalis in essendo; & in genere entis naturalis in agendo, siuè in operando; idque tùm; quia quot modis dicitur vnum oppositorum, seù diuiditur, tot diuiditur aliud; sed ens naturale, quod opponitur enti intelligibili, est in duplici genere entis naturalis, nimirum in essendo, & in agendo; ergo pariter ens intelligibile oppositum debet esse in duplici genere entis intelligibilis, & in essendo, & in operando; tũ etiam à priore; quoniam ratio, cur ens naturale diuisibile est in ens naturale turale in essendo, & in ens naturale in agendo, est quia ens naturale, vt sic, præscindit ab ente naturali in essẽdo, & ab ente naturali in agẽdo formaliter; sed adhuc ens intelligibile pręscindit ab ente intelligibili in essendo, & ab ente intelligibile in operando; ergo &c.

Dices

Dices, forma intelligibilis, vt docet S. Thomas pluribus in locis; est principiū formale intellectionis, sicut calor est principium formale calefactionis, sed intellectio, est esse formæ intelligibilis, & intellectus, prout est in actu per formam intelligibilem in genere agentis, sicut calefactio est actus caloris, siuè ignis calefaciētis in genere agentis; vtraque enim operatio, est actio formaliter, & intelligere, vt docet S. Thomas 4. *C.G. cap.* 11. *& lib.* 1. *in* 2. *ratione*, comparatur ad intellectū, sicut esse ad essentiam; ergo forma intelligibilis, est principium formale entis in genere agentis: at ens in genere agentis, distinguitur ab ente in essendo; quia ens in essendo est per formam, quæ est principium essendi, non autē formaliter principium operandi: secùs forma esset ex suo genere principium formale operandi, & consequenter esset formaliter sua potentia operatiua in creatis, quod implicat: discursus est euidens ex ipsis terminis; nam ens in essendo in creatis, inuoluit essentialiter potentiam ad esse; ens autem in agēdo inuoluit essentialiter potētiam ad operari.

Respondeo distinguo maiorem, forma intelligibilis inadæquatè est principiū intellectionis, seù actus, qui dicitur intelligere; & concedo; adæquatè, & nego; adæquatè enim, est non solum principiū formale existentiæ in genere entis intelligibilis; sed etiam existentiæ in genere agentis intelligibilis, sicut, v. g. cum dicitur substantia spiritualis esse principium intelligendi; hæc propositio, vera est de substantia spirituali inadæquatè sumpta; non autem adæquatè; quia substantia spiritualis adæquatè, est principium primum, non solum intelligendi, & volendi, sed etiam existendi per se independenter à concursu materiæ, prout est principium suæ existentiæ spiritualis, qua est ens actu independenter à concursu materiæ, est principium entis in essendo; pariter forma intelligibilis, vt distincta à suo obiecto, est adæquatè principium duplicis existentiæ intelligibilis; existentia intelligibilis in essendo, quia forma omnis intelligibilis, non potest esse principiū formale suæ operationis, nisi sic existens intra potentiam intellectiuam existentiæ intelligibili, & existentiæ intelligibilis in agendo; sicut v.g. potentia formalis agēdi in creatis, cum sit principium formale naturale, est principium duplicis existentiæ, & existentiæ naturalis in essendo, & existentiæ naturalis in agendo.

Cum Angelicus Doctor, docet intelligere, comparari ad intellectum, vt esse ad essentiam, loquitur de esse in genere agentis intelligibilis, & de esse in genere intelligibilis in essendo, & vt dicemus, cum acutissimo Caietano infrà, priùs natura formā intelligibilis, est principium existendi intra intellectum, quàm principium formale intelligendi.

## ARTICVLVS TERTIVS.

### Vtrum forma intelligibilis creata, siuè ens intelligibile formale in creatis, saltem distinctum à suo obiecto extra ex suo genere sit accidens.

CIrca hunc articulum variæ sunt Metaphysicorum, & Theologorum opiniones.

Prima opinio est Suarez *in p.p. S.Th.* qui asserit, quod species intelligibilis distincta à suo obiecto, semper est accidens; nam Suarez, probat speciem intelligibilē in creatis formaliter esse accidens, adhuc in ratione intelligibilis, & repræsentatiui; species enim intelligibilis, inquit, propriè significat aliquod distinctum ab obiecto, quod est veluti semen, seù instrumētum datum potentiæ cognoscenti ad supplendam vicem obiecti, quando ipsum per se non potest adesse potentiæ, & per se efficere cum illa actum intellectionis; & huiusmodi species, inquit, semper est accidens essentialiter; neque aliter intelligi, nec fieri potest, & huius ratio esse potest hæc; quia solùm accidens potest esse instrumentum; quia solùm accidens, est subordinatum in esse, & consequenter in operari, causæ principali: at ratio instrumenti non potest competere speciei, nisi distinctæ à suo obiecto.

Neque dicas, inquit Suarez, quod speciei intelligibili accidat actuare, siuè inhærere potentiæ, cum Caietano *p.p. q.* 12. *art.* 2. & cum Scoto *in dist.* 3. nam distinctione respondebit Suarez, aliud, scilicet est species, secundum suum esse, idest, entitatem, & aliud secundum finem, siuè efficientiam; primò modo speciei, scilicet,

cet,

cet, vt entitas eſt,competit per ſe inhęrere; poſteriore verò modo, per accidens; finis enim ſpeciei per ſe eſt, vt coefficiat cum intellectu cognoſcente actum cognitionis; vndè ſi cum ſola exiſtentia, & cum intima præſentia ad intellectum, intelligatur intellectus ſufficienter ad intelligendum, accidentale ſpeciei eſt, quod inhæreat;hæc Suarez opinio, ſupponit poſſe ſpeciem intelligibilem conficere ſimul cum actu intellectionis,per ſolam intimam pręſentiam cum intellectu.

Secũda opinio eſt Caietani, & omniũ Thomiſtarum, quod ſpecies intelligibilis, dupliciter poteſt conſiderari, vno modo quantum ad prædicata, quæ conueniunt ſpeciei per ſe; alio modo quantum ad prædicata quę conueniunt eidem per accidẽs, ſiuè vno modo prout, in genere repręſentatiui,alio modo prout eſt in genere entis, ſiuè, vt alij loquuntur, vno modo formaliter, & alio modo materialiter; tunc conſideratnr ſpecies materialiter,quando conſideratur ſecundum, quod eſt ens; formaliter verò, ſecundum, quod repræſentatiua. Secundum quod eſt repræſentatiua formaliter, ſpecies intelligibilis,etiam diſtincta à ſuo obiecto, neque eſt ſubſtantia,nequè accidens, ſed negatiuè præſcindit ab vtrroque, & eſt vtrumque permiſſiuè; erit enim accidens in genere intelligibilis, vel ſubſtantia, ſi eius obiectum, ſit accidens, vel ſubſtantia; in genere verò entis, ſiuè materialiter, ſpecies intelligibilis diſtincta à suo obiecto, ſemper accidens.

Ratio primi, ſcilicet, quod forma intelligibilis in genere repræſentatiui, non eſt accidens, nequè ſubſtantia; ſed negatiuè ab vtroque præſcindit,eſſe poteſt hæc, quantum nunc occurrit; quia de ratione ſpeciei intelligibilis,eſt eſſe id,quo aliquid repræſentatur intellectui; ſed ex hoc præcisè conceptu, non habetur conſequentia de ſpecie,quod inhæreat vel ſubſiſtat;ergo ſpecies intelligibilis, in genere repræſentatiui, negatiuè præſcindit à ſubſtantia, & ab accidente;minor probatur eſſe rationẽ, qua non contradicit ſubſtantiæ, nequè contradicit accidenti; hoc autem ſatis eſt vt id,quo aliquid repræſentatur, præſcindat negatiuè a ſubſtantia, & ab accidente; maior probatur; quia eſſe id, quo directæ non tollit ſubſiſtere, nequè inhærere, poteſt enim reperiri cum vtroque; ergo, &c. vel etiam nulla implicantia affertur, ergo natura ſpeciei ex ſuo genere,non debet arctari ad accidens,vel ad ſubſtantiam.

Ratio ſecundi, quod ſcilicet ſpecies intelligibilis diſtincta à ſuo obiecto in genere entis, ſit accidens,eſſe poteſt huiuſmodi; quoniam ſpecies intelligibilis in genere entis,dicit prædicatum extra eſſentiã: etenim ſpecies intelligibilis formaliter: eſt repręſentatiua adęquatè, & formaliter, in hoc autem conceptu adęquato, & quidditatiuo,non includitur ens in eſſendo,hoc autem eſt prædicatum accidentale ſpeciei vt repræſentatiuæ; ergo ſpecies intelligibilis,quantum ad entitatem,ſiuè in genere entis. Confirmatur, nam ſpecies repræſentatiua diſtincta ab obiecto, producitur ab obiecto in potentiam ,vt eius complementum ad intelligendum, ſed potentia accidens eſt; ergo complementum eius, erit etiam accidens; ſed de hoc clariùs infra.

Hic articulus valdè curioſus eſt, & difficilis; ſed principiis ſupra explicatis facillimè reſoluitur ſequentibus concluſionibus.

Prima concluſio:ſpecies intelligibilis diſtincta à ſuo obiecto, tam in genere entis intelligibilis in eſſendo; quam in operando præciſiuè, ſiuè negatiuè, nequè eſt ſubſtantia, nequè accidens formaliter; dico ſpecies intelligibilis diſtincta a ſuo obiecto; quoniam ſpecies intelligibilis, vt ſic, præſcindit à diſtinctione, & indiſtinctione à ſuo obiecto: & ratio à priori eſt; quia ſpecies intelligibilis formaliter, vt probabimus cum Ariſtotele, & S. Thoma, eſt quidditas ſui obiecti immediati, & formalis formaliter, nimirum, quantum ad prędicata eſſentialia, & formalia ſui obiecti, & non quantum ad eius modum eſſendi naturalem;at quidditas obiecti formaliter, vt ſic,præſcindit à diſtinctione, & indiſtinctione a ſuo obiecto; ac proindè in aliquibus,eſt diſtincta realiter à ſuo obiecto immediato, & formali, vt ſunt ſpecies, quibus intellectus creatus cognoſcit alia entia creata,in aliquibus verò eſt indiſtincta realiter; vt in Angelo intelligente ſeipſum, & in intellectu beatorum, qui vident Deum per eſſentiam diuinam in ratione formæ intelligibilis. Concluſio demonſtrari poteſt duplici ratione,vna generali, alia ſpeciali.

Ratio generalis ſupra explicata,eſt; quia forma intelligibilis,formaliter eſt forma, qua repræſentatur potentiæ intellectiuæ ſuum obiectum immediatnm, & formale; ſed ex hoc conceptu formaliter ſpecies,negatiuè præſcindit à ſubſtantia, & ab accidente; ergo, &c.

Secunda ratio ſpecialis: ſpecies intelligibilis complet indigentiam formalem

potentiæ; cognoscitiuę formaliter; sed ex hoc prędicato species intelligibilis formaliter negatiuè præscindit a substantia, & ab accidēte; ergo, &c. maior probatur; quoniā potentia cognitiua, non in esse entis; sed in esse potentiæ formaliter, est apta nata esse suum obiectum formaliter, quippè obiectum potentiæ cognitiuæ formaliter præscindit à modo essendi intelligibili intra potentiam, & à modo essendi naturali; at hoc, non posset esse, nisi potentia cognitiua indigeat esse suum obiectum formaliter, vt illud possit formaliter cognoscere; sed species intelligibilis complet hāc indigentiam, quando obiectum, non potest seipso, siuè sua essentia esse intra potentiam formaliter; patet hoc; quia existente obiecto formaliter intra potentiam cognitiuā, nō est indigentia ad esse obiectū formaliter; hæc enim indigentia, nō est aliud nisi carentia obiecti formaliter intra potentiam; ergo &c. & minor principalis argumenti probatur; nam ex hoc prędicato, species intelligibilis formaliter, est quidditas sui obiecti formalis, per similitudinē formalem cum obiecto, quantum ad sua formalia præcisè; vel vt communiter loquuntur Thomistę, est species intelligibilis quidditas sui obiecti immediati formaliter, in modo essendi intelligibili intra potentiam; sed quidditas obiecti formalis, & immediati, potentiæ cognitiuæ pręscindit ab accidente, & à substantia negatiuè; quia obiectum formale intellectus, potest esse tam substantia, quam accidens formaliter; ergo &c.

Secunda conclusio: species intelligibilis substantiæ formaliter, hoc est, vt repræsentatiua substantiæ formaliter, & immediatè, est formaliter substantia, sed in modo essendi intelligibili, intra potentiam cognitiuam; species verò intelligibilis accidētis formaliter, & immediatè, est formaliter accidens: Conclusio hęc est S. Th. & Aristotelis locis citandis in sequente Articulo, & ratio fundamentalis est, eadem, ac ratio pręcedens specialis; quoniā species intelligibilis complet indigentiam potentię cognitiuæ formaliter, non in esse entis, sed in esse potentiæ formaliter, quatenùs, scilicet, est potentia suum obiectum formaliter, quæ indigentia, vt diximus, est carentia obiecti formoliter intra potentiam; sed ex hoc prædicato, species intelligibilis, siuè repræsentatiua substantiæ formaliter intellectui, est substantia formaliter, nimirum, quantum ad prædicata formalia substantiæ, non quantum ad modum naturalem eiusdem, & species intelligibilis accidentis formaliter, est formaliter accidens intra potentiam cognitiuam; ergo species intelligibilis accidentis formaliter, est accidens formaliter.

Obijcies primò, species intelligibilis distincta ab obiecto aduenit potentiæ intellectiuæ in actu, in genere entis sine tractu ad idem esse; sed ex hoc capite species intelligibilis distincta ab obiecto, est accidens formaliter; ob hanc enim rationem, quantitas dimensiua, & qualitas materialis, sunt accidens, quoniam adueniunt enti in actu, sine tractu ad idem esse; humanitas verò creata, licet adueniat personæ Verbi Diuini in actu, nō est tamē accidens; quia aduenit personę Verbi Diuini quatenùs cōtrahibilis ad idem esse personę Verbi. Maior probatur; quia aduenit potentiæ cognitiuę, quatenùs est actu in esse entis; est enim ens actu quælibet potentia formalis; nec trahitur ad idem esse cum potentia; quia potentia in esse entis, est accidens: species verò repræsentatiua, vt dixi, est substantia formaliter, quando eius obiectum immediatum, & formale, est substantia.

Respondeo nego maiorē: quippè species intelligibilis aduenit potentiæ intellectiuę, quatenùs, est pura potentia formalis in genere obiecti, non autem quantum est actu in genere potentię; & ex hoc species intelligibilis aduenit potentiæ intellectiuæ, vt trahibilis ad idem esse cum potentia, prout sit in genere intelligibilis, sicut. v. g. forma substantialis aduenit per se materiæ primæ, quatenùs est pura potentia formalis in genere entis; ac proindè, vt existibilis eadem existentia, qua etiam existit materia prima; ita pariter potentia intellectiua cum recipit formam intelligibilem. v. g. naturæ humanę, trahitur ad existendum, eadem existentia intelligibili, qua existit forma ipsa intelligibilis, quoniam est pura potentia in genere intelligibilis.

Obiicies secundò: species intelligibilis determinat potentiam intellectiuam (idem dico de omni alia potentia cognitiua formaliter in esse potentię), ad determinatū actum intellectionis; sed hœc ratio determinatiua, est formaliter accidens; primò, quia est principium formale intellectionis, quæ, est accidens formaliter; intellectio enim est actio formaliter; actio autem cōstituit vnum formale prędicatum accidentis; sed principium formale actus, qui est

forma

liter accidens, necessariò debet esse accidens; essentia enim, & existentia debent esse in eodem genere, & ob hanc rationē potentia actiua formalis, & proxima in creatis, non potest esse substantia, quia est per ∫oordinata ad actionem, quæ est accidens; secundò probatur; quia determinatio, supponit esse, vel importat præcisè dispositionem; at ex hoc predicato determinatio accidentalis est; inde in bona filosophia dicimus materiam determinari ad formam per dispositiones, quæ sunt accidentia, & materiam mixti determinari ad determinatam formam.

Respondeo, distinguo maiorem; species intelligibilis determinat potentiam intellectiuam intra genus obiecti intelligibilis, & concedo; intra genus potentię cognitiuæ, & nego. Determinatio intra genus potentiæ cognitiuæ, est accidentalis; & de hac procedit vis argumenti; determinatio verò in genere obiecti intelligibilis, præscindit à substantia, & ab accidente; Nam obiectum formaliter, quod est intelligibile, pręscindit à substantia, & ab accidente; ac proindè species intelligibilis negatiuè, neque est substantia, neq; accidens, sed est substātia formaliter, quando eius obiectū est substātia; & accidens, quando eius obiectū, est accidēs.

Neque dicas, quod potentia intellectiua, est formaliter accidens; forma verò intelligibilis, vel est formaliter substātia, vt diximus; vel est accidens diuersi generis à potentia intellectiua; sed ex rebus diuersi generis, non potest fieri vnū in genere intelligibilis, quia vnum in genere intelligibilis, est vnum per se; immò magis vnum, quàm vnum ex materia, & forma substantiali; quippè materia non fit forma, cum informatur à forma; sed potentia intellectiua fit suum intelligibile formaliter, cum perficitur à forma intelligibili: & confirmatur instātia; quoniam potentia intellectiua, etiam in esse potentiæ formaliter, est diuersi generis ab intellectione, quia potentia est in genere, siuè in prædicamento qualitatis: intellectio verò, est in genere, siuè in prędicamēto actionis, quæ sunt duo prædicamētalia genera, essentialiter primò diuersa.

Non inquam hoc dicas; quoniam potentia intellectiua dupliciter sumi potest, vno modo in esse entis, quatenùs est, quodam ens naturale contradistinctum ab ente intelligibili; alio modo in esse potentiæ formaliter, quatenùs, scilicet, est potentia suum obiectum formaliter, siuè quatenùs, est pura potentia in genere intelligibilis; primo modo potentia intellectiua creata, vtique est accidens essentialiter in genere qualitatis, & in determinata specie qualitatis; Secundo modo, est totaliter potentia in genere intelligibilis, tam substantialis, quam accidentalis, quod est à forma intelligibili, eo modo, v. g. quo materia prima potest considerari, vno modo, vt præcisè, est infrà substantiam, prout contradistinguitur ab accidente, & sic est quoddam ens determinatum per contradistinctionem ab accidente, & à forma substantiali; alio modo, prout est potentia substantiæ, secundum quod, est genus primum predicamentale; & hoc secundo modo materia prima, per formam substantialem, est infrà substantiam secūdum quod, est genus primum; quod est diuersum genus a substantia, prout contradistinguitur ab accidente; hæc enim substantia, est genus trascendens; substātia verò secundum, quod est genus primū, est genus determinatum distinctum ex natura rei, ab omnibus differentijs essentialibus, illud diuidentibus, & est etiam potentia quodlibet genus accidentis, sed in esse intelligibili.

Ad confirmationem, autem respondetur eadem doctrina; potentia enim formalis ad operationem, siuè actionem, est in duplici genere, quatenùs, scilicet, est quædam species determinatæ qualitatis, est extra genus actionis, quæ est aliud genus accidentis, constituens speciale prædicamentum distinctum à reliquis; quatenùs verò, est in potentia pura ad genus prædicamentale actionis, reducibilis est ad prædicamentum ipsius actionis; & in hoc sensu potentia, & actio potentię, sunt intra idem genus, hęc doctrina notanda est; eam enim non omnes aduertunt.

Obijcies tertiò; species intelligibilis, est essentialiter ens, & infra ens; ex hoc autem prædicato, vel debet esse formaliter substantia, vel formaliter accidens, quia ens, nimirum creatum, adæquatè diuiditur, vt sæpè repetiuimus, in substantiam, & accidens; sed hoc posito principio, implicat speciem intelligibilem præscindere à substantia, & ab accidente; ergo falsum est speciem intelligibilem, vt sic præscindere à substantia, & ab accidēte; quoniam quicquid est ens, & infrà ens, necessariò debet esse, vel substantia, vel accidens; secùs diuisio entis formaliter in substantiam, & accidens, non esset diuisio adæquata.

Respondeo primò, ens reale formaliter posse dupliciter sumi, vno modo, prout contradistinguitur ab ente intelligibili formaliter, & hoc est ens naturale; nimirùm existens, vel potens existere in sua propria natura, vel est ens per formam, qua est ipsum tantùm ad differentiam entis intelligibilis, quod est ens per formã, qua intellectus potest fieri alia à se formaliter, idest, potest fieri alia à se, quantũ ad sua formalia præcisè; alio modo, quatenùs abstrahit ab ente naturali, & ab ente intelligibili formaliter; primo modo ens reale formaliter adæquatè diuiditur in substantiam naturalem, & in accidens naturale; secundo modo diuiditur in accidens, & substantiam, præscindendo à substantia naturali, & à substantia intelligibili, ab accidente naturali, & ab accidente intelligibili; forma intelligibilis, est ens, & infrà ens abstrahens à substantia naturali, & intelligibili, & ab accidente naturali, & intelligibili, non autem, est infrà ens naturale, prout contradistinguitur ab ente intelligibili formaliter; ac proindè forma intelligibilis ex suo genere entis intelligibilis, negatiuè præscindit à substantia intelligibili, & ab accidente pariter intelligibili, & est vtrumque permissiuè; idest erit accidens, si eius obiectum immediatum, & formale erit accidens; & erit substantia in genere intelligibilis, si eius obiectum immediatum, & formale erit accidens.

Respondeo secundò distinguẽdo maiorem, forma intelligibilis, est ens, & infrà ens intelligibile, vt sic, & concedo; est ens, & infrà ens naturale, & nego; quod est ens, & infra ens naturale, necessariò debet esse, vel substantia naturalis, vel accidens naturale; quia hæc duo sunt mẽbra immediatè, diuidentia ens naturale formaliter; quod autem, est ens, & infrà ens intelligibile; necessariò debet esse, vel substantia intelligibilis, vel accidens intelligibile; quia hæc duo etiam immediatè, & adæquatè diuidunt ens intelligibile: cum dicimus, ens intelligibile, siuè formam intelligibilem, negatiuè præscindere à substantia, & ab accidente, loquimur de ente intelligibili in genere, non autem de ente intelligibili in determinata specie entis intelligibilis.

## ARTICVLVS QVARTVS.

### Vtrum ens intelligibile, siuè forma intelligibilis ex suo genere, sit similitudo virtualis, aut formalis sui obiecti immediati, & primarij.

NOtanter ponitur in hoc articulo, an forma intelligibilis possit esse similitudo formalis sui obiecti immediati, & primarij; quoniam Caiet. *p.p.q.* 12, docet, non semper esse necessariam similitudinẽ formalem in specie, siuè forma intelligibili; sed sufficere eminentem, vt patet in Diuina essentia, quæ est eminenter omne intelligibile creatum; quæ doctrina si intelligatur de specie, siuè forma intelligibili, vt est forma intelligibilis sui obiecti immediati, & formalis, non est admittẽda iuxta principia Aristotelis, & S. Thomæ, vt infrà dicam: fortè Caiet. loquitur de specie intelligibili, abstrahendo à forma intelligibili obiecti primarij, & immediati, & à forma intelligibili, prout est forma intelligibilis mediata obiecti secundarii, qualis est Diuina essentia, quæ immediatè est repræsentatiua Diuinæ essentiæ, vt causæ creaturarum; mediatè, verò est repræsentatiua creaturarum, secundum earum esse formale extra Deum; nos hìc loquimur de forma intelligibili, prout est repræsentatiua sui obiecti immediati, & formalis.

Articulus hìc, non est intelligendus de forma intelligibili, vt sic, & in generali; sed de forma intelligibili distincta à suo obiecto immediato; etenim de forma intelligibili, quæritur in articulo, an sit similitudo formalis sui obiecti immediati; similitudo autem, necessariò inuoluit distinctionem à suo consimili; secùs esset identitas, non similitudo; forma intelligibilis, vt sic, & in generali, præscindit a distinctione, & indistinctione à suo obiecto immediato, & primario; forma enim intelligibilis, vt sic, est ipsum obiectum formaliter, intra potentiã: obiectum autem formaliter præscindit à distinctione, & indistinctione: quia potest esse obiectum formaliter, vel per identitatẽ formalẽ, vel per similitudinẽ formalẽ.

Similitudo obiecti, quæ est prædicatum quæsiti, alia est formalis, & alia virtualis; ratio huius diuisionis assignatur à S. Thoma *p. 2. q. 27. art. 3. in corpore*, vbi dicit, quod similitudo inter aliqua, potest attendi dupliciter; vno modo ex hoc, quod vtrumque habet idem in actu, sicut duo habentes albedinem dicuntur similes; alio modo ex hoc, quod vnum habet in potẽtia, idest, in virtute, quod aliud habet in actu, sicut corpus graue existens extra suum locum habet similitudinem, cum corpore graui in suo loco existenti, vel etiam secundum quod potentia habet similitudinem ad suum actum, nam, inquit, in ipsa potentia quodammodò est actus, & vtraque similitudo, alia est naturalis, & alia est intelligibilis, siuè intentionalis; nam similitudo in generali diuisibilis etiã est in similitudinem naturalem, & in similitudinem intentionalem, siuè intelligibilem; similitudo naturalis obiecti, est similitudo obiecti, non solum quantum ad sua prædicata essentialia, siuè formalia; sed etiam quantum ad modum essendi naturalem, quo obiectum existit in sua propria natura præcisè; similitudo intentionalis, siuè intelligibilis, est similitudo obiecti præcisè, quantum ad sua formalia, & non quantum ad modum essendi naturalem eiusdem; sed in alio modo essendi intra intellectum, quem vocamus modum essendi intelligibilem, quo similitudo obiecti formalis, idest, obiecti quãtum ad sua formalia prædicata existit in intellectu, vt principium formale constituens intellectũ in genere intelligibilis, vt in fra clarius explicabitur: & hęc similitudo dupliciter potest intelligi esse similitudo sui obiecti ĩmediati; formaliter, & virtualiter; erit similitudo formalis, si forma intelligibilis ponatur habere in se actu, & formaliter prędicata essẽtialia, quę habet suũ obiectum extra intellectum existens; virtualiter verò erit similitudo, si dicatur forma intelligibilis, siuè intentionalis sui obiecti primarij, sola virtus potens facere, quod faceret suum obiectum, si sua essentia esset intra intellectum, vt perfectiuum in suo perfectibili in genere obiecti; vel vt alij dicunt esset similitudo, quia tantum est virtus potens producere similitudinem expręssam sui obiecti, & hoc modo lux Solis dicitur similitudo virtualis caloris elementaris: quia Sol, non est formaliter calidus: sed habet virtutem producendi, calorem, quo etiam modo calor ignis dicitur similitudo virtualiter substantię ignis producti, quia potest producere substantiam, & ratio est: quippè virtualitas attendit precisè vim productiuam, vel vim faciendi, quod facit aliud, vt infra fusè explicabitur. Circa hunc articulum sunt duæ opiniones inter se oppositæ.

Prima est asserentium, formam intelligibilem, nimirum distinctam à suo obiecto immediato, esse similitudinem virtualem, non formalem sui obiecti immediati, sicut v.g. calor ignis est similitudo virtualis substantię ignis producti, & lux solis est similitudo virtualis caloris ignis; hanc opinionem sequuntur doctissimi theologi, vt Suarez *loco cit. Marcus Ant. Palum. in Exam. Scol. 2. in p. 1. S. Thom. qu. 12. cap. 3. dicto 3. circa medium Hyero. Fasol. & alii* apud ipsos, asserentes; quod sola similitudo virtualis, nimirum, in modo essendi intelligibili, satis est, vt forma intelligibilis constituat intellectum actu in genere intelligibilis, sitque principium formale intellectionis; hæc opinio probatur.

Primò a priore, species, siuè forma intelligibilis solum determinat intellectũ ad talem actum; sed determinatio precisè non inducit similitudinem formalem; Nã saluatur per solã similitudinem virtualem; minor probatur, qualitates, quæ sunt accidentia determinant agens ad substantiã producendam, quæ similitudo virtualis, est & in genere causæ efficientis: lumen solare determinat solem ad calorem producendum, quæ similitudo virtualis est; ergo &c.

Secundò; forma intelligibilis est similitudo sui obiecti, sed similitudo, non necessariò est formalis; nam saluari potest per virtualitatem, & probatur: quia similitudo, non aliud importat, quam proportionem, siuè conuenientiam: proportio verò siuè conuenientia, sicut est formalis, ita potest esse virtualis: ergo species intelligibilis, non necessariò est similitudo formalis: sed saluatur solum per virtualitatem.

Tertiò; species intelligibilis distincta à suo obiecto est instrumentum sui obiecti; sed instrumentum, non est similitudo formalis, sed virtualis; causa enim instrumentalis necessariò debet esse accidens: tùm quia causa instrumentalis in causando, est subordinata causæ principali, quæ est substantia, tùm etiam, quia causa instrumentalis, est principium immediatum, & formale actionis, quæ est formaliter accidens; hoc autem principium ex vtroque capite necessariò, est

est accidens; maior probatur; quia species intelligibilis distincta à suo obiecto in sua operatione, & causalitate subordinatur suo obiecto immediato, & formali motiuo; constituit enim intellectum in actu, quatenùs est similitudo sui obiecti; sed ex hoc prędicato, species intelligibilis distincta a suo obiecto habet rationem causæ instrumentalis; & in hoc principio Authores huius sententiæ fundantur; quod species intelligibilis distincta a suo obiecto, est formaliter accidens; quia similitudo virtualis, non necessariò, est substantia; sed potest etiam saluari perfectè in accidéte, quia potest esse tùm causæ principalis, tùm causæ instrumentalis.

Quartò ad hominem, ad rationem formalem speciei intelligibilis non necessariò requiritur, vt semper sit formalis; sed aliquando, est tantùm similitudo eminentialis sui obiecti, vt docet Caietanus; sed ex hoc prædicato potest saluari species intelligibilis, cum sola similitudine virtuali; nam eminentia, est virtualitas causæ principalis, nimirum, causæ primæ: virtualitas verò præcisè, est causa instrumentalis, & probatur; nam virtualitas attendit præcisè vim productiuam, sit illa quæcunque, siuè, scilicet principalis, siuè instrumentalis; similitudo eminentialis, est virtus causatiua causę principalis; similitudo verò purè virtualis, est causæ instrumentalis; ergo forma intelligibilis non necessariò, est similitudo formalis sui obiecti.

Quintò species, siuè forma intelligibilis contradistinguitur à forma intellecta, siuè obiectiua; forma enim intelligibilis, est principium formale intellectus ad actum intellectionis; species verò obiectiua, seù intellecta, est terminus intellectionis; sed species obiectiua, siuè intellecta, est similitudo formalis obiecti; quia obiectiua est, in qua cognoscitur obiectū formaliter; ergo ex opposito forma intelligibilis, quæ est principium formale intellectionis determinans intellectum, non debet esse ex suo formali similitudo formalis sui obiecti formaliter, vel, quia species intelligibilis, non est in qua cognita, cognoscitur obiectum, vel quia oppositorum oppositæ debent esse rationes formales; sed species intelligibilis, & species intellecta sunt oppositæ intra genus obiectiuum; quia diuidunt genus obiectiuum in obiectum intelligibile, & in obiectum intellectum formaliter, & intrinsecè.

Quintò, visus, nimirum potentia visiua, specie visibili videt sua obiecta, cum suis magnitudinibus, & distantijs; videt enim potentia visiua, maximum montem distans magna distantia; quæ prædicata nō sūt in specie visibili; formaliter nā species visibilis, nequè est tātæ magnitudinis, nequè tantæ distantiæ à visu; sed est intra visum; ergo non potest similitudo intentionalis, quæ est principium formale visionis, esse similitudo formalis, sui obiecti immediati; quoniam similitudo formalis obiecti, est similitudo, siuè similis suo obiecto, ad minus quātum ad sua prædicata formalia, quæ videntur immediatè, sed satis est similitudo virtualis: species enim, est præsens in oculo, & obiectum repræsentatum est distans: pari ratione sentimus sonum distantem, sentimus maximam commotionem; sentimus qualitates corporum sonatiuorum, quæ omnia non sunt formaliter in specie sensibili auditus: ita in tactu &c. In sensu interiore immaginamur colorata obiecta, & obiecta maximè distantia, colores, sapores &c. quæ non sunt intra speciem sēsibilem eorum formaliter; sed solum virtualiter: ergo similitudo in specie intentionali, & cognoscibili in vniuersum, solum est virtualis.

Secunda sententia, est dicentium speciem intelligibilem, & vniuersaliter speciem intentionalem, siuè cognoscibilem distinctam a suo obiecto immediato, esse similitudinem formalem sui obiecti immediati, & primarij, non quidem naturalem, sed intentionalem; nimirùm nō in modo essendi naturali, sed in modo essendi intentionali: hæc sententia *in terminis*, est S. Thomæ *in 3. C. G. cap. 49.* vbi his verbis, hanc exprimit sententiam, dicens, quod similitudo intelligibilis, idest, species imprēssa, per quam intelligitur, aliquid secundum suam substantiam, idest, quidditatiuè, oportet, vt sit eiusdem speciei, vel magis species eius, sicut forma domus, quæ est in mente artificis, est eiusdem speciei, cum forma domus, quæ est in materia, vel potius species eius, & huius, hanc assignat rationem: non enim per speciē hominis intelligitur de Æquo, vel Asino, quid est; eandem sententiam docuit etiam *in 4. dist. 49. q. 2. art.* 1. post medium corporis dicens, quod intellectus adhoc, quod intelligat aliquam quidditatem oportet, quod in eo fiat similitudo eiusdem rationis secundum speciem, & hanc doctrinam sumpsit *Angelic. Doct. ab Arist. in libris de Ani. locis infrà citandis*.

Hæc

Hæc ſententia ſemper ab incunabulis mihi arriſit, eam ſequuntur omnes S. Thomæ diſcipuli, quam explicabo ſequentibus concluſionibus.

Prima concluſio; forma intelligibilis( idem dico de omni forma intentionali, & cognoſcibili formaliter) diſtincta à ſuo obiecto, eſt formalis ſimilitudo ſui obiecti immediati, & primarii, non quidem naturalis, quam S. Thomas appellat ſimilitudinem in eſſendo, ſed intelligibilis, quam S. Thomas appellat ſimilitudinem in repræſentando, quę nihil aliud eſt; niſi ſimilitudo formalis ſui obiecti immediati, & primarii, quantum ad ſua prædicata formalia, præciſè, ſed in modo eſſendi intelligibili, qui eſt modus eſſendi intra intellectum excludentem modum eſſendi naturalem, quo obiectum exiſtit in ſua propria natura, & extra intellectum: concluſio valdè controuerſa, eſt, vt videre eſt apud *Hyeronimum Faſolum 1. tom. in p. 1. S. Thomæ q. 12. Ariſt. 2. à prima dubitatione, & apud Marcum Antonium Palumbum ſuper eandem q. 12. pariter art. 2. non ſolum in expoſitione litterę; ſed etiam in 2. Exa. Scol. cap. 3.*, qui expreſsè impugnat hãc S. Thomæ ſententiam: interpretatur autem Palumbus S. Thomam, dicens, quod eſſe ſpeciei, & eſſe obiecti ſunt eiuſdem rationis; ( quicquid ſit de ratione accidẽtali, & ſubſtantiali) in hoc ſenſu, quatenùs ſpecies, vt ſpecies, eſt forma obiectiua, ex qua prouenit intelligere, quod eſt eſſe ipſius; ſicut à forma ſpecifica ſubiectiua prouenit eſſe ſubiectiuum; intelligere verò eſt eſſe, ex quo formaliter eſt obiectum, ſeù ponitur res intellecta in ratione obiecti, ſubdens, quod credit, hoc voluiſſe ingenium tanti eximij viri, nimirum; S. Thomæ, quod eſſe ſpeciei, & obiecti ſunt eiuſdem rationis; quoniam idem eſt eſſe vtriuſquæ, quod ſcilicet ſpecies eſt actu repræſentatiua, & eius obiectum, eſt actu intellectum, & repræſentatum; *Hyeronimus verò Faſolus dubit. 13.* interpretatur S. Thomam locis modo citatis; S. Thomam loquutum eſſe de identitate ſpecifica, non in eſſendo; ſed in repræſentando, quæ diſtinctio ſumpta eſt à S. Th. *in q. 4. de Verit. art. 4. ad 2.* vbi dicit, quod ad veritatẽ Verbi, nõ exigitur ſimilitudo, ſecundũ conformitatẽ naturę, ſed ſecundum repræſentationem; quam ſimilitudinem tantum expræſsè tribuit ſpeciei intelligibili, quæ eſt principium formale actus intellectionis in intellectu, ſicut calor eſt principium calefactionis in igne *q. 8. de veritate art. 1.* non multum poſt principium dicens; in omni cognitione, quæ eſt per ſimilitudinem modus cognitionis, eſt ſecundum conuenientiam ſimilitudinis ad illud, cuius eſt ſimilitudo; & dico inquit S. Thomas, conuenientiam ſecundum repręſentationem, ſicut ſpecies in anima conuenit cum re, quæ eſt extra animam, non ſecundum eſſe naturale, vbi loquitur S. Thomas de ſimilitudine, quæ eſt principium formale intelligendi, non de ſimilitudine intellecta, quę eſt Verbum entis; at verò ſimilitudo formalis obiecti, formaliter eſt ſimilitudo in eſſendo, non in repręſenrando. Incumbit ſubſtinentibus ſpeciem intelligibilem, eſſe ſimilitudinem formalem ſui obiecti immediati formalimaliter, probare ſpeciem intelligibilem eſſe ſimilitudinem, non ſolum ſui obiecti immediati, in repræſentando, ſed etiam in eſſendo; nam Authores contrariæ ſententię aſſerunt, non requiri aliam proportionem, vel ſimilitudinem, quam repræſentandi, & repræſentabilis; ſic enim ſpecies inquiunt, quæ, eſt accidens repræſentare poteſt perfectiſſimam ſubſtantiam.

Caietanus probat ſpeciem intelligibilem eſſe etiam ſimilitudinem in eſſendo ſui obiecti immediati formaliter *in p. 1. S. Thomæ art. 2. q. 12.* hoc medio, quod vis repręſentatiua in ſpecie intelligibili fundatur in eſſe; ideo enim, inquit, ſpecies intelligibilis eſt repræſentatiua ſui obiecti immediati formaliter, quia eſt ſimilitudo ſui obiecti immediati, nimirum, formaliter; ſed hæc eſt ſimilitudo formalis in eſſe intelligibili, quia eſt ſimilitudo ſui obiecti immediati, quantum ad ſua formalia; quia prædicata formalia obiecti immediati ſunt principia formalia eſſendi; ratio huius eſt; quia ſimilitudo intelligibilis formaliter, & repręſentiua, ex eo eſt repręſentatiua ſui obiecti formaliter; quia inuoluit prædicata formalia obiecti in modo eſſendi intra potentiam, qui modus eſſendi excludit modum eſſendi naturalem.

Hanc Caietani doctrinam, & reſponſionem impugnat, & arguit Marcus Antonius Palumbus *loco ſup. cit.* dicens, quod; eſſe eſſentialiter, diuiditur ſecundum modos eſſendi per ſe, & in alio, & repræſentatum ſecundum vltimam differentiã, eſt id quod, & repręſentatiuum, eſt id quo, quæ ſunt rationes ſpecie diuerſę.

Sed pace tanti viri, qui mihi familiariſſimus fuit, hæc ratio non conuincit, & quidem propoſitio illa, quod eſſe eſſentialiter diuiditur ſecundum modos eſſendi

per

per se, & in alio; distinctione soluitur; esse enim, est duplex; aliud naturale, & aliud intelligibile, esse naturale diuiditur in esse naturale per se, & in esse naturale in alio; pariter esse intelligibile diuiditur in esse per se intelligibile, & in esse in alio intelligibile, quod esse, non tantum est esse repræsentatiuum in genere agentis intelligibilis, sed etiam, est ens intelligibile in essendo, vt præcedente Articulo demonstrauimus. Esse intelligibile, vt sic, & ex suo genere præscindit negatiuè ab esse per se intelligibili, & ab esse in alio intelligibili, & est vtrumque permissiuè; erit enim esse per se intelligibile, si eius obiectum immediatum fuerit substantia; erit verò esse in alio, siuè accidens, si eius obiectum immediatum fuerit accidens. Alia verò propositio, quod repræsentatiuũ secundum vltimam differentiam, est id, quod; & repræsentatiuum, est id quo, quæ sunt rationes specie diuersæ, vt quod vni competit, non competit alteri, adhuc facile soluitur distinctione, duplicem enim potest habere sensum; primus est, quod repræsentatum secundum vltimam sui differentiam, est id quod; & repræsentatiuũ, id quo, quantum ad eorum formalia prædicata. Secundus sensus est, quod sunt diuersa specie secundum varios modos essendi, vel respectu diuersi modi essendi: præsentatum, est id quod; & repræsentatiuum id quo. In primo sensu falsa est propositio, vt dictum est in conclusione, & probabitur infra; in secundo verò sensu vera est; sunt enim modi eorum essendi essentialiter diuersi, sed hęc diuersitas, non obest: quoniam loquimur de specie intelligibili quantum ad eius formale, de quo fusius infra dicetur.

Conclusio communiter probatur hac ratione; quæ mihi videtur efficacior cæteris; quæ reperiuntur species intelligibiles conueniunt in ratione communi speciei, quatenùs, scilicet, sunt rationes repræsentandi obiectum potentiæ, cum speciebus sensibilibus, sed species sensibiles, sunt similitudines formales suorum obiectorum formalium: ergo, & intelligibiles: Maior huius discursus in eo fundatur; quoniam species intelligibilis, vel sensibilis admittitur ad supplendam indigentiam formalem potentiæ cognitiuæ; vtriusque autem potentiæ, intellectiuæ, scilicet, & sensitiuę, eadem est indigentia, nempè carentia obiecti formaliter intra se, ratione cuius possunt actum intelligendi, vel sentiendi elicere, quatenùs per ipsum sunt constitutæ in actu: Minor est plusquam clara, cum sensibile sensu percipitur in speculo, in quo formalis obiecti imago, siuè similitudo apparet; certum autem est, imaginem illam, esse speciem sensibilem obiecti, non alterius rationis à specie sensibili potentiæ sensitiuæ: cum obiectum naturaliter agat, siuè vno modo immittat sui similitudinem; natura enim, est determinata ad vnum, & eodem modo.

Ratio fundatur in hoc; quia obiectũ immittit, sui similitudinem formalem in speculo; sed eadẽ est ratio de similitudine, quam immittit in potentiam sensitiuam.

Reijcitur à contrarijs, hæc ratio, siuè videatur species in speculo; siuè non videatur. Si species non videtur, vt grauissimi Authores asserunt, dicũt, quod videtur ipsum obiectum veluti existens in speculo; quia ibi fit reflexio speciei, & sic ratio non habet vim; si verò species videtur, quod fortè significare visus est S. Thomas, inquiunt, non sumus in casu: non enim videtur species præcisè; sed videtur lumen, quod tali modo opacatum, hanc similitudinem refert. Explico, quæ dicunt. Colores sunt apparentes in collo columbæ, quia ibi, est lumen tali modo opacatum illum colorem referens; eadẽ ratione lumen ab obiecto transmissum ad speculum, recipit opacationem obiecti, vnde videtur lumen tali modo opacatum, non similitudo immissa in speculo, hoc inquiunt, experientiæ suadent. Primũ quidem, colores apparentes in hyride, & collo Columbæ: deindè lumen, quod transmissum per vitrum, e.g. rubrum, ex opacatione vitri medij fit color secundum apparentiam rubri, viridi, &c. Deniquè lumen per paruum furamen in tenebrosũ cubiculum fenestræ transmissum, ex opacatione per tenebras, refert intra cubiculum, & arbores, & incedentes homines, & similia, prout sunt obiecta ad directum opposita versus illud furamen; & addũt hoc, quod fortè, etiam si apud Authores non reperiatur, veritatem aliquam habere videtur; quemadmodum lumen, externum has apparentias facit; quid prohibebit illuminatos spiritus in internis cęllulis similes apparentias referre?

Hæc doctrina, inquiunt, fortè ab Aristotele non discordat, qui docet Spiritus ab imaginatiua ad oculos recurrere, & in oculis cõtingere ob id varia spectra; qua de causa à nutricibus velari solent oculi puerorum, & addunt, quod hæc for-

forè est causa, cur hilarescat animus in luce, contrahat timorem in tenebris, quia lumen spirituum iuuatur, aut deprimitur: spiritus verò rectè dispositi, sunt instrumenta animę, de quibus, qui dubitat, quod sint instrumenta animæ, de luce meridiana dubitabit, & possunt experientię assignari præ ceteris; si sanguis purus est, & viuidus, magna cum promptitudine, & claritate operamur. Relaxatio spirituum eo compellit quandoque hominē, vt aliquis doctus, videatur sibi nihil scire, nullius rei præteritæ recordari, quando repente (animaduersio medicorum est) si roborentur species, e.g. vino, videmus nobis ipsis illicò recuperare nostram sciētiam, &c. & quod maius est, quammaximè turbamur passionibus ex vario temperamento inducto spirituum: indè si debiles fumus spiritibus, facilè iracundi sumus, facilè mesti, à quocunque obiecto, vel leuiter noxio turbamur &c.

Acuta quidem, & docta est hæc impugnatio; sed non ad rem, quia nos hic loquimur de specie, siuè de similitudine ex parte obiecti, non autem de similitudine ex parte potentiæ, de quibus fusè S. Thomas *p.1.q.12.art.2.* lumen. autem & color, per permixtionem corporis opaci, vel ex reflexione, se tenent ex parte potentiæ nimirum, loquimur hic de specie, quam immittit obiectum in potentiam cognitiuā; hæc autem non potest esse lumen vel color ex permixtione corporis opaci, & reflexione; quia species huiusmodi, est expressio formalis sui obiecti formaliter.

Secundò, hic loquimur de similitudine, quæ influxu intentionali producitur ab obiecto formali in potentiam cognitiuam; non autē de similitudine methereologica; sicut enim datur color nuturalis, & color methereologicus, ita datur similitudo intentionalis, quæ influxu intentionali realiter produçitur ab obiecto formali proprio in suam potentiam cognitiuam, & similitudo methereologica, quæ fit ex reflexione, & permixtione corporis opaci: de quibus fusè tractant methereologici.

Potest etiam ratio prædicta in eo tamquam in radice fundari; quod potentia cognititiua indiget obiecto formaliter intra se, vt illud cognoscendo percipiat per actum immanentem: & ratio huius est; nam existente obiecto formaliter intra potentiam, non est in potentia cognitiua indigentia speciei intelligibilis, neque obiecti immediati formalis, & indè est quod Aristoteles docet, ex potentia cognitiua, & obiecto fieri magis vnum, quam ex materia, & forma; materia enim non fit forma per vnionem; potentia autē cognitiua fit ipsum obiectum immediatū formaliter in esse intentionali, vel intelligibili; ex quo apparet potentiam cognitiuam, non in esse entis, sed in esse potentię formaliter in genere intelligibilis, aliud non esse, nisi ipsum obiectum potentialiter: patet, quia vel existente obiecto formaliter intra potentiam, vel accedente specie obiecti formaliter, potentia cognitiua fit ipsum obiectum; sed hęc indigentia, non potest auferri à potentia cognitiua, nisi per similitudinem formalem obiecti immediati formaliter, quando potentia non potest esse obiectum formaliter per identitatem formalem; & ratio est, quia indigētia formalis potentiæ, est carentia obiecti immediati formaliter; nimirum, quantū ad sua formalia intra ipsam potentiam; hæc autem carentia, si non suppleatur formaliter, .f. per speciē, quæ fit obiectum formaliter, vel per similitudinem formalem, vel per identitatem formalem intra potētiam; potentia cognitiua adhuc remanet supplebilis, & complebilis in ratione potentię formalis; ac cōsequenter in terminis potentiæ, non potentis exire in actum; cū adhuc, non sit simpliciter actuata, sed solum secundum quid.

Neque dicas sufficere similitudinem virtualem adęquatam; nam hęc præstat sua virtute, totum id, quod præstat formaliter similitudo formalis, siuè ipsum obiectum formaliter.

Nam contra est primò; quia indigentia formalis potentiæ cognitiuæ, est carentia obiecti immediati formaliter intra se; hęc autem non tollitur, nisi per rationem formalem obiecti; virtualitas autem non est ratio formalis obiecti; vndè semota specie intelligibili formali, vel semoto obiecto formaliter à potentia cognitiua, semper remanet indigentia formalis, idest carentia obiecti formaliter intra potentiam: quia semper caret formaliter obiecto, potentia cognitiua; vnum enim oppositorum non tollitur formaliter, nisi per aliud oppositum.

Quod si dicas similitudo virtualis obiecti formaliter æquiualet.

Contra est, nam hæc æquiualentia est virtualiter, non formaliter; at indigentia potentiæ cognitiuę formaliter, est carentia obiecti formaliter intra potentiam.

Neque primò dicas; quod natura

e. g. humana in Christo Domino indiget secundum se sua existentia, & subsistentia creatis formaliter, & tamen, hęc indigentia suppletur à subsistentia, & existentia Verbi Diuini, quæ, est eminentialiter existentia, & subsistentia creata, nam.

Contra est, quoniam, vt diximus quæstione præcedente subsistentia, sicut, & existentia Verbi Diuini supplet carentiam existentiæ, & subsistentiæ naturalis in natura humana Christi Domini, inquantum est formaliter omnis existentia, demptis imperfectionibus, & diuisiuis; etenim existentia, & subsistētia sunt perfectio simpliciter simplex, quæ in Deo est formaliter, non virtualiter: & comprobatur, quoniam humanitas in Christo Domino, est formaliter existens, & formaliter subsistens; implicat autem naturam esse formaliter existentem per existentiam virtualem, aut eminentialem sicut implicat hominē, esse formaliter sensitiuum, per sensitiuum eminentiale, aut virtuale; causa enim formalis intrinseca causat suum effectum formalem primarium, præbendo formaliter sua prædicata formalia; v. g. quantitas dimensiua causat quantum extensum, præbendo seipsum formaliter substantiæ materiali: idem dico de cęteris formis.

Neque secundò, dicas hanc responsionem supponere speciem intelligibilem obiecti necessariò esse similitudinem formalē sui obiecti immediati; sed hoc est falsum; nam si ex suo genere species intelligibilis esset similitudo formalis sui obiecti immediati, omnis species intelligibilis, tam distincta à suo obiecto immediato, quàm indistincta, esset similitudo formalis; nam Diuina, essentia, est forma intelligibilis omnium entium extra Deum, & tamen, non est similitudo formalis, sed tantum eminentialis creaturarum extra se; quoniam essentia Diuina, vt repræsentatiua creaturarum secundum earum esse formale, est essentialiter primum repræsentatiuum intelligibile.

Non inquā hoc dicas, nam Caiet. loquitur de specie intelligibili abstrahente a forma intelligibili sui obiecti immediati, & formalis, & a specie, siue forma intelligibili obiecti mediati, & materialis, & patet hoc: etenim Caietanus mouetur ad dicendum, speciem intelligibilem, non necessariò esse similitudinem formalem; quia Diuina essentia, vt repræsentatiua Diuino intellectui alia extra se, non est similitudo formalis, sed eminentialis: at Diuina essentia, vt repræsentatiua in genere intelligibilis, est species intelligibilis creaturarum mediatè, & materialiter, non autem immediatè, & formaliter: repræsentabile enim formaliter à Diuina essentia immediatum, & formale, est ipse Deus, & omnia, quæ sunt in Deo formaliter, & hæc distinctio notanda est, quia eam non omnes aduertunt.

Secunda ratio fundamentalis conclusionis est, quoniam obiectum formale, & immediatum potentiæ intellectiuę (idē dico de obiectis immediatis, & formalibus cæterarū potētiarū cognitiuarū) negatiuè pręscindit à modo essendi intelligibili, & à modo essendi naturali, idest, à modo essēdi in intellectu, quantum ad suā prędicata formalia præcisè, & à modo essendi, quo existit in sua propria natura, & in se: sed hoc posito principio, obiectum formaliter aptum est esse in intellectu formaliter; hoc est quantum ad sua prędicata formalia, vel per identitatem formalem, vel per similitudinem formalem; & hoc appellamus similitudinem formalem obiecti immediati. Per identitatem quidem formalem, quando obiectum potest esse seipso principium formale esse intelligibilis alterius intellectus; per similitudinem verò formalem, quando, non potest obiectum formale esse per seipsum, principium formale esse intelligibilis intellectus alterius. Primo modo Diuina essentia, est sui forma intelligibilis in intellectu Beatorum, quia cum sit infinita formaliter in ratione intelligibilis, est principium formale, non solum esse intelligibilis sui intellectus, sed etiam esse intelligibilis omnis intellectus creati: Secundo modo essentia vnius Angeli, est obiectum motiuum per sui similitudinem formalem in intellectu alterius Angeli, cum sit limitata ad genus, speciem, & indiuiduum determinatum: minor, est certa; nam genere existente indifferente, datur contrahibilitas per oppositos modos: maior principalis argumenti probatur; quia obiectum formale, & immediatum, solum dicit sua prædicata essentialia, sine quibus neque esse, neque intelligi potest, sed modi essendi intelligibilis, & naturalis non sunt intra prædicata essentialia obiecti formalis, & immediati creati: v. g. homo secundum se in sua definitione essentiali includit tantum animal, & rationale, in quibus prædicatis, neque includitur, neque non includitur modus essendi intelligibilis, & modus essendi naturalis; & ex hoc principio intellectus, est potentia suū obiectum

obiectum immediatum formaliter; ex eo enim, quod obiectum formaliter potest esse in intellectu, aut in potentia cognitiua, sufficienter potentia cognitiua apta est, esse suum obiectum immediatum formaliter.

Neque tertiò dicas, quod hęc doctrina, non est ad mentem Aristotelis, vt supra sæpè diximus; nam Aristoteles *3. de Ani.*, non dicit, quod anima, vel intellectus possibilis, est formaliter omnia, sed dicit quod, est quodammodò omnia; at si species intelligibiles essent sua obiecta immediata formaliter, intellectus siuè anima esset absolutè omnia.

Non inquam, hoc dicas; nam Aristoteles docuit, animā, esse quodammodò omnia; quia Anima, est omnia alia à se formaliter tantum, non autem in modo essendi naturali, vel quia anima, siuè intellectus noster, est alia à se per similitudinem formalem, non autem per identitatē formalem; & ratio huius est: quia anima rationalis, siuè intellectus humanus, prout est in corpore, est pura potentia in genere intelligibilis, & intelligit alia à se per species intelligibiles per abstractionem à materia indiuiduali.

Obiicies primò; forma, siuè species intelligibilis, est principium formale, & immediatum actus intellectionis, sicut calor, est principium formale, & proximum calefactionis; sed hoc posito implicat speciem intelligibilem. v. g. substantiæ esse similitudinem formalem substantiæ; quoniam similitudo formalis substantiæ creatæ, est substantia formaliter; at substantia creata formaliter, non est immediatè operatiua; ergo species intelligibilis substantiæ formaliter, posito quod ea sit substantia creata formaliter, non potest esse immediatè operatiua, & consequenter, non potest esse species intelligibilis substantiæ creatæ formaliter principium immediatum, & proximum actus intellectionis.

Hoc argumentum torquet ingenia multorum Thomistarum, asserentium speciem intelligibilem obiecti immediati, & formalis esse suum obiectum immediatum formaliter, vel per identitatem formalem, vel per formalem similitudinem.

Respondebam olim huic argumento dupliciter; primò quidem dicebam, quod substantia creata in esse naturali, non est immediatè operatiua; concedebam verò eam esse immediatè operatiuam in esse intelligibili; & ratio disparitatis erat; quoniam substantia in esse naturę agendo, cōmunicat esse suum in esse naturę per actionem, & cùm immediatus terminus actionis cum actione identificetur, si immediatè communicaret suum esse, sua actio esset substantia, quod in creaturis, est impossibile; in esse autem intelligibili substantia non est communicatiua esse naturalis, sed solum agendo, facit sui perceptionem, siuè apprehensionem, ex quo, non sequitur consubstantialitas actionis in esse naturali, siuè impossibilitas assignata.

Secundò respondebam eodem modo, concedendo substantiam in esse naturali, non immediatè operatiuam; negabam verò substantiam formaliter in esse intelligibili esse immediatè operatiuam, & assignabam aliam disparitatem; dicebā enim speciem intelligibilem substantiæ creatæ in intellectu eam intelligente, dupliciter posse considerari; vno modo absolutè; alio modo quatenus, est principium coefficiens cum intellectu; vel sub alijs terminis: vno modo posse considerari præcisè secundum suum esse intrinsecum, alio modo quatenùs imbibitam in potentia cognitiua; & è contra, intellectum, vt imbibitum in specie intelligibili; etenim ex intellectu, & intelligibili fit magis vnum, quam ex materia, & forma: nam materia, non fit forma; intellectus verò fit ipsum intelligibile immediatū formaliter, nimirū, vnū imbibitū in alio: & è conuerso; hac posita distinctione dicebam, quod species intelligibilis substantiæ formaliter, vt imbibita in potentia intellectiua, est principium formale actus intellectionis, non autem secundum suum esse intrinsecum præcisè. Secundum suum esse intrinsecum præcisè, non est principium immediatum, & formale actus intellectionis, sed fundamentaliter; & radicaliter, sicut substantia creata, sua essentia, non est potens formaliter, & proximè: sed tantum radicaliter; vt imbibita verò in potentia intellectiua, vel vt comprincipium intellectionis cum intellectu, est principium actus intellectionis, & sic non est immediatè operatiua, sed tantum media potentia intellectiua, vt imbibita in ipsa specie intelligibili, & quatenùs ipsa species intelligibilis, est imbibita in potentia intellectiua, & hoc quidem mihi videbatur valdè rationabile: quoniam intellectus, non potest actu intelligere, nisi fiat actu in priori naturæ suum intelligibile immediatum formaliter quia fieri debet actu principium cogno-



Digitized by Google

ſcendi obiectum formaliter: & è contra, ſpecies intelligibilis, neque poteſt fieri, aut eſſe principium formale intellectionis, niſi fiat ipſe intellectus in actu.

Sed re maturius conſiderata, neutra reſponſio arridet.

Non prima; nam etiam ſi ſpecies intelligibilis, non eſt communicatiua ſuæ quidditatis, vel quia ſpecies intuitiua, nõ eſt principium producẽdi ſpeciem expreſſam, vel ob aliquam aliam rationẽ; tamẽ eſt productiua actionis intelligendi, quæ in creatis, eſt accidens; at implicat ſubſtantiam intelligibilem eſſe operatiuam immediatè actionis, quæ eſt accidens; implicat enim ſubſtantiam, vt intelligibilẽ, ſpecificari ab accidente; ob hanc ipſam rationem, vt ſuo loco dicetur: ſubſtantia creata naturalis, non poteſt eſſe immediatè operatiua. Hæc impoſſibilitas ſequeretur, ſi ſpecies intelligibilis immediata ſubſtantiæ creatę eſſet ſimilitudo naturalis ſubſtantię creatæ ad extra; nam eſſet immediatè operatiua intellectionis creatæ, quæ eſt formaliter accidens, quod eſt ſpeciale prædicamentum accidentis; proculdubio ſi ſpecies intelligibilis immediatè erit accidentis, non eſt denegandũ, illam eſſe immediatè operatiuam, ſicut accidens in eſſe naturali, eſt immediatè operatiuum.

Neque ſecunda reſponſio arridet; quoniam, ſpecies intelligibilis, eſt ſimilitudo ex parte obiecti, non autem ex parte potentiæ intellectiuæ; hæc autem debet compleri complemento ſui generis, quod eſt complementum etiam obiectiuũ, ſicut intellectus, quatenùs eſt potentia debet compleri complemento in genere potentiæ; & in allata reſponſione ponitur, ſpeciem intelligibilem compleri in ſuo genere complemento diuerſi generis, quia ponitur compleri per potentiam intellectiuam, quæ eſt potentia naturalis.

Reſpondeo, quantum nunc video, dupliciter, primò dico, quod ſpecies intelligibilis ſubſtantiæ, de qua eſt difficultas, eſt principium formale actus intellectionis, non immediatum, ſed mediatũ; nimirùm media potentia accidentali, intelligibili, quæ fluit ab eius eſſentia, ſiuè quidditate, ſicut potentia actiua naturalis in ſubſtantia creata naturali fluit ab eius quidditate, vt potentia intellectiua in anima fluit ab eius quidditate, ſecundum quod, eſt ſubſtantia intellectiua limitata ad genus ſubſtantiæ naturalis.

Quod ſi dicas, intellectionem ſequi formam intelligibilem, ſicut eſſe naturale ſequitur formam naturalem; etenim intelligere, eſt eſſe intellectus, vt eſt in actu per formam intelligibilem; ſed eſſe, immediatè ſequitur formam naturalem; ergo &c.

Reſpondeo, nego maiorem abſolutè; nam intelligere eſt eſſe vitale intellectus, prout eſt intelligibile actu in genere agentis, non autem in genere entis intelligibilis; eſſe verò, quod ſequitur immediatè formã naturalem, eſt eſſe in genere entis.

Secundò reſpondeo ad principale, quod ſpecies intelligibilis ſubſtantiæ, eſt principium formale immediatum actus intelligendi, qui eſt accidens; hoc autem non poteſt dici de ſubſtantia creata in eſſe naturæ; diſparitas eſt, quia idem eſt principium cognoſcendi formaliter, & principium eſſendi; at non eſt idem principium eſſendi formaliter, & agendi in eſſe naturali; modus enim eſſendi naturalis, eſt modus contractiuus, cum ſit modus, quo eſſentia reſtringitur, & exiſtit in ſua propria natura tantum; modus verò eſſendi intelligibilis, eſt vniuerſalior, ac proindè in modo eſſendi intelligibili adunantur principium eſſendi formaliter, & principium agendi in vnum; in eſſe verò naturali diuiduntur, quod patet ex hoc; quia in eſſe intelligibili conueniunt quidditates diuerſæ in eodem intellectu: in eſſe verò naturali diuiduntur, & contrarięt atem habent.

Neque huic doctrinæ obſtat, ſi dicas, quod ſubſtantiá intelligibilis, cum ſit ſubſtantia formaliter, non poteſt ſpecificari ab intelligere creato, quod eſt accidens: ſed principium formale, & proximum, ſiuè immediatum intelligendi, ſpecificatur ab intelligere, ſicut potentia accidentalis ſpecificatur ab actione, quę eſt accidens; omnis enim potentia ſpecificatur à ſuo actu.

Non inquam obſtat; primò, quoniã ſubſtantia intelligibilis, quæ eſt ſpecies intelligibilis ſubſtantiæ creatæ; cum ſit in modo eſſendi vniuerſaliori, ſpecificatur ſecundum rationem vniuerſaliorem actus, qui eſt actu intelligibis, vt ſic, non in quantum, eſt operatio accidentalis; quoniã actus primus entis intelligibilis adunat in ſe quidditatem in eſſendo, & quidditatem in agendo, vt ſupra diximus. Secundò, quia intelligere, eſt actus per ſe primò intellectus, qui eſt actus vitalis, qui eſt per ſe primò a potentia vitali; ſpecies intelli-

gibi-

gibilis substantiæ creatæ, non potest specificari ab actu vitali, cum ipsa non sit vitalis; sed specificatur secundum rationē intelligibilē substantiæ,& accidentis,scilicet, quæ est vna species entis; sed de hac difficultate redibit, fermo in articulo sequente.

Instabis, hęc doctrina contraria est doctrinæ S. Thomæ; nam supponit formam intelligibilem substantiæ creatę,esse repræsentatiuam in essendo, & non solū in cognoscendo; at S. Thomas *in q. 4. de Verit.art.4.ad 2. & q.8.art.1.* dicit, quod in omni cognitione, quæ est per similitudinem, est species similis suo obiecto, secundum repræsentationem, & non in essendo, & ratio huius esse potest; quia similitudo in essendo, est similitudo in esse naturali; ergo &c.

Respondeo ex dictis, quod duplex est genus entis in essendo; aliud intelligibile, & aliud naturale; nam ens intelligibile, adunat in vno modo essendi ens essentiæ, & existentiæ formaliter, & ens in repræsentando, & aliud est ens in essendo,cùm S.Thomas locis citatis inquit,quod species intelligibilis, est repræsentatiua, siuè est similitudo in repræsentando, non in essendo; distinguit similitudinem in repræsentando à similitudine naturali, quæ est in esse naturæ; non autem à similitudine,quę in genere entis intelligibilis,quod sub vno genere conprehendit formaliter, & essentiam, & existentiam obiecti ad extra; nimirum fine modo naturali essendi, & etiā essentiam eiusdem entis, in repræsentando.

Obijcies secundò, species intelligibilis simpliciter, est quid ignobilius suo obiecto immediato,& ratio, est primùm; quia species, est effectus obiecti in diuerso modo essendi; deinde à priore; quia mensuratur ab obiecto suo immediato; mensura verò,sicut & causa in eo quod mensura, & causa formaliter, nobilior est; loquor in ratione repræsētatiui; nam entitatiuè;quādoquè species nobilior est obiecto, vt est species in intellectu repræsentatiua albedinis, quia hæc spiritualis est, & quod repræsentatur, est obiectum materiale; at verò similitudo formalis in esse obiecti formaliter excludit hanc minoritatem, & maioritatem.g. &c.

Respondeo ex dictis, quod species intelligibilis, est mensurata,& est effectus, quatenùs respicit obiectum extra se, non quatenùs est ipsum obiectum intra: respectu enim diuersorum;non inconuenit vtrūque ei quoddammodò conuenire, & probatur ex dictis; quoniam species intelligibilis, est formaliter suum obiectum immediatum; sed in modo essendi intelligibili,& estò istæ duæ rationes mensurati, & mensuræ, effectus,& causæ, essent species diuersę, essent tamen tales rationes extraneę siuè accidentales speciei intelligibili formaliter;vni autem rationi formali,possunt accidere multę aliæ rationes formales,quę sint illi accidentales.

Obiicies tertiò,multa repræsentantur in specie sensibili, & etiam in specie intelligibili, vt,v.g.distantia, quantitas,& similia, in ipsa specie sunt virtualiter, non formaliter; at si species intelligibilis, vel sensibilis, vt repræsentatiua, esset similitudo formalis sui obiecti formaliter, vel esset suum obiectum immediatum formaliter; hæc omnia prædicata deberent esse formaliter in specie; quia similitudo formalis est similitudo ad minus quātum ad formalia prædicata.

Respondeo quod, hoc argumento torquētur ingenia multorum; sed ex dictis facillimè soluitur distinctione, nimirum, quantitatem, distantiam, & simillia accidentia, quatenùs sunt prædicata obiecti immediati formaliter, esse in specie visibili, & in specie intelligibili formaliter; non in esse naturę; sed in esse intentionali, siuè repræsentatiuo, vt sunt in speculo, in quo per speciem repręsentantur distantia obiecti, quantitas, & similia &c. & ratio à priori est: quoniam quantitas formaliter est principium primū extensionis distantiæ,& aliorum,quatenùs est in esse naturali,non autem in quantum est quantitas formaliter, vt sic; at in specie, vel sensibili, vel intelligibili,reperitur quantitas,quantum ad suam rationem formalem præcisè, non autem quantum ad modum essendi naturalem; quia species intelligibilis,est similitudo sui obiecti formaliter, idest quantūm ad sua prædicata formalia præcisè.

Obiicies quartò; species intelligibilis distincta à suo obiecto, est causa instrumentalis naturalis sui obiecti immediati, & primarii: sed vniuersalitet nullum instrumentum naturale potest esse similitudo formalis suæ causæ principalis, sed solum similitudo virtualis; ergo nulla species intelligibilis distincta à suo obiecto immediato potest esse similitudo formalis, sed solum virtualis sui obiecti immediati formaliter; maior in qua est difficultas; probatur primò, quoniam species intelligibilis

bilis concurrendo cum intellectu ad actu intellectionis, siuè concursu effectiuo, siuè concursu formali, subordinatur suo obiecto immediato, & primario; sed in hoc consistit quidditas causæ instrumentalis; maior probatur, quia concurrit, vt similitudo sui obiecti; per hoc autem essentialiter subordinatur suo obiecto formali, & primario, & distinguitur a causa principali obiectiua; causa enim principalis obiectiua, absque vlla subordinatione ad priorem causam concurrit concursu sui generis; exempla sunt clara; vt calor ignis est instrumentum ignis ad alium ignem producendum; quia est productiuus ignis, vt virtus ignis præexistentis, & producentis &c.

Secundò, probatur maior principalis, nam species intelligibilis supplet in intellectu cognoscente locum sui obiecti immediati, & formalis; scilicet, supplet carentiam obiecti intra potentiam cognitiuam; existente enim obiecto intra potentiam, vt perfectiuum in suo perfectibili, non est indigentia obiecti in potentia cognoscente, vt contingit in Angelo cognoscente seipsum per suam essentiam vnitã suo intellectui, vt forma intelligibilis; sed per hoc prædicatum, forma intelligibilis, est instrumentum sui obiecti immediati, & primarij; probat hoc *Marcus Ant. Palum.* sequens opinionē dicentiū speciē intelligibilē esse similitudinē virtualem tantummodò sui obiecti immediati, & primarij *Exam. 2. super q. 12. p. p. S. Thomæ cap. 2. Not. 5.* hoc discursu supplere locum alterius, tria habet. Primum est, quod secundariò, non primariò, consequenter, non antecedenter concurrit; ratio, inquit, est euidens; quia est in supplementum alterius. Secundum est, quod quando adest principale concurrens, per se loquendo, nõ habet locum illud, quod est in supplemẽtum principalis, ob eandem rationem. Tertium est, quod si impossibile sit, quod nõ concurrat illud, quod est principale; impossibile est, quod detur agens secundarium; quia agens secundarium, est in supplementum possibile; sed impossibile est, quin sit agens principale, ergo impossibile est supplementum dari; ergo agens, quod sit in supplementum impossibile, implicat, quia nihil reale specificatur ab impossibili; esset enim reale, & simul non reale.

Respondeo, nego maiorem; species enim intelligibilis concurrit ad actum intellectionis, inquãtum est formaliter obiectum immediatum, quod intelligitur formaliter; at obiectum immediatum formaliter, est causa principalis; quia obiectum immediatum formaliter, est quidditas, seu essentia obiecti; essentia autem, siuè quidditas, est causa principalis, quia est prima in re radix, nimirum, prima omnium, quæ sunt in re, in qua ipsa est per se, vt declarat *Arist. 1. Phy.* definiens naturam; primum autem in vnoquoque, semper est causa principalis, & non instrumentalis. Ad primam probationem maioris, qua dicitur: speciem intelligibilem concurrere, vt similitudinem sui obiecti immediati, & primarij. Respondeo primò, distinguo maiorem, concurrit, vt similitudo formalis (loquor de specie intelligibili distincta) sui obiecti immediati, & primarij concedo; vt similitudo virtualis sui obiecti, & nego; similitudo autem formalis sui obiecti immediati formaliter, non concurrit cum subordinatione in essendo, & in operando ad obiectum sui formaliter; quia similitudo formalis obiecti formaliter, est ipsum obiectum formaliter, non quidem per identitatem formalem; quia non esset similitudo, sed identitas; sed per similitudinem formalem; obiectum autem formaliter, siuè per idẽtitatem formalem, siuè per formalem similitudinem, est causa principalis, vt diximus; neque verum est, quod similitudo formalis obiecti immediati formaliter cõcurrat ad actum intelligendi suo modo, vt virtus obiecti; sed vt ipsum obiectum formaliter, non in modo essendi extra; sed in modo essendi intentionali, siuè cognoscibili intra intellectum cognoscentem.

Responderi potest secundò ad eandē probationem, quod species intelligibilis concurrit suo modo cum intellectu ad actum intelligendi, in quantum est vnum formaliter, & actu cum suo obiecto immediato, & primario; etenim, vt docet S. Thomas *C. Gentes lib. 3. cap. 49.* species intelligibilis oportet, vt sit eiusdem speciei cum suo obiecto, vel magis species eius, scilicet essentia, siuè natura obiecti formaliter, & ratio est; quia species intelligibilis formaliter, est suũ obiectũ immediatum formaliter, sed in modo essendi intentionali, modo à nobis sępius explicato, & probato.

Neque obstat subtilis doctrina *Marci Antonij Pal.*, quod species intelligibilis supplet locum obiecti formaliter; supplere verò locum, habere tria supra explicata, nimirum, quod secundariò non primariò, con-

consequenter, non antecedenter &c. primò, quia supplere locum alterius, contingit dupliciter; primò, vt virtus alterius, quod in re nostra importat speciem intelligibilem concurrere, vt similitudinem virtualem sui obiecti immediati. Secundò, quia species intelligibilis, est ipsum suum obiectum immediatum formaliter, idest quantum ad suum formale præcisè, in modo essendi intentionali intra potentiam; quod supplet locum alterius primo modo, habet illa tria, quæ enumerat *Palum. loc. sup. cit.* non verò, quod supplet locum alterius secundo modo, & ratio est euidens; quia supplet species intelligibilis locum sui obiecti immediati, in quantum, est ipsummet obiectum immediatum formaliter, per similitudinem formaliter; sed in alio essendi modo intētionali intra potentiam; ipsum verò obiectum formaliter concurrit primariò, non secundariò, antecedenter, non consequenter, quia in modo essendi intentionali, est ipsa quidditas obiecti, per omnimodam similitudinem formalem; cum verò dicit idem *Palum. 2.* quod quando adest principale concurrens per se loquendo, non habet locum illud, quod est in supplementum principalis; cui addo minorem; sed obiectum principale, quod est extra potentiā cognoscentem, non potest adesse, vt forma intelligibilis intellectui alterius, sicut docet S. Thomas de essentia vnius Angeli, quæ non potest esse forma intelligibilis in intellectu alterius, quia est limitata ad genus, speciem, & indiuiduum determinatum; ergo &c.

Respondeo, cum S. Thoma in disputatis *qu. vnica de scientia Dei, art. 2. in corp. circa initium*, vbi docet Angelicus Doctor, quod perfectio vnius rei, in alia esse non potest, nimirum, quidditas obiecti extra cognoscentem, non potest esse forma intelligibilis sui in intellectu alterius; quia est diuisa, & determinata ad rationem formę naturalis, siuè naturæ, per modum essendi naturalem, quo est in se, & extra intellectum; & ideo ad hoc, quod nata sit esse formaliter in potentia cognoscente, oportet eam esse absque his, quæ nata sunt, eam determinare: & ratio huius esse potest, quia essentia rei præcisa à modo essendi naturali diuisibilis est in quidditatem naturalem, & intelligibilem. Cum deniquè tertiò dicit, quod si impossibile est, quod non concurrat illud, quod est principale, impossibile est quod detur aliud supplens locum principalis; Addo minorem; sed obiectum extra creatum, sua quidditate, non potest esse forma intelligibilis intellectus alterius illud intelligentis; ergo &c. Respondeo, quod obiectum ad extra, impossibile est, quod concurrat, non defectu naturæ eius, secūdum se, sed propter modum essendi naturalem, quo determinatur ad ens naturale; & consequenter ad genus, speciem, & indiuiduum determinatum entis naturalis; & ideo, vt docet *loc. cit.* S. Thomas ad hoc quod natura obiecti extra, nata sit esse sua forma intelligibilis in intellectu alterius, oportet eam denudare ab his, quæ nata sunt eam determinare, & hoc modo natura obiecti fit forma intelligibilis; quia forma intelligibilis, est similitudo sui obiecti præcisè quantum ad sua formalia, & essentialia prædicata; sed in modo essendi intentionali, qui est modus essendi, per abstractionem à modo essendi naturali.

Hanc acutissimam doctrinam Arist. & S. Thomæ, quidam Recentior redarguit primò, absurdo dicens, quod si species intelligibilis esset similitudo formalis sui obiecti immediati, nimirum esset eiusdem speciei athomæ, cum suo obiecto immediato, vel potius illius essentia, seù quidditas Angeli intellectus, erit formalissimè Asinus, Bos, Porcus, &c. nam Angelus habet in se perfectissimas species intelligibiles de prædictis; esset etiam, inquit Angelus, stabulum: dum enim cognoscit stabulum, fit formalissimè stabulū, quod est magis vnum, quam ex materia, & forma, quæ, inquit, non tantum Theologo, & Philosopho; sed etiam homine indigna sunt.

Secundò ratione; nam, inquit, homo potest manere, licet non cognoscatur ab Angelo, & potest cognosci, licet non sit; ergo species intelligibilis hominis, nō est quidditas hominis; nihil enim, inquit, potest manere sine sua quidditate; lege *Ariagam disp. 4. de Ani. sect. 3. nu. 118.*

Respondeo, hæc omnia absurda forè, si species intelligibilis esset similitudo formalis sui obiecti in esse naturali, sicut absurdissimum, immò impossibile omninò esset, si diceretur, Deum esse omne ens creatum, & creabile formaliter, vel si diceretur Deus perfectio omnium creaturarum in esse formali; at non est absurdum, quod species intelligibilis ponitur ab Aristotele, & à S. Thoma, quidditas sui obiecti immediati, & formalis in esse intelligibili, qui est modus essendi per abstractio-

ctionem à materia; neque absurdum est, quod Angelus habens in suo intellectu species intelligibiles Leonis, Aequi, Serpentis &c; dicatur in esse intelligibili, esse Leonem, Aequi &c; quia species intelligibilis, est quidditas solum obiectorum, præscindendo ab imperfectionibus, quæ consequuntur modum essendi naturalem eorumde, at si hoc verū foret non potest esse eminēter, siuè virtualiter equus &c.

Eandem S. Thomæ doctrinam impugnat Vasquez *disp. 43. cap. 7. in p. 1. S. Thomæ* dicens, non esse necessarium speciem intelligibilem, esse similitudinem formalem sui obiecti immediati, & primarij; quod probat exemplo luminis gloriæ, quod præstat munus speciei intelligibilis ad videndum Deum in se ipso; & tamen lumen gloriæ, non est similitudo formalis Dei in seipso: neque, est quidditas Dei in alio essendi modo intentionali; assumptum principale probat; quia lumen gloriæ determinat intellectum Beati ad videndum Deum in seipso; sed hęc inquit, est conditio speciei intelligibilis; ergo, &c.

Respondeo negando assumptum; ad probationem respondeo, lumen gloriæ determinare intellectum beati intra rationē formalem potentiæ; non autem in genere obiecti; at species intelligibilis determinat intellectum constituendo illum in genere obiecti intelligibilis, quæ sunt determinationes diuersi generis; sicut contingit in habitibus, qui determinant potentiam intellectiuam ad determinatum obiectum, sed ex parte potentiæ; & tamen præter habitus ponitur obiectum, vel eius species intelligibilis, quæ est determinatio potentiæ in genere intelligibilis, & radix huius doctrinæ est, quoniam potentia cognitiua, non solum, est ipsa sed etiam nata est, esse alia à se formaliter: nimirum quantum ad eorum prædicata formalia præcisè; quoniam est immaterialis; nec mirum si Vasq. hoc dicat!, quia fortè negat necessarias esse species intelligibiles ex parte obiecti, concedens tantummodò necessarias esse species intelligibiles ex parte potentiæ, de qua distinctione fusè discurrit Angelicus Doctor *p. p. q. 12. art. 2. in corpore*. Hęc opinio habet originem ex eo quia Authores illius confundunt determinationem ex parte potentiæ, cum determinatione ex parte obiecti; sed absquè subsistente fundamento, ad quod explicandum affertur exemplū, non ineptū in naturalibus, non solū de habitibus scientificis, vt supra; sed etiā de materia prima, quę pręter determinationē accidentalē ad determinatā formā specificam, habet aliam, quæ est ipsamet forma specifica substantialis; nam materia prima siccitate, & caliditate determinatur ad recipiendam in se formam ignis; & hæc determinatio, est in specie potentię, non autem in genere, & speciē substantiæ, quę, est genus primum prædicamentale; per formam verò ignis determinatur, & ponitur in specie intra genus prædicamenti substantiæ.

Obiicies quintò: si species intelligibilis esset formaliter suum obiectum immediatum; Angeli essentia, non esset absolutè, & simpliciter immultiplicabilis numero intra eandem speciem: sed consequens, est contra S. Thomam, ergo &c: sequela probatur; nam species intelligibilis. v. g. essentia Gabrielis, multiplicatur solo numero in intellectibus animarum separatarum; at si species intelligibilis essentię Angeli Gabrielis, esset ipsa essentia Angeli Gabrielis in modo essendi intelligibili formaliter, nō esset multiplicabilis, solo numero; dico in intellectibus animarum separatorum, quoniam in animabus separatis species intelligibiles etiam infusę, sunt species particulares, non vniuersales in actu, sicut sunt species intelligibiles in Angelis.

Hoc argumentum aliquibus, quibus illud proposui, visum est demonstratiuum; sed decepti sunt, quandoquidem iuxta opinionem Angelici Doctoris, vt alibi ostendimus: essentia Angeli in modo essendi naturali, est simpliciter, & absolutè immultiplicabilis numero intra eandem speciem; non verò formaliter, & secundum se; & disparitas est, quoniam multiplicatio indiuidualis intra eandem speciem, oritur ex diuisione indiuiduali materiæ, siuè obiecti; in modo essendi naturali, Angeli essentia nullo pacto est receptibilis in materia diuisa indiuidualiter; quia hæc, est omninò impossibilis; esset enim ea materia spiritualis; hęc autem implicat contradictionē quia materia prima, est essentialiter potentia formalis, vt suo loco probabitur; essentia verò Angeli secundum se, & formaliter, cum sit ratio intelligibilis, est receptibilis intrinsicè cum sui diuisione in pluribus potentiis solo numero distinctis, puta in animabus separatis, &c; & sic diuisibilis est solo numero.

Secunda conclusio; species intelligibilis, vt distincta à suo obiecto immediato, non necessariò est imago; conclusio fundatur in doctrina S. Thomæ, & ferè omnium

nium theologorum, asserentium, non omnes species intelligibiles causari à suis obiectis immediatis in creaturis intellectualibus; sed in Angelis causari à Deo, vt à primo intelligibili influxu intelligibili, simul cum creatione Angelorum; in animabus verò nostris in statu vnionis cum corpore, causari à suis obiectis, medijs speciebus sensibilibus. Ex his, species intelligibilis, quæ causatur à suis obiectis, vel immediatè, vel mediatè, inuoluunt rationem imaginis, vt sunt species intelligibiles in animabus nostris, suis vnitis corporibus species verò intelligibiles in Angelis, sunt quidē similitudines formales suorum obiectorū formaliū, & immediatorum; sed non imagines eorundem; fundamentum est: nam imago, est similitudo formalis expressa à suo exēplari; sed non omnis species intelligibilis distincta à suo obiecto, est ab eo causata influxu intelligibili, vt sunt species intelligiles in Angelis de similitudine, & imagine paucis sed doctè satis discurrit Angelicus Doctor. *p.1.q. 35. art.1. & 2.* sequens S. Augustinum *in libris. 83. quæstionum*, qui dicit, quod vnum ouum non est imago alterius; quia ad rationē imaginis requiritur, quod ex alio procedat simile ei in specie, vel saltem in signo speciei; signū autem in rebus corporeis maximè videtur esse figura; videmus enim, inquit S. Thomas, quod diuersorum animalium secundum speciem, sunt diuersæ figuræ, non diuersi colores, ac proindè si depingatur color alicuius animalis in pariete, non dicitur esse imago illius, nisi depingatur figura eiusdem; at vnum ouum non est imago alterius; quia non est de illo expressum; ratio cur hæc sit quidditas, seu essentia imaginis sumitur ab eius etimologia, siue deriuatione vocabuli; dicitur enim imago, quasi imitago, at imitatio, est exemplati ad suum exemplar; exēplatum enim formatur ad similitudinem, sui exemplaris



## ARTICVLVS QVINTVS

### Vtrum species intelligibilis ex suo genere debeat coefficere, vel efficiendo influere in actum intellectionis.

HIc Articulus valdè controuersus est; plures, & docti Scolastici quos citat sed reijcit *Hyer. Fasol.* 1 *tomo in p.1.S.Thomæ.q. 12. art. 2. dubit. 1. nu.2.* sequitur verò eos *Marcus Antonius Palam. in 2. exam. Scolas. in p. 1.S. thomæ super dictam q.12.cap.4.* asserunt speciem intelligibilem nullo modo habere concursum effectiuum, aut coeffectiuum ad actum intellectionis; sed solum habere concursum formalem, nimirum determinare intellectum ad actum intellectionis circa determinatum obiectum, ad eum modum, quo ferrum determinatur per figuram, vt possit scindere, cum tamen figura nullam habeat efficientiam.

Fundamentum præcipuum huius opinionis est hoc; species intelligibilis, est ad determinandam potentiam; sed sufficienter intelligitur determinatio sine efficientia; satis enim est determinatio formalis, & probatur ad hominem; materia enim prima per dispositiones determinatas in specie, fit apta ad recipiendam formam determinatę speciei; per dispositiones verò determinatas numero, fit apta ad recipiendam formam determinatam in indiuiduo.

Quod si dicas, speciem intelligibilem esse formā complentem potentiam actiuā; quia complet intellectum, qui est potentia actiua; omnis autem forma est principium agendi, quia est actus primus.

Statim dicent; quod forma ex suo genere præscindit à principio formali, & à principio effectiuo; nam figura, forma quædam est, & tamen determinat serram ad secandum, nullam habens efficientiam; & habitus determinant potentias actiuas sine vlla efficientia; sed solum informando potentiam, vt est probatorum Doctorum opinio, & comprobatur hoc principiū; nam determinatio formalis abstrahit negatiuè; à determinatione formali sine vlla efficientia in actu potentię, existente autem genere præscidente formaliter

liter, datur contrahibilitas, & diuisibilitas per oppositas differentias; ergo datur determinatio formalis, determinans tantum formaliter sine efficientia, & datur determinatio formalis cum efficientia in actum potentiæ, sed determinatio præcisè formalis sine efficientia, sufficit ad speciem intelligibilem; quia species intelligibilis, est similitudo obiecti, non potentiæ actiuæ; at si species intelligibilis præter concursũ formalem per determinationem, haberet etiam concursum effectiuum, vel coeffectiuum esset similitudo ex parte potentiæ, seu in ratione potentiæ, quia potentia, est actiua; obiectum autem ex suo genere, non iterum.

Adde ad hoc, aliud fundamentum, si species intelligibilis, non coefficiat, melius saluatur actiuitas potentiæ cognitiuæ; ergo sic dicendum est; probatur discursus; quia potentia cognitiua cùm sit vitalis debet adæquatè se mouere ab intrinseco; similitudo autem obiecti, non est principium intrinsecum vitæ; ergo, non coefficiendo species intelligibilis, melius saluatur actiuitas potentiæ cognitiuæ.

Alij ferè omnes, tam antiqui, quàm moderni, quos citat, & sequitur *Fasol. loc. cit.* sentiunt, esse necessarium, vt species intelligibilis, potentiam cognoscitiuam determinet, non solum formaliter, sed etiã tamquam determinatum comprincipium effectiuum, coagendo simul cùm potentia cognoscitiua ad producendam actualẽ cognitionem immediatè illius obiecti, cuius est species intelligibilis, & ratio huius hæc assignatur; quia species intelligibilis, est effectiua circa illud tantum obiectum, cuius est species: vel circa alia, quæ sunt intra suum obiectum, non circa aliud cuius non est species: potentia verò intellectiua, est effectiua, & circa hoc, & circa aliud obiectum.

Hanc opinionem probant primò authoritate S. Augustini *lib. 9. de Trin. cap. 12. ante medium* ab obiecto enim, inquit Augustinus, & potentia, originatur, siuè paritur cognitio.

Secundò authoritate S. Thomæ *p. p. q. 56. art. 1.* vbi S. Doctor docet speciem intelligibilẽ esse principiũ formale actionis immanentis, sicut calor est principiũ formale calefactionis, circa quod doctè discurrit Caiet.: eandem etiam doctrinam repetit S. Thomas *lib. 1. C. G. cap. 53.* quam sequitur, & explicat Ferrariensis & alijs in locis.

Sed ab his authoritatibus facilè se expediunt Authores contrariæ sententiæ; & primò ab authoritate S. August. dicunt enim, quod 'y originatur, vel paritur, in verbis Sancti Augustini, potest intelligi, vel in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis: pariter, esse principium formale actionis immanentis, potest explicari, & intelligi, vel in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis, & potest dari manifesta instantia ad hominem. Angelus cognoscit materialia, & tamen cognitio intellectus Angelici efficienter, non est ab obiecto, quia species non fit ab obiecto, contra Scotum; sed infunditur à Deo ad repræsentandum suum obiectum; hæc autem repræsentatio in specie, est in genere causæ formalis. Secundò ab argumento S. Thomæ *p. p. q. 56. art. 1.* vbi docet speciem intelligibilem esse principium formale actionis immanentis, sicut calor, est principium formale calefactionis; sed calor est principiũ formale calefactionis effectiuum; dicitur enim calor, principium formale calefactionis, non quia determinat tantùm formaliter agens ad producendum actum calefactionis; sed quia est principium formale, quo agens est formaliter potens efficere actum calefactionis, sicut anima per potentiam intellectiuam, est formaliter potens producere intellectionem.

Ab hoc argumento facilè se expediunt Authores contrariæ sententiæ, dicendo, quod est æquiuocatio in vocabulo efficientiæ; aliud enim est efficere, idest, influere; aliud verò est se habere efficienter, vel complere causam efficientem: sine dubio species, in doctrina Aristotelis, & S. Thomæ, quæ est doctrina communior, se tenet ex parte obiecti, quod non potest concurrere effectiuè cum intellectu ad actum intellectionis; quia non complet potentiam intellectiuam in ratione potentiæ, quæ est actiua: indè si quandoque S. Thomas, ita loquitur; quod species se habeat efficienter, vel quod species intelligibilis habeat se, sicut calor.

Hæc est manifesta explicatio, quod potenta non efficeret suam operationem, nisi esset determinata formaliter à specie, quemadmodum doctrina communis est de concursu Ideæ, siuè causæ idealis, qui formalis dicitur, quia est concursus tantùm obiectiuus, dicitur verò obiectum concurrere ad intellectionem, vel esse principium formale intellectionis, quia complet determinando intellectum ad producendum actum intellectionis, sicut idea deter-

determinat intellectum artificis, & figura determinat ferrum ad actum scindendi.

Quod si dicas, speciem intelligibilē secundum communem opinionem, vt respondet *Fasol. loc. sup. cit. n. 2. circa finem*, non esse id, quod cognoscitur, sicut est Idea, sed tantum est id, quo cognoscitur aliud; & hanc esse disparitatem cur Idea habet tantùm concursum formalem per determinationem ad opus artificis efficiēdum; quia obiectum determinat tantùm agens artificiale; species verò intelligibilis se habet vt forma, cum sit id quo; omnis autem forma, est principium agendi: nam vnumquodque agit inquantum est actu, est verò actu per formam.

Retorquere possum statim argumentum; nam species intelligibilis concurrit ad actum intellectionis, vt similitudo sui obiecti immediati; sed obiectum ipsum formaliter non concurrit, vt principium coefficiens actum intellectionis, quia obiectum est, sicut idea; idea autem ad hominem, seipsa præcisè concurrit determinando potentiam ad opus externum; nam Idea, dicitur determinare artificem, ad hominem; quia est id, quod respiciens artifex operatur.

Quod hæc sit mens S. Thomę, & Caietani inquiūt, patet ex eo; quia eodem modo loquitur S. Thomas de obiecto in cognitione Angelorum, dum Angeli formant verbum mentis; & tamen in doctrina S. Thomæ, nihil efficit obiectum ad extra in intellectu Angeli: quia species cōgenitæ sunt Angelo.

Caietanus verò *in p. 1. comm. suo in artic. 1. q. 12.*, tradit hanc doctrinam; species, inquit, constituit intellectum intelligentis in actu primo, & etiam in actu secundo, vt forma informans; non quia sit actus secundus; sed quia comparatur ad actum secundum, vt forma respectu esse.

Contra hanc Caietani doctrinam insurgit Suarez, dicens, quod intelligere, est qualitas, & forma distincta à specie intelligibili, separabilis ab illa, itaut species intelligibilis possit conseruari, cū toto effectu formali absq; actuali cognitione. Prętera intellectus clarè cognoscens Deum, haberet ab essentia Diuina, quæ species est intelligibilis, effectum increatum, & diuinum; quippè essentia Diuina in hac opinione Caietani, esset actus primus, & actus secundus.

Sed statim dicere possunt Aduersarii, quod istæ impugnationes, mentem Caietani directè non attingunt. Primum quidem apud Caietanum asserere, quod intelligere, est qualitas, &c. est ponere id quod est in quæstione, & si Caietanum consulimus, opinatur hic Doctor cognoscere, nihil aliud esse, quam recipere speciem impressam; itaut quidquid superadditur, superfluum sit. Deindè his principijs suppositis, consequentia de effectu increato, non multum vrget; docet enim Caiet. receptionem essentiæ Diuinæ, vt species est, finitam esse; & vt alibi diximus forma increata, vt est in actu secundo, & vt actu communicatur, non implicat, vt sit terminus productionis, vt diximus de existentia, & subsistentia Verbi Diuini in Christo Domino; sed his hinc indè discussis ad intelligentiam sensus articuli, sequentibus conclusionibus explicabitur, quid sētiendum.

Prima conclusio, (directè respondēs articulo, vtrum scilicet concursus speciei, sit effectiuus an formalis,) concursus speciei intelligibilis in actum intellectionis, est effectiuus, & formalis: formalis inquam, inquantum determinat potentiam ad concursum determinatum in specie producendum, & maximè in doctrina S. Thomę docentis *p. 2. q. 1. art. 3. in corpore.* actionem, speciem sumere ab agente, quod etiam si ab aliquibus explicetur radicaliter, hoc sufficit, vt de specie intelligibili possit verificari concursus formalis; concursus verò effectiuus ex eo primò concluditur; quoniā cum intellectus, & species, nō sint duo, neque vnum tertium ex his resultans; sed vnum inbibitum in altero, in esse tamen intelligibili, adeout ex intellectu, & specie fiat magis vnū, quā ex materia, & forma; nō potest verificari concursus effectiuus de intellectu, quin, verificetur de specie intelligibili; alias facta vnione in esse intelligibili intellectus cum specie, posset assignari ratio vnum non esse alterum, & consequenter posset assignari ratio intellectum non fieri intelligibilē actu, vt actu cognoscat, & intelligat, quod est non solum contra Arestotilem, sed etiam contra veritatem; quandoquidem intellectus, non potest cognoscere suum obiectum immediatū & formale, nisi fiat principium cognoscendi formaliter obiectum: cognoscens enim obiectum formaliter est intellectus; hic autem non potest cognoscere obiectum formaliter, nisi intrisicè inbibat in se formale obiectum in ratione cognoscentis obiectum formaliter; cognitio enim obie-

cti formaliter est per formalia prædicata obiecti.

Secundò ostenditur à priori, cur species intelligibilis, sit adhuc principium effectiuum actionis intelligendi cum intellectu: quoniam intellectus in esse intelligibili, non est in potentia ad speciē, sed est potentia speciei: vnde cum nihil agat inquantum est potentia species, vt sic, intellectus non est actiuus: ergo est actiuus, quatenùs est actu species; ergo concursus speciei, est etiam actiuus; etenim ratio formalis constituens agens in ratione agentis, concursum habet effectiuum, ad minus, vt quo: & hæc est etiam opinio *Caiet. loco cit.* vbi dicit, quod etiam Diuina essentia vnita intellectui Beato, vt sui forma intelligibilis habet duplicem habitudinem ad intelligere, scilicet principij effectiui, & principij formalis; neque obstant verba sequentia, quæ subiungit Caietanus; sed melior, inquit, & potior est proportio formalis, quam actiua; quoniā intelligere, est veluti esse essentiæ, non illam actuans, sed intellectum; & ratio est: quoniam esse, adhuc fluit ab essentia, nimirum à forma, veluti à principio formali, sed actiuo, virtute nimirùm causæ efficientis; ly verò potior, vel melior significat priorem esse simpliciter, & absolutè, habitudinem principij formalis, quā principij effectiui. Confirmatur ratio; nam forma est actus, actus autem est actiuus; hac ratione etiam, inquit, Caietanus habitus actiuus est, exemplum autem de figura ad nihilum conducit, quia est speciei quantitatis, quæ non est actiua.

Secunda conclusio: species intelligibilis, (idem dico de omni alia specie sensibili,) est causa effectiua, siuè coeffectiua principalis in genere obiecti actus intellectionis, & non instrumentalis. Explicatur, duplex est causa effectiua, sicut principium effectiuum; alia est principalis, & alia est effectiua instrumentalis actionis, siuè productiuæ, siuè non productiuæ, v. g. in igne producente alium ignem causa principalis ignitionis, qua producitur alius ignis, est substantia ignis producentis; causa verò instrumētalis eiusdem ignitionis est calor ignis: in calore producente alium calorem, causa principalis calefactionis, qua producitur alius calor, est quidditas caloris; causa verò instrumentalis, est vis proxima, & immediata in calore existente, productiua calefactionis; in prima conclusione, dictum est speciem omnem intelligibilem, & sensibilem esse principium effectiuum, vel coeffectiuum actus cognitionis abstrahendo à principio effectiuo principali, & instrumentali; in hac secunda conclusione verò asserimus, speciem intelligibilem, & sensibilem esse principium obiectiuum effectiuum principale cognitionis, qua cognoscitur suum obiectum extra potentiam cognoscentem, & non instrumentalem; conclusio controuersa est; negant enim illam Suarez, & alij asserentes speciem intelligibilem, esse instrumentum sui obiecti immediati, & opinantur conclusionem esse in terminis S. Thomæ *p. p. q. 64. art. 1.* vbi speciem intelligibilem, dicit esse principium formale calefactionis; at calor est principium formale effectiuum instrumentale calefactionis, & non principale; quia inquiūt, calor est accidens; accidens autem, est causa instrumentalis; quia est causa subordinata essentialiter in esse, & operari suæ substantiæ, in qua existit; sed decipiuntur; quandoquidem calor quatenùs calefactiuus præcisè, & formaliter, est causa principalis, siuè principium effectiuum principale actus calefactionis, & nō causa instrumentalis; & fundamentum est; quia calor præcisè, qua calor est, sine vlla eleuatione, aut subordinatione habet vires primò, & per se ad producendum effectum sibi æqualem; hæc autem sola ratio est constituēdi causam principalem, vel aliis terminis, sed idem significātibus; causa principalis est, quæ virtute suę formæ causat suum effectum; causa verò instrumentalis est, quæ virtute causæ, cui subordinatur in causando operatur, & suum causat effectum; hæc enim diuersitas causandi constituit, & distinguit causam principalē à causa instrumentali; sed calor virtute suæ formæ, idest suæ quidditatis, siuè essentiæ est principium calefactionis, & caloris, qui producitur; nam calor, qua calor est, producit primò, & per se alium calorem: ergo &c.

Neque verò subordinatio, si adsit æqualitas effectus, principalitatem tollit; nam tolleretur è medio causæ principales creatæ, & facilè sequela ostenditur; quia omnia creata subordinata sūt enti increato, & primo principio productiuo; hæc tamen subordinatio, non tollit principalitatem à causis secundis, non subordinatis alijs creatis, in suo genere; quamquam Theologi ex hac subordinatione, præsertim Thomistæ, appellant quandoque causas secundas instrumenta primæ causæ; etenim causæ secundæ in suo ordine

dine, ex eo quod habent effectus sibi çquales, vel minoris perfectionis, non perdunt principalitatem causæ, sed dicuntur aliquando instrumenta; quia habent aliquã analogiam cum instrumento, quod non mouet, nisi motu virtuoso suæ causæ principalis.

Fonseca *lib. 5. tom. 2. suæ meth. cap. 2. q. 6. sect. 6. per totam* simpliciter negat, hanc doctrinam, & omninò vult calorẽ, dum producit calorem, esse agens instrumentale; cuius ratio est; quia in omni actione, calor est subordinatus substantiæ, cuius proprietas est. Fonsecam sequuntur alij Recentiones, qui sententiam suã probant primò; nam qualitates actiuæ ælementorum producuntur in subiecto, vt dispositiones ad formas earum; ergo earũ actiuitas intrinsecè ordinatur ad esse substantiale; atque ita inquiunt, quod ad quem spectat producere, spectat etiam materiam disponere, ideo &c. & non aliter ignis producit ignem, nisi producendo in subiecto dispositiones ignis, à quibus completis producitur forma ignis in materia; Secundò probant, quia communiter dici solet, solem illuminare per se, speculum verò reflectens, illuminare per accidens, & ignem per se calefacere, aquã vero calefactam, per accidens, quod signũ est, has operationes esse subiecti, primò, & per se; secundariò verò, & consequenter, & instrumentaliter esse caloris, & luminis.

Quod si istis obijcias, effectum esse æque nobilem, atque causa producens.

Respondent non esse verum vniuersaliter, quod causa instrumentalis est cum agit supra suas vires, vt autem hoc explicent.

Notant, agere supra suas vires, habere duplicem sensũ. Primus est vt instrumentũ agat plusquam possit agere; & hic sensus inquiunt falsus est; quia impossibile est, aliquid plus agere, quam possit agere. Secundus sensus est, vt instrumentum, tunc sit instrumentum, cùm producit effectum nobiliorem, itaut, non sit instrumentum si producat effectum æque nobilem, aut ignobiliorem, & hic sensus, etiam falsus est; sunt enim, inquiunt, in contrarium manifestæ instantiæ: nam virtutes motiuę e. g. grauitas, & leuitas producunt motum localem, vt instrumentum substantiæ, & tamen ignobilior est; præterea anima vtitur membris corporis, tanquam instrumẽtis ad exercitium suorum actuũ; membra autem substantiæ, substantiæ sunt, & tamen operationes sunt accidentia: vnde concludunt in ratione instrumenti includi, vt id, quod producit, producat, vt aliquid alterius, cum quo tamen stare potest, vt instrumentum producat ignobilius se; debet igitur intelligi, quod operatio, est supra vires in hoc sensu, quia vires illæ quibus operatur instrumentum, non sunt instrumenti; sed alterius.

Quod si secundò obiicies istis, non habere nos viam colligendi instrumentum nisi ex effectu nobiliore producto.

Respondent, & quidem acutè, quãdo principium producit nobilius se, semper illud subire rationem instrumenti; non tamen semper, quando producit aliud, quod non sit nobilius, nõ esse instrumentũ, quod patet inquiunt, quando per opus artificis, malleus producit malleum, aut exiguum aliquem clauum, aut aliquid ignobilius se, ex quo concludunt regulam generalem ad cognoscendum instrumentum esse hanc, scilicet, quandoquumque aliquid operatur vt quid alterius, tunc instrumentum est.

Sed hæc opinio Fonsecæ, & eorum, qui Fonsecam sequuti sunt, in radice affirmat illud ipsum, quod negant; nam hæc opinio affirmat, quod causa instrumentalis formaliter, non causat nisi vt virtus alterius; hoc autem non aliud importatat nisi causam instrumentalem esse, quæ operatur, non virtute suæ formæ, quod est operari virtute sua, siuè propria; sed virtute formę suæ causæ principalis, præscindendo, an virtus sit distincta à forma suæ causæ, vel indistincta, vt est in accidente, puta in calore, cùm alium calorem producit; ex hoc autem principio necessariò sequitur, quod causa instrumentalis, potest operari effectum virtute suæ causæ principalis, vel nobiliorem se, vel ignobiliorem; quia vtrumque effectum potest producere causa principalis; nimirùm, vniuoca causa producit effectum sibi æqualem in specie; causa verò analoga producit effectum sibi inęqualem; in hoc enim differt causa vniuoca, à causa analoga; quia vniuoca est manifestabilis tota in suo effectu; analoga verò non est manifestabilis tota; sed in aliquo gradu perfectionis; causa ideo principalis, potest vtrumque effectum producere.

Nequè S. Tho. cuius est hæc doctrina, aliquando dixit, quod ad rationem instrumenti, necessariò requiritur, vt non pro-

producat, nisi aliud nobilius se, & nūquā producat ignobilius se; producit.n.instrumentum effectum nobiliorem se, quando producit effectum causæ principalis, vt virtus causæ principalis, quæ causa principalis tendit ad effectum nobiliorem, sua virtute instrumentali, & quia potest causa principalis producere effectum ignobiliorem se, vt est causa analoga, adhuc instrumentum causæ principalis productiuus est, effectus se ignobilioris. His explicatis, fundamentum conclusionis est hoc; species intelligibilis, vt demonstrauimus, est suum obiectum immediatum formaliter; sed obiectum immediatum formaliter, est causa principalis in suo genere; ergo, & species eius intelligibilis in intellectu, adhuc debet esse causa principalis actus intellectionis; sed obiectum motiuum est principium ostensiuum principale, ergo &c.

Contra hanc rationem, sunt duæ difficiles difficultates, quæ plenè soluentur in articulo sequente.

Ex dictis facilè soluuntur rationes, quibus probatur speciem intelligibilem, siuè sensibilem, concurrere tantummodò formaliter ad actum intellectionis, siuè cognitionis, determinando tantum potentiam cognitiuam, sicut figura determinat ferrum ad actum scindendi.

Ad primam enim, qua dicitur, quod species intelligibilis, siuè sensibilis, est ad determinandam potentiam, vt faciat in se cognitionem, circa determinatum obiectum; sed sufficienter intelligitur determinatio sine efficientia, vel coefficientia ex parte speciei; nam determinatio in genere causæ formalis, sufficienter determinat potentiam.

Respondeo distinguo maiorem: species intelligibilis, est ad determinandam potentiam intellectiuam in genere causæ formalis, & in genere causæ effectiuæ, simul, & concedo; in genere tantummodò causæ formalis, & nego: nam vt supra diximus in fundamento conclusionis, species intelligibilis constituit intellectum in ratione agentis intelligibilis; hæc autem forma habet duplicem concursum, & formalem & effectiuum, inquantum, scilicet determinat potentiam ad effectum determinatum in specie; quæ doctrina facilè intelligitur ex alia doctrina S. Thomæ docentis *prima secundæ qu. 1. art. 3. in corpore* actionem speciem sumere ab agente; exemplū autem, quod affertur de figura, quæ præcisè determinat ferrum ad actum scindendi facilè eluditur: negando assumptum; quandoquidem figura in ferro determinat, vt eleuata motu virtuoso artificis, per quem constituitur in priori naturæ potens effectiuè concurrere ad actum scissionis, vt est dentatura in serra, quo motu virtuoso remoto, est tantum in potentia, non actu potens scindere.

Ad aliam rationem, qua dicitur, quod si species non coefficiat, melius saluatur actiuitas potentiæ intellectiuæ, &c.

Respondeo nego assumptum; quoniā vt diximus in ratione conclusionis; potētia intellectiua, est potentia forma intelligibilis: nihil autem, inquantum est in potentia potest esse actiuum; ergo est actiuus intellectus, quatenùs est actu forma intelligibilis: quæ si remoueatur non remanet intellectus completè actiuus; quia remanet potentia speciei, siuè forma intelligibilis, scilicet in terminis non potētis efficere.

Est alia ratio soluenda, quæ difficultatem maiorem facit, & est hæc: forma siuè species intelligibilis non determinat potentiam intellectiuam, nisi inquantum est suum obiectum immediatum formaliter; in modo tamen intelligibili intra potentiam; sed obiectum potentiæ intellectiuæ in Angelis formaliter, non est actiuum in potentiam intellectiuam adhuc concursu, & influxu intelligibili: quippè quilibet Angelus, non intelligit per species intelligibiles acceptas, aut causatas à suis obiectis alias à potentia intellectiua Angeli; sed per species tantummodò concreatas, siuè fluxas à Deo a primò intelligibili; ergo forma intelligibilis ex suo genere in creaturis intellectualibus, non est coeffectiua actus intelligendi; ergo potest saluari concursus speciei intelligibilis per solam determinationem formalem, sine vlla coefficientia; in hoc fundamento fundati, aliqui dicunt, quod opinio afferentium speciem intelligibilem concurrere tantum formaliter ad actum intelligēdi, est S. Thomæ, quia inquiunt eodem pacto loquitur S. Thomas de obiecto in cognitione Angelorum, dum Angeli formant verbum mentis, ac loquitur de obiecto intellectus humani; quia species intelligibilis ponitur ad producendum verbum mentis; sed species intelligibilis in intellectu Angelorum determinat Angelorum intellectum ad formandum verbum mentis, sinè vllo concursu obiecti-

uo

uo effectiuo; ergo, &c.

Sed hęc difficultas distinctione soluitur; nã species intelligibiles in Angelis, nõ habent hãc vim effectiuã actus intellectionis ab intelligibili creato; quia, vt dicemus: implicat Angelũ intelligere per speciem acceptam à rebus; sed illam habet à primo intelligibili; è contrario verò, species intelligibilis intellectus creati humani vim hàbet coefficiendi intelectionem ab intelligibili creato: & disparitas, est quantum nunc video; quoniam species intelligibilis habet vim coefficiendi actum intellectionis à suo obiecto immediato motiuo, non autem à suo obiecto immediato terminatiuo; intellectus Angelicus non habet suum obiectum motiuum in creatis, sicut intellectus humanus; sed obiectum motiuum intellectus Angelorum, est primum intelligibile; obiectum verò terminatiuum, est intelligibile creatum.

## ARTICVLVS SEXTVS

### Vtrum species intentionalis, & intelligibilis sint ex suo genere immateriales.

HIc Articulus duplicem potest habere sensum: primus est, an species intẽtionalis, siuè intelligibilis, ex suo genere sit immaterialis immaterialitate essentiæ. Secundus sensus est, an sit immaterialis immaterialitate per abstractionem; distinctio hæc duplicis immaterialitatis traditur à S. Th. *p.* 1. *q.* 14. *art.* 11. *ad* 1. vbi docet, quod species intelligibilis Diuini intellectus, quæ est Dei essentia, non est immaterialis per abstractionem; sed per seipsam, hoc est, immaterialis, immaterialitate essentiæ: immaterialitas essentię, est per independentiam ab omni materia, & à materia indiuiduali, & à materia in communi; immaterialitas verò per abstractionem, est duplex; alia, est per abstractionem à materia in communi, & consequenter à materia indiuiduali; vbi enim, non est materia in communi; quæ est pura potentia formalis, neque potest esse materia indiuidualis; sicut vbi non est genus, neque potest esse species, & indiuiduum; & alia est immaterialitas per solã abstractionem à materia indiuiduali, nimirum, à conditionibus indiuiduantibus: & hęc adhuc duplex est, alia est abstractio à conditionibus indiuidualibus, quantum ad earum esse formale, vt cum abstrahitur natura specifica à differentiis illam indiuidualiter diuidentibus: & alia abstractio à conditionibus, seù differentiis indiuiduãtibus, præcisè, quantum ad earum modum essendi naturalem; abstractio enim a conditionibus indiuiduantibus, vel potest esse à quidditate ipsarũ conditionũ indiuidualiũ, vt est abstractio v. g. naturę humanæ ab õnibus differentiis illã diuidẽtibus indiuidualiter, & alia est abstractio tantumodò à modo essendi naturali differentiarum indiuidualium, quo genere abstractionis, species omnis sensibilis abstrahit à conditionibus indiuidualibus: non quidem quãtum ad earum quidditatem, sed quantum ad earum modum essendi naturalẽ; nam, vt docet *Arist. lib. 2. de anim. tex.* 1. intellectus, est vniuersalium; sensus verò particularium; cuius ea ratio est; quia intellectus cognoscit per species abstractas à principiis indiuiduantibus, siuè à materia indiuiduali, quibus natura, est indiuidua formaliter; sensus verò cognoscit per species abstractas, non à principiis ipsis indiuidualibus formaliter, sed solum à modo essendi naturali conditionum indiuidualium; etenim sensus cognoscit. v. g. Petrum, quia Petrus est indiuiduum quodam, seù quia in Petro, est ratio indiuidui formaliter; intellectus verò cognoscit Petrum quia homo formaliter: iuxta hanc explicationẽ sensus est singulariũ formaliter; intellectus verò, est vniuersalium formaliter.

Articulus examinabitur in vtroque sensu, & de omni immaterialitate: tam essentię, quam abstractionis. Ad pleniorem notitiam quidditatis speciei intelligibilis, vel speciei intentionalis.

Prima cõclusio: species intelligibilis formaliter, siuè in suo esse formali intelligibili in tali genere negatiuè præscindit ab imaterialitate per essentiam, & ab immaterialitate per abstractionem, & est immaterialis vtraque immaterialitate permissiuè, nimirum, erit immaterialis immaterialitate essentiæ, si eius obiectum immediatum, & erit spirituale, & erit immateriale per abstractionẽ à materia indiuiduali, si eius obiectum immediatum, & formale, erit essen-

essentialiter materiale, vt essentia hominis, æqui, &c. ad eum prorsus modum, quo species intelligibilis in suo esse formali intelligibili, neque est substantia, neque est accidens; sed præscindit ab vtroque negatiuè, & est vtrumque permissiuè; erit enim accidens, vel substantia formaliter, si obiectum eius immediatum sit accidens, vel substantia. Conclusio modò explicata, est in terminis doctrinæ S. Thomæ, & omnium asserentium speciem intelligibilē in suo esse formali, & repræsentatiuo, esse suum obiectum immediatum formaliter, vel, scilicet, per identitatem formalem, si species erit indistincta à suo obiecto immediato, vel per similitudinem, si erit distincta à suo obiecto immediato.

Ratio fundamentalis est; quoniam species intelligibilis in suo esse formali, est suum obiectum immediatum formaliter; sed obiectum immediatum formaliter intelligibile, neque est ex suo genere immateriale, neque materiale per essentiam; sed negatiuè præscindit ab vtroque, & est vtrumque permissiuè; ergo pariter species intelligibilis in suo esse formali, neque erit immaterialis immaterialitate essentiæ, neque materiale materialitate pariter essentiæ formaliter; minor certa est, quoniam intelligibile formaliter reperitur, tā in obiecto materiali per essentiam, quàm in obiecto immateriali, siuè spirituali vtraq; enim est obiectū intellectus creati.

Contra hanc conclusionem, duę sunt difficultates difficilis solutionis.

Prima est; quoniam omnis intellectio, quæ est operatio intellectus, est immaterialis immaterialitate essentiæ, nimirum per independentiam ab omni materia, & à materia indiuiduali, & à materia in communi, siuè essentialiter; sed hęc requirit necessariò in intellectu speciem intelligibilem immaterialem, immaterialitate essentiæ; ergo falsa conclusio: maior est certa; quia intellectus est spiritualis, siuè immaterialis, immaterialitate essentię; at intellectio est participatio formalis intellectus formaliter; minor principalis argumenti probatur; quia operatio spiritualis formaliter requirit in intellectu principium formale intelligēdi, adhuc spirituale formaliter; hoc autem, est species intelligibilis, vt docet S. Thomas locis sæpius citatis; etenim intellectio est operatio formalis spiritualis; hæc autem necessariò debet esse operatio principij formalis spiritualis.

Secunda difficultas est, quoniam, vt ostendimus ex principijs S. Thomæ, & Arist. species intelligibilis, est causa principalis intellectionis in genere intelligibilis; sed hoc posito implicat aliquam speciem intelligibilem esse immaterialem per solam abstractionem a materia indiuiduali; quoniam huiusmodi species, cum sit species obiecti materialis formaliter, ipsa necessariò debet esse formaliter materialis licet in modo essendi intelligibili; at species intelligibilis essentialiter materialis, nō potest esse causa principalis operationis, siuè effectus spiritualis essentialiter; quippè, vt demonstrauimus in Articulo præcedente, conclusione secunda: causa principalis, si erit vniuoca, debet esse æqualis cum suo effectu primario, si analoga debet esse superioris perfectionis formalis, & specificæ; at omnis intellectio essentialiter, est perfectioris perfectionis, quam quęlibet quidditas essentialiter materialis, etiam in modo essendi intelligibili, & ratio in promptu est; quia intellectio spiritualis formaliter est independēs ab omni materia, & indiuiduali, & communi; species, autem intelligibilis obiecti immediati materialis, est independens tātum à materia indiuiduali: independentia autē ab omni materia, fundatur in maiore perfectione, quę est per maiorē indepēdētiā à materia; etenim independentia fundatur in actu; dependentia verò in potentia.

Prima difficultas tripliciter solui potest.

Primò, negando speciem intelligibilem obiecti materialis non posse concurrere ad coefficiendum simul cum intellectu actum intelligendi, qui est actus spiritualis, & ratio est; quoniam species intelligibilis quidditatis materialis, est in modo essendi vniuersalissimo, in quo non solum adunatur quidditas obiecti materialis formaliter, sed etiam quidditas obiecti immaterialis, immaterialitate essentiæ, vt est quidditas animæ rationalis, & quidditas Angeli; ex hoc autem modo essendi vniuersalissimo, potest quidditas intelligibilis materialis influere, ad producendum, non solum cognitionem obiecti materialis in esse naturali, sed etiam ad cognitionem obiecti immaterialis, immaterialitate essentiæ, & ratio huius esse potest; quia quidditas intelligibilis est repræsentatiua obiecti materialis, & obiecti spiritualis materialiter, non autē formaliter, nimirum quidditas intelligibilis hominis repręsentat quidem hominem in esse suo naturali, sed ratio formalis, cur illud repræsentet, non est, quia homo

est in esse materiali, aut in esse naturali, quo existit in propria natura, sed quia est intelligibilis; pariter quidditas intelligibilis, siuè species intelligibilis animæ rationalis extra corpus, repręsentat quidem quidditatiuè essentiam animæ rationalis; sed ratio formalis cur illam intellectui repręsentat, non est quia anima rationalis in statu sæparationis, est purè spiritualis, vel quia anima rationalis, est in esse suo naturali contradistincto ab esse intelligibili, sed illam repręsentat, quia est intelligibilis, sub qua ratione adunatur in modo essendi sublimiore, & vniuersaliore, in quo conueniunt, tum quidditas spiritualis, tum quidditas materialis. Certum autem est quod virtus potest concurrere ad cognitionē, qua cognoscitur quodlibet obiectum in modo essendi inferiore, quia prędicta cognitio repręsentat prędicta obiecta materialiter, non formaliter. Deceptio in hac materia oritur ex eo; quia aliqui idem iudicium faciunt de quidditate materiali in suo esse naturali, ac de quidditate intelligibili. Vtiquè quidditas materialis naturalis virtute suæ formæ non potest esse principium cognitionis, quæ est actus spiritualis; quia sic quidditas materialis, est in modo essendi inferiori, quam sit modus essendi spiritualis per independentiam ab omni materia; at hęc ratio, nō militat in quidditate intelligibili obiecti materialis; quia quidditas materialis intelligibilis, est in modo sublimiore, & vnuersaliore, in quo adunatur omnis quidditas, & materialis, & spiritualis.

Nequè obstat si opponas authoritatem S. Thomæ *q. 4. de verit. art. 4. ad 2. & q. 8. de verit. art. 1.* quibus in locis apertè docet S. Thomas, quod species intelligibilis, est principium cognoscendi, secundum, quod est similitudo formalis obiecti, quod cognoscitur; sed species intelligibilis obiecti materialis inquantum est similitudo formalis prædicti obiecti, non est spiritualis; ergo, non potest esse principium coeffectiuum cognitionis formaliter spiritualis.

Non inquam obstat, si hoc opponas, nam S. Thomas prædictis verbis docet, quod species intelligibilis, est principium cognoscendi suum obiectum, secundum, quod est similitudo sui obiecti formaliter, pręcisè; non autem, secundum quod est similitudo sui obiecti, inquantum ad prædicata formalia, & inquantum ad modum essendi naturalem; sub ista autem ratione formali, species intelligibilis, est sub modo essendi sublimiore, & vniuersaliore, in quo potest, species concurrere ad actum cognitionis spiritualis, quia in eo modo essendi, conueniunt tum quidditas obiecti materialis, tum quidditas obiecti spiritualis.

Secundò solui potest eadem difficultas cum distinctione, asserendo, quod species intelligibilis obiecti essentialiter materialis, dupliciter potest intelligi esse principium coeffectiuum intellectionis, quæ est spiritualis: primò quatenus cognitio spiritualis formaliter: secundò quatenus cognitio est in genere intelligibilis in agēdo; si intelligitur in primo sensu, sine dubio species intelligibilis obiecti materialis, vt sic non concurrit ad intellectionem quatenus, est actus spiritualis formaliter, quia semper potest dicere Aduersarius, quod cognitio cum sit actus secundus speciei intelligibilis, est illius participatio formalis; implicat autem perfectionem spiritualem esse formalem participationem formæ materialis formaliter; cęterum secundo modo potest absque vlla contradictione, quidditas intelligibilis obiecti materialis influere in cognitionem spiritualem, quatenus est in genere intelligibilis, tùm quia in isto genere intelligibilis cognitio spiritualis se habet materialiter; tum etiam quia genus intelligibilis pręscindit à genere entis materialis, & à genere entis spiritualis. Doctrina hęc, recipi debet ab ōnibus theologis; ōnes .n. theologi dicunt, quod quodlibet principium concurrens ad cognitionem intuitiuam Dei, concurrit ad illam secundum perfectionem, quæ correspondet ei. v. g. lumen gloriæ concurrit ad visionē intuitiuam Dei, secundum, quod est supernaturalis, quia lumen gloriæ est principiū formaliter, & essentialiter supernaturale; potentia intellectiua concurrit ad visionē intuitiuam Dei, quatenus est vitalis, & spiritualis, diuina autem essentia, vt est sua forma intelligibilis in intellectu beato cōcurrit ad eandem visionem intuitiuam, quatenus ea est in genere intelligibilis; in quo genere adunantur tum materiale, tum ens spirituale.

Dices, hoc esse intelligibile in visione spirituali, vel est esse spirituale, vel est esse materiale, inter hæc enim duo, non potest dari medium, quia reducuntur ad contradictoria; non potest dici esse materiale, vt ostendimus; ergo necessariò debet esse spirituale, & redit argumentum à capite.

Respondeo, quod esse intelligibile in

in cognitione spirituali realiter, siuè entitatiuè quidē spirituale est; formaliter verò abstrahit à spirituali, & materiali, sicut v.g. gradus sentitiuus in homine realiter, & entitatiuè spiritualis est, vt supra diximus, formaliter præscindit à spirituali, & materiali, quia in homine, est spiritualis; in bruto verò est materialis; hoc autem multo melius conuenit esse, siuè gradui intelligibili, quam gradui intelligibili, substantiali sensitiuo, & vegetatiuo; quia esse intelligibile, dicit modum essendi vniuersalissimum, qui est superior omni modo essendi naturali, & consequenter est abstractior.

Instabis esse intelligibile in cognitione intellectiua, quæ est per speciem intelligibilem obiecti materialis, sequitur vltimum gradum formæ intelligibilis, quia esse tam naturale, quam intelligibile, tam in genere entis, quam in genere agentis, est vltimus actus entis; essentia enim, & esse adæquant quodlibet genus entis, sed vltimus gradus quidditatis materialis, est formaliter materialis, &c.

Respondeo distinguēdo assumptum: esse intelligibile consequitur vltimum gradum formæ in modo essendi intelligibili, & concedo; in modo essendi naturali, & nego; in modo autem essendi intelligibili formæ obiecti materialis est sublimior; quia est in modo, quo adunātur nō solū quidditates obiectorum materialium, sed etiam obiectorum spiritualium. Explicatur distinctio; in forma intelligibili obiecti creati, est modus intelligibilis, non solum in ipsa forma, quæ est principium esse, idest existentiæ intelligibilis, sed etiam in ipso esse, qui est actus formæ intelligibilis; sicut in forma naturali est modus naturalis, non solum in ipsa forma, sed etiam in sua existentia; sicut enim forma diuiditur in formā naturalem, & in formā intelligibilem, sic existentia, siuè esse formæ diuiditur in esse naturale, & in esse intelligibile; & ratio est, quia vtrumque ab eodem modo essendi formaliter præscindit, est autem modus essendi naturalis, quo forma existit, vel est principium existendi præcisè in sua natura, & extra intellectum; modus verò essendi intelligibilis, est quo forma existit in intellectu, vt eius perfectio formalis in genere obiecti.

Tertiò solui potest eadem difficultas doctrina Aristotelis, qua docet ex intellectu, & intelligibili fieri magis vnum, quam ex materia, & forma; distinguendo de specie intelligibili obiecti materialis; potest enim hæc dupliciter sumi; vno modo secundum se, & seorsum ab intellectu, siuè secundum suum esse intrinsecū, & præcisè; alio modo secundum, quod fit vnum cum intellectu, nimirum secundum, quod fit ipse intellectus; nimirum, non quia conuertitur in essentiam intellectus, aut quia adunatur cum intellectu in vnam formalitatem, remotis taleitatibus, quibus distinguntur inter se, sed quia vnum imbibitur in alio; etenim, vt sæpè repetiuimus intellectus vt cognoscat debet in priori naturæ esse formaliter, & actu principium intelligendi, hoc autem non potest esse, nequè intelligi, nisi intelligibile formale imbibatur, & perficiat intellectum in ratione principij intellectui; quod non potest dici de materia cum vnitur suæ formę vnione per se; nunquam enim materia potest fieri forma eo modo, quo potentia intellectiua fit ipsum intelligibile actu; primo modo species intelligibilis obiecti materialis, nō influit in intellectionem, quæ est actus spiritualis; verùm secundo modo absque vlla contradictione potest esse, & est principium coeffectiuum intellectionis, & disparitas est; quia primo modo species intelligibilis obiecti materialis, est formaliter materialis per essentiam, cum sit essentialiter quidditas obiecti materialis in alio essendi modo; at species intelligibilis, quatenùs est imbibita in intellectu, siuè quatenus fit ipse intellectus, siuè quatenus fit magis vnum cum intellectu, quam fit ex materia, & forma, inuoluit rationem potentiæ spiritualis, per quam eleuatur ad comproducendum actum spiritualem, qui est intellectio: Sicut eandem ratione intellectus, quatenùs fit ipsū intelligibile actu, concurrit etiam ad intellectionem, quatenus, est actus intelligibilis determinati obiecti.

Nequè hoc aufert à forma intelligibili obiecti materialis, quin sit causa principalis ad intelligendum in suo genere; quandoquidem potentia intellectiua, est tantum causa instrumentalis ad producendam intellectionem, & quatenùs fit ipsum intelligibile actu, modo explicato, est etiā causa instrumentalis speciei intelligibilis. Ex hoc enim principio quod ex intellectu, & intelligibili, fit magis vnum, quam ex materia, & forma, veritatem habet doctrina explicata; nam ex hoc principio, nō potest verificari concursus effectiuus de intellectu, quin non verificetur de specie intelligibili; neq; è contra, aliàs facta vnione in esse intelligibili intellectus cū specie

pos-

posset assignari ratio, vt supra diximus, vnum non esse aliud.

Secunda difficultas, an forma intelligibilis obiecti materialis sit causa principalis, an instrumentalis intellectionis, secundùm quod est actus intelligibilis.

Ex dictis non difficilè soluitur. Respondeo enim, speciem intelligibilem obiecti materialis essentialiter, esse causam principalem, non instrumẽtalem actus intellectionis, secundum quod est actus intelligibilis in genere agentis, & ratio fũdamentalis est; quia species intelligibilis, est quidditas sui obiecti immediati; quidditas autem obiecti, cum sit prima in obiecto, est causa principalis, non instrumẽtalis; est enim prima radix omnium, quæ sunt in obiecto.

Quod si dicas, causa principalis vniuoca, qualis est species intelligibilis, est productiua effectus æqualis in perfectione: sed cognitio, etiam vt actus intelligibilis, non est æqualis perfectionis, cum specie substantiæ materialis; tùm quia cognitio est spiritualis, species verò intelligibilis supponitur essentialiter, esse materialis, tùm etiam, quia intellectio, vt actus intelligibilis abstrahit à modo essendi materiali, & spirituali; species verò intelligibilis obiecti materialis non, item.

Respondeo, quod species intelligibilis obiecti essentialiter materialis in creatis, quatenùs est causa principalis, debet esse æqualis perfectionis cum suo termino formali, & primario, non autem cum sua causalitate; secùs, non posset substantia creata, v.g ignis esse causa principalis, cùm producit aliam substantiã, quod est contra, & omnes scholasticos, & rationem. In re nostra, species intelligibilis, qua intellectus noster, v.g. cognoscit hominem, habet vniuocationem cum ipso homine, nam homo extra intellectum est terminus formalis, & primarius à quo specificatur species intelligibilis.

Solet etiam dubitari in hac materia, quomodò species intelligibilis substantiæ creatæ concurrat ad actum intellectionis, quæ est formaliter accidens in prædicamento actionis; & ratio dubitandi est, quia species intelligibilis substantiæ, concurrit vt principium formale essendi ad cognitionem substantię, est autem principium formale essendi immediatè; at nulla substantia creata, potest esse immediatè actiua. Quod concurrat, vt principium formale essendi probatur; quia concurrit, vt principium formale cognoscendi; eadem autem sunt principia formalia essendi, & cognoscendi. Et hoc argumento probari potest opinio illorum, qui dicunt speciem intelligibilem concurrere ad intellectionem tantùm in genere causæ formalis, determinando præcisè intellectum ad producendam cognitionem circa determinatum obiectum.

Respondeo, quod species intelligibilis substantiæ, concurrit in actum intellectionis media potentia intellectiua, quatenùs species intelligibilis sit ipse intellectus in actu, modo quo supra explicauimus; vel media potentia actiua intelligibili, quæ fluit ab ipsa quidditate formæ intelligibilis; sicut potentia actiua naturalis fluit ab ipsa quidditate substantiæ naturalis; & ratio huius esse potest, quia species intelligibis, est eiusdem speciei, cũ quidditate obiecti primarij, & immediati.

Nequè primò hæc doctrina obest doctrinæ communi, quod eadem sunt principia formalia essendi, & cognoscendi: nam hoc verificatur de principijs primis, quæ sunt causa principalis; & discurrendum est de specie intelligibili substantiæ creatæ, & de specie intelligibili accidentis formaliter, sicut S. Thomas phylosophatur de substantia creata, & de accidente creato actiuo in esse naturali; sicut enim substantia creata, non est actiua formaliter, nisi per potentiam accidentalem proximam, & formalem agendi; accidens verò est actiuum immediatè, per suam essentiam in esse naturali, sic.

Nequè secundò obest, quod supra diximus in oppugnatione secundæ respõsionis ad hoc ipsum argumentum, quod species intelligibilis non potest esse actiua immediatè intellectionis, quæ est formaliter in prædicamento accidentis; quoniã species intelligibilis est similitudo ex parte obiecti; hæc autem debet compleri cõplemento sui generis, quod est complemẽtum obiectiuum, sicut intellectus debet compleri complemento in genere potentiæ.

Non inquam, hoc obstat; quoniam eo loco loquuti sumus de specie intelligibili secundum suum esse intrinsecum; hic autem loquimur de specie intelligibili secundum esse, quod eidem competit secũdum quod sit vnum cum intellectu, modo supra explicato; eo quod intellectus ob suam immaterialitatem aptus est fieri intelligibile actu, idest, non solum est ipse, sed etiam est aliud à se formaliter, nimirum,

rum, quantum ad esse formale sui obiecti; pariter, & species ipsa intelligibilis, ex suo modo essendi vniuersalissimo, apta nata est esse ipse intellectus; & hoc est, quod docet Arist. ex intellectu, & intelligibili fieri magis vnum, quam ex materia forma; quia intellectus fit intelligibile, materia autem non fit forma; & secundum hanc considerationem formalem species intelligibilis apta nata est complere, ipsa potentia intellectiua.

Secunda conclusio: species intelligibilis in intellectu humano in anima informante corpus, siue materiam, est immaterialis, solum immaterialitate per abstractionem a materia indiuiduali; species verò intelligibilis in anima rationali separata a materia, ex suo genere, negatiuè præscindit a specie immateriali immaterialitate essentiæ, & a specie immateriali immaterialitate, per abstractionem a materia indiuiduali, & est permissiuè immaterialis vtraque immaterialitate: conclusio duas habet partes.

Fundamentum primæ partis conclusionis est; quia obiectum immediatum, & primum intellectus animæ rationalis actu informantis materiam, est quidditas entis sensibilis, nimirum, cognoscibilis, & repræsentabilis intellectui per species sensibiles; sed hoc posito, species intelligibilis in intellectu animæ rationalis, prout actu informat corpus, non potest esse immaterialis, nisi immaterialitate per abstractionem a materia indiuiduali; quoniam huiusmodi species intelligibilis, est repræsentatiua immediatè, & formaliter, quidditatis entis sensibilis, quæ est essentialiter materialis per inclusionem materiæ in cõmuni, & solum præscindit à materia singulari, ergo &c.

Fundamentum secundæ partis conclusionis est; quoniam in anima rationali existente separata a corpore, sunt species intelligibiles repræsentatiuæ immediatè, tùm obiectorum materialiũ essentialiter, tùm obiectorum spiritualium, idest, immaterialium immaterialitate essentiæ; sed hoc posito species intelligibilis in anima separata à materia, negatiuè præscindit ex suo genere ab immaterialitate essentiæ, & ab immaterialitate per abstractionem; ergo &c; maior patet; quia anima rationalis in statu emersionis à materia, intelligit per species fluxas à primo intelligibili; istæ verò sunt species, tùm obiectorum spiritualium, tùm materialium; primæ sunt species immateriales immaterialitate essentiæ; secundæ verò sunt species immateriales tãtummodò per abstractionem a materia indiuiduali; minor verò principalis argumenti adhuc manifesta est: eadem enim ratione, species intelligibilis ex suo genere, quatenùs repræsentatiua est formaliter, neque est accidens, neque substantia; sed ab vtroque negatiuè præscindit, & est vtrumque permissiuè, nimirum, quia species intelligibilis potest esse species intelligibilis immediata substantiæ spiritualis, etiam Angelicæ, & substantiæ essentialiter materialis, quæ solù abstrahit a materia indiuiduali.

Fortè dices primò, species intelligibilis ĩmediata substantiæ spiritualis formaliter, non potest esse immaterialis immaterialitate essentiæ; quippè immaterialitas essentiæ est per independentiã a subiecto, tam eiusdem generis, quam diuersi, quando essentia est substantia spiritualis; sed omnis species intelligibilis, tam in anima informante corpus, quam in anima separata a corpore existente, dependet à subiecto diuersi generis in esse, quia dependet in esse ab intellectu animæ intelligentis, ergo species intelligibis immediata substãtiæ spiritualis formaliter, non potest esse immaterialis immaterialitate essentiæ.

Respondeo, negando speciem intelligibilem immediatam substantię spiritualis dependere in esse ab intellectu animæ separatæ à corpore; quippè hæc species, est formaliter substantia; substãtia autem subsistit, & per se existit in intellectu, intellegente, existentia, & subsistentia intelligibili in genere entis intelligibilis in essendo: species enim intelligibilis formaliter, & per se, est in duplici genere entis intelligibilis, & entis intelligibilis in essendo, & entis intelligibilis in agendo, vt diximus cõtra Caietanum; esse intelligibile in essendo in specie intelligibili immediata substantię est existentia substãtialis formaliter in modo intelligibili intra intellectum cognoscentem, aut potentem cognoscere; sicut enim forma intelligibilis immediata substantiæ, est formaliter substantia intelligibilis; ita etiam existit existentia substantiali intelligibili, quæ fluit ab ipsa substantia intelligibili, sicut subsistentia naturalis fluit ab ipsa quidditate, seù essentia naturali substantiæ: intelligere verò est adhuc eiusem substantię intelligibilis, sed in genere agentis intelligibilis: an autem hoc esse intelligibile, sit substantia, vel accidens, iam supra explicauimus, quod formaliter est accidens, non

sub-

substantia, quia est actio distincta à potentia intelligente.

Quo posito, sustineri pariter debet substātiā intelligibilem esse principium coeffectiuum intellectionis per potentiam accidentalem intelligibilem, fluentem ab essentia ipsius substantiæ intelligibilis, sicut potentia accidentalis immediata ad agendum fluit ab essentia naturali substantiæ.

Neque huic doctrnę obstat si dicas, speciem intelligibilem, esse principium formale ad intelligendum suum obiectum immediatum formaliter;quia est principiū essendi formaliter; sed est principium essēdi formaliter seipso, non autem media potentia accidentali; ergo impertinenter se habet, hæc potentia accidentalis fluens ab essentia substantiæ intelligibilis.

Non inquam obstat hoc: nam species intelligibilis est principium formale intelligendi obiectum formaliter per actū vitalem, & immanentem formaliter; argumentum autem concluderet, si species intelligibilis esset purum principium formale cognoscendi obiectiuum, quo ipsum obiectum extra, est intrinsecè cognoscibile formaliter; duplex enim est principiū cognoscendi formaliter, aliud motiuum, & aliud terminatiuum; principium formale cognoscendi motiuum, non potest esse coeffectiuum cum intellectu ad producendam intellectionem, nisi media potentia accidentali intelligibili, quando est principium formale cognoscendi substantiam formaliter; quando verò est principium formale cognoscendi accidens formaliter, est principium immediatum per suam quidditatem intellectionis, quæ est accidens, sicut in esse naturali substantia creata, non est immediatè operatiua per suam essentiam, sed media potentia accidentali; accidens verò est principium immediatum agendi per suam essentiam, vt suo loco fusè probabitur.

Dices secundò: species sensibiles in sensu sunt immateriales; quia commune, est omni sensui, vt docet *Arist. 2. de Ani.* recipere species sine materia; sed istæ species sensibiles, non sunt immateriales per abstractionem à materia singulari; ergo, neque species intelligibiles immediatę rerum materialium, sunt immateriales immaterialitate per abstractionem à materia indiuiduali; minor probatur; quia species sensibiles sunt repræsentatiuæ singularium formaliter; sed singularia in rebus materialibus inuoluunt essentialiter materiam indiuidualem, & consequenter conditiones indiuiduales, & materiales; vt enim docet Aristoteles *lib. 2. de Anima tex. 1.* intellectus in hoc differt à sensu; quia intellectus est vniuersalium formaliter; sensus verò particularium.

Respondeo, quod duplex est immaterialitas per abstractionem, alia per abstractionem à differentijs indiuidualibus, & alia est immaterialitas, non per abstractionem à differentijs, & conditionibus materialibus indiuiduantibus; sed solum à modo essendi naturali, quò singulare materiale existit in se extra potentiam cognoscentem: quælibet enim quidditas, siuè naturæ, siuè differentiarum indiuidualium naturæ, cum præscindat ab omni essendi modo, potest habere, & modū essendi naturalem, quo existit in se, quo scilicet quidditas existit in se extra potentiam cognitiuam in propria natura, & modum essendi intentionalem, quo existit in potentia cognitiua, vt perfectiua in suo perfectibili in genere scibilis; & hic modus intentionalis diuiditur in modum essendi intelligibilem, & in modum essendi, sensibilē. Quidditas rei quatenus est perfectiua formaliter intellectus in genere scibilis,dicitur habere modum essendi intelligibilem; quatenùs verò est in sensu, vt eius perfectio obiectiua, dicitur habere modum essendi sensibilem, non quidem in generę naturæ, sed in genere scibilis. Species intentionalis sensibilis, est immaterialis immaterialitate per abstractionem à modo naturali essendi singularis materialis, & à modo naturali essendi conditionum indiuidualium; species verò intelligibilis obiecti formaliter materialis, est per abstractionem, non solum à materia indiuiduali; sed etiam per abstractionem à modo essendi naturali obiecti materialis singularis: per hoc enim distinguntur inter se intellectus humanus, & sensus, siuè internus, siuè externus; quia intellectus humanus intelligit vniuersalia formaliter; sensus verò cognoscit singularia formaliter, vel quia intellectus intelligit singulare, quia intelligit naturam, quæ est in singulari formaliter; sensus verò cognoscit singulare, quia singulare formaliter: v. g. intellectus humanus cognoscit Petrum, quia homo; sensus verò cognoscit Petrum, quia est singularis formaliter.

Instabis:singulare adhuc est cognoscibile formaliter ab intellectu; nam si quę esset ratio in oppositum, ea esset; quia intel-

tellectus creatus est potentia immaterialis; sed hæc ratio non conuingit; nam intellectus Diuinus, est maximè immaterialis, & tamen cognoscit singularia, etiam materialia, non solum quantum ad quidditatem naturæ singularis, sed etiam quantum ad quidditatem differentiarum indiuidualium: sed hoc posito, nulla est differentia assignata inter intellectum creatum humanum, & sensum, quod scilicet intellectus, est vniuersalium formaliter; sensus verò, est formaliter particularium, siuè singularium; consequentia sequitur in forma ex causali assumpta, nimirum, quod immaterialitas potentiæ intellectiuæ, est causa quod ab ipsa non cognoscatur singulare formaliter, præsertim singulare materiale.

Respondeo distinguo maiorem: singulare est cognoscibile formaliter ab intellectu, vt obiectum materiale, & concedo; vt obiectum formale, & nego: & sensus est, quod intellectus creatus humanus cognoscit quidditatem singularis, siuè cognoscit singulare quantum ad eius rationem formalem singularem, sed ratio formalis obiectiua cur illud cognoscit, est ratio formalis vniuersalis, nimirum, quia est ens, vel quia est intelligibile, ad differentiam sensus, qui cognoscit quidem singulare, sed ratio formalis obiectiua illud cognoscendi, non est ratio vniuersalis, sed est ratio singularis vaga.

Cum verò dicitur ab opponente, quod huius doctrinæ, non potest assignari alia ratio, nisi quia intellectus est immaterialis; at hæc ratio non conuincit, quia Deus, siuè intellectus Diuinus, est in summo gradu immaterialitatis, & tamen cognoscit formaliter singularia, non solum quantum ad eorum quidditatem specificam, sed etiã quantum ad eorum differentias indiuiduales; ergo &c.

Respondeo distinguendo de immaterialitate cognoscitiua; alia est immaterialitas cognoscitiua per speciem immaterialem, immaterialitate non abstractionis, sed immaterialitate essentiæ; & alia est immaterialitas cognoscitiua per speciem immaterialem, immaterialitate abstractionis; Ratio cur intellectus humanus, non cognoscit singularia formaliter, non est immaterialitas, vt sic, nequè est immaterialitas cognoscitiua per speciem immaterialem, immaterialitate essentiæ, quæ est vna species immaterialitatis cognoscibilis, vt sic; sed est immaterialitas cognoscitiua per speciem immaterialem immaterialitate abstractionis; nam intellectus noster dum est in anima coniuncta materiæ, siuè corpori, intelligit per species abstractas à phãtasmatibus, quæ sunt species sensibiles, & consequenter materiales materialitate essentiali; sed sunt immateriales per abstractionem à modo essendi naturali; species autem intelligibiles abstractę ab his phantasmatibus, abstrahunt etiam ab omnibus conditionibus, & differentiis indiuidualibus, quæ sunt radicaliter à materia diuisa quantitate, ac proinde per eas intellectus humanus intelligit vniuersalia formaliter; singularia verò materialiter, vt modò explicauimus; cęterum Deus siuè intellectus Diuinus, qui est omninò emersus ab omni materia indiuiduali, & incõmuni, tã physica, quã metaphysica, nõ intelligit per speciẽ immaterialem immaterialitate abstractionis, sed immaterialitate essentiæ, & per seipsum, vt alio in loco fusè dicetetur. Hæc distinctio duplicis immaterialitatis assignatur à S.Th. *p.p.q.14.art.11.* in respõsionibus ad argumẽta, & vtraq; imaterialitas suas habet diuisiones. Immaterialitas per abstractionẽ, (nimirũ per abstractionem negatiuam; nam immaterialitas essẽtiæ potest adhuc dici immaterialitas per abstractionem positiuam;) nam alia est immaterialitas per abstractionem à differentijs indiuidualibus, & alia est a modo essendi naturali tantum materię singularis. Materialitas autem essentiæ, quæ est immaterialitas per independentiã à materia prima, alia est naturalis, & alia, est intelligibilis; potentia intellectiua est immaterialis ĩmaterialitate naturali essentiæ; species verò intelligibilis substantiæ spiritualis, est immaterialis immaterialitate essentiæ intelligibilis; prętereà immaterialitas essentiæ naturalis, adhuc habet suã latitudinẽ, sunt enim plures gradus immaterialitatis, secundum diuersos gradus independentiæ à materia, vt alio loco fusius explicabitur.

AR-

## ARTICVLVS SEPTIMVS.

### Vtrum ſpecies intentionalis ſit diuiſibilis.

ARticulus hic, non intelligitur de ſpecie intentionali in generali: nam certum eſt, ſpeciem intentionalem ex ſuo genere, neque eſſe formaliter diuiſibilem, neque indiuiſibilem; ſicut certum eſt, ſpeciem intentionalem ex ſuo genere, neque eſſe ſubſtantiam, neque accidens; ſed præſcindere ab vtroque negatiuè, ad eum modum, quo animal, neque eſt rationale, neque irrationale, ſed indifferens ad vtrumque: & ratio à priori eſt: quoniam ſpecies intentionalis, ſicut, & ſpecies intelligibilis, eſt ſimilitudo ſui obiecti immediati formaliter; obiectum autem formaliter præſcindit ab obiecto diuiſibili, & ab obiecto indiuiſibili; quia præſcindit ab obiecto ſpirituali, & ab obiecto materiali, (loquendo de obiecto intelligibili; nam obiectum ſenſibile eſſentialiter materiale eſt; materiale autem diuiſibile eſt, vel quia eſt receptiuum quantitatis dimenſiuæ, vt ſubſtantia materialis; vel quia eſt receptibile in quantitate, aut in ſubſtantia quanta, vt ſunt qualitates materiales; differt verò ſpecies intentionalis à ſpecie intelligibili, vt genus differt ab vna ſua ſpecie, v. g. animal ab homine; etenim ſpecies intentionalis, communis eſt ſpeciei intelligibili, & ſpeciei ſenſibili; ſpecies verò intelligibilis eſt forma intentionalis apta eſſe tantùm in intellectu.

Neque intelligitur quæſitum de ſpecie intelligibili obiecti ſpiritualis, & immaterialis formaliter, certum enim eſt, iuxta opinionem S. Thomæ, quam ſequimur, quod ſpecies intentionalis, eſt ſuum obiectum immediatum formaliter; ſpeciem intentionalem obiecti intentionalis eſſe indiuiſibilem, entitatiuè, & in ſe ipſa.

Sed intelligitur articulus de ſpecie intentionali, & intelligibili obiecti formaliter materialis, & de diuiſibilitate entitatiua.

Hæc autem duplex eſt, quantum ad præſens conducit, alia ſubiectiua, & alia obiectiua; & vtraque, alia eſt intenſiua, & alia extenſiua; diuiſibilitas ſubiectiua eſt quando forma coextenditur ſubiecto extenſo, & partibili, ex qua coextenſione, partibilitatem, ſeù diuiſibilitatem accipit, quemadmodum qualitas materialis, puta, caliditas, quando recipitur in quantitate palmari, ex eo, quia quantitati palmari coextenditur, fit diuiſibilis diuiſibilitate in plures partes minores, & minores; quia fit caliditas palmaris; diuiſibilitas verò obiectiua formæ, eſt quando forma, vel eſt repræſentatiua obiecti extenſi, & diuiſibilis, vel quando eſt productiua obiecti, ſiuè termini diuiſibilis, & extenſi, e.g. color vnius palmi producit ſui ſimilitudinem in medio aere, ſecundũ diametrum quinque palmorum; quis exiſtens intra girum quindecim palmorum, videt colorem determinatæ extenſionis quindecim palmorum; ſpecies recepta in oculo huius videntis habet diuiſibilitatem obiectiuam quindecim palmorum; quia eius obiectum terminatiuum, eſt quãtitas quindecim palmorum.

Vtraque diuiſibilitas, tam ſubiectiua, quam obiectiua, poteſt eſſe extenſiua, & intenſiua; extenſiua eſt, quando forma eſt diuiſibilis in partes ſitu quantitatiuo, inter ſe diſtantes, quæ diuiſibilitas, vt dicetur in quæſtione de quantitate continua, eſt diuiſibilitas in partes ſemper mediatas, in quibus ſcilicet, non eſt reperire vnam, quæ ſit immediata alie, & huiuſmodi eſt diuiſibilitas continui in actu; diuiſibilitas verò intenſiua, eſt quando gradus vnius qualitatis, ſiuè vnius formę, ſunt in vno numero ſubiecto, abſque vlla diſtantia ſituali, & huiuſmodi eſt diuiſibilitas caloris vt octo in vna, & eadem parte ſubiecti: calor enim, vt octo poteſt eſſe, vel totus in vno, & eodem ſubiecto, vel poteſt eſſe coextenſus pluribus partibus vnius ſubiecti: primo modo habet tãtummodò diuiſibilitatem intenſiuam; ſecundo modo habet diuiſibilitatem extenſiuam, non quidem per ſe, ſed per accidens, nimirùm, eſt diuiſibilis, & extenſus, non extenſione eſſentiali, ſicut eſt extenſio quantitatiua, ſed extenſione quantitatis ſui ſubiecti, quæ eſt extra eſſentiam caloris.

In hoc articulo, totum pondus difficultatis eſt, an ſpecies, ſiuè ſenſibilis, ſiuè intelligibilis obiecti materialis, & extenſi ſit intrinſecè diuiſibilis ſubiectiuè, & extenſa formaliter: ratio autem dubitandi eſt, quia ſpecies intelligibilis, ſiuè ſenſibilis, eſt formalis ſimilitudo ſui obiecti immediati, quo eſt formaliter extenſum, & diuiſibile; & ſimilitudo formalis, eſt quãtum

tum ad prædicata formalia obiecti, siuè essentialia; ergo in specie sensibili, & in specie intelligibili obiecti essentialiter materialis. Ratio dubitandi est, an illæ sint intrinsecè diuisibiles, siuè extensæ; extēsio enim est ratio prima diuisibilitatis in plures partes entitatiuas.

Circa hoc quęsitum duæ sunt scolasticorum sententiæ.

Prima est dicentium, posse sustineri speciem intentionalem obiecti essentialiter materialis, & extensi, esse diuisibilem, & indiuisibilem subiectiuè sub diuersa ratione formali; esse quidem diuisibilem subiectiuè; quatenus est in subiecto extenso, & probatur; quoniam species. v. g. coloris palmaris in speculo, occupat partem diuisibilem speculi, & est coextensa; sed ratio formalis extensionis, nimirum, quātitatiuæ, est prima radix diuisibilitatis in partes entitatiuas; ergo &c; esse verò speciem intentionalem obiecti materialis, & extensi indiuisibilem indiuisibilitate subiectiua, probatur hac ratione; quia quęlibet pars speciei intentionalis, est integrum repræsentatiuū totius obiecti,(sicut doctè docent Medici) in sua materia, quęlibet pars succi genitalis, succus genitalis est, vt experientia clara attestatur; nā si succus intra duas cellulas vteri recipiatur, nascitur duplex fætus, vbi si receptus fuisset intra vnam tantùm, vnus tantummodò fætus, ex. titisset vigorosior, propter excessum virtutis formatiuæ, & materiæ; sed adnotandū est, quod hæc indiuisibilitas, non debet accipi mathematicè; hęc enim indiuisibilia mathematica chymerica sunt quamquam mathematici, iure optimo ad explicandas suas imaginationes, hæc indiuisibilia in medium adducunt; dicunt enim propter eundem iustum finem, lineā esse fluxum puncti, quæ doctrina, si vt iacet accipiatur, omninò falsa est; vera tamen est, quia volunt per eam explicare lineam carere profunditate, & latitudine. Pariter vtuntur suis imaginarijs superficiebus, quæ solam latitudinem dicant, & longitudinē; docent etiam quod perfectè sphęricū tangit planum in puncto, quæ est doctrina *Eucl. lib. 3. prop. 6.* vbi dicit quod cōtactus lineę rectæ cum circulo, quantitas non est; de quo suo in loco fusè disputabitur. Hæc dixi propter quandam doctrinam essentiæ in *2. lib. de ani. disp. 6. q. 4.* vbi dicit, in omni extensione, siuè subiectiua, siuè obiectiua; siuè intensiua, siuè extensiua esse indiuisibilia correspondentia.

Sed hic accipitur indiuisibile, vel eo sensu, quo rei essentia dicitur indiuisibilis, quatenùs non potest pati additionem, nequè subtractionem vnius prædicati essentialis, quin varietur species; vel accipitur indiuisibile pro ente inextendibili, licet illud sit receptum in subiecto extenso; vt cum anima rationalis, & anima animal ū perfectorum, iuxta opinionem S. Thomæ.

Secunda sententia est, asserentium speciem intentionalem obiecti sensibilis, & diuisibilis, esse diuisibilem obiectiuè, & subiectiuè, diuisibilem quidem subiectiuè; quia est coextensa coextensione, subiectiua vt apparet in speciæ intentionali existente in speculo; diuisibilem verò obiectiuè; quia est repræsentatiua obiecti diuisibilis. Resolutio huius articuli curiosa quidem est, nec facilis; dicam tamen, quid sentiam sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio: probabile est, speciem sensibilem obiecti materialis, & diuisibilis, esse indiuisibilem subiectiuè; In hac conclusione flectitur tota difficultas, in hac materia de diuisibilitate, vel indiuisibilitate speciei intentionalis; plures. n. & doctissimi Scholastici mordicùs contendunt, speciem omnem sensibilem obiecti materialis, & diuisibilis in esse naturali, esse intrinsecè diuisibilem intra potentiam cognitiuam sensitiuam in esse intentionali, sicut eius obiectum immediatum, est diuisibile intrinsecè in suo esse naturali; dixi species intentionalis sensibilis obiecti materialis, & diuisibilis, vt satisfaciam opinioni aliquorum, qui dicunt dari in continuo puncta realia, illaque esse ens materiale, sed indiuisibile, quia sunt entia formaliter inextensa. Fundamentum huius opinionis triplex est.

Primum, est ratio cur species intelligibilis obiecti materialis sit indiuisibilis, est, quia species intelligibilis, est in intellectu, qui est potentia inextensa, & indiuisibilis, cum sit potentia immaterialis, & spiritualis; sed hæc ratio, non est in specie sensibili obiecti materialis diuisibilis; quia species sensibilis subsistentatiuè dependet a potentia sensitiua, quæ est extensa; potentia enim sensitiua dependet ab organo corporeo, tam substantiali, quā quātitatiuo.

Secundum fundamentum est; quoniam diuisibilitas subiectiua in plures partes entitatiuas conuenit quidditati materiali secundum se, vt capaci quantitatis dimensiuæ, sed prædicata, quæ conueniunt quidditati, seù naturæ secundum se, conueniunt ei in quolibet modo essēdi,

di, quia sunt prædicata essentialia, sine quibus quidditas, nequè esse, nequè intelligi potest; ergo diuisibilitas intrinseca subiectiua conuenit speciei sensibili, quia species sensibilis, est quidditas sui obiecti formalis in modo essendi intentionali; ergo species sensibilis diuisibilis est diuisibilitate obiectiua, siuè in seipsa intra potentiam sensitiuam.

Tertium fundamētum est à posteriori, species visibilis existens in speculo, intrinsecè diuiditur diuisione intrinseca obiecti, quod repræsentat; sed eadem est ratio de omni specie sensibili, existente in potētia sensitiua; ergo &c; minor certa est; nā obiectū formale sēsibile, cū sit causa obiectiua naturalis, semper causat idē, & eodē modo; maior verò probatur; nam species visibilis, repræsentans pyramidem, opposita speculo, est vna species actu repræsentans totam pyramidem; si verò pyramidis intrinsecè diuidatur in tres partes; species uisibilis pyramidis adhuc diuiditur in tres partes, repræsentantes tres partes pyramidis; ergo &c. His non obstantibus, nisi fallor, conclusio suam habet veritatem, saltem probabilem.

Fundamentum præcipuum est: diuisibilitas subiectiua, siuè extensiua est prædicatum conuenies quidditati sensibili in modo essendi naturali; cōuenit enim quidditati materiali, quatenùs capaci quantitatis dimensiuæ in esse naturali; sed species intentionalis sensibilis excludit a se modum essendi naturalem; quandoquidem vt docet Aristot. commune est omni sensui esse receptiuum specierum a suo obiecto, sine omni materia, idest sine modo naturali, quem habet obiectum sensibile; ergo &c.

Argumenta in oppositum, non difficilè soluuntur.

Respondeo enim ad primam rationē assignatam, ob quam species intelligibilis, obiecti materialis, est diuisibilis; quia species est in subiecto inextenso, esse rationē specialem, & propriam, non autem rationem generalem conuenientem omni speciei, tam intelligibili, quam sensibili; vt autem species sensibilis obiecti materialis, & diuisibilis sit diuisibilis in seipsa intrinsecè, satis est vt in ea reperiatur ratio vniuersalis, adhoc, vt sit indiuisibilis subiectiuè, & hæc ratio est, quia conuenit quidditati materiali in suo modo essēdi naturali; quidditas enim, non est diuisibilis intrinsecè inquantum quidditas; secùs omnis quidditas esset diuisibilis intrinsecè entitatiuè, nequè inquantum quidditas materialis præcisè, vt sic, vt ostendimus quæst. præcedente, sed conuenit quantitati materiali, inquantum est capax quantitatis dimensiuæ; hoc autem prædicatum conuenit quidditati materiali naturali, scilicet, prout est in suo modo naturali essendi; etenim quidditas materialis in esse intelligibili, non indiget quantitate dimensiua. Hac doctrina soluitur etiam tertium fundamentum Aduersariorum, cùm enim dicunt esse diuisibile diuisibilitate subiectiua, esse prædicatum conueniens quidditati obiecti materialis secundum se, &c.

Respondeo nego maiorem, nam vt diximus diuisibilitas subiectiua conuenit quidditati obiecti materialis, & diuisibilis, quatenùs contractæ ad quidditatem naturalem, non autem quatenùs quidditas materialis vt sic; proculdubio si conueniret quidditati materiali, & diuisibili secundum se, adhuc forma sensibilis obiecti materialis esset intrinsecè diuisibilis, quod expressè negatur in conclusione. Ad tertium.

Respondeo, nego speciem visibilem in speculo diuidi intrinsecè in plures partes diuidentes per diuisionem integralē, siuè entitatiuam sui generis, ad diuisionē intrinsecam sui prototopi, siuè exemplaris, sed ad diuisionem intrinsecam prototopi, siuè visibilis in speculo, desinit intrinsecè secundum totum, species obiecti visibilis in speculo, & resultant, siuè producuntur intentionali influxu in speculo, tot aliæ species visibiles, quot sunt partes in quas diuisum est obiectum, siuè exemplar extra speculum: & ratio est quia, quantitas obiecti extra, est extrinseca speciei visibilis, & ab ea distans, & seiuncta realiter, quod apparet manifesto exemplo, si e. g. separetur quantitas à substantia materiali in esse naturali, & diuidatur deindè quantitas realiter, non diuiditur intrinsecè substantia materialis, quæ erat eius subiectum; verùm si diuidatur quantitas, vt informans substantiam materialem, diuiditur adhuc intrinsecè substantia materialis, quæ est eius obiectum, & ratio est; quia diuiditur substantia per diuisionem quantitatis in ea existentem, nō autem per diuisionem quantitatis existentis in suo simili.

Secunda conclusio: absolutè, & simpliciter species sensibilis obiecti materialis diuisibilis est intrinsecè diuisibilis in seipsa in partes entitatiuas intentionales, sicut eius obiectum immediatum, & formale di-

diuisibile est intrinsecè in suas partes entitatiuas naturales; duplex autem est diuisibilitas totius in partes suas entitatiuas; alia est per se, alia est per accidens, siuè per aliud; prima est propria quantitatis dimensiuæ, quoniam quantitas dimensiua, est prima radix habendi partes extra partes; diuisio verò per accidens, siuè per aliud in partes entitatiuas, est quę conuenit, vel subiecto quantitatis dimensiuæ, vel qualitatibus materialibus receptis in subiecto quanto; & vtraque diuisibilitas, alia est totius, siuè entis intentionalis sensibilis, & alia est entis, siuè totius naturalis, nimirùm in modo essendi naturali. Conclusio intelligitur de diuisibilitate in partes entis intentionalis sensibilis; & sensus est, quod sicut obiectum immediatum, & formale extra potentiam sensitiuam, est diuisibile intrinsecè in partes entitatiuas in modo essendi naturali; ita species sensibilis, est intrinsecè diuisibilis in suas partes intentionales, & sensibiles. Sunt, qui dicunt, speciem intentionalem sensibilem esse diuisibilem, in esse naturali, & entitatiuo; indiuisibilem verò in suo esse repręsentatiuo; quod inquiunt sufficit, vt possit verificari de specie sensibili, vt species est formaliter, repræsentare diuisibile, & suum esse naturale esse indiuisibile; sed hæc opinio nō potest subsistere, saltem ob hanc causam; quia species intentionalis, vt supra ostēdimus præcedentibus articulis, nullum habet esse; naturale contradistinctum ab esse intentionali: Conclusio probatur,

Primò, si qua esset ratio in oppositum, ea esset, quia diuisibilitas in plures partes entitatiuas conuenit quidditati obiecti materialis, siuè rationi formali quātitatis, in ordine ad modum essendi naturalem, non autem absolutè, & secundum se, scilicet in quantum quidditas materialis vt sic, capax quantitatis; sed hæc ratio nulla est; ergo &c. maior concessa est supra, nam diximus quidditatem sensibilē, quæ est species sensibilis obiecti materialis, & diuisibilis, esse diuisibilem in seipsa, in modo essendi intentionali; quia hæc diuisibilitas per se conuenit quidditati materiali in ordine ad modum essendi naturalem, quo nata est esse in sua specie extra potentiam cognitiuam; minor verò probatur; nam quidditas obiecti materialis, & diuisibilis abstrahit negatiuè à quidditate naturali, & à quidditate intētionali; sed hoc dato, diuisibilitas in plures partes entitatiuas, conuenit quidditati materiali materialitate essentię in ordine; tam ad modum essendi naturalem, quam ad modum essendi intentionalem; nam genus præscindens, est indifferens ad modos, quibus diuiditur, & contrahitur; ergo ratio assignata nulla est, quia secùs diuisibilitas esset prædicatum determinatum ad vnum modum essendi; sicut. v. g subsistentia naturalis conuenit formę substantiali naturali, quatenùs naturalis est, non autem quatenùs forma substantialis vt sic; secùs forma intelligibilis substantiæ subsisteret subsistentia naturali intra intellectum, & non subsistentia intelligibili per se loquendo.

Secundò, species sensibilis obiecti materialis diuisibilis, est essentialiter materialis per essentiam; immaterialis verò tantùm per abstractionem à modo naturali essendi; quandoquidem omnis species intentionalis, est suum obiectum immediatum formaliter; sed omne materiale formaliter, est diuisibile intrinsecè, quia omne ens materiale formaliter, est ens essentialiter potentiale; diuisibile autem ens potentiale est; ergo omnis species sensibilis obiecti materialis formaliter, est diuisibilis intrinsecè in seipsa, & non solum est diuisibilis in suo obiecto; minor probatur; quia omne materiale, vel est quātum, vel est quantificabile; sed quantum, inquantum huiusmodi, diuisibile est in infinitum; ergo omne ens materiale formaliter, est intrinsecè diuisibile; Dixi primò, ens materiale formaliter; quia datur ens materiale materialiter, vt sunt puncta, si dentur in continuo realiter, vel vniones materiales. Dixi secundò, quantum, inquantum huiusmodi; quia quantitas aliquandò est indiuisibilis, non quidem per se, & ex natura sua præcisè spectata; sed per accidens, quatenùs est existens in substantia incorruptibili, & indiuisibili in esse naturali, vt accidit quantitati cęlestium corporum; pariter quidditas quantitatis continuæ in modo essendi intelligibili; sub qua ratione, est species intelligibilis quantitatis continuę naturalis, est indiuisibilis, non quidem per se, & ex natura sua præcisè spectata; sed, per accidens; quatenus, .s. existit in modo essendi intelligibili: quia modus essēdi intelligibilis cum sit modus spiritualis indiuisibilis est; quod dici non potest de quidditate speciei sensibilis; quia modus essendi speciei sensibilis, cum sit materialis diuisibilis est.

Ne-

Nequè obest si dicas, quod quidditas siuè ratio formalis quantitatis continuæ, vt sic, est diuisibilis in modo essendi naturali, non autem in modo essendi sensibili, qui est quidam modus essendi intentionalis; nam.

Contra est, quidditas materialis inquantum huiusmodi, est essentialiter potentialis, vt diximus; sed hoc prædicatum cōpetit quidditati materiali in omni modo essendi, tàm naturali, quàm sensibili; ergo &c. minor est euidens; quia prædicata, quæ conueniunt termino superiori secundum se, conueniunt eidem existenti in quocumque modo essendi, in quo est essentialiter, & formaliter.

Quod si quis fingere voluerit, materialitatem, siuè extensionem aliquā, quæ per nullam potentiam posset actu realiter diuidi, diuersæ rationis à materialitate, & à quantitate materialibus, proculdubio fingebit chymeram, nisi voluerit intelligere illam materialitatem, siuè extensionem quantitatiuam esse indiuisibilem non per se, & ex sua natura præcisè spectata, sed per accidens, modo supra explicato; & ratio in promptu est; quia huiusmodi materialitas, siuè extensio non effugiet conceptum potentialitatis; quandoquidem omnis materialitas formalis, & omnis extensio quantitatiua, essentialiter in se includit, si non realem distinctionem partium; saltem realem extrahitatem partium; at vbi est à parte rei, vna pars extra aliam, necessariò vna est diuisibilis ab alia.

Tertiò probatur; omnis species sensibilis, siuè in sensu interiori, siuè in sensu exteriori, est coextensa potentiæ sensitiuæ; quoniam potentia sensitiua dependet subiectiuè, & substentatiuè à subiecto quanto, nimirum, ab organo corporeo; at vbi est extensio, nimirum, quantitatiua, necessariò est diuisibilitas quantitatiua, & in se, quam appellamus extensionem, & diuisionem subiectiuam, ad differentiam extensionis, & diuisibilitatis obiectiuæ, quæ scilicet existit in ipso obiecto; ergo omnis species sēsibilis, est intrinsecè diuisibilis secundum se, & absolutè. Et confirmatur, nam ob hanc rationem species intelligibilis substātiæ materialis, siuè quantitatis continuæ formaliter, est indiuisibilis, nimirum per accidens, non per se; quia licet sit extensio formaliter; tamen non est coextensa suo subiecto; quia subiectum speciei intelligibilis, est intellectus; hic autem, cum sit essentialiter spiritualis, & immaterialis, est inextensus formaliter.

Ex hac ratione solui potest obiectio, quæ fieri potest ab aliquo ingenioso, qui potest dicere; posita, & data opinione S. Thomæ, speciem intentionalem esse quidditatem sui obiecti immediati formaliter in modo essendi intentionali, necessariò sequi speciem intelligibilem substantiæ materialis, siuè quantitatis continuæ esse intrinsecè diuisibilem in se, saltem Diuina potentia; quia quantitas essentialiter, & formaliter dicit partes extra partes; sed species intelligibilis quantitatis continuę, est formaliter quantitas ergo, &c.

Responderi statim potest; quidditatē substantiæ materialis, siuè quantitatis cōtinuæ in modo essendi intelligibili, esse per accidens indiuisibilem, non autem per se, & ex sua natura præcisè spectata.

Si verò substinere velimus, speciem intelligibilem obiecti materialis, & diuisibilis, esse indiuisibilem subiectiuè per se; debemus substinere posita opinione S.Th. diuisibilitatem realem in plures partes cōuenire quidditati materiali, siuè quantitati continuæ, quatenùs sunt quidditates materiales naturales; non autem quatenùs sunt quidditates materiales vt sic, idque hac ratione ostendi potest; Primò, quia species intentionalis, non datur vt sit, sed vt repræsentet suum obiectum potentiæ cognitiuæ; at diuisibilitas intrinseca in plures partes entitatiuas, est prædicatum entis, quod datur, vt sit, non vt repræsētet suum obiectum potentiæ cognitiuæ; diuisibilitas .n. entitatiua, est in partes, quarū quælibet apta est esse, siuè existere in rerum natura. Secundò, quia modus essendi intentionalis per se dicit vnitatem; vnitas autem opponitur diuisioni, seù diuisibilitati; maior probatur, quia in modo essendi intentionali conueniunt plura, ac diuersa obiecta materialia potentiæ cognitiuæ; & hinc est, quod naturæ, siuè essentiæ rerum, non habent contrarietatem in modo essendi intentionali; sed solum in modo essendi naturali.

Nequè obstat si dicas, non posse idē esse diuisibile, & indiuisibile intrinsecè; sed quidditas obiecti materialis in modo essendi naturali, est intrinsecè diuisibilis; ergo etiam in modo essendi intentionali, quia species intentionalis, est suū obiectū immediatum essentialiter, siuè formaliter.

Non inquam hoc obstat, nam esse

diuisibile, & indiuisibile sunt contradictoria, quando sunt secundum idem, & respectu eiusdem; at quidditas obiecti materialis est diuisibilis, & indiuisibilis respectu diuersorum; & explicatur hoc exẽplo valdè apto de Angeli essentia, quæ in modo essendi naturali est omninò immultiplicabilis numero intra eãdem speciem; quatenùs verò est receptibilis formaliter in pluribus intellectibus numero diuersis, est solo numero multiplicabilis, vt supra ostendimus.

Hoc ipsum, quod diximus de specie sensibili obiecti materialis formaliter, & diuisibilis, dicendum est etiam de specie intelligibili, obiecti materialis, & extẽsi quãtum ad suam essentiam formaliter; non quidem ob rationem specialem, qua species sensibilis, est intrinsicè diuisibilis; quia nimirum species sensibilis est formaliter extensa in se, & coextensa quantitati sui obiecti; sed ob rationem communem, & generalem, quæ est; quia species intentionalis obiecti materialis, & diuisibilis formaliter, est suum obiectũ immediatũ formaliter, siuè essentialiter; hoc autem in causa est, vt species obiecti materialis formaliter non solum sit diuisibilis obiectiuè, sed etiam, vt sit diuisibilis subiectiuè, siuè in seipsa; quandoquidem hæc diuisibilitas, est prædicatum cõueniens in secundo modo dicendi per se obiecto quanto quantitate dimẽsiua; & probatur; quia diuisibilitas cõpetit quantitati cõtinuæ formaliter, quatenùs ea essentialiter dicit partes extra partes quod prædicatũ conuenit, vt supra ostẽdimus, quãtitati cõtinuæ in ordine ad omnes modos essendi quibus diuisibilis est; quia conuenit ei absolutè, & vt est abstrahibilis ab omni modo essendi formaliter, quod dico, vt respõdeam eis, qui asserunt quantitatem continuam, esse diuisibilem in partes extra partes solum in esse naturali, non autem secundum se, prout abstrahibilis est ab omni modo essendi etiam intelligibili, siuè sẽsibili.

Neque obstat si dicas, quod modus essendi intelligibilis, est indiuisibilis, cũ sit modus essendi cõmẽsuratus potẽtiæ intellectiuæ, quę est indiuisibilis, sed implicat diuisibile recipi, siuè esse in indiuisibili, cuius ratio est; quia diuisibile habet partes extensas, vnam scilicet extra aliam, quæ nõ possunt esse sibi intimè præsentes; ex hoc verò, quod recipiuntur in subiecto indiuisibili, vel in modo indiuisibili, debent illæ partes esse sibi intimè præsentes; cum enim omnes partes sint rei recipientis illas, & res recipiens, non habet partes, necessariò omnes partes erunt sibi intimè præsentes; hæc autem ratio in vniuersum concludit, nullum diuisibile recipi posse in subiecto indiuisibili, quia scilicet tolleretur ratio diuisibilitatis; & probatur, quia omnes partes essent indiuisibiliter ratione recipientis quod indiuisibile est,

Non inquam obstat hoc; responsio enim facilis est ad propositum argumentũ Aduersariorum; argumentum est huiusmodi, partes extensæ formaliter existunt eidem indiuisibili, quia coexistunt eidem modo essendi intelligibili, qui est indiuisibilis, & eidem potentiæ intellectiuæ, quæ adhuc indiuisibilis est; ergo sunt præsentes immediatè inter se,

Resp. cũ distinctione, coexistere inadęquatè eidẽ indiuisibili, non autem coexistere adęquatè; vndè consequẽtia falsa est, quia medius terminus non distribuit adæquatè; ratio autem cur coexistant inadæquatè indiuisibili potentiæ, & modo essẽdi intelligibili, qui est indiuisibilis, est quia tam intellectus, quam modus essendi intelligibilis, licet sint actus indiuisibiles, sunt tamen virtute diuisibiles, quia sunt prædicata spiritualia; spirituale autem cum sit actus, potest esse principium vnionis diuisibilis, explicatur distinctio; nam apud Theologos indiuisibile, est duplicis generis, aliud est indiuisibile actu, & virtute, siuè formalieer, & virtualiter; & aliud est indiuisibile actu; diuisibile verò virtute; gratia exempli; punctum si detur in quantitate continua realiter, superpositum, rei quantæ non commensurat sibi aliquid, quod quantum sit, vel non accipit sibi aliquid quod quãtũ sit, quia punctum, est indiuisibile actu, & virtute. Anima nostra rationalis etiam indiuisibilis est, actu & formaliter, sed commensuratur corpori sex aut septem palmorum, non formali extentione, sed sua virtuali, quia anima rationalis, licet sit actu, vel formaliter indiuisibilis, est tamen, virtute diuisibilis.

Dicunt alij, quędam entia indiuisibilia, sunt apta coexistere rei extensæ, quædam verò minimè e.g. Deus optimus maximus indiuisibilis omninò substantia est; qui tamen de se testatur, Cœlũ, & Terrã ego impleo; & Angelus indiuisibilis, finita substantia est, & tamen coexistit Spheræ decem palmorum, aut alterius mensuræ, & ratio a priori est, quia sunt substantia diuisibilis virtute; Deus quidem pura virtute actiua; Angelus verò virtute permixta potentialitate.

Cer-

Certè quando indiuisibile est formaliter, & virtute, à tertio valet argumentari ad extrema, secùs verò si sit indiuisibile solum actu; de tali enim indiuisibili verificantur propositiones, quasi illud esset diuisibile; Do exemplum in eadem anima rationali: respondēdo etiam ad argumentū Etnicorum, qui difficultate argumenti humanam animam materiam fecerunt. Caput est in anima, pedes sunt in eadem indiuisibili anima, non valet consequentia; ergo caput est in pedibus: quia nimirum anima, virtute ęquiualet extenso: quæ radix est vt dicamus, cum veritate, quod anima prout existit in capite, non existit in pede; vndè oritur vt anima quędā habeat in capite, quæ nō habet, prout existit in pede; indè est, quod anima intelligit, prout est in capite, nō prout est in pede, & indè est quod anima mouetur simul, & quiescit; mouetur prout est in pede, quiescit ꝑut est in capite quæ reduplicatiua radix est (vt obiter aliquid de replicatione attingam) cur existēte homine eodem Neapoli, & Romæ vapulet Neapoli, verberet Romæ, vigilet Neapoli, dormiat Romæ, moueatur hic, quiescat Romæ, & alia prædicata, quę concernūt reduplicatiuā. Regula generalis in hac materia esse debet hæc, quod prædicata, quæ conueniunt locabili dependenter à loco, possunt conuenire eidem, prout est diuersis locis, etiam distantibus, si replicatio corporis extensiua sit possibilis, prædicata verò, quæ conueniunt locabili intrinsicè, & independenter à loco ei insunt vbique.

Obiicies primò cōtra secundam conclusionem; diuisio in plures partes entitatiuas, siuè in partes in se, est diuisio quantitatis continuæ determinatæ, siuè ea sit quantitas per se, siuè per accidens: sed species quantitatis continuæ, tam intelligibilis, quam sensibilis est indeterminata, quia est quantitas formaliter, nimirum quantū ad sua formalia; sed quantitas formaliter præscindit ab omni determinatione quantitatiua, nimirùm ab omni tantitate; ergo species intentionalis, siuè sensibilis ea sit, siuè intelligibilis, non potest esse in se diuisibilis; diuisibilitas enim supponit quantitatem esse determinatam.

Obijectio hæc resoluetur sequente conclusione, quia indiget explicatione.

Tertia conclusio; species intentionalis obiecti materialis formaliter, siuè quantitatis cōtinuæ, si ea intelligibilis sit in intellectu creato humano, est omninò indeterminata, nimirum caret omni determinatione quantitatiua, tam certa, & signabili, quam incerta & inassignabili; si verò ea sit sensibilis, est indeterminata tantummodò per negationē determinationis certæ, & signabilis. Conclusio duas habet partes; Prima asserit speciem intelligibilē humanam quantitatis continuæ, siuè obiecti quanti quantitate dimensiua, excludere à se omnem determinationem quantitatiuam; idque intelligendum est, tam de determinatione entitatiua in esse naturali, quam in esse in modo essendi intentionali; Secunda asserit speciem intentionalem sensibilem excludere a se tantitatem determinatam, includere verò tantitatem indeterminatam, non quidem in modo essendi naturali, sed in modo essendi intentionalī, & vtraq; pars conclusionis controuersa est; non enim est vnus dicendi modus Scolasticorum, vt supra explicauimus.

Ratio primæ partis conclusionis est; quia intellectus creatus humanus, est vniuersalium formaliter, vt docet Arist. *3. de Ani.* ex hoc autem prædicato, intellectus humanus intelligit per species abstrahentes ab omnibus conditionibus indiuidualibus, scilicet intelligit per species intelligibiles, quæ sunt repræsentatiuæ naturæ formaliter; singularium, verò materialiter tantùm; sed determinationes quātitatiuæ omnes in indiuiduo sunt differentiæ singulares formaliter, vt v g. tātitas palmaris, semipalmaris, & huiusmodi; ergo species intelligibilis quantitatis dimensiuæ excludit à se omnem determinationem, siuè tantitatem certam, & signabilem, & indiuidualem.

Ratio autem secundæ partis conclusionis est; quoniam sensus est singularium formaliter, vt supra ostendimus, cum Arist.; sensus enim est, potentia cognitiua inferior intellectu creato humano; ex hoc autem prædicato, necessariò sensus est singularium formaliter; & probatur; nam intellectus creatus humanus dicitur potētia cognitiua superior, quia est obiecti formaliter vniuersalis; ergo sensus est inferior, ex eo, quod est singularium formaliter; ac proindè debet cognoscere per species, quæ includunt in se, quatenus scilicet repræsentatiuæ sunt formaliter singulatitates suorum obiectorum immediatorum, sed istę singularitates sunt tantitates, tàm determinatę, quàm indeterminatæ; sed has includit in esse intentionali, quia vt sæpè supra repetiuimus, sensus omnis in cognoscendo præscindit à modo naturali essendi sui obiecti. Termi-

ni prædicti de tantitate determinata, & indeterminata explicantur a Scholasticis, tam in quæstione de quantitate continua, quàm in quæstione de infinito categorematico, & syncategorematico, sed quantum satis est, sic eos explico; in quantitate v.g. palmari, duo sunt quantitas continua, siuè extensio continua, & determinata extensio, siuè tantitas; etenim est quantitas palmaris, quantitas siuè extensio negatiuè præscindit à tantitate, non solum palmari, sed ab omni alia tantitate; solum enim dicit extensio continui formaliter, primam radicem habendi partes extra partes mediatè; tantitas autem extensionis, alia est determinata, & certa, seù signabilis, v. g. quantitatem esse cubitam, vel tricubitam; alia verò indeterminata, quæ significari solet à Scholasticis his terminis, quantitas non tanta, quin maior, vel minor. Quantitas, siuè extensio cõtinua, vt sic, idest vt præscindit, non solum ab omni tantitate, sed etiam à modo essendi naturali, est obiectum formale intellectus creati humani; quia vt dixi, intellectus creatus humanus, est vniuersalium formaliter, & est essentialiter potentia suum obiectum formaliter; non posset autem esse potentia suum obiectum formaliter, nisi illud esset obiectum vniuersale per abstractionem, tam ab omni tantitate, quàm à modo naturali essendi; vniuersale enim est per abstractionem ab omni modo determinante, & ab omnibus differentijs indiuidualibus; obiectum formale sensus, est obiectum quantum, & sensibile, vt singulare vagum, præscindens, non solum à determinato singulari, sed etiam ab omni modo essendi naturali: & ratio est, quia vt ostendimus cum Arist. sensus est singularium formaliter, quod est singulare vagum, non autem singulare determinatum, quod potest competere tam singulari determinatæ quantitatis, quam indeterminatæ; si enim obiectum formale sensus, esset singulare sensibile determinatè, non posset sensus cognoscere, nisi vnum tantum singulare; sed singulare determinatum, est tantum obiectum materiale sensus, & hæc doctrina cõfirmatur, & explicatur simul alia doctrina communi inter Perspectiuos, qui probant, quod species visibilis, qua fit actu potentia visiua, producitur à suo obiecto illuminato actu, sub quodam angulo triãguli, vel magis pyramidis, cujus basis est in re visa, & angulus est in oculo videntis, quam doctrinam explicat S. Thomas cum Aristot. *lib. 2. de Anim. tex. com.* 74. nequè refert inquit S. Thomas ad hoc, vtrum visio fiat extramittendo, ita quod concludentes triangulum, vel pyramidem sint lineæ visuales progredientes à visu ad rem visam, vel è conuerso fiat, dummodò fiat sub prędicta figura trianguli, vel pyramidis, & hoc ideo necesse est, inquit S Thomas, quia cum res visa sit maior, quam pupilla, oportet, quod proportionaliter diminuendo, perueniat immutatio visibilis vsque ad visum: manifestum est autem, quod quanto latera trianguli, vel pyramidis, sunt longiora, dummodò sit eadem basis, tantò angulus est minor; & ideo quantò à remotiori videtur, & tantò potest esse distantia, quod omninò non videatur; & hæc est causa cur magnum obiectum sensibile, & magna distantia inter visum, & obiectum visibile à quocumque paruo oculo, aut quacumque parua pupilla, aut specie visibili videatur.

Solum hic insurgit difficultas, quæ videtur aliquibus insolubilis, posita doctrina S. Thomæ, speciem intentionalẽ, esse suum obiectum immediatum formaliter; etenim in specie, v.g. visibili repræsentatur formaliter magnitudo sui obiecti immediati, distantia maxima, quæ esse potest, quæ quatenùs sunt prædicata obiecti, non sunt formaliter in specie visibili, quæ potest esse tantę minoritatis, vt physicè nõ sit diuisibilis in minores partes.

Sed hæc difficultas ex dictis non difficilem habet solutionem; quandoquidem species intentionalis, est suum obiectum immediatum formale; non autem suum obiectum materiale; obiectum formale sensus, vt supra diximus, est quantũ sensibile, vt indiuiduum vagum sensibile; obiectum verò materiale, est indiuiduum quidem, sed vel determinatæ quantitatis, vel indeterminatæ quantitatis; obiectum formale, quod est indiuiduum vagum sẽsibile sensus, sicut reperitur totum totalitate formali in quolibet obiecto materiali, tam determinatæ quantitatis, quam indeterminatæ quantitatis, ita etiam reperitur totum totalitate formali, siuè essentiali in sua specie sensibili. Explicatur hæc distinctio, & doctrina, alia consimili distinctione, quam docet S. Thomas *p. p. q. 8. art. 2. ad 3.* dicens, quod duplex est totum, aliud totalitate essentiæ, & aliud, est totum totalitate quantitatis dimensiuę determinatæ. Dico totum totalitate quantitatis dimensiuæ determinatę, tum quia de hac totalitate loquitur, ibi S. Th.

mar,

mas, tùm etiam quia quantitas dimensiua, adhuc est quoddam totum totalitate essẽtiali: est enim quædam essentia; quodlibet totum, vt totum totalitate essentiali, sicut non dicit commensurationem totalitati loci in quo est, ità neque dicit commensurationem suæ essentiæ cum quantitate sui subiecti, quod S. Thomas exemplificat, etiam in formis accidentalibus, quæ secũdùm accidens quantitatem habent: albedo enim inquit, est tota in qualibet parte superficiei, si accipiatur vt est totum totalitate essentiæ; quia secundùm perfectam rationem suæ speciei, inuenitur in qualibet parte superficiei; si verò sumatur vt quanta, totalitate quantitatis determinatę, sic non est tota in qualibet parte superficiei, putà in qualibet parte palmi; pariter obiectum formale sensus, est totum totalitate essentię obiecti formalis sensus, & sic reperitur, non solùm totum in tota quantitate sensibili determinata, siuè indeterminata, quæ est obiectum materiale sensus; sed etiam in qualibet parte quanti determinati, vel indeterminati; totum enim essentiale consistit in indiuisibili, nec dicit commensurationem, siuè adæquationem cum vno obiecto materiali, secùs non posset esse in alio suo indiuiduo indeterminato.

Quod si primò dicas; indiuiduum vagum est analogum, non autem vniuocũ; sed analogum, non potest esse totum in quolibet suo inferiori, quia analogum dicit plura, vt similia similitudine imperfecta; plura autẽ, vt similia, etiã similitudine imperfecta, nõ possunt esse in vno indiuiduo; sicut, v.g. substantia, & accidens, vt similia proportionalia, non possunt esse, vel solum in substantia; ita pariter indiuiduum vagum, vt analogum, sub qua ratione dicit plura indiuidua, vt similia proportionaliter, non potest esse totum totalitate essentiali in vno tantùm obiecto materiali, seù in vno tantùm indiuiduo.

Respondeo, indiuiduum vagum sub diuersa consideratione, esse vniuocum, & esse analogum ex natura rei; analogum quidem, quatenùs dicit plura indiuidua, vt similia proportionaliter; vniuocum verò quatenùs præcisè dicit rationem incommunicabilis pluribus inferioribus; & ratio est; quia taleitas huius, vel illius indiuidui determinati, vel indeterminati, sunt modi intrinseci indiuidui vt sic; à modis autem intrinsecis datur perfecta abstrahibilitas formalis, sicut in ente creato formaliter, datur perfecta abstrahibilitas ab omnibus suis modis intrinsecis, à quibus est abstrahibile; & hæc doctrina notanda est; valdè enim conducit, quamlibet potentiã sensitiuam esse vnam vnitate vniuoca; non enim posset esse potentia sensitiua vna vnitate vniuoca, nisi eius obiectum formale esset adhuc vniuocum in ratione obiecti, vt fusè, & latè supra ostendimus.

Quod si secundò dicas; species v.g. visibilis magnitudinis viginti palmorum, vel distantiæ viginti palmorum, repræsentat, non solum rationem essentialem distantiæ, & magnitudinis, sed etiam tantitatem magnitudinis, & distantiæ; prædicata autem, quæ sunt in obiecto cognito immediato, sunt etiam in specie intentionali, qua repræsentatur; ergo posito quod species intentionalis, est similitudo formalis sui obiecti immediati, deberet distantia, v. g. viginti palmorum, formaliter esse in specie visibili; sed hoc est falsum, quia in parua specie uisibili uidetur obiectum longè maius in quantitate.

Respondeo, in specie sensibili esse omnia prædicata sui obiecti immediati formalis, non autem omnia prædicata sui obiecti materialis, etiam immediati; species enim intentionalis est similitudo formalis in esse tamen intentionali, tantummodò sui obiecti immediati formalis, nimirùm præcisè quantum ad prædicata formalia, quibus est essentialiter obiectum formale. Cum verò dicitur in oppositum, dari v.g. in oculo speciem visibilem distãtiæ, v.g. viginti palmorum; hęc autem distantia non est in specie visibili.

Respondeo, quod hęc distantia dupliciter potest sumi, vno modo secundùm quod est quoddam totum essentiale; alio modo, vt est quoddam totum totalitate dimensionis, siuè extentionis viginti palmorum; primo modo est obiectum formale; secundo modo est obiectum materiale visus, vt obiectum formale visus est formaliter in specie sua visibili existente in oculo; secundo modo est obiectum materiale, & sic non est in sua specie visibili; quia in specie intentionali non sunt alia prędicata repræsentatiua, nisi quæ sunt principium formale cognoscendi.

Neque obstat si obijcias; distantiam, siuè quantitatem viginti palmorum, esse obiectum per se primò, & immediatè repræsentatum in sua specie visibili existente in oculo, & tamen hæc prædicata non sunt in specie visibili existente in oculo.

Respondeo primò: magnitudinem, siuę

uè distantiam viginti palmorum, inuoluere in se duo: & extensionem in se, & extensionem localem, quantum ad extẽsionẽ in se vtiquè est in sua specie visibili; quantum verò ad extensionem localem non item; quia hæc extensio localis, est præcisè obiectum materiale visus; in specie autem visibili solum sunt prædicata sui obiecti immediati, & formalis.

Respondeo secundò: magnitudinem, siuè distantiam viginti palmorum, posse sumi dupliciter, vno modo, per modum essentiæ, siuè quidditatis sensibilis; alio modo, per modum commensurationis ad extrinsecum locum; primo modo accipitur, vt quoddam totum essentiale: secundo modo, vt quoddam totum dimensiuum. Primo modo est formaliter in sua specie visibili; secundo modo non item; doctrina hæc, & distinctio intelligũtur plenè doctrina, & distinctione, quam docet S. Th. *loc. sup. cit. in p. p. q. 8. art. 2. ad 3.* de toto totalitate essentiali, & de toto totalitate quantitatiua dimensiua; & quidem quod totum est totalitate essentiali etiam si hoc sit quantitas dimensiua, quę vt dixi adhuc habet duplicem rationem totius, potest esse adhuc in indiuisibili, vt patet in Santissimo Eucharistiæ Sacramento, & fortè hac ratione aliqui dixerunt speciem intẽtionalem obiecti quanti, & diuisibilis formaliter, esse indiuisibilem subiectiuè, quod quidem intelligendum est de indiuisibilitate, quæ conuenit speciei per accidens, vt supra explicauimus.

Obijcies secundò: ex data doctrina sequitur obiectum formale sensus v. g. esse quantum dimensiuum, vel quantitatem dimensiuam; sed hoc est falsum; quia obiectum formale visus, est color illuminatus; ergo, &c.

Respondeo: obiectum formale visus (idem dico de obiecto aliorum sensuum externorũ) aliud est propriũ, & est illud q̃ sentitur, siuè videtur primò, & per se a sensu, & huiusmodi est color respectu visus, vel est commune, quod, scilicèt, per se sentitur; sed non primò; quia per aliud, nimirùm, per proprium obiectum, veluti ab eodem visu sentitur magnitudo, sentitur figura, motus, & cętera sensibilia communia, quę quidem in se sentiuntur, sed non primò: quia scilicet sentiuntur dependenter ab obiecto formali proprio, quod per se primò sentitur; quia independenter ab alio obiecto, datur etiam sensibile per accidens, quod nequè primò, nequè per se secundò sentitur, quomodò, e. g. sentitur homo per accidens; quia nec per se secundò, nec per se primò sentitur; sed solùm dicitur sentiri à sensu; quia illi obiecto, quod sentitur per se, vel primò, vel secundò accidit, v. g. esse hominem; idquè euenit ex eo; quia in sensu, nulla ratione, adest similitudo hominis, vt homo est; nec per se primò, nec per se dependenter à proprio obiecto; quatenùs scilicet per accidens in eo reperiuntur, tàm obiectum proprium, quàm obiectum commune; quæ duo obiecta, quatenùs sunt vnum per se sensibile, imprimũt vnam speciem sensibilem in sensum, ad differentiam obiecti per accidens.

Hæc doctrina suam patitur instantiam; nam potest quis dicere, color nec etiam per se videtur, nisi quantus sit; sicut quantitas, vel figura, nequè per se videtur, nisi sit colorata; ergo par ratio est de quantitate, quæ dicitur sensibile commune, nec videtur, nisi colorata sit, ac de colore, qui dicitur obiectum formale proprium.

Respondeo; quod hæc instantia sine dubio leuis non est, & quantum video Authores rem hanc non exagitant; sed contenti sunt hoc solo discursu, quod quãtitas non videtur, nisi sit colorata, quod non est dicendum de colore; non aduertentes, quod nec etiam color videtur, nisi sit quantus.

Qui tenent colorem etiam in indiuisibili positum, posse videri, facilè se se expediunt a proposita difficultate; nam quãtumquumque augeatur vis visiua, numquam videbitur quantitas, quę inuisibilis est.

Sed quid? si aliquis proteruus diceret, hanc esse petitionem principij, sola inquiet illuminata quantitas videbitur, sicut, & solus color illuminatus videri potest.

Audiui Aliquem doctum virum respõdere afferẽdo hunc discursum ex duplici capite, vtrumque à posteriori. Primum est; quia quantitas in alijs actionibus est conditio necessaria agendi; secundum est, quãtitas percipitur à pluribus sensibus; ergo est sensibile commune; consequentia manifesta est; Probatur antecedens; percipitur enim tactu, & visu, ergo quantitas non est per se visibilis primò.

Mihi nunc hæc responsio occurrit (saluo semper meliore iudicio) quod quantitas, vel figura, est veluti pura potentia, non solum ad plura indiuidua, sed etiam ad plures differentias formales, & specificas; sicut materia prima est pura potentia in genere entis naturalis, & intellectus humanus, est pura potentia in genere intelligibi-

gibilis; Prima autem potentia facit vnum per se cum sua forma, à qua perficitur intrinsecè in suo genere, & in specie. Ex hoc principio sequitur, quod quantitas à colore perficitur etiam in genere visibilis, quia est pura potentia formalis ad colorem; & sicut materia prima, vt pura potentia est intrinsecè ens actu; sed dependenter à forma, quæ est per se primò principium formale essẽdi ens actu dependenter à forma; ità quantitas cum sit pura potentia formalis, est enim subiectum immediatum omnium qualitatũ: subiectum autem primum, & immediatum omnium qualitatum, est potentia quodlibet genus qualitatis; sicut materia prima, vt dicit Aristot. 1. *physicorum*, non est quid, scilicèt substantia prædicamentalis, nec quantitas, nec qualitas; sed potentia omnia hæc; ipsa verò potentia prima, est imperfecta, & perfectibilis in quolibet genere prędicamentali; àc proindè quantitas est perfectibilis in quolibet genere obiecti formalis propriæ potentiæ cognitiuæ; quia obiectum formale proprium potentiæ sensitiuæ, est aliqua sensibilis qualitas: & ob eandem rationem quantitas est obiectum commune omnibus potentijs sensitiuis; de hoc fusius dicetur in quæstione de quantitate continua.

Explicatur hæc doctrina exemplo luminis, quod complet colorem in ratione obiecti motiui, & terminatiui sensus visus; lumen enim est quidam color complens colorem in ratione obiecti motiui visus; non enim color est motiuus visus, nisi inquantũ est illuminatus; quam ob causam S. Thom. pluribus locis suæ doctrinę docet, colorem, & lumen videri per vnam speciem; quia, nimirùm, ratio formalis videndi colorem, est lumen; indè verò deducit S. Thomas, formale, & materiale obiectum, vnico medio, & vnico actu percipiuntur.

Durandus *loco cit.* rem hanc exactè exagitat, & improbat opininem S. Thom. dicens, color ipse per se terminat visionem, sicut ipsum lumen per se terminat eandem, & est sola subordinatio inter duas species; scilicet inter eam, quæ producitur à colore, & inter eam, quæ producitur à lumine: itaùt vna non producitur sine alia, & lumẽ non terminat sine colore, & è conuerso.

Sed hæc Durandi doctrina facilè reijcitur. Primò, quoniam color seorsum à lumine, non est motiuus diaphani, nisi sit illuminatus: quia vis motiua fundatur in ratione perfecti; color autem est imperfectum lumen, quod complet colorem in ratione obiecti, & motiui, & terminatiui, vt infrà dicetur. Secundò: quia hæc Durandi doctrina supponit diuersitatem inter colores, & lumen, quæ sententia vera non est; quia color sine lumine non est visibilis, tàm motiuè, quàm terminatiuè; & huius nulla alia ratio esse potest, nisi; quia color est exiguum, & imperfectum lumen, & si pręscindatur a lumine, non habet sufficientiã, neque ad producendum speciem visibilem, neque ad terminandum solitariè actum visionis; si verò color iuuetur à lumine formali, complebitur color ad vtrũque munus præstandum; semper tamen color, & lumen simul terminant actum visionis, sicut, u.g. exigua qualitas actiua, si iungatur intentiori, ipsa est, quæ agit. Verùm disparitas est inter colorem, & quantitatem; quia color seorsum à lumine est actus, sed imperfectus, & exiguus; quantitas verò est potentia color, & consequenter intrà genus coloris; ac proindè per se uisibilis, non vt obiectum formale propriũ, sed vt obiectum commune.

Dices fortè aliqua obiecta sine vllo lumine extrinseco videntur; quemadmodũ accidit in carbunculo, noctilucis, & similibus; ergo lumen non requiritur ex parte obiecti.

Respondeo, quod hæc obiectio confirmat magis nostram doctrinam: tũc enim requiritur lumen extrinsecum, cùm lumen intrinsecum exiguum est; quod si hoc suam debitam proportionem ad terminandum habuerit, lumen extrinsecum necessarium est; non quidem simpliciter, vt probant manifestè allatæ experientiæ; sed ad perfectiorem visionem eliciendam, vt patet cùm e.g. carbunculus lumine illuminatus à vidente conspicitur.

Hic notanda sunt duo obiter; primum est, quod lumen extrinsecum non requiritur est parte medij, & probatur: quia vt diximus etiam si simus in tenebris, dummodò obiectum sit illuminatum, per visum illud appræhendimus. Secundùm est, quod lumẽ requiritur ex parte termini; ità tamen, vt sit cõcausa respectu coloris, quatenùs color non videtur sine lumine: idest color non terminat visionem sui, nisi etiã lumen eandẽ subeat rationem termini, & nisi fallor, huius est manifesta experientia: inuariato enim lumine, & intentiore facto colore, color videtur melius, quod signum est, quod color ipse est imperfectum lumen, & est, qui terminat: quæ animaduersio multũ valet ad explicandũ, quod quantitas, nõ videtur per se primò, & propriè, sed per se communiter; ex eo, quia recedit a ratione formali

Cccce pro-

propria videndi, cum ſit tantum in potentia lumen, ſemper autem ratio potentialis communis eſt pluribus obiectis ſpecie diuerſis.

Obijcies tertiò, quantitas dimenſiua eſt eiuſdem rationis formalis, tam in eſſe intelligibili, quam in eſſe ſenſibili intentionali; ſed in eſſe intelligibili eſt indiuiſibilis indiuiſibilitate ſubiectiua; ergo etiã in eſſe ſenſibili intentionali erit indiuiſibilis ſubiectiuè; ergo falſum eſt ſpeciem ſenſibilem intentionalem quantitatis dimenſiuæ, vel qualitatis materialis quantæ, eſſe diuiſibilem ſubiectiuè.

Neque dicas, quod in ſpecie intelligibili, quantitas dimenſiua formaliter eſt diuiſiua per accidens, vt ſuprà diximus, non autem per ſe; in ſpecie verò ſenſibili intentionali non eſt impedimentum extrinſecum impediens diuiſionem.

Non inquam hoc dicas; nàm, vt ſpecies intelligibilis quantitatis dimenſiuæ, ſit diuiſibilis in modo eſſendi intelligibili, ſatis eſt, vt potẽtia intellectiua ſit diuiſibilis virtualiter: licet ſit indiuiſibilis formaliter, & actu.

Reſpondeo: quidditatem quantitatis dimenſiuæ in eſſe intelligibili, eſſe diuiſibilem remotè, & radicaliter; in eſſe verò ſenſibili intentionali eſſe diuiſibilem proximè, & formaliter; & ratio diſparitatis eſt: quia diuiſibilitas proxima, & formalis, ſupponit tantitatem in quantitate: diuiſio enim eſt actus quantitatis, ſecundùm quod eſt tanta quantitas autem dimenſiua in ſua ſpecie intelligibili (vt ſuprà demonſtrauimus cum S. Thoma, & Ariſtotele) caret omni tantitate, & determinata, & indeterminata: in ſpecie verò ſenſibili intentionali, quidditas quantitatis dimenſiuæ eſt cum aliqua tantitate iuxta capacitatem pupillæ: immiſſio enim ſpecierum viſibilium fit per formam pyramidis, ſiuè trianguli; neque hæc minoritas tantitatis impedit viſionem obiecti maioris quantitatis: quandoquidem vt diximus, tantitas determinata eſt obiectum materiale, non formale viſus corporalis: variato autẽ obiecto materiali, remanet ſpecies ſenſibilis formaliter, quia ſatis eſt vt remaneat obiectum eius formale, quod eſt indiuiduum quantitatis dimenſiuæ formaliter: & fortè hoc voluere, qui dixerunt ſpeciem intentionalem ſenſibilem, eſſe indiuiſibilem ſubiectiuè; ſed hoc non obſtat doctrinæ allatæ; quia hic loquimur de diuiſibilitate ſubiectiua ſpeciei, quæ eſt diuiſio quantitatis non inquantùm eſt quoddam totum eſſentiale, ſiuè per modum eſſentiæ; ſed eſt diuiſio quantitatis, quatenùs eſt quoddam totum per modum extenſionis. In Prima diuiſione, ſemper eſt integra ratio formalis in diuidentibus. In ſecunda verò diuiſione non item, vt patet exemplo caloris exiſtẽtis in quantitate bipalmari, quæ cum diuiditur per modum eſſentiæ, totum eſt in qualibet parte; cum verò diuiditur, vt totum quantitatiuum, non eſt totum in qualibet parte quantitatis bipalmaris.

---

## ARTICVLVS OCTAVVS.

### Vtrum Deus ſit cognoſcibilis in ſeipſo ab intellectu creato.

Articulus hic examinãdus in hac quęſtione proponitur, vt aperiatur via ad diſcutiendos alios Articulos, directè pertinentes ad quæſtionem, nimirùm, vtrum Deus ſit cognoſcibilis ab intellectu creato, vel à potentia aliqua ſenſitiua per ſpeciem intelligibilem diſtinctam à ſua eſſentia, an per ſpeciem intelligibilem, quæ ſit ſua eſſentia; an ſit poſſibilis ſpecies creata intuitiua illius; ſermo autẽ eſt in articulo hoc de cognitione, qua Deus eſt cognoſcibilis in ſeipſo, non autem de cognitione, qua Deus ſit cognoſcibilis ab intellectu creato ex creaturis, vt cauſa ex ſuo effectu. Prima cognitio dicitur cognitio intuitiua, non prout cõtradiſtinguitur à cognitione abſtractiua, ab exiſtentia actuali, & exercita ſui obiecti; quia huiuſmodi cognitio intuitiua poteſt eſſe intuitiua obiecti, vt exiſtentis in aliqua temporis differentia, prout cognoſcibilis in alio cognito formaliter; ſed prout contradiſtinguitur à cognitione obiecti actualis in alio cognito; & hæc eſt cognitio intuitiua, qua cognoſcitur obiectum vſque ad ſuam exiſtẽtiam exercitam immediatè in ſeipſo, quæ dicitur cognitio intuitiua, ad ſimilitudinẽ cognitionis viſus corporalis, qui intuetur ſuum obiectum, ſiuè commune, ſiuè proprium immediatum in ſeipſo.

Intellectus verò creatus, de quo quæritur, vtrum poſſit cognoſcere Deum in ſeipſo, dupliciter ſumi poteſt; vno modo, vt cauſa principalis intellectionis; alio modo, vt cauſa inſtrumentalis; quælibet enim potentia actiua ſubſtantiæ creatæ eſt cauſa

sa principalis, & est causa instramentalis; quatenùs est actiua virtute suæ formæ, præscindendo, nunc an hæc virtus sit distincta an indistincta, dicitur causa principalis; quatenùs verò est actiua, siuè operatiua virtute substantiæ, cuius est potentia, dicitur causa instrumentalis, e g.calor ignis, quatenùs est productiuus calefactionis, siuè alterius caloris præcisè, est causa principalis; quia causat alium calorem, virtute suæ formæ, scilicèt, suæ quidditatis; quatenùs verò est productiuus alterius ignis, dicitur causa instrumentalis; quia causat alium ignem, eleuatus virtute substantiæ ignis producentis. Pariter discurrendum est de intellectu creato.

Præterea triplex est possibilitas, de qua potest controuerti, an intellectus creatus possit videre Deum in seipso; Prima, absoluta, & simpliciter; Alia naturalis; Alia supernaturalis; possibilitas absoluta, & simpliciter est, qua intellectui creato, vt creato (præscindendo, an sit humanus, an Angelicus,) non contradicit esse potentiâ intellectiuam Dei, vt in se est; & ratio huius explicationis est, quia possibile absolutum, est possibile ex habitudine terminorum, in quo scilicèt prædicatum non repugnat subiecto, vt docet S Thomas ex Aristotele *p.p.quæst.25.de Poten.Dei, Ar.4. in corpore*; vnde communiter dicitur possibile ex terminis. Possibilitas naturalis, est qua intellectus suis naturalibus viribus præcisè, potest intelligere obiectum in seipso; possibilitas verò supernaturalis, est, qua intellectus, virtute supernaturalis ordinis, potest elicere cognitionem, qua intuetur obiectum supernaturale in seipso, quæsitum in Articulo potest esse de hac triplici possibilitate.

Prima conclusio. Nullus intellectus creatus, siuè humanus, siuè Angelicus etiā de possibili creabilis à Deo, solis naturę viribus potest videre Deum in seipso; cōclusionem hanc in terminis docet S. Thomas *p.p.qu.12.art.4.in corpore*, dicens, impossibile esse intellectiuum creatum videre Deum per sua naturalia: & rectè ab omnibus censetur de fide, præcipuè ex illo ad *Rom.6.* quem locum affert S.Thomas *prædicto Art.in argumento sed contra*. Gratia Dei vita ęterna; sed vita ęterna, inquit S. Thomas, consistit in visione Diuinæ essentiæ, secundùm illud Ioan. 17. Hæc est vita ęterna, vt cognoscat te solum verum Deum; ergo videre Dei essentiam in seipso conuenit intellectui creato per gratiam, & non per naturam: illa autem verba, gratia Dei vita ęterna, vt acutè perpendit Hieronym.Fasol. *in com. præd.articuli*, duplicem possunt habere sensum; formalem, & causalem; sensus formalis est hic, vita æterna in se spectata est beneficium Dei gratuitum, & nullo modo naturaliter debitum creaturæ, sed gratis illi datum, & vt legit Tertul. *lib. de Resur. car.c.47*. Donatiuū Dei; sensus verò causalis est hic; gratia Dei, quæ creaturæ intellectuali absque ipsius meritis, ex pura misericordia primò datur, affert, & causat meritum, & fructū vitæ ęternæ; & in vtroque sensu prædicta verba manifestè docent, vitam æternam quæ est visio intuitiua Dei, non esse acquisibilem per vires naturales. Vtrumque sensum amplectitur S. Aug. *epist.105*. & in *Enchy. cap. 107. & lib. de gratia, & libero Arbit.* Recipitur conclusio ab omnibus Theologis, & definita est à Clemente V. in *Con.Vien.in Clem.nost.de Hęre.*, sola controuersia est in assignanda ratione.

Ratio fundamentalis mihi est hæc: intellectus creatus, siuè humanus, siuè Angelicus, vt intellectiuus, siuè visiuus, solis suæ naturæ viribus, est causa instrumentalis substantiæ intellectiuæ creatæ, vt causæ principalis intellectiuæ; at implicat creari à Deo substātiā intellectualē visiuā Dei in seipso, vt causam principalem; ergo implicat intellectum creatum, quicumque ille sit, etiam de possibili, solis naturæ viribus intueri Deum in seipso. Maior ex suis terminis manifesta est; intellectus enim vt virtus intellectiua naturalis subordinatur in intelligendo substantiæ intellectiuæ creatæ, est enim virtus intellectiua substantiæ intellectiuæ creatæ. Minor probatur, nàm causa principalis visiua est in eodem modo essendi, & in eodem gradu entis cum suo termino, siuè obiecto formali, & immediato; at implicat dari substantiam intellectiuam creatam, quæ sit in eodem modo essendi, vel in eodem gradu entis cum Deo, vt est obiectum immediatum, & formale cognitionis intuitiuæ creatæ; Deus enim non solùm in ratione entis, sed etiam in ratione obiecti intelligibilis, est essentialiter actus purus, quia Dei essentia est essentialiter suum esse; essentia autem, quæ est essentialiter suum esse, est omne suum esse, tam naturale, quàm intelligibile: at substantia intellectiua creata est essentialiter potentialis; essentia enim in omni substantia creata, sicut, & in omni ente creato completo, non est essentialiter sua existentia subiectiua; implicat autem substantiam essen-

tialiter potentialem esse in eodem modo essendi, & in eodem gradu entis cum actu puro. Vtor hac ratione, quia ea est vnum ex primis principijs metaphysicis.

Hac ipsa ratione euidenter probatur, non esse creabilem à Deo substantiam intellectiuam intrinsecè supernaturalem. Dico intrinsecè supernaturalem; quoniam dupliciter potest esse substantia supernaturalis, extrinsecè, & intrinsecè, siuè accidentaliter, & essentialiter; est accidentaliter, & extrinsecè substantia supernaturalis, per virtutem, siuè per formam supernaturalem accidentalem, vt v.g. intellectus creatus eleuatus lumine gloriæ, dicitur supernaturalis extrinsecè, & accidentaliter; quia lumen gloriæ est extra essentiam intellectus creati, & superioris ordinis; dicitur verò substantia intrinsecè, & essentialiter supernaturalis, quæ ex suis prædicatis essentialibus est supernaturalis, & huiusmodi est solus Deus, prout est prima causa entium ordinata ad Deum, vt est in seipso; assumptum probatur, quia substantia essentialiter supernaturalis, deberet esse intra gradum intellectiuum supernaturalem; hæc autem necessariò deberet esse visiua Dei, prout est in seipso, vt causa principalis; quia est causa prima in ordine supernaturali, quæ deberet habere obiectum à quo specificaretur; sed non posset habere aliud obiectum formale, nisi Deum, vt est in seipso; sed implicat dari substantiam visiuam Dei in seipso, vt causam principalem; quia parificaretur cum Deo in eodem modo essendi, tam in esse entis, quam in esse intelligibilis; implicat autem creaturam esse Deum, aut parificari cum Deo. Quod verò futura esset hæc substantia essentialiter supernaturalis, causa principalis visiua Dei; probatur, nam hęc substantia supponitur in ratione essentiali substantię supernaturalis; at substantia supernaturalis in suo ordine est causa principalis, quia in suo ordine supernaturali est ens per se primū. Explicatur hoc ex opposito; ideò enim ex opposito, accidens supernaturale in suo ordine supernaturali est causa instrumentalis; quia in ordine supernaturali est ens secundum; accidens enim quodcunque, est essentialiter entis ens; esse verò primum, & per se in ordine supernaturali, causam principalem in suo ordine, certum est ex suis terminis, nisi fiat quæstio de vocabulis. Cæterum, quod causa principalis sit in eodem modo essendi, & in eodem gradu entis cum suo obiecto primario, & immediato etiam est manifestum; quia causa principalis debet habere obiectum formale à quo specificatur; àt non potest specificari nisi ab obiecto, quod est in eodem modo essendi, & in eodem gradu entis, quia est intrà speciem essentialem; species autem est prima in se.

Eadem etiam ratione demonstratur, nullum intellectum creatum, etiam de possibili, posse esse intrinsecè, & essentialiter supernaturalem, qui connaturaliter videat Deum in seipso; & probatur; nam intellectus creatus, vel creabilis, si esset essentialiter supernaturalis, deberet supponere substantiam creatam intellectualem essentialiter supernaturalem; nàm esset potentia vitalis essentialiter supernaturalis; hæc autē fluit à substantia supnaturali; sed implicat dari substantiam supernaturalem creatam: ergo implicat dari intellectum supernaturalem essentialiter, cui sit connaturalis visio Dei in seipso. Hanc rationem profundè tangit Marcus Anto. Palumbus *in suo examine Scholastico ad q. 12. p. p. S. Th. de Vis. Dei cap. 3. dict. 3.*

Putant aliqui docti Recentiores soluere hoc argumentum, distinguendo duplicem causam principalem, aliam effectiuam sui termini primarij, aliam purè visiuam: primam causam principalem, dicunt esse in eodem modo essendi, & in eodem gradu entis cum suo obiecto primario; quia causa principalis efficiens debet præhabere gradum perfectionis sui termini formalis in genere causę efficientis; causa verò principalis purè visiua, nullo pacto in se continet suum terminum primarium, & immediatum visibilem in genere causæ efficientis: quia non est productiua sui termini formalis, & primarij; licèt habeat cum illo proportionē, prout est in genere intelligibilis, & hæc causa non necessariò parificatur in eodem gradu, & in eodem modo essendi cum suo obiecto primario.

Sed hæc solutio facilè reijcitur: quoniam omnis causa principalis, siuè productiua, siuè purè visiua, specificatur à suo obiecto primario, & formali; sed ex hoc prędicato omnis causa principalis debet esse in eodem modo, & in eodem gradu essendi cum suo termino formali, & primario; ergo omnis causa principalis, siuè productiua, siuè purè visiua, debet esse in eodem modo essendi generali cum suo obiecto formali, & primario. Maior est certa, quia omnis causa inquantùm causa, est relatiua relatione transcendentali ad suum obie-

obiectum formale, & primarium; omne autem relatiuum specificatur a suo termino formali. Minor verò, in qua potest esse aliqua difficultas probatur, quoniam potentia operatiua, siuè causa principalis vt sic, per se primò adæquatur, siuè commensuratur suo termino formali, & primario; sed hæc commensuratio, & adæquatio non potest esse, nisi sit in eodem modo essendi generali, & intrinseco, & probatur, quia obiectum formale causę, à quo, nimirum causa specificatur, debet esse in eadem primitate, in qua est causa; non enim essentialiter potest esse, aut intelligi causa, nisi in eodem priori intelligatur esse eius obiectum formale: essentia enim rei est veluti numerus; sed hæc simultas fundatur in eo, quia causa, & eius obiectum formale sunt in eodem modo essendi vniuersali, hic autem non est, nisi modus essendi vniuersalis communis, scilicèt vtrique.

In hac ratione, tanquam in prima radice, nisi fallor fundatur discursus S. Th. *p.p. q.12. art.4. in corp.* quo probatur impossibile esse, quod aliquis intellectus creatus per sua naturalia essentiam Dei videat, nimirùm, quia modus essendi Dei, vt est in se, idest, vt obiecti formalis cognoscibilis excedit modum essendi naturæ cognoscētis creati; at substantia intellectiua videns suum obiectum formale per sua naturalia non superat modum essendi sui obiecti formalis, cuius radix est; quia commensurantur causa principalis, & eius obiectum formale commensuratione essentiali; sed modus essendi Dei, vt est obiectum intuibile excedit modum essendi substantiæ intellectiuæ creatæ, quæ est causa principalis visiua intellectiua: ergo oportet vt cognitio intuitiua Dei excedat modum essendi naturæ intellectualis creatę; hæc autem cognitio excedens non potest esse per naturalia intellectus creati; sed per vires supernaturales. In hoc primo principio fundatur illa propositio; cognitio contingit secundùm quod cognitum est in cognoscente; cognitum autem est in cognoscente secundùm modum cognoscentis, &c.

Obijcies primò: intellectus creatus, siuè humanus, siuè Angelicus, etiam vt eleuatus lumine gloriæ, est essentialiter potētialis, qui est modus essendi diuersus omninò a modo essendi Dei, inquantum est obiectum cognitionis intuitiuæ, & tamen hæc diuersitas in modo essendi non impedit quin intellectus creatus cognoscat Deū in seipso; ergo non necessariò requiritur conuenientia in eodem modo essendi ad vidēdum Deum in seipso.

Neque dicas, quod sermo est de cognoscere per vires naturales; at intellectus creatus videt Deum in seipso euectus lumine gloriæ.

Nam contrà est; quoniam eleuatio supponit commensurationem essentialem in ratione obiecti, & potentiæ; hæc autem commensuratio, non potest esse nisi in eodem modo essendi generali, & Primò.

Respondeo, quod commensuratio in eodem modo essendi primo, siue vniuersali, requiritur inter causam principalem, & eius obiectum formale; non autem inter causam instrumentalem, & inter obiectum formale causæ principalis visionis: intellectus eleuatus lumine gloriæ, est causa instrumentalis primæ causæ eleuantis intellectum creatum ad videndum ipsam primam causam in se; at Deus vt causa principalis visionis intuitiuæ, est in eodem modo essendi cum seipso vt in se est.

Quod si dicas, ex hac responsione sequi, posse dari intellectum creatum essentialiter supernaturalem, quia intellectus supernaturalis essentialiter, si daretur adhuc esset causa instrumentalis, non principalis visiua Dei in seipso; at hoc est impossibile, vt suprà ostendimus, ergo, &c.

Respondeo, assignando disparitatem inter intellectum supernaturalem essentialiter, & inter intellectum supernaturalem per eleuationem; intellectus enim essentialiter supernaturalis implicat: quia essentialiter, & necessariò supponit substantiam creatam intellectualem, essentialiter supernaturalem, quæ omninò implicat; intellectus verò supernaturalis per solam eleuationem, medio lumine gloriæ à Deo infuso, non necessariò supponit substantiam creatam essentialiter supernaturalem, & radix huius diuersitatis est; quia intellectus essentialiter supernaturalis est visiuus, vt instrumentum connaturale substantiæ intellectiuæ essentialiter supernaturalis; quia est essentialiter vitalis, vitalitate essentialiter supernaturali, intellectus verò supernaturalis per solam eleuationē medio lumine gloriæ, non est essentialiter supernaturalis in sua vitalitate; ac proindè non supponit substantiam intellectiuam creatam essentialiter supernaturalem; quicquid enim sequitur, ex prima implicantia, implicantia quædam est.

Obijcies secundò, Angelus inferior cognoscit intuitiuè Angelum superiorem, vt causa principalis, & tamen Angelus inferior non commensuratur in modo essen-

di-

di cum Angelo superiore; & probatur, nam essentia vnius Angeli commensuratur suo modo essendi, quia est forma tota in sua latitudine formali. Præterea oculus corporeus intuetur lucem Solis, & tamen oculus corporeus non commensuratur in modo essendi cum Sole; tum quia Sol est incorruptibilis, oculus verò corporeus est corruptibilis; tum etiam, quia Sol habet modum essendi commensuratum suæ naturæ; hæc autem commensuratio excludit Solem à commensuratione cum modo essendi oculi corporei.

Respondeo: concedo Angelum inferiorem intuitiuè cognoscere Angelum superiorum per sua naturalia: cum verò dicitur, quod Angelus inferior non commẽsuratur in modo essendi cum Angelo superiore.

Respondeo primò; essentiam Angeli habere duplicem modum essendi; alium naturalem, & alium formalem; primus ei cõuenit vt est in suo modo essendi naturali; secundus modus essendi naturalis adæquat Angeli essentiam, vt formam naturalem; & in hoc modo essendi, non communicat cum modo essendi naturali Angeli inferioris; modus verò essendi formalis conuenit Angeli essentiæ consideratæ præcisè quantùm ad sua formalia, sub qua ratione non est essentialiter sua existẽtia, & vt sic est receptibilis, & diuisibilis intrinsecè in plures solo numero diuersas naturas intelligibiles; & in hoc modo essendi Angelus superior communicatur cũ Angelo inferiore; quia hic modus essendi non adæquat Angeli superioris essentiam.

Respondeo secundò; Angelum superiorem, & Angelum inferiorem esse in eodem modo essendi vniuersali, & primo; quia sunt intrà eundem gradum substantiæ completę intellectualis; & hic satis est; licet essentia vnius sit perfectior essentia alterius. Ad aliam instantiam, qua dicitur; oculus corporeus cum sit corruptibilis habet diuersum modum essendi à modo essendi Solis.

Respondetur primò, eadem distinctione. Oculus enim corporeus, & Sol conueniunt in eodem modo essendi formali, & primo, qui dicit essentiam potentialem essentialiter ad existentiam; conuenientia enim per se requisita fundatur in primo modo essendi ens; esse verò corruptibile, & esse incorruptibile sunt modi differentiales, qui materialiter se habent ad modum cognoscendi causæ intellectiuæ principalis.

Respondeo secundò; ad cognoscendum obiectum viribus naturalibus requiritur solum proportio, & conuenientia in modo essendi potentiæ cognitiuæ, siuè naturæ cognoscentis cum suo termino formali, non autem cum suo termino materiali; in re nostra lux Solis, siuè Sol, non est terminus formalis oculi corporei inquantùm est incorruptibilis, sed inquantùm lux est, sicut color in corporibus cælestibus inquantùm color cadit sub visionẽ oculi; esse verò incorruptibile, vel corruptibile, est prædicatum se tenens ex parte obiecti materialis visus.

Obijcies tertiò. Intellectus Angelicus, licet sit spiritualis substantiæ, intelligit obiecta corporea formaliter; sed intellectus Angelicus sicut, & substantia spiritualis, & obiecta corporea formaliter habent diuersos modos essendi; vnus enim modus essendi est spiritualis, & alius corporeus: ergo falsum est necessariò requiri conuenientiam in modo essendi in intellectu creato, vt cognoscat suum obiectum, tanquam causa principalis.

Respondeo eodem modo, quo supra, conuenientiam in modo essendi per se requisitam ad cognoscendum obiectum principaliter esse conuenientiam in modo essendi primo, & formali cum obiecto formali; non autem cum obiecto materiali; Angelus, & substantia spiritualis habent conuenientiam in eodem modo essendi cũ termino formali, qui est in obiectis corporeis; non autem cum obiectis corporeis, vt sunt obiecta materialia; obiectum autem formale intellectus Angeli non est corporis spiritus formaliter, sed intelligibile per species vniuersales in actu, & formaliter.

Obijcies quartò. Intellectus creatus, siuè Angelicus, siuè humanus, cognoscit Deum, esse actum purum, & expertem compositionis, solis viribus suæ naturæ, hæc enim omnia prædicata intellectus creatus cognoscit de Deo demonstratiuè, sed cum his prædicatis intellectus creatus nullam habet conuenientiam in modo essendi, ergo &c.

Respondeo cum distinctione, intellectus enim creatus, siuè Angelicus, siuè humanus cognitione abstractiua cognoscit Deum esse actum purum, & expertem omnis compositionis; non autem cognitione intuitiua; sed hic loquimur de cognitione intuitiua non abstractiua, quia loquimur de cognitione, qua cognoscitur obiectum quantum ad eius prædicata, vt in se ipsis

ipsis sunt, non autem quantùm ad prędicata secundum conceptus, quos de eis format intellectus ex creaturis. Sine dubio intellectus intuitiuus Dei suis viribus naturalibus, si daretur, deberet supponere substantiam intellectiuam creatam visiuam Dei, vt causam principalem; sed hæc substantia omninò implicat, non solùm, quia Deus vt intuibilis, est obiectum formaliter supernaturale, vt alio loco fusè probabitur; verum etiam, quia obiectum formale debet habere conuenientiam in eodem modo essendi cum natura cognoscentis per sola naturalia.

Secunda conclusio. Deus vt est in seipso est cognoscibilis absolutè, & simpliciter à quolibet intellectu creato, siuè Angelico, siuè humano, triplici modo, vt diximus initio huius articuli, possumus intelligere Deum esse cognoscibilem, vt est in seipso ab intellectu creato; vno modo solis viribus naturalibus, siuè vt instrumento naturali substantiæ intellectiuæ creatæ; alio modo ab intellectu creato, vt eleuato lumine supernaturali, siuè tamquam ab instrumento primi agentis, prout concurrit cõcursu virtuoso supernaturali cum substantia intellectiua creata, & cum eius intellectu. Tertiò, denique absolutè, & simpliciter, præscindendo nimirum ab his modis specialibus cognoscendi. Ponitur hæc conclusio, vt aperiatur via ad probandum, non implicare contradictionem, intellectum creatum, siuè Angelicum, siuè humanum, posse eleuari ad videndum Deum, siuè ad cognoscendum Deum, prout est in seipso, proculdubio conclusio de fide est, nam ad *Corinthios* 1. *Apost.* docet, quod nunc videmus per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem; contingit enim in nobis visio intuitiua Dei, quæ est formalis beatitudo statim, ac rationalis anima resoluta à corpore; Deo pro culpis satisfecit Idẽ dicitur Ioa. 3. *Scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Et Matth. 5. dicitur: *Beati mũdo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Conclusionem paucis, sed satis profundè probat S. Tho. *p. p. q.* 12. *art.* 1. *in corp. & in responsionibus ad argumenta*, & omnes Theologi eam sequuntur: difficultas solùm sita est in assignanda ratione demonstratiua, & metaphysica, supposita tamen fide diuina, vt conditione manifestante terminos.

Multi contendunt possibilitatem visionis creatæ intuitiuæ Dei, non esse demonstrabilem nisi rationibus Theologicis, quos citat, & sequitur Fasolus *in* 1. *p. S. Th. q.* 12. *art.* 2. *dub.* 2. *num.* 18. Scotus verò ex opposito *in* 4. *sent. dist.* 49. *q.* 8. contendit possibilitatem visionis Dei in seipso, adhuc per rationem naturalem posse probari; & loquitur de ratione naturali demonstratiua, vt aduertit Fasol. *eadem dub.* 2. *num.* 11. supposita tamen fide diuina, vt conditione manifestante terminos, & hanc opinionem nos sequimur; quandoquidem vt diximus quęstione prima huius nostri primi tomi; obiectum, tam materiale, quam formale, theologiæ sacræ Viatorum ex reuelatis, vt scitis in superiore scientia, quæ est scientia discursiua supernaturalis, est obiectum materiale metaphysicæ vniuersalissimæ; hæc autem est scientia demonstratiua suarum conclusionum ex principijs primis, & euidentibus, vt ibi demonstrauimus.

Prima ratio fundamentalis, mihi est hæc; ad possibilitatem absolutam intelligendi obiectum cognitione intuitiua, satis est proportio essentialis potentiæ intuitiuæ, & obiecti intuibilis; sed intellectus creatus habet hanc proportionem essentialem cum Deo vt est in seipso; ergo absolutè, & simpliciter potest intellectus creatus, siue ille sit intellectus Angelicus, siuè humanus intelligere Deum intellectione intuitiua; Maior ex terminis est euidens; quoniam ad possibilitatem cognitionis intuitiuæ necessariò requiritur, vt intellectus sit potentia obiectum intuibile formaliter; ad hoc autem satis est proportio in ratione obiecti formalis, & potentiæ, scilicet vt potentia sit intellectiua, siuè intuitiua, & obiectum sit formaliter intelligibile, siuè intuibile; Minor, in qua est difficultas probatur; quoniam Deus prout est in seipso, cognoscibilis est per suam rationem formalem; sic autem Deus est intuibilis, nimirum cognoscibilis, prout, est in seipso cognitione immediata, & faciali, quæ est intuitiua cognitio; ex alio capite intellectus creatus, siuè ille Angelicus sit, siuè humanus absolutè, & simpliciter est intuitiuus formaliter, nimirum, cognoscitiuus cognitione intuitiua intra suam latitudinem formalem; cognitio enim intellectus creati formaliter diuiditur in cognitionem intuitiuam, & in cognitionem abstractiuam; præscindit enim ab vtraque formaliter; dato autem genere præscindente formaliter, datur diuisibilitas per opposita differentias; ergo cognitio intellectus creati, inquantum intellectus creatus, siuè cognitio intellectus crea-

creati formaliter diuisibilis est in cognitionem abstractiuam, & intuitiuam; ergo intellectus creatus intra suam latitudinem formalem est intuitiuus formaliter; sed intellectus creatus vt intuitiuus, & Deus vt cognoscibilis in seipso dicunt proportionem potentiæ intuitiuæ, & obiecti intuibilis, hæc ratio in terminis est S. Thomæ paucis additis *q. 12. p. p. ar. 1. ad* 4. vbi distinguit duplicem proportionem; aliam entitatiuam, quæ est proportio, siuè conueniētia obiecti, & potentiæ in modo essendi; & aliam obiectiuam, quæ solùm dicit vnum extremum proportionis esse potentiam intellectiuam, & aliud esse obiectum formale præcisè dictæ potentiæ; & hæc proportio, inquit, satis est, vt intellectus creatus possit intelligere Deum, proùt est in seipso, non quidem compræhensiuè; quia hoc implicat; sed apprehensiuè.

Hæc ipsa ratio potest sub alia forma proponi. Deus proùt est in seipso, est obiectum formale essentiale intellectus creati; sed hoc satis est, vt Deus sit visibilis vt est in seipso, ab intellectu creato; ergo, &c. Maior probatur; quia Deus vt est in seipso, est intelligibile, siuè verum formaliter, vt proportionatum intellectui creato in ratione potentiæ, & obiecti cognoscibilis, siuè intelligibilis formaliter, tàm motiui, quàm terminatiui; tum quia Deus est primum intelligibile, & primum intellectum; primum autem intelligibile est prima causa obiectiua; tum etiam, quia intelligibile, siuè verum vt proportionatum intellectui creato proportione obiecti intelligibilis formaliter, & potentiæ intellectiuæ dicit perfectionem sine imperfectione; dicit enim tantummodò verum vt mouens, & terminans, scilicèt, potens mouere intellectum, & terminare cognitionem intellectus creati; hoc autem prædicatum est perfectio formaliter sine vlla imperfectione permixta.

Dices primò, non potest esse proportio in ratione potentiæ, & obiecti formalis inter ea, quæ in infinitum distant; infinitum enim, finito non potest commensurari, & proportionari; sed Deus, & intellectus creatus distant in infinitum; Deus enim est extra omne genus; intellectus autem creatus est limitatus ad vnum tantum genus entis.

Respondeo; distinguo maiorem; duplex est proportio; alia entitatiua, siuè in essendo; & alia obiectiua, siuè in cognoscēdo; proportio entitatiua, siuè in essendo, proculdubio non potest esse inter distantia in infinitum; quia hæc proportio dicit conuenientiam in eodem modo essendi, saltem generali, quæ non potest esse inter distantia infinitè, siuè in infinitum; at proportio obiectiua, siuè in ratione obiecti, & potentiæ, compossibilis est in distantibus in infinitum, distantia entitatiua, siuè in essendo, & radix huius est. Primò, quia hæc proportio est necessaria ad cognoscendum obiectum simpliciter præscindendo à potentia cognitiua, vt causa principali, & vt causa instrumētali; proportio autē entitatiua requiritur ad cognoscēdum vti causa principalis. Secūdò, quia distantia entitatiua, siuè in essendo, vel improportio entitatiua, & proportio obiectiua, siuè in cognoscendo, simpliciter, & absolutè non sunt secundùm idem; vbi autem non est contradictio est compossibilitas.

Neque dicas; proportio obiectiua fundatur in proportione entitatiua.

Non inquam hoc dicas; est enim in promptu responsio; duplex est proportio obiectiua; vna est inter obiectum formale, & potentiam intellectiuam, vt causam principalem, & alia est inter obiectum formale, & potentiam intellectiuam, vt causam instrumentalem. Prima proportio fundatur in proportione entitatiua, vt ostendimus in prima conclusione huius articuli. Secunda verò non item; solum enim dicit proportio obiectiua proportionem perfectibilis, qui est intellectus, & perfectiui, quod est obiectum; quia cognoscens intellectus est in actu in genere intelligibilis per obiectum cognitum; adhoc autem requiritur proportio perfectibilis, & perfectiui, siuè causæ, & effectus, quæ proportio, vt sic nullam requirit proportionem in modo essendi; reperitur enim sine vlla conueniētia in modo essendi, vt est proportio inter Deum, & creaturam in ratione causæ, & causabilis.

Nequè hoc obstat doctrinæ modo allatæ, quod proportio in ratione causæ principalis, & effectus, requirit necessariò proportionem in modo essendi; nàm doctrina allata intelligitur de proportione causę principalis, & effectus formalis, à quo scilicèt causa principalis specificatur: creatura autem est effectus materialis, tantummodò primæ causæ, à quo scilicèt non specificatur. In re nostra sermo est de possibilitate absoluta ad intelligendum Deum in seipso: hæc autem præscindit à potentia cognitiua, vt causa instrumentali.

Di-

Dices secundò: ad cognoscendum simpliciter obiectum in seipso, requiritur proportio potentiæ cognitiuæ cum suo obiecto formali proprio; sed Deus vt cognoscibilis, siuè vt intuibilis in seipso est obiectum proprium intellectus Diuini; quia Deus vt est in seipso est cognoscibilis comprehensiuè, siuè modo infinito; at hoc modo Deus est obiectum proprium intellectus Diuini.

Respondeo cum distinctione: Deus vt intuibilis in seipso dupliciter sumi potest; vno modo secundùm suam essentiam, siuè substantiam; alio modo, secundùm totam latitudinem suæ essentiæ; vel sub alijs terminis, Deus dupliciter est intelligibilis, vt est in seipso; vno modo apprehensiuè; alio modo comprehensiuè. Deus intuibilis primo modo, est obiectum proprium intellectus creati. Secundò modo est obiectum proprium intellectus Diuini; vndè Deus vt cognoscibilis secundùm essentiam, vel apprehensiuè est cognoscibilis, tantummodò ab intellectu creato.

Instabis: obiectum formale proprium potentiæ cognitiuæ, esse debet formaliter in omni obiecto materiali potentiæ cognitiuæ; sed Deus vt visibilis in seipso etiam secundum substantiam, siuè essentiam, non reperitur in omni obiecto materiali intellectus creati; non enim reperitur formaliter in ente creato; implicat enim ens creatum esse formaliter Deum, vt visibilem in seipso; ergo, &c.

Respondeo: duplex esse obiectum formale proprium, aliud vt medium, in quo cognito, cætera cognoscuntur; aliud est principium formale tantummodò cognoscendi non cognitum; hoc secundum obiectum debet reperiri formaliter in omni obiecto materiali potentiæ cognitiuæ, & non primum. Deus vt visibilis in seipso est obiectum formale, in quo cognito, cætera omnia extra Deum cognoscuntur, ideò hoc obiectum non debet reperiri formaliter in omni obiecto materiali intellectus creati; vt autem hæc responsio sit vniuersalis de omni, scilicèt obiecto, quod est principium formale præcisè cognoscendi, intelligi debet de obiecto formali prædicationis, vt est ens in metaphysica, & color in obiecto visus: non autem de obiecto formali analogo analogia attributionis, vt est corpus naturale in physica.

Secunda ratio conclusionis est. Deus, vt visibilis in seipso, siuè vt intelligibilis in seipso, non est intellectui creato, sicuti est sonus ad potentiam visiuam corporalem: sed ex hoc prædicato Deus est intelligibilis in seipso ab intellectu creato absolutè, & simpliciter: ergo Deus est intelligibilis in seipso ab intellectu creato; Minor, in qua est difficultas probatur: nàm ex hoc, quod Deus vt intelligibilis in seipso, non est intellectui creato, sicut est sonus ad potentiam visiuam corporalem, ad quam sonus habet improportionem obiectiuam essentialem: Deus vt est in seipso est obiectum essentiale, licet non connaturale intellectus creati, nàm non habet improportionem obiectiuam essentialem, sed ex hoc capite absolutè, & simpliciter possibile est intellectum creatum conoscere Deum intuitiuè, siuè in seipso: quandoquidem tota implicantia, vel impossibilitas absoluta, cur v. g. potentia visiua corporalis, non possit sentire sonum simpliciter, & absolutè, est essentialis improportio in ratione obiecti, & potentiæ sensitiuæ: sed Deus vt cognoscibilis in seipso, non habet hanc improportionem essentialem in ratione obiecti, & potentię cognitiuæ cum intellectu creato; sic enim Deus in ratione cognoscibilis, non se habet ad intellectum creatum, sicut se habet sonus ad potentiam visiuam corporalem: requiritur tamen lumen gloriæ ad videndum Deum; quia Deus non est obiectum intelligibile connaturale intellectus, sed supernaturale. Ratio hęc tangitur à S. Thoma *eodem loco cit.* vbi totam possibilitatem visionis intuitiuæ creatæ Dei, refundit in hoc principium: quia Deus vt visibilis in seipso est intrà obiectum essentiale, licet non connaturale creati intellectus; dicitur autem Deus vt intuibilis in se ipso intrà obiectū essentiale intellectus creati; non quia obiectum intellectus creati sit intelligibile, prout diuiditur in Deum vt intuibilem, & in creaturam vt intuibilem; sed quia Deus vt cognoscibilis in seipso, est obiectum intelligibile supernaturale, quod necessariò supponit ipsum Deum, vt obiectum essentiale intellectus creati, vt in sequente ratione explicabitur.

Tertia ratio ostensiua conclusionis est. Nulla est assignabilis implicantia vt Deus, quatenùs est in seipso sit obiectum essentiale intellectus creati; sed hoc sufficiens est, vt absolutè, & simpliciter Deus sit visibilis, prout est in seipso ab intellectu creato; ergo absolutè, & simpliciter, possibile est, Deum vt est in seipso esse cognoscibilem ab intellectu creato. Minor certa est: nàm vbi non est implicantia, est possibilitas absoluta, & simpliciter: pos-

ſibile enim abſolutè, & ſimpliciter, vt definitur ab Ariſt., eſt quod in ſuis prædicatis non inuoluit implicantiam. Maior, in qua eſt difficultas probatur; plures enim aſſignantur implicantiæ a contrarijs Authoribus; ſed nulla earum eſt conueniens, & neceſſariò concludens.

Prima implicantia, quæ aſſignari ſolet eſt hæc. Viſio intuitiua Dei, cum ſit viſio obiecti infiniti formaliter, debet eſſe infinita formaliter; ſed implicat viſionem intuitiuam creatam eſſe infinitam formaliter; quia viſio intuitiua creata, eſt actus receptus realiter in intellectu videntis; at contradicit actui recepto, formaliter eſſe infinitum infinitudine formali; quoniam vt probabitur quæſtione de infinito, actus infinitatur formaliter ex eo, quod eſt irreceptus; ergo implicat dari cognitionem intuitiuam infinitam formaliter: ergo implicat Deum, vt eſt in ſeipſo eſſe intrà obiectum eſſentiale intellectus creati.

Sed hæc implicantia nulla eſt: nàm cognitio infinita formaliter eſt obiecti formalis infiniti, non autem obiecti infiniti materialis: quippè perfectio formalis cognitionis, eſt ex obiecto formali, non ex obiecto materiali, nimirùm à forma non à materia: in obiecto autem cognitionis, obiectum formale eſt forma: obiectum verò materiale eſt materia. In re noſtra, nempè in Deo, vt viſibili in ſeipſo, infinitudo obiecti ſe habet materialiter, & per accidens, & non formaliter, & huius ratio eſt: quia ad poſſibilitatem cognitionis intuitiuæ Dei in intellectu creato solùm requiritur, tanquam radix poſſibilitatis, proportio eſsentialis potentiæ, & obiecti formalis, quæ eſt proportio obiectiua eſsentialis, ſcilicèt, vt obiectum ſit intuibile, intellectus verò ſit intuitiuus: ad hęc autem prædicata materialiter ſe habet, Deum eſſe infinitum: ratio enim formalis cur intellectus creatus videat Deum in patria, vt eſt in ſeipſo, non eſt; quia Deus eſt obiectum intelligibile infinitum; ſed quia habet proportionem eſſentialem cũ intellectu creato in ratione obiecti, & potentiæ, ſcilicèt, in ratione intelligibilis, & intellectiui, quæ quidem proportio non eſt prædicatum proprium Dei, ſicut eſt eſse infinitum intelligibile formaliter: ideſt infinitate ſecundùm formam, quod ex eo euidens eſt; quoniam in infinitate formali, Deus non communicat, nec communicare poteſt cum creaturis; ſed non repugnat, vt communicet cum creaturis in ratione cauſæ, & effectus, & in ratione obiecti intelligibilis, & potentiæ intellectiuæ.

Solet hæc ipſa implicantia ſolui alia diſtinctione, nimirùm, cognitionem intuitiuam comprehenſiuam obiecti infiniti eſse infinitam, non verò cognitionem apprehenſiuam, ſiuè aſsecutiuam: quia cognitio comprehenſiua adæquat obiectum infinitum in modo cognoſcendi, non autem cognitio apprehenſiua, ſiuè aſſecutiua: ſed huiuſmodi eſt cognitio creata intuitiua Dei.

Hæc ſolutio vera quidem eſt; ſed non plenè euacuat difficultatem: nàm ſtatim dicet Aduerſarius, cognitionem intuitiuã Dei, vt eſt in ſeipſo, eſse comprehenſiuam, ſiuè adæquatam Dei, vt intuibilis in modo cognoſcendi: idque probatur ex eo: quia eſt cognitio obiecti infiniti formaliter: hæc autem neceſsariò debet eſse infinita, quia ſpecificatur ab obiecto infinito: & probatur etiam hoc ipſum calculo formali, nimirùm, quò obiectum formale eſt perfectius, eo perfectior eſt cognitio: ſed Deus vt intuibilis eſt obiectum infinitum formale: nàm terminat ſui cognitionem intuitiuam, quatenùs eſt primum obiectum, ſiuè prima cauſa obiectiua, ſiuè per rationem formalem primi obiecti intelligibilis.

Solet etiam eadem implicantia ſolui hac alia diſtinctione, quæ in idem redit, nimirùm, cognitionem intuitiuam Dei, aliam eſſe modo finito, aliam eſse modo infinito; cognitionem autem intuitiuam creatam eſse cognitionem, qua intellectus creatus intuetur Deum modo finito.

Verum ſi quęras vndè oritur, vt Deus proùt eſt in ſeipſo ſit cognoſcibilis ab intellectu creato modo finito.

Reſpondere poſsunt aliqui primò, oriri ex eo tanquam à prima radice, quia Deus ad extrà non eſt communicabilis, niſi modo finito: cum Deus ſit cauſa analoga, non vniuoca: cauſa autem analoga non eſt participabilis adęquatè, ſed tantum inadęquatè, quia non communicat adæquatè cum ſuo effectu, secùs non eſset analoga, ſed vniuoca cauſa.

Reſpondet ſecundò, Marc. Ant. Palum. in *examin. ſup. citat. dict. 3.* fundari in hoc, quia Deus eſt coniungibilis intellectui creato per lumen gloriæ, à quo intellectus creatus duo habet; primũ vt videat Deum, ſicuti eſt; ſecundùm quod videat Deum eſſe infinitum; ſed modo inadęquato, non adæquato; quoniam lumen glorię eſt lumen quidem ſupernaturale euidens,

ſed

sed finitum; finitum autem in vniuersum non est augmentabile, nisi augmento finito.

Sed vtrique responsioni possunt se opponere Aduersarij; possunt enim statim dicere, vtramque rationem, siuè responsionem esse petitionẽ principij, quippè ratio huius est, quæ quæritur, cur scilicet Deus, prout est cognoscibilis in seipso possit habere hoc prædicatum in ordine ad intellectum creatum medio lumine gloriæ, cum tàm intellectus creatus, quàm lumen gloriæ sint ens finitum formaliter; Deus verò vt obiectum cognitionis intuitiuę sit obiectum infinitum formaliter.

Nequè satisfit si dicatur, Deum, vt obiectum cognitionis intuitiuæ, esse causam obiectiuam analogam.

Statim enim dicet Aduersarius Deũ esse causam analogam secundùm prędicata, in quibus communicat cum creaturis analogicè analogia attributionis, non autem secundum prædicata, quæ sunt propria Dei; at Deum esse obiectum cognitionis intuitiuæ, est prædicatum proprium Dei, sicut esse communicabile, sine diuisione naturæ ad intrà; quoniam Deus est obiectum cognitionis intuitiuæ, vt primũ intelligibile; esse autem primum intelligibile, est prædicatum proprium Dei.

Quod si dicas, esse obiectum modo infinito cognitionis intuitiuæ, esse prædicatum proprium Dei, non autem esse obiectum cognoscibile modo finito; Deus verò est obiectum cognitionis creatę modo finito; & hæc cognoscibilitas modo finito est perfectio, in qua Deus communicat cum creaturis; sicut est perfectio entis formaliter, & veri transcendentaliter, sicut enim veritas transcendentalis, vel entis, non est prędicatum competens Deo, quatenùs est primum ens; sed quatenùs primũ ens, est ens, & verum transcendentaliter, nam esse verum, & ens transcendentaliter competit, tàm Deo, quàm creaturis.

Statim dicet Aduersarius, non dari ens reale positiuum, commune Deo, & creaturis; quia hoc est essentialiter potentiale, vt ostendimus *q 2. de ente reali positiuo vniuersalissimo*; sed solùm dari ens essentialiter à se, & ens essentialiter secundum, quæ sunt ens essentialiter analogum, non quidem analogia proportionis; quia hęc essentialiter inuoluit potentialitatem in vtroque analogo; sed tantum analogia proportionis causę, & effectus essentialiter.

Respondeo: saluo meliore iudicio, ex dictis, quod cognoscibilitas intrinseca, qua Deus est cognoscibilis modo finito in infinitum ab intellectu creato, fundatur in hoc; quia Deus, quatenùs est in seipso, est solum cognoscibilis ab intellectu creato, quatenùs est proportionatus proportione essentiali obiectiua intellectui creato in ratione obiecti, & potentiæ, siuè causæ, & effectus; tùm quia Deus vt intelligibilis in seipso non habet illam improportionem essentialem obiectiuam, quam habet somnus cum potentia visiua corporali; tùm quia si aliqua esset ratio in oppositum ea esset; quia potentia intellectiua debet habere conuenientiam in modo essendi generali cum suo obiecto primario; quia potentia intellectiua specificatur à suo obiecto primario, cum hoc sit obiectum formale potentiæ; sed hæc ratio nulla est, vt suprà ostendimus, quoniam potentia intellectiua in cognoscendo præscindit à potentia intellectiua, vt causa principali, & à potentia intellectina, vt causa instrumentali; at potentia intellectiua necessariò requirit conuenientiam in modo essendi generali in suo obiecto primario, quatenus est causa visiua principalis, non autem visiua vt sic; & ex hoc prædicato potentia intellectiua habet, vt possit cognoscere modo finito Deum, vt est in seipso, idque probatur ex isto ipso prædicato, Deus, vt est in seipso habet vt sit cognoscibilis, siuè intelligibils, vt est in seipso, vel ab intelligente principaliter, vel ab intelligente instrumentaliter: Deus quatenùs intelligibilis est in seipso ab intelligente principaliter, habet, vt sit cognoscibilis modo infinito; quia causa principalis, & eius terminus, siuè obiectum formale, & primarium habent conuenientiam in modo essendi; vbi autem est hæc conuenientia in modo, & gradu essendi, est parificatio in modo cognoscendi; verùm cognoscibilitas obiecti, vt à causa visiua instrumentali hanc parificationem nullo pacto requirit; tum quia nulla causa instrumentalis habet hanc parificationem, quam habet sua causa principalis; tum etiam quia ad hanc cognoscibilitatem, vt à causa instrumentali, satis est proportio essentialis obiecti, & potentiæ, quæ est profunda, & aurea doctrina, quam explicat S. Thomas *p. p. quæst. 12. artic. 1. ad 4.* potest etiam dici causam huius esse, quia Deus est causa analoga, vt infrà.

Hanc difficultatem pertractat etiam Hieronymus Fasol. *in p. p. S. Thom. quæst. 12. art. 1. dubit. 7.* vt autem illam soluat proponit, & obijcit sibi hoc argumentum,

Si supponamus esse omninò impossibile ens creatum infinitum actu, videtur impossibilis visio Dei, cum hęc non possit esse, nisi infinita actu, & formaliter; at implicat cognitionem intuitiuam creatã esse actu infinitam: maiorem probat, quia quo obiectum est perfectius, eo perfectior est visio: sed Deus, prout est in seipso, est actu infinitus superans infinitè quodcumque aliud obiectum quantumuis perfectũ; ergo visio intuitiua Dei debet esse infinita superans omnes aliorum obiectorum visiones infinitè, e.g. si ad videndum obiectũ perfectum vt quatuor, requiritur visio perfectionis vt quatuor; ergo ad videndum obiectum perfectius, vt octo, requiritur visio perfecta vt octo: ergo ad videndum obiectum infinitè perfectum requiritur visio infinitè perfecta.

Respondent primò; complures docti Recentiores, maiorem, siuè calculum, quo arguitur, quantò obiectum est perfectius, tantò perfectior est eius cognitio; concludere necessariò, quando calculus crescit in eodem genere, vel in eodem ordine; non verò quando in eo fit transitus de vno genere, vel de vno ordine ad aliud genus superius, vel ad alium ordinem superiorem; primum calculum appellant secundùm proportionem aritmeticam; quia vna certa quantitate mensuratur, v.g. vno palmo. Secundum calculum appellant secundùm proportionem geometricam, quę extenditur ad plures proportiones, v.g. si obiectum excedit quatuor, aut quinque obiecta, etiam visio illius obiecti debet excedere quatuor, aut quinque visiones aliorum obiectorum, & si obiectum est omniũ nobilissimum, visio illius debet esse nobilissima cęterarum omnium visionum de alijs obiectis. In subiecta materia non seruatur, inquiunt, calculus intra idem genus, neque intrà eundem ordinem; sed fit transitus de vno genere inferiore ad aliud genus superius, & de ordine inferiore ad ordinem superiorem; explicant autem distinctionem hanc, & probant exemplis, & ratione à priori. Exemplis quidem. Ad videndum colorem palmarem requiritur virtus visiua tantæ perfectionis; ad videndum semipalmarem colorem, requiritur virtus acutior; non valet consequentia; ergo ad vidēdum colorem punctualem, si dabilis est, requiritur virtus infinitæ acutiei; sed solũ sequitur; ergo requiritur visus acutior alterius generis, qui superat omnem excessũ visus inferioris, vt v. g. visus intellectiuus. Ad sentiendum obiectum sensibile, vt vnũ, requiritur virtus sensitiua determinatæ perfectionis. Ad sentiendum sensibile, vt duo, requiritur maior virtus sensitiua. Ex his nõ valet inferre cõsequētiã ergo ad intelligēdũ obiectũ infinitũ requiritur virtus infinita sensitiua, sed solũ sequitur, quod requiritur virtus intellectiua, quæ est superioris generis, & ordinis; ratio autem à priori huius doctrinæ prima est; quia infinitudo inferioris ordinis superatur à quocunque, vel minimo gradu finito entis superioris ordinis; secunda est, quia mutatur medius terminus formaliter; pariter in re nostra, non valet inferre hanc consequentiam, ad intelligendum obiectum naturale, vel supernaturale perfectius, & perfectius intra genus requiritur maior, & maior perfectio in cognitione, ergo ad videndum obiectum extrà genus; scilicèt Deum in seipso, qui est obiectum infinitũ requiritur visio, siuè cognitio infinita, & ratio est; quia fit transitus de obiecto intrà genus ad obiectum extrà genus, in quo quidem transitu nulla potest esse consequentia; tum quia mutatur medius terminus; tùm quia vt diximus, satis est virtus finita superioris ordinis, vel generis; quælibet enim virtus finita superioris ordinis, vel generis superat infinitũ inferioris ordinis, vel generis, & hoc accidit in casu nostro; nam visio clara Dei ex eo præcisè, quod est altioris ordinis, scilicèt, supernaturalis, est perfectior omnibus visionibus naturalibus obiectorum perfectionis infinitæ: sicut enim infinita accidentia non possunt pertingere ad perfectionem vnius finitæ substantiæ, & infinitæ animæ brutorum ad perfectionem vnius animæ rationalis, ità visiones naturales perfectiores, & perfectiores in infinitum, non possunt pertingere ad perfectionem finitam visionis supernaturalis, qualis est, v. g. visio creata Dei, quæ est supernaturalis formaliter.

Hæc responsio mihi semper placuit, ea tamen impugnatur à Fasol. ad hominem *sup. cit. dub. 7. n. 40.* sicut se habet in genere naturali visio naturalis ad obiectũ naturale infinitum; ità in genere supernaturali ad obiectum supernaturale infinitum; sed visio naturalis ex infinitate naturali sui obiecti, habere debet in se perfectionem naturalem infinitam; ergo pariter visio supernaturalis obiecti infiniti supernaturalis, debet habere infinitam perfectionem supernaturalem; & ratio huius, inquit Fasol. clara est: quoniam visio est infinita, vel finita ex suo finito, vel infini-

to obiecto, sed Authores responsionis supra allatę concedunt ex infinitate obiecti in eodem genere, in quo fit calculus, cognitionem esse infinitam; ergo etiam cum fit transitus de ordine inferiori ad ordinem superiorem, dummodò obiectum in ordine superiori, scilicèt supernaturali, sit infinitum, eius cognitio necessariò debet esse infinita infinitate supernaturali; etenim cognitio ex eo præcisè est infinita; quia est visio, siuè cognitio obiecti formaliter infiniti; Deus autem vt cognoscibilis in seipso est obiectum infinitum infinitate supernaturali; ergo, &c.

Hęc impugnatio Fasol. acuta quidem est, sed non concludit intentum; nam Authores responsionis suprà allatæ contendunt tantum, non concludi infinitatem obiecti infiniti ex vi calculi, cum fit transitus de genere, vel ordine inferiori ad genus ordinis superioris; tùm, quia mutatur medius terminus formaliter; tùm etiam, quia sufficit perfectio finita superioris ordinis, vel generis ad superandum perfectionem etiam infinitam actu ordinis inferioris; Fasolus autem opinatur, responsionem fundari præcisè in ratione à priori, nimirùm cognitionem dici infinitam ab Authoribus, quos impugnat; quia cognitio infinita est ex eo, quia est obiecti infiniti, ac proindè impugnatio Fasoli non est ad hominem.

Respondet secundò, ipse Fasol. eadē *dubitat. n.42* propositionem hanc calculatoriam: quò obiectum est perfectius, eo perfectior visio; siuè crescente perfectione obiecti, crescere debet perfectio visionis, esse veram, si intelligatur de visione adæquata obiecti, qua obiectum videtur quantum visibile est ex natura sua; falsam verò esse, si intelligatur de cognitione inadæquata obiecti in modo cognoscendi, qua scilicèt non cognoscitur obiectum eo perfecto modo, quo natura sua petit cognosci; quia tunc tantum crescit perfectio repræsentabilitatis in obiecto, quantum decrescit perfectio repræsentationis, siuè modi cognoscendi; ex decrescentia autem repræsentationis, siuè modi cognoscendi, nō potest crescere perfectio cognitionis in repræsentando; in re præsenti visio intuitiua Dei, non est adæquata in modo cognoscendi Diuinæ cognoscibilitatis; sed inadæquata, quia non est cognitio compræhensiua, sed appræhensiua Dei, vt est in seipso.

Sed hæc responsio patitur eandem difficultatem, & instantiam, quam patitur præcedens; quia difficultas est, an ex vi calculi a cognitione etiam adęquata obiecti perfectioris, & perfectioris in infinitū, necessariò concludatur cognitio infinita in modo cognoscēdi obiecti infiniti; si fiat transitus de obiecto ordinis, vel generis inferioris ad obiectum ordinis, vel generis superioris; hoc expresśè negatur, etiam si obiectum in ordine inferiore supponatur cognosci cognitione adæquata in modo cognoscendi; idque ob rationem supra sæpiùs repetitam; tum quia mutatur medius terminus formalis discursus; cum enim mutatur medius terminus, cessat vis inferendi conclusionem; vis enim inferendi conclusionem fundatur in connexione extremorum cum vno medio termino, loquendo de vi concludendi conclusionem affirmatiuam, tum quia finitum, vel minimum superioris ordinis, vel generis, superat quodlibet infinitum ordinis, vel generis inferioris.

Ratio Fasoli non procedit ex vi calculi; sed ratione à priori, scilicèt, quod cognitio obiecti infiniti, adæquata obiecto in modo cognoscendi, est infinita: hęc autem infinitas, est ex eo, quod cognitio in modo cognoscendi, commensuratur infinito.

Æquidem respondebam olim, prædictam propositionem calculatoriam veram esse, crescente perfectione, vel essentiali, vel intensiua in obiecto formali; nō autem crescente perfectione in obiecto materiali perfectiori; in calculo autem, quo ascenditur ad Deum, vt est intuibilis in seipso, crescit perfectio infinita in obiecto materiali, nimirum, in obiecto, quod videtur in seipso: quia hoc obiectum est Deus ipse in se; Deus autem in se, est ens simpliciter infinitum; quia Dei essentia est essentialiter suum esse, non autem crescit perfectio infinitè in obiecto formali, nimirum in ratione formali cur Deus sit visibilis in seipso ab intellectu creato: etenim ratio hæc formalis, non alia est, nisi; quia inter intellectum creatum, & Deum vt est in seipso, est proportio essentialis potentiæ, & obiecti formalis, & essentialis; hęc autem proportio ex suo genere præscindit ab infinitate, & finitate; potest enim esse, tàm in obiecto finito, quam in obiecto infinito.

Sed re maturius considerata, neque hæc responsio euacuat vim calculi, siuè calculatoriæ propositionis, nisi quando calculus fit in eodem genere, & in eodem ordine obiectorum; sed in casu nostro fit tran-

transitus de obiecto ordinis, & generis inferioris, nempè ordinis naturalis, ad obiectum ordinis superioris, nempè supernaturalis, & extra genus. Cæterum si calculus fieret de obiectis supernaturalibus, quæ sunt in eodem ordine.

Disputabile est, an concludatur ex vi calculi infinita cognitio obiecti infiniti.

Sunt enim, qui dicunt, vt videre est apud Fasol. in eadem *dub.7.n.40.* calculum esse impossibilem simpliciter; quoniam in genere entis supernaturalis essentialiter, non est, nisi vna substantia supernaturalis, quæ est Deus, de quo sequente conclusione obiter disputabitur; at dicta vis calculatoriæ propositionis requirit pluralitatem obiectorum cognoscibilium.

Fasolus verò eodem loco, contendit oppositum.

Primò, quia ad vim argumenti calculatorij, est omninò per accidens, non posse dari alias substantias supernaturales præter Deum; quia, inquit argumentum, per se, ac formaliter nititur in eo, quod visio versatur circa substantiam supernaturalem infinitam, qualis verè est Deus; ex hoc enim, inquit, præcisè arguitur infinitas in visione Dei ab Aduersarijs; & non ex eo, quod sunt creabiles plures substantiæ supernaturales perfectiores, & perfectiores in infinitum; sicut creabiles, sunt substantiæ naturales; hoc enim, inquit, explicat magis vim argumenti; sed non facit ad rem; quia deindè efficacia consequentię, qua deducitur, esse debere infinitam visionem de vno aliquo obiecto infinito, non pendet ex illa materiali calculatione rerum infinitarum, sed solum ex formali infinitate obiecti, ex adunatione infinitarum perfectionum, vel naturalium, vel supernaturalium in vno obiecto, siuè hæ perfectiones sint communicabiles creaturis, siue incommunicabiles, siuè possint diuidi, & calculari in infinitum, siuè non: hoc autem declarat Fasol., & probat.

Primò hypothesi impossibili; si enim sicut fieri possunt species substantiarum naturalium, saltem spiritualium, vt sunt Angeli perfectiores in infinitum; itá fieri posset infinitæ species substātiarū supernaturaliū; eadē Diuina substātia infinita, v.g. quę nūc est, videri nō posset, nisi per visionem infinitè perfectam; quia tunc militaret eadem prorsus calculatio in genere supernaturali, quæ de facto militat in genere naturali; sed hac hypothesi data, inquit, Deus non haberet infinitatem supernaturalem maiorem ea, quam de facto habet; ergo si tunc postulauit visionem infinitam, nunc etiam eandem postulare debet. E contrario verò, si poneremus, inquit, nō esse creabiles alias species naturales, nisi vnam infinitam, ad eam profectò ferri non posset, nisi visio infinita, qualis de facto necessaria esse dicitur: ergo pariter in Deum supernaturalirer infinitum, ferri nō potest, nisi visio infinitè perfecta in genere supernaturali, quamuis aliæ substantiæ in illo genere sint impossibiles.

Secundò probat Fasol. estò, inquit, accidentium supernaturalium species non sint infinitę; tamen gradus possibiles vnius accidētis supernaturalis, v.g. luminis gloriæ, non sunt finiti; sed vel sunt infiniti, vel nō sūt tot, quin sint plures: ergo calculando suprà istos gradus debet crescere eorum visio in genere supernaturali; sicut concedunt crescere visionem in genere naturali, calculando suprà substantias supernaturales; ergo si visio luminis gloriæ non solum crescit in genere, & ordine supernaturali, quia scilicèt illa visio secundum substantiam suam est supernaturalis; sed etiam crescit in perfectione intrà illum ordinem, secundum eam proportionē, secundum quam crescit obiectum, debet sanè eodem modo crescere visio Dei infinitè, sicut est infinitus Deus visus in ratione obiecti, & substantiæ supernaturalis.

Tertiò: multò maior ratio est, inquit, vt in genere supernaturali, sit infinita visio Dei, quod negatur, quam vt in genere naturali sit infinita visio alicuius obiecti naturalis infiniti, si daretur, quod conceditur; quia sine dubio, infinitè magis excedit Deus visionem, quamcunque creatam supernaturalem, licet infinitam, quam obiectum naturale infinitum excedat visionem naturalem infinitam, siuè etiam finitam.

Totus hic discursus, licet doctè explicatus, non video, an concludat intentum; etenim non ostendit ex propositione calculatoria: quò obiectum est perfectius, eò perfectior visio, siuè crescente perfectione obiecti, crescere debet perfectio visionis inferri cognitionem obiecti infiniti superis ordinis, & generis, debere esse infinitæ perfectionis in modo cognoscēdi, & repræsentandi; idque probatur, tùm quia quando fit transitus de ordine, & genere naturali ad ordinem, & genus supernaturale, mutatur medius terminus; quam ob causam non valet hic calculus; ad videnden-

dendum colorem palmarem requiritur oculus tantæ perfectionis, ad videndum semipalmarem colorem, requiritur visus acutior; ergo ad videndum colorem punctualem, si dabilis esset, requiritur visus infinitè acutus; sed solum deducitur consequentia hæc; ergo requiritur visus acutus alterius generis, qui superat omnem excessum visus inferioris, sicut neque valet hic calculus; ad cognoscendum sensibile vt duo, requiritur virtus visiua vt duo; ad videndum sensibile vt tria, requiritur virtus vt tria, non valet hæc cõsequẽtia, ergo ad intelligendum obiectum intelligibile infinitum requiritur virtus infinita, sed solum sequitur, quod requiritur virtus intellectiua, quæ est superioris ordinis, & ratio est, quia mutatur medius terminus formalis in discursu; & hinc habes, quãdo concludat calculus? arguendo, vel per minoritatem, vel per excessum, scilicet, quãdo diminutio, vel maioratio est in eodem ordine, & genere, & non mutatur suppositio; aliter committitur fallacia; quia mutatur formaliter medius terminus discursus: in subiecta materia, calculus etiam si fiat de visione obiecti supernaturalis, maioris, & maioris perfectionis, non valet consequentia; ergo ad videndum Deũ, vt obiectum supernaturale infinitum, requiritur visio supernaturalis infinita; quia mutatur formaliter medius terminus; in præmissa enim maiore, medius terminus calculationis, supponit pro obiecto finito in infinitum, & intrà genus; in minore autem supponit pro obiecto infinito in actu, infinitate extrà genus; infinitum autem syncategorematicum, quod est finitum in infinitum, & infinitum categorematicum sunt diuersi generis; infinitum denique creatum, non potest esse, nisi in vno determinato genere, licet sit infinitus in ordine supernaturali; infinitum verò increatum, vt est in se, est infinitum extrà genus; ergo mutatur formaliter suppositio medij termini discursus; præterea, neque valet consequentia in hoc discursu, crescente perfectione obiecti, crescere debet perfectio visionis, siuè in ordine naturali, siuè in ordine supernaturali; sed Deus est obiectum infinitè perfectum infinitate formali, tàm vt est prima causa ordinis naturalis, quam vt est prima causa ordinis supernaturalis; ergo visio Dei erit infinitè perfecta; hæc enim consequentia non solum non infertur ex præmissis; quia mutatur formaliter medius terminus procedendi; sed etiam quia sufficit cognitio finita superioris conditionis, & generis finita, qualis est cognitio intuitiua Dei: solum enim Deus est cognoscibilis, vt primum intellegibile, quod est causa vt cætera intelligantur; cognitio autem intuitiua primi intelligibilis, est superior, & perfectior quacunque cognitione cuiuscunque obiecti supernaturalis, etiam substantiæ creatæ, si esset possibilis, non quidem superioritate ordinis, quia vtraque cognitio est supernaturalis; sed quia est obiecti, seù intelligibilis primi supernaturalis, cognitio verò obiecti creati cuiuscunque, supernaturalis, etiam substantiæ si esset possibilis quantumcunque crescat, nunquam pertingere potest ad cognitionem intuitiuam primi intelligibilis; quia est cognitio obiecti essentialiter secundi, & intrà genus; vndè cum arguitur argumento calculatorio; quò obiectũ supernaturale est perfectius, eò perfectior est illius cognitio intuitiua; sed Deus vt intuibilis est infinitum in ordine supernaturali; ergo eius cognitio intuitiua esse debet infinita.

Responderi debet, negando consequentiam ex vi calculationis formalis; primò, quia mutatur medius terminus formalis discursus; secundò, quia finita cognitio intuitiua Dei, etiam ordinis supernaturalis superat in perfectione repræsentatiua omnem cognitionem, etiam possibilem obiectorum supernaturalium extrà Deum.

Quod si vrgeas cum Fasolo, vt cognitio sit infinita formaliter in modo cognoscendi, siuè repræsentandi, satis est vt sit obiecti infiniti: sed cognitio intuitiua Dei, est obiecti formaliter infiniti; ergo visio intuitiua Dei debet esse formaliter infinita in repræsentando, & in modo cognoscendi.

Responderi debet; distinguendo maiorem, siuè causalem, vt cognitio sit infinita, satis est, vt eius obiectum formale sit infinitum, & concedo: vt eius obiectum materiale sit infinitum, & nego; perfectio enim cognitionis est ex obiecto formali, à quo specificatur, non autem ab obiecto materiali. In re nostra Deus, vt intuibilis ab intellectu creato, siuè, vt est infinitum, verum est obiectum materiale, & non obiectum formale cognitionis intuitiuæ creatæ, nimirum id quod cognoscitur est obiectum infinitum; ratio verò formalis cur intuitiuè cognoscatur ab intellectu creato eleuato lumine gloriæ, est quia Deus est intel-

telligibile proportionatum intellectui creato, proportione essentiali obiecti, & potentiæ; hæc autem ratio quantum est de se, non est infinita; sed est ratio cognoscendi intelligibile, tùm finitum, tùm infinitum, vt supra ostendimus. Ex hac doctrina soluuntur omnes instantiæ in contrarium allatæ a Fasolo *cit. dub. 7. à n. 4. vsque ad n. 41.*

Respondent alij, quos sine nomine citat Fasol. *dist. 41.* visionem obiecti infiniti in argumento calculatorio, esse infinitam extrinsecè, & terminatiuè; non autem entitatiuè, & intrinsecè; cuius respõsionis ratio esse potest, tum quia ex calculo cum mutatur medius terminus formalis discursus, non potest deduci cognitio infinita obiecti infiniti; tùm quia cognitio obiecti infiniti, etiam si ea sit intrinsecè finita in modo cognoscendi, & in modo repræsentandi, est perfectior quacumque perfectione quantumuis perfecta obiecti cuiuscumque finiti.

Hanc responsionem reijcit Fasolus, dicens, quod hæc responsio se se destruit; vult enim, inquit, vitare infinitatem in visione Dei, & tamen in eam incidit; quia posse cognitionem terminare ad obiectum extrinsecum, & posse illud repræsentare, est aliqua perfectio intrinseca in ipso actu cognitionis; ergo visio obiecti infinita, quæ cõceditur est infinita extrinsecè; quia est repręsentatiua obiecti infiniti, non potest dici infinita merè extrinsecè, sed erit infinita intrinsecè secundùm virtutem repræsentandi, quæ est intrinseca, & essentialis cognitioni.

Verum hæc impugnatio Fasoli, non conuincit; etenim qui respondent visionem intuitiuam Dei esse infinitam extrinsecè, fundãtur primò in eo principio, quia Deus vt intuibilis ab intellectu creato, est obiectum infinitum materiale, non autem est obiectum infinitum formale: perfectio autem refenditur cognitioni ex suo obiecto formali, non verò ex suo obiecto materiali; secundò fundantur in hoc alio principio; quia visio intuitiua Dei, est repræsentatio obiecti ex parte potentiæ, non autem ex parte ipsius obiecti; quia cognitio est actus intellectus, vt constituti in actu per speciem intelligibilem: non est actus obiecti, siuè motiui, siuè terminatiui, vt fusè explicabitur in articulo de specie intelligibili intuitiua Dei.

Neque obstat si dicas; visio obiecti infiniti etiam materialiter, est nobilior visione obiecti finiti materialis, & visio obiecti supernaturalis, etiam materialiter est nobilior, & perfectior visione quacunque obiecti naturalis.

Non inquam obstat hoc; quia hæc maior perfectio, est in cognitione à potẽtia intellectiua, non autem ab obiecto, quia est repræsentatio ex parte potentię, non autem ex parte obiecti.

Secunda implicantia, quæ assignari potest ad ostendendum implicare visionẽ creatam intuitiuam Dei, est; quia non potest intellectus creatus cognoscere absolutè, & simpliciler, nisi, vel quod est suum obiectum formale essentiale, vel nisi quod est intrà suum obiectum formale essentiale; sed neutrum horum potest competere Deo, vt est in seipso; ergo absolutè, & simpliciter implicat Deum esse intuibilem ab intellectu humano, siuè ille sit creatus, siuè Angelicus. Minor probatur, & quidem primò, non potest competere Deo, vt est in seipso, esse infrà obiectum essentiale intellectus creati, nàm hoc obiectum non est dabile; quia implicat in terminis; & probatur; nam hoc obiectum essentiale, non potest esse aliud, nisi ens, vt ens, vel intelligibile, vt intelligibile, abstrahẽs à creaturis, & à Deo, vt intuibili; sed hoc implicat, quia hoc dato, necessariò in Deo esset prędicatum essentiale potentiale: Deo autem, cum sit essentialiter actus purus, omninò contradicit potentialitas; assumptum probatur; nàm prædicatum abstrahens, non solum est aptum esse formaliter in suis inferioribus; sed etiam est essentialiter diuisibile, vt fusius alibi ostendimus.

Neque Deo potest competere esse obiectum essentiale intellectus creati, quatenus est potentia intellectiua intuitiua; quia Deus vt intuibilis, est primum intelligibile; implicat autem primum intelligibile inquantùm huiusmodi, esse obiectum essentiale intellectus creati; quia intellectus creatus specificaretur à primo intelligibili, quod omninò contradicit creaturæ; nàm contradicit creaturæ euehi in rationem primi.

Sed neque hæc ratio implicantię subsistit, & facilè soluitur ex principis primis supra explicatis; duplex enim est obiectum essentiale intellectus creati; aliud, in quo vt primò cognito, cognoscuntur cætera; aliud, quod est primum principium cognoscendi omnia, ad quæ se extendit; ratio autem huius duplicis obiecti essentialis est; quia intellectus creatus, vt supra ostensum est, est cognitiuus duplici cogni-

tio-

tione, nimirùm cognitione intuitiua, & cognitione abstractiua, quæ sunt duæ differentię formales cognitionis intellectiuę, siuè duæ species cognitionis essentiales; intuitio enim, & abstractio, sunt differentiæ intrà latitudinem formalem cognitionis. Deus vt intuibilis, non est infra obiectum essentiale intuibile, in quo, vt primo cognito, cætera cognoscuntur ob eandem rationem; sed est ipsum obiectum formale; quia solus Deus est obiectum, vt primum intelligibile, & vt primum intellectum, in quo cætera extra se cognoscuntur; solus enim Deus est prima causa obiectiua simpliciter, cum sit solus Deus primum verum, & primum in qualibet latitudine entis; neque est infrà obiectum formale intellectus, quod est principium formale, quo cætera cognoscuntur eadem ratione; hoc enim obiectum essentiale est; licet sit intelligibile, siuè verum, vt sic, prout habet proportionem essentialem cum intellectu creato in ratione obiecti, & potentię, siuè in ratione perfectiui, & perfectibilis in genere obiecti; tamen si ponatur cómune, non potest admittere diuisibilitatẽ; in qua significatione intelligibile, vt sic, de se non habet conuenientiam in modo essendi; neque cum intellectu creato, neque cum alio intelligibili creato; quoniam proportio essentialis in ratione obiecti, & potentiæ, solum dicit vnum esse intelligibile, aliud verò esse intellectiuum, siuè vnum esse perfectiuum, aliud verò perfectibile in genere obiecti, sicut v.g. proportio, quam habet Deus vt prima causa cum creaturis, siuè actualibus, siuè possibilibus in ratione causæ, & effectus, nullam dicit conueniẽtiam in modo essendi cum creaturis; sed solum dicit, Deum esse primam causam, & creaturas esse effectum causabilem; sicut enim Deus est prima causa effectiua omnium extra se, ita est prima causa obiectiua perfectiua, nimirùm intellectiui; implicat autem primam causam esse diuisibilem in plura inferiora.

Huius doctrinæ, supra assignauimus primam radicem, quæ est hæc; quia intelligibile, vt sic, quatenùs est proportionatum proportione essentiali obiecti, & potentiæ intellectui creato, præscindit à proportione cum intellectu creato, tanquam causa principali intellectiua, & ab eodem, vt causa instrumentali; proportio intelligibilis cum intellectiuo, vt causa principali requirit necessariò conuenientiam, siuè proportionem in modo essendi; proportio verò intelligibilis cũ intellectiuo, vt causa instrumentali, non item; vt autem intellectus creatus simpliciter, & absolutè possit videre Deum, vt est in seipso; satis est vt possit videre Deum, vt causa instrumentalis; nunc occurrit.

Hæc alia ratio; quoniam obiectum intelligibile requirit conuenientiam in modo essendi cum suo effectu formali, & primario, non autem cum suo effectu materiali, & secundario; intellectus creatus est terminus materialis primi intelligibilis, sicut est effectus materialis primi intellectiui, siuè primi intellectus; causa enim prima, non specificatur, nec specificari potest à creaturis.

Tertia implicantia, quæ assignari potest est hæc; Deus vt obiectum intuibile, est primum intelligibile, & est primum intellectum; sed contradicit primo intelligibili, & primo intellecto esse obiectum intuibile intellectus creati; quia primum intelligibile, siuè intellectum per hoc, quod sit obiectum intellectus creati, perdit suam rationem formalem obiectiuam; quia per hoc, quod sit obiectum intellectus creati sit specificatiuum intellectus creati; implicat autem intellectum creatum specificari à primo obiecto; intellectus enim creatus, est essentialiter ens secundum; at vniuersaliter implicat secundum eleuari ad rationem primi; quia implicat secundum constitui formaliter in ratione secundi per primum. Sed hæc implicantia adhuc facilè soluitur.

Respondeo enim distinguo minorem; contradicit primò intelligibili, & primò intellecto fieri obiectum intellectus creati, vt termini materialis, siuè effectus materialis, & nego; vt effectus siuè termini formalis, & primarij, & nego. Vt supra modo dictum est, intellectus creatus, est effectus secundarius, & materialis primi intelligibilis, & primi intellectiui, non autem effectus formalis, & primarius; ob hãc rationem Deus est prima causa omnium creaturarum extra se, neque per hoc, quod prima causa sit causa actu creaturarum, perdit rationem primæ causæ.

Hæc quidem doctrina verissima est, & catholica, iuxtà illud Ioan 3. Videbimus eum sicuti est; sed contra errorem nonnullorum asserentium, nullum intellectum creatum videre posse Deum in seipso, etiam viribus supernaturalibus; & motiuum eorum præcipuum fuit; quia Deus est quidem intelligibilis, sed extra genus; at si intelligeretur ab intellectu creato, etiam eleuato viribus supernatura-

libus, esset ens intelligibile intrà genus; quia poneretur Deus intrà genus intellectus creati, qui est ens in determinato genere; idque explicari, & probari potest; quia non datur ens intelligibile commune Deo, & creaturis; sed solum datur ens, & intelligibile primum, & à se; & intelligibile secundum, & ab alio essentialiter.

Quod si eis obijcias, Deum esse obiectum intuibile: sed vt sic, non est extrà latitudinem intellectus creati; quia intellectus creatus adhuc est intuitiuus; ergo vt sic Deus, est intrà obiectum essentiale intellectus creati.

Respondere statim possunt, distinguendo maiorem, nimirùm Deum esse intuibilem, vt primum intelligibile, & extra genus, non autem vt secundum intelligibile, & intrà genus; Deus enim est intelligibilis; quia est primum ens verum; vt sic autē, est intelligibile solum ab intellectu Diuino, & non ab intellectu creato.

Sed hæc opinio hęretica est, & à catholica fide aliena, & tribuitur Petro Abailardo, & probatur oppositum, adhuc rationibus Theologicis.

Prima est: Fides catholica docet, beatitudinem supernaturalem consistere in visione clara Dei; nam vltima hominis, vel Angeli beatitudo, vt probatur. 1.2.*qu.* 4. *art.* 4. *& p.p. qu.* 26. *art.* 2. consistit in perfectissima, & altissima hominis, & Angeli operatione, quæ est operatio intellectus; per hanc enim operationem, vt suo loco probabitur, plenè possidetur Deus; etenim per altissimam operationem, quæ est visio intuitiua supernaturalis Dei, possidetur principium rerum omnium, iuxtà illud Ioan. 17. hæc est vita æterna, vt cognoscant Deum verum, & vnum, &c. sed si Deus non esset cognoscibilis ab intellectu creato, vel nunquam obtinebitur beatitudo creaturæ intellectualis, nimirum, supernaturalis, vel in aliquo alio obiecto consistet, quam in visione intuitiua, siuè faciali Dei.

Secunda ratio est; quia habita notitia Dei per fidem, statim in creatura intellectuali insurgit desideriū cognoscēdi illū sicuti est in seipso; sed desideriū esset inane, si Deus nō esset intuibilis, vt est in seipso, ꝙ implicat; quia desideriū est rei possibilis.

Conantur hanc ipsam conclusionem Scotus, & Alij probare rationibus naturalibus, quæ nisi reducantur ad principia prima à nobis explicata, facillimè soluuntur ab aduersarijs; easque satis doctè explicat Fasol. *dub.* 2. *à n.* 11.

Præcipua est Scoti. Omnis potentia, inquit, Scotus, habens obiectum primum adæquatum, potest per se in quodlibet cōtentum sub illo obiecto; sed primum obiectum intellectus humani est, ens; ergo quodlibet in quo saluatur ratio entis, est obiectum per se intellectus humani: sed in Deo, vt intuibili saluatur ratio entis formaliter; ergo Deus est intuibilis ab intellectu creato.

Sed hæc ratio primò supponit, quod est in quæstione. Secundò si vim haberet, probaret etiam Deum esse compræhensibilem ab intellectu creato, quia adhuc Deus, vt compræhensibilis, est ens formaliter, & tamen compræhensio Dei in creata, omninò implicat; quia cognitio cōpræhensiua adæquatur, & parificatur suo obiecto in modo cognoscendi; contradicit autem cognitioni creatæ parificari cum Deo in modo cognoscendi, quo Deus est cognoscibilis adæquatè. Tertiò, supponit ratio Scoti, dari ens formaliter commune Deo, vt in se est, & creaturis; supponit .n. Scotus, ens formaliter vt sic, esse vniuocū Deo, & creaturis; sed hoc ens implicat in terminis; quia vt sæpè repetiuimus, huiusmodi ens esset intrinsecè potentiale; at implicat ens potentiale reperiri formaliter in Deo.

Aliqui impugnant hanc Scoti rationem, distinguendo minorem; dicunt enim obiectum primum intellectus creati, esse ens reale commune creaturis, & Deo, vt cognoscibili ex creaturis; non autem ens reale commune creaturis, & Deo, vt intuibili in seipso; vt autem concluderet argumentum Scoti, deberet probari à Scoto, ens reale vt sic, quatenùs dicitur de creaturis, & de Deo vt intuibili, esse obiectum essētiale intellectus creati.

Sed hæc responsio potius fauet, quā impugnat argumentum Scoti; nàm ex eo, quod Deus vt cognoscibilis ex creaturis, est intrà obiectum intellectus creati, à posteriori deducitur, Deum, vt intuiblem, esse intrà obiectum essentiale eiusdem intellectus creati, vt probat S. Thomas *p. p. q.* 12. *art.* 4. *ad* 3 & consequenter esse intuibilem ab intellectu creato eleuato lumine gloriæ; idque ostenditur primò; nàm ex eo, quod Deus est cognoscibilis ab intellectu creato cognitione abstractiua, deducitur Deū vt intuibilē abstractiuè posse cognosci; sed ꝙ cognoscitur in abstractione, potest cognosci etiā in cōcretione, vt dicit S. Thom. *loc. cit.* & ratio huius à priori est; quia posito, quod Deus vt intuibilis, sit ab-

abstractiuè cognoscibilis, ex hoc sequitur, quod Deus vt intuibilis, non se habeat ad intellectum creatum, sicut se habet sonus ad visum corporalem; & consequenter sequitur, quod Deus vt intuibilis, non habet improportionem essentialem obiectiuam cum intellectu creato; hæc autem ratio satis est, vt intellectus creatus per eleuationem possit videre Deum, vt est in seipso. Secundò, quia cognoscibile signatè, quod est cognoscibile abstractiuè, est cognoscibile etiam exercitè, saltem nō repugnanter; nàm illud idem, quod cognoscit signatè, potest cognoscere exercitè intellectus.

Impugnant alij rationem Scoti, asserentes, illam non concludere, quia ex illa pariter deduci posset, Deum vt in se est, esse obiectum naturale intellectus creati; sed hoc est falsum; ergo pariter id, vndè sequitur; sequelam probant: quia ens vt ens, est obiectum connaturale intellectus, nimirùm cognoscibile lumine, siuè medio naturali, cuius ratio est; quia ens reale, vt ens in sua latitudine reali, est obiectum metaphysicæ naturalis, quæ est scientia naturalis; at naturale obiectum formale, est tantum ad cognoscendum obiecta naturalia; ergo si Deus, vt in se est, est cognoscibilis ab intellectu creato; quia obiectū formale intellectus creati, est ens reale vt sic, sequitur quodlibet inferius ens, ac proindè Deum ipsum, vt in se est, esse obiectum naturale intellectus creati, sicut e.g. ex eo, quod coloratum, vt coloratum, est obiectum connaturale visus; sequitur hoc inferius coloratum. v. g. album esse etiam obiectum naturale visus corporalis.

Quod si dicas, inquiunt, pro Scoto; ens reale, vt sic, esse obiectum essentiale intellectus creati, non autem connaturale, statim.

Dicent hanc esse manifestam petitionem principij, quia de hoc est quæstio.

Respondet Fasolus ad hanc instantiam *dub.* 2. an possibilitas beatæ visionis demonstrari possit, *nu.* 16. negando ex eo, quod ens reale præscindens est obiectum naturale, scilicèt cognoscibile medio, siuè lumine naturali, sequi quodlibet inferius, & contractum ens, esse obiectum naturale intellectus creati, sicut ex eo quod beatitudo in communi est appetibilis naturaliter à voluntate, non sequitur visionem intuitiuam Dei, quæ est quædam particularis beatitudo, vt sit appetibilis naturaliter à voluntate.

Cum verò obijcitur, prædicata, quæ conueniunt obiecto formali in communi, conueniunt omnibus contentis infrà ipsum obiectum; ergo si ens reale, vt sic, est obiectum connaturale intellectus creati, hoc prædicatum competit Deo, etiam vt in se est.

Respondet statim Fasolus cum distinctione; prędicata enim, inquit, positiua, quę conueniunt alicui termino communi, esse in duplici differentia: quædam conueniunt communi termino in statu præcisionis; sicut, v.g. animali conuenit esse genus, & homini esse speciem, & ipsimet enti conuenit esse obiectum adęquatum metaphysicę; & huius generis prędicata, impossibile est conuenire inferioribus; animalis, & hominis, & ratio est manifesta; quia hæc prædicata conueniunt termino communi ratione status præcisionis; præcisio autem, non potest eidem conuenire, vt contracto, & diuiso in suis inferioribus; alia verò sunt prædicata positiua, quæ cōueniunt termino communi secundùm se positiuè; vt animali conuenit esse substantiam sensibilem; enti reali, esse possibile ad existendum realiter, & huiusmodi prædicata necessariò participantur à quolibet inferiore participante superius essentialiter. In re præsenti, inquit, Fasolus, quod esse obiectum naturale, nimirùm, esse cognoscibile, medio, vel lumine naturali, est prædicatum primi generis; conuenit enim, inquit, enti reali, vt stat sub præcisione à quolibet ente particulari; & ratio huius est; quia ens reale vt sic, præscindit ab obiecto naturali, & obiecto supernaturali; argumentum concluderet, inquit, Fasolus si esse obiectum naturale intellectus creati, esset prædicatum conueniens enti reali, vt sic, positiuè, & secundùm se; sicut animali essentialiter, & secundùm se positiuè conuenit esse substantiam viuentem.

Sed quantum nunc video, neutra responsio satisfacit, neque argumento Scoti, neque instantiæ contra Scoti argumentum; non quidem satisfacit argumento Scoti; cum enim dicit Scotus; primū obiectum intellectus creati, esse ens; non loquitur de obiecto connaturali intellectus, sed loquitur de obiecto formali essentiali intellectus creati, secundùm se positiuè, & ratio est; quoniam Scotus concedit ens reale vt sic, secundùm se esse vniuocum, Deo, & creaturis: neque hoc assumptum est manifesta petitio principij: nàm huius assumpti, Scotus assignat rationem, vt di-

ximus in *qu. de vniuocat. entis in hoc nostro 1. tomo*; ex assumpto autem à Scoto in hac significatione, non sequitur, Deum vt intuibilem in seipso, esse obiectum naturale intellectus creati; quoniã esse obiectũ cónaturale intellectus creati, nõ est prędicatũ conueniens enti reali, vt sic secundùm se positiuè, quia obiectum essentiale intellectus creati præscindit ab obiecto naturali, & ab obiecto supernaturali. Ob eandem rationem, neque satisfacit instantiæ contra Scoti rationem.

Dicta Scoti ratio, procedit posita Diuina reuelatione manifestante, Deum esse visibilem in patria ab intellectu creato; non verò procedit independenter à lumine fidei, vt conditione declarante terminos; posita autem Diuina reuelatione, vt conditione modo explicata; ens reale vt sic, est vniuersalius, quàm si remota omni Diuina reuelatione, & ratio huius à priori est; quoniam ens reale vt sic, antè omnem reuelationem fidei, commune est tantummodò omnibus prædicatis naturalibus cognoscibilibus tantummodò solo medio, vel lumine naturali, etiam quæ conueniunt Deo, quatenus est ens cognoscibile solo naturæ luminæ. Verùm posita Diuina reuelatione manifestante terminos, ens reale vt sic, commune est, nedum prædicatis omnibus intrinsecis naturalibus; sed etiam prædicatis omnibus supernaturalibus, quæ conueniunt Deo, quatenùs est prima causa creaturarum, quæ per se ordinantur ad Deum, vt in se est; quæ diuersitas non solum est obiectiua, & in ratione cognoscibilis; sed etiam subiectiua, & in ratione rei, quæ cognoscitur; & hac posita doctrina, manifestè sequitur, Scotum in sua ratione sumpsisse ens reale vt sic, quatenùs commune est etiam Deo vt intuibili ab intellectu creato; sub qua ratione formali; Deus est ens intelligibile supernaturale, scilicèt est prima causa omnium, quæ ordinantur ad Deum, vt in se est; & hæc Scoti doctrina solum differt a nostra, quæ est acutissima S. Thomæ doctrina; quia Scotus vult ens reale vt sic, esse vniuocum Deo, & creaturis; S. Thomas autem non concedit aliud ens reale, nisi primum ens essentialiter, quod est Deus; & secundum ens essentialiter, quod est creatura; & ens reale, quod est obiectum essentiale intellectus creati; esse ens, siuè intelligibile, quatenùs, scilicèt, proportionatum est intellectui creato in ratione obiecti, & potentiæ intellectiuæ.

Quod si obijcias, ex hac explicatione sequi, Deum esse obiectum naturale intellectus creati, quod suprà negauimus; sequela probatur; quoniam ens reale, vt sic commune creaturis, & Deo vt causæ supernaturali, etiam posita fide, vt conditione, manifestante terminos, est cognoscibile naturali lumine; scilicèt per medium illuminatum lumine naturali, vt docuimus *q. 1. in hoc 1. tom.* quippè ens reale vt sic, est obiectum Theologię vniuersalissimæ, quę vt probauimus, est scientia naturalis secundum substantiam; at scientia naturalis secundum substantiam, non est, nisi obiecti formaliter naturalis.

Audiui aliquos respondere, negando sequelam; & ratio negationis, inquiut, est; quia ens reale vt sic, quod est commune creaturis naturalibus, & supernaturalibus, & Deo vt causæ naturali, & vt causæ supernaturali; dupliciter sumi potest; vno modo, prout abstrahit ab omni materia, siuè ab omni obiecto materiali, tàm naturalí, quàm supernaturali; alio modo, vt contractum ad materiam, siuè ad obiecti materiale naturale; primo modo consideratum ens reale vt sic, neque est obiectum naturale, neque supernaturale intellectus creati; sed præscindit ab vtroque formaliter, & secundùm se; cognitio autem naturalis, vel supernaturalis, siuè intellectus, vt potentia naturalis, vel vt potentia supernaturalis, specificatur ab obiecto naturali, vel supernaturali formali.

Neque obstat, inquiunt, si dicas hoc obiectum abstrahens ab obiecto materiali supernaturali, vt sic, cognoscitur cognitione scientię naturalis: hæc autem non specificatur, nisi ab obiecto formali naturali, ergo cognitio, siuè intellectus, proùt est intellectiuus entis abstrahentis à naturali, & supernaturali, non potest esse supernaturalis, nàm.

Respondent, cognitionem dupliciter esse naturalem; vno modo ex obiecto formali supernaturali; alio modo ex solo modo cognoscendi naturali; sed.

Hæc responsio non euacuat vim argumenti; quippè metaphysica vniuersalissima, siuè intellectus creatus vt sic, considerantes ens reale, quod commune est Deo, & creaturis, tàm in esse naturali, quam in esse supernaturali, vt probauimus *prima quæstione in hoc primo tomo*, sunt naturales secundum substantiam, non autem secundum modum tantum cognoscendi; & ratio à priori est, vt dicimus: quia cognitio, sicut, & intellectus, est naturalis, vel

vel supernaturalis secundum essentiam ab obiecto naturali, vel supernaturali; pariter secundùm essentiam, siuè substantiā suam: obiectum formale secundum substantiam, tàm metaphysicæ vniuersalissimæ, quā intellectus creati vt sic, est essentialiter naturale: quia supposita fide Diuina, vt conditione manifestante terminos; metaphysica vniuersalissima, sicut, & intellectus creatus vt sic, demonstrant passiones de ente reali commune Deo, & creaturis, tum in esse naturali, tum in esse supernaturali, medio adinuento regulis, & principijs primis naturalibus formaliter: hoc autem mediū est obiectū formale.

Respondeo equidem, ens, quod dicitur de Deo, & creaturis, tàm in esse naturali, quā in esse supernaturali, esse obiectū materiale, abstractiuè nō obiectū formale in genere scibilis intuitiuè metaphysicę vniuersalissimę, & intellectus creati vt sic; & hoc satis est, vt intellectus creatus possit eleuari ad cognoscendum Deum, vt est in seipso, cognitione intuitiua, & faciali, vt loquuntur Theologi: dixi in genere scibilis: quia obiectum formale, vt in prima quæstione explicauimus cum Caiet. & Thomistis cæteris: aliud est in genere entis, & aliud est in geuere obiecti. Quod si aliquando diximus, ens vt ens, esse obiectum formale, & scientię metaphysicæ vniuersalissimæ, & intellectus creati vt sic, loquti sumus de obiecto formali in genere entis, non autem in genere scibilis, siuè obiecti; & hoc ens cognoscibile est, tum medio illuminato lumine supernaturali, tum medio illuminato lumine solo naturali: supposita tamen Fide Diuina vt conditione manifestante terminos; & ratio à priori huius est; quia ens vt sic, est obieteum materiale in genere scibilis: materiale autem obiectum potest subordinari medio formali, tàm illuminato lumine naturali, quam illuminato lumine supernaturali.

Obijcies primò: ad cognoscendum Deum in seipso requiritur proportio potentiæ, & obiecti formalis: sed nulla potest esse proportio inter Deum, vt est in seipso, & intellectum creatum, quia finiti ad infinitum nulla est proportio: sed intellectus creatus est essentialiter finitus: quia est receptus realiter in essentia creaturæ intellectualis: Deus verò in ratione intuibilis, siuè intelligiblis intuitiuè, est infinitus infinitudine formali: Deus enim in omni perfectione est actus purus; actus verò purus est infinitus simpliciter infinitudine formali; infinitas autem simpliciter nullam dicit proportionem cum intellectu creato in ratione potentiæ, & obiecti.

Respondeo distinguo maiorem: ad cognoscendum Deum, vt in se est, requiritur proportio essentialis obiecti formalis, & potentiæ; & cōcedo: requiritur proportio essentialis obiecti materialis, & potentiæ intellectiuæ, & nego; data hac distinctione, nulla potest esse proportio Dei, vt obiecti materialis, & intellectus creati; quia vt rectè dixit opponens, Deus est infinitus simpliciter; intellectus verò creatus vt sic, est finitus simpliciter; sed per hoc non tollitur, quin inter Deum vt est in seipso, & intellectum creatum, sit proportio obiectiua essentialis, nimirùm, in ratione obiecti essentialis, & potentiæ; idq; suprà ostensum est; quoniam obiectum formale in ratione scibilis in Deo, vt in se est, est intelligibile in ordine ad intellectū creatum, quatenùs præscindit ab intellectu creato, vt causa visiua principali, & vt causa visiua instrumentali; quandoquidem intellectus creatus virtute substantiæ intellectualis creatæ, est causa instrumentalis substantiæ intellectiuæ creatæ, vt causæ principalis visiuæ; lumine verò gloriæ eleuatus, est causa instrumentalis primæ causæ, vt eleuantis substantiam intellectiuam creatam, & suum intellectum est, denique virtute suæ formæ causa principalis visiua accidentis, sicut calor, v.g. vt causa principalis, nimirùm, virtute suæ formæ, est productiuus, tantummodò alterius caloris, quatenùs verò est causa instrumentalis substantiæ ignis producentis, est productiuus substātiæ alterius ignis; hac de causa, rectè dicūt aliqui docti Thomistæ, quod finitudo intellectus creati, & infinitudo Dei, se habent materialiter, & per accidens ad videndum Deum, vt est in seipso; quia visio Dei in seipso solum requirit absolutè, & simpliciter loquendo, proportionem obiectiuā essentialem, nimirùm, Deum esse cognoscibilem in seipso, cognitione intuitiua, & intellectum creatum esse intuitiuū formaliter.

Alensis *p.p.q.2.memb.1.artic.1. ad 4.* dicit, visionem essentiæ Diuinæ infinitæ, siuè intellectum visiuum Diuinæ essentiæ infinitæ, esse proportionatam in ratione potentiæ, & obiecti formalis essentialis; quia per visionem intuitiuam creatam, visibilis est Deus finitè, iuxtà capacitatem videntis finiti. Eandem doctrinam sequens Argentina in *tertium distinct.14.qu.vnica, art.3.*

*art.* 3. dicit, quod intellectus finitus, qualis est intellectus creatus, quamuis videat essentiam Diuinam infinitam, videt tamen eam finitè; & hæc proportio tantum sufficit ad posse videre Deum simpliciter, & absolutè, vt est in se; sed ratio hujus à priori est; quia ad videndum Deum, vt est in se simpliciter, & absolutè, requiritur proportio potentiæ cum obiecto formali, non autem cum obiecto materiali; Deus autem quatenùs est visibilis modo finito, est obiectum formale intellectus creati; non verò quatenùs est intelligibilis modo finito.

Marcus Antonius Palumb. *in exam. 1. Scolast. in q. 12. p. p. S. Th. cap.* 4. alio modo soluit hoc argumētum, dicit enim primò, dupliciter Deum esse intuibilem; appræhensiuè, & compræhensiuè, vt intuibilem apprehensiuè, esse obiectum formale intellectus creati; vt intuibilem verò compræhensiuè, esse obiectum solius intellectus Diuini. Dicit secundò, dupliciter nos posse cognoscere, Deum esse infinitum, vt in se est; vno modo signatè tantum, nimirum, signando intellectu Deum esse infinitum; alio modo exercitè, nimirùm, cognoscendo modo infinito, Deum esse infinitum. Primo modo, Deus est cognoscibilis tantummodò ab intellectu creato. Secundo modo est cognoscibilis tantum ab intellectu Diuino. Explicat distinctionem exemplo hoc, scio, inquit, Deum esse incompræhensibilem signatè, & tamen exercitè, & subiectiuè in intellectu non habet cognitionem comprehensiuam, per quam compræhendam Diuinam incompræhensibilitatem; sumitur hoc exemplū à S. Thoma *citata qu. 22. de Vis. Dei in Art. Vtrum Deus sit compræhensibilis ab intellectu creato*, vbi S. Doctor docet posse intellectum creatum esse comprehensibilem ab intellectu Diuino, nimirùm tanùm signando, non autem exercendo in se visionem comprehensiuam Dei, sicut possumus nos cognoscere aliquam propositionem esse demonstrabilem ratione probabili, non autem ratione demonstratiua. Dicit tertiò, Deum esse quidem verum, siuè intelligibile infinitum absolutè, non relatiuè ad intellectum creatum, etiam vt eleuatū lumine gloriæ; sicut enim datur verum absolutū, & verū relatiuū, ità datur intelligibile absolutū, & intelligibile relatiuū; Deus vt est verū infinitū absolutū, est cognoscibile tantum ab intellectu Diuino, quatenùs verò est intelligibile relatum ad extrà, est cognoscibile ab intellectu creato. Explicatur hæc distinctio à Palumbo ad *qu. 5. p. p. S. Thomæ de bono in communi, initio*, vbi dicit, quod bonum entis; est denominatio, tùm absoluta, tùm respectiua; dicitur enim bonum absolutè, ex eo formaliter, quia habet sua prædicata, quæ sibi conueniunt, & aptantur, & hoc modo ens bonum, inquit, est ens perfectum, & completum; habens scilicèt, quæ ipsi conueniunt. Dicitur ens bonum relatiuè: quia est ens, quod quadrat, conuenit, seu aptatur alteri enti, sicut e. g. calor est bonus, tùm bonitate absoluta caloris, quia vt calor est, habet prędicata caloris, quibus in esse caloris completur; tum bonitate relatiua; quia est accidens conueniens substantiæ ignis; pariter ens dicitur verū veritate absoluta, & veritate relatiua, quatenùs scilicèt est verum sibi, est verum absolutum; quatenùs verò est verum intellectui creato, est verum relatiuum. Hac posita distinctione, Deus est obiectum formale essentiale intellectus creati, quatenùs est ens verùm, siuè intelligibile relatiuum, quod Deo competit, quatenùs est causa intelligibilis, & obiectiua intellectus creati: quatenùs verò est ens verū, & intelligibile absolutum, est obiectū formale sui Diuini intellectus tātum; & hinc deducitur ratio à priori, cur Deus possit esse intuibilis ab intellectu creato simpliciter, & absolutè, & est hæc; q͂a Deus est prima causa intelligibilis, & obiectiua cur cętera sint intelligibilia, siuè in genere intelligibilis extrà se; at prima causa, non est cōmunicabilis ad extrà, nisi modo finito, quia est causa analoga, non vniuoca; ergo Deus est intelligibilis relatione causæ ad intellectum creatum; hæc autem relatio non tollit, quin Deus sit intelligibile infinitum absolutè; nam hæc duo complent latitudinem formalem intelligibilis, sicut Deum esse bonum sibi, & creaturis, complet in Deo bonitatem in tota sua latitudine; & in hoc principio, tanquam in prima radice fundatur ratio, cur Deus sit intelligibilis ab intellectu creato modo finito in infinitum; quia, nimirùm, Deus est intelligibilis ad extra, vt prima causa, quæ est prima causa analoga. Potest assignari alia ratio cur Deus sit intelligibilis ad extrà modo finito in infinitum, scilicèt perfectiore, & perfectiore sine fine, & est hæc, quam etiam suprà innuimus; quoniam.

Deus est obiectum formale essentiale intellectus creati; quatenus est intelligibile secundùm quod pręcisè dicit proportio-

tio-

tionem cum intellectu creato vt ſic, in ratione cauſæ, & effectus, ſiuè in ratione obiecti eſſentialis, & potentiæ; ſed ſub iſta tatione formali Deus abſtrahit ab intelligibili modo infinito, ſiuè comprehenſiuo, & modo finito, ſiuè appræhenſiuo. Probatur minor, Deus vt proportionatus intellectui creato in ratione primæ cauſę obiectiuæ, & effectus, modo explicato, poteſt eſſe terminus intuibilis in ſeipſo, à ſubſtantia intellectiua, quatenùs à cauſa viſiua principali, & tanquam à cauſa viſiua inſtrumentali; quia formaliter præſcindit ab vtroque intelligibili; ſed vt ſic pręſcindit ab intelligibili modo infinito, ſub qua ratione poteſt vtroque modo cognoſci. Diſcurſus euidens eſt ex dictis; quandoquidem Deus vt intelligibilis à ſubſtantia intellectiua, vt cauſa principali, habet conuenientiam vniuocam in modo eſſendi cū ſubſtantia viſiua principaliter: hęc autem conuenientia vniuoca, requirit infinitatem, tàm in cauſa principali viſiua, quam in eius obiecto principali viſibili; verùm intelligibile, vt terminus ſubſtantiæ viſiuę inſtrumentaliter, non requirit hanc conuenientiam in modo eſſendi, & ideò non eſt intelligibilis modo infinito, qui fundatur in conuenientia in modo eſſendi, & ideò non eſt intelligibilis modo infinito, qui fundatur in cōuenientia in modo eſſendi ſubſtantiæ viſiuæ cum eius obiecto formali, & primario.

Obijcies ſecundò, implicat intellectū creatum abſolutè, & ſimpliciter in cognoſcendo eleuari ſuprà ſuam ſubſtantiam, ſed Deus vt viſibilis in ſeipſo, eſt ſuprà ſubſtantiam intellectus creati vt ſic: ergo implicat intellectum creatum abſolutè, & ſimpliciter poſſe videre Deum, vt eſt in ſeipſo. Maior probatur primò: quia eleuatio potentiæ cognitiuæ in cognoſcendo, eſt tantum ſuprà vires naturales; non autem ſuprà ſubſtantiam; vires autem naturales cognoſcendi, ſunt infrà ſubſtantiam intellectus creati, non ſuprà. Diſcurſus eſt euidens ex terminis, quia quæſitum eſt, an intellectus poſſit intelligere Deum in ſeipſo; non autem an poſſit ſentire Deum; intellectio autem eſt infrà ſubſtantiam intellectus creati; non ſuprà; quia eſt ad obiectum formale, & eſſentiale intellectus creati vt ſic: hoc autem cum ſit intelligibile formaliter, ſiuè verum, intellectio debet eſſe intrà ſubſtantiam intellectiui, & intelligibilis. Secundò, eleuatio potentiæ cognitiuæ ſupra ſuam ſubſtantiam in cognoſcendo eſt ad obiectum formale vniuerſalius, & ſuperius obiecto formali potentiæ cognitiuæ inferioris, vt v.g. ſi potentia viſiua corporalis videret Deum, proùt eſt obiectum intelligibile: hæc cognitio eſſet per eleuationem potentiæ viſiuæ corporalis ſuprà ſuam ſubſtantiam; quia eſſet ad obiectum formale vniuerſalius; implicat autem potentiam cognitiuam inferiorē, cognitione ſui generis, vel ſpeciei eleuari ad cognoſcendum obiectū formale, formaliter potentiæ cognitiuæ ſuperioris: quia diſtraheretur à ſua ratione eſſentiali; & hac quidem ratione ſenſus corporeus non poteſt eleuari ad intelligēdam ſubſtantiam ſpiritualem: quia ſubſtātia ſpiritualis eſt ſupra naturam potentiæ ſenſitiuæ; cum intelligibile ſit obiectum formale vniuerſalius, & ſuperius ſenſibile, quod eſt obiectum formale potentiæ ſenſitiuæ. Minor principalis argumenti, nimirum, Deum vt viſibilem in ſeipſo, eſſe ſupra ſubſtantiam intellectus creati. Probatur: etenim ſi Deus vt intuibilis in ſeipſo non eſſet ſuprà ſubſtantiam intellectus creati vt ſic, abſolutè, & ſimpliciter, ſed eſſet ipſum obiectum formale, & eſſentiale intellectus creati vt ſic: poſſet intellectus creatus, vt ſic ſpecificari a Deo vt intuibili in ſeipſo: potentia enim intellectiua ſpecificatur à ſuo obiecto formali, & eſſētiali; includit enim potentia intellectiua in ſua definitione eſſentiali, ſuum obiectum eſſentiale, vt differentiam eſſentialem, cuius ratio eſt: nam potentia intellectiua eſſentialiter non aliud eſt, niſi potentia potens intelligere, quod intelligibile eſt: ſed intellectus creatus non poteſt ſpecificari à Deo vt intuibili in ſeipſo; quoniam ſpecificatiuum, & ſuum ſpecificatum, eſſētiali ſpecificatione, ſunt in eodem modo eſſendi primò: at implicat Deum vt intuibilem in ſeipſo, eſſe in eodem modo eſſendi cum intellectu creato: Deus enim eſt eſſentialiter actus purus, etiam in ratione intelligibilis: intellectus verò creatus vt intuitiuus, eſt eſſentialiter potentialis: qui vtuntur hoc argumento opinantur obiectum formale intellectus creati ſecundùm ſuam ſubſtantiam, eſſe intelligibile creatum vt ſic: quo poſito, neceſſariò ſequitur Deum vt in ſe eſt, eſſe ſupra ſubſtantiam, & etiam obiectum eſſentiale intellectus creati: quoniam intelligibile creatum, eſt eſſentialiter intelligibile ſecundum: Deus verò ut intelligibilis in ſeipſo, eſt intelligibile primum eſſentialiter.

Quod ſi eis dicas: intellectum crea-

tum

tum cognoscere de Deo multa prædicata essentialia, & propria naturalia, & supernaturalia, posita Fide Diuina, vt conditione manifestante terminos.

Respondent statim, hoc verum esse de cognitione abstractiua; falsum verò de cognitione intuitiua, & immediata Dei, vt in se est; & ratio huius assignari potest hæc pro disparitate; nam cognitione abstractiua intelligimus Deum secundum conceptus, quos formamus de Deo ex perfectionibus creaturarum; ac proindè non secundùm quod est in seipso, de qua intelligentia est controuersia.

Quod si eis secundò dicas; intellectum creatum in hac vita cognoscere adhuc Deum cognitione intuitiua, quia demonstrabile est lumine naturali, Deum actu existere existentia exercita, & in re.

Respondere statim possunt, hanc cognitionem esse intuitiuam, proùt contradistinguitur à cognitione abstractiua, ab existentia vt exercita, non autem proùt contradistinguitur à cognitione abstractiua, qua cognoscitur obiectum, vt actu existens in alio immediatè cognito, de qua cognitione, & intelligentia est controuersia.

Respondeo ad principale primò: distinguo maiorem, & minorem; dupliciter enim intelligi potest, Deum vt in se est, esse suprà substantiam, & suprà obiectum essentiale, & primum intellectus creati; vno modo, quia est supra substantiam, & obiectum formale connaturale, & proprium intellectus creati: alio modo; quia est suprà substantiam, & obiectum essentiale, & primum intellectus creati considerati simpliciter, & absolutè; in primo sensu vera est maior, & falsa minor; nàm Deus vt intuibilis in seipso, est obiectum formaliter, & essentialiter supernaturale; obiectum verò essentiale connaturale, & proprium intellectus creati, est essentialiter, saltem in radice ordinis naturalis; in secundo sensu autem, falsa est maior, & vera minor, vel; quia vt supra diximus obiectum essentiale, & primum intellectus creati vt sic, absolutè, & simpliciter, est Deus vt prima causa, in qua cognita, cætera omnia cognoscuntur eo modo, quo possunt cognosci, iuxta varias Scolasticorum, & Theologorum opiniones; vel quia obiectum formale, & essentiale, siuè primum intellectus creati vt sic, est intelligibile formale, non quidem, quod est diuisibile in intelligibile formale creatum, & in intelligibile Diuinum; quia hoc est omninò fictitium, à quo specificari non potest intellectus, cum sit potentia intellectiua realis; implicat autem reale specificari à non reali, & impossibili; sed est intelligibile formale, proùt dicit proportionem essentialem intellectui creato, vt sic, in ratione obiecti, & potentiæ; & in hoc sensu, Deus vt intuibilis in seipso, neque est supra obiectum essentiale intellectus creati vt sic, simpliciter, & absolutè.

Respondeo secundò alia distinctione. Dupliciter intelligi potest, Deũ esse suprà substantiam, siuè essentiam intellectus creati: Primò quia intellectus creatus non est æqualis perfectionis cum natura, & essentia Diuina, vt in se est. Secundò, quia essentia Diuina vt in se est, est obiectum simpliciter extrà potentiam intellectus creati. In primo sensu vera est maior, nã essentia Diuina, est essentialiter suum esse existentiale; intellectus verò, creatus non item; in secũdo sensu verò falsa est maior; nàm vt essentia Diuina esset simpliciter obiectum extrà facultatem, siuè potentiam essentialem intellectus creati, deberet excludere à se, proportionem essentialem obiectiuam cum intellectu creato; hoc autem est impossibile; quia Deus est essentialiter prima causa obiectiua, & intelligibilis; prima autem causa intelligibilis essentialiter inuoluit proportionem essentialem obiecti, & potentiæ cum intellectu creato.

Quod si obijcias; proportio essentialis obiecti, fundatur in vnitate, siuè in conuenientia obiecti essentialis cum sua potentia in eodem modo, & gradu essendi primo, & formali; tùm quia proportio in essendo, est causa proportionis in essendo: esse enim cognoscibile fundatur in esse; tùm etiam, quia tam intellectiuum, quam intelligibile debent esse in gradu entis immaterialis: in hoc autem est conuenientia essentialis intellectiui, & intelligibilis; at nulla esse potest conuenientia in modo essendi Dei, vt in se est, & intellectus creati; ergo nulla etiam esse potest conuenientia, & proportio essentialis obiectiua, siuè in cognoscendo inter Deũ vt in se est, & intellectum creatum, vt sic simpliciter, & absolutè.

Respondeo, duplicem esse proportionem obiectiuam, & essentialem; aliam obiecti cum sua potentia vt causa principali visiua; aliam verò cum potentia visiua, vt causa instrumentali. Ex his proportionibus; prima requirit conuenientiam obiecti, & potentiæ, non solum cognoscibilis, & cognitiui; sed etiã in modo essẽdi, siuè in gradu entis immaterialis. Secunda

ve-

verò non item, vt suprà latè ostendimus; Deus autē visibilis est in seipso ab intellectu creato, vt causa visiua instrumētali; vel vt causa visiua abstrahente à causa visiua principali, & à causa visiua instrumentali; ac proindè non requiritur vt Deus sit visibilis in seipso ab intellectu creato, conuenientia in modo esendi Dei, & intellectus creati, simpliciter, & absolutè. Ex hac distinctione, quæ valdè notanda est.

Respondeo tertiò ad principale argumentum, distinguendo maiorem: dupliciter enim intelligi potest, Deum vt in se est, esse supra, vel extrà substantiam intellectus creati vt sic; primò, quia Deus, prout est in se, non est visibilis ab intellectu creato, vt à causa visiua principali, vel vt instrumento connaturali substantiæ intellectiuæ creatæ: alio modo, quia Deus nō est visibilis ab intellectu creato, vt causa instrumentali primæ causæ eleuantis supernaturaliter substantiam intellectiuam creatam cum suo intellectu. Primo modo vera est maior. Secundo modo falsa: vt autem intellectus creatus simpliciter, & absolutè possit videre Deum, satis est vt ei non repugnet esse visiuum Dei, vt instrumentum primæ causæ supernaturalis.

Respondeo quartò: distinguendo maiorem; alio modo, ea enim potest intelligi dupliciter; primò, quod Deus vt in se est, est supra substantiam, siuè essentiam potentiæ intellectiuę creatæ vt sic, tàm quoad substantiam, quàm quoad modum attingendi. Secundò, quod Deus, prout est est in se, est supra substantiam intellectus creati, tantum, quantum ad modum cognoscendi. In primo sensu falsa est maior; vera autem in secundo sensu. Obiectum illud quod est supra intellectum creatum, tam quoad substantiam, quàm quoad modum cognoscendi, proculdubio non est cognoscibile in seipso à potentia cognitiua; illud verò obiectum, quod non est supra essentiam potentiæ, quoad substantiam actus, siuè potentiæ; sed solùm quoad modum actus potentiæ, est cognoscibile in seipso à potentia: sed solum requiritur eleuatio supra vires naturales: & hoc modo Deus est supra, & extra essentiam, siuè potentiam intellectus creati vt sic, & hoc satis est vt simpliciter, & absolutè intellectus creatus possit videre Deum vt in se est; & hæc doctrina ex opposito manifestè intelligitur; etenim sensus visus corporei, ideò simpliciter, & absolutè vt infra probabitur cum S. Thoma, implicat, vt sit visiuus Dei in seipso: quia Deus vt est in seipso, est extrà substantiam, siuè obiectum essentiale: tàm quoad substantiam, quàm quoad modum videndi sensus corporalis: & hinc est, quod oculus corporeus est impotens omninò, etiam per abstractionem in telligere obiectum spirituale, tam cratum, quam increatum: intellectus verò creatus, quia aliquo pacto, nimirum, naturaliter potest intelligere Deum, cognitione abstractiua, potest absolutè, & simpliciter cognoscere Deum vt est in seipso: quia solum indiget eleuatione suprà suas vires naturales, & huius radix est: quia Deus vt in seipso, est extra substantiā intellectus creati, tantum, quantum ad modum videndi, qui est videre Deum intuitiuè, & immediatè.

Solum hic resoluenda est difficultas, quæ tacta est in argumento iam soluto, quia intellectus creatus vt sic, specificatur à suo obiecto essentiali: sed hoc posito, videtur impossibilis visio creata intuitiua Dei: & probatur: quia quidditas, quæ specificatur, debet esse in eodem modo essendi cum suo specificatiuo essentiali, nam specificatiuum essentiale, & suum specificatum debent esse in eadem primitate essentiali adæquata.

Neque dicas, ex hoc sequi oppositum; semper enim causa in vniuersum, est prior suo effectu: sed specificatum, est effectus sui specificatiui essentialis; ergo est posterius suo specificatiuo; ergo non sunt in eodem modo primitatis. Nam.

Contra est, quia ad vim difficultatis satis est, vt specificans, & specificatum essentialiter sint in eadem primitate adæquata, quia primitas essentiæ, est in indiuisibilis: essentiæ enim rerum teste Aristotele 8. *methaphys.* sunt veluti numeri: argumentum autem tantum probat de prioritate, & posterioritate inadequata: vis huius argumenti ex hoc fit plenè manifesta.

Etenim potentia, v.g. intellectiua non est essentialiter, & formaliter intellectiua, nisi in illo ipso primo, quo est potentia intellectiua, sit etiam intelligibile formaliter.

Resoluitur hæc difficultas distinctione duplicis potentiæ intellectiuæ: alia est intellectiua, siuè visiua vt causa principalis; alia est intellectiua eiusdem intelligibilis, vt causa instrumentalis; potentia intellectiua, vt causa principalis, est in eodem modo essendi primo cum suo obiecto formali, à quo specificatur: quia ambo sunt in eodem modo essendi primo: intellectiuū verò vt causa instrumentalis, non item; &

 ratio

ratio diuersitatis est: quoniam causa principalis cum sit prima in suo ordine, & genere, est independens ab alia in eodem ordine, & genere; ac proindè est operatiua virtute suæ formæ; causa verò instrumentalis in suo genere, est secunda causa; quia non est actiua formaliter, & actu, nisi vt mota à causa principali motione, vel habituali, & actuali; vel sola actuali.

Quod si dicas: causa principalis vt suprà diximus, est in eodem modo essendi cũ suo termino, siuè obiecto formali, & primario, siuè illa sit causa principalis effectiua, siuè non effectiua sui termini formalis, ob eam causam; quia specificatur omnis causa principalis à suo obiecto, siuè à suo termino formali; at causa instrumẽtalis, vt instrumẽtalis, adhuc specificatur a termino formali suę causę principalis, v.g. actio, qua calor ignis est productiuus instrumẽtaliter alterius ignis specificatur ab igne producto; etenim actio, qua calor ignis ꝓducẽtis producit aliũ ignem, nõ est pura calefactio, sed est ignitio, quæ est calefactio vt eleuata virtute ignis producentis; ignitio verò, siuè calefactio, vt ignitio specificatur ab igne; quia ignis est eius terminus formalis; nàm ignis ponitur in eius definitione essentiali, vt differentia.

Respondeo cum distinctione; causa enim principalis specificatur à suo termino formali independenter ab alia causa in suo genere, & ordine; causa verò instrumentalis dependenter à causa principali in suo genere; nàm causa principalis est operatiua formaliter virtute suæ formæ, siuè causa principalis est prima in suo ordine, & genere; causa verò instrumentalis, est operatiua dependenter a sua causa principali, & consequenter, est causatiua secundariò, siuè est secunda in suo ordine, & genere; ac proindè non debet esse in eodem primo modo essendi, in quo est causa principalis cum suo obiecto, siuè termino formali.

Obijcies tertiò, potentia intellectiua creata non est eleuabilis in cognoscendo, nisi intrà suum obiectum formale, & essentiale; quod probatur, & declaratur exemplo, & ratione, & quidem exemplo; nàm ideò sensus visus non potest eleuari, etiam virtute supernaturali Dei ad sentiendum sonum; quia sonus est extrà, & supra obiectum formale visus corporalis; ratione verò; quia eleuatio supra vires naturales supponit proportionem obiectiuam formalem inter potentiam cognoscitiuam, & eius obiectum; sed non est assignabile obiectum formale comprehendens intra se, vel infra se Deum, vt intuibilem in seipso; ergo implicat intellectum creatum, vt sic, simpliciter, & absolutè, posse cognoscere Deum cognitione intuitiua, & immediata. Minor probatur; quia hoc obiectum deberet esse intelligibile reale vt sic; quoniam intellectus creatus vt sic, est potentia vniuersalissima, & omnium suprema in cognoscendo; tùm quia dicit ordinem transcendentalẽ ad intelligibile reale vt sic, quod competit omni enti reali, vt probauimus *quæstione secunda*; tùm quia intellectus cum sit immaterialis immaterialitate essentiæ, non habet in se vndè limitetur; sed huiusmodi intelligibile reale vt sic, quod dicitur de Deo, & creaturis, non est dabile, vt ostendimus; ergo nullo modo potest absolutè, & simpliciter intellectus creatus intelligere Deum, proùt est in seipso.

Respondeo ex dictis, concedo maiorem; sed nego ad hoc esse necessarium, vt Deus sit quatenùs in se est infra obiectum essentiale intellectus creati; sed satis est vt Deus sit ipsum obiectum formale primũ, & essentiale intellectus creati: nam obiectum formale, & essentiale intellectus creati vt sic, debet esse primum intelligibile; nimirum prima causa obiectiua intelligendi omnia intelligibilia; hoc autem est prædicatum proprium Dei: quia solus Deus est primum intelligibile simpliciter; solus enim Deus est primum verum, primum, ens, & prima causa.

Neque obstat si dicas; quod intellectus creatus est vniuersalium formaliter; contradistinguitur enim intellectus creatus à sensu; at sensus est singularium formaliter; ergo intellectus creatus ex opposito, debet esse vniuersalium formaliter: sed hoc posito necessariò dandum est pro obiecto essentiali intellectus creati vt sic, intelligibile reale commune Deo, vt intuibili, & creaturis.

Non inquam hoc obstat, nam intellectus, qui est vniuersalium formaliter, est intellectus quatenùs cognitiuus per abstractionem à differentijs, & conditionibus indiuidualibus, qualis est intellectus creatus humanus; Sine dubio, si intellectus creatus vt sic, esset vniuersalium formaliter; instantia vim haberet; sed hoc est falsum: etenim intellectus creatus vt sic, simpliciter, & absolutè, est tantummodò entis intelligibilis vt sic, quatenùs, scilicet, dicit proportionem essentialem obiecti formalis potentię intellectiuæ, sub qua ratione formali præscin-

scindit ab intelligibili cognitione intuitiua, & ab intelligibili cognitione abstractiua, & ex hac abstractione habet etiam intellectus creatus vt sic, vt sit cognitiuus cognitione abstractiua, & cognitione intuitiua; vt cognitiuus cognitione abstractiua, est vniuersalium formaliter; vt cognitiuus verò cognitione intuitiua, non item; quia cognitio intuitiua, est formaliter ad existēs actu, & exercitè; ens autem vt actu existens, necessariò est singulare formaliter; neque ex hoc sequitur, quod obiectum formale intellectus creati, quatenùs est intuitiuus, sit singulare formaliter signatum, & determinatū; nàm satis est, vt sit singulare formaliter, sed vagum; neque per hoc intellectus creatus humanus cōfunditur cū sensu, qui est singulariū formaliter; nàm intellectus creatus humanus nō est singulariū, quatenùs intellectus creatus vt sic, sed quatenùs intellectus creatus humanus, proùt est potētia animæ informantis corpus, sub qua ratione est cognitiuus tātū cognitione abstractiua; at verò sensus est cognitiuus singularium formaliter, quatenùs sensus vt sic; quod conuenit non solum sensui particulari, v. g. visui, auditui, & tactus; sed etiam sensui communi, & immaginatiuo; cum hac tamen differentia, quod sensus particularis, est cognitiuus singularis, quod dicitur de singularibus sensibilibus vnius tantum sensus; sensus verò communis, est cognitiuus singularis formaliter, quod dicitur de singularibus plurium sensuum particularium; intellectus verò, siuè vt cognitiuus cognitione abstractiua, siuè cognitione intuitiua, est cognitiuus singularis, etiam vt existentis; sed materialiter; cognoscere enim per cognitionem abstractiuam, & per cognitionem intuitiuam, sunt differentiæ intellectus humani creati vt sic; sicut cognoscere simplici apprehensione, iudicio, vel affirmatiuo, vel negatiuo, & discursu.

Neque huic doctrinæ obstat, quod diximus supra, obiectum, scilicèt, essentiale intellectus, esse duplicis generis; aliud in quo cognito, cognoscūtur cætera; & aliud quod præcisè est principium primum formale obiectiuum cognoscendi omnia obiecta materialia intellectus creati, &c.

Ratio est: quia obiectum formale essentiale, quod præcisè est principium primum formale obiectiuum cognoscendi omnia obiecta materialia, est obiectum formale intellectus creati, secundùm quod est cognoscitiuus cognitione abstractiua, ab existentia, siuè cognitione abstractiua, qua cognoscitur vnum ex alio, scilicèt, causa ex effectu proprio; & hoc obiectum comprehendit sub se adhuc Deum, non quidem secundùm quod in se est, sed secūdùm, quod est repræsentabilis nostro intellectui ex creaturis; at in præsenti materia sermo est de obiecto primo, & essentiali cognoscibili cognitione intuitiua; & cum nos suprà sæpè repetiuimus, non esse dabile obiectum commune Deo, & creaturis, quia illud est essentialiter potentiale; loquuti sumus de obiecto communi creaturis, & Deo, secundùm quod est in seipso; non autem de obiecto, quod est commune creaturis, & Deo, vt repræsentabile nrō intellectui ex creaturis; quādoquidē Deo sub ista ratione formali, nō cōtradicit esse infrà obiectū intellectus creati, & ratio huius est; nàm Deus vt abstrahibilis ex creaturis, repræsentatur nostro intellectui secundùm conceptus, quos de Deo formamus ex perfectionibus creaturarum.

Instabis, Deus etiam vt intuibilis in seipso, & intellectus creatus vt intuitiuus, distant infinitè actu, sed hæc distantia impossibilitat omninò visionem intuitiuam creatam Dei; ergo Deus non est intuibilis simpliciter, & absolutè ab intellectu creato. Maior probatur; quia Deus vt intuibilis in seipso est infinitus infinitudine formali; Deus enim in omni sua ratione formali est actus purus, nimirùm, est actus irreceptus simpliciter; intellectus verò creatus, vt intuitiuus, est essentialiter finitus, & potentialis; quia est actus receptus in subiecto: inter finitum autem finitudine formali, & inter infinitum infinitudine formali, est distantia infinita in actu; hæc autem tollit, & impossibilitat visionem intuitiuam Dei; tum quia infinitum in actu est omninò extrà finitum; tū etiam quia est omninò incommensurabile finito, etiam per accessum finitum in infinitum.

Respondeo primò ex dictis, distinguēdo maiorem: Deus vt intuibilis in seipso, & intellectus creatus vt intuitiuus, distant infinitè, distātia materiali, & entitatiua, & concedo; distantia formali, & obiectiua, & nego; nimirùm distant finitè in ratione obiecti materialis, & potentiæ, non autē distantia obiecti formalis, & potentiæ; & ratio clara est; cum enim intellectus creatus intuetur Deum; proculdubio id quod vide-

videtur in seipso infinitum est, etiam vt est obiectum in genere entis; sed ratio formalis, siuè obiectum formale, cur Deus sit intuibilis, vt est in seipso; non est, quia est infinitum ens; aut, quia est infinitum intelligibile, siuè verum, & ratio huius à priori nunc, hæc alia occurrit; quoniam Deus vt intuibilis in seipso, dupliciter sumi potest: vno modo vt est obiectum intuibile secundum substantiam; alio modo vt est obiectum intuibile secundùm totam suã latitudinem formalem; est verò Deus vt intuibilis in seipso secundum substantiam obiectum formale, & essentiale intellectus creati; verum quatenùs est intuibilis secundum totam latitudinem formalem intuibilis, est obiectum proprium intellectus Diuini; etenim Deus vt intuibilis secundum substantiam, dicit præcisè rationem intelligibilis immediatè, & in seipso, in quo prædicato communicat Deus cum intellectu creato communicatione obiecti formalis, & potentiæ; secundùm verò quod est intuibile secundùm totam sui latitudinem, nullam habet proportionem, aut communicationem cum intellectu creato; licet etiam sic possit cognosci materialiter.

Cum verò dicitur ab opponẽte, quod distantia obiecti infiniti à potentia finita, cum sit actu infinita, excludit omnem proportionem; sed dicta distantia est infinita in actu; ergo, &c.

Respondeo: distantia finita obiecti formalis infiniti à potentia cognoscitiua finita, tollit omnem proportionem obiectiuam; & concedo; distantia infinita obiecti materialis infiniti, actu tollit omnem proportionem obiectiuam, & nego; nam obiectum infinitum potest esse obiectum materiale potentiæ, modò in eo reperiatur obiectum formale potentiæ finitę, saltem, quatenùs est causa visiua instrumentaliter, vt supra latè explicauimus; in re nostra Deus, vt infinitum intelligibile, est obiectum materiale intellectus creati, vt sic, etiam Deus vt intuibilis secundum totam sui latitudinem formalem materialiter consideratus, quatenùs scilicèt est id, quod cognoscitur, adhuc potest esse obiectum intellectus creati, sed materiale.

Obijcies quartò: oculus corporeus, etiam de possibili implicat eleuari ad cognoscendum Deum, vt est in se, vt infrà demonstrabitur; sed eadem implicantia est de intellectu creato vt sic, siuè simpliciter, & absolutè; ergo intellectus creatus, vt sic simpliciter, & absolutè non potest esse visiuus Dei, vt in se est. Maior probatur, quãtũ nũc satis est; quia Deus vt intuibilis in seipso, est extra obiectũ formale, & essẽtiale visus corporalis; sed implicat visum corporalem eleuari in cognoscendo extra suum obiectum formale, & essentiale; quia eleuatio, est ad cognoscendum solùm supra vires naturales, & non supra substantiam, siuè essentiam suam. Minor verò probatur; nàm Deus vt intuibilis in se, est extra obiectum formale, & essentiale visus corporalis; sed hæc est causa, vt implicet visus corporalis, non possit cognoscere Deum vt in se est; ergo eadem implicantia est, &c. Probatur assumptum: quia intellectus est determinata potentia intra determinatũ genus entis, Deus autẽ est extrà omne determinatum genus entis.

Respõdeo: cõcedo maiorẽ, & nego minorẽ; nã Deus vt intuibilis in se, est omninò extra obiectum formale, & essentiale visus corporalis; quia obiectum formale, & essentiale visus corporalis; est sensibile per se visibile, ratio autem sensibilis implicat esse formaliter in Deo; dico formaliter, nàm de facto est in Deo eminenter, tamquam, scilicet in prima causa: at Deus vt intuibilis in se, est essentialiter obiectum primum, & essentiale intellectus creati vt sic; at potẽtia cognitiua potest cognoscere suum obiectũ essentiale: neque obstat, quod dicitur ab opponente, Deus vt intuibilis in se, est extrà genus; potentia verò intellectiua creata est intrà genus: sed hoc satis est, vt Deus proùt intuibilis in seipso sit extrà obiectum essentiale potentiæ intellectiuæ creatæ.

Responsio enim non difficilis est: distinguo enim primò maiorem; Deus vt intuibilis secundùm totam suam latitudinem formalem formaliter, est extrà genus obiecti essentialis intellectus creati, vt sic, & cõcedo: vt intuibilis secundum substãtiam, est extrà genus obiecti essentialis intellectus creati: & nego: imò est ipsummet obiectum essentiale intellectus creati, vt supra ostendimus, & hoc satis est, vt intellectus creatus simpliciter, & absolutè possit cognoscere Deum in seipso.

Respondeo secundò: distinguendo alia distinctione: Deus vt intuibilis vt obiectum materiale, est extra genus obiecti intellectus creati, & concedo; secundùm quod dicit rationem formalem præcisè intuibilis, & nego.

Quod si dicas: intellectus creatus, vt in-

intuitiuus Dei, debet esse vnus vnitate specifica athoma: sed non est assignabilis, vndè sumat intellectus hanc specificam vnitatē: quia Deus vt intuibilis, est causa analoga obiectiua; sed causa analoga non potest esse vnitas specifica, & vniuoca; vnitas enim vniuoca dicit vnitatē omnimodæ similitudinis;hanc autem vnitatem dicit causa analoga.

Communis responsio Thomistarum adhoc argumentum est, Deum vt obiectū in genere entis, esse causam obiectiuam analogam: vt obiectum verò in genere scibilis, esse obiectum vniuocum respectu intellectus creati:& loquuntur de Deo intuibili secundùm substantiam, non autem secundùm totam sui latitudinem formalem formaliter: hanc distinctionem explicauimus in *quæstione de Vnitate Metaphysicæ vniuersalissima*, & ratio est: quia Deus vt intuibilis eodem modo terminat omnem intellectum beatorum: neque ex hoc sequitur Deum vt intuibilem ab intellectu creato in genere scibilis, vniuocari cū intellectu creato; quoniam hoc prædicatum competit Deo: non quidem,quatenùs est ens intuibile secundùm se, vt sic: sed quatenùs est actus obiectiuus,siuè forma intelligibilis intellectus eleuati lumine gloriæ finito: intellectus enim creatus beatorum, non specificatur à Deo, quatenùs præcisè est primum intelligibile, aut primum obiectum;sed quatenùs est primū obiectum potentiæ limitatæ intellectiuæ eleuatæ lumine gloriæ finito; primo modo implicat omninò intellectum creatum specificari à Deo:secundo modo,autem nō item: nàm Deus secundùm se,est infinitus etiam vt cognoscibilis: quatenùs verò est actus intellectus creati est finitus ex parte modi participandi.

Aliqui impugnant hanc responsionem primò: quia ad specificandum potentiam vniuocam, satis est, obiectum formale analogum, adhuc in genere scibilis, vt supra in *quæst. de Metaphysica vniuersalissima* diximus. Secundò, quia potentia cognitiua specificatur à prędicato intrinseco sui obiecti formalis: at Deum esse receptibilē in intellectu creato eleuato lumine glorię, est prædicatum Dei extrinsecum: ergo nullo pacto intellectus creatus eleuatus lumine glorię, potest specificari à Deo, quatenùs est obiectum motiuum, vel terminatiuum intellectus creati, vt eleuati lumine gloriæ: ergo intellectus creatus etiam eleuatus lumine gloriæ,non potest esse intuitiuus Dei, vt in se est,quia implicat dari intellectum intuitiuum sine suo obiecto formali, à quo specificatur.

Alij hanc difficultatem soluunt hac distinctione, Deum dupliciter posse considerari,vno modo vt intuibilis,& participabilis formaliter a creatura: & sub ista ratione formali, inquiunt, præscindit ab infinitate; respicit enim, inquiunt, immitabilitas Dei, finitum modū participandi creaturarum; alio modo secundum radicem immitabilitatis, & hęc includit essētialiter infinitatem; Deus enim est participabilis finitè in infinitum a creaturis:quia est primum ens; vel quia est ens perfectissimum in tota latitudine entis; hac posita distinctione; dicunt intellectum creatum, vt intuitiuum simpliciter,& absolutè specificari à Deo vt immitabili, & participabili obiectiuè formaliter, non autem vt immitabili radicaliter; quia sic fine dubio infinitatem claudit; primo autem modo dicit solum proportionem obiectiuam.

Hæc responsio etiam suas patitur instantias; potest enim dicere Aduersarius, quod immitabilitas formalis in Deo, est perfectio simpliciter simplex; omnis autem perfectio in Deo,est infinita formaliter; infinitum autem non potest esse specificatiuum finiti.

Respondeo Ego ad principalem instantiam, à qua oritur tota difficultas, nimirùm Deum vt in se est, esse omninò incognoscibilē ab intellectu creato etiā eleuato lumine gloriæ;quia Deus vt in se est, est cognoscibile extrà genus; hoc autem est obiectum extrà obiectum formale potentiæ intellectiuæ creatæ;at implicat intellectum creatum in cognoscendo eleuari extrà suum obiectum formale essentiale.

Distinguo maiorem,Deus secundùm quod est in se,est extrà genus proportionis entitatiuè respectu intellectus creati vt sic, & concedo; est extrà genus proportionis obiectiuæ essentialis, & nego; vt autem Deus sit intuibilis in seipso ab intellectu creato vt sic simpliciter, & absolutè, satis est,vt sit proportionatus intellectui creato proportione obiectiua, nimirùm, proportione essentiali obiecti, & potentiæ,& ratio ex dictis manifesta est; nàm esse ens extrà genus, & improportionatum improportione entitatiua, nimirùm in modo essendi intrinseco, & essentiali,se habet materialiter ad cognitionem intuitiuam Dei; est enim tantummodo sub ista ratione formali obiectum materiale intellectus creati vt intuitiui Dei in seipso;at proportio

tio necessaria ad videndum, satis est, vt sit proportio essentialis obiectiua, quæ vt sic dicit tantummodò, Deum esse intuibilem secundùm substantiam; intellectum verò creatum esse intuitiuum; quod quidem prædicatum competit intellectui creato radicaliter ex suis intrinsecis constitutiuis, vt suprà ostendimus. Argumentum vim haberet, si Deus esset extra genus proportionis obiectiuæ; sicut sonus, v. g. nō potest videri à visu corporeo; non quia est extra proportionem entitatiuam; sed quia est extra proportionem obiectiuam formalem visus corporalis.

Quod si primò dicas; intellectus creatus vt sic, debet habere obiectum, à quo specificetur; sed hoc obiectum formale, & essentiale non reperitur in Deo, vt in se est; quia omne prædicatum in Deo existens formaliter, est infinitum infinitudine formali; quia est essentialiter suum esse; sed implicat intellectum essentialiter finitum, specificari ab obiecto formali finito; ergo nullo modo potest intellectus creatus videre Deum prout est in seipso.

Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem; nam obiectum essentiale intellectus creati, est intelligibile, non quidē proportionatum in modo essendi cum intellectu; sed solum vt proportionatum, proportione obiectiua vt sic; hoc autem formaliter reperitur in Deo. Cum verò dicitur, quod hoc prædicatum in Deo existens, est infinitum; infinitum autem non potest esse specificatiuum essentiale potētiæ intellectiuæ finitę.

Respondeo: obiectum formale intellectus creati in Deo esse infinitū, vt obiectum materiale; non autem vt obiectum formale; nimirùm, id quod cognoscitur vtique est infinitum in Deo; sed ratio formalis cur cognoscatur, præscindit ab infinitate, sicut obiectum formale præscindit ab obiecto materiali; & ad hāc præcisionem satis est distinctio virtualis actiua inter obiectum formale, & obiectum materiale in Deo; nec improbabiliter dici potest, esse intelligibile proportionatū, sola proportione obiectiua, esse infinitum per differentiā veluti materialem; non autem per differentiam veluti materialem, eo modo, v. g. quo esse existentiale diuiditur in creatis per differentias subiectiuas, non autem per differentias formales, vt cū diuiditur in esse æquinum, leoninum, &c. huius doctrinę multa possunt assignari exempla, v. g. Deus vt causa creatiua, non est communicabilis nulli creaturæ, etiam vt causa instrumentali; quia causę creatiua vt sic, formaliter dicit infinitatem simpliciter; est enim productiua omnis entis ex nihilo; inquantùm verò causa effectiua formaliter, & vt sic, Deus est communicabilis cum creaturis; quia in suo formali conceptu essentiali obiectiuo, præscindit ab infinitate, & solum est infinita, quatenùs est in Deo, qui est infinitus infinitudine formæ; subsistentia personalis Diuina, vt terminus substantialis, est communicabilis ad extrà, quia vt terminus substantialis, dicit tantùm proportionem terminabilis, & terminatiui substantialiter; sub qua ratione pręscindit ab infinitate; sine dubio subsistētia personalis Diuina, quę cōmunicatur v. g. naturę humanæ in Christo Dño est infinita; sed ratio cur est communicabilis naturæ humanæ est, quia est terminus substantialis; ac proindè infinitas subsistētiæ personalis Diuinę, & finitas naturæ humanæ, materialiter se habent, vt natura humana possit subsistere subsistentia personali Diuina; nàm satis est proportio termini substantialis, & terminabilis substantialiter, siuè personaliter.

Quod si secundò dicas: ex hac doctrina sequi, substantiam intellectiuam creatam posse esse visiuam principaliter Dei, vt in se est; sed hoc est impossibile, vt suprà ostendimus; ergo, &c. sequela probatur; nàm causa principalis visiua Dei, est in eodem modo essendi cum suo obiecto formali; quia specificatur à suo obiecto formali; sed intellectus creatus adhuc specificatur à suo obiecto formali essentiali; ergo, &c.

Respondeo: nego sequelam; nàm duplex est specificatio à suo obiecto formali; alia est causæ principalis, alia est causæ, vel instrumentalis, vel causæ præscindentis à causa principali, & instrumentali; prima specificatio necessariò, & per se, requirit conuenientiam in eodem modo essendi cum causę principalis cum suo termino formali, & primario, etiam si sit causa analoga; specificatio verò causæ instrumentalis, vel causæ præscindentis à principali, & instrumentali neutiquam; sed satis est ad rationem causæ instrumentalis, vt sit operatiua virtute causæ principalis, quæ habet conuenientiam in modo essendi cum suo termino formali, & primario, quia non est operatiua virtute sua, sed virtute causæ principalis.

Cum denique dicitur ab opponente, quolibet; intellectus creatus est vnus vnitate vniuoca; sed hoc posito, implicat in Deo

Digitized by Google

Deo esse obiectum essentiale intellectus creati; quia obiectum formale in Deo respectu causæ ad extrà, non potest esse vniuocum; at potentia vniuoca, siuè vnitate specifica, siuè generica, requirit suum obiectum formale vniuocum.

Circa hanc difficultatem, vt diximus *quæstione 1 huius primi tomi*, duplex est opinio, & responsio. Prima est, asserentium, satis esse ad vnitatem vniuocam potentiæ, eius obiectum formale esse analogum, quę opinio est probatorum Scolasticorum; & ratio fundamentalis est; quia vniuocatio potentiæ sumitur ex eo, tamquam à prima radice; quia vniuocatio dicitur, quæ participatur eodem omninò modo in suis vniuocatis; & ob hanc causam prædicti Scolastici defendunt, relationem prędicamentalem esse vniuocam; eius autem terminum formalem, qui est absolutus, esse analogum.

Secunda asserit requiri etiam ad vniuocationem potentiæ, eius obiectum formale esse etiam vniuocum vniuocatione obiectiua; & vtraque opinio suam habet probabilitatem.

Iuxtà primam opinionem difficultas facilè soluitur; facilè enim est defendere, obiectū formale intellectus creati in Deo, esse analogum.

Iuxtà verò secundam opinionem, quā latè explicauimus *pręcitat. quæst.* Respondendum est: obiectum formale, & essentiale intellectus creati in Deo, esse adhuc vniuocum in genere scibilis, non secundùm quod dicit denominationem extrinsecam; sed secundùm quod est denominatio intrinseca: & ratio est; quia hoc obiectum eodem omninò modo secundum substantiam est obiectum intuibile in omni intellectu creato; quia sicut potentia intellectiua dicitur vniuoca ex eo, quod est eodem omninò modo percipabilis in suis vniuocatis, est vninoca potentia; ità obiectum formale ex eo, quod omninò prorsus modo est obiectum in omni intellectu creato secundum substantiam; pariter est vnum vnitate vniuoca, quæ est ratio primę sententiæ docentis, vniuocationem sumi in ordine ad modum essendi in suis vniuocatis.

Obijcies quintò: si Deus vt intuibilis in seipso esset obiectum formale essentiale intellectus creati vt sic, adesset in intellectu creato inclinatio intrinseca ad cognoscendum Deum, proùt est in se; sed implicat hanc inclinationem esse in intellectu creato; ergo implicat intellectum creatum posse cognoscere Deum in seipso immediatè; sequela maioris probatur; vnumquodque appetit suum bonum essentiale, quia vnumquodque appetit essentialiter suam perfectionem essentialem; at ratio perfecti fundat rationem boni: minor verò probatur; primò, quia Deus vt intuibilis in seipso est bonum supernaturale essētialiter intellectus: inclinatio enim intellectus creati secundùm substantiam implicat, vt sit ad obiectum essentialiter supernaturale; esset enim intellectus creatus essentialiter supernaturalis. Secundò, quia intellectus creatus est virtus limitata ad determinatum genus potentiæ: sed hæc virtus non potest habere essentialem inclinationem, nisi ad terminum sui generis; implicat enim inclinationem, nisi ad terminū sui generis: implicat enim inclinatio essentialis excedens suam radicem: sed radix prima inclinationis essentialis virtutis intellectiuę creatæ est limitata ad vnum determinatum genus.

Respondeo primò: distinguendo sequelam, adesset in intellectu creato inclinatio essentialis ad Deum intuibilem secundùm quod est obiectum essentiale intellectus creati vt sic, & concedo; adesset inclinatio essentialis ad Deum intuibilem secundùm quod est obiectum supernaturale, scilicèt, suprà vires intellectus creati, & nego: qa intellectus creatus vt sic, nō est visiuus Dei per sua cōnaturalia, siuè ex sua cōnaturalitate; & ratio huius à priori, vt supra diximus est, quia intellectus visiuus Dei per sua naturalia supponit substātiam intellectiuam creatam visiuam Dei, vt causam principalem; hęc autem omninò implicat, quia implicat substantiam intellectiuam creatam parificari in modo essendi in Deo vt in se est; cum verò dicitur inclinationem essētialem intellectus creati non posse excedere genus intellectus creati.

Respondeo cum distinctione, inclinatio essentialis intellectus creati, non potest excedere genus subiectiuum intellectus creati, & nego; genus obiectiuū essētiale, & cōcedo. Deus proùt intuibilis in seipso, est quidem extrà genus subiectiuum intellectus creati vt sic; quia genus subiectiuum est in eodem gradu, & modo essendi cum intellectu creato; implicat autem Deum vt in se est, esse in eodem gradu, vel modo essendi cum intellectu creato; sed non est extrà genus obiectiuum essentiale; est enim obiectum essentiale, & primum vt sic, siuè secundùm suam substan-

stantiam; neque sequeretur dari intellectū creatum essentialiter supernaturalem; nam obiectum essentiale præscindit à naturali, & supernaturali.

Quod si dicas; Deus vt in se est, esse supra naturam intellectus creati; vel quia intellectus creatus est finitus, & determinatus ad determinatum genus; Deus autem vt intuibilis, est obiectum infinitum, & illimitatum; vel quia Deus est ens extrà genus determinatū; intellectus verò creatus est intrà genus determinatum; sed quod est supra naturam, & essentiam intellectus creati, implicat esse genus obiectiuum essentiale intellectus creati.

Respondeo ex dictis: Deum, vt intuibilem in seipso, esse supra naturam intellectus creati, quātū ad vires intellectus creati, siuè quantū ad modū cognoscendi Deū in se, qui est modus cognoscēdi intuitiuus, non autem esse suprà essentiam, siuè naturam intellectus creati, quantum ad substantiam, quæ est potentia in genere intelligibilis; sunt enim in intellectu creato, vt sic, scilicèt, in essentia intellectus creati, duo; est enim essentia intellectus, & est naturalis; quātum ad primum, correspondet Deus intuibilis, secundùm quod est obiectum primum essentiale intellectui creato; secundum verò, quod Deus est obiectum supernaturale, est extrà vires naturales intellectus creati, non autem extrà essentiam, siuè substantiam, vt pluries suprà explicauimus.

Respondeo secundò, distinguendo eandem sequelam; adesset in intellectu creato inclinatio essentialis ad Deum intuibilem, secundùm quod est obiectum formale, & essentiale intellectus creati vt sic, & concedo; secundùm quod est obiectum connaturale intellectus creati, & nego: hæc inclinatio essentialis necessariò esse debet in intellectu creato ad Deum, secundùm quod est obiectum formale essentiale; nam Deus vt obiectum essentiale, est perfectiuum intellectus creati in genere intelligibilis; intellectus verò est formaliter perfectibilis, & probatur; nàm inter cognoscentem, & cognitum essentialiter est proportio perfectiui, & perfectibilis in genere obiecti, nimirum obiectum est perfectio cognoscentis in genere cognoscibilis, quia cognoscens fit in actu per obiectum, quod cognoscitur; intellectus verò, est potentia perfectibilis, & radix huius est: quia per hoc differt natura cognoscētis à natura non cognoscentis; quòd cognoscens natum est, esse formaliter alia à se, non cognoscens verò, non item.

Difficultas autem esse potest in hoc, quia diximus suprà, quod Deus vt est intuibilis in seipso, est supernaturalis quantùm ad modum, quo attingitur ab intellectu creato; non autem quantum ad substantiam, qui loquendi modus videtur innuere cognitionem intuitiuam Dei in se, non esse supernaturalem quantum ad substantiam, sed solum quantum ad modum, quod negant omnes Theologi, siuè cognitio intuitiua creata Dei sumatur vt cognitio actio, siuè vt cognitio passio, & ratio est; quia si sumatur, vt cognitio actio, eius principium formale, & proximum, quod est lumen gloriæ, est supernaturale secundùm substantiam; si verò sumatur vt cognitio passio, eius obiectum formale, & immediatum, est adhuc formaliter supernaturale; modus autem attingendi Deum vt in se est, formalis, & proximus, est quidem supernaturalis materialiter, non formaliter, scilicèt, non entitate sua propria supernaturali, sed entitate, & luminis gloriæ, & entitate obiecti formaliter, & supernaturalis; ergo cognitio intuitiua Dei, est supernaturalis, quoad substantiā, & quoad modum attingendi Deum, ergo falsum est, quod Deus vt intuibilis in seipso, non est suprà naturam potentiæ intellectiuæ creatæ, tàm quoad substantiam, quam quoad modum attingendi, sed solū esse suprà essentiam intellectus creati, quātum ad modum, quo cognoscitur, nimirū in seipso, non ex alio, aut in alio.

Ex hac difficultate insurgit alia, quod Deus non sit intuibilis in seipso ab intellectu creato simpliciter, & absolutè; quia adhoc requiritur, vt Deus, vel sit intrà obiectum essentiale intellectus creati, vel sit ipsummet obiectum formale, & essentiale eiusdem; sed quod est supernaturale, quoad substantiam, & quoad modum intellectus creati, est extrà, & suprà obiectum essentiale intellectus creati; ex hoc autem sequitur, Deum in seipso, non esse visibilem simpliciter, & absolutè ab intellectu creato; nàm eadem ratione oculus corporeus est impotens, etiàm per abstractionem intelligere Deum in seipso, quia est extrà, & suprà obiectum essentiale intellectus crati.

Respondeo, quod cùm diximus, Deū esse obiectum supernaturale quantum ad modum cognoscendi intellectus creati, nō autem quantùm ad substantiam, hoc dictum non significat, Deum esse obiectum supernaturale tantùm, quantum ad modum

dum, non quantum ad substantiam virtutis naturalis intellectus creati; sed solùm significat, Deum vt intuibilem in se, esse tantum suprà modum cognoscendi,& non supra substantiam intellectus creati vt sic; in intellectu enim creato, siuè ille sit Angelicus, siuè humanus,est quidditas, siuè substantia intellectus creati vt sic, & est virtus naturalis intelligendi, quæ adhuc habet suam quidditatem, siuè substãtiam; & ratio est; quia intellectus creatus, non solùm est instrumentum, siue causa instrumentalis substantiæ intellectiuæ creatæ; sed etiam est causa principalis, sicut, & quælibet qualitas actiua, vt suprà explicauimus exemplo caloris, qui est causa principalis alterius caloris; causa verò instrumentalis ignis producentis alium ignem; pariter intellectus creatus est causa principalis videns, siuè visiua alterius accidentis intelligiblis; causa verò instrumentalis visiua substantiæ; Deus quatenùs est visibilis in se, non est omninò extrà,aut suprà substantiam intellectus creati vt sic; quoniam est eius obiectum essentiale, vt probauimus, & respectu substantiæ intellectus creati vt sic, est obiectum supernaturale, quantum ad modum cognoscendi, scilicèt, quantum ad modum cognoscendi intuitiuum; verum Deus vt intuibilis in se, est supra substantiam,siuè essentiam, & & modum cognoscendi virtutis naturalis intellectus creati; neque hoc est inconueniens, nimirùm, Deum esse obiectum supernaturale intellectus creati, quantum ad substantiam, & quantum ad modum attingendi, & esse obiectum supernaturale, tantum quantum ad modum, & non quantum ad substantiam eiusdem intellectus creati; quia hæc duo prædicata non sumuntur secundùm idem formaliter; sed secundum diuersa.

Solent afferri plures authoritates scripturæ, & *SS. PP.* quæ prima fronte videntur demonstrare, Deum esse inintelligibilem, sicuti est in seipso,ab intellectu creato, vt *Exod.33.* Respondet Dominus Moysi desideranti eum conspicere. Posteriora mea videbis; faciem autem meam videre non poteris;Ad *Timot.6.* de Deo dicitur; lumen habitat in accessibilem, quod nullus hominum vidit, nec videre potest; *Petri* 1. in quem desiderant Angeli prospicere, legitur de Deo; at desiderium est rei absentis. Quoad *SS.PP.S.Ioan Chrisosto.& alij PP.* apertè dicunt,Deum ab intellectu creato, sicuti est,videri non posse.

Respondeo vna generali responsione; loca aliqua scripturæ sacræ intelligenda esse de visione Dei beatificante hominem in hac vita mortali; non autem de visione Dei beatificante animas in patria. Locus verò allatus ex *Petri* 1.In quem desiderant Angeli prospicere; vel intelligendus est de desiderio videndi Deum,quantũ ad continuationem, non quantum ad intuitionem; vel intelligendus est vt significans,Angelos beatos,videre quidem Deũ, sed visionem Dei esse eius conditionis, vt videntibus nunquam fastidium pareat.Ad authoritates *SS. PP.* Respondetur communiter,*SS.PP.* loquutos esse, tàm de impossibilitate comprænhensionis Diuinæ essentiæ ab intellectu creato, quam de impossibilitate Diuinæ, visionis solis naturæ viribus;nàm *S. Io.Chrisosto.loc.sup.citat.* solùm contendit reijcere errorem Anomacorum, qui contendebant, Deum in hac vita perfectè a nobis cognosci posse; itaùt etiam comprænhenderetur.

Tertia conclusio;in intellectu creato, secluso omni lumine gloriæ, tàm habituali, quàm actuali, est duplex potentialitas, siuè potentia ad videndum Deum in seipso; alia essentialis, alia obedientialis; essentialis conuenit intellectui creato in ordine ad suum obiectum essentiale, siuè secundum substantiam. Secunda conuenit ei in ordine ad suum obiectum supernaturale formaliter; prima est positiua; secunda est per non repugnantiam in ordine ad obiectum supernaturale, quatenùs, scilicèt, intellectus creatus in se nullam habet repugnantiam, vt possit fieri potentia intellectiua Dei,vt in se est.

Conclusionem hanc scriptam non reperio; ea tamen vera est, quoad omnes suas partes.

Ratio primæ partis, qua asseritur in intellectu creato secluso omni lumine gloriæ, siuè seclusa omni virtute supernaturali eleuante ad videndum Deum in se, ea est; quippè distinctio siuè diuisio potentiæ,est ex diuisione formali obiecti formalis; sed in Deo, prout intuibili in seipso,est duplex obiectum formale intuibile,siuè intelligibile, & essentiale, siuè secundum substantiã intellectus creati vt sic, & obiectum supernaturale formaliter; & probatur: nàm Deus, vt intuibilis in seipso dicit essentialem proportionem obiectiuam cũ intellectu creato vt sic, scilicèt in ratione obiecti essentialis, & potentiæ essentialis, & est intuibilis in seipso, quatenùs est causa rerum omnium, quæ ordinantur ad Deum, vt est in seipso; sed sub prima ratio-

tione formali Deus intuibilis in seipso, est obiectum essentiale, intellectus creati vt sic; sub secunda verò ratione formali, est obiectum primum supernaturale; ergo in intellectu creato est duplex potentia, siuè potentialitas, siuè potentia ad videndum Deum in se.

Aduertendum, quod multi opinantur, Deum esse intuibilem in seipso, esse propositionem per inutilem repetitionē; nam putant in sensu, siuè significatione formali, idem esse, Deum esse intuibilem, & Deum esse intelligibilem in seipso; eorum autem fundamentum est; quoniam cognitio intuitiua est cognitio facialis; dicitur enim intuitiua ad similitudinem visionis corporalis; sed decipiuntur; quia cognitio intuitiua, vt supra latè explicauimus, alia est immediata, & alia est mediata, nimirùm alia est obiecti actu existentis in alio cognito, quo pacto cognitio, qua Deus cognoscit creaturas existentes in aliqua temporis differentia dicitur cognitio intuitiua; & hæc est intuitiua mediata; & alia est cognitio intuitiua, qua videtur obiectum, vt existens in se, & hæc est cognitio intuitiua, qua beati intuentur Deum.

Ratio secundæ partis conclusionis, qua asseritur, potentiam essentialem esse positiuam; obedientialem verò completiuè, esse per non repugnantiam ad videndum Deum in seipso, est hæc: quia potentia intellectiua essentialis, est ad obiectum proportionatum proportione essentiali; sed hæc est per prædicata essentialia positiua; ergo est positiua formaliter. Ceterū potentialitas, nimirùm, radicalis ad videndum Deum vt obiectum supernaturale, est per non repugnantiam saltem completiuè; sed non repugnantia, est prædicata negatiua formaliter; ergo, & ipsa est negatiua formaliter.

Quarta conclusio: potentia, siuè possibilitas, qua intellectus creatus simpliciter, & absolutè potest videre Deum vt est in seipso, non est potentia proxima, & formalis productiua visionis intuitiuæ creatæ Dei; sed solùm est radicalis, & remota. Conclusio est contra eos, qui dicunt, posse intellectum creatum euectum solo auxilio Dei, vt causæ primę naturalis, posse videre Deum in seipso; sed conclusio est de fide; quia de fide est, intellectum creatum non posse intueri Deum in se, nisi eleuatum lumine gloriæ, quod est lumen supernaturale euidens, & clarum, ad differentiam luminis fidei, quod est supernaturale, quidem essentialiter, sed inuidens, & obscurum; ratio fundamentalis conclusionis est, supposita fide de videndo Deo, vt conditione manifestante terminos. Primò, quoniam in omni potentia actiua creata, & consequenter in intellectu creato, est potentia prima, quæ est substantia potentiæ, & est virtus proxima potentiæ, vel quæ est propria substantiæ potentiæ, vel quæ est causæ principalis; substantia autem potentię intellectiuæ creatæ, est potētia radicalis; sed potentia visiua essentialis pertinet ad substantiam potentiæ intellectiuæ, quæ est prima radix visiua; ergo, &c. Secundò, quia potentia proxima, & formalis videndi Deum est supernaturalis formaliter; quia est visiua obiecti, vt supernaturalis formaliter; hæc autem supponit tanquam primam radicem potentiam essentialem in intellectu creato ad videndū Deum vt in se est. His rationibus soluitur illud commune argumentum in oppositū, quo probatur, Deum posse sine vllo lumine glorię videre Deum, prout est in seipso, cum solo concursu Dei, vt causæ primę supernaturalis; argumentum est hoc. Possibili posito in esse, nullum sequitur absurdum; sed simpliciter, & absolutè possibile est, intellectum creatum videre Deum in seipso, vt suprà ostendimus; ergo posito, quod intellectus creatus intuetur Deum, vt est in se.

Responsio autem in promptu est; duplex enim est possibile, aliud est remotum, & radicale, & aliud est formale, & proximum; quippè possibile est secundùm aliquam potentiam; potentia autem alia est radicalis, & remota, & alia est proxima, & formalis, vt v. g. in igne, forma ignis, est potentia prima radicalis, & remota ad producendum alium ignem; calor verò ignitiuus, est potentia proxima, & formalis. Hac posita distinctione, maior vera est de possibili, vel proximè, & formali, vel de possibili radicali, vt completo possibilitate proxima, & formali; falsa verò de possibili radicali, nudè, & præcisè; potentia essentialis intellectus creati ad videndum Deum, vt est in se, est potentia radicalis, & remota, non autem formalis, & proxima.

Conclusio quinta; intellectus creatus ad videndum Deum vt est in seipso, essentialiter requirit lumen gloriæ; sed perficiens intellectum creatum intrinsecè in suis viribus naturalibus, siuè vt eleuans, intrinsecè existens in intellectu eius vires naturales. Conclusio hęc duas ha-

habet partes. Prima asserit esse omninò necessarium lumen gloriæ, scilicèt, siuè habituale, siuè actuale, ad videndum Deũ, vt est in seipso. Secunda asserit, hoc lumen gloriæ esse necessarium ad perficiendas, & eleuandas intrinsecè vires naturales intellectus creati. Prima pars conclusionis, est de fide definita à Clemente Quinto *in Concil. Vienn.* In Clementi ad nostrum de Hæreticis, vbi Pontifex cum *Vienn. Concil.* dãnat errorem Beguardorum, & Beguinarum asserentium animas beatorum non indigere lumine gloriæ ad videndum Deum in patria; sed quã libet creaturam intellectualem seipsa naturaliter esse beatam. Definitio hæc fundamentum habet in multis locis Sacræ Scripturæ, vt *Psalm.* 35. dicitur, In lumine tuo videbimus lumen, nimirùm, lumine claro, & euidenti gloriæ supernaturali videbimus primum lumen intelligibile, quod est Deus, vt est in seipso. In *Apocal.* 21. legitur. Dominus Deus illuminat illos; sunt alia loca, quæ legi possunt apud Recentiores Scholasticos. Secũda verò pars valdè controuersa est; complures enim principales Theologi mordicùs defendunt, lumen gloriæ, esse quidem necessarium ad producendam visionem creatam intuitiuã Dei; quia cum illa sit visio supernaturalis, necessariò requirit, vt aliqua causa concurrens ad eius productionem, sit supernaturalis; sed non esse necessarium lumen gloriæ, siuè illud sit habituale, & permanens, siuè præcisè actuale, & transiens, vt perfectionem, & virtutem intrinsecam, intrinsecè, eleuantem intellectum ad producendam visionem intuitiuam Dei; sed satis esse, vt lumen gloriæ sit virtus causæ primæ supernaturalis, concurrentis simul cum intellectu creato; hanc opinionem, quantum video, sequi possunt, qui contendunt, non esse necessarium concursum præsium primæ causæ in causis secundis ad producendos earum effectus, & operationes productiuas; sed satis esse concursum simultaneum causæ primę, qui pręcisè est concursus in effectus, & operationes productiuas causarum secundarum.

Quod si primò eis opponas, lumen glorię esse necessarium ad eleuandum intellectum creatum ad videndum Deum, vt est in seipso; eleuatio autem est concursus præuius in intellectum creatum illum perficiens intrinsecè.

Respondent primò: concedendo eleuationem, sed eam agnoscunt, vel per coniunctionem potentiæ intellectiuę creatę cum lumine glorię, vel per Diuinum imperium, cui creatura omnis essentialiter subiecta est, vt ex ipsa faciat Deus, quicquid contradictionem non inuoluit; non autem per eleuationem per præuium concursum virtuosum intrinsecum.

Respondere possunt secundò, eleuationem esse duplicis conditionis; aliam simultaneam, scilicèt, per concursum simultaneum cum intellectu creato: aliam per concursum pręuium virtuosum in intellectum creatum ad producendam visionem intuitiuam Dei, vt in se est. Concedere possunt, lumen gloriæ eleuari per simultaneum concursum, non autem per præuiũ: ex eo autem, quod lumen glorię eleuat, vel datur ad eleuandum intellectum creatum, non rectè inferri, lumen gloriæ esse perfectionem intrinsecam, existentem in intellectu creato, illum eleuãtem; quippè eleuatio abstrahit ab eleuatione per cõiunctionem simultaneam luminis gloriæ, idest virtutis supernaturalis Dei, cum intellectu creato, vel per Diuinum Imperiũ, & ab eleuatione per pręuium virtuosum concursum in intellectum creatum; ex genere autem pręscindente, non potest inferri vna determinata species, e.g. non valet, est ens reale; ergo substantia; est animal; ergo homo.

Quod si secundò obijcias; lumen gloriæ in beatis debet esse habituale, & permanens, at concursus supernaturalis primę causæ cum intellectu creato non est habitualis, & permanens, sed transiens; vel quod si dicas, concursus supernaturalis primæ causæ cum intellectu creato ad videndum Deum ex suo genere, est pręcisè actualis, & transiens; sed lumen glorię abstrahit à lumine actuali, & permanente, & à lumine transeunte, & præcisè actu ali.

Respondere possunt, concursum supernaturalem primæ causæ cum intellectu creato beatorum posse esse transeuntem, & permanentem, quantum ad continuationẽ. aliquando prædictus concursus, est præcisè transiens, vt est visio Dei in raptu; aliquãdo verò est permanens quantũ ad cõtinuationem; iuxtà illud Petri. In quem desiderãt Angeli prospicere; vel respondere possunt virtutem supernaturalem, esse ipsum Deum paratum, vt authorem supernaturalem, concurrere cum intellectu.

Quod si tertiò obijcias: lumen gloriæ necessariò debere esse accidens supernaturale, siuè transiens, siuè permanens; sed ex hoc prædicato, lumen gloriæ debet esse intrinsecè receptũ in intellectu creato. Maior probatur; quia lumen gloriæ est virtus es-

ſentialiter ordinata ad producendam viſionem creatam intuitiuam Dei: ſed hæc neceſſariò debet eſſe qualitas ſupernaturalis, ſicut potentia proxima, & formalis in cauſa actiua creata debet eſſe neceſſariò accidens; quia ſpecificatur ab actione creata; quæ eſt vnum ex prædicamentis accidentium; hæc enim eſt vna ex rationibus, vt ſuo loco probabitur, cur potentia proxima, & formalis ad agendum in ſubſtantia creata debet eſſe accidens.

Reſpondere ſtatim poſſunt, negando maiorem, nam lumen gloriæ, eſt virtus eleuans intellectum creatum per coniunctionem, & per ſimultaneũ concurſum, nõ verò eſt virtus intellectus creati, perficiens illum in ſuo poſſe intrinſeco; ſed eſt virtus primę cauſę ſupernaturalis, qua Deus concurrit ſimul cum intellectu creato ad producendã viſionem intuitiuam Dei in ſe, & eſt ipſe Deus, vt paratus concurrere cum intellectu creato. Inſtantia concluderet ſine dubio, ſi lumen gloriæ ex ſuo genere nõ eſſet virtus creatã eleuatiua extra Deum; ens enim creatum adæquatè diuiditur in ſubſtantiã, & accidens; ſed hoc lumen glorię non poteſt eſſe ſubſtantia creata; quia implicat ſubſtantiam creatam ſupernaturalem eſſe, vt ſuprà obiter oſtendimus; ergo neceſſariò debet eſſe accidens ſupernaturale; nàm inter accidens, & ſubſtantiam nihil medij eſſe poteſt, cum reducantur ad terminos cõtradictorios.

Quod ſi quartò obijcias, de facto eſſe definitum de fide in Clementina, neceſſariũ eſſe lumen glorię ad videndum Deum, vt eſt in ſe, in intellectu creato: ſed hic loquendi modus expreſsè ſignificat, lumen eſſe receptum in intellectu creato, ſiuè habitualiter, ſiuè permanenter, & comprobatur; nam *Concil. Vienn. in Clement.*: eodem modo definiuit de fide eſſe neceſſarium lumen glorię eſſe in intellectu creato, quo *Concil. Trid. ſeſs. 6. c.* 7. definit fidem, ſpem, & charitatem, eſſe habitus, ſeù dona infuſa.

Reſpondere ſtatim poſſunt, negando aſſumptum; nàm *Concil. Vien. in Clementi*; ſolum damnat errorem illorum, qui dicebant poſſe intellectum creatum ſolis viribus naturalibus videre Deum in ſe; hoc autem ſaluari poteſt alterutro modo, vel, nimirùm, per virtutem ſupernaturalem, eleuantem intrinſecè intellectum ad producẽdam viſionem intuitiuam Dei; vel per virtutem ſupernaturalem primę cauſę concurrrentis ſimul cum intellectu creato ad producendum ſimul viſionem intuitiuam Dei; & licet idem *Concil. Vien.* dicat, paruulis in baptiſmo infundi virtutes, & gratias, quoad habitum, non definit; ſed eligit tantùm, vt probabiliorem ſententiam, infundi habitus; & hoc ſuadetur, nàm prius eodem modo factum eſt ab Innoc. III. *in cap. maiores de bapt.* Hoc aduertit etiam ad rem Marcus Anton. Palumb. *in doctrina de lum. gloriæ ad Art. 5. S. Thom. q. 12. de Viſion. Dei*, docens non eſſe definitum de fide, lumen glorię neceſſarium ad videndum Deum intuitiuè, debere eſſe habituale, & permanens.

Ratio prima fundamentalis primę partis, ſcilicèt, eſſe omninò neceſſarium lumen glorię ad videndum Deum, quę eſt aperta ſententia S. Thomę *loc. cit.* eſt hęc. Deus vt viſibilis in ſeipſo, eſt ſuperexcedẽs modum eſſendi, tùm intellectus creati, tùm ſubſtantię intellectiuæ creatę; quia Deus, vt viſibilis in ſeipſo, eſt eſſentialiter actus purus; intellectus verò creatus, ſicut, & ſubſtantia intellectiua creata in ſua quidditate, eſt eſſentialiter potentialis; ſed ex hoc prędicato ad viſionem intuitiuam Dei in ſeipſo ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium eſt lumen glorię, ſiuè per modum formę, ſiuè per modum paſſionis, nimirùm, neceſſaria eſt virtus ſupernaturalis, eleuans intellectum, quam omnes Theologi appellãt, lumen glorię, itaùt oppoſitum implicet. Minor probatur. nàm Deus ex hoc prędicato, eſt obiectum formaliter ſupernaturale, cuius ratio eſt; quia ex hoc prędicato, Deus eſt cauſa prima omnium, quę ordinantur ad ipſum Deum, vt in ſe eſt; Deus enim ex hoc prędicato, eſt primum intelligibile in ſeipſo; at ex hoc Deus eſt prima cauſa ſupernaturalis; & probatur quantum nunc ſatis eſt; nàm per hoc Deus diſtinguitur à ſeipſo, vt prima cauſa naturali; Deus enim eſt prima cauſa naturalis omnium creaturarum, quę non ordinãtur ad Deũ, vt in ſe eſt; at cognitio obiecti, vt formaliter ſupernaturalis, cùm ſit naturalis ſecundùm ſubſtantiam, neceſſariò debet eſſe ab intellectu, vt eleuato virtute ſupernaturali, quam omnes Theologi appellãt lumen glorię, quod eſt per ſe euidẽs, & clarum, ad differentiam luminis fidei, quod eſt per ſe obſcurum, & ineuidens.

Secunda ratio, adhuc fundamentalis ex alio capite eſt, quia Deus, vt intuibilis in ſeipſo, neceſſariò, & ſimpliciter requirit cauſam principalem, quę ſcilicèt ſit in eodem modo eſſendi; ſed hęc non poteſt eſſe alia, niſi Deus, vt cauſa prima ſupernaturalis, eleuans intellectum creatum virtute ſupernaturali; ſolum enim Deus, vt actiuus

actiuus supernaturalis, est in eodem modo essendi cum seipso, vt primo obiecto supernaturali; discursus est euidens; quia non potest dari operatio extrà Deum in intellectu creato, sine sua causa principali, quę scilicèt sit in eodem modo essendi cum suo obiecto formali; sed solus Deus, est in eodem modo essendi cum obiecto primo supernaturali; etenim tàm intellectus creatus, quam substantia intellectiua creata habent modum essendi essentialiter potentialem; doctrina hęc, est S.Thomę.

Quod si aliquando videatur oppositū sentire S.Thomas, vt in *4.sent.dist.49. qu.2. art.7.in corpore, & qu.10. de Verb.artic.25.* intelligendus est, vt illum interpretantur Ferrariensis, Caiet. & Capreol. de necessitate luminis glorię per modum formę; quia potest esse lumen glorię per modum passionis, sicut est lumen in aere.

Neque obstat, quod aliqui Theologi dicunt, lumen glorię debere esse habituale receptum in intellectu creato, esse definitū de fide in *Conc.Vien.*, idque probant, quia hic est modus connaturalis operandi potentię; sed nimium excedunt; nam *Concil. Vien.*, non aliud definit, nisi quod aliqui hęretici negabant, non esse necessarium lumen glorię, quia naturaliter possumus videre Deum, & esse beati; at Deus videri potest, tùm permanenter, tùm transeunter; & suadetur hoc; nàm prius eodem modo definitum est ab Innoc. III. *in c. Maio: de Bapt.* Neque obstat si dicatur, quod idem *Concil. Vienn.* definiuit, esse necessarium habitum luminis glorię; nā ibi nō est definitū habitum luminis gloriæ, de fide esse habituale ad videndum Deum generaliter; sed tātum ad videndum Deum permanenter, vt de facto beati in patria intuentur Deum.

Dicent fortè Aduersarij, contra vtranque rationem. Causa principalis concurrens ad visionem intuitiuam Dei, vt in se est, debet esse visiua principaliter Dei; sed hoc posito, neutra ratio concludit; nam causa principalis visiua Dei in beatis, non potest esse, nisi substantia intellectiua creata intuentis Deum; hęc autem implicat, vt sit in eodem modo essendi cum Deo, vt intuibili in se; ergo falsum est, causam principalem concurrentem ad visionem intuitiuam Dei, debere esse in eodem modo essendi cum Deo, vt intuibili in seipso.

Respondeo, causam visiuam principalem visionis creatæ intuitiuæ Dei, esse duplicis conditionis; aliam principalem, quantum ad supernaturalitatem tantūmodò visionis, & aliam præcisè quantum ad vitalitatem visionis: substantia intellectiua creata beati, videntis Deum, est causa principalis visionis Dei, quantum ad vitalitatem tantummodò; substantia enim intellectiua creata beati, est, quæ videt Deum per potentiam intellectiuam, vt eleuatam lumine gloriæ; Deus verò vt agens supernaturale, est causa principalis eiusdem visionis, tantum, quantum ad supernaturalitatem; & hæc, sub ista ratione formali, non est causa intuitiua Dei, prout est in seipso; quia causa visiua debet esse principium primum vitale visionis in vidente, & hoc non est, nisi substantia intellectiua beati vidētis Deum. Causa principalis, quæ debet esse in eodem modo essendi cum Deo vt intuibili, debet esse causa principalis visionis intuitiuę Dei, tam quantum ad vitalitatem, quàm quantum ad supernaturalitatem, & huiusmodi esset substantia creata supernaturalis essentialiter, si esset ea possibilis; ad hanc autem principalitatem non potest pertingere vllo modo substantia intellectiua creata, nā substantia intellectiua creata, est causa instrumentalis visionis intuitiuæ Dei, quantum ad supernaturalitatem, & ratio huius in promptu est: nam causat suo intellectu, vt eleuato à Deo, tanquam à causa prima supernaturali, quod est proprium causa instrumentalis, vt distinguitur à causa principali, quæ causat virtute suæ formæ: causa verò instrumentalis virtute causæ principalis, cui subordinatur in esse, & in operari.

Quod si dicas: vitalitas visionis intuitiuę Dei, est supernaturalis intrinsecè; sed substantia intellectiua creata beati, est causa principalis vitalitatis intuitionis; ergo est etiam causa supernaturalitatis eiusdem.

Respondeo cum distinctione: vitalitas visionis intuitiuæ Dei, est intrinsecè supernaturalis materialiter, & concedo: formaliter, & nego: vitalitas enim, est modus intrinsecus operandi principij viuentis: at modus non est formaliter ens, sed tantum materialiter, nimirum, entitate sui modificati; supernaturalitas autem in visione dicit entitatem essentialem visionis, & non modum intrinsecum operandi. Explico: duo sunt in cognitione intuitiua Dei in seipso: tendentia in Deum, tanquam in obiectum formaliter supernaturale: & modum tendendi intellectus in Deum vt in se est, qui est modus tendendi à se, nimirùm est, modus intellectus se mouentis in Deum vt in se est; tendentia in Deo, vt est in seipso, est entitas essentialis intuitionis, quæ est for-

ma-

maliter supernaturalis: vitalitas verò est modus intrinsecus, & hæc non est ens, nisi materialiter, ac proindè non est supernaturalis, nisi sup naturalitate sui modificati.

Tota difficultas est in assignanda ratione inter Theologos secundæ partis conclusionis, affirmantis, lumen gloriç necessarium ad visionem beatificam, esse intrinsecum, idest receptum intrinsecè in intellectu videntis Deum; ità quod oppositũ implicat, quæ valdè controuersa est inter Scholasticos; plures enim, tùm ex Antiquis, tùm ex Recẽtioribus Scholasticis apertissimè tuentur oppositum, vt videre est apud Hieronym. Fasol. & Marcum Anton. Palumb. *loc. sup cit*, horum autem opinio pluribus rationibus ostendi potest, quæ necessariò explicandæ sunt, & soluendç, antequam ponatur, & explicetur fundamẽtum prçcipuum demonstratiuum S. Thomç, quem nos sequimur.

Prima ratio oppositæ sententiæ esse potest hæc: implicat contradictionem, potentiam vitalem in operando vitaliter, & intrinsecè compleri à principio non vitali; sed lumen gloriæ, est principium non vitale; ergo lumen gloriæ eleuans intellectum creatum ad videndum Deum, non necessariò debet esse receptum intrinsecè in intellectu videntis Deum; sed satis est, vt sit virtus supernaturalis primæ causæ supernaturalis concurrentis, simul cum intellectu creato, ad eum modum, quo causa prima concurrit simul cum causa secunda ad producendos effectus, & operationes causæ secundæ. Maior probari potest duplici fundamento; primum esse potest, agere vitaliter, & non vitaliter, contradistinguuntur rationibus omninò inter se oppositis; nàm potentia, quæ agit vitaliter, agit à seipsa, & in seipsa, nimirùm, agit perficiendo seipsam per suam operationem immanentem; principium verò non vitale, aut solùm patitur recipiendo ab extrinseco actiuo, perfectionem, aut solùm agit actum, quem in se non recipit; istç autem rationes oppositæ sunt, si sumantur secundùm idem, vt necessariò sumi debent, si principium non vitale, compleat principium vitale in operando vitaliter; sed vnum oppositorum non potest compleri intrinsecè ab alio opposito in sua ratione formali: ergo principium vitale, non potest compleri à non vitali; at lumen gloriæ, est principium non vitale; quia non est principium viuens. Secundum fundamentum est: quia potentia vitalis sola est, quæ agit, siuè actus sint naturales, siuè supernaturales; cum hac tamen differentia, quod respectu actuum naturalium, operatur, vt principium proportionatum, vndè secundum potentiam naturalem: respectu verò actuum supernaturalium, operatur, vt principium improportionatum in esse entis; sed formaliter, sm̃ potentiam, quam appellant Theologi communiter, obedientialem, quç nihil entitatis addit de nono potentiç naturali; sed dicit solùm ipsam potentiam naturalem, quatenùs ei non contradicit operari, quod Deo placuerit; vel dicit ipsã entitatem potentiæ naturalis, vt subordinatam essentialiter Diuino Imperio, siuè Diuinæ voluntati, ad producendos omnes illos effectus, qui contradictionem non implicant.

Neque huic doctrinæ obstat, si dicas, potentiam operatiuam creatam supernaturalem, adhuc esse essentialiter subordinatam imperio primæ causæ in operando: & tamen ex hoc, potentia creata supernaturalis, non est potentia obedientialis; secus enim, nulla esset distinctio formalis intrinseca inter potentiam supernaturalem formaliter, & potentiam obedientialem. Nàm

Respondeo, potentiã obedientialem distingui à potẽtia supernaturali formaliter, per hoc, quod potentia formaliter supernaturalis subordinatur Deo in operando, quãtum ad concursum præuium actualem, vt infra obiter probabitur; potentia verò obedientialis dependet in operando à prima causa, quantum ad auxilium habituale, & actuale; & ratio diuersitatis est; quia potentia pura obedientialis, est entitas creaturæ, quatenùs ei non repugnat eleuari ad producendum, quod non implicat contradictionem; ad hoc autem non solùm requiritur auxilium actuale primæ causæ, sed etiam habituale; quia requiritur potentia operatiua formaliter. Sed

Hæc ratio nihil probat; nihil enim prohibet potentiam vitalem compleri à comprincipio non vitali intrinsecè: etenim anima rationalis, e.g. operatur actus supernaturales, respectu quorum cum non habeat proportionem, ferè semper completur ab habitu supernaturali, qui non solùm facilitat, sed etiam dat simpliciter posse operari, ac proindè habet etiam rationem potentiæ supernaturalis. Anima etiam, dũ vitaliter operatur completur à concursu Diuino; Deus verò non agit vitaliter sic concurrendo cum anima.

Ratio verò in oppositum suprà explicata; quicquid alij dicant facillimè soluitur; quoniam principium vitale compleri in-

intrinsecè à comprincipio non vitali, duplicem potest habere sensum. Primus sensus est, quod potentia vitalis non potest recipere vitalitatem à principio non vitali, vt possit vitaliter operari, & in hoc sensu verum est, quod id, quod vitale est, non potest compleri in agendo vitaliter à principio non vitali; nemo enim dat, quod non habet, vel formaliter, vel virtualiter. Secundus sensus est, quod potentia vitalis in agendo vitaliter completur à principio nō vitali; non quia ei communicatur modus agendi vitaliter à principio non vitali; hunc enim modum agendi habet potentia vitalis formaliter à suis prædicatis essentialibus; sed completur, quatenùs debet producere in suo actu perfectionem supernaturalem, quæ de se non est vitalis v. gr. quia intellectus creatus debet producere intellectionem supernaturalem obiecti formaliter supernaturalis, & in hoc sensu falsum est, potentiam vitalem, non posse cōpleri à comprincipio non vitali; nam in hoc sensu principium vitale, & comprincipium non vitale, non sunt rationes oppositæ; quia non sumuntur secundum idem, sed secundum diuersa; quoniam potentia vitalis, vt potentia vitalis formaliter, est principium operationis vitalis, vt vitalis est; quatenùs verò potentia vitalis est eleuata virtute supernaturali intrinseca, v.g. luminis glorię, est principium productiuum operationis vitalis, non quatenùs vitalis, sed quatenùs supernaturalis, e.g. intellectus creatus beatotorum intelligit Deum in seipso intellectione intuitiua supernaturali. Hęc intellectio vt vitalis formaliter, est à potentia vitali; quatenùs verò est supernaturalis, est à potentia vitali, non quatenùs vitalis formaliter, sed quatenùs supernaturalis; etenim vt suprà diximus in cognitione intuitiua; quia beatus intuetur Deum in seipso, est entitas, quæ est tendentia intellectus in Deū, vt est, & in se est modus tēdendi; quia intelligere Deum, est operari circa Deum vitaliter, illum operando, & hic est modus intrinsecus, qui formaliter, vt diximus non est supernaturalis; sed tantum entitatiuè, & materialiter.

Hanc responsionem impugnat Fasol. *sup. ar. 5. duodecimę quæst. de Vis. Dei dubit. 9.* pluribus rationibus dicens.

Primò, quod hæc responsio fundatur in eo, quod credimus, concurrentibus duabus causis ad vnū effectū, alteram nō posse cōcurrere ad illā perfectionē effectus, siuè actionis, quā in se nō habet, vel formaliter, vel virtualiter; at hoc fundamētum, inquit, infirmum esse, patet, non solùm ex causis partialibus etherogeneis, cuiusmodi sunt intellectus, & lumen, species intelligibilis, & intellectus; nā species in se nō est cognitiua neque formaliter, neque virtualiter, neque vitalis; quia ex suo genere non est principium viuens, concurrit ad actum vitalem cognitionis, vt comprincipium simul cum potentia cognitiua, & omnis habitus etiam naturalis, non habens in se vitalitatem concurrit cum potentia vitali ad actum vitalem; sed etiam ex causis partialibus homogeneis; nam duo luminosa, e.g. singula intensa, vt tria, concurrunt ad lumen intensum vt quatuor; saltem concurrunt ad producendum eosdem gradus in longiorem sphęram, ad quem effectum singula per se non habent sufficientem potentiam; ergo potest aliqua virtus ex se sola, esse insufficiens, & impotens facere vnū effectum illum producere, quatenùs iuncta cum alia causa comproducente, & huius hanc assignat rationem, quæ inquit est à priori, lumen gloriæ, & intellectus sunt causæ partiales constituentes vnum principium adæquatum productiuum visionis intuitiuæ Dei: causæ autem partiales non agunt singulæ per se; sed agunt, vt partes vnius causæ totalis; ac propterea non agūt per duas distinctas actiones: sed per vnam, quæ tota est ab vna causa, & tota ab alia, licet non totaliter; ergo non est considerāda virtus vniuscuiusque causæ per se; sed virtus vnius causæ conflatæ ex duabus virtutibus partialibus causarum partialiū; hoc autem satis est, vt lumen gloriæ concurrat non solùm ad cognitionem intuitiuam Dei, quatenùs est supernaturalis, sed etiam quatenùs est vitalis; ergo habet in se, aliquo modo vitalitatem lumen gloriæ: & hoc magis probat lumen gloriæ, & intellectum creatum non esse principia opposita.

Quod si dicas; lumen gloriæ, vt possit concurrere ad vitalitatem cognitionis intuitiuæ, debet esse principium viuens.

Respondet statim: negando assumptum: sed satis est, esse habitum ex natura sua ordinatum ad perficiendum, & eleuādum principium vitale, sicut species intelligibilis, siuè obiectum potest eodem modo concurrere, quia est specificatiuum principij vitalis.

Secundò, quia visio intuitiua Dei essentialiter est vitalis; etenim sine vitalitate implicat dari visionem Dei: & probatur: quia præciso quocumque modo a visione bea-

beata; essentia, quæ fingitur remanere, vel est visio Dei, prout in se est; & hæc est proculdubio vitalis, quia cognitio est operatio gradus vitæ intellectiuę, sicut etiam visio intuitiua Dei essentialiter est supernaturalis; quia est obiecti formaliter supernaturalis; vel non est visio Dei intuitiua, & tunc cognitio intuitiua Dei non esset cognitio intuitiua ex sua essentia, sed ex modo aliquo addito extrà essentiam, quod ne dum absurdum est, sed etiam impossibile: implicat enim esse essentialiter visionem Dei, & illam vt sic, non esse essentialiter vitalem.

Tertiò; estò in visione intuitiua Dei præscindi mente possit supernaturalitas à vitalitate, & vitalitas abstrahat à supernaturali, & naturali; quia cum vtroque reperiri potest, & ad vtrumque est indifferens; tamen quia omnis actio est determinata, & singularis in producendo, non terminatur ad rem in vniuersali, sed ad rem determinatam in singulari, ac proindè vna actio efficit omnes gradus, & genericos, & specificos, & indiuiduales: ergo actio luminis gloriæ fertur ad visionem Dei, & quatenùs supernaturalis, & quatenùs vitalis; quia hæc visio Dei intuitiua, est, & supernaturalis, & vitalis essentialiter: alioquin circa eandem visionem deberent distingui plures actiones, nam visio intuitiua Dei potest considerari, & vt visio intuitiua, & vt qualitas, & vt supernaturalis, &c. & inauditum est, & ridiculum multiplicari tot actiones, quot sunt gradus metaphysici.

Quartò: opinio asserens, lumen gloriæ non concurrere ad cognitionem intuitiuã Dei, vt vitalem, non saluat dictum *Concil. Vienn.* de lumine, eleuante intellectũ ad videndum Deum; nàm si non eleuaret lumẽ intellectum creatum ad cognitionem, vt vitalem, intellectus non indigeret eleuatione; quia intellectus, quoad vitalitatem esset causa principalis; causa autem principalis vt sic, non indiget eleuatione; quia hoc est proprium causæ instrumentalis; sed ex *Concil. Vien.* lumen gloriæ eleuat intellectum creatum ad videndum Deũ; ergo eleuat intellectum creatũ ad actionem vitalem intellectus; ergo concurrit etiam ad vitalitatem cognitionis; præsertim cum in actu visionis Dei, præstantior sit ratio supernaturalitatis, quam vitalitas; ergo si lumen concurrit ad visionem Dei, vt supernaturalem, multò magis concurrit ad eandem, vt vitalem.

Istæ, & aliæ similes impugnationes facilè soluuntur.

Respondeo enim ad primam, distinguendo maiorem, quę duplicem potest habere sensum; primus est, quod responsio à nobis allata, quod ex causis pluribus concurrentibus ad vnum effectum, vna non potest concurrere formaliter ad illam perfectionem effectus, siuè actionis, quam in se non habet, vel formaliter, vel virtualiter. Secundus sensus est, quod vna non potest concurrere materialiter ad illam perfectionem effectus, quam in se non habet, vel formaliter, vel virtualiter. In primo sensu, vera est maior; in secundo sensu falsa est; nos loquimur in primo sensu, non in secũdo; in operatione enim attendendi debet ratio formalis obiectiua producendi operationem; non autem terminus materialis, qui attingitur, e.g. cognitio intuitiua Dei, quę producitur, vtique vitalis est; sed ratio cur lumen concurrat ad visionem intuitiuam Dei, non est; quia illa est vitalis: sed quia est supernaturalis, nimirùm operatio, siuè tendentia supernaturalis in Deum, ut in se est; sicut intellectus cognoscit quidem rationem formalẽ boni; sed ratio formalis obiectiua cur intellectus illã cognoscit, nõ est; quia est bonũ voluntatis .s. bonum appetibile; sed quia est intelligibile, siuè uerum, quod est bonum intellectus; & ratio huius à priori est; quia ut lumen glorię attingat uitalitatem intellectionis, satis est, ut in uitalitate reperiatur intelligibilitas supernaturalis; & hoc fit etiã manifestũ, hoc alio discursu; nàm si in uitalitate cognitionis, non esset intelligibilitas supernaturalis, nulla ratione esset necessarium lumẽ gloriæ ad producendam uisionem intuitiuam Dei; causa enim productiua, necessaria est solùm ad productionem effectus, in quo reperitur terminus formalis causæ productiuæ; & ob hanc rationem plures docti Scholastici affirmãt, habitus non concurrere effectiuè; sed tãtum dispositiuè ad actus; quia scilicèt habitus, qui habet facilitare formaliter, non producit facilitationem in actu: undè, quia nihil proprium respondet in actu, erit solùm conditio respectu potentię, quæ doctrina debet esse regula ad cognoscendum principium influens, uel non influens.

Neque huic doctrinæ obstat, cum dicitur ab opponente, quod lumen gloriæ, & intellectus creatus, ut eleuatus, non agũt per duas distinctas actiones, idest, non producunt uisionem intuitiuam Dei per plu-

res

res distinctas motiones; sed per unam, quæ tota est ab una causa, & tota ab alia: at si lumen gloriæ attingeret uisionem intuitiuam Dei formaliter; quia est supernaturalis præcisè, lumen gloriæ, & intellectus creatus producerent uisionem intuitiuam Dei distinctis motionibus, siuè actionibus primæ causæ, præscindendo nunc, an istæ motiones sint præuiæ, an simultaneæ tantum, & ratio huius est; quia actio, siuè motio multiplicatur formaliter ex multiplicatione formali termini formalis; hæc autem difficultas tollitur, si dicatur, lumen gloriæ concurrere formaliter, non solùm ad cognitionem intuitiuam Dei, quia formaliter, & præcisè est supernaturalis: sed etiam quia est uitalis formaliter.

Quandoquidem motio, qua intellectus creatus, & lumen gloriæ concurrunt in uisionem intuitiuam Dei producendam, est una tantum motio entitatiuè; formaliter uerò, siuè uirtualiter est multiplex, sicut & ipsa cognitio intuitiua Dei; est tantùm entitatiuè vna; multiplex uerò formaliter, quia sunt plures gradus perfectionis formaliter, & modaliter; est enim cognitio intuitiua Dei actio prædicamentalis, supernaturalis, esse intelligibile in genere agentis intelligibilis, & uitalis, qui quidem gradus perfectionis in una, & eadem simplici entitate sufficiunt ad distinguendas in intellectu creato plures motiones, quibus mouetur à prima causa ad producendam uisionem pluribus rationibus formalibus.

Hæc doctrina, eadem est cum doctrina, qua Scholastici communiter docent, lumen gloriæ effectiuè causare uisionem intuitiuam Dei secundùm totam entitatem ipsius, siuè causare totam visionem entitatiuam Dei, sed non totaliter; & sensus est, quod lumen gloriæ causat totam quidem uisionem intuitiuam Dei, sed quia illa est supernaturalis formaliter: non totaliter: quia ratio formalis obiectiub cur illam causat, præcisè est; causat quidem totam uisionem intuitiuam Dei, non solùm quia uisio est una simplicissima entitas, siuè quia est unus simplex actus entitatiuè, sed præcipuè: quia ratio formalis obiectiua specificans virtutem luminis gloriæ reperitur formaliter in omni gradu, siue prędicato speciali, & proprio uisionis beatificæ.

Neque ulla ratione demonstrari potest, lumen gloriæ concurrere formaliter ad uitalitatem cognitionis intuitiuæ Dei; quia adhoc requireretur, ut lumē glorię esset principium uiuens, informans naturam intelligentis Deum in seipso, quod implicat: nec satis est, ut lumen ex natura sua sit ordinatum ad eleuandum principium uitale, sicut species intelligibilis, siuè obiectum, ut dicunt contrarij Authores, ut sit principium uitalitatis intellectus, satis est, ut sit principium formale intellectionis.

Et ratio in promptu est, quia causa influens, & efficiens, debet præhabere in se perfectionem, quam producit in suo effectu; at vitalitas operationis, non potest præhaberi, nisi à principio viuente, quod est principium se mouens; hoc autem prædicatum nullo pacto potest competere lumini gloriæ.

Ad secundam rationem, qua dicitur, quod visio intuitiua Dei, est essentialiter vitalis; quia implicat, sine vitalitate dari visionem Dei.

Respondeo distinguendo maiorem; visio enim intuitiua Dei, dupliciter potest considerari; vno modo, vt terminus, qui producitur ab intellectu, vt eleuato lumine gloriæ; alio modo, quantum ad rationem formalem obiectiuam, ob quam producitur ab intellectu creato, vt eleuato lumine gloriæ. Primo modo, essentialiter est vitalis; sed vt terminus materialis, quia terminus, qui producitur in vniuersum, est terminus materialis; verùm secundo modo, non est essentialiter vitalis; quia non est essentialiter principium viuens, nimirum, se mouens. In præsenti materia loquimur de concursu in visionem beatificam, qui conuenit lumini gloriæ, ob suum terminum formalem producendi; omnes enim concedimus visionem intuitiuam Dei, esse & supernaturalem, & vitalem essentialiter; sed ratio formalis cur attingatur à lumine glorię, vel ab intellectu, vt eleuato lumine glorię; (hęc enim duo idem prorsus significant) est quia visio Dei in seipso, est formaliter supernaturalis. Totus autem discursus, quem doctè facit Fasol. ostendit tantùmodò, visionem intuitiuam Dei in seipso, vt terminum materialem, siue vt effectum materialem luminis gloriæ, esse essentialiter vitalem.

Eadem distinctione soluitur tertia ratio, scilicet, estò in visione intuitiua Dei, mente præscindi possit supernaturalitas à vitalitate, &c. nam totus hic discursus solum demonstrat terminum materialem, & qui visionis intuitiuæ Dei, esse singularem, eumque produci actione singulari, non autem ostendit terminum formalem, quo lumen gloriæ influit in visionem intuitiuam Dei, nō posse esse vniuersalem, scilicet, quātum ad naturam substratam vniuersalitati; sicut intellectus creatus potest cognoscere ad-

adhuc singulare; sed ratio formalis obiectiua, cur singulare cognoscat extra Deum, siuè in proprio genere, est vniuersale, quo ad rem substratam vniuersalitati.

Cum denique quartò asseritur ab eodem Fasol. *num. 33.* quod hęc nostra opinio minimè saluat *d. Conc. Vien. de lum.* eleuante intellectum ad videndum Deum.

Respódeo, nego assumptũ; etenim intellectus non indiget lumine glorię, quoad vitalitatem, neque oppositum determinat *Concil. Vien.* sed solum definitur in dicto *Conc.* esse necessarium lumen gloriæ ad visionem Dei; quia est formaliter supernaturalis; neque obstat, si dicas, causam principalem, esse in eodem modo essendi cum suo obiecto formali; nam hoc est intelligendum de causa principali, effectus quantum ad essentiam, & modum, non verò de causa principali, tantum quantum ad modum operandi.

Secunda ratio oppositę sententiæ est, quam fusè explicat Fasolus *dubit. 12. num. 45.* lumen glorię concurrit ad visionem intuitiuam Dei, vt purum comprincipium effectiuum, simul cum intellectu beati videntis Deum; lumen enim glorię, non concurrit ad visionem intuitiuam Dei, producendo illam in se, quia lumen gloriæ, non est uidens Deum, sed intellectus beati est, qui uidet Deum, sed concurrit ad uisionem intuitiuam producendo illam, simul cum intellectu in ipso intellectu; sed huius generis influxus potest suppleri per se immediatè à Deo (nimirùm, ut ego interpretor, ut parato concurrere cum intellectu creato, iuxtà opinionem, quam sequitur Fasolus asserentium, causam secundam non indigere concursu pręuio primę causę, sed tantummodò simultaneo) ergo absolutè, & simpliciter potest intellectus creatus, sine lumine gloriæ in se recepto, uel sine aliqua uirtute supernaturali in eo existente, producere in se uisionem intuitiuã Dei, cũ solo cõcursu Dei supernaturali, purè effectiuo in ipsã uisionẽ intuitiuã; est enim inquit, propositio famosa Theologorum: quicquid scilicèt, Deus producit mediãtibus causis secundis, potest immediatè sine illis producere, & conseruare: modo operatio causæ secundę, non dependeat essentialiter ab ipsa causa secunda, ut est operatio quatenus uitalis, & ratio huius à priori est: quia operatio purè effectiua causæ secundę, est operatio extrinseca, siuè in genere causę efficientis extrinsecę, hoc est producentis uisionem in alio, nempè in intellectu, non in se, & huiusmodi est lumen gloriæ concurrens cum intellectu creato ad uisionem intuitiuã Dei.

Explicat Fasolus, hoc exemplo ualdè apto, & simili; Deus enim de facto supplet, defectum speciei intelligibilis intellectus creati uidentis Deum: non minus necessarium, quam influxum luminis gloriæ, sicut supplere potest etiam concursum omnium specierum, quæ de facto concurrunt ad uisiones aliorum obiectorum: & ratio huius est: quia concursus speciei intelligibilis in intellectionem, cum sit ad essẽtiã uisionis, est purè effectiuus: sed concursus adhuc luminis glorię, est purè effectiuus: ergo sicut Deus potest supplere concursum speciei intelligibilis, ità etiam potest supplere concursum luminis gloriæ.

Communior responsio ad hoc argumentum Thomistarum, est quam tradunt Ferr. *3. C. G. c. 54. ad* 4. Scot, Sot. *in 4. dist. 49. q. 2. ar.* 4. Bagnes *in p. p. q. 12. dub. 3. ad 1.* quod aliud est Deum posse concurrere ad producendam uisionem intuitiuam Dei, sine luminę glorię recepto in intellectu creato, & aliud est, Deum posse facere, ut causa secunda efficiat sine principio, & sine forma efficiendi intrinseca: sine dubio Deus potest primum, sed non potest secundum, defectu termini, qui non est factibilis: implicat enim intellectum esse potentem producere sine potẽtia intrinseca, & ità cõtingeret, si intellectus creatus uideret Deum in se sine lumine gloriæ in ipso recepto, uel sinè aliqua uirtute supernaturali intrinseca, quia intellectus creatus est intrinsecè impotens: hæc autem impotentia intrinseca non completur concursu Dei extrinseco.

Hæc responsio uera quidem est, eam tamen impugnat Fasol. *loc. cit.* dicens, quod nulla est; tum quia in casu nostro, principium intrinsecum uidendi est intellectus, quia intellectus est principium uiuens, cui extrinsecè superadditur aliud extrinsecum principium, quod est lumen gloriæ: undè dato, quod intellectus beati uideret sine lumine cum solo Deo supplente concursum effectiuum luminis glorię non formalem; (Deus enim non potest esse forma) sed effectiuum; intellectus creatus non ageret sine principio intrinseco uidendi, sed solum illud auxilium, quod propter sui imperfectionem habet, intellectus creatus à lumine glorię, vt informante, haberet tunc à solo Deo sine vlla informatione, & inhæsione; tùm quia omnis creatura est essentialiter, & obedientialiter intrinsecum principium faciendi, quicquid Deus eam facere iusserit.

Vis huius impugnationis in hoc principio fundatur, tanquam in prima radice; quia

quia intellectus creatus, vt principium proximum vitale concurrit ad visionem intuitiuam Dei, nimirùm, vt principium se mouens virtute substantię intellectiuæ creatę, siuè suæ formæ: sed quantum ad hoc, est intrinsecè, & completè potens; quia vt sic solum concurrit ad visionem, quatenùs vitalis est; at vim concurrendi ad vitalitatem habet à substantia intellectiua creata, à qua fluit, & non a lumine gloriæ, à quo intellectus creatus solùm habet vim concurrendi ad visionem Dei, quatenùs est supernaturalis formaliter; sed hæc vis luminis gloriæ potest suppleri à solo Deo parato concurrere cum intellectu creato, vt prima causa supernaturali; quia vis luminis gloriæ, est concursus purè effectiuus.

Quod si dicas primò Fasolo, & alijs Authoribus contrariæ sententiæ. Intellectus creatus secundum suas naturales vires, est impotens ad videndum Deum, vt in se est; quia Deus, vt in se, obiectum est supernaturale formaliter; sed hæc impotētia non potest suppleri, nisi per lumen gloriæ; quia hæc impotentia est intrinseca, nec potest, quod est impotens intrinsecè fieri potens intrinsecè, nisi per virtutem intrinsecam in se receptam; implicat verò Deum fieri virtutem intrinsecam intellectus creati; quia hæc essentialiter inuoluit rationem actus, siuè formæ; ergo ad videndum Deum, est simpliciter necessarium lumen. Hanc rationem Palumb *loc. sup. cit. dir. 3.* dicit esse sibi vnicum, & solidum fundamentum pro sententia S. Thomæ.

Respondere statim possunt Authores contrariæ sententiæ, intellectum creatum, esse intrinsecè impotentem ad producendam visionem Dei, quatenùs est supernaturalis, non autem quatenùs est vitalis formaliter, seù esse impotentem ad producendum supernaturaliter, non verò ad producendum vitaliter. At virtus intellectus, vt vitaliter concurrens non est supplebilis à Deo solo; quia actus vitalis essentialiter dependet à potentia vitali creata; virtus verò luminis gloriæ, est supplebilis à solo Deo parato concurrere: & ratio est; quia virtus luminis gloriæ non habet hanc dependentiam essentialem.

Neque dicas, quod lumen gloriæ ex *Clemen. cit.* ponitur ad eleuandum intellectum creatum; sed hæc eleuatio est intrinseca; quia non est concursus in solam visionem intuitiuam Dei; sed per se primò est concursus in intellectum creatum, nàm id quod eleuatur est intellectus.

Respondebunt enim statim Aduersarij, lumen gloriæ eleuare intellectum ad visionem, quatenùs est supernaturalis, non quatenus est vitalis formaliter; etenim intellectus, quatenùs ad vitalitatem est causa principalis, nimirùm est causa vitalis virtute suæ formæ, sicut calor est causa principalis productiua alterius caloris; intellectus enim creatus, vt dixi etiam in ordine naturali, habet non solùm rationem causæ instrumentalis; sed etiam principalis respectu diuersorum: vndè quantum ad vitalitatem intellectus creatus in suo genere, est completè potens: quantùm verò ad supernaturalitatem est impotens producere visionem intuitiuam Dei; & hæc impotentia de lege ordinaria habetur per lumen gloriæ intrinsecè receptum in intellectu creato; absolutè verò, & simpliciter hic concusus, quatenùs effectiuus est, supplebilis est à solo Deo, vt prima causa supernaturali; perficere verò formaliter intellectū creatum, siuè inhærere intellectui, per accidens, & materialiter conuenit lumini gloriæ, quatenùs virtus supernaturalis actiua; nàm virtus supernaturalis actiua, cum nullam dicat imperfectionem est supplebilis a solo Deo, & conuenit lumini, quatenùs est in accidente.

Quod si secùdò dicas, cū Soto, Ferrar. & alijs Thomistis, Deus nō potest se solo facere, vt lapis videat, neq; vt ignis absq; calore calefaciat; sed eadem est ratio, vt intellectus creatus intelligat absque lumine gloriæ Deum in seipso; ergo, &c. Minor probatur, quia lumen gloriæ est virtus, & facultas ad videndum Deum; sicut calor ignis, est virtus ad calefaciendum in igne, ex hoc autem euidenter sequitur, quod idem esset intellectum videre sine lumine gloriæ Deum, quod videre sine virtute videndi.

Respondent statim primò, maiorem esse veram, si Deus non suppleat concursum luminis gloriæ in genere causæ efficientis extrinsecæ; falsam verò si Deus suppleat.

Respondent secundò: hoc argumentum supponere, totam virtutem producendi visionem intuitiuam Dei in intellectu creato, esse lumen gloriæ, quod est falsum; nàm in visione intuitiua Dei, non solùm est supernaturalitas; sed etiam vitalitas, lumen gloriæ est tota virtus ad producendam visionem, quatenùs est supernaturalis formaliter; intellectus verò creatus, est tota virtus ad producendam vitalitatem tantum in suo genere; in presenti autem controuersia est, an concursus effectiuus,

qui habetur lumine gloriæ, possit suppleri à Deo solo, vt parato concurrere cum intellectu beatorum; non autem, an intellectus creatus possit producere visionem supernaturalem sine comprincipio actiuo supernaturali, quia hoc manifestè implicat; sicut implicat dari effectum formalem primarium formę sine forma.

Neque verum est, inquiunt, quod dicunt Thomistæ, virtutem supernaturalem ad comproducendam visionem intuitiuam Dei cum intellectu creato essentialiter esse perfectionem, & virtutem intrinsecam intellectus creati videntis Deum; at ex hoc implicat contradictionem, Deum se solo sine infusione luminis glorię, aut alterius supernaturalis qualitatis in intellectu existentis, siuè habitualis, idest natura sua permanentis, siuè per modum passionis transeuntis, habere rationem principij effectiui visionis beatificę cum intellectu creato, quia implicat Deum seipso supplere munus causæ formalis intrinsecę; maiorem probent Thomistæ; nam S. Thomas *art. 5, q. 12 de Vision. Dei in corp.* dicit quod per lumen intellectui creato superaccrescit vt virtus intelligendi, & statim idem S. Tho. addit, quod lumen gloriæ est argumentum virtutis intellectiuæ, & clarius ad primum dicti articuli ait, requiri lumen gloriæ, ad hoc quod intellectus creatus fiat potens ad intelligendum. Et ne aliquis suspicari posset se dicere totam potentiam, aut actiuam virtutem formaliter, & proximam intelligendi esse solum lumen; statim, id quod dixerat limitans, addit; per modum, quo potentia fit potentior ad operandum per habitum; & ratio huius assignatur à Thomistis, quia visio Dei est actio vitalis supernaturalis.

Quandoquidem statim respondent, in lumine glorię esse distinguenda duo; primò esse accidens supernaturale, siuè entitatem supernaturalem. Secundò virtutem actiuam ad producendam visionem intuitiuam Dei, quatenus est supernaturalis, siue quod idem est munus, & efficaciam luminis, quod est, esse simul cum potentia intellectiua creata, comprincipium effectiuum visionis beatæ; Primum prædicatum conuenit lumini gloriæ materialiter, siuè extrà essentiam: secundum verò prædicatum conuenit lumini essentialiter; nam lumen gloriæ formaliter, & essentialiter, est comprincipium supernaturale effectiuum; hæc distinctio explicatur consimili distinctione, quam explicat Caietan. *p. p. q. 56. art. 1.* ex doctrina S. Tho. dicens: quod inhærere intelligenti accidit speciei intelligibili; ex eo quod accidens: quia si esset subsistens nihilominus ad eundem effectum concurreret, & consequenter, quod nõ requiritur ad intelligibile in actu, quod informet intellectũ per inhęsionem, posita hac distinctione, dicũt Authores cõtrariæ sententiæ, quod quamuis Deus supplere nequeat primũ prędicatum luminis, nimirùm informare, & perficere intrinsecè intellectum creatum, vt fiat potentior; quia primum prædicatum, est prædicatum formæ informantis; implicat autem Deum esse formam informantem; tamen potest supplere secundum prædicatum, quod est solùm in genere causę efficientis, & nullam includit imperfectionem; nam adhoc munus exercendum non est necessarium, vt Deus informet, vel perficiat intrinsecè intellectũ creatũ per modũ inhęrẽtię, sicut de facto perficit lumen gloriæ, sed satis est, vt Deus, quatenùs causa supernaturalis simul concurrat cum intellectu creato ad producendam visionem beatificam, sicut, vt Deus sit forma intelligibilis concurrens cum intellectu ad visionem beatificam, non est essentialiter necessarium, vt Deus, quatenùs est sua forma intelligibilis, perficiat in genere causæ formalis intellectum, sed satis est, vt simul cum intellectu sit comprincipium effectiuum intuitionis Dei; & ratio est: quia prædicatum essentiale, & propriũ speciei intelligibilis est, esse comprincipium obiectiuum, & effectiuum cum intellectu creato ad producendam visionem beatificam; esse verò accidens, & inhærere, atque informare, est prædicatum accidentale, & materiale conueniens speciei intelligibili, quatenùs est in accidente, sicut proprium, & essentiale prædicatum caloris est, esse calefactiuum effectiuum: esse verò accidens, & informare substantiam ignis, est prædicatum ei accidentale, siuè materiale; quatenùs est creatum, ex quibus primum, & non secundùm suppleri potest à Deo; de quo fusior sermo erit in articulo examinando, an Deus sit sua species intelligibilis in intellectu creato beatorum. Et cum primò.

Obijcitur à Thomistis, intellectus creatus est intrinsecè impotens in sua virtute naturali ad videndum Deum, vt est in se; hæc autem impotentia non potest suppleri, nisi à lumine gloriæ intrinsecè informante.

Respondent dupliciter; primò dicunt intellectum creatum, esse intrinsecè impotentem in sua virtute ad producendam visionẽ Dei, quatenus est formaliter supernatu-

tu-

turalis, non autem quatenus vitalis; nam intellectus creatus, est essentialiter principium intrinsecum operandi vitaliter cum sit principium essentialiter viuens, licet proximum, & formale; secundò dicunt, intellectum creatum seiunctum, & seorsum à Deo, vt causa prima supernaturali concurrente ad visionem beatificam, esse intrinsecè impotentem; quia intellectus creatus, non est sola, & adęquata causa productiua visionis beatę;sed vt coniũctum Deo, vt parato concurrere cum intellectu creato in ratione principij effectiui supernaturalis esse intrinsecè potentem; etenim potentia ad producendam visionem beatificam in intellectu creato, est per solam vnionem intellectus creati cum Deo in ratione principij effectiui

Ad loca autem S. Thomæ. Respondent suprà S. Thomam,de principio coeffectiuo visionis beatificæ, quod est de facto; non autem de possibili; & cum.

Obijcitur eis secundò. Implicat effectum fieri actu à non potente actu facere; quia actus secundus essentialiter supponit in agente actum primum; sed intellectus creatus per solas vires proprias naturales, non est in se potens elicere visionem intuitiuam Dei; ergo implicat fieri potentem solum per vnionem cum principio extrinseco in ratione principij adęquati productiui.

Respondent primò distinguendo maiorem; implicat effectum fieri actu, à non potente actu facere in suo genere causę, & concedunt maiorem;à non potente actu facere in alio genere causę necessariò ad eundem effectum producendum, & negant: satis enim est,vt sit potens in suo genere causæ in re præsenti, intellectus creatus intrinsecè est potens producere quantum ad vitalitatem: impotens verò quantum ad supernaturalitatem: sed hęc impotentia completur per vnionem cum principio primo effectiuo supernaturali, quia potentia effectiua cognitionis, ut supernaturalis, est in alio genere causę.Secũdò respondent, intellectũ seorsum à Deo,ut parato concurrere ad supernaturalitatem uisionis, esse intrinsecè impotentem,non autem iunctum cum Deo ut causa supernaturali: hæc est doctrina sententiæ contrariæ: probanda nunc remanet sententia S. Thomæ, & Thomistarum, asserentium implicare contradictionem, intellectum creatum etiam in suo genere causæ, posse concurrere ad uisionem intuitiuam Dei, sine uirtute supernaturali primę causę in ipso recepta. Ad id probandum duę mihi occurrunt rationes,quas puto demonstratiuas, sed non sine controuersia.

Prima est:intellectus creatus beati, vt visiuus Dei in se,est essentialiter subordinatus Deo,vt primæ causæ supernaturali in esse,posse, & operari; sed hæc subordinatio essentialiter exigit virtutem supernaturalem primæ causę in se receptam, per quam sit potens actu, & formaliter; ergo essentialiter, siuè absolutè, & simpliciter,implicat intellectum creatum beati, concurrere in suo genere causę ad visionem intuitiuam Dei, sine virtute supernaturali in se intrinsecè recepta, quam appellamus lumen gloriæ, siue illa sit per modum habitus, aut formæ; siuè sit per modum passionis, siuè per modum auxilij actualis; maior probatur; quia intellectus creatus, vt visiuus Dei in suo genere causę est essentialiter causa secunda; omnis autem causa secunda,est essentialiter subordinata primę causæ in suo esse, posse, & operari; quia in quolibet horũ,est secunda;minor in qua est difficultas, probatur; subordinatio essentialis causę secundæ in vniuersum causæ primæ, est radix vt causa secunda, non moueat, nisi mota à prima, motu, nimirùm virtuoso, siuè per modum habitus, siuè per modum passionis; sed motus à mouente est intrinsecè in mobili; ergo intellectus creatus visiuus Dei, ex eo ꝙ est essentialiter subordinatus in suo esse, posse, & operari, Deo vt primæ causæ supernaturali, non potest videre Deum, siuè producere in suo genere causæ,visionem intuitiuam Dei,nisi motus intrinsecè motu virtuoso Dei,siuè per modum habitus, siuè formæ, aut auxilij actualis. Maior ex terminis fit euidens; in hoc enim distinguitur primum mouens à secundò mouente, quod primum mouens mouet immotum ab alio; mouens verò secundum, mouet, vt motum; & probatur; quia primum mouens,est essentialiter actus purus; secundùm mouens verò est permixtum essentialiter potentialitati; immobilitas fundatur in actu, mobilitas fundatur in potentia, vsus sum hac ratione.

Quandoquidem opinio S. Thomæ, quam nos sequimur fundatur, tanquam in prima radice in doctrina, asserentium causam nullam, posse operari etiam in suo genere causæ, nisi præuenta à prima causa concursu suo virtuali, quo completur, vt complemento in ipsa recepto, vt possit operari etiam in suo genere causæ; sicut serra, v. g. non est potens completè in suo genere causæ secare,nisi motu virtuoso artifi-

tificis in se recepto, quo vsu serra fit intrinsecè potens secare, & ideò dicitur hic motus ab artifice motus virtuosus; pariter omnis causa secunda, & in specie, intellectus creatus, non potest esse potens complete videre Deum in suo genere causæ, nisi recepta in se intrinsecè virtute supernaturali, siuè habituali, siuè actuali, qua fit actu potens videre Deum.

Hanc doctrinam negant, & impugnāt Authores contrariæ sententiæ, asserentes ad subordinationem essentialem causæ secundæ, causæ primæ sufficere, causā secundā non posse operari sine concursu simultaneo causæ primæ in effectum, & operationem causę secundę: etenim subordinatio in operando causæ primæ ad causam secundam, non aliud significat, nisi causam secundam non posse operari, nisi cum prima; causam verò primam posse operari sine secunda.

Sed decipiuntur; primò, quia radix prima cur causa secunda non potest operari, nisi simul cum prima causa, est; quia causa secunda cum sit essentialiter secundum mouens, non mouet, aut se mouet si sit vitalis, nisi vt mota à prima causa mouente; at causa se mouens vt mota, est causa se mouens, vt præmota à prima, concursu virtuoso; aliter nisi ponatur hæc prçmotio in causa secunda in operando, causa secunda esset primum operans, & se primò mouens, q nemo senioris mentis dixerit, vt supra ostēdimus, at motus quo causa secunda mota mouet, est motus receptus intrinsecè in ipsa causa secunda; motus enim recipitur in mobili. Secundò, ostenditur idem assumptum, nam primum mouens, non solū se mouet independenter ab alio mouente, sed etiam est prima causa, vt ceterç secundç moueant, vel vt se moueant: si causę secundę sint purè efficientes; vt se moueant si sint causę vitales; sed hęc causalitas virtuosa primi mouentis recipitur in ipsa causa secunda, nam primum mouens mouet secundum ad producendum, non solum suū effectum, sed etiam suam operationem, hoc autem motu virtuoso completur causa secunda in actu primo in suo genere causę.

Dicēt fortè primò Aduersarij contrà hāc doctrinām: ad rationē causę secūdę satis est vt depēdeat à prima causa cōcursu simultaneo, sed concursus simultaneus primę causę, non recipitur in causa secunda illū intrinsecè perficiens, & complens; sed in in effectu concursus primę causę non recipitur intrinsecè in causa secunda illum complens in suo genere ad causandum suum effectum, & suam operationem.

Quod si negatur maior, asserendo, causam secundam dependere etiam à concursu prçuio in se recepto; quia causa secunda, est essentialiter secunda, tum in actu secūdo, tùm in actu primo.

Contra statim arguunt, aliud est causam secūdam requirere in actu primo causam primam in actu primo, & aliud est cōcursum causę primę recipi intrinsecè in causa secunda. Primum est quidem necessarium, non secundùm, & probatur: quia concursur in actu secundo causæ primę, nō recipitur in concursu causæ secundę, quia concursus in actu secundo causę primę, est concursus simultaneus, & hic est simul in concursu causę secundę non receptus in concursu causæ secundę; sed in effectum causę secundę.

Respondeo assignando disparitatem inter concursum simultaneum, & concursum præuium primę causę: etenim concursus simultaneus primæ causæ est, tantummodò ad producendam operationem, & effectum causæ secundæ simul cum ipsa causa secunda: concursus verò præuius, & virtuosus est quo primum mouens mouet secundum mouens, vt moueat, vel vt se moueat ad producendum suum effectum, & suam operationem; nam secundum mouens non mouet, nisi vt motum, à primo, quod quod formaliter idem est, ac dicere, secundum mouens non mouere, nisi vt præmotum; indiget autem omnis secunda causa, vt mota à primo mouēte moueat; quoniam vt diximus; primum mouens, non solū est causa cæterorum mouentium extrà se; sed etiam vt cętera mouentia extrà se moueāt, vel se moueant; hic autem motus directè, & immediatè est ad complendam causam secundam in suo genere causę, complemento virtuoso.

Dicent secundò, causa secunda est completa in suo genero causæ ad causandum, etiam in actu primo sufficienter per hoc, quod Deus est paratus concurrere cum causa secunda, & ità causa secunda est completa in actu primo; ergo non necessariò causa secunda indiget præmoueri à causa prima motu prçuio virtuoso.

Respondeo nego antecedens, primò quia Deus vt paratus concurrere cum causa secunda, non dicit concursum Dei in causam secundam, sed solum dicit concursum Dei ad producendam operationem, & ad producendum effectum causę secundæ, simul cum ipsa causa secunda; sed vt ostendimus, causa secunda, vt se moueat, prærequi-

quiritur motus virtuosus primæ causæ in causam secundam, quo motu, scilicèt causa secunda completur in actu primo in suo genere causæ; præterea Deus vt paratus concurrere, est veluti actus primus concursus simultanei; nos autem hic loquimur de primo mouente causam secundam ad producendam suam operationem, & ad producendum suum effectum; denique virtus in causa debet esse intrinsecè.

Quod si obijcias, ex hoc sequi, quod causa prima prius natura attingeret effectum, quam causa secunda; sed hoc est falsum: nam effectus in priori causatus à causa prima, non est causabilis à causa secunda; cum vt causatus à causa prima effectus non sit in potentia ad esse; producibilitas autem fundatur in potentialitate ad esse; sequela maioris probatur; quia primum mouens, est adequata causa mouens omnes causas secundas ad causandum, secus causa secunda esset primum mouens.

Respondeo distinguo ly (prius natura) potest enim habere duos sensus. Primus sensus est, quod effectus prius aliquo modo habeat esse à causa prima, quam à causa secunda, & hic sensus falsus est; nam tunc causa prima non concurreret cum causa secunda, sed præcurreret. Secundus sensus est, quod causa prima independenter attingit effectum, nimirum per virtutem propriam, quam habet à se; causa verò secunda, attingit per virtutem, seù motum virtuosum, quo mouetur à prima causa, & hic sensus verus est; sed hinc non sequitur, secundam causam causare effectum, iam in priori naturæ causatum à causa prima. Doctrina hæc tota est S. Thomæ *prima secundæ*, vt fusè dicetur suo loco; patitur autem duas difficultates pręcipuas, quibus Aduersarij cōuicti, negant omninò, concursum pręuium virtuosum primę causæ in causam secundam.

Prima est, quia tollitur libertas à voluntate creata; posito enim in voluntate creata hoc concursu præuio virtuoso, voluntas creata nō est productiua, nisi vnius tantum operationis.

Secunda difficultas est, quia Deus cōcurreret suo concursu virtuoso ad entitatem peccati, quod ponit in Deo imperfectionem in causando; etenim entitati peccati annexa est per se malitia moralis; sed istæ difficultates facillimè soluuntur, cum sermo erit de concursu primæ causæ cum causis secundis; nunc obiter.

Respondeo ad primam, distinguendo duplicem pręuiuum concursum primę causæ; alium physicum, & per modum naturę, & alium moralem, siue alium absolutum, & alium cum modo operandi libero; Deus concursu physico pręuio, & virtuoso, mouet causam secundam necessariam; concursu vero morali pręuio, siue concursu præuio modo operandi libero, pręmouet, & complet causam secundam liberam.

Respondeo ad secundam, quamtum nunc satis est; primam causam concurrere, vel præmouere causam secundam ad entitem peccati materialiter, non formaliter, nimirum præmouere causam secundam ad entitatem peccati, quatenus ens formaliter, non autem quatenus tale, ens cui est annexa malitia moralis: vel primam causam concurrere ad entitatem peccati moralis consequenter, non antecedenter, vt suo loco fusè explicabitur; per hoc autem quod Deus cōcurrit ad entitatem peccati moralis, quatenus ens formaliter, nullus defectus refunditur in Deum; qui sine dubiò refunderetur in Deum, si Deus concurreret ad entitatem peccati, quatenus talis entitas, cui est annexa malitia moralis.

Ratio secunda, quæ communiter affertur à Thomistis est; intellectus creatus in patria intrinsecè videt Deum in se; quia intellectus creatus in patria est, qui producit visionem intuitiuam in se, & ratio huius est; quoniam intelligere Deum in se, est quoddam viuere supernaturale; viuere autem in suo genere, est à viuente actu primo; sed implicat intellectum posse videre Deum sine virtute supernaturali, existente in intellectu, vt forma perficiente illum intrinsecè; ergo &c. minor in qua est difficultas probatur; Primò, etenim posse agere ex suo genere, fundatur in actu; vnumquodque autem est actu per formam intrinsecam essendi; Deus autem non potest supplere, aut subire rationem formæ intrinsecę. Secundò, quia vires causam complentes, complent illam in genere causæ formalis per se ordinatæ ad agendum saltem radicaliter; nam sicut agere immanenter, est intrinsecè in viuente, ità posse agere actionem immanentem debet esse intrinsecè existens in agente immanente; esse enim, posse, & operari, sunt essentialiter subordinata, & proportionata; sed intelligere Deum in seipso, est intrinsecè in intellectu vidente Deum; ergo tota vis videndi Deum in se debet esse in intellectu creato vidente Deum.

Respondere possunt primò Aduersarij; virtutem supernaturalem luminis glorię de potentia Dei absoluta, siuè de lege non or-

ordinaria, posse suppleri à Deo parato concurrere loco luminis glorię, quatenus Deus, vt paratus concurrere existit in intellectu intrinsecè, non vt forma informans intellectum videntis Deum, sed vt principium coeffectiuum cum intellectu ad producendam visionem intuitiuam Dei; & ratio huius est; quoniam informare, & perficere intellectum, non est prædicatum formale, & essentiale virtuti supernaturali eleuatiuę, intellectus creati ad videndum Deum, sed prædicatum materiale, & extrinsecum; prędicatū verò formale, & per se luminis gloriæ, siue virtutis supernaturalis eleuantis intellectum creatum ad videndum, est, esse comprincipium effectiuum cum intellectu; hæc autem virtus est formaliter in Deo, vt parato concurrere cum intellectu creato, vel vt causa supernaturali, sicut relatio prędicamentalis, quantum ad purum suum esse, ad reale, est formaliter in Deo; quia hoc prædicatum præscindit ab imperfectione; præscindit enim a substantia, & ab accidente; verum relatio secundùm esse in; implicat esse in Deo formaliter; quia inuoluit essentialiter imperfectionem. Aduersarij explicant hoc, exemplo valdè apto speciei intelligibilis, quæ ex suo formali, & ex suo genere, non est inhærens, vel informans intellectum, sed hoc illi conuenit extrinsecè, & materialiter, quatenus scilicet est in entitate creata; sed eius prædicatum formale, & proprium differentiale est, esse comprincipiū effectiuum cum intellectu. Cum Deus fit sua forma intelligibilis in intellectu creato eleuato lumine gloriæ, supplet Deus rationem comprincipij effectiui in genere obiecti, non autem rationem informatiui, aut inhærentis, eodem modo Verbum Diuinum sua subsistentia in Christo Domino supplet rationem formalem subsistentiæ creatæ naturæ humanæ, secundùm quod est terminus substantialis naturæ substantiæ, non autem secundum quod est modus essendi per se, aut actus vltimus essendi per se; supplet enim Deus formaliter perfectionem non imperfectionem. Pariter dicere possunt Aduersarij, Deum, vt primā causam supernaturalem existere in intellectu videntis Deum supplētem prædicatum per se, & formale luminis gloriæ, non autem prædicatum materiale, & per accidens, quod est informare, vel inhærere; qua posita doctrina dicere possunt, intellectum creatum posse videre Deum in seipso sine virtute supernaturali actiua, sicut dicere possunt intellectum beati videre Deum sine specie intelligibili creata, & naturam humanā in Christo Dño subsistere sine subsistentia personali creata; quoniam supplet Deus formaliter prædicatum formale, & per se luminis gloriæ videntis Deum de lege non ordinaria; ita dicendum de cæteris.

Hęc responsio subtilis quidem est; sed non euacuat vim rationis allatę Thomistarum; & primò disparitas est inter lumen gloriæ, & speciem intelligibilem, & subsistentiam personalem; nam species intelligibilis est ad concursum obiecti, cum sit forma ex parte obiecti; forma autem ex parte obiecti, siuè forma in genere intelligibilis pręscindit ex suo genere ab imperfectione; pariter subsistētia, vt formaliter subsistentia cū sit formaliter terminus substantialis, pscindit ab imperfectione, tū formæ naturāli, tū ab imperfectione actus existēdi per se. Verùm lumen glorię, nimirùm virtus supernaturalis per se requisita ad intelligendum Deum in seipso, est virtus se tenens ex parte potentiæ, quæ est vitalis; & consequenter est per se ordinata ad producendā operationem vitalem in vidente Deum; at omnis forma per se ordinata ad operationē vitæ debet esse forma intrinseca essendi; intelligere enim etiam supernaturale, vt est visio intuitiua Dei, etiam in se, est viuere, siuè est vita in actu secundo, viuere verò, vt docet Arist. *lib. 2. de An. tex. 33. & 34.* est habere naturam, siuè formam secundùm quatuor illos modos secundùm quos Arist. illud ibidem diuidit, scilicèt alimento vti, sentire, moueri secundum locum, & intelligere, quod est ipsum esse in viuentibus, & vt notat S.Tho. *p p. q. 18. art. 3. ad* 1. quędam sunt, quæ habēt naturam solū ad vtēdū alimēto, & ad cōsequētia, quę sunt augumētū, & generatio. Quędam vlterius ad sentiendum, vt contingit in animalibus immobilibus, vt sunt ostrea; quædam verò vlterius ad mouendum se secundum locum, vt sunt animalia perfecta, v.g. volatilia. & huiusmodi; quędam denique vlterius ad intelligendum, sicut homines; at habere naturam cum isto operandi modo importat actum secundum formam. Adhibetur hæc doctrina, non ad demonstrandum, lumen gloriæ esse intrinsecè vitale, sed solum ad ostendēdum lumen gloriæ essentialiter esse ordinatum ad complendam potentiam vitalem ad operandum operationem supernaturalem vitalem viuentis intellectiui; at viuens non operatur, nisi per virtutem, et formam perficientem, & informantem intrinsecè; ergo perficere intellectum per modum formæ est prædicatum essentiale luminis glorię,

riæ; ficut esse terminum substantialem, est prædicatum essentiale, & formale subsistentiæ; hoc autem prædicatum, cum inuoluat intrinsecè imperfectionem, non potest intrinsecè suppleri à Deo. Ex hac doctrina sequitur falsum esse, potentiam intellectiuam creatam beati intuentis Deum, habere in se potentiam completam quoad producendam visionem intuitiuam Dei. Ratio est, quia potentia intellectiua creata respectu visionis intuitiuæ Dei, est causa principalis tantum quantum ad modum operandi vitalem, non autem quantum ad substantiam, siue essentiam congnitionis intuitiuę; nos autem hic inquirimus potentiam intrinsecam productiuā visionis beatæ, quantum ad substantiam, quæ potentia seu virtus debet pręexistere in intellectu creato videntis Deum; nam intellectus creatus est qui videt Deum in se; non potest autem videre, nisi in priori sit intrinsecè potens videre; tùm quia omnis actus secundus supponit in causa actum primum, tùm etiam, quia nulla causa potest agere, nisi præhabeat intrinsecè, & in se efficacitatem agendi proportionatam effectui, saltem proprtione ordinis; & ratio huius à priori est hæc alia; quoniam effectus est participatio suæ causæ; at non potest esse participatio suę causæ effectus, nisi in causa præsupponatur virtus, & efficacia proportionata; hanc autem proportionem intrinsecam, non habet intellectus creatus, nisi sit in sua virtute intrinsecè supernaturalis, quod non potest habere formaliter à causa supernaturali, vt parata concurrere, quia causa supernataralis, vt parata concurrere, nō est virtus intrinseca perficiens, & eleuans formaliter intellectum creatum in sua virtute naturali.

Cum verò dicunt primò Aduersarij, quod prima causa supernaturalis, vt parata concurrere cum intellectu creato ad visionem beatificam, est actus primus proportionans intellectum creatum visioni beatificæ.

Hoc principium falsum est; tùm quia prima causa supernaturalis, vt parata concurrere, non est actus primus potentiæ intellectus creati videntis Deum, quia actus primus debet esse actus, siuè forma informans intellectum creatum; hoc autem contradicit omninò Deo, vt sup. sępè diximus; tùm etiam quia Deus, vt paratus concurrere, est tantum principium operationis causę secundæ; nos autem hic inquirimus actum primum, quo intellectus est intrinsecè potens producere visionem intuitiuam Dei.

Cum secundò dicunt; Dei essentia est sua species intelligibilis in intellectu creato videntis Deum, per hoc præcisè, quod est comprincipium effectiuum cum intellectu ad producendam visionem intuitiuam Dei; sed eadem ratio esse debet de principio concurrente ad supernaturalitatem cognitionis intuitiuæ Dei, quod est lumen gloriæ; ergo, &c.

Respōdeo nego maiorem; Deus enim est sua forma intelligibilis in intellectu creato videntis Deum adęquatè, & quia est in priori naturæ forma intelligibilis intellectus creati videntis Deum, & quia est principium coefficiens cum intellectu visionem intuitiuam Dei ex parte obiecti, non ex parte potentiæ: se habent enim hæc duo in Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis in intellectu creato beati, sicut, animal, & rationale in essentia hominis; animal quidem in essentia hominis, est ratio prior, quam sit rationale, sed inadęquata; rationalitas verò, est ratio posterior, sed ratione priore inadęquata; pariter in virtute supernaturali eleuante, & proportionante intellectum creatum visioni intuitiuę Dei, certū est esse virtutem intrinsecam, confirmantem, & eleuantem intrinsecè intellectum creatum supra suas vires naturales, & esse principium proximum, & formale producendi vitaliter visionem; sed hæc duo sunt ambo prædicata essentialia, vnum veluti genericum, & aliud veluti differentiale, & vtrumque conuenit lumini gloriæ, quatenus est per se ordinatum ad eleuandum, & confortandum intellectum creatum supra suas vires; quandoquidem intellectus creatus, cum sit, qui videt Deum in se, debet esse actu in priori naturæ in genere principij vitalis supernaturalis.

Ad hanc rationem reducitur ratio, qua Palum. *loco sup. cit.* probat implicare contradictionem, intellectum creatum posse videre Deum sine lumine gloriæ, illud intrinsecè eleuante, & confortante, nimirum, quia intellectus creatus secundum suas vires naturales, est impotens ad videndum Deum; sed hęc impotentia, non est supplebilis, nisi per lumen gloriæ receptum in ipso intellectu; ergo ad vidēdum Deum, est simpliciter necessarium lumen gloriæ; minorē probat; nā nomine luminis glorię, non faciendo quæstionem de voce, omnes intelligimus eleuationem realem potentiæ intellectiuæ creatę, per quam potentia impotens ex suis viribus, ex alijs viribus supernaturalibus superadditis. Addo ego, sed hęc

virtus, per quam intellectus creatus redditur intrinsecè potens, non potest esse Deus, vt paratus concurrere, tanquam causa supernaturalis; quia virtus, per quam potentia impotens ex suis viribus, fit potens, debet esse forma intrinseca, per quam intellectus creatus fiat formaliter potentia supernaturalis; implicat autem, Deum esse formam intrinsecam intellectus creati.

Respondent Aduersarij: negando minorem, asserentes, posse intellectum creatum de impotente videre Deum suis solis viribus naturalibus, posse fieri potentem sine vlla receptione intrinseca luminis gloriæ, per solam eleuationem Diuini Imperij, dicunt enim intellectum creatum posse eleuari ad videndum Deum in se, vel per coniunctionem intrinsecam potentię cum lumine gloriæ, vel per solum Diuinum Imperium, cui omnis creatura subiecta est, vt per ipsam faciat Deus, quicquid contradictionem non inuoluit.

Sed hæc responsio supponit doctrinā, quod Diuinum Imperium complet creaturam in eo, quod ipsa ex subiectione ad Deū, habet incompletè; vis enim eleuatiua; sicut, & Imperium, supponit in creatura non implicantiam ad faciēdum quicquid non implicat in se contradictionem; & sic dicunt, quod aqua in baptismo eleuata producit characterem, & realiter gratiam; & intellectus creatus ex Imperio Diuino eleuatus, producit visionem beatam, quam opinionem plures docti Theologi sequuntur; sed ea mihi nunquam placuit.

Primò; nam vires, quibus causa est intrinsecè potens, debent esse intrinsecè in causa; implicat enim dari effectum formalem primarium intrinsecum sine sua causa formali intrinseca; at Imperium Dei, sicut, & Deus, vt paratus concurrere, tanquam causa supernaturalis, non sunt, neque esse possunt forma intrinseca intellectui creato; ergo non possunt dare intellectui creato esse intrinsecè potentem videre Deum in seipso; & hoc præsertim valet in ente naturali respectu effectus formalis supernaturalis; ens enim naturale intrinsecè totum est naturale; at naturale, vt sic intrinsecè, non potest operari effectum supernaturalem, nisi fiat intrinsecè, & in se supernaturale; tùm quia debet esse intrinsecè potens producere effectum supernaturalem, tùm etiam quia vt suprà ostendimus, cum effectus sit formalis participatio suæ causæ, debet prępsupponere formam proportionatam in causa illam intrinsecè perficiētem, eo quod causa non potest causare, & efficere, nisi sit intrinsecè potens: hæc autem intrinseca potentia non potest esse, nisi per virtutem, seù per formam intrinsecam; at intellectus creatus per solum Imperium Dei, non potest esse intrinsecè potens; quandoquidem Imperium, cum sit extrinsecum, non mutat intrinsecè intellectum, illum perficiendo intrinsecè, & præsertim; quia intellectus creatus sine virtute supernaturali intrinseca, est intrinsecè impotens.

Neque valet responsio, dicentium, intellectum creatum seorsum, siuè seiunctum à Deo, vt à causa supernaturali, esse impotentem; iunctum verò cum Deo, vt causa supernaturali, esse potentem, vel vt iunctū cum Imperio Dei; nàm hæc coniunctio, nō ponit in intellectu creato effectum formalem intrinsecum potentis, quia neque Deus, vt causa supernaturalis, neque Imperium Dei, iuxtà hanc opinionem, est forma intrinseca, vel virtus intrinseca perficiens intrinsecè intellectum creatum; at intellectus debet esse intrinsecè potens, non solùm quantum ad vitalitatem, sed etiam quantum ad supernaturalitatem; quia intellectus creatus, vt diximus, cum sit intrinsecè visiuus Dei in se, debet esse causa intrinseca potens producere visionem intuitiuam Dei, quæ est formaliter supernaturalis, & vitalis.

Neque verum est, quod Aliqui dicunt, intellectum creatum compleri in suis viribus per Imperium; etenim intellectus creatus habet vires inchoatas videndi Deum, cum Deus vt intuibilis sit obiectum essentiale intellectus creati.

Non inquam verum est hoc; quia vires inchoatę intellectus creati debent esse completæ intrinsecè; at Imperium Dei, sicut, & Deus paratus concurrere, cum sint virtus extrinseca, non complent intrinsecè.

Præterea, Imperium est de exequutione; principium autem exequendi, necessariò debet præsupponere in priori naturæ causam creatam intrinsecè potentem; sed hæc potentia, non est in intellectu creato in priori naturæ; quia intellectus creatus intrinsecè est ordinis naturalis, & sic est intrinsecè impotens producere visionem supernaturalem.

Neque valet, quod dicunt Aduersarij, in causa secunda ante Imperium, vel antequam Deus sit paratus concurrere simul cum causa secunda, esse potentiam obedientialem: omnis enim creatura essentialiter subiecta est primæ causæ ad faciendum quicquid non implicat con-

contradictionem; nàm vt suo loco fusè probabimus cum S. Thoma, in creatura non adest alia potentia obedientialis, nisi passiua antequam eleuetur à Deo; sed ad producendam visionem intuitiuam Dei prærequiritur virtus actiua supernaturalis intrinseca, sine qua, causa secūda nō est intrinsecè potens, sicut serra semoto concursu virtuoso artificis, est impotens ad secandum.

Ex vtraque ratione ostensiua explicata, plenè, & à radice, soluuntur rationes oppositæ opinionis. Ad principalem enim rationem, quam fusè explicat Fasolus.

Respondeo negando, à Deo, vel vt parato concurrere cum intellectu creato, vt causa supernaturali, vel à Deo, vt imperante visionem intuitiuam creatam Dei, posse suppleri cōcursū per se luminis gloriæ, siuè p modū formæ, siue per modū passionis trāseuntis, & ratio est; quia lumen gloriæ, siue virtus supernaturalis ad vidēdū Deū essentialiter adequatè, nō solum est causa effectiua instrumentalis visionis intuitiuę Dei, sed etiam est virtus intrinsecè perficiens intellectum, & faciens illum de intrinsecè impotente, intrinsecè potentem, sicut vt infrà dicetur; forma intelligibilis essentialiter adequatè, est non solum principium adequatum obiectiuū cognitionis sui obiecti, sed etiam est forma intelligibilis constituens intrinsecè intellectum in genere intelligibilis.

Solet etiam dubitari à Theologis. An lumen gloriæ eleuet intellectum creatum solum quantum ad suas vires naturales; an etiam quantum ad eius substantiam, quæ est ratio intellectiui vt sic; ratio dubitandi est; quia Deus vt intuibilis, non est obiectum essentiale supra obiectum essentiale intellectus creati, sed solum est supra obiectum connaturale; at si lumen glorię esset eleuatiuum intellectus creati quantum ad suam substantiam, Deus esset supra obiectum formale essentiale intellectus creati; sicut sensibile vt sic, est supra visibile, quod est obiectum sensus visus, & intelligibile siue verum, est obiectum essentialiter supra obiectum sensus, tum communis, tum particularis; nam si hoc esset, sine dubio implicaret contradictionem, intellectum creatum posse videre Deum, vt est in se, quod est impossibile, & omninò falsum; & hæc difficultas intelligi potest, non solum de essentia, siuè quidditate intellectus creati, sed etiam de quidditate siuè essentia substantiæ intellectiuæ creatæ: distinguitur enim in intellectu creato, vt suprà adhuc explicauimus, & substantia intellectus, & virtus intelligendi; cum intellectus creatus respectu diuersorum sit causa principalis, & causa instrumentalis; vt causa principalis debet habere virtutem suæ formæ, vt causa verò instrumentalis debet operari virtute causæ principalis, quod facilè intelligitur exemplo caloris ignis, vel caloris naturalis; calor enim ignis, est causa principalis productiua alterius caloris; præscindo nunc an ista virtus sit distincta re, aut ratione à quidditate caloris: est verò productiuus alterius ignis virtute superaddita ignitiua; nō enim calor in quantū calor, est productiuus ignis; nàm sic omnis calor esset ignis productiuus, idem dicendum de calore naturali.

Sunt qui dicunt, lumine gloriæ eleuari non solum intellectum creatum supra suas vires, sed etiam suprà suam substantiam, in qua communicat cum essentia substantię intellectiuę creatę; substantia enim intellectus creati, nō solū est principiū intellectiuū, sed etiā substātia intellectiua, est principiū intellectiuū, cum hac differentia; quia substantia immaterialis, est principium intellectiuum radicale, & remotum, intellectus verò, est principium formale, & proximum; ratio assumpti est; quoniam intellectus creatus, lumine glorię de intrinsecè impotente videre Deum, fit intrinsecè potens; & ob hanc rationem lumen gloriæ habet rationem potentię formaliter supernaturalis, & de ordine inferiori, & naturali eleuans ad ordinem supernaturalem: sed hæc duo, nimirùm, potentia supernaturalis, & ordo supernaturalis, afficiunt intrinsecè, non solum vires naturales, sed etiam substantiam intellectus creati.

Dicendum est tamen ex dictis, intrinsecè eleuari intellectum creatum lumine gloriæ supra suas vires naturales, non suprà suam substantiam; idque probatur.

Quandoquidem eleuatio intellectus suprà suam substantiam, est eleuatio intellectus suprà suum obiectum essentiale, & formale: at implicat intellectum creatum in cognoscendo eleuari suprà suum obiectum essentiale, sicut implicat, sensum in cognoscendo eleuari ad intelligibile, & verum formale in cognoscendo; nàm cognitio cum sit actus viuentis, est intrà substantiam viuentis: ergo eleuatio intellectus creati per lumen gloriæ, non est eleuatio suprà suam substantiam, sed solùm eleuatur suprà suas vires naturales,

quæ sunt infrà, non suprà substantiam intellectus.

Ratio autem in oppositum facilè soluitur; lumen enim gloriæ dicitur potentia simpliciter supernaturalis, secundùm quod potentia supernaturalis nominat virtutem supernaturalem causæ principalis supernaturalis; non autem secundùm quod potentia nominat substantiam intellectus; nàm potentia supernaturalis in hac secunda significatione, est idem formaliter, quod intellectus essentialiter supernaturalis; hic autem intellectus, vt suprà obiter demonstrauimus, est intrinsecè impossibilis, quia supponit substantiam intellectiuam creatam essentialiter supernaturalem, quæ est omninò impossibilis; quoniam hæc substantia est essentialiter intuitiua Dei, vt causa principalis; hoc autem prædicatum est proprium Dei, quod est incommunicabile creaturis.

Cum verò dicitur intellectum creatum, lumine gloriç, de impotente intrinsecè, fieri intrinsecè potentem videre Deum, & eleuari intrinsecè de ordine inferiori, & naturali ad ordinem superiorem, & supernaturalem; &c.

Respondeo primò: distinguo assumptum; intellectus creatus de intrinsecè impotente, fit intrinsecè potens videre Deum lumine gloriæ, tanquam differentia essentialis, sicut est supernaturalis intellectus supernaturalis secundùm substantiam, & nego; sicut differentia extra essentiam, & concedo; argumentum vim habet in primo sensu, & non in secundo.

Respondeo secundò, quod intellectus creatus lumine gloriæ, fit intrinsecè, potens secundùm quod vires naturales, intellectus fiunt supernaturales, & in hoc sensu verum est assumptum; secundùm quod substantia intellectus creati fit substantia, siuè essentia essentialiter supernaturalis; & in hoc sensu falsum est assumptum, & ratio huius est: quia intellectus in cognoscendo Deum in se, solum indiget eleuari suprà suas vires; sed infrà suam substantiam; quia indiget eleuari, tantummodò infra suum obiectum formale, & essentiale. Hinc oritur.

Alia difficultas inter Scholasticos Theologos, an intellectus creatus, vt eleuatus lumine gloriæ, fit immediatè visiuus Dei, an mediatè.

Sotus, & Bannes *loc. sup. cit.* volunt intellectum creatum, vt eleuatum in sua virtute naturali concurrere mediatè ad efficiendam visionem intuitiuam Dei; quia volunt, lumen gloriæ respectu intellectus creati se habere, vt calorem respectu ignis in ordine ad calefaciendum; fundamentum eorum est: quoniam intellectus creatus, nō dicit ordinem immediatum, & formalem ad visionem beatificam; cum hæc sit formaliter supernaturalis; nàm intellectus creatus, vt virtus, siuè potentia naturalis, dicit ordinem immediatum ad intelligibile naturale; medio autem lumine gloriæ ordinatur ad intelligibile supernaturale; quod est Deus, vt intuibilis in se.

Contrarium autem asseritur à S. Thoma *in artic. 5. de lumine gloriç, in corp.* docēs, lumen gloriæ esse augmentum virtutis intellectiuæ, & in responsione ad primum lumen gloriæ comparat cum habitu, quo potentia fit potentior ad operandum, & in responsionem ad secundùm idem lumen appellat perfectionem confortantem intellectum ad videndum Deum in se. S. Thomā sequuntur Ricc. *in 4. dist. 49. ar. 3. quæst. 2.* & Mayr. *de immediato concursu*, & Palum. *loc. sup. cit. dic. 3.* Fundamentum huius assertionis est hoc; quia lumen gloriæ eleuat vires intellectus creati intrà obiectum essentiale, & formale intellectus creati; intellectus enim creatus vt sic habet Deum, vt suum obiectum essentiale, & primum, vt suprà satis ostendimus; sed hoc satis est, vt intellectus creatus, etiam vt eleuatus lumine gloriç concurrat immediatè in visionem intuitiuam Dei in seipso. Minor probatur, nàm ex hoc, quod Deus vt intuibilis in seipso est obiectum essentiale intellectus creati; intellectus creatus, vt eleuatus lumine gloriç est intrà ordinem essentialem intellectus creati ad Deum vt in se; sed ordo essentialis potentiæ ad suum obiectum essentiale satis est, vt intellectus creatus eleuatus lumine gloriæ immediatè concurrat ad visionem intuitiuam Dei, vt est in se; ordo enim essentialis, cùm sit intrà essentiam potentiæ, & obiecti, est primus omnium, & intimus; ob hanc enim rationem omnes Theologi docent immediatiùs effectum creatum dependere à causa prima, quàm à causa secunda, quia dependentia effectus à causa perma est essentialis; depēdentia verò effectus à causa secunda, etiam vt eleuata, ex suo genere, non est essentialis.

Hoc fundamento facilè soluuntur rationes Authorum contrariæ sententię; ad primam enim rationem.

Respondeo: nego, intellectum creatum, vt eleuatum non dicere ordinem immediatum ad Deum, vt est in se, nàm vt di-

Digitized by Google

diximus Deus, vt intuibilis in seipso est intrà obiectum essentiale intellectus creati; ordo autem essentialis cum sit intimus est immediatus;& primus.

Contra hanc responsionem, & doctrinam potest esse argumentum ad hominem: suprà enim nos asseruimus potentiã, qua intellectus creatus simpliciter potest videreDeum in seipso,esse radicalem,& remotã; potentiam verò luminis glorię esse proximã;hoc autem omninò cõtradicit assertioni vltimò positę, scilicèt, quod intellectus creatus, secundum suam vim naturalem, vt eleuatam lumine glorię concurrat immediatè ad producendam visionem intuitiuam Dei.

Respondeo, in duplici sensu potentiã posse esse radicalẽ,& remotam ad eliciendã operationem. Primò,potẽtiã esse remotã,& radicalẽ quãtũ ad substãtiã operationis. Secũdò,esse remotam,& radicalem,quantũ ad ordinem; quia scilicèt potentia est ordinis naturalis; operatio verò est ordinis super. naturalis; nos in supradictis loquuti sumus de potentia radicali, & remota, quantum ad ordinem, non autem quantum ad substantiam, siuè essentiam operationis, quæ est visio intuitiua Dei; hic autem cum dicimus,intellectum creatum,vt eleuatũ,cõcurrere immediatè ad eliciendam visionem intuitiuam Dei, loquimur de immediatione essentiali; non autem de immediatione secundum ordinem; quippè visio intuitiua Dei, est intrà substantiam potentiæ intellectiuæ creatæ in ordine ad Deum intuibilem, qui est obiectum essentiale intellectus creati.

Neque dicas,lumen gloriæ esse supernaturale,quoad substantiam,etiam quia est vis per se ordinata ad intelligendum obiectum essentialiter supernaturale. Nam

Respondeo: negando assumptum, & ratio est manifesta apud subtiles Theologos;quippè lumẽ gloriæ sicut,& quodlibet aliud accidens supernaturale secundùm esse, in, communicat vniuocè cum accidente naturali;etenim esse, in, secundum eandem omninò rationem reperitur formaliter in accidente naturali, & in accidente supernaturali; hæc autem vniuocatio non esset in vtroque accidente, si lumen gloriæ, aut accidens supernaturale quodlibet creatum, esset secundum substantiam supernaturale, solummodò Deo competit esse secundum substantiam ens supernaturale, & secundum ordinem; creaturæ verò, quæ est accidens competit supernaturalitas, tantummodò secundum ordinem. Explicatur doctrina hæc, & simul probatur; nam ens, quod est supernaturale secundum substãtiam, debet esse supernaturale secundum suum genus etiam; quippè genus est prima ratio essendi cæteris gradibus essentialibus, sicut diximus de substantia, secundum quod est primum genus prædicamentale;substantia enim,quę est genus primum prędicamentale, est ens per se,quod est prima radix, vt cæteri gradus essentiales, sint adhuc ens per se;primum enim in vnoquoque genere,est causa cęterorũ in eodẽ genere;at quodlibet accidens supernaturale,non habet genus essentialiter supernaturale; quia vt diximus,quodlibet accidens supernaturale vniuocatur cum accidente naturali in esse, in,sed solum est supernaturale secundum ordinem, qui attenditur secundum differentiam accidentalẽ in creatis; in Deo autem propter infinitatem formalem Diuinæ essentiæ, non solum Dei essentia, siuè substantia est intrinsecè supernaturalis, sed etiam ordo:& hæc est alia ratio ad probandum ens formaliter vt sic, non esse vniuocum Deo, & creaturis; præterea hæc est etiam ratio cur non fit producibilis à Deo substantia creata,quę sit essentialiter supernaturalis, sed solum creabile est accidens supernaturale supernaturalitate accidentali. Alibi explicauimus,quid sit esse in eodem genere, & quid sit esse in eodem ordine, & quid sit esse in ordine superiori, vel in ordine inferiori; genus enim, est genus prædicamentale; conuenientia verò secundum ordinem,est conuenientia secundum differentias primas entis, vt sunt naturale, supernaturale,corporeum,& incorporeum, materiale,& spirituale.

Hanc ipsam veritatem conantur explicare Palum. *loco cit.dic.7.* circa medium Mazziotta *to. 2.in pp.S.Thomæ q.10.à num. 148.* sed post longam considerationem, non video quomodò probent, intellectum creatum, vt eleuatum lumine supernaturali gloriæ, immediatè concurrat ad eliciendam visionem; solùm enim ostendunt prędicti Authores suis discursibus, quod intellectus creatus est qui videt Deum, & ipse in videndo exercet suam vim connaturalem, non præcisè vt talem, sed amplius, vt eleuatam lumine glorię, vel vt loquitur Palumb.intellectus creatus est,qui videt Deũ, & in videndo exercet suam vim connaturalem,vt eleuatum per lumen; idque explicat pluribus exemplis, nimirùm, exemplo phantasmatis,quod existẽs inferius, & materiale attingit productionem speciei intelligibilis, quæ est spiritualis, quatenus illustra-

ſtratus lumine intellectus agentis. Exemplo productionis formæ ſubſtantialis per actionem accidentalem diſpoſitiuam eleuatam concurſu actiuo ſubſtantiæ, & exemplo etiam actiuitatis Sacramentorum ad productionem gratiæ, quatenùs ſcilicèt actio materialis aquæ, vt ſtat ſub vſu actiuo Dei, eleuatur ad producendam gratiam: ſic inquit, viſio ſupernaturalis fit à principio habente totam perfectionem cauſæ, quam requirit, & hæc eſt intellectus, vt eleuatus lumine gloriæ in ſua virtute naturali.

Sed quantum video, totus hic diſcurſus, non probat intentum, niſi reducatur ad fundamentum ſuprà expoſitum, ꝙ lumen gloriæ eleuat vires naturales intellectus creati intrà ſubſtātiā eiuſdē intellectus creati, & intrà obiectū eſſentiale, quo fundamēto augetur in ratione intellectiui, quatenùs eius vires naturales augentur intrà ſubſtātiam intellectus creati, & eius obiectum eſſentiale; nàm intellectus, quatenùs eſt, qui videt, non includit medium, ac proindè intellectus eſt, qui immediatè, etiam vt eleuatus videt Deum; & ideò à S. Thoma, lumen gloriæ appellatur augmentum virtutis intellectiuæ; ſunt, & alia munera luminis gloriæ, quæ poſt articulos de ſpecie intentionali intellectiua Dei explicabuntur.

---

## ARTICVLVS NONVS.

### Vtrum potentia viſiua corporalis, ſaltem de poſſibili abſolutè, & ſimpliciter poſſit cognoſcere Deum, vt eſt in ſeipſo.

ARticulus hic cōtrouerti poteſt, etiā de omni potentia ſenſitiua, & ſecundū aliquos Theologos, duplicem poteſt habere ſenſum. Primus eſt, an ſenſus viſus abſolutè, & ſimpliciter poſſit cognoſcere Deum in ſeipſo cognitione intellectiua. Secundus ſenſus eſt, vtrum ſimpliciter, & abſolutè poſſit cognoſcere Deum cognitione ſenſitiua formaliter; ſed vt video, idem inquiritur in vtroque ſenſu: quandoquidem ſi ſenſus viſus poſſet videre ſimpliciter, & abſolutè intellectione Deum, proùt eſt in ſeipſo; poſſet etiam ſenſatione cognoſcere Deum in ſeipſo, cuius ratio eſt, quia illa ipſa improportio, quę eſt inter potētiam viſiuam, & intellectionem intuitiuam Dei, eſt etiam inter potentiam viſiuam, & Deum, vt intuibilem.

Plures contendunt, potentiam viſiuam corporalem, ſaltem de poſſibili abſolutè, & ſimpliciter poſſe intueri Deum in ſeipſo; huius autem opinionis duo ſunt pręcipua fundamenta.

Primum eſt; ad cognoſcendum Deum, proùt eſt in ſeipſo ſimpliciter, & abſolutè, ſatis eſt proportio potētiæ, & obiecti eſſentialis, ſiuè formalis; ſed hęc reperitur inter viſum corporalem, & Deum, vt intuibilem in ſeipſo; ergo abſolutè, & ſimpliciter poteſt viſus corporalis ſaltem creabilis, quem vocant viſum corporalem de poſſibili, abſolutè, & ſimpliciter videre Deum, proùt eſt in ſeipſo. Minor in qua eſt difficultas probatur; quia viſus corporalis etiam de poſſibili, eſt eſſentialiter intuitiuus; Deus autem vt eſt in ſeipſo, eſt intuibilis; vel & in idem redit, viſus corporalis eſt cognoſcitiuus obiecti in ſeipo; Deus eſt cognoſcibilis, vt eſt in ſeipſo; ſed hęc eſt proportio potentię, & obiecti formalis, ſiuè eſſentialis; ergo inter Deum, & viſum corporalem, eſt proportio, ſiuè analogia obiecti formalis.

Quod ſi reſpondeas: inter viſum corporalem, ſaltem de poſſibili, & Deum, eſſe proportionem, ſiuè analogiā in ratione potentiæ, & obiecti formalis ſecundum genus, non ſecundum ſpeciem potentiæ cognitiuæ, ſiuè viſiuę; vt autem ſenſus corporalis, ſaltem de poſſibili poſſit intueri Deum, vt eſt in ſeipſo requiritur proportio, ſiuè analogia cognitiui, & cognoſcibilis ſecundum ſpeciem, & non ſolum ſecundum genus; in præſenti difficultas non eſt, an ſenſus corporalis ſaltem de poſſibili, ſecundum quod in eo eſt principium cognitiuum vt ſic, poſsit ſimpliciter, & abſolutè intueri Deum, vt eſt in ſeipſo; ſed difficultas eſt, an viſus corporalis, vt eſt principium ſenſitiuum formaliter; ſiuè ſenſus viſiuus, poſsit ſimpliciter, & abſolutè intueri Deum, vt eſt in ſeipſo.

Poſſunt ſtatim Authores opinionis, impugnare hanc reſponſionem dupliciter; primò, ſenſus corporalis, ſicut & intellectus creatus, ſimpliciter, & abſolutè eſt eleuabilis, vt cauſa inſtrumentalis ad videndum; ſed cauſa inſtrumentalis poteſt pertingere ad obiectum formale extra ſuam ſpeciem, ſeù extrà ſuum obiectum proprium, & ſpeciſi-

cificum, causa enim instrumentalis causat non virtute suæ formæ, sed virtute suę causæ principalis; ob hanc rationem, calor est eleuabilis ad producendam substantiam v.g. ignis, vt causa instrumentalis; quia est operatiuus virtute substantiæ ignis producentis; ergo sensus corporalis absolutè, & simpliciter est eleuabilis instrumentaliter extra suum obiectum formale, quod est sēsibile; ergo potest eleuari etiam ad intelligibile, vt causa instrumentalis in cognoscēdo. Secundò tota vis datæ responsionis in eo sita est; quia sensus visus, est ad sensibile determinatum formaliter, quod dicitur visibile; implicat autem potentiam cognoscitiuam in cognoscendo exire suum obiectum formale; Sed hæc ratio, inquiunt, nulla est, & probatur; nam esse sensibile, non aliud importat, nisi esse cognoscibile per sensum, sicut esse visibile, non aliud importat, nisi esse cognoscibile per visum; sed hoc principio dato, nulla implicantia est, vt sensus visus possit cognoscere Deum, vt est in seipso secundum quod est sensus visus, quæ est specifica ratio potentiæ cognitiuæ, nam esse cognoscibile per sensum, non extrahit Deū vt sit intuibilis à sensu corporali.

Secundum fundamentum est, tota ratio, qua S. Thomas probat sensus visus non posse simpliciter, & absolutè intueri Deum, vt est in seipso, est; quia Deus est ens cognoscibile spirituale, seu immateriale; sensus verò visus, est principium cognitiuum materiale materialitate, nimirum, essentiæ; implicat autem obiectum immateriale esse intuibile absolutè, & simpliciter à potentia cognitiua materiali; sed hęc ratio nulla est; & probatur primò ratione; nam non implicat in terminis, ens immateriale fieri terminum potentię materialis; de facto enim anima rationalis est forma immaterialis, & tamen est terminus formalis potentiæ materiæ primæ, quæ est prima radix materialitatis; ergo &c.

Contrariam sententiam docet S. Thomas, *p.p. q.12. art.3.* in corpore, & ferè omnes Theologi, paucis exceptis, inter quos est Valentia *super hunc articulum 3. puncto 8.* quem impugnat Suarez *p.p. tract.1. lib.2. cap.6. num.6.* & Salas *par.2. tract. 2. disp.5. sect.1. num. 4. & 5.* dicens implicare potentias sensitiuas videre Deum, posito quod illæ non habeant pro obiecto, nisi rem corpoream: sed non satis constare, an implicet potentia sensitiua, quæ vel natura sua, vel saltem dono aliquo gratuito superaddito, possit percipere spiritualia; atque adeo Deū ipsum; Recentiores aliqui, vt hoc explicent, dicunt licet sensus, siuè potentia sensitiua, quæ est de facto, non habeat pro obiecto nisi rem corpoream, tamen non implicat esse creabilem aliquam potētiam sensitiuam, quam vocant potentiam sensitiuam de possibili, quę habeat pro obiecto ens spirituale, & consequenter Deum ipsum, vt est in se; fundamenta pręcipua huius opinionis sunt supra explicata. Veritas huius articuli sequentibus conclusionibus explicabitur.

Prima conclusio; impossibile simpliciter est, sensum visus corporalis, sicut, & quēquumque alium sensum corporalem, qui est de facto, posse eleuari virtute supernaturali ad cognoscendum Deum in seipso. Solet explicari hæc conclusio alijs verbis, nimirum, impossibile esse simpliciter, & absolutè, potentiam sensitiuam, quæ est de facto, siuè illa sit oculus corporeus, siuè quiuis alius sensus, posse vt causam instrumentalem primæ causæ supernaturalis videre Deum in seipso; & conclusio intelligitur tam de cognitione sensitiua, quam de cognitione intellectiua, modo, quo supra declarauimus. Dicitur primò in conclusione, sensus, qui est de facto; quandoquidem plures Recensiores Scolastici cōcedunt, quemlibet sensum corporalem, qui est de facto, non posse eleuari ad videndum Deum in seipso quoquumque modo, tam scilicet cognitione sensitiua, quam intellectiua, sed negant implicare contradictionem, creabilem esse sensum, qui possit eleuari ad videndum Deum in seipso; nos autem ponimus hanc primam conclusionem de sensu, qui est de facto ad aperiendam viam ad probandū, neque esse creabilem sensum tantæ perfectionis, & emersionis à materia, vt absolutè sit eleuabilis virtute supernaturali ad vidēdum Deum in seipso, quoquumque modo. Dicitur secundò in conclusione, non posse vllum sensum corporalem, tam internum, quam externum videre Deum, tamquam causā instrumentalem Dei, vt causæ primæ supernaturalis; quoniam dupliciter potentia cognitiua, quequumque illa sit, siue intellectiua, siue sensitiua, potest esse visiua sui obiecti essentialis; vno modo, vt causa principalis; quo pacto sensus v. g. intuetur accidens sensibile; & alio modo, vt causa instrumentalis, quo pacto v.g. sensus visus corporalis intueri potest substātiam materialem, sicut calor ignis, quatenus est causa instrumentalis substantiæ ignis producit substantiam alterius ignis; pariter intellectus creatus virtute suę formæ est causa principalis videns aliud accidens spirituale; vt causa vero instrumentalis naturalis est visiuus

sub.

ſubſtantiæ etiam ſpiritualis, ſaltem abſtractiuè; quatenus vero inſtrumentum prædictæ cauſæ ſupernaturalis intellectiuæ poteſt pertingere ad videndum Deum in ſeipſo.

Ratio fundamentalis concluſionis in principijs S. Thomæ hæc eſt: implicat abſolutè, & ſimpliciter potentiã cognitiuã, ſiuè vt cauſam principalem, ſiuè vt cauſam inſtrumentalem cognoſcere ens, in quo non eſt formaliter ſuũ obiectũ formale eſsẽtiale; ſed implicat in Deo, vt in ſe eſt, eſſe obiectũ formale eſſentiale potentiæ ſenſitiuæ, ſiuè quatenus eſt cauſa principalis viſiua, ſiuè quatenus eſt cauſa inſtrumẽtalis viſiua; ergo implicat ſimpliciter, & abſolutè, potẽtiã ſẽſitiuã eleuari virtute ſupernaturali ad vidẽdum Deum in ſe; maior probatur; quia potentia omnis cognitiua, non eſt eleuabilis in cognoſcendo, niſi intra ſuam ſubſtãtiam, ſiuè eſſentiam, quia eleuatio potentiæ cognoſcitiuæ in cognoſcendo, eſt ſolum ſupra ſuas vires naturales; nam ſi eſſet eleuatio ſupra eſſentiam, ſeu ſubſtantiam, non eſſet eleuatio potentiæ ſenſitiuæ in ſpecie, ſed eſſet eleuatio diſtrahens potentiam cognoſcitiuam à ſua ſpecie; quippè ſpecies potentiæ ſumitur per ordinem eſſentialem ad ſuum obiectum formale eſſentiale: eleuatio autem ſupra ſubſtantiam potentiæ cognoſcitiuæ, eſt ad obiectum formale eſſentialiter ſuperius, & diuerſum; ſed hæc eleuatio extrahit potentiam à ſua eſſentia; quia extrahit potentiam cognoſcitiuam ab ordine eſſentiali ad ſuum obiectum formale.

Minor principalis argumenti, in qua eſſe poteſt difficultas probatur. Obiectum formale eſſentiale potentiæ ſenſitiuæ in cognoſcendo ſecundum ſuam ſubſtantiam, eſt ſenſibile formaliter; quia potentia ſenſitiua eſſentialiter, vt ſenſitiua, non eſt, niſi ad ſenſibile; dicit enim ordinem eſſentialem ad ſenſibile, ſed ſenſibile formaliter non poteſt eſſe in Deo, dico formaliter; quia eminenter reperitur in Deo, ſcilicet, tamquam in prima cauſa. Minor probatur, primò; nam ſenſibile formaliter, eſt eſſentialiter gradus entis materialis; eſt enim gradus cognoſcibilis eſſentialiter inferior gradu entis intelligibilis; etenim intelligibile, cum ſit obiectum formale, & eſſentiale intellectus, debet præſcindere formaliter à materia, cuius ratio eſt; quia obiectum formale, & eſſentiale commenſuratur ſuæ potentiæ cognitiuæ in cognoſcendo; vnde cum potentia intellectiua ſit potẽtia cognitiua vniuerſaliſſima, & ſuprema, debet habere obiectum formale, & vniuerſaliſſimum ſupremũ omnium; hoc autem non poteſt eſſe, niſi ens formaliter, ſiuè intelligibile, vt ſic; non quidem, quod eſt diuiſibile in Deum, & in creaturas, ſed prout dicit proportionem eſſentialem obiectiuam cum potentia intellectiua, vt ſupra latè oſtendimus.; at gradus ſenſibilis, neceſſariò eſt inferior gradu intelligibili formaliter; quia eſt gradus determinatus cognoſcibilis; hic autem neceſſariò debet eſſe materialis, quia potentia cognitiua eſt eſſentialiter ſuperior, vel inferior alia, ex eo, quia eius obiectum formale, & eſſentiale, eſt ſuperius, vel inferius obiecto formali, & eſſentiali alterius potentiæ; hac ratione ſenſus communis, eſt ſuperior ſenſu viſus, intellectus verò eſt eſſentialiter ſuperior quolibet ſenſu, etiam communi; potentia autem cognitiua inferior potentia intellectiua, neceſſariò debet eſſe materialis; quia intellectiua eſt eſſentialiter ſpiritualis, gradus autem entis inferior gradu entis ſpiritualis, non eſt, niſi materialis: ergo ſenſibile, quod eſt obiectũ formale ſenſus, neceſſariò debet eſſe materiale: verùm ſi ponatur ſenſus viſiuus Dei in ſe per eleuationem ſupra ſuum obiectum formale, & eſſentiale, eſt diſtrahitur ſenſus à ſua eſſentia, quia diſtrahitur à ſuo obiecto formali, & eſſentiali; eſſentiæ enim rerum ſunt veluti numeri teſt. Ariſt. 8. *met.* quia remoto ab eſſentia rerum, vnum prædicatorum eſſentialium, ſtatim deſtruitur eſſentia, ſiuè ſpecies, ſicut ſi remoueatur à binario vna vnitas, ſtatim deſtruitur eſſentia binarij: ſed obiectum formale, & eſſentiale potentiæ cognitiuę in cognoſcendo eſt prędicatum eſſentiale terminatiuum potentię cognitiuę: ergo ſi remoueatur ſenſibile formale, quod eſt obiectum eſſentiale ſenſus, implicat remanere potentiam ſenſitiuam in cognoſcẽdo. Notanter dico in cognoſcendo: quoniam non implicat potentiam cognitiuam in genere cauſæ purè efficientis eleuari ad obiectum formale diuerſum formaliter ab intelligibili, ſicut corpora miraculosè eleuari poſſunt ad producendos effectus ſpirituales v.g. aqua in baptiſmo ad cauſandam gratiam, ignis inferni, & purgatorij ad efficiendum dolorem ſpiritualem: eodem modo etiam poterit oculus corporalis eleuari ad aliquod obiectum ſpirituale. An autem poſſit eleuari ad producendam viſionem, ſiue cognitionem in genere cauſæ purè efficientis; controuerſum eſt apud Scholaſticos, de quo ſuo loco diſputabitur, hic ſolum aſſignanda eſt.

Diſparitas, cur ſenſus v. g. poteſt eleuari ad producendum effectum ſpiritualem in

in genere causæ purè efficientis; ad cognoscendum autem obiectum spirituale formaliter, vel ad obiectum abstrahens à spirituali, & materiali.

Ex dictis, hæc disparitas est assignabilis huius diuersitatis; quia potentia cognitiua in cognoscendo, non est eleuabilis, nisi suprà suas vires naturales, quę est intrà substantiam potentiæ cognitiuæ; eleuatio autem suprà vires tantum naturales, non potest exire extrà obiectum formale, & essentiale potentiæ cognitiuæ, vt suprà ostendimus. Verùm eleuatio potentiæ in genere causæ purè efficientis, est eleuatio, non solùm suprà suas vires naturales, sed etiam suprà suam substantiam; quoniam hæc eleuatio si daretur, (cum nō implicet contradictionem (competeret potentiæ sensitiuę, inquantùm est potentia sensitiua formaliter, cui per se competit sentire, siuè cognoscere tantum sensibile.

Explicatur hoc, exemplo valdè apto; substantia creata inquantùm est substantia formaliter, non potest eleuari vt sit causa instrumentalis; quia substantia creata, inquantum substantia formaliter, cum sit ratio prima in genere entis, implicat vt sit causa instrumentalis, quæ essentialiter est ratio secunda entis, & posterior; verùm eleuabilis est, vt fit instrumentum, quatenùs est ens reale, quia secundùm hanc rationem præscindit à ratione prima, & à ratione secunda in essendo. Pariter potentia sensitiua, vt sensitiua formaliter in cognoscendo, non est eleuabilis ad obiectum formale essentialiter superius suo obiecto formali essentiali, quod est sensibile; quia eleuatio potentiæ cognitiuæ in cognoscendo, est tantum suprà suas vires, non autem suprà suam substantiam: pura autem efficientia, siuè pura virtus effectiua competere potest potentiæ sensitiuæ inquantùm est ens reale.

Suprà diximus, non posse potentiam cognitiuam in cognoscendo eleuari extra suum obiectum essentiale, quia potentia cognitiua, est causa principalis cognitiua; saltem quoad vitalitatem; causæ autem principali, vt sic, contradicit, vt sit causa instrumentalis; hæc autem contradictio nō sequitur, si ponatur potentia cognitiua eleuari ad terminum essentialem superiorem in genere causæ purè efficientis, Hierony. Fasol. *to.1.sup.q.12. de Vis.Beat.art.3.* multa colligit ad assignandam hanc disparitatem; sed non attingunt rationem à priori, & metaphysicam.

Addit etiam eodem loco *num.2.* quod ratio assignata, cur implicet potentiam sensitiuam eleuari ad videndum Deum in se, supponit duo principia. Primum est, obiectum adæquatum potentiæ sensitiuæ, non esse, nisi ens aliquod materiale; secundum est, implicare potentiam cognitiuam cognoscere, quod non continetur intrà latitudinem sui obiecti essentialis, sed vt video; hæc ratio non supponit, sed demonstrat illa duo principia; nàm demonstrat cur obiectum essentiale sensus sit materiale, non autem supponit, quod si in ratione dicitur sensibile esse materiale; huius assignatur ratio à priori vt suprà.

Respondere possunt Aduersarij primò; duplex esse obiectum formale potentiæ sensitiuæ, aliud quod est obiectum potentię sensitiuæ, quatenùs est causa instrumentalis substantiæ creatæ, secundùm quod est sensitiua; & aliud, quod est obiectum potētiæ sensitiuæ, quatenùs est instrumentum obedientiale primæ causæ supernaturalis.

Ex his possunt dicere Aduersarij, primū esse necessariò obiectum materiale. Secundum verò, posse esse, tum spirituale, tum abstrahens à materiali, & à spirituali, & huiusmodi est intelligibile, vt sic, modo explicato.

Hæc responsio, non nego, acuta quidē est; sed distinctione suprà explicata duplicis eleuationis, siuè causæ instrumentalis causæ primæ supernaturalis, facilè soluitur; potentia enim cognitiua dupliciter potest esse causa instrumentalis causæ primæ supernaturalis; vno modo, quatenùs causa prima supernaturalis, eleuat sua virtute, siuè suo influxu, potentiam cognitiuam suprà suas vires naturales tantùm; aliò modo, quatenùs potest eleuare potentiam cognitiuam suprà suam substantiam. Causa instrumentalis primæ causæ supernaturalis, quatenùs eleuat potentiam cognitiuam suprà suas vires naturales tantum, non eleuat potentiam, nisi intrà obiectum formale, & essentiale potentiæ cognitiuæ; quatenus verò causa prima supernaturalis eleuat suprà substantiam potentiæ cognitiuæ, non eleuat potentiam cognitiuam in cognoscendo vitaliter; sed solùm eleuat potentiam cognitiuam in genere puræ causæ efficientis; nos autem hic loquimur de potentia sensitiua, an sit eleuabilis suprà suas vires; sed intrà suam substantiam ad cognoscendum Deum in se; & hoc negatur, quia implicat in terminis, vt surpà ostendimus; nec negamus potentiam sensitiuam posse eleuari in genere causæ purè efficientis ad terminum spiritualem, vel ad terminum abstrahētem

à ſpirituali, & materiali; vndè cum dicitur, quod cauſa inſtrumentalis virtute ſuæ cauſæ principalis, poteſt eleuari extra ſuum obiectum eſſentiale,&c. hæc propoſitio vera eſt de cauſa inſtrumentali in genere cauſæ purè efficientis,& de cauſa inſtrumentali, quę eſt eleuabilis in agendo ſupra ſuam ſubſtantiam;non autem de cauſa inſtrumẽtali, quæ eſt eleuabilis tantum ſuprà ſuas vires, ſed intrà ſubſtantiam. v.g. calor ignis eſt eleuabilis à ſubſtantia ignis ad producẽdã ſubſtãtiam alterius ignis: quia calor eleuatur ſuprà ſuam ſubſtãtiam; idem dicendũ de aqua, quæ in baptiſmo eleuatur ad producẽdã gratiã, & ignis Inferni,& Purgatorij eleuatur ad pertingendã ſubſtantiã ſpiritualem; quando verò eleuatio eſt ſupra vires naturales, ſed intrà ſubſtãtiam inſtrumenti, tunc implicat in terminis, inſtrumẽtum eleuari extrà ſuum obiectum eſſentiale, & huiuſmodi eſt eleuatio potentię cognitiuæ in cognoſcendo ; quia eſt intrà rationem formalem, vel intellectiui, vel ſenſitiui, quod ſi poſſet exire extrà ſuum obiectum formale eſſentiale, non eſſet eleuatio in cognoſcendo; quia non eſſet eleuatio intrà ſubſtantiam potentiæ cognitiuæ, quæ eleuatio eſt intrà obiectum formale, & eſſentiale potentiæ; ſed eſſet eleuatio ſuprà ſubſtantiam, quæ eſt eleuatio potentiæ in genere cauſæ purè efficientis, quę competit potentię ſenſitiuę, non quatenùs potentia ſenſitiua eſt, ſed quatenùs ens eſt; ac proindè hęc eleuatio poteſt competere omni enti in ſpecie, ſicut veritas tranſcendentalis, quia eſt proprietas entis, inquantùm ens competit omni enti.

Inſtabis. Tota vis reſponſionis fundatur in hoc, quia obiectum formale, & eſſentiale potentię ſenſitiuę ſecundùm ſubſtantiã, eſt ſenſibile formaliter, quod eſt cognoſcibile materiale; ac proindè non potens competere Deo formaliter, qui eſt actus purus.

Sed hęc ratio, poteſt dicere Aduerſarius, non eſt demonſtratiua; nàm in præſenti materia, non eſt difficultas, an potentia ſenſitiua, vt cauſa principalis, poſſit cognoſcere Deum vt in ſe eſt; ſed an poſſit, vt cauſa inſtrumentalis ſubſtantię creatæ ſenſitiuæ. Certum enim eſt, potentiam ſenſitiuam, vt cauſam principalem in cognoſcendo, non habere pro ſuo obiecto formali, & eſſentiali, niſi accidens ſenſibile; ſed hoc nõ tollit, quin potentia ſenſitiua poſſit, virtute ſubſtantię ſenſitiuæ creatę, pertingere ad obiectum ſpirituale in ſe; Probatur hoc: nã gradus ſubſtantialis ſenſitiuus, vt oſtendimus præcedentibus quæſtionibus, cum reperiatur formaliter, tam in anima materiali, quam in anima ſpirituali, ſcilicet, in anima bruti, & in anima hominis, poteſt eſſe, tam ſpiritualis, quàm materialis, quia præſcindit à forma ſpirituali, & à forma materiali; hoc autem poſito, nulla implicãtia eſt, vt potentia ſenſitiua, non virtute propria, ſed virtute gradus ſubſtantialis ſenſitiui, attingat obiectum ſpirituale formaliter, vel ſaltem abſtrahens formaliter à ſpirituali, & materiali; ſicut nulla eſt implicantia, quod calor, qui vt cauſa principalis, ideſt virtute ſuæ formæ, attingit ſolum alium calorem, poſſit attingere virtute ſubſtantię ignis, ſubſtantiam alterius ignis; at hoc ſufficiens eſt, vt potentia ſenſitiua in cognoſcendo, tanquam inſtrumentum ſubſtantiæ ſenſitiuæ creatæ, poſſit attingere auxilio ſupernaturali, Deum in ſe. Probatur hoc; quia hac ſola ratione, intellectus creatus poteſt auxilio ſupernaturali eleuari ad cognoſcendum Deum in ſe, nimirùm, quia intellectus creatus habet pro obiecto formali, intelligibile vt ſic, modo explicato, quod formaliter reperitur in Deo.

Quod ſi reſpondeas, obiectum eſſentiale potentiæ ſenſitiuæ, vt eſt inſtrumentũ ſubſtantiæ ſenſitiuæ creatæ, eſſe ſenſibile ſubſtantiale; hoc autem eſt materiale; quia eſt ſubſtantia materialis, quatenus capax eſt quantitatis dimenſiuæ, & accidentium materialium, quod non obſtat doctrinæ communi aſſerenti, obiectum formale potẽtiæ ſenſitiuæ, eſſe accidens ſenſibile; ſiuè obiectum ſit proprium, ſiuè commune; nam hoc intelligitur de obiecto potentiæ ſenſitiuæ, quatenus eſt cauſa principalis; at difficultas eſt de potentia ſenſitiua, vt cauſa inſtrumentali.

Statim poſſunt arguere contra, & dicere, ſubſtantiam materialem, quatenùs capax eſt quantitatis dimenſiuæ, & accidentium ſenſibilium, eſſe obiectum connaturale potentiæ ſenſitiuæ, quatenùs eſt inſtrumentum ſubſtantiæ ſenſitiuæ materialis in brutis, ſiuè in anima materiali, non autem quatenùs eſt inſtrumentum ſubſtantiæ ſenſitiuæ formaliter, vel quatenùs eſt inſtrumentum ſubſtantiæ ſenſitiuæ formaliter eleuatæ à Deo in ſuo poſſe, virtute, & auxilio ſupernaturali; ad concludendum autem, potentiam ſenſitiuam in cognoſcẽdo, poſſe eleuari ad Deum, vt in ſe eſt, ſatis eſt vt potentia ſenſitiua ſumatur, vt cauſa inſtrumẽtalis ſubſtantiæ ſenſitiuæ formaliter, quæ in homine eſt ſpiritualis; præciſiuè verò abſtrahit à ſpirituali, & à materiali.

In-

Instantia proculdubio acuta est, & scripta non reperitur, sed distinctione non difficilè soluitur.

Respondeo enim, quod potentia sensitiua, essentialiter est instrumentum substantiæ sensitiuæ, vel quatenùs dependet à materia informatiuè, & substentatiuè. Primo modo dependet à materia gradus sensitiuus in anima rationali. Secundo modo dependet à materia gradus substantialis sensitiuus animæ bruti, non autem est instrumentum substantię sensitiuę, vt formaliter substantia sensitiua; qua ratione pręscindit à materiali, & à spirituali; & ratio huius doctrinę est; quia potentia sensitiua cum sit potentia materialis essentialiter (est enim accidens dependens substentatiuè ab organo corporeo) est potentia totius coniuncti ex materia, & forma; est enim potentia sensitiua, potentia organica, quę dependet ab organo corporali, non modò informatiuè; sed etiam substentatiuè; quam ob causam, potentia sensitiua ex suis essentialibus, non est instrumentum, nisi principij materialis; quia licet anima rationalis sit in se forma rationalis; attamen non vtitur ea potentia sensitiua ad cognoscendum, nisi quatenùs actu illa informat materiam informatione dependente à materia subiectiuè, & substentatiuè; vnio enim materię cū forma spirituali, materialis est: non enim potest esse, nisi dependenter à materia, vt actu informata à forma spirituali; potentia autem vt materialis in cognoscendo nullo pacto potest, etiam auxilio supernaturali, eleuari ad cognoscendum obiectum extrà, & suprà suum obiectum essentiale, & formale; quia eleuatio potentię materialis ad cognoscendum, est eleuatio solùm supra vires potentiæ cognitiuę; hęc autem eleuatio, non potest esse extrà, vel suprà obiectum essentiale potentię; vires enim naturales, quę eleuantur sunt intrà, non supra substantiam potentię cognitiuę, & consequenter sunt etiam intra obiectum essentiale, & formale eiusdem potentię; at hęc eleuatio, non est, nisi ad cognoscendum ens, in quo saluatur formaliter obiectum formale, & essentiale potentię cognitiuę; vel dicendum est, quod coniunctum ex materia, & forma rationali, materiale est.

Obijcies primò, non implicat ens spirituale esse obiectum essentiale potentię materialis, vt causæ principalis; sed hoc satis est, vt potentia sensitiua habeat intrà latitudinem sui obiecti formalis, & essentialis Deum, vt in se est; ergo Deus, vt in se est, est intrà obiectum essentiale potentiæ sensitiuæ; ergo est cognoscibilis, vt in se est, à potentia sensitiua. Maior probatur: nam de facto anima rationalis, quæ est forma spiritualis, est obiectum formale materię primæ, quę est essentialiter prima potentia passiua in genere entis: prima verò potentia, est causa principalis, quia in causando non subordinatur alteri priori causę. Minor in qua est difficultas probatur: nàm ratio cur potentia sensitiua non possit eleuari ad Deum, vt in se est in cognoscendo, est: quia obiectum essentiale potentię sensitiuæ, non reperitur in Deo formaliter; ratio verò cur non reperiatur est; quia obiectum essentiale potentię sensitiuę est materiale formaliter; at implicat in Deo formaliter esse ens materiale; quia ens materiale est essentialiter potentiale; Deus verò in se formaliter, est actus purus, qui excludit à se omnem passiuam potentialitatem: sed hæc ratio assumit falsum; quippè obiectum essentiale potentiæ sensitiuæ potest esse adhuc spirituale, saltem non repugnanter, & probatur: nàm si aliqua esset ratio, cur implicaret, ens spirituale esse obiectum potentiæ sensitiuæ, ea esset, quia implicat ens spirituale esse obiectum potentiæ materialis: sed hoc non implicat: nàm de facto forma spiritualis est obiectum potentiæ essentialis materiæ.

Quod si dicas, non posse eleuari extrà suum obiectum essentiale, esse proprium potentiæ cognitiuæ in cognoscendo, proùt distinguitur à potentia non cognitiua: non autem hoc conuenire potentię vt sic, idque ob eam rationem: quia potentia cognitiua in cognoscendo, non est eleuabilis suprà suam substantiam, sed solùm suprà suas vires naturales, intrà suam substantiam: argumentum autem vim haberet, si hoc conueniret omni potentię, tàm actiuę, quàm passiuę, quod est falsum: quia eleuabilitas conueniens omni potentię, est eleuatio intrà rationem entis realis, quod est obiectum materiale omnipotentię Dei, à quo non specificatur.

Contra est, nàm obiectum formale sensus non est materiale ens; sed est ens abstrahens à materiali, & à spirituali, sicut obiectum formale materiæ primæ, non est forma spiritualis, sed forma substantialis vt sic, quæ tam est in forma spirituali, quam in forma materiali; hoc autem pariter dicendum est de obiecto formali potentiæ sensitiuæ; & probatur; quia ratio cur obiectum formale, & essentiale materiæ primæ, est forma substantialis, vt sic, est; quia mate-

ria prima est ad formam, vt dantem speciem essentialem; sed etiam potentia sensitiua est ad obiectum essentiale, à quo sumitur species, quæ reperitur tàm in forma materiali, quàm in forma immateriali; ab omni enim forma essentiali, est species essentialis: ergo, &c.

Respondeo ad principale: concedo maiorem, & nego minorem, & assigno disparitatem; quippè obiectum essentiale, & formale potentiæ sensitiuę in cognoscendo, est sensibile formale; quia potentia sensitiua in cognoscendo includit essentialem ordinem ad sensibile; vnde in sua definitione essentiali includit sensibile intrinsecum, scilicet, vt dicit vim terminandi, vel mouendi sensum, vt differentiam essentialem terminatiuam: hoc autem obiectum formale, nullo pacto potest reperiri formaliter in Deo, vt in se est; forma verò spiritualis, est obiectum materiale potentiæ essentialis materiæ primæ, non formale; & ratio est; quia, vt supra ostendimus, materia prima, est per se primò in potentia ad actum formalem substantialem in communi; hic autem actus reperitur, tàm in forma materiali, quàm in forma spirituali; ac proindè materia prima potest pertingere, & recipere in se omnem formam, tam materialem, quam spiritualem; quod non est dicendum de potentia sensitiua, quia hæc essentialiter est ad sensibile; sensibile autem, non reperitur nisi tantum in ente materiali: ad instantiam autem in contrarium.

Respondeo assignando disparitatem, inter potentiam essentialem materiæ primæ, & inter potentiam sensitiuam essentialiter; idest, quantum ad suam essentiam; nam materia prima est essentialiter in potentia ad actum formalem in communi, vt dantem speciem, vt sic, quæ species potest esse, tam in forma materiali, quam in forma immateriali; at potentia sensitiua secundũ suam substantiam, est in potentia tantummodò ad sensibile, quatenus dat speciem in genere sensibilis præcisè; species autem sensibilis est tantum in ente materiali.

Neque obstat primò si dicas, quod potentia sensitiua est pura potentia in genere cognoscibilis; sed hoc satis est, vt possit eleuari à Deo ad obiectum spirituale; hac enim ratione, intellectus creatus, quia est pura potẽtia in genere cognoscibilis, est eleuabilis ad cognoscendum Deum in seipso.

Quandoquidem disparitas est manifesta; intellectus creatus est eleuabilis ad cognoscendum Deum in se; quia est pura potentia in genere intelligibilis, vt sic, aliorũ à se; Deus verò, vt in se non extrahitur a ratione intelligibilis formaliter, quod est obiectum essentiale intellectus creati modo supra sæpiùs explicato, & hæc pura potentialitas satis est, vt intellectus creatus possit eleuari supra suas vires ad cognoscendum Deum in se; potentia enim cognitiua in generali potest absolutè, & simpliciter eleuari ad cognoscendum quodlibet ens, in quo saluatur formaliter eius obiectum essentiale; at potentia sensitiua est pura potentia ad determinatum genus cognoscibilis, nimirum in genere obiecti sensibilis, quod implicat reperiri formaliter in Deo; ac proindè non potest potentia sensitiua eleuari ad cognoscendum Deum in se.

Neque secundò obstat si dicas, hoc verum esse de obiecto essentiali potentiæ sensitiuæ, vel quatenus est causa principalis, vel quatenus est causa instrumentalis substantiæ creatæ sensitiuæ; falsum verò de obiecto essentiali potentiæ sensitiuæ, quatenus est instrumentum primæ causæ; nam virtute causæ primæ, non implicat, vt potentia sensitiua possit eleuari ad cognoscendum Deum in se; quia causa prima potest quicquid non repugnat rationi entis; sed sensum cognoscere Deũ, vt in se, non repugnat rationi entis.

Respondeo enim negando assumptũ, & ratio est manifesta; quia virtute primæ causæ potest fieri quicquid in se non implicat contradictionem absolutè, & simpliciter; at implicat potentiam sensitiuam in cognoscendo esse instrumentum causæ primæ supernaturalis; quoniam potentia cognitiua in cognoscendo, non est eleuabilis, nisi supra suas vires, & nullo modo supra suam substantiam; sed si esset eleuabilis ad cognoscendum Deum in se, non eleuaretur supra suas vires naturales tantum, sed supra substantiam; & sic distraheretur à ratione potentiæ cognitiuæ in cognoscendo; nam cõfunderetur potentia sensitiua cũ potentia intellectiua, quod si ponatur potentia sensitiua eleuari ad producendum in genere causæ purè efficientis, hæc eleuatio non contradicit potentiæ sensitiuæ; quia in genere puræ causæ efficientis eleuatur potentia sensitiua in quantum ens reale formaliter, in qua eleuabilitate conuenit cum quoquumque ente creato in quantum ens est.

Neque tertiò obstat si dicas, ad cognoscendum Deum in se ipso simpliciter, & absolutè, satis est proportio in ratione obiecti, & potentiæ, quæ est proportio essentialis obiectiua; sed hæc proportio reperitur inter potentiam sensitiuam, & Deum, vt

vt in se est; etenim potentia sensitiua, est cognitiua formaliter, & Deus in se, est formaliter cognoscibilis: sed hæc est proportio obiectiua essentialis,ergo,&c.

Respondeo enim distinguo maiorem; duplex enim est proportio obiectiua, alia generica,& alia specifica v. g. proportio in ratione cognitiui, & cognoscibilis in generali,est proportio obiectiua generica; proportio vero in ratione intellectiui, & intelligibilis, vel sensitiui, & sensibilis,&c. sunt proportiones obiectiuæ specificæ. Ad cognoscendum requiritur proportio obiectiua specifica;primò; quia requiritur proportio cum suo obiecto a quo specificatur; specificatio autem est à cognoscibili in aliqua specie cognoscibilis, scilicet ad intelligendum requiritur cognoscibile intelligibile: ad sentiendū autē requiritur obiectū cognoscibile sẽsibile, &c.; secundò quia potentia cognitiua in cognoscendo eleuabilis est, tantum supra suas vires naturales; vires autem naturales supponunt substantiam specificam essentiæ.

Obijcies secundò; esse potentiale in intellectu creato,non est causa,vt obiectum essentiale illius sit ens potentiale;sed hoc satis est,vt potentia sensitiua non necessariò, & essentialiter habeat obiectum materiale; minor probatur; etenim potentia sensitiua adhuc est essentialiter potentialis; sed esse potentiale non facit, vt obiectum essentiale sit ens potentiale; ergo neque esse potentiale in potentia sensitiua potest esse causa, vt eius obiectum essentiale sit ens materiale; itaut implicet,potentiam sensitiuam eleuari ad videndum Deum in se, qui est obiectum spirituale. Proponi solet hoc argumentum sub alia forma: non minus essentiale est intellectui creato esse potentiale, quam potētiæ sensitiuæ esse ens materiale; sed esse potentiale in intellectu creato,non facit,vt essentiale illius obiectum, sit ens potentiale; itaut non possit creatus intellectus eleuari ad videndum Deum in se obiectum spirituale;ergò neque esse corporeum, & materiale in potentia sensitiua esse debet in causa, vt obiectum illius non sit,nisi sensibile, quod est materiale, itaut implicet potentiā sensitiuam eleuari ad videndum Deum in seipso, quod est obiectum spirituale, & omnino immateriale; hoc argumentum visum ėst Fasolo,vt ipse dicit *loco cit num.7.* valdè difficile, sed principijs S. Thomæ non difficilè soluitur.

Respondeo enim assignando disparitatem inter esse potentiale in intellectu creato, & esse potentiale, siue esse materiale, & corporeum in potentia sensitiua; nàm esse potentiale in intellectu creato, est esse potentiale in gener e entis; hoc autem esse potentiale, non extrahit intellectum creatum à ratione intellectiui;quod est ad intelligibile, vt sic, non quatenus diuisibilis est in Deum, & in creaturam; sed quatenus proportionatū proportione essentiali obiectiua;& ratio huius est; quia esse potentiale in intellectu creato,non excludit positiuè,& contrariè rationem supremi,siue primi gradus immaterialitatis, qui est gradus intellectiuus,sicut homo positiuè, & contrariè excludit à se gradum irrationalem; & consequenter non excludit proportionem obiectiuam essentialem, cùm esse potentiale in intellectu creato,sit esse potentiale in genere entis, quod præscindit ab intellectiuo,& sensitiuo, & consequenter à gradu entis spiritualis,& à gradu entis, siue viuentis materialis;esse verò potentiale corporeum in potentia sensitiua excludit contrariè, & positiuè rationem intellectiui, & consequenter proportionem obiectiuā essentialem, quod est causa, vt intellectus creatus possit eleuari ad cognoscendum Deum in se; etenim ad posse cognoscere Deum in se simpliciter, & absolutè requiritur necessariò, & essentialiter proportio essentialis obiectiua, quæ est proportio essentialis intelligibilis,& intellectiui;cuius ratio est:quia potētia cognitiua absolutè potest cognoscere quodlibet ens,in quo reperitur formaliter suū obiectū essentiale, quæ proportio cum non reperiatur inter potentiam sensitiuam, & Deum,vt in se est;quia esse potentiale corporeum excludit positiuè, & contrariè à potentia sensitiua,gradum intellectiuum,sicut homo excludit à se positiuè, & contrariè gradum irrationalem.Hęc est ratio,& disparitas cur esse potentiale in intellectu creato, non impedit intellectum creatum, posse eleuari ad cognoscendum Deum in se; ex opposito verò,esse potentiale corporeum impedit positiuè,& contrariè potentiam sensitiuam posse eleuari ad cognoscendum Deum in se: quoniam,vt sępe repetiuimus, potentia cognitiua non est eleuabilis, nisi ad cognoscēdum illud ens, in quo formaliter præexistit eius obiectum formale essentiale potentiæ sensitiuæ,& quia obiectū formale essentiale potētię sẽsitiuę, est sẽsibile formaliter,quod nullo modo potest esse in Deo formaliter; omninò impossibile est potentiam sensitiuā, posse intueri Deum in se, eadem implicantia, qua implicat potentiam sensitiuam esse formaliter intellectiuam, & potentiam intellectiuam fieri potentiam obiecti sensibilis formaliter.

Hanc

Hanc fundamentalem responsionem, & disparitatem, aliqui reijciunt hoc medio. Esse sensibile formaliter, idem est, quod esse cognoscibile per sensum; at non implicat ens spirituale etiã supremũ, esse cognoscibile per sensũ, quia esse cognoscibile per sensũ nõ ponit in ente spirituali rationẽ entis materialis intrinsecè, sed solũ extrinsecã dominationem; extrinseca autem denominatio nihil intrinsecè ponit in re denominata.

Sed hæc impugnatio nulla est. Primò nam sensibile formaliter, hic non sumitur pro denominatione à potentia potente sentire, sed prout est denominatio intrinseca ab obiecto formali, potente terminare, aut mouere potentiam sensitiuam, sicut esse cognoscibile potest sumi, prout est denominatio à potentia potente intelligere, & prout est denominatio à veritate intrinseca, qua ens aptum est, vel mouere, vel terminare potentiam intellectiuam: gradus autem intrinsecus sensibilis nullo pacto potest esse in Deo, cum sit gradus entis materialis, nimirum potentialis. Secundò, denominatio à potentia potente sentire, necessariò præsupponit in obiecto denominato gradum intrinsecum sensibilem, qui est essentialiter inferior gradu intrinseco intelligibili; ideò enim causaliter ens aliquod est sensibile à potentia potente sentire, quia præhabet in se rationem formalem obiectiuam sensus; implicat enim dari potentiam potentem sine suo termino formali. Dico sine suo termino formali: nam non implicat dari potentiam potentem facere sine termino potente fieri materialiter, quæ distinctio adnotanda est ad impugnandam sententiam illorum, qui dicũt ante omnem creationem, dari ens realiter possibile extra Deum, moti hoc principio; quia implicat potentia factiua sine factibili; sed Deus ante omnem actualem creationem est actualiter potens creare; ergo, &c.

Dicet fortè Aduersarius, quod tota ratio S. Thomæ, tamquam in prima radice fundatur in eo principio; quia potentia sensitiua essentialiter est materialis, cum dependeat essentialiter substẽtatiuè ab organo corporeo, & gradus sensitiuus est essentialiter inferior gradu intellectiuo.

Sed hæc ratio non est demonstratiua, & probatur; nam sensus sine potentia sensitiua, est cognoscitiua, non quia materialis, sed quia est in aliquo gradu immaterialitatis, cuius ratio à priori est; quoniam potentia cognitiua quæcumque, est potentia suum obiectum formaliter; hoc autem prædicatum competit potentiæ cognitiuæ ex eo, quod est essentialiter immateriale, nimirum; quia non habet in se, vnde sit ipsum tantum, & non aliud formaliter: hanc doctrinam doctè satis explicat S. Thomas *p. p. quæst. 14. art. 1. in corp. ex Arist. 3. de Anima vbi dicit Philo.* quod anima est quodammodo omnia, quia est immaterialis; & *in 2. de Anima* dicit, quod plantæ non cognoscunt propter suam materialitatem; sensus autem, cognoscitiuus est, quia receptiuus est specierum suorum obiectorum sine materia, & intellectus adhuc magis cognoscitiuus; quia magis separatus est à materia, & immixtus; hoc principio posito. Dicit aduersarius, non esse veram hanc causalẽ: obiectum essentiale sensus, esse sensibile formaliter, qui est gradus entis materialis, quia potentia sensitiua est gradus viuentis materialis, non spiritualis.

Respondeo ex doctrina S. Thomæ *præcit. quæst. 24. art. 25. ad 1. & 2.* Duplicem esse immaterialitatem; aliam essentiæ, & aliã abstractionis à conditionibus indiuidualibus, vel à modo essendi naturali. Immaterialitas formaliter idem est, quod ens spirituale, quod est in duplici gradu. Primus est per independentiam à materia substentatiuè, & receptiuè, quo pacto anima rationalis est ens immateriale, & spirituale. Secundus, est per independentiam à materia, & substẽtatiuè, & receptiuè; quo pacto Angelus dicitur ens spirituale, & immateriale; essentia enim Angeli, non solum est independẽs substentatiuè à materia; sed est omninò irreceptibilis in materia, sine subiecto in modo essendi naturali. Ceterum immaterialitas abstractionis, siuè per abstractionem, est immaterialitas per abstractionem, vt supra diximus, à conditionibus materialibus, & consequenter indiuidualibus, vel tantum à modo essendi naturali, quo res est ipsa tantum, vel quo res existit in sua propria natura; hæc autem immaterialitas abstractionis, siue sit abstractionis à differentijs, & conditionibus indiuidualibus, siue sit à modo naturali essendi tantummodò, duplex est; alia est immaterialitas potentiæ in genere cognoscibilis, & alia est immaterialitas actus in eodem genere; potentia enim, & actus sunt in eodem genere, quando potentia est pura in suo genere, vt est materia prima; potentia autem passiua in genere cognoscibilis est pura potentia in suo genere.

Potentia sensitiua, vt potentia formaliter, est immaterialis immaterialitate per abstractionem; sed immaterialitate potentiæ non est actus in genere sensibilis; species verò sensibilis, est adhuc immaterialis imma-

materialitate per abstractionem, sed immaterialitate actus, siuè formæ, cum Aristot. 2. & 3. *de Anim.* & S.Thomas *q. sup.* 14. *art.* 1. *in corp.* docent, quod causa cur ens sit cognoscitiuum, est quia illud est immateriale; loquuntur de immaterialitate in eodem gradu, non autem in diuerso gradu, siuè in eadem suppositione formali, non in diuersa, nimirùm causa cur intellectus est intellectiuus; est quia intellectus est immaterialis immaterialitate essentiæ, & abstractionis simul, loquẽdo de intellectu creato humano; quia intellectus noster intelligit abstrahendo à singularitate obiecti, quam repræsentat phantasma; intellectus enim noster, vt docet Aristot. *lib.* 2. *de Anim. text.* 1. est vniuersalium formaliter, quantum ad naturam substratam vniuersalitati; sensus verò particularium, cuius ea ratio est; quia intellectus noster cognoscit per species abstractas à principijs indiuiduantibus, & à materia indiuiduali; sensus verò ex opposito, est singularium formaliter, quia non cognoscit per species abstractas à conditionibus materialibus, & consequenter indiuidualibus; sed solum à modo essendi naturali sui obiecti; sensus verò est cognoscitiuus, quia est immaterialis immaterialitate sibi proportionata, quæ est immaterialitas abstractionis tantum à modo essendi naturali sui obiecti, non quidem materialitate abstractionis, quæ est formæ sensibilis, sed immaterialitate abstractionis, quæ est potentiæ in genere sensibilis, quia potentia sensitiua est potentia formaliter in genere sui obiecti sensibilis, & in hoc sensu loquitur Aristo. 2. *de Anim.* commune esse omni sensui recipere formas, scilicèt suorum obiectorum, sine materia, idest sine modo naturali, quem habent in proprijs materijs: cuius ratio à priori ea est; quia potentia cognoscitiua debet esse suum obiectum formaliter, vt illud percipiendo cognoscat per actum immanentem; etenim principium formale cognoscendi in potẽtia cognitiua, est obiectum formale, non obiectum materiale; obiectum autem formale non potest esse principium formale actus cognoscendi potentiæ cognitiuæ, nisi denudetur à modo essendi, quo existit in sua propria natura extrà potentiam cognitiuam.

Neque hæc doctrina obstat doctrinæ S.Thomę, & omnium Theologorum, asserentium, potentiam sensitiuam esse essentialiter materialem; quia est accidens dependens substentatiuè ab organo corporeo, nã S.Thomas, & cęteri Theologi loquuntur de materialitate essentiæ, cui ex suo genere non contradicit, vt sit immaterialis immaterialitate per abstractionem, quia contradictio est secundùm idem; materialitas autem essentiæ, & immaterialitas abstractionis, non sunt secundùm idem; ac proindè sunt compossibiles in eodem; quo pacto reperiuntur simul in specie intelligibili obiecti materialis in intellectu creato, puta in specie intelligibili bruti, quæ est materialis materialitate essentię, non quidem in esse naturali, sed in esse intelligibili; sed est immaterialis immaterialitate abstractionis: quia noster intellectus intelligit, vt diximus, abstrahendo à singularitate obiecti, quam repręsentat formaliter phantasma.

Neque ex hoc sequitur immaterialitatem per abstractionem, quę est potentię cognitiuæ, siuè sensitiuę competere omni enti materiali materialitate essentię, sed solùm principio vitę sensitiuę; quia hęc immaterialitas est ad sentiendum obiectum; sentire verò non competit omni enti materiali, sed solum enti materiali viuenti vita sensitiua, vndè immaterialitas abstractionis potentię, non est extrà, sed intrà viuens sensitiuum, ad eum modum, v.g. quo potẽtia obedientialis, non est extrà, sed intra naturam entis creati ad faciendum, concursu Dei, quicquid non implicat contradictionem; est enim potentia obedientialis, ens creatum, quatenùs ei non contradicit facere, quod Deus vult. Hac posita doctrina.

Respondetur facilè ad instantiam, qua Fasol. impugnat disparitatem S. Thomę nõ concludere, nimirùm, potentiam sensititiuam non posse eleuari ad cognoscendum Deum in se, sicut potest eleuari intellectus creatus; quia potentia sensitiua, est materialis materialitate, nimirùm essentię, nimirùm, oculus, inquit Fasolus, est potentia corporea, & materialis, & tamen non potest eleuari ad cognoscendum omnia obiecta corporea, vt sonum, frigus, odorem, &c. ergo etiam si intellectus creatus sit spiritualis, non indè sequitur posse illum eleuari ad omnia obiecta spiritualia pręsertim ad Deum.

Respondetur, inquam, facilè assignando disparitatem, nam potest intellectus creatus eleuari suprà suas vires ad cognoscendum Deum in se; quia ratio obiecti essentialis, & formalis intellectus creati reperitur, non solùm in omni ente creato, tã materiali, quàm spirituali: sed etiam in Deo, vt in se est, & ratio huius, vt diximus est, quia obiectum essentiale intellectus creati est intelligibile vt sic, proùt dicit

Proportionem essentialem obiectiuam cum intellectu creato, quàtum ad eius substantiã; vnus autem sensus, puta oculus nõ potest percipere etiam obiecta aliorum sensuum, puta sonum, odorem, saporem, &c. quia in cęteris obiectis aliorum sensuum, non reperitur formaliter obiectum essentiale visus, & ratio huius est, quia sensus visus non habet hoc; quia est materialis vt sic; sed quia est materialis tali materialitate, quę scilicèt est immaterialis per abstractionem tantum à modo naturali essendi sui obiecti formalis, quod est visibile. Probatur, & explicatur simul hęc doctrina, alia persimili doctrina, quam docet S.Thomas *p.p.q.14.art.11. in resp. ad 1. & 2.* docet enim *eo Art. in corp. S.Thomas*, quod Deus cognoscit singularia per suam essentiam, tanquam per medium cognoscendi; vt autem hoc clarius explicet obijcit sibi hoc argumentum; nimirum, intellectus Diuinus est immaterialior, quam intellectus humanus; sed intellectus humanus propter suam immaterialitatem, non cognoscit singularia; quia vt docet Aristotel. *lib.2.de Anim.* intellectus humanus est vniuersalium: sensus verò particularium.

Respondet, negando hanc causalem, intellectum humanũ, nõ cognoscere singularia, quia est immaterialis vt sic; sed ratio cur non cognoscat singulare formaliter est; quia est immaterialis tali immaterialitate, nimirùm; immaterialis immaterialitate abstractionis à singularitatibus sui obiecti; nõ autem quia est immaterialis immaterialitate essentiæ vt sic; intellectus enim humanus non cognoscit singularia formaliter; ex eo quia modus intelligendi intellectus humani, est intelligere abstrahẽdo à singularitate obiecti, quã repręsẽtat phãtasma; Deus verò est quidem immaterialior, quam intellectus humanus; immò maximè immaterialis immaterialitate essentiæ, siuè primæ causæ; non autem immaterialitate abstractionis, vt accidit in nobis. Pariter sensus visus corporalis, non potest eleuari ad videndum formaliter obiecta aliorum sensuũ; quia est materialis materialitate essentię, vt sic, vel quia est immaterialis immaterialitate abstractionis vt sic; sed quia est materialis tali materialitate essentiæ, & est immaterialis immaterialitate talis abstractionis, scilicèt tantùm à modo naturali essendi sui obiecti; quandoquidem quilibet sẽsus, est in determinata specie sẽsus; vndè est ad obiectũ formale determinatũ, & propriũ.

Neque primò obstat si obijciatur, duplex esse obiectum per se sensus, proprium, & commune; nàm hic loquimur de obiecto formali proprio, a quo specificatur sensus.

Neque secundò obstat, cum dicitur à Fasolo, quod adhuc vrget difficultas obiecta; quia intellectus cum sit potentialis, esse debet determinatus ad intelligibile potentiale; ergo pariter sensus, cum sit potentialis debet esse ad sensibile adhuc determinatum; sed hæc determinata potentialitas intellectus non impedit, vt intellectus possit eleuari ad Deum; ergo neque determinata potentialitas intellectus non impedit, vt intellectus possit eleuari ad Deum; ergo neque determinata potentialitas in sensu, potest esse impedimentum sensui, vt non possit eleuari ad cognoscendum Deũ in se.

Nàm respondeo primò, quod ratio adæquata, cur potentialitas in intellectu, non possit impedire, quin ipse intellectus sit eleuabilis ad cognoscendum Deum in se, est; quia esse potentiale in intellectu creato, est intrà proportionem obiectiuam essentialem intelligibilis, & intellectiui; esse verò potentiale in sensu, affert impedimentum; quia non est intrà, sed extrà proportionem obiectiuam essentialem; nam sensus formaliter in cognoscendo, est tantum ad sensibile, quod nullo pacto potest esse in Deo; sensus autem non potest cognoscere, nisi ens, vbi reperitur eius obiectum formale, & essentiale; idque adhuc in causa est, vt vnus sensus non possit eleuari ad cognoscendum obiectum alterius sensus; nàm obiectum formale vnius sensus particularis, non est sensibile vt sic; sed est determinatæ species sensibilis; ac proindè non præsupponitur in vno sensu particulari proportio obiectiua essentialis cum obiecto formali alterius sensus particularis.

Respondeo secundò ex dictis, potentialitatem in intellectu creato, non facere vt essentiale illius obiectum sit ens potentiale; quia est potentialitas in genere entis; in ente autem reperiri non contradicit, rationẽ intelligibilis, quod est obiectum essẽtiale intellectus creati; neque enti creato vt sic, repugnat ratio intellectiui, quæ duo per se requiruntur ad proportionem essentialẽ obiectiuam, quæ est adæquata causa, cur intellectus creatus possit eleuari ad videndum in se obiectum actuale purum, quod est Deus; esse verò potentiale in sensu, non est potentialitas in genere entis creati vt sic; sed in determinato genere entis sensitiui; & hæc potentialitas impedit, vt sensus possit eleuari ad videndum Deum in se: quia tollit à sensu rationem intellectiui, sine quo, non potest poten-

tentia cognitiua cognoscere obiectum purum intelligibile.

Ad hoc ipsum argumentum. Respondet Fasolus *in com.ar.3.* vtrum essentia Dei videri possit oculis corporalibus, *numer.8.* assignando aliam disparitatem à priori, vt ipse dicit, nimirùm, quia esse potentiale in creatura spirituali, quamuis magis distet ab actu puro, tamen minus illi contradicit; contra verò, corpus creatum, à spiritu, non solùm increato, sed etiam creato, minus distat; sed magis contradicit, & huius, hanc assignat rationem; spiritus enim increatus, & spiritus creatus, opponuntur per excessum, & defectum essentialem in eadem ratione, seù in eodem genere analogico, & gradu entis, nempè intrà eandem rationem spiritus, analogicè præscindentem à creato, & increato: at verò spiritus creatus, & corpus creatum opponuntur essentialiter per ipsasmet intrinsecas rationes proprij generis, spiritus, & corporis, quæ inuicem repugnant, sub quocumque excessu, ac defectu consideratæ. Hanc distinctionem latè explicat ipse Fasolus *dub. 8. sup. art.1. eiusdem quæst.* occasione, qua soluit illud commune argumentum, quo Aduersarij vtuntur ad probandum, non posse intellectum creatum eleuari ad videndum Deũ in se; argumentum autem est hoc: magis distat Deus ab intellectu creato, quam Angelus ab oculo, & vniuersaliter; potẽtia sensitiua ab obiecto spirituali; sed implicat oculum videre Angelum, & potentiam sensitiuam cognoscere obiectum spirituale; ergo etiam implicat intellectum creatum intelligere Deum.

Communis, & vera responsio ad hoc argumentum, est illa, quam nos suprà explicauimus cum S.Thoma, nimirùm, quod Deus magis distat ab intellectu creato distantia entitatiua, & materiali, quam Angelus, siuè substantia spiritualis ab omni potentia sensitiua, non autem distat magis distantia obiectiua essentiali; nam inter Deum vt in se est, & intellectum creatum vt sic, est proportio obiecti formalis, & potentiæ; at inter potentiam sensitiuam, & obiectum spirituale formaliter nulla est proportio obiectiua essentialis.

Verùm huic responsioni, non quiescit Fasolus; mouetur autem ex eo, quia, inquit, distantia in ratione entis, quæ dicitur distantia entitatiua, fundat distantiam obiectiuam, ratione, nimirùm, obiecti formalis, & potentiæ; ratio enim obiecti, seù cognoscibilis fundatur in ratione entis; sed Deus in ratione entis magis distat ab intellectu creato, quam Angelus à qualibet potentia sensitiua; ergo, &c.

Declarat hoc Fasol. petendo causam à priori, cur vniuersaliter potentia sensitiua, non possit habere pro obiecto spiritum? nõ apparet, quæ alia causa esse queat, nisi magna distantia inter potentiam sensitiuam, & spiritum, in ratione entis; sed infinitè maior est distantia inter ens finitum, & infinitum, creatum, & increatum. potentiale, & actum purum; ergo si potentia sensitiua essentialiter respicit obiectum limitatum ad esse corporeum, potentia quoque creata intellectiua respicere essentialiter debet obiectum limitatum ad esse creatum, & vt satisfaciat idem Fasol. huic instantię, & cõmunem responsionem datam explicet, duo dicit.

Primò *n. 46. dub.8.* ideò dici communiter, Deum in ratione obiecti habere minorem distantiam ab intellectu humano, quam habeat spiritus creatus a sensu; quia habet minorem oppositionem in ratione entis; quia, inquit, possunt aliqua duo comparata cum alijs, habere maiorem distantiã in ratione entis, & minorem oppositionem in ratione entis; quod probat exemplo vnius caloris finiti, & alterius caloris infiniti, qui magis inter se distant per excessum, & defectum in ratione ontis, quam inter se distent calor finitus vt octo, & frigus finitum pariter vt octo; quæ tamen magis distant per oppositionem in ratione entis; quia, inquit, præscindendo ab infinitudine, & finitudine, & ab hac, vel illa perfectione entitatiua, siuè maiori, siuè minori, calor, vt calor, & frigus, vt frigus, habent inter se intrinsecam contrarietatem, ità quoque spiritus increatus infinitus habet in ratione entis maiorem distantiam, & excessum à spiritu creato finito, quam spiritus creatus finitus à sensu corporeo finito: tamen hæc duo inter se habent in ratione entis maiorem oppositionem, quam illa duo inter se; idque probat hoc discursu; quoniam spiritus increatus, & spiritus creatus distant inter se propter essentialem distantiam, & excessum vnius gradus entis suprà eundem gradum; non autem propter distantiam, & excessum vnius gradus entis ab alio; illa enim, inquit, oppositio fundatur in hoc, quod spiritus increatus includit in sua essentia omnem entis, ac spiritus perfectionem; spiritus verò creatus includit in sua essentia omnes tantũ perfectiones spiritus, & non alias; oppositio autem inter corpus, & spiritũ, est ꝑpter ipsos gradus entis inter se oppositas abstrahẽdo à quocũq;

perfectione, & imperfectione, à quoquumque excessu, & defectu, à quaquumque distantia, & propinguitate in ratione entis; spiritus enim, & corpus, vt talia præcisè, sunt essentialiter opposita, siuè sint ambo finita, siuè vnum finitū, & aliud infinitum, qua posita doctrina, vel distinctione; distinguit Faso. duplicem distantiam, vnius ab alio, vnam per excessum, & defectum intra eundem gradum entis, & aliam per gradus entis essentialiter oppositos; Prima est distantia inter spiritum, & spiritum, siue ambo sint finiti, vt anima rationalis, & Angelus, siue vnus finitus, & alius infinitus, vt Deus, & intellectus creatus; secunda distantia, est inter spiritum, & sensum corporalē, distantia, quæ impedit, vt spiritus non possit videri à sensu corporeo, est distantia per oppositionem essentialem gradus ad gradum, non autem est distantia per excessum, & defectum in eodem gradu entis; & hinc est, vt intellectus creatus possit eleuari ad videndum Deum in se, sensus verò corporeus non item, & hanc doctrinam fundat Fasol. *in S. Thoma. quæst. 12. de Vit. Dei art. 1. in prin. corp.* vbi probat, Deum non esse cognoscibilem ab intellectu creato, propter excessum intelligibilis supra intellectum, sicut Sol videri non potest ab vespertilione propter excessum luminis, & simile dicit *3. C. G. cap. 54. num. 6.* Diuina inquit substantia est extra facultatem intellectus creati, sicut excedens virtutem eius; sicut excellentia sensibilium sunt extra facultatem sensuum, quibus locis S. Thomas affert excessum in ratione entis, non autem oppositionem formalem inter Deum, vt intuibilem, & intellectum creatum. Videns autem Faso. hanc disparitatem non esse sufficientem propter hanc instantiam; Deus, & intellectus creatus adhuc distant inter se per oppositionem essentialem, & non solum per excessum, & defectum in eodem gradu entis; nam intellectus creatus, est essentialiter potentialis; Deus verò in se, est essentialiter actus purus, hæc autem duo sunt essentialiter opposita; actus enim, & potentia, sunt veluti primæ differentiæ entis; primæ verò differentiæ, sunt essentialiter cōtrariæ; in quolibet enim genere entis datur vna prima contrarietas, vt docet Arist. *in lib. de Ani.*, sed non obstante prædicta oppositione potentię spiritualis, intellectus creatus, potest cognoscere Deum, & potest cognoscere corpus; ergo eadem oppositio, non debet impedire, quominus potentia corporea sensitiua, possit cognoscere spiritum, nempè Deum in se, quæ est vna ex rationibus dubitandi, quam proposuit S. Aug. *lib. 22 de Ciuit. Dei cap. 29. ante finem*, sicut constat inquit Aug. videri corpora spiritu, quid? si tanta erit potentia spiritualis corporis, vt corpore videatur, & spiritus.

Secundò, quasi se retractans, dicit, quod ratio adęquata, cur potentia corporea sensitiua, nequeat habere pro suo obiecto spiritum, neque est oppositio simpliciter; quia eandem oppositionem, quam habet corpus cum spiritu, habet quoque spiritus cum corpore; & tamen obiectum potentiæ spiritualis, est etiam corpus; neque est inferioritas simpliciter: quia inferioritas, quam habet potentia spiritualis creata respectu spiritus increati, est infinitè maior inferioritate, quam habet corpus creatum finitum respectu spiritus creati finiti; & tamen illa inferioritas, non impedit quominus, spiritus increatus, & infinitus, sit obiectum potentiæ spiritualis creatæ, & finitæ; hinc enim, nimirum, ex vtroque capite nascitur, vt spiritus, puta intellectus possit intueri Deum, scilicet fieri repræsentatiuus Dei in se, aut vniri Deō inesse intentionali; potētia verò sensitiua nequeat simpliciter eleuari ad cognoscendum Deum in se.

Proculdubio vtraque disparitas acuta satis est, & docta; sed nisi fallor, neutra est necessaria ad assignandam disparitatem cur intellectus possit intueri Deum in se; sensus verò, non item; stante quod Deus distat ab intellectu creato maiori distantia, quam distat Angelus ab oculo, vel à potentia sensitiua; nam ad hanc disparitatem satis est communis responsio, quod distantia, quæ impedit, vt potentia sensitiua non possit intueri Deum in se, est distantia obiectiua formalis, & essentialis. Dico, & essentialis, nam distantia obiectiua, (alia est formalis connaturalis, & alia formalis essentialis,) non autem distantia materialis, siuè entitatiua; distantia inter intellectum creatum, & Deum in se, est distantia materialis, siue entitatiua, & non distantia obiectiua essentialis; verùm distantia inter sensum, & Deū, vt in se, est distantia obiectiua essentialis, sicut est distantia inter visum, & odorem, siuè sonum, &c.

Neque valet, si ad probandam impossibilitatem visus corporalis ad videndum Deum, arguatur ex distantia infinita materiali, quæ est inter Deum, vt in se est, & inter potentiam visiuam corporalem; quia hæc distantia materialiter, & per accidens se habet; solum causa possibilitatis visionis Dei, est proportio obiectiua formalis, quæ est inter potentiam cognitiuam, & eius obie-

obiectum formale essentiale, quia essentia specifica potentiæ, & cognitionis, adequatè sumitur ab obiecto formali.

Illa verò instantia, quæ mouet Fasolum ad recurrendum ad oppositionem formalem, & essentialem cum inferioritate, quam dicit, esse rationem adęquatam, cur potentia sensitiua nequeat habere pro suo obiecto spiritum, facilè soluitur; cum enim dicitur distantia in ratione entis, seù entitatiua, fundat distantiam in ratione obiecti cognoscibilis, & potentiæ cognitiuæ; idque probatur ex eo, quia vnumquodque est cognoscibile, vel intelligibile ex eo, quod est ens formaliter, vel ens in actu.

Respondeo primò, distinguo de cognoscibilitate, siue intelligibilitate; alia enim est intelligibilitas, siuè cognoscibilitas obiecti materialis potentiæ cognitiuæ, & alia est obiecti formalis; duplex enim est obiectum potentiæ cognitiuę; aliud est materiale, & hoc est illud, quod cognoscitur: & aliud est obiectum formale, & hoc, est ratio formalis cognoscendi, v. g. cum intellectus cognoscit bonum, quod est obiectum voluntatis; obiectum materiale est bonum, quod cognoscitur; obiectum verò formale, quod est ratio formalis cognoscendi est; quia bonum voluntatis, est intelligibile, prout præcisè dicit proportionem essentialem cũ intellectu in ratione obiecti, & potentiæ. Distantia in ratione entis, siue entitatiua fundat præcisè distantiam obiectiuam materialem, quæ est inter potentiam, & eius obiectum materiale; non autem fundat distantiam obiectiuam formalem, quæ est inter potentiam cognitiuam, & eius obiectum formale essentiale: distinctio autem hæc fũdatur in eo principio; quia vtrumque obiectum est cognoscibile sed alio, & alio modo; obiectum materiale est cognoscibile materialiter, siuè vt quod; obiectum verò formale est cognoscibile formaliter, siue, vt quo, scilicet, est ratio formalis cognoscendi obiectum materiale. Contra hanc doctrinam veram, & thomisticam.

Arguit Fasol. *Dubit.* 8. *in* 1. *art. quæstionis* 12 *de Vis. Dei num.* 47. *circa finem*, ex eodem S. Thoma *art.* 4. *ad* 3. *eiusdem quęstionis* 12. vbi agens S. Thomas de incognoscibilitate, ex defectu obiecti, eam probat non ex excessu, sed ex oppositione, dicens: quia sensus visus omninò materialis est, nullo modo eleuari potest ad aliquod immateriale; sed intellectus noster, vel Angelicus; quia secundum naturam à materia aliqualiter eleuatus est, potest vltra suam naturam per gratiam ad aliquid altius eleuari; at materiale, & immateriale, siue corporeum, & spirituale, oppositionem per se præcisè important: immateriale verò altiùs, & immateriale minus altum, important per se, & præcisè excessum; licet essentialis oppositio indè proueniat, ex prima oppositione arguit, inquit S. Thomas, defectum obiecti simpliciter; ex secunda verò, solum defectum virium, ob excellentiam obiecti; ad hoc ipsũ probandum affert consimilem doctrinam, quam docet Enri. *in sum. art.* 3. *quęst.* 5. *ad* 3. vbi docet, quod intelligibile, lumini supernaturali, distat à naturalibus intelligibilibus intellectus; non sicut sapor, & odor, à visu, quæ nullo modo visibilia sunt; sed sicut visibile excellens distat à visibili temperato, & à debili visu, ad quod non potest ipse attingere, nisi lumine clariori illustretur, & fortificetur, quo sensu inquit, loquitur Philo. 2. *met. tex.* 1. quod intellectus noster se habet ad manifestissima naturæ, sicut oculus vespertilionis ad lucem Solis.

Respondeo, quod S. Thomas *loc. cit* voluit ostendere, potentiam sensitiuam non posse absolutè, & simplicitèr cognoscere Deum in se, ex eo, quia est materialis materialitate essentiæ, non quidem per immediatam, sed per mediatam consequentiam; nam ex eo, quod potentia sensitiua est materialis materialitate essentiæ, immediatè sequitur, quod non potest esse intellectiua; intellectiuum enim est gradus entis immaterialis immaterialitate essentiæ; implicat autem, gradum entis materialem materialitate, essentiæ, esse immaterialem immaterialitate essentiæ: nos autem hic assignamus tantummodò rationem immediatam, cur potentia sensitiua non sit eleuabilis ad cognoscẽdum Deum in se, & hæc est, quia potentia sensitiua non habet proportionem obiectiuam essentialem cum Deo, vt in se est; quippè Deus, vt est in se, est ens solum intelligibile; intelligibile autem habet obiectiuam, & essentialem proportionem tantummodò cum gradu intellectiuo: contradicit autem potentiæ sensitiuæ, esse intellectiuam, vt modo ostensum est.

Conclusio secunda; non est creabilis à Deo absolutè, & simplicitèr sensus tantæ perfectionis, & eleuationis, siuè emersionis à materia, qui sit visiuus Dei, auxilio supernaturali luminis gloriæ. Conclusio hæc controuertitur valdè inter Recentiores theologos; multi enim, & docti, contendunt, creabilem esse visum corporalem tantæ emersionis à materia, vt possit lumine gloriæ, videre Deum in se. Fundamentum eorum præcipuum est; quia visibilis est po-

tentia materialis cum termino spirituali formaliter in essendo, sed eadem ratio est si vniatur potentia sensitiua cum termino siuè obiecto spirituali in cognoscendo: ergo dabilis est hæc potentia visiua corporalis eleuabilis ad videndum Deum in se; quod si actu non detur, ratio est, quia oculus, qui est de facto, non est depuratus ab aliquibus imperfectionibus, quibus determinatur ad obiectum sensibile tantum; sed ab his conditionibus est separabilis, & potest habere a Deo meliores conditiones accidentales: ergo &c. Opinio autem S. Thomę, quam sequuntur cęteri thomistæ, asserit implicare contradictionem, creari potentiam visiuam corporalem tantæ eleuationis supra materiam, vt illa possit auxilio supernaturali videre Deum in se. Fundamentum autem huius doctrinæ est; quia ad videndum Deum, vt in se est, requiritur proportio essentialis intellectiui, & intelligibilis; Deus verò, cum sit actus purus, non potest habere nisi rationem obiecti intelligibilis; hoc autem obiectum formale ex sua essentia, non habet aliam proportionem obiectiuam, nisi cum intellectiuo; sed contradicit in terminis, esse creabilem sensum, qui sit formaliter intellectiuus; quia sensus essentialiter est materialis materialitate essētiæ, cui tamen nō cōtradicit immaterialitas per abstractionem, vt super ostendimus; sed implicat potentiam materialem essentialiter esse, aut fieri intellectiuam; quia, sunt gradus, quorum, vnus est superior alio essentialiter. Confirmatur; nam potentia sensitiua non est meliorabilis perfectione essentiali; sed solùm perfectione accidentali; sed possibilitas ad videndum Deum in se, supponit mutationem, & meliorationem essentialem; nàm supponit potentiam esse intellectiuam formaliter, ergo, &c.

Maior probatur, quia, vt dicit Arist. 8. *met. tex.* 10. rerum essentiæ sunt sicuti numeri; quæ consequenter, vel addictione differentiæ, vel eius subtractione, non est amplius eadem essentia, quæ erat priùs, sed est alia; sed solum est meliorabilis essentia rei melioratione accidentali, siue pęnès eas perfectiones, quæ concernunt accidentia rei; quomodo v. g. homo potest esse melior seipso, quia potest esse sapiētior; fortior, &c. verùm si addatur potentiæ sensitiuæ aliùs gradus essentialis perfectior essentialiter gradu sensitiuo, non erit amplius sensus, sed alia species essentialiter superior, sicut si addatur binario alia vnitas, non erit amplius numerus binarius, sed ternarius, &c.

Quod si dicatur; Deus potest facere meliorem rem producendo perfectiorem, & illud idem, quod de facto produxit potest Deus magis perficere.

Hoc verum est in duplici sensu, primus est, quod Deus illud idem, quod facit de facto in priori naturæ potuit Deus facere perfectiùs perfectione extra essentiam, non intra essentiam modo exposito. Secundus sensus est, quod Deus potest facere perfectiorem, & perfectiorem speciem essētialiter diuersā à specie, quam produxit de facto; sed hic sensus, est quidem verus, sed non ad rem; quia non est creabilis alius sensus perfectior perfectione essentiali, vt sit intellectiuus, quod, vt diximus omninò implicat, non solum quia essentiæ rerum sunt veluti numeri, sed etiam, quia non possunt esse in eodem indiuiduo duæ differentiæ essentiales adequatæ:

Quod si secundò dicas, produci potest sensus magis eleuatus à materia, quam sit sensus de facto; sed hæc eleuatio est sufficiens, vt possit pertingere ad Deum in se;

Respondeo cum distinctione; potest produci sensus eleuatior à materia, quātum ad perfectiones accidentales, & concedo; quantum ad perfectionem essentialem, & nego, vt diximus; maior autem eleuatio, quantum ad perfectionem accidentalem, est eleuatio intra substantiam sensus; hæc autem non sufficit, vt possit videre Deum in se. Sententia contraria reijci potest etiam, quia hac fictione confunduntur omninò intellectus, & sensus, & præcluditur via ad ostendendum, nostrum intellectum esse in se spiritualem, & immortalem; semper enim dicere quis posset, nostrum intellectum percipientem materialia, & spiritualia esse illum sensum, qui possibilis, esse existimatur.

Solet etiam obijci Aug. *lib.* 22. *de Ciu. Dei cap.* 29. dicens, Deum oculo corporeo, non solum posse, sed de facto nunc à beatis videri.

Respondet S. Thomas, Augustinum loqui non definiendo, sed inquirendo, quia primùm dicit, quod non parua quæstio est, vtrum sancti visuri sunt Deum in corpore.

Secundò obijci solet illud Iob 19. in carne mea videbo Deum meum,

Respondet S. Thomas, sensum esse, quod in carne existens post resurrectionem visurus esset Deum, non oculo carnis, sed oculo mentis.

AR-

# ARTICVLVS DECIMVS.

## An sit possibilis species intelligibilis creata intuitiua Dei.

HIC articulus curiosus est, & valdè celebris inter Scholasticos; ferè enim omnes, exceptis Thomistis, contendunt, speciem intelligibilem intuitiuam Dei, possibilem esse in latitudine entis creati: sola autem controuersia est inter eos, in assignāda, & inuenienda ratione demonstrante absolutam eius possibilitatem; vt autem hoc explicent, distingunt duplicem speciem intelligibibilem Dei repræsentatiuam; aliam intelligibilem, quam communiter vocant expressam, vel quia ea imprimitur potentiæ intellectiuæ à suo obiecto, eo modo, quo fieri potest, vel quia ea causatur à Deo, vt a primo intelligibili influxu intelligibili in potentia intellectiua, siuè in instanti creationis, vti sunt species intelligibiles in intellectu Angelico, vel post instās creationis, vt sunt species infusę, siuè per se, siuè per accidens; & aliā, quæ cōmuniter vocatur expressa; quia producitur ab intellectu, cùm aliquid cognoscit, & dici solet species intellecta vitalis, ad differentiam speciei intellectæ, non vitalis, vt est Deus, quatenùs sua essentia est terminus formalis cognitionis intuitiuæ creatæ in intellectu beatorum; nam vt probabitur alio speciali articulo, non omnis cognitio in creatis, est productiua verbi mentalis, quod communiter dicitur, species obiectiua expressa, eo quod producitur ab intellectu actu intellectionis, quo intelligit, sicut vnus calor producitur ab alio calore actu calefactionis; idque oritur ex eo, quod aliquod obiectum, non est sua forma intellecta, & huiusmodi est omne intelligibile creatum, & aliquod obiectum est essentialiter, & sua forma intelligibilis, & sua forma intellecta, etiam in intellectu alterius, & huiusmodi est solus Deus, vt infra probabitur; solummodò essentia Angeli, vel animæ rationalis in statu separationis a corpore, est sua forma intelligibilis, suo intellectui intelligenti seipsum; species intelligibilis, est principium formale, vel solum determinans intellectum in genere causę formalis ad intelligendum, sicut figura ferræ determinat ferrum ad actum secandi, vel est principium formale concurrens in genere causæ efficientis cum intellectu creato ad producēdum determinatum actum intellectionis; species verò intellecta, siuè expressa, solum terminat actum intelligēdi intra intellectum existens; præscindendo nunc à quęstione, an sit terminus, qui cognoscitur, an quo tantum cognoscitur eius obiectum ab intellectu. Pręterea species intelligibilis, siuè impressa, alia est abstractiua, & alia intuitiua sui obiecti, nimirùm primarij, & immediati; abstractiua est, qua repræsentatur intellectui eius obiectum, vel abstrahendo omninò ab existentia, vt est species, qua cognoscitur, v.g. essentia hominis, non cognoscendo illam existere in rerum natura, vel abstrahendo ab existentia actuali, vt exercita, vt est species, qua cognoscitur quid sit essentia, existens, non cognoscendo illam actu existere in rerum natura: nàm existentia actualis est duplex, alia signata, seù cōcepta, siuè conceptibilis, & signabilis, & alia est exercita, & in re. Intuitiua verò species est, qua intellectui repræsentatur eius obiectum, proùt est actu, & exercitè existens, vel extra, vel intrà cognoscentem. Hic controuertitur solum, an sit possibilis species intelligibilis creata intuitiua Dei in se, non in alio obiecto viso; sicut enim datur duplex cognitio intuitiua, qua cognoscitur obiectum, vt actu existens immediatè, proùt est in seipso; & alia, qua cognoscitur obiectum, vt actu existens in rerum natura, sed in alio obiecto viso per se, & formaliter, qualis est cognitio, qua Deus videt creaturas actu existentes, vel intellectus creatus cognoscit aliquas creaturas actu existentes, eadem cognitione, qua cognoscit Deum in se. Ità datur duplex species intelligibilis intuitiua, alia immediata, & alia mediata; in hoc articulo, inquiritur, an sit possibilis species creata intuitiua Dei in se, non in alio obiecto viso.

Ferè omnes Scholastici, præter Thomistas, mordicùs contendunt, nullam esse assignabilem rationem demonstrantem huius speciei absolutam impossibilitatem; idque probant.

Primò à priori; quia ad rationem speciei intelligibilis intuitiuæ; non requiritur alia proportio, quàm repræsentabilis, & repræsentati immediatè; sed hæc proportio communicabilis est speciei intelligibili creatæ, etenim hæc proportio, non dicit conuenientiam in eodem modo, siuè in eodem gradu essendi speciei repræsentatiuæ in suo obiecto immediato; quandoquidem ea est proportio obiectiua; proportio autem obiectiua potest esse sine cōmensuratione in eodem modo, vel gradu essendi; secùs nō pol-

posset intellectus creatus eleuari ad videndum Deum in se, & indè est, vt species, quę est accidens potest repræsentare perfectissimam substantiam.

Neque valet (inquiunt, Authores cōtrariæ sententię, inter quos est Marc. Ant. Palumb. *in exam. Scolast.* 2. quod Deus non videatur, ficuti est per intermediam speciem creatam *c.3 dic.3 circa medium.*) quod respondet Caietan., vim repræsentatiuam fundari in eo, quod species intelligibilis, est suum obiectum formaliter, & ex hoc vitari argumentum; & amplius addat, esse per accidens, vt repræsentatum, sit substantia, & repręsentās sit accidens; nam contrà statim, argumētatur Palum. Esse, essentialiter diuiditur secundum modos essendi per se, & in alio, & repræsentatum secundùm vltimam differentiam est id quod, & repręsentatiuum, est id quo, quæ sunt rationes specie diuersæ; quia quod vni competit essentialiter, non competit alteri; ex hoc autem sufficienter oritur diuersitas specifica; quia rerum essentiæ sunt veluti numeri; ratio autem Caietan. supponit speciem intelligibilē formaliter esse suum obiectum immediatum in modo, siuè in esse intelligibili.

Secundò, paritate speciei expressę; nā inquiunt, species expressa intuitiua Dei non implicat, immò de facto à pluribus Thomistis cōceditur; sed eadem ratio est de specie impressa, siuè intelligibili, nam vtraque species est repræsentatiua Dei in se, ergo pariter saltem possibilis est species intelligibilis creata intuitiua Dei.

S. Thomas autem *p.p. q.12. ar.2.* absolutè docet, impossibilem esse hanc speciem intelligibilem intuitiuam Dei, etiam in repræsentando. S. Thomam sequuntur omnes Thomistæ, & hæc opinio mihi semper demonstrabilis visa est, & vera, quam sequente conclusione demonstrabo.

Vnica conclusio, species intelligibilis creata intuitiua Dei in se, absolutè implicat in terminis; conclusio est S. Thomæ *loco cit.* & in omnibus alijs locis, in quibus loquitur de specie intuitiua Dei in se, eamque ostēdit pluribus rationibus, quæ fundantur in hoc principio, tanquàm in prima radice. (∴)

## Explicatur implicantia S. Thomæ.

FOrma intelligibilis ex suo genere, est suum obiectum immediatum formaliter, in modo tamen essēdi intelligibili intrà potentiam cognoscentem; at implicat, speciem intelligibilem creatam, esse Deum, vt in se est formaliter; ergo species creata intuitiua Dei, est omninò impossibilis. Minor probatur; Deus vt in se, est essentialiter actus purus, suum esse, & ens à se; species verò intelligibilis creata, vel creabilis, ex suo genere est essentialiter potentialis, & ens essentialiter dependens à causa efficiente; quia omnis species intelligibilis creata, non est essentialiter suum esse; & implicat, speciem, quæ non est essentialiter suum esse, esse actum purum, ens à se, &c. tàm in esse naturali, quàm in esse intelligibili. Sola difficultas est in maiori propositione primi argumenti, quę nisi ratione à priori probetur, negatur ab Aduersarijs, tanquam manifesta petitio principij; sed ea vt vera ostenditur pluribus primis principijs metaphysicis.

Primum est: essentia, siuè quidditas cuiuslibet obiecti formaliter, præscindit ab omni modo essendi, tam naturali, quàm intelligibili, nimirùm, tam a modo essendi, quo est extrà intellectum in sola sua natura existens, quam à modo essendi, quo existit intrà intellectum cognoscentem, vt perfectio formalis, & motiua intellectus: sed hoc posito, forma intelligibilis ex suo genere est suum obiectum immediatum formaliter. Maior est certa; quia rei essentia, seù quidditas, in sua definitione essentiali secundùm se, nullum modum essendi includit, neque naturalem, neque intelligibilem, v.g. essentia animalis præscindit à rationali, & irrationali; quia secundùm se in sua definitione essentiali, non includit rationale, neque irrationale, & probatur; nàm quidditas animalis formaliter saluatur his tantum prædicatis, substantia animata sensitiua. Minor verò probatur; nàm ex eo, quod essentia cuiuslibet obiecti formaliter præscindit à modo essendi naturali, & à modo essendi intelligibili, potest reperiri formaliter in vtroque modo essendi, ex eo enim, quod formaliter præscindit ab vtroque modo essendi, diuisibilis est per vtrumque modum essendi, sicut animal, v.g. ex eo quod formaliter præscindit à rationali, & irrationali, est diuisibile per vtrumque; vel non habet in se repugnantiam vt sit, in vtroque modo essendi; sed hoc est

est sufficiens, & adæquata ratio, vt species intelligibilis sit formaliter suum obiectum immediatum; nàm hoc est causa adęquata, vt quidditas obiecti formaliter, sit vel possit esse in modo essendi intelligibili intra potentiam; sed hæc est species intelligibilis formaliter, nisi velimus facere quæstionem de vocabilis, ergo, &c.

Secundum principium est: forma intelligibilis ex suo genere complet formaliter indigentiam formalem intellectus ad intelligendum, sed hæc indigentia non est cōplebilis formaliter, nisi ab essentia sine quidditate obiecti immediati, vel per formalem similitudinem, omnimodam; ergo species intelligibilis ex suo genere est suum obiectum immediatum formaliter, vel per identicatem formalem, vel per formalem, & omnimodam similitudinem; maior ostenditur à priore; existente enim obiecto formaliter intra potentiam cognitiuam, nulla est indigentia, etenim indigētia formalis potentiæ cognitiuæ in quantum potentia formaliter, est carentia sui obiecti immediati formaliter: existente autem obiecto formaliter intra potentiam cognitiuam, non est carentia formalis potentiæ cognitiuæ, sicut existente visione in potentia visiua formaliter in ea non est carentia formalis visionis, qua potentia visiua est actu videns. ob hanc rationem intellectus Angeli, non indiget specie intelligibili ad intelligendum seipsum, quia in intellectu Angeli existit intelligibiliter, & formaliter eius obiectum immediatum; minor verò principalis argumenti probatur, nam priuatio formæ formaliter in subiecto, non suppletur, aut suppleri potest formaliter, nisi per identitatem formalem, siue per formalem, & omnimodam similitudinem; sed indigentia formalis potentiæ cognitiuæ est carentia sui obiecti immediati formaliter; ergo indigentia formalis potentiæ cognitiuæ, in quantum potentia formaliter in genere intelligibilis, quæ est carentia sui obiecti formaliter intra se, non potest suppleri, nisi per suum obiectum immediatum formale, nimirum motiuum, aut per omnimodam identitatem formalem, quæ est species intelligibilis indistincta à suo obiecto, vel per omnimodam similitudinem formalem, quæ est species intelligibilis distincta à suo obiecto immediatè motiuo.

Neque primò dicas ad supplendam indigentiam formalem potentiæ cognitiuæ ad cognoscendum sufficere similitudinem virtualem, vel per æquiualentiam, quæ sit causa instrumentalis obiecti, nam.

Contra est, quia indigentia formali potentiæ cognitiuæ formaliter, est carentia obiecti formaliter intra potentiam, inesse tamen cognoscibili, siuè intelligibili, sed obiectum immediatum, & motiuum formaliter est causa principalis obiectiua, quia est primum mouens intellectum, vel per suam esentiam, vel per suam similitudinem formalem; carentia autem causæ principalis formaliter in potentia cognoscente non est supplebilis formaliter, nisi per ipsumet obiectum formaliter, quando obiectum immediatum, & motiuum potest sua esentia esse principium formale esse intelligibilis intelligētis, vel per suā similitudinē formalē. quando non potest. Explicatur, & probatur simul, ꝙ dico, si indigētia formalis potentię cognitiuæ in genere intelligibilis, non suppleretur per obiectum motiuum, & immediatum formaliter, vel per identitatem formalem, vel per formalem, & omnimodam similitudinem; potentia cognitiua adhuc remaneret supplebilis in ratione potentiæ; & consequenter in terminis potentiæ non potentis exire in actum, cum adhuc non esset simpliciter actuata, sed solum secundum quid.

Neque secundò dicas dabilem esse similitudinem virtualem obiecti, quod est causa principalis, & hanc sufficere ad supplendam indigentiam formalem potentiæ cognitiuæ, quia similitudo virtualis est per æquiualescentiam nam.

Contra est potentia cognitiua indiget intra se suum obiectum immediatum, & motiuum formaliter, vt illud percipiat per actum immanentem, vt supra ostendimus; sed hęc indigentia obiecti formaltter, non suppletur formaliter, nisi per suum obiectū immediatum formaliter, nimirum per prędicata formalia sui obiecti immediati, siuè per identitatem formalem, siuè per formalem, & omnimodam similitudinem, etenim non existente obiecto immediato, & motiuo formaliter in intellectu, semper in intellectu est indigentia obiecti formaliter; nam semper est carentia obiecti immediatè, & motiui formaliter, similitudo autem virtualis obiecti immediati, & motiui, non est ipsū obiectum formaliter, neque per identitatem formalem, neque per formalem similitudinem.

Quod si primò dicas, similitudo virtualis ęquiualet similitudini formali; pręstat enim illud ipsum, quod pręstat obiectū immediatum, & motiuum formaliter; sicut v. g. natura humana Christi Domini, secundum se indiget sua subsistentia creata for-

formaliter, & tamen in Christo Domino subsistit perfectissimo, & completissimo modo subsistentia Verbi Diuini formaliter, absque vlla indigentia subsistentię creatæ connaturalis.

Respondeo nego assumptum, quia potentia cognitiua, vt supra ostendimus, indiget intra se suo obiecto immediato, & motiuo formaliter, & non ęquiualenter, quia, vt dixi, ex sua natura potentia cognitiua, est potentia suum obiectum formaliter, vnde oritur dictum Aristotelis; quod ex intellectu, & intelligibili fit magis vnum, quam ex materia, & forma; quia intellectus est potentia ipsum intelligibile formaliter, siue fit ipsum intelligibile formaliter; materia autem nullo pacto fit forma formaliter; ac proindè ęquiualens obiecto immediato, & motiuo formaliter, non potest esse aliud, nisi ipsa similitudo formalis sui obiecti immediati, & motiui formaliter, nimirum, quantum ad sua prædicata formalia; at verò nulla species intelligibilis creata, vel creabilis potest esse similitudo formalis intuitiua Dei in se, etiam in repræsentando; quoniam nulla forma potentialitatem includens, secundum id, quod est forma formaliter, potest esse similitudo formalis sui obiecti immediati, & motiui, quod omnem potentialitatem excludit, etiam in ratione repræsentati; sed quælibet forma creata, vel creabilis, ex hoc ipso, quod est creata, vel creabilis, potentialitatem includit essentialiter, nō potest esse similitudo formalis Dei in se, qui omnem potentialitatem excludit, etiam ratione repræsentati; ergo nulla forma creata potest esse repræsentatiua Dei, vt in se est. Maior probatur; quælibet forma potentialitatem includens in eo, quod forma inuoluit rationem formaliter limitatam; sed nulla forma formaliter limitata, in eo, quod forma potest esse similitudo formalis sui obiecti, quod omnem potentialitatem excludit etiam in ratione repræsentati; ergo nulla forma potentialitatem includens, potest esse forma intelligibilis intuitiua Dei in se: quia nulla forma creata, absorbet totum ambitum entitatis; quælibet enim forma creata includit entitatem cum carentia vlterioris perfectionis, non habitæ, vel debitæ, vel indebitæ; nam similitudo, formalis est adæquatè repræsentata per ipsam: & ratio est, quia similitudo formalis obiecti, est similitudo ad minus quantum ad prædicata essensialia sui obiecti.

Cum verò dicitur ab opponente, indigentiam formalem potentiæ cognitiuæ, nō quidem in esse entis, sed in esse potentiæ formalis, quatenus scilicet est potentia suum obiectum immediatum formaliter, posse suppleri per similitudinem æquiualentem, quæ est similitudo virtualis, sicut indigentia formalis naturæ humanæ, quia indiget subsistentia personali creata suppletur à subsistentia increata Verbi Diuini.

Respondeo, nego paritatem; & disparitas est, quia natura v. g. humana Christi Domini indiget subsistentia sua connaturali, & creata, quatenùs subsistentia formaliter, siuè quatenus est terminus substantialis incommunicabilis, non autem quatenus subsistentia increata incommunicabilis est modus, siue actus vltimus incommunicabilis; hæc autem indigentia formalis suppletur à subsistentia personali Verbi Diuini formaliter, non autem eminenter, siue virtualiter; Nam subsistentia personalis Verbi Diuini, est formaliter subsistētia personalis; similitudo autē virtualis obiecti immediati, si daretur, non esset similitudo formalis sui obiecti immdeiati, sed tantum haberet vim faciendi eminentialiter siue per ęquiualentiam virtualem, nec expleret formaliter potentiam intellectiuam, quatenùs est potētia suum obiectum, & semper remaneret incōpleta potentia intellectiua in genere sui obiecti, quia potentia intellectiua est potētia suum obiectum formaliter.

Quod si primò dicas, intellectus creatus beatorum, est adhuc potentia obiectum creatum, vel creabile, quod intuetur in Deo viso, & tamen eius potentialitas, siue indigentia formalis, quæ est carentia obiecti creati formaliter, suppletur à Diuina essentia, quatenus est sua forma intelligibilis in intellectu creato beatorum.

Respondeo, quod species intelligibilis, est potentia suum obiectum immediatum, & primum formaliter, non autem suum obiectum materiale, & secundarium; pariter species intelligibilis, est formaliter suum obiectum immediatum, & primum, non autem suum obiectum mediatum, & secundarium; & ratio huius à priori est, quia species debet esse formaliter suum obiectum formale, & motiuum; hoc enim est principium primum formale mouens intellectum sua forma ad producendum actum cognitionis circa determinatum obiectum, non vero obiectum secundum, & materiale; hac autem posita doctrina, intellectus creatus videns Deum in se, debet in priori naturæ esse ipse Deus formaliter, in esse tamen intelligibili, quia Deus, vt in se, est obiectum primum, & immediatum visionis beatificæ, quæ est cognitio intuitiua im-

immediata Dei, vt in se est.

Quod si secundò dicas, non necessariò species intelligibilis debet esse similitudo formalis sui obiecti formalis, & immediati, quoniã obiectũ formale, & immediatũ cũ sit primũ in genere, obiecti debet esse mensura, seù exẽplar potẽtię intellectiuę; intellectiuũ n. mensuratur ab intelligibili primò; sed nõ est dabilis similitudo formalis primi exẽplaris, & primę mẽsuræ, quia similitudo formalis, quæ .s. est per omnimodã similitudinem, commensuratur obiecto suo; nam est similitudo quoad formalia sui obiecti; ac proindè est similitudo vniuoca; at vniuocatio non est dabilis inter mensuram, & mensuratum; mensuratum enim dicit rationem secundi, mensura verò dicit rationem primi.

Respondeo ex dictis in alijs articulis; speciem, siue formã intelligibilem sui obiecti immediati, quantum ad suam rationem formalem, non esse mensuratam a suo obiecto immediato, sed solum quantum ad modum essendi, quod conuenit ipsi speciei intelligibili, quatenùs distincta est à suo obiecto; & ratio huius à priori est, quia species, intelligibilis, vt supra ostendimus, ex suo genere est tantum suum obiectum immediatum formaliter; hæc autem prædicata præscindunt à prædicatis proprijs mensuræ, & mensurati; quãdoquidem dupliciter species siue forma intelligibilis potest esse suum obiectum immediatum formaliter, vel per identitatem formalem, & hoc est quando obiectum est sua forma intelligibilis, siuè quando forma intelligibilis est indistincta à suo obiecto immediato, vt est forma intelligibilis, qua Angelus intelligit seipsum in actu primo; hæc enim species intelligibilis, est ipsa Angeli essentia, quantum ad sua formalia præcisè, vel, species intelligibilis est ipsa Angeli essentia quantum ad sua formalia præcisè, vel species intelligibilis est suum obiectum immediatum formaliter per formalem similitudinem, siuè per omnimodam similitudinem; & in hoc modo essendi, species, siue forma intelligibilis est mensurata à suo obiecto immediato; sed hoc est prædicatum accidentale formæ intelligibilis, vt sic, & formaliter: conuenit enim formæ intelligibili, non quidem ex suo genere, quatenus forma intelligibilis formaliter, sed quatenus est distincta à suo obiecto immediato, quod quidem prædicatum, non minuit rationem similitudinis formalis, sed solum dicit modum essendi intelligibilem diuersum à modo essendi naturali ex natura rei. Doctrina hæc ex terminis clara est; nàm ad rationem mensuræ, & mensurati requiritur distinctio realis, quia mensura est causa, mensuratum est effectus; hanc autem distinctionem a suo obiecto immediato, non dicit species intelligibilis ex suo genere, secus neque Deus esset sua forma intelligibilis, tum suo Diuino intellectu, tum intellectui creato eleuato lumine gloriæ; neque Angeli essẽtia esset forma intelligibilis suo intellectui in Angelo intelligente seipsum.

Respondent aduersarij primò ad vtrãque rationem ostensiuam cõclusionis; formam intelligibilem ex suo genere esse similitudinem formalem tantum in repræsentando sui obiecti immediati; non autem similitudinem formalem in essendo: qua posita distinctione, dicunt impossibilem esse speciem intelligibilem intuitiuam, quæ est similitudo formalis Dei, vt in se est, tàm in essendo, quam in repræsentando; speciem verò intelligibilem intuitiuam Dei, vt in se, quæ est similitudo formalis tantum in repræsentando non esse impossibilem, & de hac similitudine dicunt se loqui, cùm asserunt, non implicare speciem intelligibilem intuitiuam Dei in se; & addunt, hãc doctrinam in terminis esse S. Thomæ, *quæst. 8. de Verit. art. 1. non multum post principium corporis vbi S. Thomas* dicit, quod in omni cognitione, quæ est per similitudinem, modus cognoscendi, est secundum conuenientiam similitudinis ad illud, cuius est similitudo secundum repræsentationem, sicut species in anima conuenit cum re, quæ est extra animam; hæc enim species in anima est similis rei, cui est similitudo in repræsentando; & sic est intelligendus S. Thomas vbiquumque docet, speciem intelligibilem esse similitudinem formalem sui obiecti; quod si aliquando dixit S. Thomas speciem intelligibilem esse suum obiectum formaliter, pariter intelligendus est de identitate non in essendo, sed in repræsentando.

Sed hæc responsio non attingit mentem S. Thomæ, neque euacuat vim rationum eiusdem; non attingit quidem mentem S. Thomæ, quoniam cum S. Thomas docet, speciem intelligibilem formaliter esse similitudinem in repręsentando sui obiecti, & non in essendo; per similitudinem in essendo intelligit similitudinem naturalem, siuè in esse naturali sui obiecti, & non similitudinem in essendo in esse intelligibili, nàm *in q. 4. de verit. ar. 4. ad 2.* docet, quod ad veritatem Verbi non exigitur similitudo ad rem secundùm conformitatem naturæ, sed secundùm repræsentationem, quam similitudinem expresśè tribuit speciei im-

Mmmmm pres-

pressæ *q. 8. de verit. art. 1.* & hæc doctrina ex natura ipsa entis intelligibilis facillimè intelligitur; etenim ens intelligibile, vt suprà ostendimus, non solùm est ens in causando in genere intelligibilis; sed etiam est ens in essendo, in eodem genere, & declaratur; quia ens intelligibile formaliter præscindit à modo essendi naturali; sed non solum ens in causando, sed etiam ens in essendo in eodem genere, quantùm ad sua formalia prędicata præscindit à modo essendi naturali; vt autem hoc clarius intelligatur, debet distingui duplex similitudo in essendo; alia in genere entis intelligibilis, & alia in genere entis naturalis; S. Thomas docēs, speciē intelligibilem, nō esse similitudinē in essendo sui obiecti, loquitur de similitudine in essēdo in genere entis naturalis, quæ dicitur similitudo in esse naturę. Forma intelligibilis est similitudo in essēdo, sed in esse intelligibili, in quo esse, species intelligibilis, vel præscindit à modo essendi naturali obiecti, quod repræsentat, quo pacto fortè essentia Angeli intelligentis seipsum, vt est sua forma intelligibilis, præscindit à modo naturali essendi, & vniuersaliter huius conditionis est omnis forma intelligibilis indistincta à suo obiecto, vel excludit à se positiuè, & contrariè modum essendi in esse naturæ.

Neque euacuat vim rationum, quibus sufficienter demonstratur, speciem intelligibilem esse similitudinem formalem in esse intelligibili. Primò, quia similitudo intelligibilis cōplet indigētiā formalē potētię in genere intelligibilis; hanc autem indigentiam implicat compleri per similitudinem tantum in repræsentando, & non in essendo in genere entis intelligibilis; quia hæc indigentia est carentia obiecti immediati, & primi formaliter; nimirùm quantum ad sua prædicata formalia; sed obiectum primum, & immediatum formaliter, est ens in essendo; quia ens in essendo dicit prima prædicata entis, quæ sunt prima radix cæterorum, quæ enti conueniunt; hæc autem sunt prædicata formalia obiecti. Secundò, quia prędicata obiecti immediati, & primi, pręscindunt, nedum à modo entis in essendo vt sic, qui est communis modo essendi naturali, & modo essendi intelligibili, sed adhuc præscindunt à modo essendi naturali, & à modo essendi intelligibili; & hinc est, quod forma entis in essendo, prout distinguitur ab ente tantum in causando; diuisibilis est in creatis, in formam naturalem, siuè in esse naturæ, & in formam intelligibilem, siuè intentionalem, quæ formæ distinguuntur inter se solùm quantum ad diuersos modos essendi; & consequenter sunt omninò similes quantum ad prædicata formalia, siuè essentialia; vndè ex hoc, quod forma intelligibilis, sit forma, siuè similitudo in repræsentando sui obiecti immediati formaliter, non tollitur, quin ea sit similitudo formalis sui obiecti immediati; quia similitudo formalis est ad minus quantum ad prædicata formalia, sed solùm tollitur, quod vt sic, non sit similitudo naturalis, v. g. natura humana in Petro, est similis naturæ humanæ in Paulo; species verò, siuè forma intelligibilis naturę Pauli, est quidem similis similitudine formæ naturę Petri, nempè quantum ad sua formalia prædicata ad minus, sed est diuersa, solum quantum ad modum essendi: quoniam natura Pauli est in modo essendi naturali: forma verò intelligibilis naturæ Petri, est quidem similis naturæ Pauli quātum ad sua prædicata, sed in modo essendi intelligibili intra potentiam cognoscentem.

Respondent secundò distinguendo duplicem speciem intelligibilem intuitiuā Dei, vt in se est: aliam, quę est repræsentatiua Dei in se, vt causa principalis, & aliam, quæ est repræsentatiua Dei, vt causa instrumentalis. Primam concedunt non esse possibilem creari à Deo; sed negant non esse possibilem secundam; & de hac dicunt esse controuersiam inter Scholásticos; nam species repræsentatiua Dei, vt causa principalis, debet esse in eodem gradu, vel modo essendi cum Deo, vt in se est; species verò repræsentatiua, vt causa instrumentalis, non item; vniuersaliter enim nullum instrumentum potest esse in eodem gradu entis cum causa principali.

Sed hæc distinctio implicat in terminis; quoniam vt suprà ostendimus, species intelligibilis sui obiecti immediati, ex suo genere, est causa principalis repręsētatiua; implicat autem causam principalem vt sic, esse diuisibilem in causam principalem, & in causam instrumentalem; nàm causa diuisibilis in causam principalem, & instrumentalem, debet præscindere formaliter à causa principali, & à causa instrumentali; sicut, v. g. animal diuisibile est in brutum, & in hominem; quia animal formaliter abstrahit ab homine, & à bruto; assumptum demonstratum est suprà, primò, quia species intelligibilis vt sic, ex suo genere, datur ad supplendam indigentiam formalem potentiæ intellectiuæ; hæc autem indigētia est carentia obiecti formaliter intrà potētiam;

at

at obiectum formaliter, nimirùm immediatum, & primum, est causa principalis; ergo adhuc forma intelligibilis obiecti immediati debet esse causa principalis; sed in modo essendi intelligibili. Secūdò, quia species intelligibilis ex suo genere, vt ostendimus, est q̃dditas sui obiecti immediati formaliter in modo essēdi, tamen intelligibili.

## Implicantia Marc. Anto. Palumbi.

MArcus Antonius Palumb. *in 2. exam. Scholast. in p.p.S. Thomę qu.12 art.2. cap.3.* reijcit, & impugnat prædictas duas implicantias, negans illas esse de mente S. Thomæ, idque probat; quia prædictæ rationes fundantur in hoc principio, quod species intelligibilis, & eius obiectum immediatum, sunt eiusdem rationis formaliter; at hæc ratio nō est S.Th. sed Caiet. Silu. & alij Thomistæ, eam sumpserunt à Durādo *lib.4. sentent. distinct.49.q.2.n.3* quod etiā latè ostendit Hieronym. Fasol. *sup. eād. q.12. S.Thomæ de Vis. Dei, art 1. dub.13.*

Quod si aliquando, inquit Palumb. dixit S.Thomas, quod species, & eius obiectū immediatum sunt eiusdem rationis (quicquid sit de ratione accidentali, & substantiali) intelligendus est S. Thomas in hoc sensu, quod idem est esse speciei intelligibilis, vt species obiectiua formaliter, & eius obiecti immediati; idque probat; quia forma intelligibis est principium formale esse intelligibilis, quod est intelligere; at per idem intelligere, per quod forma intelligibilis est actu species intelligibilis formaliter, etiam est obiectum repræsentatum actu obiectum; neque inquit, aliud credo, tātum eximij viri ingenium voluisse; quicquid autem sit de hoc, affert Palumb. aliam implicantiam, quam dicit esse propriam, ad probandam impossibilitatem speciei intelligibilis creatæ repræsentatiuæ Diuinæ essentiæ, sicuti est in seipsa; implicantia autem est hæc.

Deus vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, est primum intelligibile; sed ratio primæ causę in vniuersum, est incommunicabilis ad extra; ergo species intuitiua creata intuitiuā Dei, vt est in se, est impossibilis. Nomine primi intelligibilis, intelligit Palumb. prima causa, vt sint extra se omnes species intelligibiles, siuè omnia entia intelligibilia, & vt operentur in suo genere; & ità, inquit, Deus est obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, quia propter hoc Deus visus in se, est causa cur cætera extrà Deum videantur, siue saltem sint visibilia in illo; quia scilicèt est causa prima, vt cætera extra se sint intelligibilia. Minor inquit, sui argumenti, est manifesta ex terminis; quia omne ens extrà Deum, est essētialiter ens secundum; implicat verò ens secundum, esse ens primum, vel vt ipse loquitur, implicat ens primum, esse secundum; sed omne quod est communicatum ad extrà, est essentialiter secundum, ergo, &c. maior verò probatur; quia Deus vt obiectum cognitionis intuitiuæ, est causa obiectiua; sed Deus in omni genere causę, est prima; hoc autem prædicatum in vniuersum, est omninò incommunicabile; secus secundum intelligibile esset causa, vt Deus sit causa, seù vt actu causet in genere intelligibilis.

Neque inquit objicias, quod ex creaturis intelligimus Deum; nam inquit, illud intelligimus secundùm conceptus finitos, & limitatos, quos formamus de Deo ex perfectionibus creaturarum, non autem secundum conceptus proprios Dei, vt est in seipso; in quo sensu negatur, possibilem esse speciem intelligibilem intuitiuam Dei.

Hæc implicantia semper mihi visa est acuta; sed in sano sensu intellecta; triplicem enim potest habere sensum.

Primus sensus est, quod species intelligibilis intuitiua Dei in se, debet esse ratio primi intelligibilis, sed ratio primi in vniuersum, est incommunicabilis ad extrà; ergo species intuitiua Dei est impossibilis.

Secundus sensus est, quod species intelligibilis intuitiua Dei, est ad concursum Dei, vt est obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ; sed implicat dari speciem intelligibilem creatam ad concursum obiectiuum Dei, vt obiectum congnitionis intuitiuæ creatæ, quia Deus vt obiectū cognitionis intuitiuę creatę est primum intelligibile; at implicat, speciē intelligibilē creatā eleuari ad concursum primi intelligibilis; ergo implicat species intelligibilis intuitiua Dei.

Tertius sensus est, quod species intelligibilis intuitiua Dei, est causa, vt Deus intelligatur, prout est in seipso; sed hoc est incommunicabile creaturæ; quia Deus vt intuibilis in seipso, est primum intelligibile; quia scilicèt est prima causa cur sint cætera intelligibilia extrà suam intelligibilitatem, quæ est prima; at implicat secundū intelligibile, esse causā, q; Deus in seipso intelligatur, sicuti in eodem simili persistendo, Deus est prima rerum causa in essendo; sed implicat ens creatum esse causam, vt Deus sit prima rerum causa in essendo; ergo nullū ens creatū erit causa primi esse.

Primus sensus, nullo modo est intẽtus ab Authore implicantiæ: quia ratio implicantiæ in primo sensu, reducitur ad implicantiam S. Thomę, scilicèt, quod species intelligibilis intuitiua, ex suo genere est quidditas sui obiecti immediati formaliter; sed implicat speciem intelligibilem creatam, esse quidditatem Dei, vt in se est formaliter; quia Deus vt intuibilis, est primum intelligibile: primum autem in vniuersum, est incommunicabile ad extrà; ergo implicat species intelligibilis intuitiua Dei extrà Dei essentiam; at hoc expresè negat Palumb. idque probat vt supra diximus. Primò, quia ad rationem speciei intelligibilis intuitiuæ Dei, satis est proportio in ratione repræsentatiui, & repræsentabilis; hæc autẽ proportio nõ requirit per se, vt repræsentatiuum sit formaliter suum repræsentatum immediatum, neque per identitatem formalem, neque per formalem similitudinem: nàm species intelligibilis, quæ est accidens potest repræsentare substantiam formaliter. Secundò, quia repræsentabile secundùm vltimam differentiam, est id quod; repræsentatiuum verò formale, quod est species intelligibilis, est id quo; sed hæc duo sunt formaliter, & essentialiter diuersa; nàm prædicatum, quod competit vni essentialiter, non competit alteri; sed intelligitur ratio implicantiæ prædictę à Palumbo in secundo, & in tertio sensu; & sic ratio implicantiæ est propria speciei intelligibis intuitiuę Dei.

Probatur primò implicantia in secũdo sensu: species intelligibilis est ad concursum sui obiecti immediati; species enim intelligibilis est forma, qua obiectum primum, & motiuum mouet intellectum ad producendum actum cognitionis; sed implicat species intelligibilis creata ad concursum Dei, vt est obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ; quoniam Deus est obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, vt primum intelligibile; nàm Deus vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, est prima causa obiectiua, cum sit primum mouens obiectiuum intellectus creati ad suam cognitionem; sed implicat species intelligibilis, siuè primæ causæ obiectiuæ; implicat enim, secundum mouens, concurrere ad motum primi mouentis, cum primum sit causa cæterorum extrà se in eodem genere; sed concurrens ad motum primi mouentis, necessariò debet habere rationem primi; ratio autem primæ causæ in vniuersum, est incommunicabilis ad extrà.

Neque dicas, quod ratio primæ causę in vniuersum, est incommunicabilis creaturæ, vt causa principalis, non autem vt causa instrumentalis eo modo, quo plures contendunt virtutem causæ creatiuæ, incommunicabilem esse creaturæ in ratione causæ principalis; communicabilem verò in ratione causæ instrumentalis, nimirùm, posse creaturam creare, vt instrumentum primæ causæ, non verò vt causam principalem, nàm.

Contra est; causa instrumentalis in re præsenti, debet esse ad concursum primæ causæ, seù primi mouentis obiectiui; sed implicat creaturam ex suo genere, quatenùs creatura formaliter, eleuari ad concursum primæ causæ, vt suprà ostensum est; & ob hãc eandem rationem adhuc implicat, creaturam, quatenùs creaturam, posse creari, vt causam instrumentalem Dei creatis: nàm Deus, vt causa creatiua, est primum creans: at implicat dari instrumentum ad concursum primæ causæ in vniuersum.

Quod si respondeat Suarez: actionem huius instrumenti creatiui, non attendi ex perfectione eius, sed ex perfectione primi agentis.

Hæc responsio primò, nisi ad bonum sensum intelligatur, & trahatur, soluenda est à Suarez difficultas, quomodo creatura, vt instrumentum, eleuari non possit ad generationem Verbi Diuini; vtraque enim productio, tàm ad intrà, quàm creatio ad extrà, est actio propria primi.

Neque potest afferri disparitas ad satisfaciendum instantiæ, quod generatio Verbi Diuini est ad intrà, nimirùm intrà esse Diuinum; creatio verò est productio termini ad extrà, quæ est actio Dei, vt causæ primæ; at ratio causæ est communicabilis creaturæ; quia est productio termini diuersi in esse à Deo: at generatio Verbi Diuini est productio ad intrà, absque vlla diuisione, & diuersitate in esse; nam.

Contra est, ratio primæ causæ in vniuersum, est incommunicabilis creaturæ; sed vtraque actio est ratio primi simpliciter, nimirùm, ratio cur prima causa, sit incommunicabilis ad extrà, est quia, est prima: sed ratio primi conuenit, tàm intrà, quam extrà. Secundò, omnis forma creata, siuè naturalis, siuè intelligibilis, est essentialiter ens secundum; at implicat ens secundum eleuari ad concursum proprium primi agentis; ad hoc enim requiritur, vt sit primum ens; at implicat ens creatum eleuari ad rationem primi ens, & primæ causæ.

Explicatur discursus: nam sicut res se ha-

habet in esse, ita, & in operari; sed implicat creaturam eleuari, vt sit primum ens in esse; ergo implicat etiam eleuari ad concursum primi entis.

Probatur secundò implicantia Palumbi in tertio sensu; implicat secundum, siue posterius esse causam primi, siue prioris simpliciter; at si daretur species intelligibilis intuitiua Dei, ea esset causa, vt Deus foret primum intelligibile, seù primum obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ; sed hoc est impossibile; ergò impossibilis est species intelligibilis intuitiua Dei, vt in se est; discursus est euidens. Primò, quia implicat primum in genere causari à posteriore in eodem genere; nam primum in genere, est causa cęterorum, quæ sunt post, in eodem genere; posteriùs autem, vt posteriùs formaliter, non potest esse causa primi in genere; sed Deus, vt obiectum cognitionis intuitiuę creatæ, est primum intelligibile; ergò nullo pacto est dabile secundum intelligibile, quod sit causa, vt sit primum intelligibile. Secundò, operari proportionatur esse, sed omne creatum est ens essentialiter secũdum; ergò omne creatum non operatur, nisi operatione secunda; at implicat hoc esse causam primi entis; ergò, &c.

Hanc rationem acriter impugnat Fasolus *loco supra cit. à num.* 54. pluribus rationibus.

Primò, Deus est etiam primum intellectum; quia est essentialiter sua forma intellecta; sed hoc dato, non est impossibilis species expressa, siue intellecta intuitiua Dei, dans Deo esse intellectum extrinsecè; ergo neque est impossibilis species intelligibilis creata intuitiua Dei, vt in se est, dans Deo esse intrinsecè intelligibile, quæ scilicet sit causa, vt Deus sit intelligibilis extrinsecè.

Respondeo primò, iuxtà secundum sensum rationis Palum. concedo maiorem, & distinguo minorem; non implicat species expressa ex parte potentiæ, quæ scilicet est vitalis repræsentatio Dei, vt in se est, & cõcedo; non implicat, siuè non est impossibilis species expressa ex parte obiecti, nimirum, ex parte Dei, vt est obiectum intuibile: & nego, & disparitas est; quia species expressa ex parte obiecti, datur ad concursum obiecti terminatiui; species verò expressa ex parte potentiæ, non est ad concursum obiecti terminatiui, sed ad concursum potentiæ intellectiuæ creatæ: ratio cur implicet, siuè sit impossibilis intrinsecè species expressa intuitiua Dei in se, est quia Deus, vt obiectũ terminatiuum cognitionis intuitiuæ creatę est primum intellectum: implicat autem speciem expressam creatam, eleuari ad concursum primi obiecti terminatiui: hæc autẽ implicantia non reperitur in specie expressa ex parte potentię intellectiuæ creatę.

Respondeo secundò iuxta tertium sensum rationis; concedo maiorem, & distinguo minorem; non est impossibilis species expressa, quę sit causa, vt Deus sit primũ intellectum ex parte obiecti, quod s. est prima causa, vt sint cętera intellecta extra Deũ, & nego; non est impossibilis species expressa, quę det Deo esse extrinsecè intellectũ, quę est denominatio extrinseca ab intellectu creato actu intelligente Deum, & concedo. Cum negatur species expressa creata intuitiua Dei, sermo est de specie expressa, quę est causa, vt Deus sit primum intellectum, quod est denominatio intrinseca; primum enim intellectum, est prima causa, vt sint cętera intellecta extra se, & vt actu terminent cognitionem intellectus; & huiusmodi species est species expressa ex parte obiecti, de qua suo speciali articulo disputabitur. Proculdubio datur species expressa dans Deo esse extrinsecum intellectus, quia datur cognitio intuitiua Dei creata; sed Deus, vt obiectum extrinsecè intellectum, non est primum intellectum, quia primum intellectum, est prima causa obiectiua, vt sint, & terminent cętera intellecta extra Deum: at ratio primę causę in vniuersum, est per virtutem, siue formam intrinsecam; causa enim non causat, nisi quatenùs est actu; vnumquodque autem est actu per formam, quę est principium formale essendi; forma autem essendi est intrinseca.

Secundò arguit, Deus est etiam primum amabile, & primùm lumen; & tamen ad Deum amandum, & intelligendum concurrunt habitus charitatis, fidei, & luminis glorię; ergò esse primum intelligibile, non debet impedire, quominùs ad sui intellectionem concurrat aliqua species creata intellligibilis.

Quod si dicas, inquit Fasolus, disparitatem esse; quia prędicti habitus tenent se ex parte potentiæ; species verò intelligibilis ex parte Dei; id inquit, non euacuat difficultatem: tùm quia semper quæri potest, cur species intelligibilis, ex eo quod se teneat ex parte Dei, tanquam eius instrumentum, implicet contradictionem? hoc enim non apparet ex terminis repugnare cum ratione primi intelligibilis; tùm quia lumen gloriæ, sicut dicendum est de quocumque alio habitu supernaturali, agit etiam vt instrumentum connaturale Dei: ergo tenet se etiam

etiam ex parte Dei: quia omne instrumentum se tenet ex parte causę principalis.

Respondeo ad principale argumentum iuxta secundum sensum implicantiæ, concedo primam partem antecedentis, nimirùm, Deum esse primum amabile, & primum lumen, & distinguo secundam partem, nempè, & tamen ad amandum, & intelligendum concurrunt habitus charitatis fidei, & lumen gloriæ. Ad actionem causæ secundæ amantis, & videntis Deum, & cōcedo ad actionem causæ peimæ, nimirùm ad actionem primi amabilis, & primi intelligibilis, & nego. Species tàm intelligibilis, quam intellecta intuitiua Dei implicant, ex eo quia prædictæ species sunt ad concursum obiecti, scilicèt species intelligibilis ad concursum obiecti intelligibilis, & species intellecta, siuè expressa ad concursum intellecti intrinsecè: at implicat dari species, tam intelligibilis, quàm intellecta intuitiua Dei in se ad concursum Dei, vt obiectum cognionis intuitiuæ creatæ, tàm motiuum, quàm terminatiuum: quia Deus vt obiectum cognitionis intuitiuæ est primum intelligibile, & primum intellectum; nulla verò creatura creata, aut creabilis potest concurrere ad concursum primæ causæ in vniuersum, neque vt concausa principalis, neque vt causa instrumentalis: cæterum prædicti habitus charitatis, fidei, & luminis gloriæ dantur tantummodò ad concursum causæ secundæ; ac proindè prædicti habitus sunt possibiles; species verò intelligibilis, & species expressa, siuè intellecta intuitiua Dei non item.

Cum denique instat Fasolus dicens, hanc disparitatem non euacuare difficultatem; tàm quia semper queri potest cur species intelligibilis, & species expressa ex eo, quod se tenent ex parte Dei implicent contradictionem, &c.

Respondeo, nego assumptum; ad probationem autem, respondeo, quod ratio disparitatis est eadem, quàm suprà explicauimus, nimirùm species intelligibilis intuitiua Dei, ex eo quod se tenet ex parte Dei, inquantùm est obiectum cognitionis intuitiuæ; idest obiectum motiuum, est impossibilis; quia species intelligibilis ex suo genere est ad concursum obiecti motiui intellectus; implicat autem speciem quamlibet intelligibilem creatam, aut creabilem concurrere ad concursum primi intelligibilis, siuè vt concausa principalis, siuè vt causa instrumentalis, idem dico de specie expressa Dei intuitiua, quia hæc ex suo genere debet esse ad concursum obiecti; at implicat speciem quamlibet creatam, aut creabilem expressam concurrere ad concursum primi intellecti, quo pacto est Deus, vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ.

Neque obstat cum dicitur à Fasolo, quod lumen gloriæ, sicut, & quilibet habitus supernaturalis sunt instrumentum Dei, vt primæ causæ supernaturalis.

Non inquam obstat hoc, nàm sunt instrumentum primæ causæ supernaturalis ad actionem causæ secundæ, non ad actionem causæ primæ, nimirùm non concurrunt ad concursum primi amabilis, aut ad concursum primi obiecti fidei; sed sunt instrumentum primæ causæ supernaturalis ad concursum causæ secundæ, nimirùm, creaturæ amantis, & credentis Deum; eleuant enim prædicti habitus creaturam ad amandum, & credendum in Deum, isti autem concursus, & operationes sunt operationes creaturæ. Cum autem nos diximus non posse lumen gloriæ, aut quemlibet alium habitum creatum eleuari ad esse instrumentum Dei, intelligimus dictum, non posse dari instrumentum primæ causæ, ad concursum primę causæ. Explico, Deus, siuè prima causa supernaturalis eleuans intellectum creatum lumine glorię ad producendam cognitionem intuitiuam, qua Deus ipse in se cognoscatur, concurrit cum intellectu creato illum promouendo ad producendam cognitionem intuitiuam ipsius Dei, in quam cognitionem adhuc concurrit intellectus creatus, vt eleuatus lumine gloriæ; in hoc coniuncto sunt duo concursus, & concursus primæ causæ, & concursus intellectus creati eleuati lumine glorię; nàm causa prima simul cum intellectu creato producunt visionem intuitiuam Dei; lumen gloriæ non concurrit ad concursum primæ causæ, nam prima causa concurrit vt prima, siue concursu primi proprij, ad quē non potest eleuari lumē glorię, sed cōcurrit ad cōcursum intellectus creati, cui dat vires intrinsecas supernaturales, & Deus assumendo lumen glorię tribuit illud intellectui, vt ipse intellectus possit in suo genere causæ producere visionem intuitiuam, quia lumen gloriæ, est virtus, siuè augumentum intellectus creati ad producendum actum supernaturalem; quod isti duo discursus distinguātur ex natura rei, est manifestum; quandoquidem prima causa concurrit ad effectum, & ad operationem causę secundæ, in quantum sunt ens ex nihilo formaliter, siuè naturale, siuè supernaturale; causa verò secunda concurrit ad eundem effectum, & ad eandem operationem inquantum

tum sunt tale ens ex nihilo; ac proindè Deus concurrit independenter à causa secunda; causa verò secunda dependenter à causa prima. Quod denique lumen gloriæ, & alij habitus supernaturales sint ad concursum causæ secundæ, & non ad concursum primæ causæ, adhuc manifestum est; quia lumen gloriæ, & alij habitus sunt habitus v.g. charitatis fidei,&c. sunt virtus siue augmentum virtutis causæ secundæ, non autē sunt virtus, & augmentū virtutis primæ causæ obiectiuę;& ratio à priori huius est, quia prima causa vtitur lumine gloriæ,& alijs habitibus,vt causa secūda possit operari in suo genere operationes supernaturales; implicat enim causam in vniuersū, posse operari sine virtute operatiua intrinseca,vt ostendimus sufficienter supra: non autem vtitur prædictis habitibus,vt instrumento ad actionem, siue concursum, quo Deus concurrit,vt prima causa obiectiua in effectum, & in operationem causæ secūdæ.

Quod si dicas pro Paso, species intelligibilis, & species intellecta intuitiua Dei, quæ sunt ex parte Dei, vt est obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ,concurrunt etiā ad actionem intellectus creati; sed hic concursus non impedit,quin ipsæ species,vt intelligibiles, & intellectus Dei concurrant etiam ad concursum proprium Dei, quatenùs est obiectum cognitionis intuitiuę creatæ;ergò ex eo, quod lumen, & alij habitus concurrunt ad actionem propriam intellectus creati, neque impediuntur, quominùs concurrant ad concursum Dei, vt primi obiecti cognitionis intuitiuæ creatæ.

Respondeo enim assignando disparitatem, inter speciem intelligibilem, & speciem intellectam intuitiuam Dei, & inter lumen gloriæ, & alios habitus supernaturales; etenim prædictæ species intuitiuæ Dei, cum sint ad concursum Dei in quantum est obiectum motiuum, & terminatiuum cognitionis intuitiuæ creatę, habent rationem causę primę; causa autem prima concurrit non solum ad concursum suum proprium, qui est concursus primi, sed etiam ad concursum causę secundę, at lumen glorię,& alij habitus supernaturales, cum sint virtutes,quibus fiunt potentes precisè causę secundę, sunt formaliter causę secundę;causa autem secunda nullo pacto potest eleuari ad concursum proprium primę causę; quia adhoc requiritur, vt fieret ens primum, quod est omninò impossibile. In hac materia difficultatem facit hic modus loquendi; Deus vtitur lumine glorię ad hoc vt intellectus videat ipsum Deum in se; sed hæc difficultas facilè expenditur:nàm Deus vtitur lumine glorię, vt faciat intellectum creatum potentem intrinsecè ad producendam visionem supernaturalem Dei in se: non autem vtitur lumine glorie, vt ipse Deus possit concurrere simul cum intellectu creato ad producendam visionem ipsius Dei in se; & vt hoc clariùs intelligatur, haberi debet hoc principium ob oculum intellectus; quod species intelligibilis, & species intellecta intuitiua Dei se tenent ex parte obiecti; prędicti verò habitus se tenēt ex parte potentię intellectiuę creatę, si sint habitus intellectuales, & hęc dicta sunt ad defendendam implicantiam Palum. in secundo sensu; si verò velimus defendere, & substinere dictam implicantiam in tertio sensu.

Respondendum est, paulò aliter, assignando hanc disparitatem, nō esse dabilem speciem intuitiuam Dei in se creatam, sicut dantur habitus supernaturales in intellectu creato;quia species intelligibilis intuitiua Dei est ratio formalis ipsi Deo, vt sit obiectum primum cognitionis intuitiuę creatę; obiectum enim intellectus,est formaliter intelligibile per suam formam intelligibilem; dico est formaliter intelligibile; quia non loquor de obiecto intelligibili materialiter, siue in genere entis; sed loquor de obiecto intelligibili formali; sed nulla species intelligibilis creata potest esse causa, vt Deus sit primum intelligibile,&c.lumen glorię verò est causa ipsi intellectui creato,vt possit intueri Deum.

Neque huic doctrinę obstat,si dicatur, potest eadem essentia obiecti materialis esse forma sua intelligibilis,vt contingit in Angelo intelligente seipsum,& in Deo, qui est per suam essentiam,sua forma intelligibilis, tum suo Diuino intellectui, tum intellectui creato eleuato lumine glorię.

Quandoquidem hęc identitas formalis non tollit distinctionem virtualem inter speciem intelligibilem, & essentiam naturalem obiecti,siuè motiui,siuè terminatiui;hęc autem distinctio virtualis satis est ad distinguendam speciem intelligibilem ab essentia sui obiecti in esse naturali:hoc enim modo,omnes Theologi docent non obstante identitate formali in Deo, intellectum distingui virtualiter à voluntate, vnum attribuum ab alio, & essentiam Dei in esse naturali distingui à sua specie intelligibili, & hęc distinctio virtualis, non est pęnes quidditatem, vt sic, sed pęnes diuersos modos essendi vnius,& eiusdem essentię, nimirum pęnes modum essendi naturalem, &

pe-

Penès modum essendi intelligibilem.

Tertiò arguit Fasolus; esse primum intelligibile, vel significat esse per se intelligibile; & ideò non posse Deum fieri intelligibilem per speciem intuitiuam creatam, & hoc facilè impugnatur; nàm duplex est inintelligibilitas; alia immediata intrinseca, & substantialis, siue principalis, & alia mediata extrinseca, & accidentalis, siue instrumentalis, qua posita distinctione, inquit Fasolus; Deum nullo modo posse fieri intelligibilem, intelligibilitate intrinseca, & substantiali: contendit verò, posse fieri intelligibilem intelligibilitate extrinseca accidentali, siue instrumentali, non obstante, quod sit intelligibilis proximè, intelligibilitate substantiali, & intrinseca; controuersia autem inter Theologos, non est, an possit dari species intelligibilis creata intuitiua, quæ det Deo esse intelligibile intrinsecè substantialitèr, & vt causam principalem; quia hoc euidenter implicat contradictionem; sed solum controuersia est, & contentio inter Theologos: vtrum non obstante, quod Deus sit proximè intelligibilis substantialiter, & vt causa principalis, non ammissa illa sua proxima intelligibilitate, immediata, substantiali, & intrinseca, possit absque vlla contradictionis implicantia, fieri formaliter, & proximè intelligibilis intelligibilitate extrinseca, siue instrumentali; hoc est, acquirere aliam distinctam proximam intelligibilitatem mediatam, accidentalem, & extrinsecam, & hoc inquit possibile est: sicut enim hoc nullam perfectionem à Deo aufert, ita etiam nullam in Deo intrinsecam perfectionem de nouo ponit; idque probat; nā esse hoc modo intelligibilē Deū, vt in se, significat de nouo vniri potentię intellectiuæ creatæ, non per se, sed per sui similitudinem in repræsentando, seu per instrumentum suum obiectiuum, non in ipso Deo inhærens, sed tantum in potentia intellectiua creata, & ipsum Deum extrinsecè tantum denominas vnitum, & proximè intelligibilem; vel significat Deum non concurrere immediatè, & per se tamquam obiectum, sed mediatè per suum instrumentum: vt autē hoc clariùs explicet, addit, quod deceptio auctorum contrariæ sententiæ, orta videtur ex eo, quod putarunt, speciem intelligibilem creatam, non posse dare Deo aliam proximam intelligibilitatem, nisi quam habet, nempè substantialem, & intrinsecam, sed decipiuntur inquit, cum supra hanc, possit dari alia accidentalis, & extrinseca, quam Deus ex se intrinsecè habere non potest, sicut sine vlla intellectione habere ex se non potest esse intellectum.

Vel significat inquit Faso. primum intelligibile infinitum, & omnium nobilissimum; sicut dicitur Deus primum ens; & tūc inquit, est probādum, cur talis primitas tollat possibilitatem speciei creatæ intuitiuę Dei. Nulla enim inquit huius rationabilior causa afferri potest, nisi, quæ supra est explicata, & soluta nimirùm, quia species intelligibilis creata, facit intelligibile obiectū, cuius est species; implicat autem primum intelligibile fieri intelligibile per speciem intelligibilem creatam, sicut implicat, primum ens, & primam causam fieri per aliquam creaturam, & ens, & causam; sed hæc ratio inquit, nulla est; quia obiectum fieri intelligibile per speciem, est denominatio extrinseca; sicuti fieri intellectum per intellectionem; esse verò primum ens, & primam causam, sunt denominationes intrinsecæ.

Vel significat primum intelligibile cōcurrere ad intellectionem intuitiuam sui, sicut prima causa concurrit ad omnem actionem creatam; & ideò sicut creatura non potest fieri prima causa, vel sicut creatura non potest esse causa, vt Deus sit primum ens, & prima causa; ita nō potest creatura fieri, quæ loco Dei præstet concursum primæ causæ, & consequenter, neque fieri potest creatura, quæ præstet concursum primi obiecti intelligibilis, &c.

Neque inquit, in hoc sensu, implicantia est ostensiua, & huius, hanc assignat disparitatem; quia Deus, vt obiectum suę cognitionis intuitiuę creatę, habet rationem causę primę particularis, ac determinatę ad vnum actionis genus, nempè, ad sui cognitionem intuitiuam creatam, non autem ad infinitas alias actiones, quas respicit immediatè, vt prima causa per intellectum, volūtatem, & omnipotentiam; at verò non est contra rationem essentialem causę primæ specialis, & particularis admittere instrumentum ad suas operationes speciales, sicut est contra essentialem rationem causę primę, & vniuersalis, vt actio creata ab alio, quam ab ipso producat; vnde inquit, adhuc aduersarij non negant, posse à Deo eleuari lapidem v.g. per potentiam obedientialem, vt faciat id, quod connaturaliter faceret species intelligibilis, si dari posset, & nihilominus, non concedunt posse eleuari creaturam ad concursum causæ vniuersalis, obstante essentiali subordinatione, quam in essendo, & operando habent omnes causæ secundę à causa prima. Huic instantię

Respondeo ex dictis, iam enim Palumb. *loc. sup. cit.* explicat quid intelligatur

no-

nomine primi intelligibilis, vel nomine primi obiecti, intelligitur enim primum intelligibile, quod est prima causa obiectiua omnium intelligibilium extrà se, tùm in esse, tùm in operari; sicut primum ens, significat ens, quod est prima causa vt sint cætera, entia extrà se, tum in esse, tùm in operari. Primum enim in vnoquoque genere, est causa cæterorum, quæ sunt extrà.

Cum verò dicitur à Fasolo, quod ex hac primitate non sequitur, vt sit impossibilis species intuitiua Dei in se; nàm ex eo, inquit, quod Deus est prima causa intelligibilis, solùm sequitur, quod nulla species intelligibilis creata potest esse causa, vt Deus sit primum intelligibile intelligibilitate essentiali, prima, intrinseca, & principali; implicat enim primum intelligibile, fieri intelligibile ab intelligibili secundo, siuè creato; sicut implicat primum ens, & primam causam, fieri per aliquam creaturam, & ens, & causam; sed non sequitur Deum, non posse fieri adhuc intelligibilem intelligibilitate extrinseca accidentali, & instrumentali: & hoc inquit Fasolus satis est, vt sit possibilis species creata intuitiua Dei, vt ipse probat *loc. cit. dub. 15. n. 53. circ. med.* & huius, hanc assignat rationem; quia species intelligibilis creata ex suo genere, est instrumentum obiectiuum sui obiecti immediati; instrumentum autem obiectiuum Dei nullam inuoluit implicantiam, sicut enim hoc nullam à Deo perfectionem aufert, ità etiam in Deo nullam imperfectionem ponit; idque probat vt suprà; quia non implicat, primam causam vti posse instrumento creato ad aliquem effectum producendum.

Respondeo nego assumptum, nempè ex hoc, quod Deus, vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, est primum intelligibile, non esse impossibilem speciem intelligibilem intuitiuam Dei in se, dantem Deo solum esse intelligibile, extrinsecum, accidẽtale, & instrumentale; & ratio negationis est. Primò, quia species intelligibilis ex suo genere, inquantum scilicèt, species intelligibilis, est ad concursum obiecti; at hoc posito, omninò implicat hæc species intuitiua Dei extrinseca, & accidentalis, quia Deus, vt obiectum cognitionis intuitiuę, est primum intelligibile: at nulla species creata potest eleuari ad concursum primi intelligibilis, vt suprà ostendimus, etiam, vt causa instrumentalis, scilicèt, ad concursum primum. Secundò, quia primum intelligibile, est causa prima omnium intelligibiliũ extrà se, siuè ea sint intrinsecè, siuè extrinsecè intelligibilia; at nullus effectus, vt effectus formaliter, potest esse causa suæ primæ causæ, sicut in eodem simili persistendo, cũ Deus sit prima rerum causa in essendo, & operando, nullum ens creatum potest esse causa Dei, siuè primi esse.

Neque contrarium ostendit Fasolus cum dicit, Deum esse primum intellectum, & tamen non implicat fieri Deum extrinsecè intellectum per extrinsecam intellectionem creatam intuitiuam; nàm primò hic negatur forma intellecta, siuè intelligibilis creata, quæ ponitur necessaria ad cõcursum primi intelligibilis, siuè primi intellecti; cognitio autem, qua Deus cognoscitur, non est ad concursum Dei, inquantum est primum intellectum; sed est ad cõcursum causæ secundæ. Secundò negatur hic species intellecta, vel intelligibilis ex parte obiecti, non autem ex parte potentię intellectiuæ; species autem intellecta, siuè intelligibilis ex parte obiecti, est causa, vt eius obiectum sit intrinsecè intelligile non extrinsecè; quia omnis species intelligibilis est ad concursum obiecti, quãdo est ex parte obiecti; ac proindè non est dabilis species intelligibilis instrumentalis, & extrinseca intuitiua Dei.

Cùm verò dicitur à Fasolo, quod Deus potest esse extrinsecè intellectus, hoc dupliciter intelligi potest. Primò ex parte obiecti; secundò ex parte potentiæ intellectiuæ creatæ. Primo modo falsa est propositio; in secundo modo autem est vera; & ratio est, quia primo modo Deus est primum intellectum, sicut est primum intelligibile. Primum autem in eo, in quo est primum, non potest admittere secundum ad concursum proprium primi, ꝙ scilicèt sit causa, vt sit primum. Secundò verò modo potest admittere esse intellectum extrinsecè; quia Deus, vt obiectum cognitionis intuitiuæ est quidem primum intellectum ex parte obiecti, sed non est primum intellectum ex parte potentiæ, quia primum intellectum ex parte obiecti est denominatio intrinseca; esse verò intellectum ex parte potentiæ, non item; quia primum est denominatio intrinseca; primum enim est causa cæterorum extrà se in eo genere, in quo est primum; causa autem prima est denominatio intrinseca, quia causa est à virtute, & à perfectione intrinseca.

Neque hæc doctrina soluitur, neque impugnatur distinctione, quã affert Fasol. primæ causæ vniuersalis, & primæ causæ specialis, siuè particularis, nimirùm, primæ causæ generalis ad omnes actiones in-

quocumque genere causæ præscindentis ab imperfectione, & causæ specialis, quæ causat concursu tantum intelligibili, & obiectiuo; qua posita distinctione, dicit Fasolus, non esse contra rationem essentialem causæ primę particularis admittere instrumentum ad operationes sui generis; sicut est contra essentialem rationem causæ primæ, & vniuersalis, vt creatura, tanquam instrumentum concurrat ad eius concursum vniuersalem.

Non inquam obstat hæc distinctio, primò; quia non assignatur ratio, nec est assignabilis, cur primitas causæ vniuersalis tollit possibilitatem instrumenti ad cõcursum primi; primitas verò causæ specialis, & particularis, ac determinatæ ad vnum actionis genus, nempè, ad operationes intelligibiles non item; & disparitas, quam ipsemet Fasolus assignat dicens, quod primitas causæ vniuersalis non admittit instrumtum ad concursum primi; quia concursus primæ causæ vniuersalis, est ad infinitas actiones creatas, & ad infinitos effectus causarum secundarum, quos respicit immediatè, vt prima causa, per intellectum, & voluntatem, & omnipotentiam: concursus verò primæ causæ particularis, vt est concurrens primi obiecti, & primi intelligibilis, est ad vnum tantum genus actionis: nàm ad concursum primi, vt causæ vniuersalis, requiritur virtus infinita, simpliciter, quæ omninò incommunicabilis est creaturæ, cum creatura sit essentialiter limitata, ad determinatum genus entis; ad concursum autem primæ causæ specialis, & particularis, cum determinata sit ad vnũ tantum genus actionis, puta ad actiones intelligibiles tantum, vt est Deus, vt prima causa obiectiua suæ cognitionis intuitiuæ creatæ, non requiritur virtus infinita simpliciter; sed virtus determinata ad vnum tantum genus actionis.

Sed hæc disparitas nulla est; nàm ratio à priori, cur implicet species intuitiua Dei, est, quia non potest dari vlla creatura ad concursum primi, siuè primæ causæ, primò, quia causa prima in vniuersum est incommunicabilis creaturæ, etiam vt causæ instrumentali; omnis enim causa prima, inquantùm prima, est vna tantum, est enim causa prima cæterorum, quæ sunt extra se; hæc autem ratio reperitur, tam in causa prima vniuersali, quam in causa prima speciali; vel sub alijs verbis; omnis species intelligibilis extra Deum, est effectus primæ causæ intelligibilis, quæ dicitur causa specialis, nimirùm, in genere intelligibilis; Primum enim intelligibile, est causa cæterorum, quæ sunt intelligibilia extra se; sed effectus, vt effectus, non potest concurrere ad concursum primi, in ratione primi; omne enim concurrens ad concursum primæ causę debet esse intrà rationem primi, quia præcedit causalitatem primæ causæ, qua causantur cætera, quæ sunt extra primum. Secundò, quia nullum secundum potest esse causa primi in eodem genere; esset enim secundum, & non secundum, dependens, & independens, causa, & effectus secundùm idem, quæ est manifesta contradictio; sed omnis species intelligibilis creata, vel creabilis est secundum intelligibile; ergo nullo pacto potest esse causa primi intelligibilis; ob hanc eandem rationem, vt suo loco probabitur adhuc implicat species intelligibilis, qua Angelus intelligit seipsum prę ter suam essentiam, quæ est sua species intelligibilis essentialis: etenim essentia Angeli est primum intelligibile in intellectu Angeli intelligentis seipsum, nullũ autem sin, in genere, potest esse ad concursum primi etiam vt instrumentum; at species intelligibilis accidentalis, qua Angelus intelligit seipsũ, si dabilis esset foret secundũ intelligibile in ordine; ergo, non est admittenda species extrinseca, & accidentalis adhoc, vt Angelus intelligat seipsum.

Cum denique dicunt Aduersarij, causam primam posse vti creatura vt instrumento, sicut, v. g. vtitur Deus aqua in baptismo, vt instrumento ad causandam gratiam baptismalem, hoc verum est ad concursum causæ secundæ, non autem ad concursum causæ primæ: at species intelligibilis intuitiua Dei est ad concursum primi intelligibilis, quia loquimur de specie intelligibili intuitiua Dei ex parte obiecti, non ex parte potentiæ intellectiuæ; est autem species intelligibilis intuitiua Dei ex parte potentiæ virtus intellectiua, sicut species expressa ex parte potentiæ est vitalis repræsentatio, quæ est operatio vitalis potentiæ intellectiuæ.

Quod si primò aliquis pro Fasolo arguat: causa instrumẽtalis est ad concursum causæ principalis; v. g. calor quatenus est instrumentum ignis est ad productionem substantiæ alterius ignis; hæc autem productio est ignitio, quæ est actio ignis producentis, qui est causa principalis productiua alterius ignis; sed Deus, vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, est causa prin-

principalis obiectiua; ergo potest admittere instrumentum ad suum concursum obiectiuum, sed hoc instrumentum non potest esse aliud, nisi species intuitiua creata; ergo, &c.

Resp. maiorem esse verã de instrumẽto causæ principalis creatæ, siuè secundæ, non autem de instrumento causæ principalis primæ; Deus autem vt obiectum cognitionis intuitiuę creatæ, est causa principalis prima, non secunda, sicut ignis est causa principalis productiua alterius ignis per actionem, quæ est ignitio, & disparitas est; nàm instrumentum per hoc, quod concurrit ad concursum causę principalis, & secundæ, non distrahitur a ratione causæ secundæ, causa enim secunda diuiditur adæquatè in sua latitudine formali, in causam principalem, & in causam instrumentalem; at verò species intelligibilis creata si eleuaretur ad causalitatem, siuè ad concursum proprium causæ primæ, distraheretur a ratione causæ secundę in generali, vndè esset causa sęcũda, & non causa secũda, esset causa instrumẽtalis, & nõ causa instrumẽtalis; quia eleuaretur intrinsecè ad rationẽ primæ causæ.

Quod si secundò dicas. Causa prima simul concurrit cum causis secundis ad easdem actiones, & effectus producendos; sed per hoc admittuntur causæ secundæ ad actionem primæ causæ, nam eodem concursu, siuè eadem actione, causa prima, & causa secunda eundem producunt effectum, & eandem causalitatem; ergo non implicat causam secundam admitti ad concursum causæ primæ, saltem tanquam instrumentum.

Respondeo, concedo maiorem, & nego minorem: concursus enim causę primæ, & causæ secundæ ad eandem actionem, & ad eundem effectum producendũ, sunt diuersi; & probatur, tùm quia concursus causæ primæ respicit actionem, & effectum causæ secundæ sub ratione formali effectus vniuersalissimi, quia est ens ex nihilo vt sic; concursus verò causæ secundæ respicit suam actionem, siuè suum effectum sub ratione formali effectus determinati in specie, & in indiuiduo, & radix huius diuersitatis est; quia causa prima est causa vniuersalissima, causa verò secunda est causa particularis, & limitata ad genus determinatum, ad speciem, & ad indiuiduũ, tũ quia cõcursus primæ causę potest esse sine concursu secũdę causæ; concursus verò secundæ causæ non potest esse sine concursu primæ causæ: quoniam causa secunda est essentialiter dependens in esse, & in operari à prima; causa autem prima est omninò independens à secunda; & hinc sequitur, quod causa secunda in causando in suo genere cum causa prima, non eleuatur ad concursum primæ causæ; sed tantum eleuatur ad concursum in suo genere causæ secundæ; vt satis probatum est. Cæterum species intelligibilis intuitiua Dei necessariò ex suo genere est ad concursum proprium primi intelligibilis, ad quem implicat eleuari creatura.

Neque verum est, quod idem Fasolus docet *in fine præc. dubit.* quod Authores nostræ sententiæ, non negant posse à Deo eleuari lapidem, v.g. per potentiam obedientialem, vt faciat id quod connaturaliter faceret species intelligibilis intuitiua Dei, si dari posset, & nihilominus non concedunt posse eleuari creaturam ad causandum concursum causæ vniuersalis; obstante essentiali subordinatione, quam habent in essendo, & operando omnes causæ secũdæ à prima vniuersali; mouentur autem adhoc, quia est contra essentialem rationẽ causæ primæ vniuersalis admittere creaturam ad suum proprium concursum, non autem est contra rationem causæ primæ particularis; sed species intelligibilis creata esset intuitiua Dei, si daretur causa instrumentalis causæ primæ, particulalis; quia Deus, vt obiectum suæ cognitionis intuitiuæ creatæ, est causa particularis, nimirum actionis, tantum in genere intelligibilis. Etenim.

Respondeo, nego assumptum; nullus enim Thomista, quem legi, dicit, posse eleuari lapidem per potentiam obediẽtialem, vt faciat id, quod connaturaliter facit species intelligibilis; species enim intelligibilis concurrit cum intellectu ad producendam intellectionem, vt similitudo formalis intelligibilis sui obiecti; at implicat, lapidem esse similitudinem intelligibilem, v.g. hominis, qui intelligitur formaliter ab intellectu: vbi autem est implicantia, nullo pacto potest esse potentia obedientialis; & hęc doctrina fundatur in eo principio, tanquã in prima radice; quoniam species intelligibilis, est suum obiectum immediatum formaliter, vel per identitatem formalem, vel per formalem similitudinem; sustinendo verò implicantiam Palumbi, negandum est pariter omninò assumptum; quia instrumentum ad concursum primi vniuersaliter implicat contradictionem.

Obijcies primò contra conclusionem; species intelligibilis intuitiua Dei in se, est repræsentatiua Dei modo finito intellectui creato; sed vt sic, est communicabilis creaturæ, siuè speciei intelligibili creatæ; ergo non implicat species intelligibilis creata intuitiua Dei in se. Maior est certa ex terminis; quia Deus, non est intuibilis ab intellectu creato, nisi appræhensiuè, nō compræhensiuè: Deus enim vt suo loco probabitur, est incompræhensibilis ab intellectu creato: sed species intelligibilis intuitiua Dei, est repræsentatiua Dei eo modo, quo est cognoscibis ab intellectu creato, & finito; ergo, &c. Minor verò, in qua est difficultas, probatur: quoniam repręsentatiuum modo finito non contradicit creaturæ; quia in sua ratione formali includit finitatem; sed hoc prædicatum non contradit creaturæ, quia non est oppositum creaturæ; creaturæ enim solum opponitur repræsentatiuum modo infinito; sed quod nō habet contradictionem cum creatura est communicabile, & producibile à Deo ad extra.

Neque primò obstat, si dicas, formam intelligibilem intuitiuam Dei, esse formaliter Dei quidditatem in modo essendi intelligibili; implicat autem speciem intelligibilem creatam esse Dei essentiam formaliter, etiam in modo essendi intelligibili; nàm.

Contra argui potest ab Aduersarijs, assumptum esse falsum; quia species intelligibilis intutuitiua Dei, est repræsentatiua Dei in se, modo finito: per hoc autem prædicatum implicat speciem intelligibilem intuitiuam Dei, esse Deum formaliter in modo essendi intelligibili.

Quod si secundò dicas cum Palumbo, Deum vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, est primum intelligibile; sed ratio primæ causę in vniuersum, est incommunicabilis ad extrà, ratio primi intelligibilis; &c. hæc autem est ratio formalis speciei intelligibilis intuitiuæ Dei,

Contra statim arguere potest Aduersarius; primum intelligibile esse incommunicabile ad extrà modo infinito, siuè compræhensiuo, non autem modo finito, siuè appræhensiuo, vt autem sit communicabile creaturæ esse speciem intuitiuam Dei, satis est, vt species intuitiua Dei sit repręsentatiua modo finito: quia, vt sic, non dicit infinitatem.

Respondeo æquidem, distinguo maiorem: species intelligibilis intuitiua Dei, siuè Deus vt sua forma intelligibilis, intellectui creato est repræsentatiua sui modo finito ex parte modi essendi intellectus creati: & concedo; ex parte modi essendi, qui se tenet ex parte ipsius formę, siuè obiecti in se, & nego maiorem: forma intelligibilis repræsentatiua sui obiecti in se modo finito, se tenente ex parte ipsius formæ, est communicabilis; quia hęc est intrinsecè finita, cum sit receptibilis in potentia intellectiua; species verò intelligibilis repręsentatiua sui obiecti modo finito ex parte tantummodò modi essendi intellectus creati, non item: quia huiusmodi species secundū se, est formaliter infinita, extrinsecè verò est finita: & hęc est incommunicabilis per sui diuisionem: quia secundùm se est tota, & perfecta in sua latitudine formali.

Vt autem explicetur responsio hæc, obseruandum est, tria posse considerari in Diuina essentia, gerente vicem formæ intelligibilis in intellectu beati, nempè ipsam formam intelligibilem in se: modum essendi eius, se tenentem ex parte visi, seù obiecti; & modum essendi eiusdem, se tenentem ex parte intellectus creati. Primum est, ipsa essentia Dei, vt ratio repræsentatiua sui formaliter; secundum est modus essendi essentię Diuinæ, vt est in se, de quo meminit S. Thomas in *quæstionibus disputatis q. 6. de verit. de cognit. Angelorum art.* 1 *ad* 1. dum ibi ait. Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, hoc videtur vt est, potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt modus, quo res visa est, cadat sub visione: hoc est dictu, vt videatur in re visa ipse modus, quo res est, & hoc modo Deus vt est, ab Angelo videtur, & videbitur à beatis; quia videbunt essentiam Dei habere illum modum, quem habet, & sic intelligitur, quod habetur 1. *Ioan.* 3. Videbimus Deū sicuti est. Alio modo potest intelligi, vt modus prædictus cōformetur visioni videntis, vt .sc. talis modus visionis ipsius, sit qualis est modus essētię Dei in se, & sic à nullo intellectu creato, potest Deus videri vt est; quia impossibile est, vt modus visionis intellectus creati, sit ità sublimis, sicut modus, quo Deus, est in se, & hoc modo intelligendus est Chrisostom. super illud Ioann. 1. Deum nemo vidit vnquā; super quod dicit Chrisost. neque cęlestes spiritus videre essentiam Dei, vt in se est. Tertium, est modus essendi essentię Diuinę respectu intellectus creati, siuè clarius, modus, quo ab intellectu creato capitur essentia Diuina, de quo meminit S. Thomas in *disput. quæst.* eadem de ve-

*verit. art.2. ad 3.* dùm ibi ait: Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit, quando forma, quæ est principium actionis agẽtis, coniungitur secundùm totum modum suum, quo necesse est esse in omnibus formis, non subsistentibus, quorum esse, est in esse; sed Diuina essentia quamuis quoddãmodò sit vt forma intellectus; quia tamen non capitur ab intellectu, nisi secundùm modum intellectus capientis, ideò non potest esse, ità perfecta actio, sicut est perfecta forma, quæ est principium actionis, cum sit defectus ex parte agentis.

Cum ergo dicitur, Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis in intellectu beatorum, repræsentat se formaliter modo finito intellectui creato, &c.

Respondeo; distinguo maiorem; repræsentat se modo finito, se tenente ex parte ipsius formæ, siuè obiecti, & nego; modo finito ex parte modi essendi, quo capitur, siuè intelligitur à potentia intellectiua creata, & concedo; ex hoc autem non sequitur, Diuinam essentiam in ratione speciei intelligibilis, esse communicabilem cũ intrinseca diuisione esse creaturæ; nàm hic modus essendi, cum se teneat ex parte Diuinæ essentiæ, vt est sua forma intelligibilis intellectui creato, est modus essendi primus simpliciter; ratio autem primi vniuersaliter, est omninò incommunicabilis creaturæ; & ratio à priori est, vel quia est ad concursum primi obiecti, vel quia est quidditas primi.

Vt autem hoc magis intelligatur obseruanda est doctrina S. Thomæ in *disputatis de potentia q.8. ar.2. ad 2.* vbi sic ait. Ad secundum dicendum in visione qualibet, triplex modus considerari potest. Primus modus est ipsius videntis, qui est mensura capacitatis eius, & sic intellectus Angeli totaliter videt Deum; hoc est, dictu; totam vim suam intellectus creatus adhibet ad videndum Deum. Alius modus est ipsius rei visæ in se, & hic modus nihil aliud est, quam qualitas rei; cum autem in Deo non aliud sit qualitas, quam substantia, modus eius est ipsa essentia Dei, & sic totaliter vident Deum; quia vident totum modum Dei eodem modo, quo totam essentiam Dei. Tertius modus, est ipsius visionis, qui est medius inter videntem, & rem visam, & dicit modum videntis per comparationem ad rem visam, & tunc dicitur aliquis alterum videre totaliter; quoniam visio habet modum totalem videndi, & hoc est quando ità est perfectus modus visionis ipsius videntis, sicut est modus visibilitatis ipsius rei visæ; & hoc modo non totaliter videtur Diuina essentia, sicut aliquis, qui scit aliquam propositionem esse demonstrabilem; sed demonstrationem ignorat, scit quidem totum modum cognitionis eius; sed nescit eam secundum totum modum, quo cognoscibilis est.

Ex qua doctrina colligitur primò, Diuinam essentiam, vt dicit modum se tenentem ex parte obiecti, esse actum infinitum, etiam vt gerit vicem speciei. Patet.

Primò, quoniam est ratio videndi essentiam, & omnes modos se tenentes ex parte obiecti visi; modi enim essentiæ Diuinæ sunt ipsa essentia Diuina formaliter; sed est ratio videndi totam essentiam; ergo, & omnes modos iuxta suprà traditam doctrinam.

Secundò, quia est modus essendi Dei intrinsecus est proprius primi obiecti.

Colligitur secundò, Diuinam essentiam, quatenùs est sua forma intelligibilis ex parte modi essendi, siuè repræsentandi se tenentis ex parte ipsius Diuinæ essentiæ, repræsentare se intellectui beatorum modo infinito; tùm quia se repræsentat intellectui beatorum, vt primum intelligibile, vt dicit Palumb. prima autem causa operatur modo infinito; tùm quia Diuina essentia est sua forma intelligibilis per identitatem formalem; ex hoc autem prædicato, species intelligibilis intuitiua Dei, est ipsa Dei essentia formaliter, scilicèt, quantum ad sua prædicata formalia præcisè, cum sola distinctione virtuali à suo modo essendi naturali iuxtà rationem, qua S. Thomas probat, speciem intelligibilem esse suum obiectum immediatum formaliter; modus autem essendi formaliter, est infinitus.

Cum verò dicitur in oppositum, Diuinam essentiam repræsentare se modo finito intellectui beatorum; hoc verum est de modo finito, se tenente ex parte intellectus creati, siuè visionis intuitiuæ ipsius Dei.

Colligitur tertiò, quod beatum videre finitè essentiam Diuinam, non dicit Diuinam essentiam, esse obiectum intelligibile finitum; sed dicit obiectum infinitum in se, esse captum à potentia intellectiua creata modo finito, tam ex parte agentis, siuè potentiæ, quàm ex parte actus intellectionis, qui est finitus; scilicet videtur Deus finitè; quia videtur Deus in se cognitione finita.

Colligitur quartò ratio, cur species intelligibilis intuitiua Dei se teneat ex parte Dei, vt in se est, & cur Deus sit obiectum intelligibile absolutum, & infinitum sim-

simpliciter respectu intellectus Diuini. Etenim se tenet species ex parte Dei, vt in se est, siuè vt primum intelligibile; quoniã est forma, qua Deus, vt obiectum motiuum mouet intellectum beati ad ipsum Deum videndum; est verò obiectum intelligibile absolutum, & infinitum simpliciter respectu intellectus Diuini; quoniam est obiectum intellectus Diuini secundum totam latitudinem formalem intelligibilis, siue secundum omnes modos se tenentes ex parte obiecti; respectu verò intellectus creati, est obiectum secundum substantiam, quatenus intelligibile, vt sic, modo sæpius explicato.

Colligitur quintò, in visione beata, obiectum visionis non excedere formam, quæ gerit vicem speciei intelligibilis, nec posse excedere, & ex hoc etiam capite potest desumi.

Alia efficax ratio ad demonstrandum impossibilitatem speciei intuitiuę Dei creatæ; & sic arguitur.

Nulla species intelligibilis creata potest esse repræsentatiua essentiæ Diuinę, & omnium modorum eius, siuè secundum totam suam latitudinẽ formalẽ, cum vt sic, sit simplicitèr illimitata; quia debet in se habere omnem modum, & gradum perfectionis existentis in Deo; sed implicat infinitas simpliciter creata; ergo &c. & hoc verum est, si species sit vis repræsentatiua; quia requiritur omnis virtus expressiua.

Pro qua ratione, notanda est aurea S. Thomæ doctrina in disputatis de *Verit. quæst. 8. art. 1. ad 9.* vbi sic ait; sed in visione beata Deus excedit quidem virtutem intellectus nostri; vnde nõ ita perfectè videbitur sicut perfectè est; non autem excedit formam, qua videbitur, scilicet, essentiam suam, & ideò ipsum, quod est Deus videbitur, &c.

Notanda est illa causalis, & ideò ipsum, quod est Deus, videbitur; ex hoc enim, quod obiectum non excedit formam suam intelligibilem, ipsum, quod est Deus videbunt beati.

His accedit, quod Deus secundum altissimum modum, quo est, incommunicabilis est, cum quilibet modus essendi creatus, quicumque sit ille, deficit à modo essendi altissimo ipsius essentiæ Diuinę, qui modus debet repræsentari in ipsa forma intuitiua Dei; cum forma sit repræsentatiua in genere causæ formalis, siuè, vt similitudo formalis, nimirùm quantum ad sua prædicata formalia, non debet excedi ab obiecto repræsentato, & ex hoc principio probat, & rectè.

S. Thomas in 1. *senten. distinct. 8. quæ. 2. art. 2.* ad primum, æternitatem non esse communicabilem creaturæ, sic enim ibi ait. Ad primum ergo dicendum, quod quamuis Diuina bonitas, sit communicabilis, non tamen secundum modum altissimum, prout est in Deo, vndè summa bonitas non communicatur, & quia æternitas dicit esse secundum modum altissimum, qui est in Deo, nõ communicatur; sed esse, absolutè sumptum communicatur, sicut, & bonum; pariter dicendum, quod Deus, vt visibilis in se, est obiectum repræsentabile ab intellectu creato; quia sic dicit obiectum secundum substãtiam intellectus creati, & non secundum totam suam latitudinẽ formalem, qui est modus altissimus proprius Dei; cęterum non est, vt sic visibilis per speciem intelligibilem creatam; quoniam species intelligibilis creata, est repræsentatiua Dei in se in genere causæ formalis, quæ necessariò dicit similitudinem formalem cum suo repræsentato, adminus quantum ad sua prædicata formalia; intellectus verò creatus est repræsentatiuus Dei propter solam proportionem, quam habet cum Deo in ratione intellectiui, & intelligibilis.

Hanc ipsam rationem explicat S. Thomas *Opus. 30. cap. 9.* his verbis: impossibile est, Dei essentiam videri per speciem creatam, idque apparet inquit, si quis consideret, quid sit, rem aliquã ꝑ suam essentiam videre; non enim essentiam hominis videt, qui aliquod eorum, quæ essentialiter hominem constituunt non appræhendit: sicut nec cognoscit, essentiam hominis, qui cognoscit animal absque rationali; quicquid autem de Deo dicitur conuenit ei essentialiter; sed non est possibile, vt vna species creata repræsentet Deum quantum ad omnia, quæ de Deo dicuntur; nam in intellectu creato, est alia species, per quã apprehẽdit vitã, & alia per quam apprehendit sapientiam, vel iustitiam, &c. ergò non est possibile dari vnã speciẽ intelligibilem, quæ repræsentet omnia, quæ sunt in Deo formaliter, quia non est possibilis species, quæ sub vna ratione formali speciei intelligibilis comprę hendat repræsentatiua omnium, quę sunt in Deo. Ratio autem cur hoc non requiritur, vt intellectus creatus sit visiuus Dei in se, est, vt supra diximus; quoniam intellectus creatus est visiuus Dei in se, ob solam proportionem essentialem obiectiuam, quã habet cum Deo, vt in se in ratione intellectiui, & intelligibilis; ac proindè inter Deum, vt in se, & intellectum creatum, est similitudo ex parte potentię intellectiue,

non

non autem ex parte obiecti: at species intelligibilis, cum sit similitudo ex parte obiecti, siuè obiectiua loco ipsius obiecti formaliter, quando obiectum non est sua forma intelligibilis, debet repręsentare obiectum suum immediatum formaliter in genere causę formalis, non aliud significat, nisi formam intelligibilem ponere intra intellectum cognoscentem prędicata formalia sui obiecti immediati, vel per identitatem formalem, quando forma intelligibilis, est indistincta à suo obiecto immediato, vel per similitudinem formalem, quando obiectum non est sua forma intelligibilis per suam essentiam.

Hanc rationem reijcit Marc. Ant. Palumb. *loc. sup. cit.* nàm inquit, quod infinitas speciei intelligibiliss intuitiuą Dei, quę omninò implicat in omni re creata, conconcluditur ex propositione calculatoria; quò repręsentatum est nobilius, eo species est nobilior; sed essentia Dei, vt in se, est nobilissima omnium repręsentatiuorum infinitè; ergo hęc species intuitiua Diuinę essentię debet esse infinitè perfectior, siuè infinita simpliciter: inquit autem Palumb: quod argumentum, ex calculo ductum nō conuincit; nàm satis est excessus superioris ordinis, qui potest esse finitus, idque probat: nàm hoc non est nouum, quando ordo superior præstare potest totum, quod inferiora, etiam in infinitum, siuę infinita in actu pręstare non possunt, & vt hoc explicet, & probet dat regulam dicens, quod tunc calculus concludit infinitatem, quando calculus est regularis, & immutatus; quando verò calculus mutatur, tunc deuenitur solum ad nouum ordinem, & non ad infinitum.

Hanc ipsam rationem reijcit Fasolus.

Respondet enim Faso. *Dubit.* 15. *num.* 52. argumentum hoc, si vim haberet probare posset: ad videndum Deum requiri infinitam visionem, & infinitum lumen; quia inquit argumentum fundatur in repræsentatione speciei, sed maior repręsentatio est in actu visionis, quam in specie intelligibili; quia visio est repręsentatio in actu secūdo; species verò est repręsentatiua in actu primo; hęc autem repræsentatio est imperfecta, cum sit complebilis per repręsentationem in actu secundo.

Respondori potest etiam ex dictis distinguendo maiorem, illam esse veram de obiecto formali, non autem de obiecto materiali; at Deus, vt in se est, est obiectum materiale cognitionis, siue repręsentationis intuitiuę creatę, non autem est obiectum formale; nam ex obiecto infinito formali, cognitio, & species eius necessario debent esse infinitæ in repræsentando.

Sed neutra responsio euacuat vim rationis; non prima: nam est dispar ratio de specie intelligibili intuitiua Dei, ac de cognitione creata intuitiua Dei, illą .n. est ad cōcursū primi intelligibilis; quia est ad cōcursum Dei, vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ; Deus autem est obiectum cognitionis intuitiuæ, vt primum intelligibile; cognitio autem intuitiua est concursus potentiæ intellectiuæ creatæ, quæ non fertur ad Deum in se, nisi quatenus est intelligibilis, secundum quod intelligibile dicit essentialem proportionem obiectiuam cum intellectu creato; & hęc disparitas est iuxta implicantiam Palumbi.

Iuxta verò opinionem, & implicantiam S. Thomæ disparitas est inter speciem intelligibilem intuitiuam Dei, & cognitionem intuitiuam creatam illius; species enim intelligibilis intuitiua Dei creata debet esse ipsa Dei essentia in modo essendi intelligibili, siuè repræsentatiuo formaliter, vt supra satis ostendimus; cognitio autem intuitiua Dei in se non item; quia cognitio non est similitudo obiecti; sed est similitudo potentiæ, vt docet S. Thomas *art.* 2. *in corp.* docens, ad cognitionem requiri duplicem similitudinem, aliam ex parte obiecti, aliam ex parte potentiæ.

Neque huic doctrinæ obstat, quod respondet Fasolus *dubit.* 15. *sup. cit. num.* 53. circa finem dicens: hanc doctrinam esse veram de specie intelligibili, substantiali, siuè essentiali, non autem de specie intelligibili accidentali, & extrinseca; contendit enim Faso. non obstante, quod Deus sit formaliter intelligibilis intelligibilitate intrinseca, & substantiali, potest absque vlla contradictione fieri Deus adhuc intelligibilis per aliam speciem intuitiuam Dei creatam; hoc est acquirere aliā distinctam intelligibilitatem mediatam accidentalem, & extrinsecam, idq; probat; quia hoc sicut à Deo nullam perfectionem aufert; ita etiam in Deo nullam intrinsecam perfectionem de nouo ponit.

Non inquam obstat hæc Fasoli respōsio: nàm species intelligibilis præsertim intuitiua Dei.

Primò, est ad concursum primi intelligibilis, hæc autem species ex suo genere necessariò est intrinseca, & substantialis Deo; nihil enim potest esse ad concursum primæ causæ in vniuersum, nisi solus Deus.

Secundò, species intelligibilis, vt docet acu-

acutissimè, & profundè S. Thomas, ex suo genere debet esse ipsum obiectum formaliter in modo essendi intelligibili, siuè repræsentatiuo; at implicat in terminis, speciem, quæ est ipsum obiectum immediatũ formaliter esse diuisibilem in speciem intelligibilem substantialem, & intrinsecam; & in speciem intelligibilem accidentalem, & extrinsecam; ergo nulla est distinctio Fasoli.

Tertiò, species intelligibilis distincta à suo obiecto immediato, ex eo quod quidditas obiecti immediati, est diuisibilis in quidditatem naturalem, & in quidditatem intelligibilem; sed quidditas Dei cum sit perfecta, & totalis in tota latitudine formali entis à se, est indiuisibilis in quidditatem naturalem, & in quidditatem intelligibilem cum diuisione esse.

Quartò, species intelligibilis extrinseca, quæ dicitur etiam accidentalis, non est aliud, nisi species intelligibilis distincta à suo obiecto: sed hæc non est dabilis, quando eius obiectum immediatum est sua forma intelligibilis, quia quidditas obiecti est perfecta in tota sua latitudine formali; huiusmodi est essentia Dei; ergo, &c.

Neque euacuat vim rationis, secunda responsio; primò, nàm quando calculus, non est regularis, & immutatus; obiectum infinitum, ad quod deuenitur per calculum, potest esse materiale obiectum; ex obiecto autem infinito materiali, non potest esse eius cognitio infinita formaliter.

Explicatur hoc, exemplo, ad videndum, e. g. colorem palmarem, requiritur oculus determinatæ perfectionis; ad vidẽdum semipalmarem colorem requiritur visus acutior; non valet consequentia, si quis inferat; ergo ad videndum colorem punctualem, si dabilis esset, requiritur virtus infinita; sed solum requiritur visus acutus alterius generis superioris, qui superat omnem excessum visus inferioris. Aliud exemplum, ad sentiendum obiectum sensibile determinatum requiritur virtus sensitiua tanta; non valet consequentia, ergo ad intelligendum, requiritur virtus infinita, quæ est superioris ordinis, & huius, suprà assignauimus rationem.

Pariter discurrendum est in subiecta materia, cum arguitur; quo obiectum formale est perfectius, eo perfectior est eius cognitio; sed Deus est obiectum infinitum formale; consequentia non valet, variato formaliter medio termino; quia cognitio intuitiua Dei repræsentat Deum infinitũ, vt obiectum materiale, non vt obiectum formale, scilicèt, id, quod intuentur beati, infinitum est; sed ratio cur Deus infinitus intelligatur in se, non est; quia Deus est infinitus formaliter; sed est proportio obiectiua formalis inter Deum, & intellectum creatum, quæ proportio præscindit ab infinitate, & finitate.

Secundò, neque secunda ratio euacuat vim argumenti; nam ratio cur species intuitiua Dei sit infinita, non est: quia eius infinitas arguitur ex argumento calculatorio; sed ratio à priori est, vel quia species intuitiua Dei vt sic est ad concursum primi intelligibilis: vel quia species intelligibilis intuitiua Dei, est ipsa Dei essentia, vt sui repræsentatiua intellectui creato; essentia autem Dei, vt in se, est essentialiter infinita simpliciter cum sit suum esse.

Neque dicas, hoc esse verum de specie intuitiua Dei substantiali, & essentiali; sed species intuitiua Dei creata esset species distincta ab essentia Dei, & accidentali: nàm.

Contra est, vt supra diximus. Primò, quia huiusmodi species distincta implicat, quando eius obiectum immediatum, est essentialiter sua forma intelligibilis, non solùm suo intellectui; sed etiam intellectu alterius, qualis est essentia Dei, vt in se; quia Dei essentia formaliter est perfecta, & tota in tota latitudine formali entis à se. Secundò.

Contra est; nàm species intelligibilis, est similitudo formalis sui obiecti immediati; quia species intelligibilis sui obiecti immediati; quia species intelligibilis ex suo genere, est suum obiectum immediatum formaliter: potest verò species intelligibilis esse suum obiectum immediatum formaliter dupliciter, vel per identitatem formalem, vel per formalem similitudinẽ; sed primò, implicat dari similitudinem formalem creatã Dei, vt in se est, vt suprà ostendimus. Secundò, species intelligibilis distincta ab obiecto, non est dabilis, nisi quando eius obiectum immediatum, non est essentialiter sua forma intelligibilis: tunc enim quidditas obiecti immediati est communicabilis, & diuisibilis ad extra; sed Deus, vt in se, est essentialiter sua forma intelligibilis, tàm suo intellectui Diuino, quam intellectui creato; ergo implicat species intuitiua creata Dei distincta ab essentia Dei, sicut, v. g. quia essentia cuiuslibet Angeli in esse naturali, est perfecta, & tota in sua latitudine formali specifica, nullo modo, neque Diuinitus, potest ha-

habere extrà se aliam quidditatem eiusdē speciei: hinc habes iure optimo, S. Thomā appellari ab omnibus, Angelicum Doctorem; quia nonnisi principijs vniuersalissimis, & primis, omnia, quæ docuit, demōstrat, quod proprium est intellectus Angelici in suo supremo; intellectus autem humanus procedit ex principijs primis, & vniuersalibus pertingētibus suo supremo, infimum Angeli.

Obijcies secundò; ad cognoscendum Deum, vt in se est intellectui creato, non requiritur alia proportio, quam repræsētatiui, & repræsentabilis; sed ex hoc capite species intelligibilis intuitiua Dei, non est quidditas sui obiecti immediati formaliter in esse intelligibili; ergo species intelligibilis intuitiua Dei non implicat, ex eo quod implicat, speciem intelligibilem creatam esse Deum, vt in se est; maior ex suis terminis est euidens; nàm cognoscere intuitiuè Deum, vt in se est, non significat aliud, quam repręsentare per actum vitalem, siuè immanētem intellectui creato Deum, prout est in se; sed ad hoc non aliud requiritur, quam proportio repræsentatiui formaliter, & repræsentabilis. Minor verò probatur primò, nam species intelligibilis, quæ est accidens potest repræsentare perfectissimam substantiam; sed hoc, non ex alio capite oritur, nisi quia proportio repræsentatiui, & repræsentabilis obiectiui, non requirit, vt repræsentatiuum sit suum repræsentatum immediatum formaliter. Secundò, quia proportio repræsentatiui, & repræsentabilis, etiam obiectiui, non dicit perfectam vnitatem; at species intelligibilis, quæ est suū obiectum immediatum formaliter, dicit perfectā vnitatem repræsentatiui cum suo immediato repræsentato formaliter; nàm species intelligibilis, est repræsentatiua sui obiecti immediati formaliter, quia est, vt dicit S. Thomas, suum obiectum immediatum formaliter, vel per formalem idētitatem, vel per formalem similitudinem; at ad cognoscendum obiectum immediatum formaliter, satis est proportio repræsentatiui, & repræsentabilis formaliter; ergo, &c.

Hoc argumētum supra explicatum est; sed distinctione facilè soluitur; Duplex .n. est proportio repręsentatiui, & repræsētabilis immediatè; alia est proportio potentiæ cognitiuæ cum suo obiecto immediato, quę dicitur proportio essentialis potentiæ, & obiecti: & alia est proportio repræsentatiui, & repræsentabilis in genere obiecti, nimirùm, repræsentatiui obiectiui, & repræsentabilis pariter obiectiui. Prima est inter intellectum, & obiectum intelligibile immediatum, quatenus scilicet potentia intellectiua est potentia suum obiectum immediatum formaliter; Secunda est inter speciem intelligibilem, & eius obiectum immediatum; quatenùs scilicet species intelligibilis est actu suum obiectum immediatū formaliter; forma enim intelligibilis est actu forma repræsentatiua sui obiecti formaliter; hoc autem habet ex eo, quod forma intelligibilis, est formaliter suum obiectum immediatū intra potentiam, vel p. formalē identitatem, vel per formalem similitudinem. Prima proportio nullo pacto requirit, neque identitatem formalem, neque formalem similitudinem repræsentatiui cum suo repræsentabili; quia repræsentatiuum in ratione potentię cognitiuę, non est forma obiecti, ponēs intra intellectum cognoscentem obiectum, quod cognoscitur formaliter. Secunda verò proportio, ex opposito necessariò requirit, vel identitatem formalem, quando obiectum immediatum, quod cognoscitur, est sua forma intelligibilis, nō solum suo intellectui, sed etiā sui intellectiui alterius à se, vel quia requirit similitudinem formlem, nimirum, quantum ad prædicata formalia, quando obiectum, quod cognoscitur nullo modo, est sua forma intelligibilis.

Cum dicitur ab opponente: ad cognoscendum obiectum in se, non requiri aliam proportionem, quam repręsentatiui, & repręsentabilis.

Respondeo nego maiorem, si intelligatur de sola proportione potentię cognitiuę, & eius obiecti immediati; quia ad cognoscendum requiritur duplex proportio, repręsentatiui, & repræsentabilis, alia in ratione potentię, & obiecti immediati, & alia in ratione repręsentatiui, & repræsentabilis in genare obiecti, quę est solum inter speciem intelligibilem, & eius obiectum immediatum; quoniam adhuc forma intelligibilis ex suo genere est repræsentatiua, & eius obiectum est repræsentabile formaliter; si verò intelligatur de vtraque proportione, concedo maiorem. Minor verò, vera est de proportione potentiæ, & obiecti: non autem de proportione inter speciē intelligibilem, & obiectum immediatum illius; quoniam vt ostendimus cum S. Thom. species intelligibilis debet esse suum obiectum immediatum formaliter.

Neque verum est, vt docet Caietan.

eſſe per accidens, vt repræſentatum ſit ſubſtantia; & repræſentatiuum ſit accidens; etenim repræſentatiuum ſubſtantiæ in genere obiecti, eſt ſolum ſubſtantia formaliter ſubſiſtens intra intellectum, ſubſiſtentia intelligibili, & nullo modo inhærens, vt ſatis demonſtrauimus ſupra.

Neque concludit argumentum, quo Palumb. *loc. cit.* impugnat doctrinam Caietani, dicentis; ſpeciem intelligibilem ſubſtantiæ, eſſe ſubſtantiam in eſſe intelligibili, ſiuè in eſſe repræſentatiuo; quia vis repræſentatiua fundatur in eſſe, nimirũ, ſpecies intelligibilis ſubſtantiæ repræſentat ſubſtantiam formaliter, quia eſt ſpecies intelligibilis formaliter ſubſtantiæ; contra hanc reſponſionem inſurgit Palumb. dicens, quod eſſe eſſentialiter diuiditur ſecundum modos eſſendi per ſe, & in alio; ſed ſpecies intelligibilis creata non eſt per ſe in intellectu creato; & ratio huius vt opinor, eſt: quia eſt in ſubiecto diuerſi generis; ergo eſt in intellectu inhæ. ſiuè

Reſpondeo enim, ſpeciem intelligibilem ſubſtantiæ, diſtinctam ab eſſentia ſubſtantiæ, eſſe formaliter ſubſtantiam ſubſiſtẽtem in intellectu ſubſiſtẽtia intelligibili, vt ſupra latè oſtendimus: cum verò dicitur, quod eſt in ſubiecto diuerſi generis; forma autem huiuſmodi eſt inhærens.

Reſpõdeo primò, nego aſſumptum, quod alioqui diſtingui poteſt; intellectus enim creatus dupliciter conſiderari poteſt, vt ſupra diximus; vno modo, in eſſe rei; alio modo, vt potentia formaliter in genere obiecti. Primo modo, intellectus creatus eſt diuerſi generis, quia potentia intellectiua in genere entis eſt accidens diſtinctum contra ſubſtantiam; ſpecies verò intelligibilis ſubſtantiæ, eſt ſubſtantia formaliter intelligibilis; quatenùs verò potẽtia formaliter in genere obiecti, non item; quia non ſolùm eſt pura potentia in genere intelligibilis primò; ſed eſt primò potentia omnia intelligibilia. Notanter addo ly, primò, quia poſſet.

Quis dicere, quod materia prima, eſt adhuc pura potentia in genere entis, vt vult S. Thomas, & tamen eſt receptiua, non ſolum formarum ſubſtantialium, ſed etiam accidentalium; ſed non primò, quia omne eſſe accidentale ſupponit eſſe ſubſtantiale.

Reſpondeo ſecundò, aſſumptum eſſe verùm de forma naturali, non autem de forma intelligibili, ob eandem rationem.

Neque denique obſtat aliud argumentum Palumbi, quod repræſentatum ſecundum vltimam differentiam eſt, id quod eſſentialiter; & repręſentatiuum eſt, id quo; hæc autem duo, ſunt ſpecie eſſentiali diuerſa; quia quod vni competit eſſentialiter, alteri non competit; ergo ſpecies intelligibilis, & eius obiectum immediatum differunt ſpecie.

Reſpondeo enim, ſpeciem intelligibilem, ſiuè repræſentatiuum intelligibile, eſſe id, quo, obiectum intra potentiam cognoſcitiuam percipitur, & nego; ſpecies enim intelligibilis, ſiuè ſenſibilis, eſt repræſentatiuum, vt quo, & vt quod; eſt id quo, obiectum in ſe, ſiuè extrà percipitur; eſt autem id quod intrà percipitur, nimirùm, eſt ipſum obiectum formaliter: intrà tamen perceptum, ſiuè in alio eſſendi modo, in ſimilitudine, ſcilicèt. Neque incõuenit, ſpeciem, reſpectu diuerſorum, eſſe id quod, & id quo; tunc autem id quod, & id quo ſunt diuerſæ ſpeciei, quãdo ſunt in eodem modo eſſendi; at ſpecies intelligibilis eſt, id quo reſpectu modi eſſendi obiecti in ſe, ſiuè extrà potentiam; in modo autem eſſendi intelligibili, ſiuè intrà potentiam, eſt id quod; eſt enim ipſum obiectum intrà perceptum ab intellectu.

Obijcies tertiò; ratio cur implicat ſpecies intelligibilis creata intuitiua Dei, eſt; quia ſpecies intelligibilis, præſertim intuitiua ex ſuo genere, eſt repræſentatiua ſui obiecti immediati formaliter; nimirũ, intrà genus ſui obiecti immediati formaliter; ex hoc enim capite, ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo formalis ſui obiecti immediati motiui in eſſe repræſentatiuo formaliter; ſed hæc ratiò, non conuincit, neque eſt adæquata; ergo non implicat ſpecies intelligibilis intuitiua Dei. Minor probatur paritate ſpeciei expreſſæ; nàm ſpecies expreſſa intuitiua Dei, adhuc eſt repræſentatiua actu, & formaliter intra intellectum ſui obiecti immediati terminatiui in genere obiecti, ſiuè cognoſcibilis, ad differentiam potentiæ intellectiuæ intuitiuæ, quæ de ſe eſt potentia ſuum obiectum formaliter; ſed ex hoc capite non implicat ſpecies expreſſa intuitiua Dei; ergo neque ex hoc capite implicabit ſpecies intelligibilis creata intuitiua Dei. Minor probatur: quia in omni cognitione datur ſpecies expreſſa; cognoſcere enim ex ſuo genere, non aliud eſt, quam exprimere vitalem ſimilitudinem ſui obiecti terminatiui immediati intra potentiam cognitiuam; vna enim ex rationibus præci-

cipuis, quibus probatur necessitas, & possibilitas speciei intelligibilis ad intelligendum, vt principium formale intellectus, est; quia intelligere non aliud est, nisi exprimere intrà se vitaliter suum obiectum immediatum terminatiuum; vel vt loquitur S.Thom. *C.G.* intelligere non est aliud, quam appræhendere intrà se obiectum vitaliter.

Hæc obiectio petit resolutionem alterius quæsiti, quare scilicèt præter speciem impressam intelligibilem, debet dari etiam species expressa, quod resoluetur *art.13. sequente*. Nunc autem obiter.

Respondeo ad argumentum, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, nego dari speciem expræssam intuitiuam Dei, vt in se est, quæ sit terminus productus visione intuitiua creata Dei, sicut calor producitur ab alio calore media calefactione.

Multi Thomistæ, vt suo loco dicetur, concedunt, speciem expressam intuitiuam Dei: negant verò speciem intelligibliem creatam, pariter intuitiuam Dei in se.

Sed hæc opinio dupliciter intelligi potest; vno modo de specie expressa, quæ est terminus productus intrà intellectum, media cognitione: alio modo de specie expressa, quæ est vitalis operatio intellectus, quatenùs constituti in actu per speciem intelligibilem sui obiecti immediati, quæ dicitur similitudo, siuè species expressa ex parte potentiæ intellectiuæ. Si hoc secundo modo loquantur prædicti Thomistæ, vltrò concedimus, dari speciem expressam creatam intuitiuam Dei: Beati enim verè, & formaliter Deum intelligunt, vt est in seipso, exprimendo in se vitaliter cognitionem, qua Deum cognoscunt in seipso: si verò loquantur de specie expræssa, quæ est terminus vitalis cognitionis intellectiuæ, nullo modo est admittenda species expressa intuitiua Dei in beatis. Iisdem rationibus, quibus implicat species intelligibilis intuitiua Dei: tùm quia Deus, vt obiectum terminatiuum immediatum cognitionis intuitiuæ creatæ, est primum intellectum intelligibilitate intrinseca obiectiua; at implicat species intuitiua in vniuersum creata concurrens ad côcursum primi obiecti, tā terminatiui, quàm motiui; tùm etiam, quia species expræssa intrà genus obiecti intellecti, qualis est species expræssa ab intellectu creato, vt terminus intrinsecus cognitione productus, est ipsa quidditas obiecti terminatiui immediati in esse tantum intellecto intrà potentiam cognoscentem; at quidditas Dei non solùm vt obiectum terminatiuum cognitionis beatificæ, est omninò incommunicabilis ad extrà in ratione primi; dico in ratione primi; quoniam Deus est quidem communicabilis in ratione obiecti, & intelligibilis; sed non in ratione primi obiecti, seù primi intelligibilis; quia hoc est prædicatum proprium Dei; prædicata autem propria Dei, sunt omninò incommunicabilia ad extrà; sed de hoc fusè dicetur *art.12. huius quæstionis*.

Obijcies quartò, contra implicantiā Palumbi; illa enim implicantia potest impugnari varijs medijs.

Primò equidem illam aliquandò impugnabam argumento ad hominem; quoniam in probabili sententia, quam sequitur, & defendit idem Palumb. asserentiū, speciem intelligibilem non concurrere effectiuè ad actum intelligendi cum intellectu; sed solùm formaliter illud determinādo: Deus se communicando intellectui beatorum per sui speciem intelligibilem, non se communicat, vt prima causa; ratio enim primæ causæ, non reperitur in Deo, nisi respectu causæ efficientis, vel finalis, vel termini substantialis, quæ sunt rationes præscindentes à ratione partis; vndè in forma, negatur maior: quia species intelligibilis, data opinione, quod concurrat tātum formaliter determinando solum potentiam intellectiuam, implicat Deum esse sui formam intelligibilem in intellectu creato eleuato lumine gloriæ; & ratio est manifesta; quoniam forma, perficiens potentiam receptiuam inuoluit rationem partis.

Quod si Author implicantiæ sumat primum intelligibile in genere causæ efficientis, est petitio principij; quia assumit, quod est in controuersia sine ratione.

Nec valet dicere primò, de facto Deum gerere vicem formæ intelligibilis per suam essentiam; quoniam Deus, vt se vniens per suam essentiàm intellectui beato, non est forma intelligibilis; sed est quasi forma; quia supplet vicem formæ, subsistendo intrà intellectum: vndè excluditur ratio partis, & consequenter imperfectionis, secundum quam rationem, non dicitur prima causa formalis Diuina essentia; quoniam ratio primæ causæ in aliquo genere, vel ordine; non saluatur in eo, in quo est cum conditione diminuente; sed in

in tota proprietate; primum enim in quocunque genere, vel ordine, est maximè, & propriè tale, quod in Deo in genere causæ formalis non saluatur, & sic aliquando putabam; implicantiam Palumbi non concludere necessariò.

Doctrina hæc, siuè responsio fundatur in doctrina S. Thomæ *in disputatis de verit. quæst. 8. artic. 1. circa finem corporis*, vbi sic ait. Restat ergo vt illud, quo intellectus creatus Deum per essentiam videt, sit essentia Diuina; non autem oportet, quod ipsa Diuina essentia fiat forma intellectus; sed quod se habeat ad intellectum, vt forma, &c. & paulò inferius ibidem, explicãs modum, quomodò possit essentia Diuina vniri intellectui, & respectu ipsius dici forma, ait, & ideò cum intellectus creatus, qui inest substantiæ creatæ, sit imperfectior Diuina essentia in eo existente comparabitur Diuina essentia ad illum intellectum quoddammodo, vt forma.

Quod si iterum vrgeas pro Authore implicantiæ, Deum esse, vel posse esse formam intelligibilem in intellectu beatorũ, quia forma intelligibilis, habet rationem termini essentialis formaliter; est enim forma intelligibilis suum obiectum immediatum formaliter; obiectum autem habet rationem termini: sed ratio primi termini formaliter reperitur in Deo, sicut apparet in subsistentia personali, quæ vt terminus substantialis supposita, & personat naturam humanam in Christo Domino.

Respondebam statim huic instantię, subsistentiam Verbi Diuini habere rationem puri termini substantialis, & non causæ formalis, aut actus, nec in tali termino esse rationem primæ causę, nisi idẽtice, & materialiter, quod nihil iuuat Authori implicantiæ.

Et cum mihi obijciebatur, Deus non potest concurrere ad extrà, nisi vt prima causa.

Respondebam, quod si supponamus aliquando, Deum non concurrere ad extrà effectiuè, vt in illa sentẽtia supponitur, nempè, formam intelligibilem ex suo genere cõcurrere tãtũ ad actũ intellectionis formaliter, determinando solum potentiã intellectiuam, quod subtiliter substinet Palumb *loc. sup. cit.* facta hac suppositione, non inconuenit, Deumq; aliquando non concurrere ad extrà, vt primam causam; nàm facta hac suppositione, non potest subterfugi, quin hoc proueniat ex eo principio: quia causa formalis semper inuoluit imperfectionem; neq; benè infertur facta illa suppositione: ergo concurrit Deus, vt prima causa; quia prima causa non potest esse cum conditione diminuente.

Sed re maturius considerata, tandem noui implicantiam Marci Anto. Palumb. esse demonstratiuam; non tamen ex illo fundamento: quia, scilicèt, in termino substantiali est ratio primæ causæ, & exemplificabam de subsistentia Verbi Diuini.

Dicet enim statim Author, implicantiæ Verbi Diuini subsistentiam habere rationem puri termini substantialis, & nõ causæ, nec etiam formalis, & verùm est; nàm in tali termino, non est ratio primæ causæ, nisi identicè, & materialiter, quemadmodum in cognitione productiua Verbi Diuini, non est ratio cognitionis creaturarum, aut possibilium aut actualium, nisi identicè, & materialiter, quod aduersario non obstat.

Ratio autem mihi videtur esse hæc; quoniam supposito, quod species concurrat formaliter, & non effectiuè, tunc etsi Deus, gerens vicem speciei intelligibilis, non gerat rationem primæ causæ effectiuæ, ex suppositione facta; non tamen subterfugit rationem primæ causę formalis in esse intelligibili, quod non implicat, cum tunc, non supplet rationem partis, componentis tertium.

Et cum dicitur, Deus non potest concurrere ad extrà, nisi vt prima causa.

Respondeo facilè, si supponamus aliquando Deum non concurrere ad extrà effectiuè, vt in illa sententia supponitur; concurrit tamen Deus, vt prima causa formalis in esse intelligibili; sed non benè infertur facta illa suppositione; ergo concurrit vt prima causa effectiua; hęc enim consequentia ridicula, est facta illa suppositione, alias fieret, & non fieret illa suppositio.

Ad id quod dicitur, sequi ex illa sententia Deum supplere rationem partis; quia supplet vicem formæ.

Respondeo hoc non sequi; quoniam forma intelligibilis formaliter; hoc est, vt solum dicit esse repræsentatiuum, non cõstituit tertium cum intellectu; ac proindè, non induit rationem partis. Dixi vt solum dicit esse repræsentatiuum de specie intelligiaili; non quia sequor opinionem Caiet. asserentis, speciem intelligibilem ex accidenti esse accidens, siuè habere esse entitatiuum contradistinctum ab esse intelligibili, sed quia species intelligibilis non potest subterfugere rationem entis in essẽdo præscindentis ab ente naturali, & ab ente intelligibili. To-

12 Totus hic discursus supponit duo principia.

Pimum est, formam aliam esse naturalem, & aliam esse intentionalem, quas supra fusè explicauimus, & ex his formam naturalem substantialem, aliam esse completam in specie, vt Angeli essentia, & aliã esse incompletam in specie, vt anima rationalis, quæ cum sit incompleta in specie, inuoluit rationem partis; quia facit cum materia, vnum tertium distinctum à collectiuo partium realiter, quod, vt suo loco fusè demonstrabitur cum Aristotile, & S. Thoma, formaliter est simplex, & homogeneum; materialiter verò, & causaliter compositum: vnde oritur, quod ex partibus essentialibus componentibus vnum tertium, partes habent duplex esse, aliud partiale, intrinsecum, & inseparabile; & aliud totale, extrinsecum, & separabile. Forma verò intelligibilis, quequumque illa sit, vt forma intelligibilis formaliter, non facit vnum tertium cum intellectu, vt docet Arist. *3. de Ani.* dicens, ex intellectu, & intelligibili fieri magis vnum, quam ex materia, & forma; quoniam materia non fit forma per vnionem, nec forma materia; intellectus autem fit ipsum intelligibile, & è conuerso, nimirum fit vnum imbibitum in alio, vt supra ostendimus.

Secundum principium, quod supponit est, ex materia, & forma substantiali, fieri vnum tertium distinctum realiter à collectiuo partium, componentium, vt *loc. sup. cit. & 12. meth.* probat Aristoteles, & ratio huius à priori est; quia in vnoquoque ente per se, debet dari vnum primum, quod est causa cęterorum in eodem; hoc autem primum principium saluari nõ potest, nisi ex materia, & forma vnitis collectiuè resultet vnum tertium. Ex his principijs sequitur formam, intelligibilem in suo esse formali non inuoluere imperfectionem; quia non inuoluit rationem partis; ex quo capite, forma informans habet essentialiter admistam imperfectionem, &c.

Quomodo autem intelligendus sit S. Thomas, cùm *locis supra citatis* dicit, quod Diuina essentia est quodammodò forma in intellectu creato. Explicabitur sequenti articulo.

Sunt aliæ acutè implicantiæ, quas Palum. & alij *locis cit.* soluunt, de quibus obiter nos infra.

# ARTICVLVS VNDECIMVS.

## An Diuina essentia sit sua forma intelligibilis in intellectu creato beatorum, & quomodo.

HIC Articulus supponit omninò esse necessariam formam intelligibilem in intellectu creato ad intelligẽdum quodlibet ens.

Et ratio huius à priori est; quoniam intellectus inesse intelligibili, non est in potentia ad speciem, sed est potentia speciei intelligibilis; quoniam potẽtia cognitiua, est potentia suum obiectum formaliter; hæc autem potentia, non potest esse actiua, nisi fiat actu in genere intelligibilis; quod non potest fieri, nisi per formam intelligibilem; vnumquodque enim fit actu per formam sui generis, semota autem forma intelligibili, intellectus in genere intelligibilis, est pura potentia; pura autem potentia, vt sic, non est actiua.

Forma verò intelligibilis, vt supra ostendimus; alia est distincta à suo obiecto immediato, & alia est indistincta; & huius diuisionis ratio est; quia aliquod obiectum immediatum est perfectum in sua latitudine formali, & specifica, vt est Angeli essentia suo intellectui tantummodo; quia est completa, & perfecta solum in sua latitudine formali specifica; & Dei essentia, quæ cum sit essentialiter suum esse est, perfecta in tota latitudine entis à se; aliud verò obiectum non est totum in sua latitudine formali specifica, & hoc habet sui speciem intelligibilem distinctam à sua essentia; quoniam quidditas huius obiecti, formaliter diuisibilis est in quidditatem naturalẽ, & in quidditatem intelligibilem.

Visum est supra; non esse dabilem etiam Diuinitus speciem intelligibilem creatam intuitiuam Dei; remanet nunc discutiendum, sit nè Deus sua forma intelligibilis in intellectu beatorũ, An lumen gloriæ; nam certum est, & de fide, beatos in Patria videre Deum facie ad faciem, vt loquuntur Theologi; hæc autem cognitio nullatenus esse potest sine præuia specie intelligibili Dei intuitiua; & cum hęc species in genere intelligibili creata non sit dabilis, inquiritur, gerat, nè Deus vicem suæ formæ intelligibilis in intellectu beatorum, an sit alia forma supplens vicem speciei intelligibilis, & quomodo.

Va-

Vasquez *diff.43.cap.7.in p.p.S.Thomæ quæst.12.nu.5.* facilè se expedit ab hac difficultate; quoniam asserit, speciem intelligibilem, qua intellectus Beatorum fit actu ad cognoscendum Deum in se, esse lumen gloriæ: non autem similitudinem formalem obiecti immediati, quod cognoscitur, &c.

Præcipuum fundamentum Vasquez est; quia lumen gloriæ determinat intellectum creatum ad obiectum, siue ad intelligibile primum supernaturale formaliter: hoc autem est Deus, quatenùs est intuibilis in se; sed hæc est ratio formalis speciei intelligibilis intuitiuæ Dei, tùm quia est forma intellectus creati Beatorum; formæ autem est, determinare potẽtiam ad obiectum determinatæ speciei; tùm quia species intelligibilis ponitur necessariò ante cognitionem; quoniam potentia cognitiua est indifferens ad obiectum cognoscendum; indifferentia autem aufertur per formam.

Quod si primò respondeas lumen gloriæ determinare potentiam intellectiuam ex parte potẽtię; speciem verò intelligibilem determinare potentiam ex parte obiecti: controuersia autem est de specie intelligibili ex parte obiecti; verum Vasquez ad probandum, lumen gloriæ esse speciem intelligibilem obiecti, quæ scilicet est vicegerens obiecti, idest Diuinæ essentiæ; assumit medium genericum, nempè speciem intelligibilem intuitiuam Dei esse ad determinandum intellectum creatum ad videndum Deum in se; at determinatiuum intellectus ad videndum Deum, commune est determinatiuo ex parte potentiæ, & determinatiuo ex parte obiecti; vtrumque enim determinatiuum determinat potentiam intellectiuam adhoc obiectum determinatum, & non ad aliud; ex genere autem communi, nequit, inferri determinata species. Quod detur hoc duplex determinatiuum in potentia cognoscente; nimirum aliud ex parte potentiæ, & aliud ex parte obiecti, est euidens; dantur enim in potentijs cognitiuis habitus, qui illas determinant ad determinatum obiectum; & tamen præter habitus ponitur in potentijs cognitiuis, adhuc determinatiuũ ex parte obiecti, quod est, vel ipsummet obiectũ formaliter, à quo specificatur potentia, vel est species intelligibilis, quæ est similitudo ipsius obiecti formaliter, quando obiectum non est sua forma intelligibilis; exemplificatur hæc ipsa distinctio adhuc in potentijs naturalibus; nàm prima rerum materia, præter determinationes accidentales, quibus determinatur ad formam ignis, vt sunt caliditas, & siccitas, quæ dicuntur determinationes materiæ ex parte potentiæ passiuæ materiæ, quæ est indifferens secundum se ad omnem formam substantialem, habet deindè aliam determinationem, quæ est ipsa forma substantialis determinata, à qua ponitur in specie determinata substantiæ; sic pariter determinatur intellectus per lumen gloriæ in ratione potentię à potentia intellectiua supernaturali, quæ est visiua obiecti supernaturalis; sed præter hanc determinationem in specie potentię, habet aliam determinationem obiectiuã, per quam ponitur formaliter in specie determinati obiecti, quæ determinatio, vel est ipsummet obiectum formaliter, existẽs intrà intellectum, tanquam perfectiuum in suo perfectibili in genere obiecti, vel est species intelligibilis obiecti distincta ab ipso obiecto.

Respondebit statim Vasquez, vel quiuis pro eo, hanc responsionem esse insufficientem; quia determinare ex parte obiecti, est determinare adhoc obiectum, & non ad aliud; sed totum hoc facit lumẽ; determinat enim lumen gloriæ intellectũ beatorum ad videndum per se primò Deũ in se: ergo lumen gloriæ determinat ex parte obiecti etiam; ergo est etiam species intelligibilis intuitiua Dei.

Quod si secundò respondeas, actiuitatem luminis gloriæ esse simpliciter indeterminatam; tùm quia lumen gloriæ aptum est concurrere ad visionem non solum Dei; sed etiam aliarum rerum supernaturalium creatarum in proprio genere: tùm quia circa ipsum Deum potest obiectiuè ferri intellectus diuersis modis, nempè, vel nullam videndo creaturam in Deo, vel videndo has, & non illas; at species intelligibilis, est omninò, & simpliciter determinata ad vnum tantum obiectũ primarium, & determinatum. Fundat hãc responsionem Fasol. in doctrina S.Thomę, qui in *4.sententiarum distin.49.q.2.art.1.ad 15.* loquens de lumine gloriæ, ait, perficere visum ad videndum in generali, non determinat visum ad aliquod speciale obiectum; sed eleuat intellectum nostrum adhoc, quod possit coniungi essentiæ increatæ.

Respondebit statim Vasquez, aut quiuis pro eo, distinguendo de obiecto, ad quod eleuat lumen gloriæ intellectum creatum; aliud enim est primarium, & imme-

mediatum, in quo scilicèt viso, possunt alia videri; & aliud est obiectum visibile in alio viso; qua posita distinctione, dicet Vasquez, lumen gloriæ esse simpliciter indeterminatum ad obiectum secundariū, & mediatum, quod scilicèt, est visibile medio alio viso, non autem esse indeterminatum ad obiectum primum, & immediatum, in quo viso possunt alia videri. Ad primam autem rationem, qua probatur maior, nempè, quod lumen gloriç aptum est concurrere ad visionem non solū Dei; sed etiam aliarum rerum creatarum supernaturalium in proprio genere; Respondebit Vasquez, negando assumptum; lumen enim gloriæ, vt infra probabitur specificatur a Deo, vt intuibili in seipso; ex hoc autem prædicato, lumen gloriæ est diversū specie a lumine supernaturali, quo eleuatur intellectus creatus ad cognoscendum creaturas supernaturales in proprio genere, proùt in se sunt extra Verbum; nā distinctio formalis, & specifica luminis supernaturalis est ex distinctione formali sui obiecti formalis; quia innuit rationem potentiæ; potentia autem multiplicatur formaliter ex diuisione formali sui obiecti formalis; sed Deus, vt intuibilis in seipso, & creaturæ supernaturales, proùt sunt visibiles extrà Verbum, sunt obiecta formalia diuersa; ergo, &c.

Quod si tertiò respondeas cum eodem Fasolo, quod aliter determinat lumen gloriæ intellectum creatum circa vnū determinatum obiectum; puta circa Deū, vt in se est, & aliter determinat intellectū creatum species intelligibilis intuitiua Dei; quia hæc, potentiam intellectiuam determinat, repræsentando obiectum, vt similitudo illius, afferendo ipsum obiectū, saltem virtualiter intrà potentiam cognoscentem; quoniam species intelligibilis, si non in formalitate, saltem in virtute est ipsum obiectum; at lumen gloriæ determinat intellectum eleuando, ac perficiendo vires potentiæ, quæ est diuersa determinatio à determinatione, qua species intelligibilis determinat potentiā; hanc autem diuersitatem explicat Fasolus, ex eo quod actiuitas luminis gloriæ ad visionem intuitiuam Dei, correspondet actiuitati habitus charitatis ad beatū amorem; sed hęc actiuitas, & determinatio est eleuatiua potentiæ voluntatis, non pertinens ad obiectum, & speciem, quæ nulla est in voluntate; ergo idem dicendum est de actiuitate luminis gloriæ.

Respondebit statim Vasquez, negando, necessariam esse præter determinationem eleuatiuam intellectus beati ad Deū videndum, aliam determinationem intelligibilem prouenientem ab obiecto, vel à forma intelligibili illius; & ratio huius est eadem, quæ suprà explicata est; quia scilicèt determinatio ex parte obiecti, quæ est propria, quę ponitur propria speciei intelligibilis, est tantum ad determinandum potentiam intellectiuam, ad vnum determinatū obiectū, nempè ad hoc obiectum, non ad aliud; sed totum hoc præstat lumen gloriæ; ergo prçter determinationem per lumen gloriæ, non est danda alia determinatio, quæ prouenit ab obiecto, aut à specie obiectiua distincta à lumine gloriæ.

Communior autem opinio, quam docet pluribus in locis S. Thomas, & sequuntur omnes Thomistæ, contendit præter determinationem potentię intellectiuę per lumen gloriæ, concedendam esse necessariò aliam determinationem in genere intelligibilis, siuè obiecti, per quam potētia intellectiua constituitur formaliter suū obiectum immediatum. Hanc opinionem sequuntur etiam plures Neoterici; cum hac tamen diuersitate; quia S. Thomas cum suis, vult hanc determinationem intelligibilem in intellectu beatorum, non posse esse, nisi à Diuina essentia, quatenùs est sua forma intelligibilis in intellectu beatorum; alij verò contendunt, hanc determinationem obiectiuam, siuè intelligibilem in intellectu beatorum posse esse, non solùm à Diuina essentia, vt est sua forma intelligibilis in intellectu creato, nimirū, vt est forma sui repræsentatiua in intellectu creato beatorum; sed etiam à sola specie intelligibili creata intuitiua Dei; quoniam substinent, non implicare contradictionem, speciem intelligibilem intuitiuā Dei in se.

Prima conclusio: lumen gloriæ nullo pacto est, vel potest esse forma intelligibilis intuitiua Diuinæ essentiæ in se. Conclusio est contra Vasquez *loc. cit.* quem sequitur Franciscus Amicus *to. 1. disp. 9. sect. 9. n. 217.* dicens, lumen gloriæ tria prçstare intellectui beato creaturæ intellectualis. Primò complet intellectum beatorum ad producendam visionem intuitiuam Dei, quæ cum sit supernaturalis formaliter, & intrinsecè, non est producibilis, nisi ab intellectu creato, virtute supernaturali eleuato. Secundò, determinat intellectum beati ex parte obiecti ad immediatam visionem Dei in se. Tertiò, supplet speciem im-

impræssam obiecti secundarij, scilicèt, creaturarum, quæ videntur in Deo viso in se; idque probat.

Primò, ratione à priori, vt ipse dicit; lumen gloriæ est participatio luminis increati Dei; sed lumen increatum Dei, scilicet Diuinus intellectus (omne enim quod manifestat lumen est) non solùm se tenet ex parte Dei intelligentis, sed etiam ex parte obiecti intelligibilis, tàm primarij, quàm secundarij; ergo lumen gloriæ, non solùm se tenet ex parte potentię intellectiuæ beatorum; sed etiam ex parte Dei, quatenùs est obiectum cognitionis beatificæ creatæ, determinando potentiam intellectiuam ad sui cognitionem; sed hæc est conditio speciei intelligibilis.

Secundò probat idem, exemplo, intellectus Angelici, qui est adæquata participatio substantiæ Angelicæ, à qua promanat; ex hoc autem, intellectus Angelicus adunat in se formaliter perfectionem, non solùm intellectiui; sed etiam intelligibilis: sicut eædem perfectiones radicaliter adunantur in ipsamet Angeli essentia, quam ob causam intellectus Angelicus ad intelligendam propriam essentiam, siuè substantiam, non indiget peculiari concursu obiectiuo propriæ essentiæ, siuè substantiæ; cùm seipso se determinat ad propriam substantiam intelligendam.

Tertiò asserit, hanc esse opinionem S. Thomę *p.p.q.12. ar.5. & 3.C.G.cap.53.* quibus in locis S. Thomas appellat lumen gloriæ, similitudinem Dei, & augmētum virtutis intellectiuæ creatæ; sed istę rationes, & similes, quæ adduci possunt, nihil diuersum continent à rationibus Vasquez, & aliorum, qui eandem sequuntur sententiam, vt infrà.

Probatur primò conclusio à priori, nàm ratio præcipua oppositæ sententiæ, cur lumen gloriæ sit species intelligibilis intuitiua Dei, est: quia lumen gloriæ, est determinatiuum formale, & coefficiens, determinans intellectum creatum ad videndum Deum, qui est determinatum obiectum in se: hæc autem est ratio, siuè quidditas speciei intelligibilis; sed hęc ratio nulla est; quoniam determinatiuum formale, & coeffectiuum intellectus creati ad determinatum obiectum, præscindit à determinatiuo formali, & coeffectiuo in genere potentiæ, & à determinatiuo formali, & coeffectiuo in genere intelligibili formaliter: ex genere autem præscindente formaliter, non infertur determinata species, sicut ex eo quod aliquod est ens, non licet inferre, illud esse substantiam determinatè, aut determinatè esse accidens; quia ens, ex eo quod ens, præscindit formaliter à substantia, & ab accidente. Discursus hic suprà est clarè explicatus.

Quod si dicas, hanc rationem esse de subiecto non supponente; quia determinatiuum formale, & coeffectiuum obiectiuum distinctum, ac diuersum à determinatiuo formali, & coeffectiuo in genere potentiæ, nec datur, nec dabile est; quoniam determinatiuum formale, & coeffectiuum ex parte obiecti, est determinatiuum ad hoc obiectum, & non ad aliud; sed totum hoc facit lumen glorię, immò est prædicatum proprium luminis gloriæ: prædicatum autem proprium vnius speciei, non est communicabile alij diuersæ speciei. v.g. rationale, quod est proprium hominis, uon est communicabile bruto.

Contra est: nàm determinatiuum formale, & coeffectiuum intellectus creati pſcindit formaliter à determinatiuo formali, & coeffectiuo intellectus in genere potentiæ, & à determinatiuo formali, & coeffectiuo in genere intelligibilis; in sua enim ratione formali adæquata, siuè in sua definitione essentiali secundùm se neutrum includit formaliter, nempè, quantū ad rationes formales vtriusque, sicut animal præscindit ab homine, & à bruto formaliter: quia animal secundùm se in sua definitione essentiali, neque includit rationalitatem, quæ est propria differentia essentialis hominis, neque irrationalitatē, quæ est differentia essentialis propria bruti.

Secundò probatur adhuc à priori: species intelligibilis supplet in intellectu carentiam obiecti immediati formaliter, sicut suprà latè ostendimus; hæc autem forma est omninò diuersa à lumine glorię: lumen .n. glorię supplet in intellectu creato beatorum carētiam virtutis supernaturalis determinatæ eleuantis intellectum ad producendam visionem intuitiuam obiecti formaliter supernaturalis, quod est Deus in se: ergo lumen gloriæ non habet in se formaliter rationem speciei intelligibilis; hæc enim est ipsum obiectum formaliter intrà potentiam cognoscentem; illud verò est virtus supernaturalis, siuè augmētum supernaturale virtutis naturalis intellectus creati; obiectum autem, & virtus intellectiua, sunt diuersæ speciei, & generis; virtus enim intellectiua creata, est in genere qualitatis; obiectum autem intelligibile formaliter præscindit à substan-

stan-

substantia, & ab accidente.

His rationibus plenè soluuntur argumenta Vasquez,& Franc.Amici;ad argumentum enim Vasquez.

Respondetur, quod lumen glorię determinat intellectum creatum beatorum in ratione potentiæ ad videndum Deum; non autem in ratione obiecti intelligibilis: prædicatum verò speciei intelligibilis est esse principium formale,& coeffectiuũ in genere obiecti intelligibilis,& non in genere potentiæ, modo quo suprà plenè explicauimus.

Quod si dicas; lumen glorię proportionatur lumini corporali, & materiali, quo videntur colores; at lumen corporale, & materiale complet colorem in ratione obiecti; quippè color non est motiuus visus, nisi inquantùm est illuminatus;ergo pariter lumen gloriæ complet obiectum intelligibile, quod, scilicèt, non mouet intellectum, nisi quatenùs illuminatum.

Confirmatur ratio; nàm lumen materiale necessarium est ex parte obiecti; sed hoc prædicatum determinat lumen ad genus obiecti, & cognoscibilis; quippè complet obiectum visibile in ratione visibilis; ergo pariter lumen gloriæ determinat intellectum creatum beatorum in ratione primi intelligibilis, quod est obiectum visionis beatificæ.

Hæc instantia cum sua confirmatione pertinet ad articulum: vtrum lumen requiratur ad videndum ex parte obiecti, an ex parte medij, & potentiæ visiuæ; quæ doctè satis, vt solet pertractat S.Thomas in 2.*lib.de Anim.lect.*14.*&* 15. nec est sine controuersia articulus; nàm.

Sunt, qui dicunt: lumen corporale necessarium esse ad videndum ex parte coloris, qui est obiectum visus corporalis;dicunt enim, quod color non habet virtutem, vt moueat diaphanum, seù visum, nisi per lumen; idque probant primò à signo; quoniam ille, qui est in obscuro videt ea, quæ sunt in lumine;sed non è conuerso: hoc autem euidenter demonstrat, lumen esse necessarium ad concursum obiecti, nempè coloris: color enim non est motiuus diaphani, nisi quatenùs est actu illuminatus.Secundò,probant à priori: potentia visiua est vna specie athoma; vnitas autem specifica potentiæ, est ex vnitate specifica sui obiecti formalis; sed color, qui est obiectum formale visus corporalis, non est vnus vnitate specifica athoma in ratione obiecti formalis visus, nisi quatenùs omnes colores quantuncunque diuersi, vniuocè conueniunt in modo mouendi visum; hanc autem vniuocam conuenientiam habent, quia omnes colores quantuncũque diuersi, vt illuminati mouēt visum; ergo obiectũ visus habet specificã vnitatẽ obiectiuã per lumen.

Contrariã verò sententiam docet Aristot.*loc.citat.lib.*2.*de Anim.tex.comm.*15. quem sequitur, & explicat S. Thomas, asserens, quod lumen necessarium est ad videndum, non ex parte coloris,eo quod faciat colores esse actu, vt dicunt Authores contrariæ sententiæ,contendentes colores esse in potentia cùm sunt in tenebris; sed esse necessarium ex parte medij, & ex parte visus,inquantùm scilicèt faciunt oculũ, & medium esse in actu, sicut color facit suum receptiuum coloratum formaliter, & hæc sententia probatur.

Primò à priori; quoniam color omnis est motiuus diaphani in actu, & diaphanum non est in actu, nisi per lumen; ergo lumen præsupponitur in diaphano, antequam moueatur à colore;sed diaphanum compræhendit, tàm visum corporalem, quam medium; diaphanum enim idẽ est, quod transparens, vt aer, vel aqua, & oculus corporalis: color autem habet ex sui natura, quod possit mouere diaphanum in actu; hoc est, diaphanum iam illuminatum; & hinc primo est, quod color non sit visibilis, nisi lumine actu illuminante diaphanum: & hinc tertiò sequitur, quod neque aer, neque aqua, neque aliquid huiusmodi est actu trasparens, nisi fuerit actu illuminatum; ipsum enim diaphanum secundùm se est in potentia respectu tenebræ, quæ est priuatio luminis; sicut materia prima est in potentia respectu formæ, & priuationis; lumen autem comparatur ad diaphanum, sicut color ad corpus terminatum,nimirùm,superficie;quia vtrumque est actus,& forma sui susceptiui: quam ob causam dicit Aristot. quod lumen est quasi quidam color diaphani, secundùm quod diaphanum est actu factum diaphanum à corpore lucente, siuè illud sit ignis,aut aliquid aliud huiusmodi, vt candela accensa,siuè Sol;quippè esse lucens actu, & illuminatum, commune est igni, & corpori cælesti,sicut esse diaphanum, & est commune aeri,aquę,& & corporibus cælestibus.

Quod si dicas; ex hac doctrina sequi, colorem esse productiuum luminis; quia omne agens inducens sui formam in materiam,in priori naturæ,saltem inducit in materiam præuias dispositiones, appro-

priantes illam ad determinatam formam recipiendam: sed hoc est falsum; nàm diaphanum independenter à colore, à corpore lucente fit actu trasparens, & illuminatum.

Respondet statim ad hanc instantiã S.Thomas *loc. sup. cit.* quod omnis forma inquantùm huiusmodi, est principium agendi sibi simile; vndè cum color sit quędam forma, ex se habet, quod causet sui similitudinem in medio, siuè in diaphano; sed non omnis forma inquantùm huiusmodi est principium disponendi in priori naturæ receptiuum formæ, & ratio est; nã quædam forma est perfectæ virtutis in agendo; quædam verò est imperfectæ virtutis; forma, quæ est perfectæ virtutis in agendo, non solùm potest inducere suam similitndinem in suo susceptibili, sed potest etiam disponere patiens, vt sit propriũ eius susceptiuum; quod quidem, non potest facere forma, cum fuerit imperfectæ virtutis: saluatur enim ratio formæ inquantùm huiusmodi, per hoc, quod est principium agendi sibi simile; & hoc abstrahit a forma perfectæ virtutis in agendo, & à forma imperfectæ virtutis. Virtus coloris in agendo est imperfecta respectu virtutis luminis: nam lux pura conuenit adhuc corporibus cœlestibus, tanquam primò lucentibus; ex hoc autem lux est perfectior, quam color; vndè color non habet virtutem disponendi diaphanum, vel vt faciat medium in illa dispositione, qua sit susceptiuum coloris in esse intentionali: quod tamen potest facere lux pura.

Secundò probatur Aristotel. opinio, quod lumen, siuè lux, non requiritur ex parte obiecti, idest, ad concursum obiecti visibilis: nam color habet in se causam, vt sit visibilis: est enim color visibilis ex eo, ꝙ est motiuus diaphani in actu, sicut homo ex eo quod rationalis, est per se risibilis, & admiratiuus: hoc autem motiuum indiget lumine in medio non in se; S.Thomas, vt explicet hanc coloris definitionem *loc. cit. lect.* 14. dicit, quod propositio per se dupliciter sumitur, vno modo dicitur propositio per se, cuius prædicatum cadit in definitionem subiecti, sicut ista: homo est animal: animal enim cadit in definitione hominis, & quia id, quod est in definitione alicuius, est aliquo modo causa eius, in his quæ hoc modo sunt per se, prædicata dicuntur causa subiecti. Alio modo dicitur propositio per se, cuius è contrario, subiectum ponitur in definione prædicati, vt cum definitur nasus est simus, vel numerus est par: nasus simus .n. nihil aliud est, quam nasus curuus, & par nihil aliud est, quam numerus medietatem habens, & in istis, subiectum est causa prædicati. Color est visibilis per se, secundo modo, non primo modo; quia visibilitas est passio coloris, sicut simum est passio nasi: & hęc explicatio est doctrina eiusdem Aristot. cum dicit, quod color secundùm se est visibilis (non ratione) & sensus est, quod color, non est sic visibilis, quod visibile ponatur in eius definitione essentiali: sed quia in seipso habet causam vt sit visibilis, sicut subiectum, scilicèt, essentia rei, in seipsa habet causam proprię passionis: idque probat Aristot. per hoc quod omnis color est motiuus diaphani in actu: ex hoc autem, quod mouet diaphanum in actu est visibilis: nàm producit sui speciem in visu, per quam est visibilis; ac proindè color, non indiget lumine in se, vt moueat diaphanum, sed solùm indiget lumine in diaphano, vt diaphanum in priori naturæ fiat actu illuminatum, & trasparens: diaphanum enim non est ex se luminosum; quia est in potentia ad lumen, & ad tenebras; fit verò lucidum, & trasparens ab aliquo corpore lucente, siuè illud sit Sol, siuè ignis, aut aliquid aliud huiusmodi: quippè esse actu illuminatum, & lucens, commune est non solùm aeri, & aquæ, quæ sunt corpora corruptibilia: sed etiam corpori cœlesti, quod est incorruptibile, & perpetuum: nisi enim aliqua cęlestia corpora essent diaphana, non possemus videre stellas fixas, quæ sunt in octaua sphęra idest, nisi inferiores sphęræ planetarũ essent trasparẽtes, vel diaphanæ: qua de causa diaphanum non est proprietas, consequens naturam aeris, aquę, vel ignis, sed aliquam communiorem naturam sublunaribus, & corporibus cęlestibus.

Quod si quis ingeniosus dicat, esse petitionem principij, formam omnem inquantùm huiusmodi, non esse dispositiuã subiecti receptiui eius similitudinis: quia hæc propositio assumitur sine ratione: nec satisfit, si dicatur, formam aliam esse perfectæ virtutis in agendo, & aliam imperfectæ virtutis: & ex his formam perfectæ virtutis in agendo, non solùm posse inducere suam similitudinem in suo susceptiuo: sed etiam posse disponere illud, vt sit proprium susceptiuum suæ similitudinis, quod quidem non potest facere forma, quę est imperfectæ virtutis in agendo, & huiusmodi esse colorem: primò, nàm disponere materiam, & esse principium agendi sibi

sibi simile, conuenit formę inquantùm est actus; sed forma, inquantùm forma, actus est. Secundò, quia omnis forma inquantũ forma constituit speciem; ex hoc autem forma debet esse perfectę virtutis in agendo; quia species est ens completum, & perfectum.

Respondeo primò, dictam propositionem nõ esse petitionem principij; quia dicta propositio assumitur cum ratione; hæc autem ratio sumitur ab Aristotel. *3. de anim.* vbi dicit, commune esse omni sensui recipere formam sine materia; & ratio dictæ propositionis à priori est; quia forma perfectæ virtutis in agendo, est forma in esse naturali: at color producit sui similitudinem in visu, vt præscindens ab esse naturali; nam color, inquantùm color formaliter producit sui similitudinem in medio, & in potentia visiua; & non inquãtùm æneus, aut terreus producit sui similitudinem in oculo; sed inquantùm color, non quidem præscindens a singularitate etiam vaga; sed vt præscindens tantummodo à modo essendi naturali, vt supra loco suo, latè explicauimus: & hoc verum est, tàm de obiecto per se sensus, quam de obiecto intellectus humani; hoc enim neque disponit intellectum ad recipiendam sui speciem intelligibilem, siuè obiectum sit substantia, siuè accidens, ob eandem rationem.

Respondent aliqui secundò: propositionem assumptam adhuc in esse naturali, veram esse de forma substantiali, non autem de forma accidentali: quia scilicèt forma substantialis, cum sit ens per se, est perfecta in suo genere; ac proindè potest non solùm inducere suam similitudinem in suo susceptibili; sed potest etiam disponere illud, vt sit proprium susceptiuum suæ formæ; forma verò accidentalis, cùm accidens sit imperfectum in suo genere, potest habere latitudinem, & vim imperfectam; & huiusmodi est color cum sit accidens, cui potest conuenire esse imperfectum.

Sed hæc responsio non pertinet ad præsentem materiam, de qua loquimur; nàm color (idem dico de obiectis per se, & proprijs aliorum sensuum) est productiuus suæ similitudinis, influxu intentionali, non influxu naturali; hic autem influxus conuenit colori, inquantùm color formaliter modo explicato. Ex his facillimè soluuntur rationes, quibus Authores contrariæ sententiæ, probant; lumen esse necessarium ad videndum ex parte coloris, non ex parte medii: dicunt enim, quod color non habet virtutem, vt moueat diaphanum, nisi per lumen.

Respondeo enim ad primam rationem, quæ est à signo, cum S. Thoma, quod, ratio cur ille, qui est in obscuro videt ea, quæ sunt in lumine, & non è conuerso, est; quia à lumine illuminatur etiam medium, quantum sufficit ad immutationem ipsius; quandoquidem lumen requiritur propter medium, quod est diaphanum: è conuerso autem, existens in lumine, si lumen pertingat vsque ad superficiẽ coloris existentis in obscuro eũ videt.

Quod si dicatur. Ratio formalis obiecti requiritur propter obiectum; sed lumen, est ratio formalis coloris, inquantùm obiectum; color enim non mouet diaphanum, nisi inquantùm est illuminatus.

Respondeo, quod duplex est lumen; aliud est lumen cognoscibile, & aliud est lumen cognitiuum; ratio huius diuisionis est; quia vt docet S. Thomas *p.p.q.67.ar. 1. in corp.* lumen secundùm vsum nominis significat omne illud, quod facit manifestationem; sed non solùm facit manifestationem obiectum vt cognoscibile; sed etiam potentia cognitiua; ergo datur duplex lumen, & cognoscibile, & cognitiuum; hic loquimur de lumine cognitiuo, non autem de lumine cognoscibili; primum aliqui vocant lumen intrinsecum; secundum autem vocant lumen extrinsecum respectu obiecti.

Neque obstat cum dicitur, quod color non videtur, nisi vt illuminatus lumine exteriori, quod est lumen solis, vel alterius corporis luminosi: nã vt supra dictum est, color videri non potest sine lumine; quia de ratione coloris est, quod sit motiuus diaphani in actu: quod quidem fit per lumen, quod est actus diaphani, & ideò sine lumine color videri non potest; & huius signum est, nàm si ponatur corpus coloratum super organum visus non videbitur illud, inquit Aristot. quia non est ibi diaphanum in actu, quod moueatur à colore; etenim licet pupilla sit quoddam diaphanum, tamen non erit diaphanum in actu, sed in potentia, si superponatur ei corpus coloratum; color autem non mouet, nisi diaphanum in actu, scilicèt actu trasparens, & lucens, & ab hoc mouetur sensitiuum; corpora enim non se immutant, nisi se tangant. Ad rationem à priori.

Respondeo, concedendo, obiectum formale potentiæ visiuæ esse vnum specie

ſpecialiſſima; non quia omnes colores cõueniunt in ratione luminis; aut, quia ſunt eodem modo illuminati formaliter; ſed quia quilibet color eodem prorſus modo eſt obiectum potentiæ viſiuæ, ac alius color, & hoc: quia eodem prorſus modo vnus color eſt immutatiuus diaphani in actu, ac alius color; rationem verò mouendi diaphanum in actu habet color ex ſua natura, quæ neceſſariò ſupponit lumen, vt formale conſtitutiuum diaphani in actu, quod eſt ſubiectum mobile.

Reſpondent aliqui, vt Dominicus de Flandria *tract. 2. in 2. lib. de Anim.* quod color eſt obiectum, quod, viſus, & materiale: lumen verò eſt obiectum, quo, & formale.

Sed hæc reſponſio nunquam mihi placuit: nàm ſic lumen eſſet neceſſarium ex parte obiecti, non ex parte medij, & eſſet ad concurſum obiecti, non ad concurſum medij, quod eſt contra Ariſtotelem; & contra rationem eiuſdem; nàm hoc non alia ratione aſſeritur, niſi quia color non eſt motiuus diaphani, niſi illuminatus, ſed hæc ratio non probat, lumen eſſe obiectũ quo, viſus, nimirum, eſſe obiectum formale, licet extrinſecum, vt loquitur Flandria: quandoquidem vt ſuprà diximus cum Ariſtot. color ſine lumine videri non poteſt; ob hanc ſolam rationem; quia de ratione coloris eſt, quod ſit motiuus diaphani in actu, quod quidem ſit per lumen, quod eſt actus diaphani, & ideò ſine lumine color videri non poteſt, & hoc declarat Ariſt. exemplo corporis colorati, ſi ſuper ponatur ſuprà organum viſus. His diſcurſis, & explicatis remanent ſoluendæ rationes ſuprà poſitæ Franciſci Amici *to.1. diſp.9. nu.217.* Ad primam enim, qua dicit, quod lumen gloriæ eſt participatio luminis increati Dei; ſed hoc non ſolum ſe tenet ex parte intelligentis; ſed etiam ex parte intelligibis, tùm primarij, tùm ſecundarij, &c.

Reſpondeo, diſtinguo maiorem, lumen gloriæ eſt participatio luminis increati Dei, quod eſt lumen intellectus Dei, quatenùs lumen intellectuale formaliter, & concedo; quatenùs ob ſui infinitatem formalem, eſt etiam lumen intelligibile, ſiuè obiectiuũ, & nego; at ſpecies intelligibilis intuitiua Dei creata, ſi eſſet poſſibilis, eſſet participatio luminis increati Dei, quatenùs ob formalẽ illimitationem, eſt lumen intelligibile, ſiuè obiectiuum etiam.

Neque ex hoc ſequitur, eſſe dabilem ſpeciem intelligibilem intuitiuam Dei, ſicut dabile eſt lumen gloriæ creatum; nàm non vno modo, ſed diuerſo modo lumen gloriæ eſt participatio primi luminis, à modo, quo ſpecies intelligibilis eſt ſimilitudo primi obiecti, ſeù primi intelligibilis: idque, vel quia iuxtà implicantiam Palumb. lumen gloriæ eſt participatio luminis increati Dei, quatenùs eſt ad concurſum intellectus creati, non quatenùs eſt ad concurſum primi luminis; ſpecies verò intelligibilis intuitiua Dei, non eſt dabilis: quia eſt ad concurſum primi obiecti; vel quia iuxtà implicantiam S. Thomæ, lumen gloriæ, non eſt participatio luminis increati Dei, vt eius ſimilitudo formalis, vel vt ſimilitudo obiectiua: ſpecies verò intelligibilis intuitiua Dei, ſi daretur, deberet eſſe ſimilitudo formalis Dei, vt in ſe eſt; etenim ſpecies intelligibils eſt ipſa quidditas ſui obiecti immediati, vel per formalem identitatem, vel per formalem ſimilitudinem.

Ad ſecundam rationem, quæ ſumitur ab exemplo intellectus Angelici, quia eſt adæquata particpatio ſubſtantiæ Angelicæ, à qua promanat.

Reſpondeo eodem modo: nimirùm, quod intellectus Angelicus, eſt participatio ſubſtantiæ Angelicæ, quatenùs eſt radix intellectus, ſcilicèt, potentiæ intellectiuæ Angelicæ, non autem quatenus ſubſtantia, ſiuè eſſentia Angeli eſt obiectum intelligibile; deberet Amicus demonſtrare intellectum Angelicum eſſe participationem ſubſtantiæ Angeli, quatenùs eſt obiectum intelligibile ſuo intellectui.

Radix huius doctrinæ ſumitur à S. Thoma *p.p. quæſtion. 12. articul. 2. in corpore*, vbi diſtinguit duplicem ſimilitudinem neceſſariam ad cognoſcendum; vnam ex parte potentiæ intellectiuæ; & aliam ex parte obiecti; lumẽ gloriæ eſt ſimilitudo tãtum ex parte potentiæ non ex parte obiecti; ſpecies verò intelligibilis eſt ſimilitudo ex parte obiecti. Similitudo ex parte potentiæ viſiuæ, vt dicit S. Thomas, eſt qua intellectus in ſubiecta materia ſit efficax ad videndum Deum in ſe; ſimitudo verò Dei ex parte obiecti viſi, nempè Dei, vt in ſe eſt, non eſt forma aliqua diſtincta à Dei eſſentia, per quam Deus moueat intellectum ad producendam viſionem intuitiuam ipſius Dei; ſed eſt ipſamet Dei eſ-

essentia, quatenùs est repræsentatiua Dei formaliter potentię intellectiuæ creatæ, nimirùm, quatenùs ponit Dei essentiam formaliter subsistentem subsistentia intelligibili in intellectu creato videtis Deum in se; & ratio huius est; quia nulla est dabilis species intelligibilis creata, per quam Dei essentia, vt in se est videri possit, quod Angelicus Doctor tribus rationibus probat.

Prima est: per speciem inferioris ordinis nullo modo potest repræsentare obiectum ordinis superioris; sed omnis species intelligibilis creata est inferioris ordinis; omnis enim species intelligibilis creata est essentialiter potentialis; Dei autem essentia in se est essentialiter actus purus; sed ens potentiale est ordinis inferioris; actus vero purus est ordinis superioris, & primi; diuersitas enim ordinis est penès primas differentias entis; Maior sumitur à S.Dionisio *in lib. de Diuinis nominibus*; & ratio est, quia species intelligibilis, vel est formaliter essentia sui obiecti immediati, vt volunt S. Thomas, & Aristot. vel est ad concursum sui obiecti immediati, & primarij; sed species intelligibilis inferioris ordinis, neque potest esse essentia sui obiecti immediati, & primi formaliter superioris, neque potest esse ad concursum primum in suo genere; ergo nulla species intelligibilis, siuè repsentatiua obiecti inferioris potest esse species superioris ordinis.

Secunda ratio est, essentia Dei, est essentialiter suum esse; sed nulla forma intelligibilis creata potest esse repræsentatiua intellectui creato essentię, quæ est suum esse formaliter; quia forma intelligibilis, est repræsentatiua sui obiecti immediati in genere causæ formalis; ad hoc autem requiritur, vt ipsa species intelligibilis sit formaliter essentia, quæ est formaliter suum esse, quod nulli formæ creatæ competere potest. Tertia ratio est, quia Dei essentia in se continet supereminenter quicquid perfectionis possibile est, nimirùm, est ens, quod est omnis actus, & perfectio essendi, demptis omnibus imperfectionibus; sed nulla forma creata potest repræsentare formaliter ens omninò illimitatum; quia omnis forma creata est limitata ad genus, speciem, & indiuiduum; hæc autem non est repræsentatiua formaliter, nisi perfectionis vnius tantum generis; nàm repræsentare formaliter suum obiectum, non aliud significat, nisi ponere intrà potentiam cognoscentem prædicata omnia formalia sui obiecti immediati.

Neque huic doctrinæ obstat, si dicatur; cum intellectus intelligit hominem, in intellectu intelligentis, non est homo, sed species hominis; quod si species intelligibils poneret intrà intellectum cognoscentem suum obiectum immediatum formaliter modo explicato: in intellectu intelligentis hominem esset homo formaliter, & non species hominis.

Quandoquidem maior propositio duplicem potest habere sensum. Primus est, quod in intellectu intelligentis hominem, non est homo formaliter in esse naturali, & hic sensus verus est, & in hoc sensu intelligendus est S. Thomas, quando vtitur hoc loquendi modo.

Secundus sensus est, quod cum quis intelligit hominem, in intellectu eius non est homo quantum ad sua prædicata formalia, in modo tamen essendi intelligibili, & hic sensus est falsus; quoniam vt ostendimus species intelligibilis reprę-sentat in intellectu in genere causæ formalis suum obiectum immediatum formaliter.

Præterea eadem propositio potest habere alios duos sensus. Primus est, quod in intelligente, v.g. hominem, non est homo formaliter per identitatem formalem, sed eius species intelligibilis; & hic sensus verus est; quia essentia hominis non est essentialiter sua forma intelligibilis per identitatem.

Secundus sensus est, quod in intellectu intelligentis hominem, non est homo formaliter per formalem similitudinem, & hic sensus est omninò falsus; neque in hoc sensu loquitur Aristoteles, neque S.Thomas.

Conclusio secunda; Dei essentia in intellectu creato beatorum est sua species intelligibilis, siuè sua forma intelligibilis.

Explicatur conclusio, Diuina essentia essentialiter est, non solum sua forma naturalis; sed etiam est sua forma intelligibilis; dicitur Dei essentia sua forma naturalis; non quatenùs forma naturalis contradistinguitur à forma supernaturali; quia Dei essentia in se est obiectum formaliter supernaturale; sed dicitur forma naturalis; quatenùs virtualiter contradistinguitur à seipsa, vt est sua forma intelligibilis, tàm suo Diuino intellectui, quā intellectui ceeato beatorum; est

est autem Dei essentia sua forma intelligibilis formaliter in intellectu creato beatorum, quatenus est sui repræsentatiua formaliter existens, & subsistens intelligibiliter intra intellectum creatum videntem Deum in se; eadem verò est, & dicitur forma naturalis, quatenus existit, & subsistit in se, absque vllo respectu intelligibis, aut obiecti ad intellectum, illam intelligẽtem. In hac conclusione asserimus; Dei essentiam in intellectu esse suam formã intelligibilem subsistentem, in intellectu creato beatorum.

Conclusio controuersa est; Plures enim contendunt, nullo modo Dei essentiam posse esse sui speciem, aut formam intelligibilem intuitiuam in intellectu creato beatorum; & eorum fundamentum præcipuum est; quia forma omnis receptibilis in potentia receptiua, inuoluit essentialiter imperfectionem; at omnis imfectio contradicit Diuinæ essentiæ, cum sit actus purissimus; ergo impossibile omninò est, Diuinam essentiam, esse suam formam intelligibilem, siue speciem intuitiuam in intellectu creato beatorum. Maior probatur; quia omnis forma potentiæ receptiuę, & passiuæ inuoluit rationem partis; facit enim cũ potentia receptiua vnum tertium: sed ratio partis inuoluit essentialiter imperfectionem.

Quod si eis respondeas, maiorem esse veram de forma naturali: falsam verò de forma intelligibili: & ratio est, vt supra sæpè repetiuimus; quoniam forma naturalis receptibilis in potentia, inuoluit rationem partis, idque ex eo; quia forma naturalis cum potentia receptiua facit vnum tertium, quando forma naturalis est substantialis; vt suprà ostendimus. Foma verò intelligibilis, licet sit substantialis, nullo modo facit tertium cum sua potentia receptiua; quia potentia receptiua formæ intelligibilis, non est in potentia ad formã intelligibilem; sed est potentia formæ intelligibilis: sicut est potentia suum obiectum immediatum formaliter: ex opposito autem, potentia receptiua formæ naturalis, etiam substantialis, non est potentią sua forma; sed est in potentia ad formam substantialem; quia nunquam materia fit forma, neque forma fit materia.

Statim reijcient datam respõsionem; dicent enim formam, siuè actum inuoluere intrinsecè imperfectionem, non solùm, quia est pars faciens cum suo susceptibili vnum tertium, sub qua ratione formali inuoluit duplicem imperfectionem intrinsecam: alia est, quia est ens partiale, & incompletum: & alia, quia pars, est materia totius; & consequenter complebilis ab esse totali, & separabili: sed etiam inuoluere imperfectionem, ex eo: quia est forma receptibilis in potentia receptiua: nàm ob hanc rationem, natura humana in Christo Domino non est vnibilis cum subsistentia personali Verbi Diuini, quatenùs subsistentia actus est, sed quatenùs est terminus: quia actus, vt actus inuoluit imperfectionem.

His non obstantibus, licet satis doctè explicatis, vera est conclusio, nimirùm Deum esse formaliter suam speciem, siuè formam intelligibilem in intellectu beatorum: quæ est doctrina in terminis S. Th. *p.p. q. 12. ar. 2. tum in corpore, tum in responsionibus ad argumenta, & 3. C G. cap.* 51. & in omnibus alijs locis, in quibus de hac materia disputat.

Ad plenam autem intelligentiam conclusionis requiritur resolutio plurium.

Primum est, an Diuina essentia sit formaliter, & propriè sua forma intelligibilis intuitiua in intellectu creato beatorum, quod quidem est explicandum, & probãdum propter aliquas authoritates S. Thomę, quibus Angelicus Doctor apertè asserit; Diuinam essentiam non esse formam: sed quoddammodò formam in intellectu creato beatorum.

Secundum est, an Diuina essentia sit sua forma intelligibilis intuitiua in intellectu creato, prius natura, quam concurrat cum intellectu creato ad visionem intuitiuam Dei, siuè solum in genere causæ formalis, determinando præcisè intellectum: siuè in genere causæ efficientis, quod est examinandum propter eos, qui dicunt; speciem intelligibilem in suo esse formali, quatenùs scilicèt repræsentatiua est, vniri intellectui creato tantùm in ratione principij coeffectiui intellectionis.

Tertium est; posito, quod Diuina essentia est sua forma intelligibilis in intellectu creato beatorum formaliter, quo genere vnionis vniatur? intrinsecè intellectui creato, vt eleuato lumine gloriæ; nàm vnio intrinseca duplex est: alia est vnio naturæ: alia est vnio termini, sicut in esse naturali, ità & in esse intelligibili.

Quar-

Quartum est, Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis, concurrat nè coeffectiuè cum intellectu creato ad visionem intuitiuā Dei; an solùm formaliter, determinando, nimirùm, tantùm potentiam cognoscitiuam, sicut figura determinat ferrum, vt possit scindere, cùm tamen figura nullam habeat efficientiam, vt multi, & Doctissimi Theologi docent.

In hac conclusione solum asserimus, primum: reliqua verò resoluuntur sequentibus conclusionibus.

Ratio fundamentalis, prima conclusionis est, quæ sumitur in terminis à S.Th. *loc sup.cit.* Dei essentia, est infinita simpliciter in ratione formæ intelligilis formaliter; quia est essentialiter, & formaliter suum esse intelligibile; non posset autem esse essentialiter, & formaliter suum esse intelligibile, nisi esset essentialiter, & formaliter sua forma intelligibilis (dicitur esse intelligibile in agēdo ipsum intelligere; quia intelligere, est actus intellectus, vt cōstituti in actu in genere intelligibilis per formā intelligibilē, sicut in cōposito physico substātiali, esse existētiale, est actus determinati in specie per formam) at ex hoc prædicato Dei essentia adæquatè, est formaliter sua forma intelligibilis, non solùm suo Diuino intellectui; sed adhuc intellectui creato, lumine gloriæ eleuato: ergo Dei essentia est formaliter sua forma intelligibilis intuitiua in intellectu creato beatorum etiam. Maior probatur, quoniā Dei essentia, est essentialiter suum esse existentiale; quod autem est essentialiter suū esse existentiale, est essentialiter non solùm omne esse existentiale, tàm naturale, quam intelligibile, vt acutè notat Caiet, sed etiam est omnis forma essendi, demptis imperfectionibus; quippè forma est principium formale esse; at per hoc Dei essentia est infinita simpliciter in omni latitudine formali formæ intelligibilis, siuè suo Diuino intellectui, siuè intellectui creato, eleuato lumine gloriæ; ergo Diuina essentia, est forma formaliter intelligibilis, adhuc in intellectu creato beatorum. Probatur discursus à simili doctrina eiusdem S. Thomæ, qui in *disputatis qu. de speciebus intelligibilibus in Angelis*, inquirit, an essentia vnius Angeli, possit esse sua forma intelligibilis in intellectu alterius Angeli: & respondet negatiuè in responsionibus ad argumenta in oppositum, & huius hanc optimam assignat rationem. Essentia vnius Angeli est limitata intrinsecè ad genus, speciem, & indiuiduum; hæc autem limitatio ei conuenit, quia non est essentialiter suum esse, neque naturale, neque intelligibile: forma verò intrinsecè limitata, non potest esse sua forma intelligibilis in intellectu alterius, quia forma intelligibilis, est principium formale esse intelligibilis intellectus intelligentis: at forma intelligibilis vnius Angeli non potest esse principium formale, esse intelligibilis intellectus alterius Angeli, secùs non esset limitata intrinsecè ad genus, speciem, & indiuiduum Angeli, qui intelligitur, & quia hæc limitatio, nec est, nec esse potest in Diuina essentia, neque vt sua forma naturali, neque vt sua forma intelligibili, cum sit infinita simpliciter infinitate formæ, ideò Diuina essentia potest esse forma intelligibilis, non solùm suo intellectui Diuino, sed etiam intellectui creato beatorum: idest non solum est principium formale sui esse intelligibilis, sed etiam esse intelligibilis intellectus creati beatorū; quippè forma intelligibilis infinita simpliciter in tota latitudine formali formæ intelligibilis, est omnis sua forma intelligibilis tam in suo intellectu, quàm in intellectu creaturarum: hunc discursum latè, & profundè explicat Angelicus Doctor 3. *C.G.cap.51 circa initium*, asserens, quod sola Diuina essentia potest esse sua forma intelligibilis in intellectu creato; quia sola Diuina essentia, est essentialiter suum esse, quod est proprium soli Deo.

Secunda ratio fundamentalis conclusionis, paulò aliter diuersa est: Diuina essentia, siuè Deus est prima veritas, siuè est primum verum, & primum intelligibile; sed prima veritas, & primum intelligibile est sua forma, intelligibilis in omni intellectu, tā Diuino, quàm creato; ergo Diuina essentia, siuè Deus, est essentialiter sua forma intelligibilis in intellectu creato, eleuato tamen lumine gloriæ. Maior probatur; quia Deus, siuè prima essentia est essentialiter primum ens; sed primum ens est primum intelligibile, & primum verū essentialiter; ergo Deus, siuè Dei essentia, est essentialiter primum intelligibile, & primum verum, quod est essentialiter prima veritas; est autem Deus primum ens: quia Deus, est essentialiter suum esse; est autem primum verum, siuè primum intelligibile radicaliter, quia est primum verū, & primum ens: verum enim, & intelligibile sequuntur ad esse. Minor verò principalis argumenti ex terminis est manifesta; nàm primum intelligibile, est essentialiter infinitum in tota latitudine formali intelligi-

ligi-

ligibilis; hoc autem est omnis forma intelligibilis, demptis imperfectionibus, tam suo intellectui, quàm intellectui alterius: hæc ratio sumitur etiam quasi in terminis à S. Thoma *loc. sup. cit.*

Quod si obijcias; forma in eo quod forma perfectiua potentiæ, inuoluit essentialiter imperfectionem; quia omnis forma receptibilis in potentia, vel est forma partis, vel est actus; ex vtroque enim capite forma perfectiua potentiæ receptiuæ inuoluit essentialiter imperfectionem; sed Diuina essentia, cum sit primum ens, & primum intelligibile, nullam potest inuoluere imperfectionem; ergo Diuina essentia nullo pacto potest esse sua forma intelligibis.

Respondet statim S. Thomas, quem sequuntur omnes Thomistæ, distinguendo maiorem, nimirùm, omnem formam perfectiuam potentiæ receptiuæ in esse naturali inuoluere intrinsecè imperfectionem; non autem omnem formam comprehendendo, tàm formam naturalem, quàm formam intelligibilem; & ratio huius est: quia imperfectio, quæ est ex ratione partis formalis, vel ratione actus, accidit formæ, quatenùs est forma naturalis, non autem est prædicatum essentiale formæ, siuè actus vt receptibilis, vt sic, in potentia receptiua; forma enim intelligibilis vt sic, præscindit ab imperfectione, nàm est præcisè perfectio intellectus vt sic, veritas; ac proindè Deus nullo pacto potest esse forma naturalis alicuius potentiæ receptiuæ; sed solùm forma intelligibilis; quæ vt docet S. Thomas, perficit tantum intellectum ad intelligendum; quod perfectioni Diuinæ essentiæ non repugnat.

Explicatur doctrina exemplo lucis, seù luminis, cui accidit, quod non habeat contrarium; si enim lumen vt sic, non haberet contrarium, omnis lux, aut lumen non haberet contrarium, quod est falsum, nàm lux corporis inferioris habentis à se lumen, quatenùs est in corpore inferiori sublunari potest habere contrarium; omne enim corpus inferius est corruptibile, corruptibilitas autem oritur ex contrarietate qualitatum, exemplum est S. Thomæ *p. p. q. 67. ar. 2. ad 2.* ac proindè lux in corpore sublunari, est corruptibilis.

Quod si iterum vrgeas, vt suprà, hoc non probari a S. Thoma ratione conuincente; nàm S. Thomas *3. C. G. c. 51.* vt probet, quod essentia Diuina potest esse forma intelligibilis intellectus creati, qua intelligit, non tamen potest esse forma naturalis, ponit hanc disparitatem inter formam naturalem, & formam intelligibilē, quod forma naturalis, simul cum materia constituit vnam naturam, quod non potest competere essentiæ Diuinæ; Cum essentia Diuina in se, perfecta sit in sui natura: species autem, siuè forma intelligibilis vnita intellectui creato, non constituit vnam tertiam naturam, sed perficit tamen intellectum ad intelligendum: quod perfectioni Diuinæ essentiæ non repugnat, cuius ratio esse potest: quia intelligibile est perfectio intellectus sine vlla imperfectione; etenim vnumquodque est intelligibile formaliter, inquantùm est actu, vt dicitur *9. metaphysic.* actus verò vt sic, perfectio est.

Sed hęc ratio potest dicere Aduersarius, non conuincit; quoniam forma, non solùm includit imperfectionem ex eo capite; quia habet rationem partis facientis cum suo receptiuo vnam tertiam naturā; sed etiam includit imperfectionem, ex eo quod est actus sui receptiui, quod ex eo probatur; nàm omnes Theologi docent; subsistentiam personalem Verbi Diuini, non vniri in ratione actus naturæ humanæ in Christo Domino: sed solùm in ratione termini substantialis; quia actus receptibilis in potentia inuoluit imperfectionem.

Respondebit statim S. Thomas, & quiuis Thomista pro eo: instantiam concludere de actu receptibili in esse naturali, non autem de actu receptibili in potentia in esse intelligibili; & disparitas est; quia actus naturalis potest esse, tàm perfectus, & completus, quàm imperfectus, & incompletus; perfectus quidem, quando actus est completus in specie, & consequenter irreceptibilis in subiecto, vt est essentia Angeli in esse naturali; imperfectus verò, quando est actus receptibilis, pariter in esse naturali; at actus intelligibilis, siuè forma intelligibilis habet solùm perficere intellectum; scilicèt est sola perfectio intellectus in esse intelligibili; quia est perfectio obiectiua; hæc autem præscindit ab omni imperfectione, tùm partis, tùm actus; & quidem ratio huius, quantum nunc occurrit est: primò quoniam,

Actus in esse naturali receptibilis in suo receptiuo, licet non constituat cum receptiuo vnam tertiam naturam, ob quod innuat rationem partis, tamen inuoluit imperfectionem essentialem actus in esse naturali; quia actus, & potentia in esse naturali se se mutuo causant, vbi autem est

est causalitas, est dependentia, & vbi dependentia imperfectio; & consequenter potentialitas: at obiectum formale potentię cognitiuæ non causatur à potentia cognitiua:& cõsequẽter nõ dependet ab ea; species verò, siuè forma intelligibilis, est ipsa quidditas obiecti immediati, & formalis potentiæ cognitiuæ.

Secundò, quoniam forma, siuè actus intelligibilis habet rationem termini intelligibilis; quia est suum obiectum immediatum formaliter; obiectũ autem immediatum, & formale habet rationem termini; terminus autem excludit à se, vt terminus est, imperfectionem; quoniam terminus ex eo præcisè, quod terminus terminat dependentiam alterius à se; quia terminus est totus actus, & consequenter dicit perfectionem sine imperfectione, quod ex eo sufficienter arguituitur; quia terminus est independens ã se dependente: hac ratione subsistentia personali Verbi Diuini vnitur intrinsecè naturę humanæ; quia vnitur ei, vt terminus substãtialis.

Quod si iterum vrgeas. Essentia Diuina infinitè distat ab intellectu creato: at distantia infinita excludit omnem vnionem, etiam termini; ergo essentia Diuina nullo modo potest esse sua forma intelligibilis in intellectu creato beatorum.

Respondeo, distinguo maiorem; essentia Diuina distat distantia infinita formali ab intellectu creato; & nego: distat distantia infinita materiali, & concedo: & sic distinguo minorem, distantia infinita formalis tollit, & excludit omnem vnionem, etiam in ratione termini; & concedo: id facit etiam distantia infinita materialis, & nego: ideò essentia Diuina, est vnibilis in ratione termini intelligibilis; cum intellectu creato eleuato lumine gloriæ. Distinctio hæc persimilis est distinctioni, qua diximus Deum distare distantia infinita in essendo ab intellectu creato, non autem distantia infinita obiectiua formali: ac proindè Deum esse intuibilem in se ab intellectu creato eleuato lumine gloriæ; quippè inter Deum in se, & intellectum creatum, vt eleuatum non est distantia obiectiua formalis, sed solùm est distantia infinita obiectiua materialis.

Quod si adhuc vrgeas: species intelligibilis est principium formale esse intelligibilis intelligentis: constituit enim intellectum actu in genere intelligibilis: intellectus autem vt est actu per formam intelligibilem est principium intelligere, quod est esse intelligibile intelligentis: sed implicat Diuinam essentiam esse principium formale esse iotelligibilis intellectus creati, videntis Deum: quoniam principium formale est receptiuum sui esse: esse enim est actus intrinsecus formæ; sed implicat, Diuinam essentiam esse receptiuam esse intelligibilis intellectus creati: quia receptiuum esse, est essentialiter potentia in genere entis; omnis autem potentialitas passiua, seù receptiua repugnat omninò perfectioni Diuinæ essentiæ, quippè Diuina essentia est actus purus.

Respondeo: distinguo maiorem: duplex enim est principium formale esse: aliud vt principium recipiendi non recipiens; & aliud quod est principium recipiendi recipiens, vt est quantitas dimensiua, quæ est principium recipiendi recipiens qualitates materiales in meteria, aut in substantia materiali; primæ autem conditionis sunt dispositiones in materia prima ad determinatam formam substantialem, vt siccitas, & caliditas in debita proportione, sunt rationes, necessitantes materiam ad recipiendam formam ignis in se: sed ipsæ non recipiunt formam substantialem, vt est mollitudo in cera, quæ est tantum ratio recipiendi figuram sigilli, aut annuli in cera. Species intelligibilis, quæ est similitudo obiectiua est principium formale esse intelligibilis intelligentis recipiendi non recipiens: & ratio est, quia intellectus est, qui intelligit vitaliter, non species, obiecti, quod intelligitur, vt suprà ostendimus: species autem intelligibilis, simul cum intellectu creato producit, adhuc intellectionem, non in se, sed in ipso intellectu; nã intellectio est ad intelligendum formaliter, & vitaliter: intellectus autem est, qui vitaliter, & formaliter intelligit; hæc doctrina facilè explicatur, & intelligitur exemplo luminis glorię, quod simul cum intellectu, quem eleuat, producit visionem beatam in ipso intellectu creato, non in ipso lumine. Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis in intellectu creato beatorum, est principium formale actus intelligendi, vt principium producendi, non recipiens; quia species intelligibilis non est principium vitale: hoc autem perfectioni Diuinæ essentiæ non repugnat; quia non ponit in Diuina essentia rationem receptiui, quæ est potentialitas passiua, quæ solùm repugnat actui puro, non autem potentia actiua, qualis est potentia formæ intelligibilis ad comproducendum actum intellectionis.

Respondeo secundò, Diuinam essen-

Qqqqq tiam,

tiam, vt suam formam intelligibilem, esse principium formale cognitionis intuitiuę creatæ, vt primum intelligibile, non autem vt intelligibile secundum; essentia, quæ est obiectum, vt intelligibile secundũ, est potentiale in genere intelligibilis; quia est mouens intelligibile, vt motum: essentia verò, quæ est obiectum, vt primum intelligibile non item; quia est mouens intelligibile immotum, siuè non motum ab alio priori; immobilitas fundatur in actu. E conuerso autem, mobilitas fundatur in potentia; ratio huius discursus fundatur in doctrina S. Thomæ *3.C.G.c.51.* vbi docet S. Thomas, Deum esse obiectum cognitionis intuitiuæ, inquantùm est primum verum, quod est primum ens, inquãtùm scilicet Deus est ipsa veritas; ipsa autem veritas, est prima veritas, quæ scilicèt, est prima causa vt sint cæteræ veritates ad extrà, tùm in esse, tùm in operari operatione intelligibili.

Conclusio tertia. Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis in intellectu creato beatornm prius natura est forma intelligibilis, siuè actus intelligibilis intellectus creati beatorum, quã sit cum intellectu creato principium, vel formale, vel coeffectiuum simul actus intellectionis.

Conclusio hæc explicari solet alijs verbis. Essentia Diuina, vt sua forma intelligibilis in intellectu creato, prius natura vnitur vnione intrinseca intellectui creato videntis Deum, quam sit principium, vel formale præcisè, vel coeffectiuũ cum intellectu actus intellectionis, quæ est visio creata intuitiua Dei in se.

Dicitur primò in conclusione; Diuina essentia, vt est sua forma intelligibilis in intellectu creato beatorum; nàm dupliciter obiectum potest esse sua forma intelligibilis; vno modo suo intellectui tãtùm; alio modo non solùm suo intellectui; sed etiam intellectui alterius. Primum competit essentię Angeli, cum intelligit seipsum; Secundum verò competit soli Deo, siuè Diuinæ essentiæ, vt probat S.Tho. *3.C.G. c.51.* quia, scilicèt, solus Deus est ens infinitum infinitate simpliciter, siuè infinitate formæ; essentia autem cuiuslibet creaturæ, cum sit limitata ad genus, speciem, & indiuiduum non potest esse principium formale esse alterius; sed solum sui esse, vel vt loquitur S. Tho. essentia est intelligibilis, ex eo quod est vera; quia veritas, siuè verum est perfectio intellectus: sed sola Diuina essentia, est ipsa veritas, quæ est prima causa, vt sint cæterę veritates extrà se; & consequenter infinita; ergo sola Diuina essentia potest esse perfectio intelligibilis intellectus creati: veritas autem vnius creaturæ non potest esse veritas, & perfectio intrinseca, & formalis intellectus alterius, quia cum sit receptiua esse, non est prima veritas, quæ est veritas non solùm intrinseca suo intellectui; sed etiam intellectui creato. Dicitur secundò, quod Diuina essentia, est sua forma intelligibilis perficiens intrinsecè prius natura intellectum creatum beatorum, quam sit principium, vel solùm formale, vel etiam effectiuum actus intellectionis, simul cum intellectu creato; quoniam plures excellentes Theologi, quos sequitur Fasolus super *qu. 12. de Vis. Dei, art. 2. dub. 9. à num. 28.* & deinceps sunt, qui dicunt, speciem intelligibilem, quatenùs species intelligibilis formaliter, esse solùm principium, vel formale, vel coeffectiuum, simul cum intellectu creato actus intellectionis; esse verò perfectionem intellectus, esse prædicatum accidentale speciei intelligibilis, inquantùm est repræsentatiua sui obiecti immediati formaliter; & ei conuenit, vt est forma informans, vt est species creata; vt autem hoc explicèt, dicunt duo essenda in specie intelligibili creata. Primò esse accidens, aut esse speciei, quod est perfectiuum, siuè informatiuum intellectus. Secundò, munus, & efficaciam, siuè finem speciei, quod est esse simul cum intellectu comprincipium cognitiuũ. Primum dicunt, esse prædicatũ accidentale speciei intelligibilis, inquantũ est repræsentatiua formaliter: quoniam hæc prædicata non includuntur in definitione essentiali speciei intelligibilis inquãtùm repræsentatiua formaliter sui obiecti immediati. Secundum verò, quod est esse cõprincipium simul cum intellectu actus intellectionis, est prædicatum essentiale speciei intelligibilis, quatenùs species intelligibilis formaliter; quia sine his prædicatis non potest saluari quidditas, siue essentia speciei intelligibilis, & dicunt hãc doctrinam esse Caietani, tùm *pręcit. art. 2. in p.p. S. Th. qu. 12. de Vis. Dei; tùm etiam qu. 56. ar. 1.* vbi ex doctrina S. Thomæ notat, quod inhærere intelligenti accidit speciei intelligibili, ex eo quod accidens; quia si esset subsistens, nihilominus ad eundem effectum concurreret; & consequenter, quod non requiritur ad intelligibile in actu, quod informet intellectum per inhesionẽ. Dicitur tertiò, quod Diuina essentia est vnitas intrinsecè in ratione fomæ intelligibilis intellectui creato beatorũ; est autẽ vnio intrinseca, vnio siuè cõiunctio vnius cum alio secundùm esse, quod est actus intrin-

trinsecus entis, & illi intrinsecè aduenies, ad differentiam vnionis, siuè coniunctionis extrinsecę, q̃ est vnio tantum secundũ propinquitatem, vel secundum contiguationem, vel per indistantiam, siuè in situ, siuè in loco; istæ enim coniunctiones, siuè vniones sunt extrinsecæ; quia non tangũt esse vnitorum; tunc verò vnio est secundùm esse, quando vnum vnitorum est esse alterius; quo pacto vnio esse existentialis, vel subsistentialis Verbi Diuini, cum natura humana in Christo Domino, est intrinseca vnio; quia affert naturæ humanę esse intrinsecum, quo completur in ratione entis, vel quando ex vnione vnibilium resultat vnum esse intrinsecum vtriusque, qualis est vnio, siuè coniunctio materiæ primæ cum forma substantiali; præterea vnio intrinseca, quę scilicèt, est secundum esse, est duplex; alia in ratione potentiæ, & actus, & alia est in ratione, terminabilis, & termini substantialis; & vtraque, alia intelligibilis, & alia est naturalis contradistincta, nimirùm ab vnione intelligibili; non autem contradistincta ab vnione supernaturali; ac proindè vnio in ratione termini potest esse, tàm in esse naturali, quàm in esse intelligibili.

Ex his vnio in ratione actus, & potẽtię in esse naturali inuoluit imperfectionẽ in vtroque extremo componente; vnio verò potentiæ, & actus intelligibilis, dicit tantum imperfectionem in vno extremorum, nempè, in potentia, non autem in actu intelligibili; vnio denique potentiæ, & termini substantialis, tàm in esse naturæ, quàm in esse intelligibili, dicit imperfectionem tantummodò in vno extremorum, quod est potentia.

Conclusio hoc modo explicata, & intellecta, est doctrina S. Thomæ, quem latè explicat Caietan. *p.p. quæst.12. artic.2.* Caietan. enim expressè hoc docet ex doctrina S.Thomæ, Diuinam essentiam, vt suam formam intelligibilem in intellectu creato prius natura, esse formam, siue perfectionem intellectus creati, per quam intellectus creatus fit formaliter in genere intelligibili, quam sit comprincipium, simul cum intellectu creato cognitionis intuitiuæ Dei.

Fundatur hæc doctrina. Primò in Aristot. *3. de Anim.* quem sequitur Auer. ibidem. vbi docet Aristot. ex intellectu, & intelligibili fieri magis vnum, quam ex materia, & forma; sed vnio materiæ, & formę est intrinseca; ergo magis intrinseca esse debet vnio intellectus cũ intelligibili.

Neque dicas, quod esse intelligibile cum sit actus intelligendi, est accidentalis; vnio autem potentiæ cum accidente, est extrà rationem repræsentatiui formaliter; repræsentatiuum enim formaliter, est prędicatum obiecti; dicit enim ordinem intrinsecum ad repræsentabile; accidens verò dicit ordinem intrinsecum ad subiectum inhęsionis.

Quoniam duplex est esse intelligibile, quod est actus formę intelligibilis; aliud est in genere entis intelligibilis; aliud est genere agentis intelligibilis, vt suprà explicauimus contra Caietan. Esse, quod est de ratione Diuinæ essentiæ, vt est sua forma intelligibilis in intellectu creato, est esse intelligibile in genere entis intelligibilis. Assignanda est nunc ratio ostensiua prædictæ conclusionis.

Prima ratio omnium est; quia intellectus est essentialiter immaterialis immaterialitate essentiæ, quæ est per independentiam à materia; sed hęc immaterialitas est causa intellectui creato, vt sit potentia suum obiectum immediatum formaliter, non quidem per identitatem formalem, sed per vnionem intrinsecam, quæ est maior, quam sit vnio materiæ cum forma substantiali; ergo intellectus creatus est vnibilis vnione intrinseca cum suo obiecto immediato formaliter; sed obiectum immediatum formaliter est sua species intelligibilis in intellectu, vel per identitatem formalem, vel per formalem similitudinem; ergo intellectus creatus est vnibilis vnione intrinseca cum forma intelligibili, per quam sit magis vnum, quam ex materia, & forma. Minor, in qua est difficultas probatur à S.Thoma *p.p.q.14.ar.1.in corp.* immaterialitas per essentiam est causa, vt intellectus sit illimitatus in cognoscendo; sed hæc illimitatio est intellectui creato causa, non solùm vt sit forma, siuè quidditas potentiæ intellectiuæ, sed etiam vt sit potentia omnis alia à se forma formaliter aliorum; nàm coartatio, siuè restrictio formæ, & quidditatis est, ex eo quod forma, & quidditas receptibilis est in materia; forma enim secundùm se inquantùm forma non habet vt sit hæc, vel illa; sed solum est hæc inquantùm receptibilis est in hac materia; sed immaterialitas essentiæ, non habet in se materiam; ergo non habet in se limitationem, per quam sit ipsa tantum, & non possit fieri alia à se formaliter. Termini clari sunt; coartio enim, siuè limitatio, imperfectio quædam est; sed prima radix imperfectionis est in materia prima,

quæ est prima potentia ad omnem actum; & hinc tanquam a prima radice oritur distinctio cognoscentium a non cognoscentibus; quia non cognoscentia formaliter sunt tantum sua forma; cognoscentia verò non solùm sunt sua forma; sed etiam nata sunt esse formaliter alia à se.

Neque huic obstat, si dicatur, quod non cognoscentia adhuc possunt esse alia à se formaliter; quia possunt in se recipere formas aliorum saltem accidentales; lignũ enim e.g. non solùm est lignum; sed etiam potest esse nigrum, album formaliter, quia potest in se recipere formaliter nigredinẽ albedinem; &c. & tamen lignum non est immateriale. Non inquam obstat.

Quoniam, non eodem; sed diuerso modo, non cognoscentia possunt recipere formas aliorum à se, ac cognoscentia.

Primò, quia non cognoscentia recipiunt formas aliorum à se in esse naturali; cognoscentia verò recipiunt formas aliorum à se præcisè formaliter, nimirum quantum ad eorum prædicata formalia; idque habent cognoscentia, ex eo quod sunt immaterialia, propter quod Aristot. 3. *de Anima*, dicit, quod anima est quoddammodò omnia, & in 2. *de Anima*, dicit, quod plantæ non cognoscunt propter suã materialitatem: sensus autem est cognoscitiuus; quia receptiuus est specierum sine materia, idest est receptiuus specierum rerum sensibilium, quantum ad earum prædicata formalia præcisè.

Secundò, nàm potentia cognitiua imbibit obiectum formalium in suo genere, & è contra, cum sit pura potentia in genere cognoscibilis, non sic potentia actiua non cognitiua.

Secunda ratio conclusionis est: intellectus creatus, non potest actu cognoscere suum obiectum, nisi in priori naturæ fiat actu in genere cognoscibilis formaliter; sed vnumquodque fit actu per formam intrinsecam, quæ scilicèt est principium essendi; principium autem formale essendi, est intrinsecum; quia dat esse agenti; vnio autem secundùm esse, est vnio intrinseca; ergo intellectus creatus, non potest actu cognoscere suum obiectum, nisi in priori naturæ vniatur vnione intrinsecè formæ intelligibilis sui obiecti. Maior in qua est difficultas, probatur; quia intellectus, vt cognoscens actu, est agens obiectiuum; repræsentat enim sibi ad intrà obiectum extrà; hoc autem est, esse agens obiectiuum; sed agens obiectiuum est ex eo; quia in priori naturæ est actu in genere sui obiecti, vnumquodque autem est actu per formam essendi sui generis, quæ est forma intrinseca; ergo, &c.

Tertia ratio pariter à priori: quidditas, siuè essentia obiecti potentiæ cognoscitiuæ formaliter præscindit à modo essendi intrinseco in re extra potentiam cognoscentem, & à modo essendi intrinseco intrà potentiam cognoscentem; sed ex ista abstractione necessariò sequitur, quidditatem obiecti cognoscibilis posse esse intrinsecè intrà potentiam cognoscentem; ergo, &c.

Ex his rationibus necessariò infertur, essentiam Diuinam, quatenùs est sua forma intelligibilis in intellectu creato beatorum, prius natura, esse formam intrinsecam intellectus creati, quam sit cum eo, principium, vel formale, vel coeffectiuum visionis intuitiuæ Dei in se.

Contra hanc conclusionem plures sunt difficultates, quibus multi principales Theologi tuentur oppositam sententiam negatiuam.

Prima difficultas est; in Deo, non habet, nec habere potest locum imperfectio: sed si Diuina essentia esset sua forma intelligibilis in intellectu creato, includeret imperfectionem in ratione formæ intelligibilis: ergo haberet locũ imperfectio in Deo, adhuc in esse intelligibili. Minor, in qua est difficultas probatur; quia Diuina essentia, vt forma intelligibilis intellectus creati, est intrinsecè actus receptibilis in pluribus intellectibus creatis; sed ex hoc prædicato est intrinsecè diuisibilis in ratione formæ intelligibilis: diuisibilitas autem actus oritur ex imperfectione intrinseca, nimirùm, ex potentialitate, quæ omninò repugnat perfectioni Diuinæ essentiæ, non sulùm in esse naturali, sed etiã in esse intelligibili. Maior probatur primò paritate: nàm essentia Angeli, licet in esse naturali, non sit intrinsecè diuisibilis numero intrà eandem speciem athomam, vel quia essentia Angeli in esse naturali est forma perfecta, & totalis in sua latitudine formali specifica: vel quia est per se indiuidua: etenim essentia Angeli, ex eo quod non est receptibilis in materia est indiuiuidua formaliter; tamen est diuisibilis intrinsecè in esse intelligibili, quia essentia Angeli formaliter; cum sit ratio intelligibilis, scilicèt, contradistincta à seipsa, vt est forma naturalis, est receptibilis in intellectu alterius Angeli, tanquam in pura potentia in genere intelligibilis intrinsecè multiplicata adhuc numero; ergo pariter es-

essentia Diuina, si ponatur species intelligibilis in intellectu creato beatorum, debet poni adhuc diuisibilis, & multiplicabilis numero, quæ multiplicatio omninò contradicit perfectioni, & infinitati formali Diuinæ essentiæ.

Secundò probatur à priori; quoniam forma receptibilis in potentia receptiua non est perfecta, & tota in sua latitudine formali; quia non est forma inquantùm forma; sed est forma determinata, scilicèt forma receptibilis in determinata potentia. Probatur discursus: nam essentia Diuina vt receptibilis, per rationem receptibilis impuratur; actus autem impurus non est totus in sua latitudine formali: quia non dicit esse conueniens ei, inquantum actus, & forma absolutè; sed inquantùm est forma commensurata suo receptiuo.

Secunda difficultas est. Deus vt obiectum cognitionis intuitiuæ est prima causa intellectionis intuitiuæ, qua videtur à beatis in se; sed ratio primæ causæ non potest saluari in Diuina essentia, si ea ponatur forma intelligibilis in intellectu creato; ergo Deus, vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, non potest esse sua forma intelligibilis. Minor in qua est difficultas probatur; quoniam ratio primæ causæ in aliquo genere, vel ordine non saluatur in eo, in quo èst cum conditione diminuente, sed saluatur in eo, in quo est, in tota sua proprietate. Primum enim in quocunque genere, vel ordine est maximè propriè tale, quod in genere causæ formalis non saluatur; nàm causa formalis habet rationem actus formalis receptibilis in subiecto; actus autem huiusmodi limitatur per sui receptiuum, vt docet S. Thomas *p.p. qu.7. de infinitate Dei, ar.1.* dicens, formam limitari per materiam, & materiam per formam, in diuerso tamen genere causæ; hoc ipsum probatur multis authoritatibus S. Thomæ *loc. cit.* contra rationem Palumbi, quibus Angelicus Doctor expressè affirmat, Diuinam essentiam non esse sui formam in intellectu creato, sed quoddammodò formam, &c.

Tertia difficultas est, quod si semel admittatur, Deum concurrere ad sui visionem intuitiuam, præter concursum generalem, per quem concurrit ad omnes effectus, & causalitates causarum secundarũ per suam essentiam, vt per suam formam intelligibilem, sequuntur plura inconuenientia, quæ repugnant primæ causæ, & Diuinæ perfectioni.

Primò sequitur, Deũ ad extrà in genere intelligibilis, causare necessariò: concursus enim per essentiam Dei, vt eius forma intelligibilis in intellectu creato, vt distinctus à concursu generali per voluntatem, non potest esse, nisi naturalis, & necessarius, cuius ratio est: quia concursus causæ adæquatè diuiditur in concursum liberum, & in concursum necessarium.

Secundò sequitur, quod infert Bann. *dub.2. concl.3.* Deum vt obiectum suæ cognitionis intuitiuæ, scilicèt, vt causam obiectiuam suę cognitionis intuitiuę creatæ, subordinari intellectui creato; nàm cũ Deus, vt obiectum suæ cognitionis intuitiuæ creatæ non sit potentia vitalis, concurrit ad actum vitalem.

Tertiò sequitur, visionem intuitiuã Dei, quæ est visio totius Santissimæ Trinitatis, non solum esse ab essentia Diuina, sed etiam à relationibus Diuinis secundũ proprias earum rationes: quia relationes Diuinæ, adhuc in seipsis videntur, & sunt obiectum immediatum visionis intuitiuæ; hoc autem dici non potest; quia si vna persona, vel vna relatio originis ageret per id, quod est illi proprium, sequeretur, aliquam efficientiam posse conuenire vni personæ, & non alijs, quod est contra commune axioma Sanctorum ab omnibus Scholasticis receptum. Opera Trinitatis ad extrà sunt indiuisa.

Respondeo ad primam difficultatem, negando, essentiam Diuinam, si ea ponatur sua forma intelligibilis intrinseca in intellectu creato beatorum, inuoluere essentialiter imperfectionem.

Ad rationem autem præcipuam, qua probatur oppositum, nempè, formam receptibilem adhuc in esse intelligibili in potentia diuisa, & plurificata, esse intrinsecè diuisibilem radicaliter, scilicet à diuisione potentiæ receptiuæ in genere intelligibilis, sicut diuiditur intrinsecè species intelligibilis immediata vnius Angeli, & multiplicatur intrinsecè in pluribus intellectibus Angelorum, vel sicut forma naturalis diuiditur intrinsecè, quatenùs est receptibilis in materia signata quantitate, hoc est, diuisa quantitate.

Respondeo cum distinctione; forma enim receptibilis in esse intelligibili in pluribus intellectibus, alia est essentialiter suum esse intelligibile, in genere entis intelligibilis; & alia est receptiua sui esse intelligibilis in genere entis intelligibilis, omnis forma intelligibilis creata, siuè sit distincta, siuè indistincta à suo obiecto immediato, non est essenlialiter suum esse in-

intelligibile in genere entis intelligibilis; sed est receptiua sui esse, sicut omnis essentia creaturæ completæ in genere entis, non est suum esse existentiale subiectiuum. Sola Dei essentia, vt sua forma intelligibilis, etiam in intellectu creato, est essentialiter suum esse intelligibile in genere entis intelligibilis. Prima forma intelligibilis intrinsecè diuisibilis est, ex eo quod est receptibilis in potentijs intellectiuis realiter distinctis, & multiplicatis. Secunda verò forma intelligibilis non item: & ratio disparitatis est: quia diuisibilitas intrinseca formæ, præsertim indiuidualis, tanquam in radice adæquata fundatur in forma potentiali ad esse, vt receptibili in diuersis subiectis, siuè potentijs receptiuis, etenim, vt forma sit diuisibilis diuisibilitate indiuiduali, non sufficit vt forma, non sit sua existentia; & probatur: nàm essentia Angeli est in potentia ad suam existentiam, cum non sit essentialiter sua existentia, forma Cœli, quod in meliori opinione, quam sequitur S. Thomas, est compositum ex materia diuersæ rationis à materia horum inferiorum, adhuc est potentia ad suũ esse existentiale, & tamen neque essentia Angeli in modo suo essendi naturali, etiã Diuinitus est multiplicabilis numero intra eandem speciem: neque pariter essentia corporis cœlestis in suo esse naturali; sed requiritur etiam tanquam prædicatum differentiale, sicut rationale requiritur, vt prædicatum essentiale ad essentiam hominis, vt essentia, siuè forma potentialis ad existentiam, sit receptibilis in materia; siuè in potentia receptiua diuisa indiuidualiter, nimirùm, in rebus compositis ex materia, & forma, forma vt receptibilis in materia signata quantitate, hoc est, diuisa per quantitatem; essentia verò, siuè forma intelligibilis, est diuisibilis numero, quatenùs est receptibilis in pluribus intellectibus, vel solo numero diuersis, vt sunt plures intellectus humani, vel etiam species, vt intellectus Angelicus, & humanus, qui inter se sunt diuersi, & specie, & numero, ex his duabus conditionibus deest Diuinæ essentiæ, vt est sua forma intelligibilis in intellectu creato prima conditio, quæ est potentialitas ad essernam essentia Diuina cum sit essentialiter suum esse, est actus purissimus, & hic est intrinsecè omninò immultiplicabilis non solum, vt est in suo modo essendi naturali, sed etiam vt est actus intelligibilis, siuè vt est actus purus formaliter: quandoquidem quidditas actus puri essentialiter, & formaliter est suũ esse.

Potest etiam responderi alijs terminis ad eandem primam difficultatem; duplicem esse formam intelligibilem, quæ est receptibilis in intellectu, vt perfectio in esse intelligibili, aliam infinitam infinitudine formali, & aliam finitam. Ex his forma intelligibilis finita formaliter, est diuisibilis radicaliter ex diuisione potentiæ intellectiuæ, in qua recipitur; appello formã intelligibilẽ finitã, quæ est tota, & perfecta in sua latitudine formali specifica; formam verò infinitam formaliter infinitudine, nimirùm formæ appello formã intelligibilem, quæ est perfecta in tota latitudine formæ, inquantùm formæ absolutè; & hæc est receptibilis in pluribus intellectibus creatis sine vlla sui intrinseca diuisione; & huiusmodi est Diuina essentia vt sui forma intelligibilis in intellectu creato beatorum; immò propter sui infinitatem in ratione formę intelligibilis in intellectu creato, quod nullo pacto potest cõpetere essentiæ vnius Angeli, scilicèt, vt sit sua forma intelligibilis in intellectu alterius Angeli: quia propter finitatem ad vnam speciem: non potest principium esse intelligibile intellectus alterius.

Dicet fortè quis ingeniosus: essentia vnius Angeli, non solùm in esse naturali, est forma perfecta, & tota, sed etiam vt essentia Angeli formaliter, est forma perfecta, & tota in sua latitudine specifica; quia vtroque modo non habet in se vndè limitetur intrà suam latitudinem specificam, cum sit sola forma: sed ex eo quod est tota in modo essendi naturali, non est diuisibilis intrinsecè, etiam potentia absoluta Dei; ergo etiam vt forma formaliter in sua specie, qua ratione est forma intelligibilis non est diuisibilis intrinsecè ex diuisione intellectuum, in quibus recipitur.

Respondeo primò, essentiam vnius Angeli non esse multiplicabilem numero intrà eandem speciem; quia in esse naturali habet totum esse naturale, quod potest competere suæ speciei; & ratio huius à priori est; quia omnis limitatio est ex materia receptiua, siuè ex subiecto; Angeli verò essentia in esse naturali, est receptibilis in subiecto. Cæterum essentia Angeli formaliter, siuè in esse intelligibili, non habet totum esse, quod potest ei competere; & ratio huius à priori est; quia Angeli essentia formaliter cum sit ratio intelligibilis, est receptibilis in intellectibus creatis multiplicabilibus in infinitum, & consequẽter habentibus esse sincathegorematicum,

ticum,

ticum, quod est essentialiter potentiale.

Explico terminos, esse perfectum, & totum, quod potest competere essentiæ vnius Angeli, est quod nulla ratione limitatur, & diuersificatur intrà rationem formæ; esse verò imperfectum è conuerso, est quod nō est integrum: seù totum, quod potest habere forma, idque ex eo: quia habet extrà se vndè limitetur, & diuersificetur, esse naturale, quod competit naturę vnius Angeli, est totale, & perfectum; quia non habet limitatiuum, neque intrà, neque extrà formam, vndè originatur: quia essentia Angeli in se, est sola forma, non habens materiam, neque constitutiuè, neque receptiuè Cęterum esse intelligibile essentiæ Angeli, non potest esse totum, & perfectum; quia habet extrà se materiā, vndè diuidatur, & multipliciter, scilicèt receptiuum intellectuale.

Quod si dicas, esse totale, & perfectum, quod potest competere naturæ specificæ, supponit speciem, cuius est esse etiā totam, & perfectam in sua latitudine specifica; sed essentia Angeli in modo essendi intelligibili, adhuc est tota essentia; quia est forma adæquata in specie; ergo, &c.

Respondeo; essentiam Angeli in esse intelligibili, esse totam, quantùm ad eius essentiam specificam, non autem quantum ad latitudinem formalem suę speciei; nam essentia Angeli in esse intelligibili est intrinsecè diuisa, & multiplicata ex diuisione intellectuum, in quibus recipitur.

Respondeo secundò ad principalem instantiam; essentiam vnius Angeli in esse naturali, esse indiuisibilem numero; quia est radicaliter singularis; Angeli enim essentia indiuiduatur radicaliter per hoc, quod est receptibilis in materia signata quantitate, cum sit tota forma: indiuiduū verò vt singulare est immultiplicabile; at essentia Angeli formaliter considerata: nimirùm, quantum ad sua prædicata formalia, qua ratione habet modum essendi intelligibilem, non est singularis, quia est receptibilis in pluribus potentijs intellectiuis actu distinctis: ac proindè est multiplicabilis intrinsecè in pluribus intellectibus actu distinctis.

Ad secundam difficultatem, respondeo ex dictis, primam causam non posse saluari in genere causę formalis in esse naturali, sed non repugnat, vt saluetur in genere causæ formalis intelligibilis: tùm quia vt dicit S. Thomas, forma naturalis habet rationem partis; forma verò intelligibilis non item: quia non facit vnam tertiam essentiam cum intellectu, sicut forma substantialis facit vnum tertium cum materia; tum etiam quia vt sequente conclusione demonstrabitur cum S. Thoma; forma intelligibilis, siuè actus vt intelligibilis formaliter, etiam si ponatur concurrere tantùm formaliter, determinando potentiam ad cognoscendum determinatum obiectum, habet rationem termini essentialis, & substantialis; terminus autem huiusmodi nullam inuoluit imperfectionem.

Cum verò dicitur ab opponente, quod actus, siuè forma limitatur per sui receptiuum, & è contra, receptiuum limitatur per formam.

Respondeo, maiorem esse veram de forma, vel de actu diuisibili, non autem de actu, siuè forma vt sic formaliter; neque verum est, quod actus vt actus, sit limitabilis per subiectum; actus enim vt actus pręscindit ab actu diuisibili, & ab actu indiuisibili; imperfectio autem conuenit actui, inquantùm est actus diuisibilis, sicut discurrere conuenit homini, non inquantùm animal; sed inquantùm est rationalis.

Cùm denique dicitur ab opponente, quod in doctrina S. Thomæ *in disp. de verit. qu. 8. ar. 1. circa fin. corp.* Forma intelligibilis non est, scilicèt, essentia Diuina in intellectu creato, perfecta forma, sed est quoddammodò, & quasi forma.

Respondeo, quod S. Thomas solùm negat *loc. cit.* essentiam Diuinam in intellectu creato beatorum non esse formam naturalem; quia non facit cum intellectu vnum tertium; sed esse quoddammodò, siuè quasi forma, nimirùm habere aliquam analogiam, seù similitudinem cum forma naturali, quatenùs scilicèt essentia Diuina subsistit in intellectu creato, sicut forma naturalis subsistit in materia: vndè, ly, quodammodò, & quasi, non sunt conditiones diminuentes rationem formæ intelligibilis; sed sunt conditio diminuens rationem formæ naturalis; quoniam in forma intelligibili, siuè in Diuina essentia, vt est sui forma intelligibilis in intellectu creato, non sunt omnia prædicata formæ naturalis, sed aliquod prædicatum formæ naturalis, cum quo habet analogiam forma intelligibilis.

Ad tertiam difficultatem, quod scilicèt, si semel admittatur, Deum concurrere ad sui visionem intuitiuam creatam concursu intelligibili, sequuntur plura in-

inconuenientia, &c.

Respondeo, nego sequelam: & quidem primò nego, sequi concursum intelligibilem Dei, quatenus, scilicèt, est obiectum suæ cognitionis intuitiuæ creatæ, esse concursum necessarium, idest antè voluntatem Dei, quatenùs primæ causæ liberæ, cuius scilicèt, essentia Dei, est radix, sicut, & cæterorum attributorum, & personalitatum; & ratio a priori negationis est; quoniam essentia Dei non est sua forma intelligibilis in intellectu beatorum, nisi præsupposito lumine gloriæ, illum eleuâte ad rationem potentię intellectiuæ supernaturalis; hic autem concursus speciei, non potest esse necessarius, quia concursus necessarius ad extrà in Deo est ante voluntatem liberam Dei, sicut est concursus idealis Diuinæ essentiæ ad causandas essentias creaturarum iuxtà probabilem opinionem probatorũ Scholasticorum, asserentium, essentias creaturarum in esse essentiæ, non causari simul cum suis existentijs intrinsecè à Deo, vt à causa efficiente; sed solùm vt à causa essentiali, vt suo loco explicauimus; sed concursus obiectiuus Diuinæ essentiæ supponit productionem luminis gloriæ, quæ est à Deo, vt à causa prima libera per intellectum, & voluntatem; vndè concursus Diuinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis, licet non sit actus elicitus à voluntate Dei, inquantùm voluntas formaliter, est tamen à voluntate, vt mouente, in quo sensu rectè dixit Scotus *quodlib. 6. ar. 2. §. ad aliud*. Dico mouere ad actum beatificum, non esse prius actu voluntatis Diuinæ; neque contrarium probat Molina, & Beca. asserentes esse necessarium dicere Diuinam essentiam cõcurrentem per modum speciei intelligibilis, concurrere necessariò non liberè; quia inquiunt, ille concursus, est ab essentia Diuina, quatenùs essentia, seù natura; at concursus naturæ, vt naturæ est primum omnium in re.

Quandoquidem vt suprà ostendimus in *quæst. de ente possibili, & actuali*, ratio causæ necessariæ in vniuersum, omninò contradicit perfectioni Diuinæ essentiæ; tùm quia ratio causæ necessariæ repugnat causæ primæ in vniuersum, vt *loco citato* ostendimus; tùm etiam, quia omnis terminus, & effectus extrà Deum est essentialiter contingens; tum denique; quia causa efficiens, & causa obiectiua in Deo non sunt extrà latitudinem formalem intellectus, & voluntatis liberæ Dei, vt suo loco plenè probabitur cum S. Thoma; neque verum est, quod essentia Diuina, est radix causalitatis obiectiuę sicut, & cæterorũ attributorum, & personalitatum; nam ad intrà essentia Diuina existit radix necessaria: quia omnis ratio posterior in Deo ad intrà, est terminus formalis; ac proindè necessarius; at ad extra omnis ratio posterior est contingens, cum sit terminus materialis.

Ad tertium inconueniens, nimirum, ex data doctrina sequi visionem intuitiuã Dei esse non solùm ab essentia Diuina; sed etiam à relationibus originis, vt ab obiecto immediato visionis intuitiuæ.

Respondeo id non sequi; & probatur primò: nam Filius, & Spiritus Sanctus in Deo sunt adhuc obiectum cognitionis, qua Pater videt omnes personas Diuinas, & tamen ad hanc visionem non possunt concurrere relationes Filij, & Spiritus Sãcti, vt obiectum, siue vt species intelligibilis, nã sũt obiectũ terminatiuũ, nõ motiuũ: sed sola Patris substantia, siuè essentia est sufficiens, & adæquata species ad videndum omnia; alioquin Pater in Diuinis acciperet suam cognitionem a Filio, & à Spiritu Sancto, vt à principio obiectiuo, sicut Filius in sua generatione, eam accipit à substantia Patris.

Secundò, idem probatur à priori; quoniam species, siuè forma intelligibilis, est quidditas sui obiecti formaliter, vt supra ostendimus; intrà tamen intellectum in modo essendi intelligibi, tùm ob rationes supra explicatas; tùm, quia forma intelligibilis est primum principipm formale ad cognoscendum suum obiectum immediatum formaliter; primum autem in quocunque est essentia, siuè quidditas.

Quod si dicas, Diuinæ relationes originis, adhuc sunt quędam quidditates Diuinæ; sed quidditas omnis habet sui speciem intelligibilem immediatam, vel distinctam, vel indistinctam; ergo, &c.

Respondeo primò, relationes originis in Deo esse quidditates realizzatas, & entificatas ab esse essentiale Diuinæ essẽtiæ, non verò realizzatas, & entificatas entitate propria; sunt enim relationes originis formaliter modi intrinseci essendi relatiui; modi autem intrinseci essendi, siuè relatiui, siuè absoluti, non sunt ens, nisi entitate sui veluti modificati, vt latè ostẽdimus cum Scoto, & S. Thoma, cum egimus de modis intrinsecis entis realis. Quidditas, quæ habet sui speciem intelligibilẽ immediatam, vel distinctam, vel indistinctam,

ctam, est quidditas realis realitate propria, non autem quidditas realis realitate veluti sui modificati, seù subiecti; species verò intelligibilis, cum sit principium formale intellectui ad cognoscendum obiectum immediatum formaliter, debet esse principium essendi formale sui obiecti, nõ quidem in esse naturali, sed in esse intelligibili; principium autem intrinsecum essendi in Diuinis, est Diuina essentia; vndè relationes originis in Deo non cognoscũtur intuitiuè per species proprias, sed per speciem intelligibilem, quæ est ipsa Diuina essentia, vt est sui forma repræsentatiua in intellectu creato.

Respondeo secundò; speciem intelligibilem esse similitudinem sui obiecti immediati, & formalis, non autem sui obiecti immediati materialis; supplet enim carentiam sui obiecti immediati formaliter intrà potentiam; relationes verò Diuinæ, sunt obiectum materiale cognitionis intuitiuæ Dei, non autem sunt obiectum formale, qua posita doctrina ad argumentum in forma.

Respondeo, concedo maiorem, & distinguo minorem; omnis quidditas realis, quæ est obiectum immediatum, & formale habet sui speciem intelligibilem, vel distinctam, vel indistinctam; & concedo; obiectum materiale, & nego; species enim est suum obiectum immediatum formaliter, non autem est suum obiectum materialiter; relationes originis in Deo, non sunt obiectum formale cognitionis beatificæ creatæ; sed sunt obiectum materiale; sunt, nimirùm id quod beati intuentur, sed obiectum formale cognoscendi obiectum materiale, est Diuina essentia.

Reliqua, quę dicuntur in tertia prædicta sequela vim habent in opinione, asserentium, vnam Diuinarum personarum esse cognoscibilem cognitione intuitiua per suam propriam speciem, quod est falsum; omnes enim personæ Diuinæ cognoscuntur per speciem, quæ est ipsa Diuina essentia, & hęc responsio est minus obuia instantijs in oppositum; prima autem responsio reduci debet ad hanc, secùs pati possent instantiam.

Potest enim quis dicere, ad rationem speciei intelligibilis satis est, vt sit suum obiectum immediatum formaliter, nimirùm, quantum ad sua formalia prædicata; sed relatio originis habet sua prædicata formalia propria; ergo, &c.

Hęc autem instantia non potest plenè solui, nisi dicatur Diuinam essentiam esse obiectum immediatum formale cognitionis intuitiuę Dei; personas verò Diuinas esse obiecta materialia; idque habẽt ob rationem allatam; quia scilicèt, relationes originis, non sunt ens, nisi entitate Diuinæ essentiæ; obiectum autem formale cognitionis intuitiuæ creatæ, debet esse primum ens, seù primum verum; primum autem ens formaliter est Diuina essentia, illa enim est prima radix, vt sint in Deo tres personæ cum ordine originis, & omnia attributa.

Quarta conclusio; vnio essentiæ Diuinæ, vt est sui forma intelligibilis in intellectu creato beatorum, est vnio intrinseca, scilicèt, secundùm esse, non quidem actus, & potentiæ; sed termini, tùm essentialis, tùm substantialis. Huic conclusioni non obstat si dicatur, quod S. Thomas absolutè docuit *3. C.G. cap. 51. circa initium*, essentiam Diuinam esse formam, siuè actũ intelligibilem; quandoquidem forma, siuè actus intelligibilis, est prædicatum conueniens Diuinæ essentiæ formaliter; quoniã ratio actus, siuè formæ intelligibilis conuenit essentialiter Diuinæ essentiæ, vt est sua forma intelligibilis in intellectu creato, quia ratio propria, siuè essentialis actus, siuè formæ intelligibilis, est ratio termini essentialis, & substantialis in genere intelligibilis; cum verò dicimus in conclusione, vnionem Diuinæ essentiæ in ratione formæ intelligibilis cum intellectu creato, non esse vnionem intrinsecam actus, & potentiæ, excludimus à Diuina essentia, vt est sui forma intelligibilis, rationem actus naturalis, qui non facit vnum tertium cum suo receptiuo.

Explico, quæ dico; S. Thomas *loc. cit. C.G.* excludit Diuinam essentiam à ratione formæ naturalis; quia hæc cum materia facit vnum tertium, & consequenter habet rationem partis; sed hæc ratio solũ ostendit Diuinam essentiam non posse esse formam in esse naturali intellectus creati; sed non excludit posse esse actum substantialem in genere intelligibilis intellectus creati; actus enim duplex est, alius formalis, siuè essentialis, & alius existentialis. Actus formalis, siuè essentialis, habet rationem partis; quia actus essentialis cum materia, facit vnum tertium; actus verò existentialis non item; & tamen sub-

 sisten-

ſiſtentia ſicut, & exiſtentia perſonalis Verbi Diuini potuit vniri naturæ humanę in Chriſto Domino in ratione termini ſubſtantialis; eſſentia autem Diuina nullo modo poteſt vniri naturæ humanæ in ratione formæ eſſentialis; quia non poteſt abſolui forma eſſentialis, ſicut poteſt abſolui ab imperfectione actus exiſtentialis; quam diuerſitatem, non tangit D. Thom. *loc. cit. 3. C. G.* quia S. Thomas eo loco loquitur tantum de forma, ſiuè de actu ſubſtantiali, qui diuiditur in exiſtentiam ſubſtantialem, & ſubſiſtētiam quibus diuiditur eſſe per ſe; actus verò, qui facit cũ ſuo receptiuo vnum tertium in opinione S. Thomæ, eſt tantummodò actus formalis, quod nullo pacto poteſt competere actui ſubſtantiali, vel exiſtentiæ ſubſtantiali, vel ſubſiſtentiæ, vt ſuprà obiter innuimus, & fusè probabitur in ſpeciali articulo, an ex collectiuo partium per ſe, reſultet vnum tertium ab illis diſtinctum realiter, & vt dicemus cum S. Thoma contra Scotum, & alios ſolùm ex materia, & forma vnitis collectiuè reſultat vnum tertium diſtinctũ realiter, quod formaliter eſt ſimplex; materialiter verò, & cauſaliter eſt compoſitum; ex exiſtentia verò ſubſtantiali, ſiuè ſubſiſtentia, & eſſentia in ſubſtantia creata non fit vnum tertium diſtinctum realiter à collectiuo componentium; quoniam eſſentia, quæ reſultat ex materia; & forma ſubſtantiali vnitis, eſt primum principiũ, ſiuè prima radix adæquata, etiam compoſitionis ſubſtantialis, vt in toto ex materia, & forma.

Explicatur, & probatur; ratio enim cur ex materia, & forma debet reſultare tertia eſſentia diſtincta, eſt; quia in vno per ſe debet dari vnum primum, quod eſt cauſa cæterorum in eodem exiſtentium; hoc autem primum in compoſito phyſico, eſt eſsentia ſpecifica, quæ eſt adhuc prima radix formalis, vt in ea ſint exiſtentia ſubſtantialis, & ſubſiſtentia. Dixi hoc eſſe contra Scotum; quia Scotus vult ex omnibus componentibus per ſe vnitis reſultare vnum tertium; S. Thomas verò vult ſolùm ex materia, & forma ſubſtantiali cauſari vnum tertium diſtinctum realiter.

Fundamentum Scoti eſt; quia partes componentes vnitæ collectiuè, ſunt cauſa adæquata; & omnis cauſa, prout contradiſtinguitur à principio cauſat effectum diſtinctum realiter; cauſa enim eſt principium, influens eſſe in aliud; ſed hæc ratio facilè ſoluitur ab Authoribus contrariæ ſententiæ; reſpondent enim partes vnitas diſtributiuè cauſare vnum tertium diſtinctum realiter diſtinctione inadæquata, non verò partes vnitas collectiuè, quia iſtæ partes vnitæ collectiuè ſunt ipſum totum formaliter; ratio autem S. Thomę, quæ ſumitur in terminis ab Ariſt. 12. *met.* quod ex materia, & forma tantummodò ſubſtantiali reſultet tertium diſtinctum realiter, eſt demonſtratiua, quæ non ſolum poſitiuè oſtendit dari ex materia, & forma vnitis collectiuè vnum tertium, ſed etiam ſoluit omnia argumenta in oppoſitum.

Concluſio ſic explicata eſt S. Thomæ *3. C. G. circa initiũ*, vbi expreſsè docet, quod eſſentia Diuina, non poteſt eſſe forma alterius ſecundum eſſe naturale; ſequeretur enim inquit, quod ſimul cum aliquo vnita conſtitueret vnam naturam, quod eſſe non poteſt: cum eſſentia Diuina in ſe perfecta ſit in ſui natura; poteſt autem eſſe ſua forma intelligibilis intellectus creati, quoniã ſpecies intelligibilis formaliter, vnita intellectui creato, non conſtituit aliquam naturam, ſed perficit ipſum ad intelligendum; quod perfectioni Diuinæ eſſentiæ non repugnat. Et in his verbis continetur ratio vniuſque partis concluſionis.

Prima enim pars concluſionis eſt Diuinam eſsentiam, vt ſuam formam intelligibilem in intellectu creato non eſse vnitam intellectui vnione intrinſeca actus, & potentiæ, ſiuè vnione naturæ; quia ex hac vnione reſultat vna tertia natura, ſiuè eſſentia loquẽdo de actu formali de quo loquitur S. Thom. loquitur enim de forma intelligibili, quæ eſt forma intellectus in genere obiecti; at implicat eſsentiam Diuinam, vt ſui formam intelligibilem vnitam intellectui conſtituere vnam naturam; quoniam forma conſtituens vnam naturam cum potentia ſua receptiua, inuoluit rationem partis.

Secunda pars concluſionis aſserit, Diuinam eſsentiam, vt ſui formam intelligibilem in intellectu creato vniri intellectui vnione quidem intrinſeca; ſed vnione termini eſsentialis, & ſubſtantialis in genere intelligibilis, quid autẽ ſit vnio intrinſeca, ex terminis manifeſtum eſt; quoniam vnio intrinſeca, vt ſupra explicauimus, eſt vnio ſecundùm eſſe, quod eſt actus intrinſecus entis in ſuo genere, ſed Diuina eſsentia, vt ſua forma in-

intelligibilis, se vniens intellectui creato beatorum, communicat illi suum esse intrinsecum intelligibile, tùm essentiale, tùm existentiale; essentia enim Diuina, etiam vt forma intelligibilis, est essentialiter suum esse: quia est essentialiter actus purus.

Quod verò hæc vnio Diuinę essentiæ in ratione formæ intelligibilis cum intellectu creato beatorum, sit vnio termini essentialis, & substantialis, probatur; quoniam Diuina essentia, vt sui forma intelligibilis, est primum intelligibile, siuè primum obiectum; sed primum obiectum, siue primum intelligibile, est terminus, tùm essentialis, tũ substãtialis intelligibilis intellectus creati beatorũ perfectiuus.

Probatur hæc doctrina profunda S. Thomæ; primò declaratione terminorum; nàm terminus formalis essentialis intellectus est forma intellligibilis, quatenùs perficit intellectum ad intelligendum, & non perficitur etiam in diuerso genere causæ; terminus verò substantialis, siuè existentialis intelligibilis, est existentia formæ intelligibilis, vt perfectiua intellectus, & non perfectibilis ab eodem in diuerso genere causæ: per hoc enim distinguitur adæquatè terminus substantialis ab actu formali, siuè ab actu existentiali in ratione actus formaliter, sed Diuina essentia, vt forma sui intelligibilis, non solùm est sua forma intelligibilis, sed etiam est sua existentia in genere entis intelligibilis; ergo vnitur intellectui creato beatorum vt terminus formalis, & vt terminus existentialis, in esse tamen intelligibili; idque verò competit formæ intelligibili intuitiuæ Dei; quia hæc est primum intelligibile, siuè primum obiectum motiuum intellectus creati. Primum autem habet rationem causæ terminatiuæ; quia primũ perficit, & non perficitur; & hoc est, quod docet S. Thomas *loc. cit.* dicens, quod species intelligibilis vnita intellectui non constituit vnam naturam; sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni Diuinę essentiæ non repugnat.

Quod si obijcias, ex hac doctrina sequi, omnem speciem intelligibilem creatam vniri intellectui creato, vt terminum formalem, & existentialem, in esse tamen intelligibili; & probatur: nàm ex eo, quod subsistentia personalis Verbi Diuini vnitur naturæ humanæ in Christo Domino vnione termini substantialis, sequitur subsistentiam creatam formaliter adhuc debere esse terminum substantialem; sed eadem ratio est, si essentia Diuina in ratione formæ intelligibilis vniatur vnione termini intellectui creato beatorum; hoc autem non potest dici de specie intelligibili creata, & probatur: nàm species intelligibilis intuitiua Dei, est terminus essentialis, & substantialis; quia est primum intelligibile, siuè primum obiectum, quod, scilicet est causa prima, vt sint cætera intelligibilia extrà se; est enim terminus intelligibilis, siuè forma intelligibilis formaliter, quia est perfectio, siuè perfectiuum intellectus, & non perfectibile in genere intelligibilis; hoc autem est primum intelligibile, quod scilicet mouet, vt non motum intellectum ad intelligendum; sed esse primum intelligibile est incommunicabile ad extrà, etiam vt causa instrumentalis; ergo, &c.

Respondeo: distinguo sequelam, ex doctrina data sequitur, speciem intelligibilem creatam in suo esse formali, quatenùs intelligibilis, siuè repræsentatiua esse terminum formalem, & existentialem intelligibilem intrà genus, & concedo; extrà genus, & nego, & ratio est, quia species intelligibilis creata, est quidditas sui obiecti immediati formaliter: quidditas autem est prima ratio in quacunque re; primum autem est duplex, aliud intrà genus, & aliud extra genus.

Neque huic doctrinæ obstat, quod supra diximus, formam intelligibilem intuitiuam Dei in se, esse terminum essentialem, & substantialem intelligibilem intellectus creati: quia huiusmodi species intelligibilis intuitiua Dei in se, est primum intelligibile, siuè primum obiectum.

Quoniam suprà loquuti sumus de primo intelligibili simpliciter, quod est primum extra genus; species autem intelligibilis creata sui obiecti immediati formaliter, est primum intelligibile intrà genus, & hoc est terminus intelligibilis, & obiectiuus intrà genus.

Quod si secundò obijcias, dicens, quod primum intelligibile, est prima causa intelligibilis, vt sint cætera intelligibilia extrà se: sed ratio primæ causæ in vniuersum, non potest habere rationem puri termini; quia purus terminus excludit à se rationem causæ, quod patet de subsistentia, quæ nullo pacto est causa ad actionem subsistentis suppositi: ac proindè nos suprà diximus, quod ratio primę causæ non habet rationem termini, nisi identicè, & materialiter.

Respondeo, quod duplex est terminus, alius est causalis, & alius est purè formalis; quæ distinctio exemplificari potest in relatiuis prædicamentalibus, in quibus fundamentum formale relationis, est terminus causalis; quia est causa, vt vnum relatiuorum terminet aliud; relatio verò ipsa prædicamentalis, est purus terminus formalis; non enim est causa, vt sit aliud à se, sicut est eius fundamentum formale, sed solùm est ratio terminandi aliud à se. Hic terminus formalis purus in Deo nullo pacto potest habere locum; omne enim prædicatum in Deo existens, fundatur in actu; actus autem fundat actiuitatem, etiã si sit actus existentialis; nam actus existentialis in Deo, est essentialiter Dei essentia; essentia autem Dei, est forma adæquata in tota latitudine formæ; in creatis verò forma intelligibilis, quatenùs est forma habet rationem causæ: omnis enim forma est principium agendi in suo genere; existentia verò in genere entis intelligibilis in creatis est tantum cõditio ad agendum.

Quod si tertiò obijcias, vnio intrinseca, si ponatur distincta realiter ab extremis, vt poni debet; saltem distinctione modali, est affectiua vtriusque extremi; sed hæc vnio omninò repugnat perfectioni Diuinę essentiæ; quia Diuina essentia, est essentialiter actus purus excludens à se omnem potentialitatem passiuam; ergo impossibile est, Diuinam essentiam in ratione formæ intelligibilis, vniri intellectui creato beatorum vnione intrinseca.

Respondeo, duplicem esse vnionem intrinsecam, aliam in ratione naturæ; aliã in ratione termini, nimirùm, aliam ad faciendam vnam tertiam naturam, & aliam ad terminandam dependentiam naturæ, siuè potentiæ terminabilis; prima vnio est affectiua vtriusque extremi; quia est vnio partium causantium vnam tertiam naturam; omnis autem pars, vt supra ostẽdimus inuoluit duplicem imperfectionem: vnio verò termini est affectiua vnius tantùm extremi, scilicèt terminabilis: & ratio huius à priori est; quia vt diximus in alijs quæstionibus in hoc primo tomo, & fusè ostendetur cum sermo erit de hypostatica vnione naturæ humanæ in Christo Domino cum hypostasi Verbi Diuini, Quæ cum sit vnio termini substantialis, est dependentia vnius ab alio secundùm esse; dependentia autem, est tantum in extremo dependente; in termino autem, à quo dependet de per se, non est aliud, nisi independentia à se dependente: independentia autem fundantur in actu, siuè in perfectione.

Neque obstat si dicas, quod hæc doctrina valet de puro termino, non autem de termino causali; nàm terminus causalis est formaliter causa; causa autem non causat actu, nisi causalitate, quæ in opinione, & S. Thomæ, & Scoti existit intrinsecè in causa, & loquor de causalitate agente, non acta, vt suo loco fusè probabitur; sed causalitas intrinseca perficit intrinsecè causam.

Respondeo, quod causalitas intrinseca, alia est causalitas partis componentis; & hæc est causalitas perfectibilis; quia pars componens habet esse incompletum complebile, & alia est causalitas termini, qui complet indigentiam alterius in esse. Prima causalitas est affectiua vtriusque extremi componentis; pars enim est relatiua ad compartem: de huiusmodi causalitate verificatur distinctio illa causalitatis causantis, & causalitatis actæ, siuè causatæ; nimirum causalitas agentis distinguitur in causalitatem agentem, & in causalitatem actam; nàm actio alia est abstracta ab ab agere, & alia est abstracta ab acto, vt suo loco probabitur. Verum causalitas intrinseca termini intrinsecè est affectiua, siuè perfectiua terminabilis, & non termini; terminus enim est perfectio præcisè sui terminabilis; est enim terminus infecus, id à quo aliud dependet in esse; hic autem conceptus dicit in termino indepẽdentiam termini à terminabili à se dependente, & huiusmodi est vnio intrinseca Diuinæ essentiæ in ratione formæ intelligibilis intuitiuæ cum intellectu creato beatorum in esse intelligibili.

Quod si vltimò obijcias, tota ratio cur species intelligibilis, siuè distincta, siuè indistincta à suo obiecto, prius natura vnitur, vt forma obiecti, quam vt principium coeffectiuum actus cognitionis cum intellectu creato, est: quia forma intelligibilis, est principium formale ad producendam cognitionem determinati obiecti; nà m forma debet esse intrinseca; quia est principium formale essendi, qui est actus intrinsecus; sed hæc ratio non concludit necessariò; ergo, &c. Minor probatur. Primò, nam vt forma intelligibilis sit forma coeffectiua actus intellectionis cum intellectu, satis est, vt simul concurrat cum intellectu ad producendam cognitionem determinati obiecti; supposita tamen subordinatione, in fieri, esse, & operari.

Pro-

Probatur hoc assumptum; nàm omnis causa secunda, non potest causare neque suum effectum, neque suam operationem, nisi simul cum causa prima, ob essentialem subordinationem, quam habet à causa prima in fieri, in esse, & operari, quę vnio, siue præsentia sufficientissima Deo est ad coagendum, & sub ratione causæ primæ vniuersalis, & sub ratione particularis causæ obiectiuæ; sed hæc sola dependentia cum vnione explicata, satis est etiã vt intellectus creatus simul cum specie intelligibili, vel distincta, vel indistincta à suo obiecto pducat actũ cognitionis circa determinatum obiectum; ergo superflua est alia vnio intrinseca, qua prius natura, forma intelligibilis vniatur intellectui, vt forma intelligibilis, quam vt principium determinatum effectiuum.

Hanc rationem fusè explicat Fasol. *dub.* 8 *nu.* 27. asserens, intellectum creatum habere necessariam vnionem cum obiecto Diuino ad producendam visionem intuitiuam Dei in se, non quidem intrinsecam, sed extrinsecam, in ratione causæ efficientis, quam vnionem, inquit, explicat Ferrar. *in lib. 3. C.G. c.* 51. *ad* 1. dicens, quod Diuina essentia vnitur intellectui beato, sicut operãs in ipsum intrinsecè; nàm inquit Fas. intellectus beatus, quando debet elicere visionem beatam, solùm requirit, vt dependeat essentialiter a Deo, & in esse, & in productione visionis, & implicat contradictionem illam producere, Deo non eliciente simul cum intellectu creato illam per eandem omninò actionem. Secundò probatur eadem minor; quia eadem depẽdentia est causæ secundæ à causa prima vniuersali, in fieri, esse, & operari in esse naturali, ac est dependentia intellectus creati à causa prima obiectiua, siuè intelligibili in ordine ad producendam cognitionem intuitiuam Dei in se: quia vtraque dependentia est in esse, & operari; sed causa secunda in esse naturali potest operari per hoc solum, quod prima causa vniuersalis vniatur ei vnione extrinseca in ratione causæ efficientis; ergo pariter intellectus creatus potest producere visionem intuitiuam Dei, supposito lumine glorię, illum eleuante, per hoc solum, quod vnitur primo intelligibili in ratione principij efficientis visionem; intellęctus quidem quãtum ad vitalitatem; Deus verò vt prima causa intelligibilis, quantum ad speciem cognitionis; hanc doctrinam Fasol. *loc. cit. circa finem*, ait esse in terminis S. Thomæ *3. C.G. c.* 51. *post medium*, vbi S. Thom. probat, & explicat optimè vnionem Diuinæ essentiæ in ratione formæ intelligibilis cũ intellectu creato, non esse, nisi extrinsecã, nempè effectiuam modo exposito; quia, inquit, species intelligibilis, nulla alia ratione vniri debet intellectui, cumque in actu constituere, nisi vt perficiat ipsum ad intelligendum; hoc est, vt interpetratur Ferrar. *ibi. §. circa hanc.* quia ex eius vnione ad intellectum, fit intellectus potens elicere actum intelligendi circa id, quod per ipsam obiectiuè repræsentatur intellectui, quod absque ipsa non poterat.

Respondo, concedo maiorem, & nego minorem; ad primam probationem verò minoris, cum dicitur ab opponente, quod adhoc, vt forma intelligibilis sit principium coeffectiuum ad producendã visionem sui cum intellectu, satis est, vt simul cum intellectu creato concurrat ad actum intellectionis; sed totum hoc habetur per solam vnionem extrinsecam in ratione causæ efficientis intellectus creati cum specie, siuè forma intelligibili; sed hęc vnio est extrinseca, & non intrinseca.

Respondeo: nego maiorem; nàm duplex est principium coefficiens, aliud est purum coefficiens, & aliud est coefficiens, & formale simul, siuè vt forma constituẽs potentiam in actu, siuè perfectio formalis potentiæ. Species, siuè forma intelligibilis, siuè distincta, siuè indistincta a suo obiecto immediato, est principium coefficiens vt forma, siuè vt perfectio formalis intelligibilis intellectus creati: & ratio huius à priori est; quia in intellectione, qua intellectus formaliter intelligit obiectum, est vitalitas, quę est modus operandi viuẽtis, & est species, siuè essentia cognitionis; hæc autem duo non potest producere intellectus, nisi in priori naturæ fiat actu in genere sui obiecti intelligibilis; vnũquodque autem fit in actu actiuum per formam, quæ est principium intrinsecum essendi, & à qua agens est in specie; nam vnũquodq; agens agit sibi simile; similitudo autem dicit conuenientiam in forma. Ad secundam verò probationem, qua dicitur, intellectum creatum dependere in esse, & operari à suo obiecto primario, & formali, sicut omnis causa secunda dependet à causa prima vniuersali; sed causa prima vniuersalis in operando, simul cum causa secunda, non debet in priori naturę, esse formà intrinseca causæ secundæ; ergo neque obiectum formale, & primarium debet per suam essentiam, seù formam intelligibilem perficere potentiam intelle-

cti-

ctiuam ad producendum actum intellectionis.

Respondeo, nego maiorem; nàm intellectus alio modo dependet à Deo, vt primo obiecto intelligibili; & alio modo à Deo, vt à prima causa vniuersali; Deus enim vt prima causa vniuersalis est præcisè prima causa efficiens, & prima causa finalis; at verò Deus, vt prima causa obiectiua, non solùm est causa effectiua specialis ad producendum determinatum genus actionis, nempè, cognitionis; sed etiam est causa formalis obiectiua, & intelligibilis, quæ est forma intrinseca intellectus in genere intelligibilis; ac proindè Deus vt prima causa vniuersalis non est forma intrinseca essendi causis secundis, quia primum efficiens, vt efficiens in generali, vel est solum efficiens, simul cum causis secūdis efficiētibus, vel solū mouet causas secūdas efficiētes motu virtuoso ad producēdos creatos effectus, & creatas operationes, vel est primū efficiens omniū causarū extra se.

Neque verum est, vt dicit Fasol. vnionem Diuinæ essentiæ in ratione formæ intelligibilis cum intellectu creato, non esse, nisi extrinsecam, & effectiuam. Primò, quia hoc non potest deduci, ex eo quod dicit S. Thomas nulla alia ratione vniri Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem intellectui creato, eumque in actu constituere, nisi vt perficiat intellectum ad intelligendum; nàm ex hoc potius colligitur oppositum, nempè Diuinam essentiam, ex eo quod perficit intellectum, (qui est veritas ipsa; veritas autem est perfectio intellectus) sequitur debere esse formam intrinsecam intelligibilem intellectus, nēpè, dantem esse intrinsecum in genere entis intelligibilis intellectui creato, & hoc ipsum clarè probat interpetratio citata Ferrariensis, cum dicit, quod intellectus per vnionem cum Diuina essentia, vt sui forma intelligibili fit potens elicere actū intelligendi; nàm, potens, est effectus formalis intrinsecè formæ, quæ est principiū agendi; dicitur verò intellectus per vnionem cum specie intelligibili potens intelligere, non solùm in genere potentiæ; sed etiam in genere obiecti; quippè species intelligibilis est forma essendi.

Conclusio quinta. Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis in intellectu creato beatorum, non est præcisè principium formale cognitionis determinans, scilicèt tantum intellectum, sicut ferrum determinatur per figuram, vt possit scindere; sed etiam est principium coeffectiuū actus intellectionis cum intellectu creato. Ponitur hæc conclusio, vt explicetur clarius, & completius vnio intrinseca formæ intelligibilis, vt repræsentatiua formaliter cum intellectu, & quidem conclusio controuersa est; nam.

Albertus, & Argen. quos sequitur Palumb. *loc. sup. cit. c. 4.* asserunt vniuersaliter de omni specie intelligibili, quod nullo modo concurrat effectiuè; sed solùm formaliter ad producendam cognitionem circa determinatum obiectum. Fundamēta autem huius assertionis sunt illa ipsa, quæ suo speciali articulo explicauimus, & soluimus.

Alij dicunt, speciem intelligibilem creatam, quæ est de obiecto creato, concurrere, non solùm effectiuè, sed etiam formaliter ad actum intellectionis cum intellectu; speciem verò intelligibilem intuitiuam Diuinæ essentię concurrere tantum formaliter; quia intelligibiliter essētia Diuina vnitur potentiæ intellectiuę creatæ illam præcisè determinando, vt ea posita intellectus effectiuè concurrat ad producendam visionem intuitiuam Dei; hanc secundam partem probant; tùm quia tollitur difficultas illa, quomodò Diuina essentia ad extrà concurrat concursu naturali, licet ponatur subordinatus voluntati Diuinæ, vt causæ vniuersali, cuius ratio esse potest; nàm concursus speciei intelligibilis intuitiuæ Dei, est concursus essentię, siuè naturæ Diuinæ, vt naturæ formaliter; hic autem est concursus naturalis: sicut enim in voluntate adhuc creata distinguitur actus naturæ, & actus liber: quia voluntas non solùm est potentia libera; sed etiam est quædam natura; ità in Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis in intellectu creato habet duplicem concursum, & naturalem inquantùm natura est, & liberum inquantùm est voluntas rerum ad extrà, cum quibus non habet necessariam connexionem absolutè, & simpliciter; tùm quia impertinenter ponitur concursus effectiuus præter vnionem intelligibilem speciei cum intellectu, per quam sufficienter determinatur potentia; & ratio huius esse potest hæc; vel quia species est ad determinandum potentiam intellectiuam, cum potentia intellectiua creata sit indifferens ad quodlibet obiectum cognoscendum; determinatio autem sufficienter saluatur sine efficientia per solam determinationem formalem; vel quia cognitio intellectiua secundùm suam specificam rationem, est intrinsecè actus vi-

vitalis; at actus vitalis producitur à potētia vitali, quæ est intellectus; vel quia intellectus est, qui intelligit sua virtute intellectiua; sed intelligere est vitaliter exprimere repræsentationem, siuè cognitionem obiecti, quod intelligatur, & propter hoc potentia intellectiua, non habet diminutam vim effectiuam visionis, sed integram; hæc ipsa pars probari potest adhuc ratione S. Thomæ *3.C.G.c.51*. vbi Angelicus ostendit Diuinam essentiam posse esse speciem intelligibilem in intellectu creato beatorum ex eo præcisè, quia perficit tantum intellectum; sed hoc pertinet ad causam formalem præcisè, non ad causam efficientem.

Prima pars verò huius opinionis probatur iisdem rationibus, quibus hanc ipsam opinionem suo speciali articulo ostēdimus; nàm hoc est, quod nos asserimus in hac quinta cōclusione, nempè, concursum speciei intelligibilis in vniuersum esse, tū formalem, tùm effectiuum; formalem quidem inquantùm determinat intellectum ad producendam cognitionem in determinata specie, & maximè in doctrina S. Thomæ docentis *1.2.q.1.ar.3.in corpore*, actionem speciem sumere ab actu agentis; quod etiam si ab aliquibus explicetur radicaliter, hoc sufficit, vt de specie intelligibili in vniuersū possit verificari cōcursus formalis speciei intelligibilis; quē ex eo etiā concludimus, quoniā ex intellectu, & intelligibili fit magis vnum, quā ex materia, & forma, vt docet Aristotel. materia enim non fit forma per vnionem; potentia autem cognitiua fit ipsum obiectum formaliter in esse tamen intentionali, vel intelligibili; ex quo apparet potentiam cognitiuam non in esse entis; sed in esse potentiæ formaliter aliud non esse, nisi ipsum obiectum potentialiter quantùm ad sua formalia; patet hoc, quia accedente, siuè existente specie intelligibili in intellectu, fit intellectus ipsum obiectum formaliter; fit enim intellectus actu cognitiuus sui obiecti formaliter intrà se; hoc autem, non potest esse, nisi intellectus fiat suum obiectum immediatum formaliter; non enim potest obiectum cognosci intrà potentiam formaliter, nisi intrà potentiā cognoscentem sint prædicata formalia obiecti, quod immediatè cognoscitur; tùm quia obiectum non cognoscitur formaliter, nisi per sua prædicata formalia; tùm etiam quia non est, nec esse potest obiectū formaliter intrà potentiam, nisi suis prædicatis essentialibus intra potentiam; sicut implicat esse hominem sine animali, & rationali formaliter; at totum hoc, non potest haberi formaliter, nisi quidditas obiecti immediati, quod intelligitur, vel per identitatem, vel per similitudinem formalem vniatur intellectui, siuè potentiæ cognitiuæ in ratione formæ intrinsecè intelligibilis.

Cæterum si species intelligibilis ponatur tantum principium coefficiens, intellectus non erit formaliter suum intelligibile, sed erunt duo principia partialia integrantia vnum adæquatum principiū; sicut, v. g. sunt causa prima, & causa secunda ad eundem effectum producendum, iuxtà opinionem asserentium causam primam concurrere tantum cum causa secūda concursu simultaneo.

Tertiò probatur eadem opinio alia ratione à priori; quoniam potentia intellectiua creata est pura potentia in genere intelligibilis; solus enim Deus, est omnis actus intelligibilis essentialiter; sed pura potentia vt sic, non est actiua; nihil enim agit, nisi inquantùm est actu; ergo potentia intellectiua, non potest esse actiua, nisi fiat actu; fit autem actu per formam intelligibilem; ratio autem constitutiua agentis in ratione agentis, siuè in actu concursum habet effectiuum ad minus, vt quo.

Ad argumenta autem, quibus probatur, esse propriū essentiæ, vt est sua forma intelligibilis intuitiua in intellectu creato concurrere tantum formaliter determinādo potentiam intellectiuam creatam, &c. Ex supradictis facilè respondetur.

Respondeo enim ad primam, posito quod Diuina essentia, sit sua forma intelligibilis intuitiua in intellectu creato beatorum, vt causa tantum formalis tollitur, difficultas illa, quomodò essentia Diuina ad extra concurrat concursu naturali; nego sequelam, & ratio est: quia omnis cōcursus primæ causæ ad extrà, siuè sit formalis in genere intelligibilis, est concursus liber, sicut velle Diuinum, quod est necessarium respectu bonitatis Diuinæ, est liberum per hoc præcisè, quod secundariò sit velle termini materialis, & cōtingentis extrà Deum, & hæc doctrina fundatur in hoc, tanquam in prima radice; quoniam necessitas potentiæ operatiuę, siuè causæ, est ab obiecto formali necessariò; specificatio enim potentiæ est à suo obiecto formali, non autem à suo obiecto materiali; at omnis terminus, siuè omnis effectus extrà Deum, est terminus materialis omnis con-

concursus causæ primæ vniuersaliter; est enim terminus, a quo non specificatur causa prima: hic autem est terminus materialis, & cōsequenter contingens, sine quo potest saluari tota perfectio, & quidditas primæ causæ.

Neque huic doctrinæ obstat cum dicitur, quod concursus formalis speciei intelligibilis intuitiuæ Dei, est concursus essentiæ, siuè naturæ Diuinæ, vt natura formaliter; hic autem est concursus naturalis, siuè necessarius; natura enim, vt natura, est principium determinatum, nimirùm, ad vnum, & eodem modo.

Non inquam obstat hoc; nàm concursus naturalis, siuè necessarius, est circa obiectum suum formale, & primarium; nō autem secundarium; distinctio enim formalis causæ necessariæ à causa libera, est ex distinctione formali obiecti formalis; quia, scilicet, obiectum formale, & primarium causæ necessariæ, est necessarium formaliter; obiectum verò formale causæ liberæ, est obiectum, quod non habet necessariam connexionem cum obiecto formali, & primario; hoc autem est obiectum materiale causæ necessariç, & ob hanc rationem velle Diuinum, est liberum formaliter, quatenùs fit entis contingentis, & materialis, quod non habet necessariā connexionem cum obiecto formali, quod est Diuina essentia, quatenùs bonitas prima in essendo; totum hoc proportionaliter reperitur in concursu intelligibili formali Diuinæ essentiæ in intellectu creato; iste enim concursus intelligibilis, est necessarius, quatenùs est concursus intelligibilis virtualiter Diuinæ essentiæ suo Diuino intellectui; liber verò est, & non necessarius, quatenùs est concursus eiusdē Diuinæ essentiæ, vt est causa prima intelligibilis; Deus enim est obiectum suæ cognitionis intuitiuæ creatæ, quatenùs est prima causa omnium intelligibilium extrà se, sub qua consideratione formali intellectus creatus, est terminus materialis Diuinæ essentiæ, quatenùs est sua forma intelligibilis; intellectus enim creatus, est effectus materialis primæ causæ, scilicèt, effectus, à quo non specificatur causa prima.

Hæc doctrina, vt clarè, & profundè intelligatur, duos potest habere sensus. Primus est, quod concursus Diuinæ essentiæ, vt est sua forma intelligibilis, sit ipsum velle liberum Dei. Secundus sensus est, quod concursus intelligibilis Diuinæ essētiæ, est liber concursus, quia est subordinatus voluntati liberę Dei. In re præsenti, doctrina intelligitur, non in primo, sed in secundo sensu (nàm circa hoc est diuersitas opinionum) quia concursus intelligibilis est concursus Diuinæ essentiæ, quatenùs virtualiter distinguitur ab intellectu, & voluntate; subordinatur verò concursui libero intellectus, & Diuinæ voluntatis, intellectus, scilicèt, radicaliter, & voluntatis formaliter; quia hic concursus est circa intellectum creatum, quatenus est effectus secundarius materialis Diuinæ voluntatis, a quo, scilicèt, non specificatur Diuina voluntas.

Neque obstat secundò si dicas; concursus intelligibilis Diuinæ essentiæ, est antè concursum Diuinæ voluntatis, quia est concursus essentiæ, siuè naturæ Diuinæ, quæ est prior virtualiter, quam intellectus, vel voluntas.

Non inquam hoc obstat; quoniam vt supra diximus falsum est assumptum; hic enim concursus, non competit Diuinæ essentiæ, nisi supposito lumine gloriæ eleuante intellectum creatum ad ordinem supernaturalem: productio autem luminis gloriæ, est per intellectum, & voluntatem liberam Dei.

Argumentum vim haberet, si concursus intelligibilis Diuinæ essentiæ in intellectum creatum beatorum competeret Diuinæ essentiæ, quatenùs est ens intelligibile absolutè; sic enim essentia Diuina, vt forma intelligibilis, est prior sua libera voluntate.

Ad secundam rationem, qua dicitur, quod impertinenter ponitur concursus effectiuus præter vnionem, siue concursum intelligibilem Diuinæ essentiæ cum intellectu creato.

Respondeo, nego assumptum; nàm species intelligibilis intuitiua Dei, quæ est Dei essentia, vt sua forma intelligibilis, est prima forma essendi intellectus, in genere primi intelligibilis; omnis autem forma essendi, est etiam principium agendi in ente, in quo est.

Cum verò dicitur, quod species intelligibilis est ad determinandam potentiam intellectiuam creatam, quæ in subiecta materia est indifferens, non solum ad Deū, vt subiectum primum supernaturale; sed etiam ad entia naturalia cognoscentia in proprio genere, &c.

Respondeo, quod duplex est determinatio: alia præscindens à determinatione in ratione potentiæ, & in ratione obiecti formaliter, siuè alia est determinatio vt

sic

sic in generali, & alia est determinatio in genere intelligibilis. Prima determinatio est diuisibilis in determinationem intrà genus potentiæ cognitiuæ, & indeterminationẽ intrà genus obiecti, siuè cognoscibilis formaliter, non autẽ determinatio, q̃ est intrà genus obiecti formaliter; & huiusmodi est species intelligibilis, quæ dicitur ex parte obiecti; quia est ipsa quidditas obiecti formaliter, vel per formalem identitatem, vel per formalem similitudinem in alio modo essendi intra potentiam, quæ dicitur modus essendi intelligibilis.

Cum verò dicitur, quod determinatio sufficienter saluatur sine efficientia obiectiua per solam determinationem formalem; nàm intellectus intelligitur sufficienter determinatus ad producendam determinatam cognitionem circa determinatum obiectum per hoc, quod intellectus perficitur similitudine obiecti, sicut ferrum determinatur per figuram, vt possit scindere, cum tamen figura nullam habeat efficientiam.

Respondeo primò, nego maiorem; nàm determinatio potentiæ cognitiuæ in genere intelligibilis fit per formam obiecti motiui; omnis autem forma cum sit principium formale essendi est principium agendi in suo genere; nec probatur oppositum exemplo figuræ, quæ in ferro nullam habet efficientiam ad actum scindendi, quia figura est in genere quantitatis dimensiuæ, quę in esse suo naturali nulla habet efficientiam; cum figura se teneat ex parte materiæ, quæ secundum suum esse intrinsecum, & naturale, nullo pacto est actiua, at forma intelligibilis obiecti motiui, & formalis habet rationem actus, & formæ contradistinctæ à materia.

Neque huic doctrinę obstat, si aliquis dicat, quod figura quantitatis potest imprimere sui speciem in potentiam cognitiuam; sed hæc impræssio est per actionem intelligibilem.

Respondeo; distinguo maiorem, potest imprimere sui similitudinem, quatenùs est actu colorata, siuè est in actu per colorem, & concedo maiorem, secundum suum esse intrinsecum præcisè, & nego, ob rationem modo allatam; quia scilicèt, est species quantitatis dimensiuæ, quæ non est actiua; neque obstat, quod figura sit obiectum per se visus, & alterius sensus; nã est obiectum per se commune pluribus sẽsibus, non autem obiectum per se propriũ, quod est productiuum suæ similitudinis intẽtionalis in sensu; vnumquodque enim est agens in suo genere, quatenùs est actu; huiusmodi autem non est obiectum per se commune; quia hoc adhuc est potentiale in genere obiecti.

Idem dicendum est, cum aliqui Recentiores dicunt, materiã primam imprimere sui similitudinem in potentiam cognitiuam; hoc enim verum est de materia prima, non secundum suum esse intrinsecum; sed secundum esse, quad habet à forma substantiali.

Neque obstat secundò, si dicatur, quod ens reale formaliter habet sui speciẽ intelligibilem, & tamen ens reale est formaliter commune pluribus.

Non inquam obstat: quoniam ens reale formaliter, quod scilicèt; est ens sua ratione formali ad differentiam modi intrinseci, qui est ens ratione formali, siuè entitate sui modificati, est obiectum formale intellectus creati proprium; obiectum autem formale proprium est actu in genere obiecti; omne autem ens in actu est suo modo actiuum, quod dici non potest de obiecto per se cõmuni sensus; neque inconuenit, quod idem ens formaliter in genere rei, siuè entis præscindit à potentia, & ab actu; in genere verò obiecti, siuè inquantùm est obiectum intellectus fit in actu; aliæ enim sũt differentiæ formales entis in genere entis, & aliæ sunt differentiæ formales obiecti in genere obiecti, vt docet Arist *in libris de Anim.* dicens, quod in quolibet datur vna contrarietas.

Cum denique dicitur à Palumbo, quod est maior nobilitas, & perfectio ex parte Diuinæ essentiæ, quatenùs subit rationẽ speciei, vt illa non debeat concurrere effectiuè propter summam vnionem cum potentia cognoscente; quia propter hoc potentia intellectiua, non habet diminutã vim effectiuam visionis; sed integram, qualem vnionem; quia potentia cognoscitiua non habet cum alijs obiectis; illa tunc diminutę virtutis debet cõpleri per alium concursum effectiuum ex parte speciei, supplentem illam diminutionem potẽtiæ.

Respondeo, negando assumptũ, quia hic loquimur de concursu speciei intelligibilis in sua latitudine formali, nõ autem de concursu, qui conuenit essentię Diuinę, seù speciei intelligibili intuitiuę Dei, quatenùs est infinita simpliciter; concursus autem Diuinæ essentiæ in ratione speciei intelligibilis intuitiuæ adæquatè, est non solum formalis; sed etiam effectiuus; quia vt sit, est forma essendi in ratione primi intelligibilis; forma non solum est principium intrinsecum essendi, sed etiam agẽdi

in suo genere; neque verum est, quod est maior perfectio Diuinæ essentiæ, quatenùs subit munus speciei intelligibilis, vt illa non debeat concurrere effectiuè propter summam vnionem cum potentia cognoscente: immò verum est totum oppositum, ex eo, quod Diuina essentia in ratione formæ intelligibilis habet summam vnionem cum potentia cognoscente; nam perfectior, & nobilior est vnio Diuinæ essentiæ, si vt sui forma intelligibilis intuitiua vniatur intellectui creato beatorum, non solum vt forma essendi intelligibilis; sed etiam vt principium coeffectiuum, quam si vniatur tantum, vt principium coeffectiuum; idem respondendum est, cum dicitur, quod est maior perfectio virtutis actiuæ intellectus creati, si ponatur species intelligibilis concurrere ad actum intellectionis præcisè formaliter, scilicèt determinando potentiam; nàm quælibet virtus debet esse perfecta in sua latitudine formali; at concursus speciei intelligibilis, & concursus potentiæ intellectiuæ, sunt diuersæ rationis formalis; vnus enim est formaliter vitalis, alius non item.

Obijcies primò pro sententia eorum, qui dicunt, speciem intelligibilem de per se concurrere tantum cum intellectu, vt principium coefficiens; nō autem vt principium etiam formale; nam vnio in ratione principij formalis Diuinæ essentiæ est infinita, quia est adæquatiua naturæ Diuinæ; sed implicat naturam Diuinā vniri intellectui creato vnione infinita; ergo, implicat essentia Diuina, quatenùs subit munus speciei intelligibilis intuitiuæ vniri in ratione formæ cum intellectu creato.

Resp. duplicem esse communicationē, siuè vnionem Diuinæ essentiæ in ratione formæ intelligibilis; aliam intellectui Diuino, quæ dicitur vnio, siuè communicatio intelligibilis ad intra, & aliam esse cōmunicationem intelligibilem intellectui creato, quæ dicitur communicatio ad extrà: prima communicatio Dei ad intra est vniuoca: secunda ad extra, est analoga; nō quidem analogia proportionis, vt diximus suprà *in q. de vniuoc. entis*; sed analogia attributionis vnius ad aliud, siuè prioris ad posterius, & è contra; dicitur quidem primò vniuoca, nō vnicatione intrà genus, sed vniuocatione extrà genus ad intra, Diuina essentia, siuè Deus cōmunicatur modo infinito, adequante Diuinā cōmunicabilitatem: ad extrà verò cōmunicatur tantū modo finito; quia cōmunicatur vt causa analoga, quæ non est manifestabilis modo adæquato in subiecta materia, Diuina essentia, vt sui forma intelligibilis in intellectu creato cōmunicatur communicatione formali, siuè in ratione formæ intelligibilis, non cōmunicatione vniuoca .s. modo adæquate Diuinā cōmunicabilitatem, sed modo inadæquato, quia cōmunicatur, vt causa analoga, nō autē vt causa vniuoca.

Obijcies secūdò, Diuina essentia est sua forma intelligibilis in intellectu creato, in quantum est prima causa intelligibilis, sed prima causa generaliter, non potest esse terminus formalis, terminās indigētiā intellectus creati in genere intelligibilis, quoniā causa dicit influxū in suū effectū; terminus autē, nō dicit influxū; sed solum id, ad quod aliud terminatur; ergo Diuina essētia, vt sui forma intelligibilis, non vnitur intellectui creato vnione termini formalis, & substātialis intelligibilis.

Quod si respondeas ex dictis, terminum esse duplicis cōditionis; alium purum formalem, & alium causalem: Diuinam verò essentiam, vt suam formam intelligibilem intellectui creato, esse terminum formalē causalem; non autem præcisè, terminum formalem; quippè vt diximus Deus, vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, est primum intelligibile, siuè prima causa obiectiua: huiusmodi verò obiectum, non est purus terminus; sed est terminus causalis: est enim causa obiectiua intellectui creato, vt videat ipsum Deum in se; & hic terminus causalis, cum sit causa obiectiua; & terminatiua, habet influxum terminatiuum, qui non aliud est, nisi perficere intellectum, non solū vt sit in genere intelligere; adhoc clarius intelligendū distinguēdi sunt in Diuina essentia duo concursus intelligibiles; concursus nimirū formalis, & hic est actu perficere intellectum in genere intelligibilis sine vlla sui perfectibilitate ab intellectu etiam in diuerso genere causæ, siuè, & in idem redit, cōcursus obiectiuus in genere causæ formalis obiectiuæ, non aliud significat, nisi Diuinam essentiā vt sui formam repræsentatiuam intuitiuā seipsa fieri perfectionem intelligibilem intellectus creati absq; vlla sui intrinseca mutatione, & ratio huius est; quia intellectus creatus est effectus materialis primæ causæ, tūm vniuersalis, quàm obiectiuæ; per hoc autem quod prima causa obiectiua seipsa fit perfectio effectus materialis, nullo pacto intrinsecè mutatur, quia ex effectū materiali nullam acquirit perfectionem; omnis enim perfectio formalis causæ est ex effectu primario, & formali, à quo .s. specificatur causa: quod ex eo fit euidens; nam causa prima causat effectus extrà se, &

& in nullo genere causæ diuerso ab eis causatur, siuè causat effectus ad extrà cum omnimoda independentia ab illis,& ratio est;quia effectus primę causæ,sunt puri effectus materiales, à quibus, scilicèt, non specificatur causa prima, nec causatur in aliquo genere causæ; ex opposito verò, causa secunda perficitur in diuerso genere causæ ab effectibus,quos causat, quia effectus causæ secundæ,sunt causæ formales, à quibus causa secunda specificatur; vel quia sunt causa finalis causæ secundæ;vndè hæc regula generalis supponi debet, quod cum causa extenditur ad terminos, siuè effectus secundarios,qui sunt puri materiales, hoc fit sine mutatione intrinseca in ratione sua formali; & ratio huius regulæ est; quia causa causat præcisè effectus materiales, & ab illis non causatur;& ità causa,vt causa præcisè,est independens ab effectu, quem causat; independens autem vt sic, nullo modo est mutabilis, & perfectibilis intrinsecè; sed tota mutatio est ex parte effectus materialis, qui dependependet. Intellectus creatus, vt sæpè repetiuimus, est præcisè effectus materialis primæ causæ, tàm vniuersalis,quàm obiectiuæ; effectus autem materialis vt sic, est receptiuus in se perfectionis, & non datiuus; ergo per hoc, quod causa prima obiectiua fit seipsa causa obiectiua intellectus creati, solum perficit intellectum creatum intelligibiliter, & nullo pacto perficitur; plura sunt exempla, quę hanc doctrinam explicant, & suadent. Primum est,velle Diuinum, quod est necessarium velle Diuinę essentiæ, & necessariò communicabile est ad intrà, fit velle liberum seipso absque vlla intrinseca mutatione, per hoc præcisè, quod fit velle termini materialis, & contingentis ad extrà. Verbum Diuinum absque vlla sui intrinseca mutatione fit terminus personalis naturæ humanæ in Christo Domino; per hoc solùm: quia natura humana est effectus materialis primæ causæ, siuè est terminabilis secundariò à personalitate Verbi Diuini, non primariò; natura enim primò terminabilis à personalitate Verbi Diuini, est Diuina natura, à qua est omnis perfectio; sunt enim alia exempla phylosophica hoc ipsum explicantia, e.g.species repræsentatiua albi in sensu, ex eo quod repræsentat plura coalba, nullam acquirit perfectionem; quia hoc, & illud coalbum sunt obiecta materialia, non autem sunt obiecta formalia, vnum album exiftens absque vlla sui mutatione intrinseca refertur ad hoc, & ad illud coalbum, & hoc non ob aliam rationem, nisi quia hoc, & illud coalbum sunt terminus materialis relationis existentis formaliter in albo; pariter discurrendum est in præsenti materia de specie intelligibili intuitiua Diuinæ essentiæ, siuè de Diuina essentia, vt est sui forma intelligibilis in intellectu creato.

## ARTICVLVS DVODECIMVS.

### Vtrum implicet contradictionem Diuinam essentiam esse formā intelligibilem intellectus creati, sine lumine gloriæ in ratione dispositionis materialis, siuè obiecti.

DVplex dispositio excogitari potest necessaria in intellectu creato ad vidédum Deum in se; alia actiua, & alia passiua; actiua ad producendam cognitionem intuitiuam Dei; passiua verò ad recipiendam in intellectu creato Diuinam essentiam,vt suam formam intelligibilem, vel etiam ad recipiendā in se visionem intuitiuam Dei; suprà satis explicauimus,lumen gloriæ esse necessarium simpliciter in intellectu creato, tanquam dispositionem supernaturalem actiuam, per quam intellectus creatus fit potens, & efficax ad producendam in se visionem intuitiuā Dei.In hoc articulo autem quæritur,an sit etiam simpliciter necessarium lumen gloriæ in ratione dispositionis subiecti, siuè materialis, non solum ad recipiendam Diuinā essentiam, vt suam formam intelligibilem intuitiuam in intellectu creato, sed etiam ad recipiendam visionem ipsam intuitiuam Dei; vtrumque enim punctum controuertitur inter Scholasticos, tùm antiquos, tùm Recentiores: & quantum ad primum punctum quæsiti.

Bassolus in *4.dist.49.* Palat. Vasquez, Suarez, & alij, quos accuratè citat,& sequitur Fasolus *in qu. 12. de Vis. Dei, art.5. dub.3.* tuentur, lumen gloriæ nullo modo requiri, tanquam passiuam, seù materialem dispositionem adhoc, vt essentia Diuina recipiatur in intellectu creato beatorum, vt sua species intelligibilis intuiti-

ua; vel, vt alij loquuntur, adhoc vt essentia Diuina vniatur intellectui creato, tanquam sua forma intelligibilis intuitiua. Fundatur autem horum opinio in duobus principijs.

Primum, quod Fasol. *loc. cit.* asserit esse optimum; est, quia Diuina essentia vnitur intellectui creato, non vnione intrinseca; sed tantum vnione extrinseca in ratione causæ efficientis, in ordine, scilicèt, tantummodò ad constituendum, & integrandum vnum totale principium effectiuum visionis intuitiuæ Dei; sed hæc vnio nihil aliud postulat ex parte intellectus creati videntis Deum, nisi lumen gloriæ, vt dispositionem actiuam de lege ordinaria saltem; solum enim requirit, vt intellectus creatus sit potentia supernaturalis visiua Dei; ex parte verò Diuinæ essentiæ, nihil aliud requirit, nisi vt Deus, simul cum intellectu creato, vt causa supernaturalis concurrat ad producendam visionem intuitiuam Dei; ergo nullo pacto requitur lumen gloriæ, vt dispositio passiua, siuè materialis ad recipiendam Diuinam essentiam in ratione formæ intelligibilis in intellectu creato; hic discursus, inquiunt, est euidens; quia ratio cur opposita opinio, dicat, lumen gloriæ esse necessarium, vt dispositionem passiuam, seù materialem, est; quia Authores oppositæ opinionis supponunt, Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem vniri intellectui creato vnione intrinseca intelligibili, nimirùm, esse formam, siuè perfectionem intrinsecam intelligibilem intellectus creati necessariam ad producẽdam cognitionem intuitiuam Dei; sed hæc vnio intrinseca neque, inquiunt, est possibilis, neque necessaria, non quidem est possibilis; quia implicat, Diuinam essentiam subire rationem formę, etiam intelligibilis in intellectu creato; quia actus formæ intelligibilis in vniuersum est informare intellectum creatum, aut se vnire intellectui creato per aliquem realem vnionis modũ, distinctum ab essentia Diuina, & à lumine gloriæ; sed vtrumque horum repugnat perfectioni Diuinæ essentię: ergo vnio intrinseca Diuinæ essentiæ in ratione formæ intelligibilis intuitiuæ cum intellectu creato, est impossibilis. Neque est necessaria: etenim vt intellectus creatus producat in se visionem intuitivam Dei, satis est, vt intellectus creatus non possit producere visionem intuitiuam, nisi simul cũ eo concurrat Diuina essentia, vt causa prima obiectiua supernaturalis His enim duobus positis, statim intelligitur intellectus creatus completè, & proximè potens producere visionem intuitiuam Dei; in qua explicatione clarè apparet, omnem dispositionem, & vnionem intellectus creati cum Deo, vt obiecto intuibili pertinere solum ad genus causæ efficientis.

Secundum fundamentum est dato, & non concesso, Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem esse formam, siuè perfectionem intrinsecam intellectus creati beatorum in genere intelligibilis; neque necessarium est lumen gloriæ, vt dispositio passiua, siuè materialis ad recipiendam Diuinam essentiam in se in ratione formę intelligibilis; probatur minor; etenim ad recipiendam formam intelligibilem intuitiuam Diuinæ essentiæ, satis est proportio essentialis in ratione perfectibilis, & perfectiui in genere intelligibilis; sed hęc proportio habetur sine lumine gloriæ in ratione dispositionis materialis, siuè passiuę; nam intellectus creatus, ex eo quod intellectus creatus est potentia intelligibile immediatum, & formale vt sic; quia intellectus creatus vt sic, non habet in se, vndè limitetur ad determinatum obiectum.

Quod si dicas, intellectum creatum indigere necessariò lumine gloriæ in ratione dispositionis actiuę, eo quia intellectus creatus de se est improportionatus, & insufficiens ad producendam visionem intuitiuam Dei supernaturalem; sed hanc improportionem habet etiam in ordine ad Diuinam essentiam in ratione suæ formæ intelligibilis intuitiuæ. Minor probatur, quoniam intellectus creatus, non solũ est inferioris ordinis in ratione principij actiui, quam in ratione principij passiui, sed ex isto capite inferioritatis ordinis, intellectus creatus indiget lumine glorię illum eleuante ad producendum actum visionis Dei in se; ergo etiam indiget eodẽ lumine gloriæ ad recipiendam Diuinam essentiam, vt formam intelligibilem intuitiuam sui.

Respondent, negando paritatem, & ratio disparitatis hæc assignatur; quia actus visionis Dei cum sit effectus supernaturalis intellectus creati videntis Deũ, necessariò debet pręsupponere in intellectu creato virtutem, & efficacitatem supernaturalem: etenim effectus, pręsertìm primarius, est participatio formalis suę causę; hæc autem ratio non reperitur in Diuina essentia, vt est sua forma intelligibilis in intellectu creato: nàm perficit tantummodò intellectum creatum in ge-

ne-

nere intelligibilis.

Contrariam sententiam affirmatiuã tuetur S. Thomas *p.p.q.12.ar.5. in corpore*, quem sequuntur omnes Thomistæ, asserẽs lumen gloriæ esse supernaturalem dispositionem, vt Dei essẽntia fiat forma intelligibilis intellectus creati; sed Diuina essentia fit forma intelligibilis intellectus creati per hoc, quod in eo recipitur, vt perfectio intelligibilis, vt docet S. Thomas *3. C.G. c.51*: quod etiam sæpè pluribus in locis docet, sed clarissimè explicat *q.8. de verit. ar.3 initio corporis*, dicens: ad hoc, quod Deus per essentiam videatur, oportet, quod essentia Diuina vniatur intellectui quoddammodò, vt forma intelligibilis; perfectibile autem non vnitur formæ, nisi postquam est in ipso dispositio, quæ facit perfectibile receptiuum talis formæ; quia proprius actus fit in propria potentia; sicut corpus non vnitur animæ, vt formæ, nisi postquam fuerit organizzatum, & dispositum, ex quibus infert hanc consequentiam; vndè oportet etiam in intellectu esse aliquam dispositionem, per quam efficiatur perfectibilis forma, quæ est Diuina essentia; quod est aliquod intelligibile lumen gloriæ, non naturale, sed suprà naturam.

Quantum ad secundum punctum quæsiti, maior controuersia est inter Scolasticos, an lumen gloriæ sit materialis dispositio ad recipiendam in se visionem intuitiuam Dei.

Partem enim negatiuam defendit Scotus in *3. dist.14.q.2. art.2. & in 4. dist. 49 q.11. concl.1.* quem sequuntur Aurel. *quodlib.9.ar.3.* Durand. *in 4. dist.48.q.2.* & alij, quos refert, & sequitur Fasol. *loc. cit. disp.4.n.16.*

Partem verò affirmatiuam defendũt Ægidius *quodlib.3 q.14.* Caiet. *sup. hoc art. 5.* Palud., Riccardus, & alij.

Fundamenta vtriusque sententiæ infrà proponentur examini. Resolutio articuli explicabitur sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio: lumen gloriç necessarium est simpliciter adhoc, vt intellectus creatus recipiat in se Diuinam essentiam, vt formam intelligibilem intuitiuam, non quidem vt ratio recipiendi recipiens; sed vt ratio recipiendi non recipiens.

Conclusio duas habet partes; prima est in terminis sententia S. Thomæ *loc. sup. cit.* secunda pars verò etiam deducitur ex principijs S. Thomæ; nàm S. Thomas *locis sup. cit.* assimilat, lumen gloriæ in ratione dispositionis passiuæ, dispositionibus, quibus materia prima disponitur ad recipiendam formam substantialem; sed dispositiones in materia determinant materiam, illamque disponunt ad determinatam formam substantialem, vt ratio recipiendi non recipiens; ergo, &c.

Ratio à priori primæ partis conclusionis est; forma intelligibilis non recipitur, nisi in potentia intellectiua, quatenùs est proximè, & formaliter perfectibilis in genere intelligibilis; sed intellectus creatus sine lumine gloriç adminus in ratione dispositionis subiecti, non est potentia proximè, & formaliter respectu formæ intelligibilis, quæ est Diuina essentia, modo suprà explicato; non est autem potentia proxima, & formaliter ex eo: quoniam actus, & potentia debent esse in eodem genere; vel adminus in eodem ordine, cùm perfectibile formaliter dicat ordinem ad suum perfectiuum formale: potentia autẽ formaliter, scilicèt, passiua dicit ordinem ad suum perfectiuum: cumque nulla potẽtia formaliter naturalis dicat ordinem ad formam supernaturalem, nulla potentia naturalis est proximè, & formaliter potẽtia respectu formæ, siuè actus supernaturalis; ergo adhoc vt sit proximè, & formaliter potentia, necesse est, quod aliquid de nouo acquirat, ratione cuius formaliter constituatur potentia respectu talis formę; ergo, vel habitum supernaturalem per modum habitus, vel ad minus per modum dispositionis passiuæ acquirat de nouo potentia naturalis intellectiua necesse est: & indè fortassis est, quod omnes Doctores benè sentientes, dicant, habitus supernaturales esse simpliciter necessarios, & habere rationem nouarum potentiarũ; secus autem habitus naturales; ergo necessarium est lumen gloriæ in ratione dispositionis passiuæ ad recipiendam in intellectu creato Diuinam essentiam, vt suam formam intelligibilem; sicut enim ob rationem modo allatam, non potest recipi in materia prima forma, v.g. ignis, nisi in materia, vt ignibili, quod conuenit materiæ ratione dispositionum ad formã ignis, ità neque potest recipi in intellectu creato Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis supernaturalis, nisi intellectus in priori naturæ disponatur lumine gloriæ in ratione dispositionis obiectiuæ, siuè materialis.

Probatur eadem prima pars conclusionis, alia ratione à priori, desumpta in terminis à S. Thoma *1.2. quæst.49. art.4. in corp.*

*corpore*, vbi probat esse necessarium habitum.

Potentia intellectiua creata, est indifferens ad plura obiecta formalia supernaturalia, nimirùm, indifferens ad cognoscendum Deum, vt intuibilem in se, & ad entia supernaturalia creata, vt cognoscibilia in proprio genere, & in seipsis; vel, & in idem redit, est indifferens, non solùm ad Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem intuitiuam, sed etiam ad formas intelligibiles supernaturales scibiliũ creatorum supernaturalium, vt sunt species supernaturales scientiæ per se infusæ, & species, quibus intellectus intelligit in proprio genere entia supernaturalia creata; indifferenter enim potest moueri à prima causa supernaturali ad species intelligibiles supernaturales vtriusque generis; sed indifferentia est causa, vt intellectus creatus indigeat specialibus dispositionibus ad formas intelligibiles diuersorũ obiectorum formalium: dispositiones, nimirùm, in ratione subiecti; forma enim recipitur in subiecto sibi appropriato, siuè proportionato; sic forma ignis recipitur in materia ignibili; forma substantialis aquæ in materia aquabili, scilicèt, prędisposita, siuè præditerminata ad formam aquæ; fundatur hic discursus in eo principio, quod clarè, & fusè explicat S. Thomas *loco modo citato*: nimirùm, adhoc quod potentia receptiua, siuè passiua indigeat disponi ad formam præter cætera, quæ ibi explicat S. Thomas, requiritur, vt potentia passiua possit pluribus modis determinari, & ad diuersa; vndè inquit S. Thomas, quod si aliquod sit in potentia ad formã, ità tamen, quod nõ sit nisi in potentia, ad ipsam, ibi dispositio, & habitus locum non habent; quia illud subiectum, siuè illa potentia subiectiua ex sua natura habet habitudinem debitam tantum ad illam formam, & ob hanc rationem in opinione Aristotelis, & S. Thomæ, asserentium corpus cæleste esse compositum ex materia, & forma, cum in materia Cęli non sit potentia ad aliam formam; quia est tota in sua latitudine formali, non habet in ea locum dispositio, vel habitus ad formã recipiendam, aut etiam ad operationem; quia natura corporis cęlestis, non est in potentia, nisi ad vnum motum determinatum, & ratio huius à priori est; quoniam dispositio in ratione subiecti non est, nisi determinatio, siuè appropriatio subiecti ad vnam determinatam formam, ac proindè in Cęlo qualitates non sunt dispositiones passiuæ; sed simplices qualitates, sed vt diximus potentia intellectiua creata est indifferens ad diuersas formas intelligibiles diuersitate formali, & pluribus modis diuersis; vt suprà explicauimus; quia est indifferens ad Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem intuitiuam, & ad species intelligibiles obiectorum supernaturalium creatorum, vt cognoscibilium in proprio genere; ergo, &c.

Probatur cum Capreolo, Soto, Ferrar, ex S. Thoma alia ratione à pari; nàm lumen gloriæ ex sua ratione formali proportionatur lumini corporali; manifestat enim, lumen gloriæ Deum, vt in se est intellectui creato beatorum; omne enim, quod manifestat, lumen est, sicut lumen corporale manifestat potentiæ visiuę corporali suum obiectum, tàm formale, quam materiale; sed lumen corporale necessarium est in ratione dispositionis subiectiuę, siuè materialis; lumen enim corporale est necessarium simpliciter ad constituendum subiectum mobile à colore: color enim, vt docet Aristotel. *in libris de Anim.* est motiuus diaphani in actu; diaphanum autem non est in actu, nisi lumine; lumine enim diaphanum fit trãsparens, & illuminatum; non quia lumen moueatur à colore; sed quia lumen est dispositio, vt diaphanum moueatur à colore; ergo pariter lumen gloriæ erit necessarium simpliciter in ratione dispositionis passiuę in intellectu creato, vt moueatur à Diuina essentia, vt est sua forma intelligibilis.

Ex his tanquam à prima radice remanent impugnatæ responsiones omnes illorum, qui dicunt sufficere decretum extrinsecum Dei: ratione cuius fit intellectus potentia obedientialis actiua in ordine ad actum visionis; vndè dicitur potens, vt causa instrumentalis, siue lumine, licèt nõ sit potens, vt causa principalis.

Extrinsecum namque decretum Dei, non prębet passiuam vim intrinsecam potentiæ naturali, per quam passiuam vim possit formaliter constitui potentia receptiua formæ supernaturalis. Patet hoc, tum quia tale decretum est merè extrinsecum, & ratio perfectibilis, & potentia passiua formaliter, est ratio ex proprijs terminis, & formaliter intrinseca; videtur ergo dictum istorum in terminis implicare.

Cæterum si vim facerent in solo decreto Dei, quatenus ratione illius intellectus constitueretur potentia obedientialis; per illud decretum, vel constitueretur obedien-

dientialis actiua, vel obedientialis passiua (quæ potentia formaliter distinguitur à potentia formaliter, & proximè superna-rali.)

Si primum dicatur implicat; tùm potentia patiendi etiam obedientialiter, est ratio intrinseca; vndè non potest formaliter constitui per decretum merè extrinsecum; tùm etiam; quoniam ratio potentiæ obedientialis passiuæ, non est ad patiendam formam supernaturalem, quæ concurrat actiuè simul cum potentia, quę supponatur actiua in ordine ad actum secundùm eliciendum, eiusdem ordinis cum forma aduenienda; quia si sic forma aduenienda non esset excedens, & supernaturalis; patet, quoniam potentia antequam determinetur ad ipsam formã, supponebatur potens ad actum secundum eliciendum eiusdem ordinis cum forma aduenienda; ergo si ex se erat potens actiuè actum secundum; ergo à fortiori ex se erat potens passiuè ad actum primum: hoc autem necessariò supponendum est ab Aduersarijs.

Si dicant per extrinsecum decretum constitui intellectum potentiam obedientialem passiuam in ordine ad essentiam Diuinam, quæ est forma intelligibilis intellectus in actu primo; ex alio capite cum talis potentia sit elicitiua actus secundi, vel sola in sententia illorum, qui dicunt speciem intelligibilem non concurrere actiuè; vel simul cum specie in sententia illorum, qui dicunt etiam speciem actiuè concurrere.

Si dicatur secundum, nempè per extrinsecum decretum constitui potentiam actiuam obedientialem; hoc etiam implicat in terminis; tùm quia in sententia rectè sentientium, non datur potentia obedientialis actiua: &.

Ratio à priori est, quoniam omnis comparatio creaturæ ad Deum est potentiæ ad actum; ergo quandocumque comparatur creatura ad Deum, est, vt ab ipso patiatur, siue recipiat; hoc enim est comparari aliquid, vt potentiam ad actum; ad actum inquam non elicitum ab ipsa potẽtia, qualem implicat esse Deum respectu creaturæ; tùm etiam quoniam ordo actus vitalis ad potentiam vitalem implicat suppleri ab aliquo extrinseco; certum autem est potentiam actiuam vitalem dicere intrinsecum ordinem ad actum vitalem; quomodò ergo ratione extrinseci decreti, poterit potentia dicere ordinem intrinsecum, si præciso illo decreto extrinseco Aduersarij necesse habeant fateri potentiam illam non inuoluere ordinem intrinsecum.

Necesse ergo ex dictis est, intellectũ creatum, quatenus est potentia obedientialis passiua, quod habet ex sua entitate, quatenùs inuoluit negationem repugnantiæ, vt in ipsa fiat quicquid pro suo libito ordinauerit Deus, recipere antecedenter ad essentiam Diuinam se habentem quoddammodò in ratione actus primi lumen aliquod, ratione cuius lumen naturale in ratione luminis eleuetur ad rationem potentiæ supernaturalis, ratione cuius talis potentia possit dici, & esse actiua proximè, & formaliter in ordine ad actum secundum, vel se sola, vel cum forma gerente vicem actus primi, siuè speciei iuxta duas sententias de specie actiuè concurrẽte, vel solum determinante.

Ratio secundæ partis conclusionis asserentis, lumen gloriæ esse dispositionem materialem, vt rationem recipiendi non recipietem, est clara; quoniam lumen gloriæ est dispositio intellectus ereati, quatenùs est potentia formalis ad Diuinam essentiam, vt formam intelligibilem substãtialem; hæc autem dispositio est tantum ratio recipiendi non recipiens formam in potentia intellectiua; ex intellectu enim, & intelligibili substantiali fit magis vnum in genere substantiæ intelligibilis, quam fiat ex materia, & forma substantiali, vt sæpè docuimus cum Aristotele: non solũ quia potentia intellectiua creata est, pura potentia in genere intelligibilis de se, sicut materia prima est pura potentia in genere entis naturalis; sed etiam quia materia non sit forma, sed potentia intellectiua recipiendo in se formam intelligibilem fit ipsũ intelligibile formaliter, non quidem per identitatem; implicat enim potẽtiam fieri actum, sed per hoc, quod potentia intellectiua completur intrinsecè in ratione principij intellectiui per formam intelligibilem: intellectus enim est, qui formaliter intelligit; hæc ratio, vel doctrina intelligitur clarè, primò exemplo potentiæ passiuę accidentalis, quæ concedenda est in materia prima, non quidem, vt completiuum materiæ in ratione perfectibilis in specie, vt suprà nos docuimus; etenim materia prima in ratione perfectibilis in specie, est completissima cum sit primum perfectibile in genere entis, & consequenter dicta potentia passiua, non complet materiã primam in ratione receptiui, sed solùm est necessaria in materia, vt fiat potens subdi actio-

actioni agentis naturalis. Secundò exemplo dispositionum, quibus materia prima disponitur ad recipiendam in se determinatam formam substantialem, quæ sunt rationes recipiendi non recipiens.

Contra hanc secundam partem conclusionis solum objici potest, quod esse simpliciter in quocunque genere præcedit esse secundùm quid; sed si lumen gloriæ esset necessarium in ratione dispositionis passiuæ ad recipiendam Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem, esse simpliciter in genere intelligibilis substãtialis, non præcederet suum esse secundùm quid; sed potius è contra, esse secundùm quid præcederet esse simpliciter, quod est impossibile.

Sed hæc obiectio soluitur eodem modo, quo soluitur obiectio, qua probatur, in materia prima naturali, esse secundum quid, præcedere esse simpliciter: nàm sensus prædictę propositionis est; quod esse simpliciter præcedentia siue prioritate absoluta, præcedit esse secundum quid, non autem præcedentia, seù prioritate, & absolutè, & secundum quid; vel alio modo, ꝙ esse simpliciter in diuerso genere causæ, esse simpliciter præcedit esse sm̃ quid, & præceditur, nimirùm, in genere causæ formalis; secundum quid verò in genere causę materialis. Dispositiones materiales præcedunt formam, dantem esse simpliciter in suo genere materialis causę.

Objicies primò contra primam partem conclusionis, inter intellectum creatum, & Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem est proportio obiectiua formalis; sed hæc tollit omnem indigentiam luminis gloriæ in ratione dispositionis subiectiuę ad recipiendam Diuinam essentiam, vt formam intelligibilem intuitiuã. Maior probatur, quoniam proportio essẽtialis in ratione intuitiui, & intuibilis, est sufficiens ratio, vt intellectus perficiatur in genere intelligibilis à Deo, vt intuibili; Deus enim, vt intuibilis est perfectiuus intellectus creati; sed hęc est proportio obiectiua essentialis; ergo, &c. Minor verò principalis argumẽti probatur; ratio enim cur intellectus, & Deus vt obiectum intuibile formaliter requirunt in intellectu lumen gloriæ, vt dispositionem supernaturalem subiectiuam, est; quia intellectus creatus, & Deus vt obiectum intuibile formaliter, sunt improportionata, vel quia intellectus est potentialis; Deus verò vt intuibilis est actus purus; vel quia intellectus creatus est naturalis secundùm se; Deus verò vt intuibilis est obiectum formaliter supernaturale; sed nullum horum obest existente proportione formali obiectiua inter intellectum creatum, & Deum, vt intuibilem; quia omnia hæc dicunt improportionem, & distantiam obiectiuam materialem; ergo proportio obiectiua formalis tollit omnem indigentiam luminis gloriæ in ratione dispositionis materialis ab intellectu creato.

Quod si dicas, potentiam intellectiuam, & eius obiectum formale, debere esse in eodem ordine; potentia enim intellectiua, est potentia formaliter in genere intelligibilis: obiectum autem formale intellectus, est actus; actus autem, & potentia debent esse, vel in eodem genere, vel ad minus in eodem ordine, vt probatum est à nobis in prima ratione ostensiua cõclusionis; sed intellectus creatus secundùm se est ordinis naturalis; Deus verò vt intuibilis est obiectum formaliter supernaturale; ergo, &c.

Respondent statim distinctione; maiorem esse veram, secundum differentias essentiales potentiæ, & obiecti formalis; non autem secundum differentias materiales potentiæ, scilicet, & obiecti materialis; naturalitas autem potentiæ, & supernaturalitas Dei, vt intuibilis dicere possunt differentiæ materiales potentiæ, & obiecti non verò differentiæ formales; differentiæ autem materiales non impediunt vnionem intelligibilem intellectus creati cum Deo ut obiecto intuibili.

Explicatur distinctio, supernaturalitas intellectus per lumen gloriæ, & supernaturalitas Dei, vt obiecti intuibilis, sunt veluti differentiæ, sicut sunt finitas intellectus creati, & infinitas Dei, cum sint differentiæ materiales generis intelligibilis, nõ impediunt vnionem intelligibilem intellectus creati cum Deo obiecto supernaturali; ergo neque naturalitas intellectus creati, & supernaturalitas Dei, vt intuibilis, impediunt vnionem intelligibilem eorundem.

Respondeo ad principalem instantiam, distinguendo maiorem; duplex enim est proportio formalis obiectiua, alia essẽtialis, & alia connaturalis, cuius ratio est; quia distinctio proportionis obiectiuæ sumitur ex distinctione formali obiecti formalis; & duplex est obiectum formale intellectus creati, aliud essentiale, & aliud connaturale; ergo pariter proportio obiectiua formalis, alia erit essentialis, & alia connaturalis. Proportio obiectiua essentia-

tia-

tialis, est proportio radicalis, & fundamẽtalis, non formalis, & proxima; connaturalis verò est proxima, & formalis. Ad vnionem intelligibilem potentiæ cum suo obiecto formali, requiritur non solum proportio essentialis obiectiua, sed etiam connaturalis; his enim duabus proportionibus completur potentia cognitiua in ratione obiecti proximi, & formaliter: indigentia luminis gloriæ in ratione dispositionis subiectiuæ, siuè materialis in intellectu creato ad recipiendam Diuinam essentiam, vt formam intelligibilem, requiritur propter proportionem connaturalẽ, quæ secluso lumine gloriæ, non est inter intellectum creatum secundùm se, & Deũ, vt intuibilem formaliter; quoniam intellectus secundùm suum esse intrinsecum, tàm secundùm substantiam, quam secundum vires est ordinis naturalis; eius enim obiectum formale, à quo specificatur, est ens, siuè intelligibile solum lumine naturali; Deus verò vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, est obiectum formaliter supernaturale; est .n. causa obiectiua prima, vt intelligatur ab intellectu creato, vt in se est lumine supernaturali.

Cum verò opponunt Aduersarij, & dicunt; naturalitatem intellectus creati, & supernaturalitatem Dei, vt intuibilis in se, esse differentias materiales proportionis obiectiuæ.

Resp. cum distinctione, sunt differentiæ materiales proportionis obiectiuæ essentialis, & concedo; sunt differentiæ materiales proportionis formalis, & proximę connaturalis, & nego: nàm proportio obiectiua connaturalis, per se, & necessariò exigit, vt intellectus creatus, & eius obiectum formale connaturale sint in eodem ordine ad minus, nimirùm, vt vel ambo sint ordine naturali, vel ambo sint in ordine supernaturali.

Neque obstat cùm dicunt Aduersarij, finitum intellectus, & infinitum obiecti, esse adhuc differentias materiales: quia subordinantur proportioni formali obiectiuæ.

Respondeo ex dictis: distinguo assũptum; sunt differentiæ materiales respectu proportionis formalis obiectiuę essentialis, & concedo; respectu proportionis formalis connaturalis, & nego; nàm intellectus proportionatus proportione formali connaturali suo obiecto formali cõnaturali, est causa visiua principalis sui obiecti formalis connaturalis; causa autẽ principalis debet esse in eodem modo essendi cum suo termino formali; & consequenter intellectus creatus nullo modo potest cognoscere Deum, vt in se est, sua virtute naturali præcisè. Cæterum hoc non reperitur in intellectu, vt eleuato lumine gloriæ, quia intellectus eleuatus, vt sic, est causa visiua instrumentalis Dei in se; ac proindè finitas intellectus, & infinitas Dei, vt intuibilis, sunt veluti differentiæ materiales, non formales.

Obijcies secundò, ratio cur S. Thom. asserat, lumen gloriæ esse necessarium in ratione dispositionis; tùm in ratione principij effectiui, tùm in ratione dispositionis subiecti ad recipiendam speciem intelligibilem intuitiuam Dei; est, quia Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis intuitiua est suprà naturam intellectus creati; sed hæc ratio non concludit necessariò; nàm subsistentia personalis Verbi Diuini, excedit, & est suprà naturam humanam in Christo Domino; & tamen ad vnionem personalem naturæ humanæ cum personalitate Verbi Diuini, non præerequiritur in quodam priori naturę qualitas supernaturalis, qua disponatur natura humana ad subsistendum subsistentia personali Verbi Diuini; ergo ratio S. Thomę, quod omne, quod eleuatur ad actum, vel ad formam excedentem suam naturam, oportet, quod disponatur dispositione, quæ sit suprà suam naturam, sicut si aer, inquit S. Thomas debeat accipere formam ignis, oportet, quod disponatur aliqua dispositione eleuante materiam aeris ad formã ignis; discursus patet; nàm ratio S. Thomę reducitur adhoc, quod causa cur intellectus indiget lumine gloriæ, vt dispositione subiectiua in priori naturæ antequam vniatur Diuinæ essentię, vt formę intelligibilis intuitiuæ, est quia Diuina essentia, vt intuibilis est supra naturam intellectus creati, si hoc medium esset demonstratiuum, omnis actus supernaturalis pręsupponeret necessariò in suo receptiuo dispositionem supernaturalem eleuantem subiectum; at hoc est falsum, vt apparet in humanitate Christi Domini; vnio enim naturæ humanæ cum personalitate Verbi Diuini, non est facta per gratiam disponentem naturam humanam in priori naturæ antequam vniatur personalitati Verbi Diuini.

Neque huic obstat, si dicatur, hanc vnionem factam fuisse per gratiam; nàm sensus est, vnionem hypostaticam naturæ

manæ cum persona Verbi Diuini factam fuisse gratuita, & libera Dei voluntate.

Respondeo, maiorem duplicem posse habere sensum. Primus est, quod Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis, necessariò præsupponit in intellectu creato beatorum lumen gloriæ, vt dispositionem subiectiuam, ex eo quia Diuina essentia est forma supernaturalis vt sic pręcisè. Secundus sensus est, quod requirat Diuina essentia lumen gloriæ, vt dispositionem intellectus in ratione subiecti, modo explicato; quia est forma intelligibilis supernaturalis intrinseca intellectus creati, vt potentiæ ordinis inferioris, & indifferẽtis ad plures formas supernaturales, & pluribus modis. Primus sensus non concludit, sed solus secundus, nec est intentus à S. Thoma; etenim S. Thomas 1.2. *q.49. ar.4.* asserit, quod vna ex conditionibus requisitis ad rationem dispositionis subiectiuæ est, quod sit potentię receptiuæ indifferenter plurium formarum, & pluribus modis diuersis, defectu cuius conditionis in composito, in quo est vna forma, adæquans materiam, vt est corpus cęleste iuxtà opinionem S. Thomæ *in libris de Cęlo*, non habet ibi locum dispositio ad formam; quia non est in eo, nisi vna tantum forma, vno tantum modo perficiens, & adæquans materiam; neque in eodem habet locum dispositio in ratione principij formalis ad operationem; quia natura corporis cęlestis, non est in potentia, nisi ad vnum tantum modum determinatum; dispositio enim est principij indifferentis. E contrario verò in intellectu creato beatorum, quatenùs est potentia, Diuina essentia, vt sua forma intelligibilis intuitiua formaliter, vel quatenùs est Deus formaliter in modo essendi intelligibili requiritur in priori naturę, antequam fiat Deus in esse intelligibili, siuè vt alij loquuntur antequam vniatur Diuinæ essentię, vt formæ intelligibili intuitiuæ, requiritur lumen gloriæ, vt dispositio subiectiua ad recipiendam in se formaliter Diuinam essentiam, vt formā intelligibilem; & ratio à priori est: quia intellectus creatus de se est in potentia ad plures formas, non solum ad formam intelligibilem naturalem, & ad formam intelligibilem supernaturalem; sed etiam ad plures formas supernaturales pluribus modis; est enim in potentia ad speciem supernaturalem intelligibilem intuitiuam Dei, & ad species supernaturales obiectorum scientiarum per se infusarum, & etiā pluribus ac diuersis modis; species enim intelligibilis Dei est intuitiua; species verò intelligibiles deseruientes scientijs per se infusis sunt species abstractiuæ, &c. at potentia indifferens ad plures formas, & pluribus modis, non est potens formaliter, & proximè recipere vnam, & non aliam, nisi in priori naturæ fuerit disposita dispositione ad minus eiusdem ordinis vt ostendimus prima ratione à priori huius conclusionis; verùm in natura humana in Christo Domino, vt præuenta ab emanatione suæ connaturalis subsistentiæ, & existentiæ, non prærequiritur aliqua dispositio supernaturalis adhoc, vt subsistat subsistentia personali Verbi Diuini; quoniā dispositio subiectiua est potẽtiæ formalis ad plures formas; natura verò humana Christi Domini non est potentia formalis ad subsistentiam personalem Verbi Diuini; quia potentia formalis est potentia ad formam, vt est materia prima, quæ in omnium phylosophorum opinione dicitur, & est potentia formalis; quia est potentia ad omnem formam substantialem; subsistentia verò non est forma substantialis; quia forma substantialis est principium formale subsistendi, & existendi per se, sed tantum est terminus substantialis.

Quod si dicas, natura humana Christi Domini secundùm se, est indifferens ad plures subsistentias personales; tùm quia est de se indifferens ad subsistentiam connaturalem, & ad subsistentiam supernaturalem Verbi Diuini, tùm etiam, quia est indifferens ad omnes tres personalitates Diuinarum personarum; potest enim personaliter subsistere subsistentia propria Diuinarum personarum, tam diuisim, quā collectiuè; sed hæc indifferentia non impedit, quin natura humana vniatur pręcisè personalitati Verbi Diuini sine vlla dispositione supernaturali, disponente, & eleuante naturam humanam solummodò ad personalitatem Verbi Diuini; ergo pariter indifferentia intellectus creati plures formas intelligibiles supernaturales, & pluribus modis; neque impediet, quo minus intellectus creatus vniatur Diuinæ essentiæ, vt suæ formę intelligibili intuitiuæ sine lumine gloriæ in ratione dispositionis subiecti.

Respondeo primò, indigentia dispositionis in ratione subiecti est potentiæ ad plures formas, non autem est terminabilis ad plures terminos; dispositio enim materialis est complementum formale

ma-

materiæ; natura autem humana Christi Domini, non est potentia formalis, sed solum est potentia ad plures terminos substantiales, & nos hic loquimur de dispositione materiæ.

Obijcies tertiò, Diuina essentia, vt sui forma intelligibilis intuitiua, est primum lumen intelligibile; sed primum lumen, non præsupponit in intellectu creato lumen supernaturale in priori naturę, antequam vniatur intellectui creato; quia primum lumen est causa cæterorum, & est per se illuminatum; ergo ad vnionem intellectus creati cum Diuina essentia in ratione formæ intelligibilis non est necessarium lumen gloriæ in ratione dispositionis subiecti, sed Diuina essentia seipsa illuminat intellectum creatorum, vt sua forma intelligibilis Maior est clara, qa omne manifestatiuum, lumen est. Minor propositio probatur exemplo in corporalibus; lumen enim; aut lux non indiget alio lumine, vt videatur; quia lumen est ratio formalis videndi; ad rationem autem formalem nõ datur alia ratio formalis in eodem genere; implicat enim in vno, & eodem genere dari duo prima; at ratio formalis est prima ratio videndi omnia in suo genere, cuius potest assignari alia ratio; quod est per se tale non indiget fieri tale per aliud, sed Deus, vt intuibilis, est per se lumen, siuè lux intelligibilis; ergo non indiget alio lumine, vt videatur ab intellectu creato.

Respondeo primò, quod si hoc argumentum vim haberet, probaret etiam, nõ esse necessarium lumen gloriæ in intellectu creato in ratione dispositionis actiuæ, quod est impossibile, & ratio est; quia Deus est ipsum lumen gloriæ, iuxta illud Apoca c.21. claritas Dei, idest Deus clarus, & lucidus illuminabit eam: obiectum autem est intelligibile, secundùm quod est illuminatum, aliter non posset mouere potentiam intellectiuam.

Respondeo secundò, distinguo maiorem, Deus vt obiectum cognitionis intuitiuæ, est ipsum lumen intelligibile, & concedo; est ipsum lumen intellectiuum ipsius Dei, & nego; lumen gloriæ, quod dicimus debere superaddi intellectui creato ad recipiendam in se Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem intuitiuam, non est lumen intelligibile, quod est ex indigentia obiecti, sed est lumen intellectuale, quod exigitur ex incomplemento, & improportione potentiæ intellectiuæ in ratione potentiæ formalis, & proximę; nàm intellectus creatus non est potentia receptiua proxima, & formaliter, vt moueatur à Deo, vt obiecto intuibili in se, vt suprà ostendimus; Diuina enim essentia, vt forma intelligibilis non potest recipi, nisi in intellectu completo in ratione potentiæ receptiuæ; hoc autem complementum, est lumen gloriæ, per quod proportionatur intellectus formaliter, vt sit potens formaliter moueri à Deo, vt à primo intelligibili motiuo, exemplum proportionatum ad hoc, est lumen corporale, v.g solis, aut alterius corporis lucidi, per quod potentia visiua fit potens moueri ab obiecto visibili; est etiam aliud exemplum valdè aptum adhoc explicandum, potentia passiua proxima, per quam materia prima fit formaliter, & proximè potens subdi actioni agẽtis, quæ quidem potentia, vt suprà suo loco ostendimus, est extrà quidditatem materiæ primæ, quæ adæquatur in sua ratione essentiali solum per rationem perfectibilis, seù formabilis in specie; quod totum habetur per ordinem præcisè ad formam substantialem, à qua scilicèt, plenè habetur species.

Cum dico, Deum, vt intuibilem non esse lumen intellectuale, quo intellectus creatus completur, vt possit moueri à Deo, vt primo intelligibili, significo tantùm, Deum non esse lumen intellectuale ex parte intellectus formaliter; nàm certum est esse eminentialiter Deum omne lumen creatum, vel creabile.

Cum denique dicitur ab opponente, primum lumen non indigere alio lumine, &c.

Respondeo, hoc verum est de primo lumine in eo genere, in quo est primum formaliter; non autem in eo genere luminis, in quo non est primum. Deus, vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ est primũ lumen intelligibile, non autem est primũ lumẽ intellectuale, quo intellectus creatus fit potens formaliter, & proximè recipere in se Deum ipsum, vt obiectum intelligibile motiuum; nàm lumen gloriæ non est ad concursum primi, sicut species intuitiua Dei in se; qua posita distinctione, sequitur, ex eo quod Deus est primum intelligibile, non requiri lumen ex parte Diuinę intelligibilitatis, per quod Deus fiat obiectum intelligibile; implicat enim intelligibile creatum, esse causam primi intelligibilis: sed non sequitur, non posse dari lumen ex parte intellectus creati, per quod intellectus fit potens proximè, & formaliter, non solùm recipere in se Diui-

nam essentiam, vt sui formam intelligibilem; sed etiam fit potentior ad producendam visionem intuitiuam Dei, eo nimirũ modo, quo potentia incompleta in se sine habitu ad operandum completur, & fit potentior per habitum; nec potest Deus, vt primum intellectuale subire munus luminis gloriæ in intellectu creato, sicut est sua forma intelligibilis in eodem; nam lumen gloriæ, est forma naturalis essendi in genere potentiæ supernaturalis; implicat autem Deum esse formam naturalem, vt suprà diximus cum S. Thoma 3. *C.G.*

Conclusio secunda; lumen gloriæ est necessarium simpliciter ad recipiendam in intellectu creato visionem intuitiuam Dei.

Conclusio hæc est paulò difficilior, & magis controuersa inter Theologos; contrarium enim tuentur Scotus in *3. dist.* 14. *q.* 2. *ar.* 2. *& in* 4. *dist.* 49. *q.* 11. *conclus.* 11. Aur. *quodlib.* 9. *ar.* 3. *prop.* 2. Durand. *in* 4. *distin.* 49. *n.* 22. & alij quos citat, & refert Fasol. *dub.* 14.

Conclusio autem est expressa doctrina S. Thomæ, quam paucis, & profundè satis explicat Marc. Anton. Palumb. *in doctrina de lumine gloriæ ad ar.* 5. *S. Thomæ dict.* 4. dicens eandem sententiam esse omnium Thomistarum Marsilij in 3. *q.* 10. *ar.* 2. & Palumb. in 4. *dist.* 49. *q.* 1. *ar.* 3. & Capreol. &c.

Neque, inquit, contrarium docent Capreol., & aliqui alij Thomistæ, si aliquando dixerunt, lumen gloriæ non esse necessarium ad recipiendam in intellectu creato visionem intuitiuam Dei; nàm conclusio hæc duplicem potest habere sensum, vt rectè notat, & docet Paludan. *dis.* 49. *qu.* 1. *ar.* 3. *concl.* 2. Primus sensus est, quod lumen gloriæ est dispositio materialis, vt ratio recipiendi recipiens visionem intuitiuã Dei creatam, sicut quantitas materialis est dispositio ad recipiendas quantitates materiales, & figuras. Secundus sensus est, quod lumen glorię sit dispositio materialis, vt ratio recipiendi non recipiens, sicut est mollitudo in cera, vt cera figuretur, & sicut sunt dispositiones materiales in materia prima.

Cùm Thomistæ Aliqui docent, lumen gloriæ, non esse dispositionem ad recipiendum in intellectu creato visionem intuitiuam; loquuntur in primo sensu, nimirum de dispositione, quæ est ratio recipiẽdi recipiens; quod quidẽ est plusquã certũ, nam lumen glorię ne inadęquatè quidem est subiectum visionis intuitiuæ Dei; & ratio manifesta est.

Primò, quia visio est actus vitalis, hic autem non recipitur, nisi in receptiuo vitali; tùm quia intellectus creatus secundùm se, est pura potentia in genere intelligibilis, etiam in ordine ad intelligendũ seipsum.

Tertiò, quoniam quidditas intellectus creati essentialiter est causa instrumentalis; species autem intelligibilis est causa principalis in suo genere; ex opposito autem potest essentia vnius Angeli, vel animæ separatæ cum intelligunt se, esse species intelligibiles suis intellectibus; quia quidditas Angeli, & animæ separatæ, sunt causæ principales obiectiuæ; at S. Thomas loquitur in hoc secundo sensu.

Hanc doctrinam in generali docet S. Thomas etiam 1. 2. *q.* 49. *ar.* 3. *in corp.*, vbi docet, quod dispositio, qua disponitur potentia formalis, scilicèt, in ratione subiecti, dicit intrinsecum ordinem, non solum ad formam, à qua est natura rei formaliter; sed etiam consequenter ad operationem formæ, inquantùm est finis naturæ, vel perducens ad finem, eamque sumit Aristoteles 5. *met.* vbi dicitur, quod in definitione dispositionis, quæ scilicèt, est genus ad habitum, & ad dispositionem contradistinctã ab habitu includitur, quod sit id, quod benè, vel male disponitur dispositum, aut secundùm se, idest in ordine ad formam substantialem, à qua est natura rei formaliter, aut ad aliud, idest, in ordine ad finẽ formæ, quæ est operatio; forma enim est principium formale essendi, principium autem formale essendi, est principium formale operandi.

Fundamentum conclusionis mihi est hoc, lumen glorię est dispositio in ratione subiecti intellectus creati ad recipiendam Diuinã essentiã, vt formam essendi in genere intelligibilis, at eadẽ est dispositio ad visionem intuitiuã Dei, quæ est visio intuitiua Dei. Minor probatur; quia dispositio subiecti ad formam formaliter consequenter, est dispositio ad operationem formæ, inquantùm est finis formæ; forma enim essendi, & eius operatio sunt actus subordinati; forma enim est actus primus, operatio formæ est actus secundus; sed ad actus subordinatos est vna tantum dispositio subiectiua; quia est vnum tantum obiectum formale; siuè terminus formalis; ergo lumẽ gloriæ, ex eo quod est dispositio subiectiua ad recipiendam Diuinam essentiam, vt formam intelligibilem, est etiam dispositio su-

subiectiua ad recipiendam visionem intuitiuam Dei, non quidem vt ratio recipiendi recipiens, sed vt ratio recipiendi non recipiens, sicut sunt dispositiones, quibus disponitur materia prima ad recipiendum non solùm formam substantialem determinatam, sed etiam operationes, quæ dependent a subiecto.

Hæc ratio confirmari, & explicari potest ex Concilio Vienn. *sup. cit.* definiẽte, lumen gloriæ esse necessarium intellectui creato ad Deum videndum; sed videre non solùm est efficere visionem, sed etiã recipere; ergo lumen gloriæ est necessariũ in intellectu creato, non solùm vt dispositio passiua ad efficiendam, sed etiam ad recipiendam visionem in intellectu creato.

Obijcies primò, ex Fasolo *loc. cit. dub.* 4., si lumen gloriæ esset dispositio materialis, vel concurreret, vt dispositio materialis ad visionem intuitiuam Dei, non posset alio modo concurrere, nisi, vel primò recipiendo in seipso totaliter immediatè visionem, eo modo, v. g. quo quantitas est dispositio materiæ ad recipiendas qualitates materiales, quantitas enim immediatè recipit in se totaliter qualitates; materia verò prima recipit easdem mediatè; vel secundò recipiendo partialiter, & inadæquatè visionem, nimirùm, vt visio recipiatur immediatè in lumine, sed inadæquatè, & immediatè in intellectu adhuc inadæquatè, sicut in opinione aliquorum Thomistarum, existentia formę recipitur immediatè in forma, sed inadæquatè, & immediatè in materia adhuc inadęquatè; vel tertiò disponendo, tãtum intellectum, qui solus recipiat visionem, sicut concurrit, v. g. color cum materia ad recipiendam formam ignis.

Non primum, quia effectus formalis visionis est facere subiectum videns formaliter, cuius effectus non est essentialiter capax, nisi potentia vitalis visiua; qualis non est lumen gloriæ, & vt optimè arguit Scotus inquit Fasolus *in* 3. *dist.* 14. *qu.* 2. *§. pręterea* intellectus fieret videns Deũ, & beatificaretur, non minus per accidens, quam fit substantia per accidens colorata mediante quantitate recepta in substantia.

Non secundum, quia tunc etiam potentia non visiua, & non vitalis fieri deberet formaliter videns, & beata.

Non denique tertium; quia, supernaturalis visio non postulat supernaturalem dispositionem materialem; neque primò, vt simpliciter supernaturalis, quia inquit, vt arguit Durandus, & Argent. lumen supernaturale recipitur immediatè in intellectu sine alia præuia dispositione supernaturali; tùm primò, quia alioquin in ponendis supernaturalibus dispositionibus daretur processus in infinitum; tùm quia vniuersaliter est contra rationem dispositionis, disponere subiectum ad recipiendam formam propter aliquam entis rationem, quæ reperitur, non minus in dispositione, quam in forma: v. g. calor, non prętrequiritur ad aliam qualitatem recipiendam, quia præcisè, est qualitas; neque quantitas ad recipienda alia accidentia, quia precisè sunt accidentia.

Resp., lumen gloriæ cõcurrere in ratione dispositionis subiectiuæ ad recipiendam visionem intuitiuam Dei in intellectu, non primo, neque secundo modo; sed tertio modo, nimirùm, vt rationem recipiendi visionem non recipientem; & hoc non primariò, sed consequenter, modo quo supra explicauimus; quippè lumen gloriæ ne inadęquatè quidem, est subiectum visionis, ob eam rationem; quia visio est actus vitalis, qui non recipitur formaliter nisi in receptiuo vitali.

Cum verò opponunt Fas. & cũ eo Durand. & Argent., quod visio supernaturalis nullo pacto postulat in intellectu creato videntis Deum dispositionem supernaturalem materialem, neque simpliciter, quia est supernaturalis, &c.

Respondeo, quod ratio cur visio intuitiua Dei necessariò, & simpliciter postulat dispositionem supernaturalem in ratione subiecti in intellectu creato; est quia necessariò requiritur dispositio supernaturalis subiectiua ad Diuinam essentiam vt sui formam intelligibilem, vel ad formam intelligibilem intuitiuam Dei, si ea foret possibilis, non solum in quantum est primum principium formale essendi in genere primi entis intelligibilis, sed etiam inquantum est principium primum operandi in genere intelligibilis, vel in quantum est primum principium essendi intelligibilis; quia vt dixi supra, dispositio materialis materiæ, ex eo quod est dispositio materialis ad formã, quę est primum principium essendi, est etiam, dispositio materialis consequenter ad operationem propriam formæ; forma enim, & eius operatio sunt actus subordinati; eadem autem est potentia, & consequenter dispositio ad actus subordinatos; hæc autem ratio non reperitur, neque in Diuina essentia, vt est sua forma intelligibilis in intellectu crea-

creato, neque in ipsa visione Dei, quod dico, vt plenè satisfaciam rationi Duran. & Fasoli, qui asserunt, sequi processum in infinitum si dicatur, lumen gloriæ esse dispositionem materialem, tàm ad speciem intelligibilem intuitiuam Dei, quàm ad ipsam Dei visionem. Probant autem hunc processum in infinitum, hoc duplici medio.

Primū est, ratio cur intellectus creatus indigeat lumine gloriæ in ratione dispositionis subiecti, est ex eo, quia species intelligibilis intuitiua Dei, & ipsa Dei intuitio sunt actus supernaturales; sed hoc posito, necessariò concedēdus est processus in infinitum; à parte autem in ponendis huiusmodi supernaturalibus dispositionibus; etenim in lumine gloriæ quatenus est dispositio, est adhuc formaliter supernaturalis; ergo debet præsupponere in intellectu creato aliam dispositionem supernaturalem in ratione subiecti: secundum est, quia est vniuersaliter contra rationem dispositionis, disponere subiectū ad recipiendam formam propter aliquam rationem entis, quæ non minus non reperitur in ipsa dispositione, quā in forma.

His duabus rationibus adequatè, & plenè satisfit datę responsioni; nam ratio cur lumen gloriæ est dispositio materialis etiam ad visionem intuitiuam Dei, est quia est dispositio materialis ad Diuinam essentiam, vt est sua forma intelligibilis in intellectu creato, supernaturalis; hęc autem ratio nō reperitur in ipsa Diuina essentia, quatenus est sua forma intelligibilis; nam lumen gloriæ, vt dispositio materialis potentiæ intellectiuæ creatæ, non est forma intelligibilis intuitiua Dei, quæ est essentialiter supernaturalis; ratio verò cur requiratur ipsum lumen gloriæ in intellectu creato in ratione dispositionis materialis ad recipiendam Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem, est quia intellectus creatus per suum intrinsecum, non est proximè, & formaliter potentia receptiua Diuinę essentiæ in ratione formę intelligibilis iuxta primam rationem ostensiuam primæ conclusionis, vel ratio est; quia intellectus creatus est potentia obedientialis ad diuersas, & plures formas intelligibiles supernaturales, iuxta secundam rationem demonstratiuam eiusdem primæ conclusionis; at neutra harum, ratio reperitur in ipsa forma intuitiua Dei, neque in ipsa Dei essentia, neque in ipsa Dei visione; & sic vitatur omninò processus in infinitum à radice; quia ratio exigitiua luminis gloriæ in ratione dispositionis materialis, non reperitur, tàm in ipsa dispositione, quàm in ipsa Dei essentia, aut in ipsa Dei visione, vt aiunt Durandus, & Fasolus.

Caietanus *sup. ar. 1. qu. 12. de Vis. Dei*, quem complures Thomistæ sequuntur §. *ad primum horum*. Respondet, quod ratio cur visio beatifica requirat necessariò in intellectu creato beatorum, lumen gloriæ in ratione dispositionis materialis, non est quia visio beatifica, siuè intuitiua Dei in se, est supernaturalis, vt sic, sed est quia visio beata, est terminus vltimus formaliter beatificans, vel quia visio intuitiua Dei est forma nobilissima, vt vlterius supernaturalis vitalis; hoc autem dato, necessariò sequitur, vt in intellectu creato debeat præsupponi dispositio supernaturalis, quia inquit Palumbus *loc. sup. cit.* intellectus creatus de se cum sit subiectum supernaturale est improportionatus lumini gloriæ; ergo requiritur in intellectu creato ratio supernaturalis, proportionās illum in ratione subiecti.

Hanc responsionem impugnat Fasolus hoc medio, gratia iustificans, est etiam terminus spiritualis generationis, secundū substantiam supernaturalis, & tamen in paruulis recipitur absque dispositionibus supernaturalibus, & in adultis prerequirit quidem dispositiones, tamen non physicas ex natura rei, sed morales ex institutione Diuina. Maior autem inquit, ratio est, vt idem dicamus de hoc termino visionis; quia est terminus, tāquam actus secundus vitalis, qui ex suo genere non requirit habitum pro materiali dispositione, vt patet in reliquis omnibus actibus, & habitibus, tàm naturalibus, quam supernaturalibus: habitus enim inquit, non disponit potentiā ad recipiendū actum; immò actus est prius natus recipi, quam habitus; ac proindè in supernaturalibus in aliquo casu habemus actum potius prærequiri, tanquam dispositionem ad habitum, vt in iustificatione extrà Sacramentum: impius per actus præcedentes fidei, spei, & charitis disponitur ad similes habitus recipiendos; & in naturalibus semper actus primò efficitur, & recipitur sine vllo habitu: ergo habitus non est naturalis dispositio ad actum vitalem in genere suo; ergo lumen gloriæ non requiritur, vt dispositio materialis ad visionem Dei, quatenùs actum secundum vitalem, & vltimum. Sed

Hæc impugnatio doctrinę S. Thomę 1. 2. q. 92. ar. 2. *in corp.* facillimè reijcitur dicit

cit enim S. Thomas, quem profundè satis explicat Caietan. *eodem loco*, quod gratia dupliciter sumi potest; vno modo, vt est donum Dei habituale; alio modo, vt est auxilium Dei mouentis animam ad bonū; primo modo, inquit, gratia præequirit in anima præparationem, siuè dispositionem ex parte hominis; quia nulla forma, inquit potest esse, nisi in materia disposita, sed accipiendo gratiam secundo modo, secundùm quod significat auxilium actuale Dei mouētis voluntatē creatā ad bonum, sic inquit, nulla præparatio, aut dispositio requiritur ex parte hominis præueniens Diuinū auxilium actuale; sed potius quæcumque præparatio, aut dispositio in homine esse potest ex auxilio Dei mouentis animam ad bonum; & ratio à priori quātum nunc occurrit est; quoniam motus primi mouentis, est causa cæterorum, quæ sunt post in eodem genere, sed auxilium actuale Dei mouentis voluntatem creatam ad bonum est primus motuum.

Neque huic doctrinæ obstat illud Prouer. 16 hominis est preparare animū; homo enim est agens liberum; agens verò liberum mouet se determinando.

Non inquam obstat hoc, nam creatura libera se mouet, vt mota à Deo motu libero, quod est se mouere, & se preparare, vt premota à Deo mouente liberum arbitrium modo libero.

Circa hanc S. Thomę doctrinam duo dubia sunt discutienda.

Primum est circa illud, quod donum gratiæ iustificantis habuituale exigit dispositionem, siue preparationem voluntatis, quia vt inquit S. Thomas, nulla forma scilicet principalis, & vltima potest esse, nisi in materia prædisposita; & hoc dubium mouetur à Caietano *super prædicto ar. 2. citato S. Thomæ*, & ratio dubitandi est; quia inquit Caietanus, quod si gratia habitualis scilicet iustificans exigeret dispositionem, aut præparationem ex parte voluntatis humanæ, sequeretur, quod non posset conferri infanti, nimirum baptizzato, in quo non est vsus liberi arbitrij; nam preparatio siuè dispositio liberi arbitrij ad causam iustificantem, est actus liberi arbitrij, vt moti à Deo ad bonum, & quantum ad hoc, vt docet S. Thomas dicitur homo se præparare animum, & est principaliter à Deo mouente liberum arbitrium.

Secundum dubium est, quod omnia argumenta, quæ fiunt ad probandum, non esse necessarium lumen gloriæ in intellectu creato beatorum, vt dispositionem materialem ad suscipiendam in se Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem intuitiuam; sunt etiam contra hanc S. Thomæ doctricam, nimirum gratiam iustificantem habitualem, requirere in libero arbitrio creato dispositionem supernaturalem materialem, quæ scilicèt constituat liberum arbitrium potentiam formalem, & proximam receptiuam gratiæ iustificantis.

Ad primum dubiūm optimè respondet Caiet. *loco citat.* cum S. Thoma, quod sicut quælibet forma constitutiua subiecti scilicet indifferentis in aliqua specie requirit materiam dispositam ad illam; ita gratia iustificans habitualis supponit in libero arbitrio creato adhuc dispositionē, per quam liberum arbitrium, præparatur, & disponitur ad recipiendam gratiam iustificantem; & huius vniuersaliter ratio esse potest illa ipsa, qua ostendimus, non posse intellectum creatum recipere in se Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem sine lumine gloriæ in ratione dispositionis subiectiuæ (relinquo enim rationem quam Caiet. eiusdem dicti assignat cum sit alterius difficultatis de qua suo loco dicetur) discursus hic ex supradictis satis manifestus est; & ad rationem dubitandi Caietani.

Respondeo, quod in adultis habentibus vsum liberum voluntatis, numquam datur gratia habitualis, nisi eorum voluntas præfuerit disposita per actum propriū, quem dicit, vt præmota auxilio actuali Dei mouētis bonum; in paruulis verò aut infantibus nondum habentibus vsum liberum voluntatis, neque infunditur gratia, nisi eorum voluntas prius natura sit disposita per actum, siue per operationem Christi Dñi ad recipiendam in se gratiam iustificantem, ob eandem rationem, nimirum; quia voluntas creata non est receptiua formæ supernaturalis, nisi prædisposita à Deo dispositione subiectiua, vt ratione recipiendi, non recipiente, voluntas enim creata vniuersaliter, aut essentia substantiæ intellectualis creatæ cum sit subiectum naturale de se non est formaliter, & proximè potentia receptiua formę supernaturalis, vel vt alij dicunt, & in idem redit, essentia substantiæ intellectualis creatæ, siuè voluntas eius libera de se est subiectum inproportionatum gratię iustificantis, siue gratiæ habitualis; sed subiectum improportionatum non est receptiuum formaliter formæ supernatura-

ra-

ralis; ergo requiritur in essentia substantiæ intellectualis creatæ ratio supernaturalis proportionans illam in ratione potentiæ receptiuæ, quare autem prima supernaturalis dispositio recipiatur in essentia subiectiua substantiæ intellectualis creatæ, sine alio prærequisito supernaturali, ne detur processus in infinitum; latè quantum satis est diximus supra, quia scilicet dispositio supernaturalis in ratione subiecti est prima ratio formalis constituens potentiam, vel essentiam potentiæ animæ in ratione potentiæ formaliter, & proximè receptiuæ formæ constitutiuæ subiecti receptiui in specie; ad primam autem rationem formalem non est dabilis alia eiusdem generis, quia non possunt dari duo prima in vno, & eodem genere, cum hoc sit contra rationem primi in genere; vnde falsum est, quod dicit Fasolus, quod gratia iustificans, quę est terminus eiusdem spiritualis generationis in paruulis, recipitur absq; dispositione, & in adultis prærequirit dispositiones, non tamen physicas, & ex natura rei, sed morales ex institutione Diuina; nam requiritur necessariò dispositio proportionans intrinsecè essentiam animæ, vel potentiam volitiuã formę specificę supernaturalis, hęc autem est dispositio intrinseca, siuè ex natura rei, non moralis.

Neque dicas; Deus, vt moueat rem sibi subiectam motu, siue vsu virtuoso supernaturali, non requirit in mobili, nisi esse à Deo mobile, quam rationem passiuam habet vnaquęque res Diuino subiecta imperio; etenim hoc non importat vires ad aliquid agendum, in quo intrinsecè deficit ens purè naturale; sed importat defectum, & passiuam potentiam, vt perficiatur illud, quod sic à Deo mouetur; sed ratio perfectibilis est differentia essentialis, sicut ratio perfectibilis in materia prima est differentia essentialis constitutiua, & distinctiua materiæ à forma substantiali; dispositio verò in ratione subiecti est extra quidditatem, & essentiam perfectibilis.

Respondeo enim quod in subiecto disponibili dispositione materiali, duo sũt, ratio nimirum perfectibilis siuè formabilis in specie, & ratio formalis, & proxima recipiendi, proportionans in specie potentiam perfectibilem suo perfectiuo; forma enim nõ perficit, nisi proprium receptiuũ v.g. forma ignis materiam ignibilem, forma aquæ, materiam aquabilem, &c. dispositio autem huiusmodi non est ratio receptiua siue perfectibilis; sed solum est ratio, vt perfectibile proximè, & formaliter recipiat ab agente formam eius perfectiuam; doctrina hæc exemplificatur, & fit clara exemplo materiæ primæ, quæ solum disponitur suis dispositionibus, vt proximè, & formaliter perficiatur à forma substantiali in specie. Multa circa hoc dici possunt, sed ea relinquimus explicanda suo proprio loco.

Obijcies secundò, si lumen gloriæ esset necessarium intellectui creato, vt dispositio materialis subiectiua ad recipiendam Diuinã essentiã, vt formã obiectiuam, illud esset cõnaturale intellectui creato, tãquã subiecto; sed hoc est impossibile, ergo impossibile est, lumẽ glorię esse necessariũ intellectui creato, vt dispositionem subiectiuam; minor est certa, quia connaturalia sunt in eodem ordine, cuius ratio est; quia conuenientia in ordine, est secundum vnã differentiam primam entis, sicut diuersitas ordinis est secundum primas differentias entis, vt sunt naturale, supernaturale, corporeum, incorpereum, &c. sed implicat lumen gloriæ, & intellectum creatum habere hanc conuenientiam in naturalitate; secundum eorum esse intrinsecum, vt supra sepius probauimus; intellectus enim creatus, secundum suum esse intrinsecum est ad intelligibile, siuè ad ens cognoscibile lumine naturali; sequela vero maioris probatur ex duplici capite; Primum est; si lumen glorię esset dispositio subiectiua, esset accidens; nimirum, forma accidentalis inhærens intellectui creato, illum informans; sed ex hoc capite est intellectui cõnaturale; ex hoc enim capite vniuocatur cum intellectu creato in ratione essentiali accidentis. Secundum caput est; quia forma recepta, siuè receptibilis in subiecto, debet esse illi proportionata in ratione informabilis, & informatiui; hæc autem proportio est ex connaturalitate. Et confirmatur, etenim forma quælibet informãs debet esse alicui connaturalis; sed nulli potest esse cõnaturalis, nisi subiecto in quo est receptibilis; Probatur; quia non potest esse connaturalis subiecto increato: quia subiectum increatum non potest informari, cum sit formaliter actus purus; ergo est connaturalis subiecto creato: hoc autem non potest esse nisi intellectus creatus, cui, scilicet, vt finito proportionatur; quia forma receptibilis etiam est ens finitum.

Respondeo, nego sequelam maioris; & ratio negationis est, tùm quæ assignatur in ipsa obiectione; tùm quia substantia in-

intellectualis creata esset causa principalis visiua Dei in se; etenim esset visiua Dei in se per sua naturalia, quod implicat, vt suprà ostendimus.

Ad primam probationem sequelæ. Respondeo dupliciter.

Primò asserendo, lumen gloriæ esse inadæquatè naturale, & inadæquatè supernaturale; naturale enim, & supernaturale, vt rationes inadæquatę, non sunt cōtradictorię, quia non sunt secundùm idem; sicut sine dubio essent lumen, si poneretur adæquatè naturale, & supernaturale.

Secundò, asserendo, accidens, in quo conuenit accidens supernaturale, & accidens naturale, non esse naturale, neque supernaturale; sed abstrahere ab vtroque præcisiuè, & esse vtrumque permissiuè, quod de facto datur; quia accidens vt sic creatum ob prædictam abstractionem, diuisibile est in accidens naturale, & in accidens supernaturale; neque contrarium probat, quod dicitur, nimirùm, lumen gloriæ vniuocari cum accidenti naturali in ratione accidentis; quandoquidem hæc vniuocatio, est in ratione abstrahente à naturali, & supernaturali; cum lumen gloriæ, & intellectus creatus vniuocentur in genere accidentis, non in ordine; sunt enim diuersi ordinis.

Ad secundam probationem sequelæ. Respondeo, quod duplex est proportio formæ ad subiectum, quędam est in genere informatiui, quędam est in genere principij, à quo ipsa connaturaliter fluit; proportio in genere informabilis, & informatiui, duplex est, alia essentialis, & alia connaturalis; proportio essentialis dicit rationem perfectibilis, & perfectiui, præscindendo à connaturalitate, & personalitate; proportio verò connaturalis, est proportio secundum suam differentiam primam entis, quæ est naturalitas; proportio verò supernaturalis est penès differentiam supernaturalem; lumen gloriæ est improportionatū intellectui creato proportione connaturali, quia intellectus secundum esse suum intrinsecum, & lumen gloriæ, sunt diuersi ordinis. Cum dicitur in obiectione, lumen gloriæ est proportionatum intellectui creato in ratione informatiui, & informabilis; proportio autem dicit connaturalitatem.

Respondeo, distinguo maiorem, est proportionatum in ratione potentiæ, & actus, & concedo; proportione pęnès eundem ordinem, & nego. Proporio, quæ inducit connaturalitatem est proportio in eodem ordine inferiori, non autem proportio essentialis in ratione potentiæ, & actus.

Ne autem in re difficillima ludere verbis videamur, explicandi sunt termini. Duplex est ordo rerum, vnus alio superior; ordo enim est penès differentias primas entis, quarum vna est superior alia, vt sunt naturale, & supernaturale, corporeū, & incorporeum, &c. Ordo supernaturalis duplex est, alius est cognoscētium, & alius est nō cognoscentiū. Ordo supernaturalis rerum cognoscentium, est ordo rerum, quę ordinantur ad Deum, vt in se est; ordo supernaturalis non cognoscentium, est rerū, quæ excędunt vires naturæ, sed non ordinātur ad Deum, vt in se est; per hoc enim adæquatè distinguntur inter se entia naturalia, vt suprà partim docuimus, & alio in loco fusè tractabitur, & ob hanc causā, vt suprà obiter innuimus, substantia supernaturalis, est visiua Dei in se, vt causa principalis; lumen verò gloriæ dicitur lumen supernaturale, quia est virtus, qua intellectus creatus fit potens videre Deū in se, & huiusmodi sunt entia supernaturalia intrà entia cognoscentia, præter quę dantur entia supernaturalia, vt causæ instrumentales, quæ non eleuant potentiam cognoscentem ad videndum Deum in se, sed solùm ad effectum excedentem vires naturales creaturæ, sed non ad Deum, vt in se est; huiusmodi est virtus, qua creatura eleuatur à Deo, v.g. ad restituendū oculum cęco; & alia huiusmodi.

Circa hoc vna insurgit difficultas; quoniam accidens dupliciter potest dici, & esse naturale vno modo in genere informatiui, & informabilis; alio modo in genere principij, à quo cōnaturaliter fluit.

Explicatum est, quomodo lumen gloriæ nō sit connaturale intellectui creato secundum suum esse intrinsecum in ratione informatiui, & informabilis; remanet explicandum modo, quomodò sit connaturale Diuinæ essentiæ, quatenùs obiecto cognitionis intuitiuæ creatæ in genere principij, à quo fluit. Et.

Ratio dubitandi est; nàm lumen gloriæ, vel fluit à Deo, quatenùs obiecto suæ cognitionis intuitiuæ creatæ, vel fluit à Deo, vt prima causa agente vniuersali; & quidem materia disputabilis est.

Possunt enim Aliqui dicere, lumen gloriæ fluere à Diuina essentia, quatenus obiecto suæ cognitionis intuitiuæ creatæ;

& fundamentum esse potest, quia causa actiua virtutis perfectę, non solùm se communicat formaliter, sed etiam disponit receptiuum cui communicatur, vt v. g. Sol non solùm se communicat in genere causę efficientis, sed etiam disponit perfectè subiectum, in quo recipitur eius forma ad differentiam agentis, quę non est perfectæ virtutis, vt est color, qui cum sit imperfectæ virtutis non mouet diaphanum, nisi vt illuminatum: sed Deus, vt prima causa obiectiua suæ cognitionis intuitiuæ est perfectissimæ virtutis, ergo non solum perficit formaliter in genere intelligibilis intellectum creatum, sed etiam illum disponit lumine gloriæ ab ipso fluxo in intellectum creatum: ratio hæc sumitur à S. Thoma *in lib. 2. de Anim. lect. 14. circa finem*.

Hęc opinio si vera esset, afferret aliquam probabilitatem opinioni asserentiū, lumen gloriæ subire in intellectu creato beatorum rationem formę intelligibilis intuitiuę Dei: quoniam esset aliqua participatio obiecti intelligibilis; quę doctrina reijci potest, & impugnari responsione allata, quod lumē glorię est determinatio in ratione potentię, non autem in ratione obiecti.

Sed vera opinio, est quam suprà docuimus cum S. Thoma contra Vasq. Amicū, & alios, lumen gloriæ, non produci à Deo in intellectu creato, vt obiecto motiuo, & formali suę visionis intuitiuę creatę, sed à Deo, quatenus est primum lumē intellectuale, seù quatenùs est primus intellectus, & potest hoc exemplificari de obiecto per se luminoso, vt Sol, vel aliud corpus per se lucens, vel ignis, &c. quę quidem corpora, quatenùs colorata sunt per se lucentia, vel ignis, &c. quę quidē corpora, quatenus colorata sunt per se motiua diaphani in actu, supponendo, nimirum, diaphanum in actu, quod moueatur à colore, eadem verò corpora in priori naturę disponunt diaphanum, quatenùs luminosa sunt; pariter discurrendum est de Deo, vt obiecto suę cognitionis intuitiuę creatę; Deus enim est per se suus intellectus, & suum lumen intellectuale: omnis enim forma inquantum huiusmodi, est principium agendi, sibi simile; ac proindè color cum sit quædam forma, ex se habet, quod causet sui similitudinem in medio.

Quod si dicas, à colore inquātū color est pcisè, nō potest fluere dispositionē, quę est lumen potētię visiuę, per ꝙ fiat potētia receptiua formaliter, & ꝓximè similitudinis formalis coloris, quoniam color est forma imperfectæ virtutis, nam forma quæ est perfectæ virtutis in agendo, non solum potest inducere suam similitudinem in suo susceptibili, sed potest etiam disponere patiens, vt sit proprium eius susceptiuū; quod quidem non potest facere cum fuerit imperfectæ virtutis; at Deus, vt obiectum suæ cognitionis intuitiuæ creatę est perfectissimæ virtutis; quoniam Deus est obiectum suæ cognitionis intuitiuæ creatæ, vt primum intelligibile; nam Deus est primum mouens in omni genere; tàm in genere mouentis intelligibilis, quam in genere agentis naturalis.

Respondeo, quod color est forma imperfectæ virtutis, non quidem in genere obiecti motiui potentiæ visiuæ corporalis; sed quatenus natura sua non est lumen, quo disponitur medium, siuè diaphanum, vt fiat proprium susceptiuum coloris; oportet enim quod color moueat diaphanum in actu, puta aerem, vel aliquid huiusmodi, & ab hoc mouetur sensitiuum, idest organum visus, sicut à corpore sibi continuato; nam corpora non se immutant, nisi se tangunt; & hoc probatur, & explicatur simul exemplo solis, vel ignis quorum quilibet dicitur perfectæ virtutis in agendo, non quia color eorum sit secundum se non solum productiuus suæ similitndinis in visu, sed etiam dispositiuus petientis, vt sit proprium susceptiuū similitudinis coloris in esse intentionali, sed quia color solis, vel ignis est per se lucidus; pariter Diuina essentia cum sit non solum primum intelligibile, sed etiam primum lumen intellectuale, habet non solum constituere intellectum creatum beatorum in ratione obiecti intelligibilis, sed etiam illum prædisponere, quod ei competit quatenus est primum lumen intellectuale; quia est perfectæ virtutis.

Neque huic doctrinæ obstat si dicas cum S Thoma *loco supra cit. lib. 2 de Anima lect.* 14. quod virtus coloris in agendo est imperfecta respectu virtutis luminis, quoniam color nihil aliud est, quam lux quędam quodammodò obscurata ex admistione corporis opaci, sed hæc ratio S. Thomæ ostendit colorem esse imperfectę virtutis in genere obiecti visus, nam hic discursus ostendit, quod causa cur calor sit imperfectæ virtutis est; quia color non est omnis lux, sed lux quędam quodammodò obscurata ex admistione corporis opaci.

Non inquam obstat hoc; nam vt supra docuimus color alius est metereologi-

gi-

gicus, & alius est quædam species qualitatis naturalis. S. Thomas *cit. loco* loquitur de colore, quatenus est illuminabilis à colore methereologico, quatenus, scilicet est per se illuminabilis à colore methereologico, sub qua ratione color, vt potentia, est in genere coloris methereologici, nec enim implicat, vt idem sit in diuersis generibus; sicut v.g. figura est in genere, & quantitatis, & qualitatis, quatenus dicit determinationem, quantitatis dimensiuæ, est species quantitatis, quatenus verò conuenit, vel non conuenit naturæ rei, dicitur species qualitatis. Obiectum formale visus est color, vt color in genere, qui communis est colori elementari, & colori methereologico; ac proidè visus est perfectior cæteris sensibus exterioribus, quia habet obiectum formale perfectius, & vniuersalius obiectis formalibus aliorum sensuum exteriorum; cum obiectum visus sit etiam commune corporibus cęlestibus.

Et hinc est quod Aristotel. *eodem 2. lib. de Anima*, quem profundè satis explicat S Thomas *lect. 15.* dixerit, quod non omnia sunt visibilia in lumine, sed solum proprius calor vniuscuiusque corporis in lumine visibilis est: quędam enim non videntur in lumine, sed in tenebris; sicut animalia, quæ in tenebris videntur ignita, & lucentia, sicut putredines queræuum, & capita quorundam piscium, & squamę, & oculi quorundam animalium; in lumine autem videntur, vt colorata, nimirum videntur in tenebris, & in lumine; in tenebris quidem, vt lucentia; in lumine autem vt colorara, càusa huius vniuersalitatis cur videntur scilicet, in tenebris, vt lucentia, & non vt colorata, nimirum videtur prędictarũ rerũ lux in tenebris, sed nullius illorum proprius color in tenebris videtur est; quoniam prædicta modicum, & parũ habent de luce, quæ non illuminat sufficienter colorem eorum physicum, & naturalem; color enim physicus, vel elementaris, non videtur, nisi vt illuminatus; quia vt supra diximus, hoc est de ratione coloris, quod sit motiuus diaphani in actu, quod quidem fit per lumen, quod est actus diaphani, & ideo sine lumine sufficienti color naturalis. & elementaris videri non potest; è contrario verò prædicta corpora lucentia in lumine, non videntur, vt lucentia, sed vt colorata propter eandem modicitatem, & paruitatem lucis, quam habent; nam parua lux ad pręsensentiam maioris luminis occultatur, vt apparet de lumine candelæ in lumine solis quod si aliquando aliqua colorata videntur in tenebris, hoc contingit; quia eorum lux illuminat quantum satis est medium, siuè diaphanum, & hæc diuersitas satis est ad ost ostẽndendam diuersitatem inter colorem, vel elementarem, & inter colorem methereologicũ, qui fit ex mixtione lucis cum corpore opaco.

Obijcies tertiò, cognitio intuitiua, qua beati intuentur Deum, est cognitio intuitiua immediata; est enim cognitio, qua beati intuentur Deum in se, non in alio obiecto viso: sed hæc nõn requirit lumen gloriæ, vt dispositionem in ratione subiecti, n eque in ratione principij coeffectiui; quia cognitio intuitiua immediata, est sine medio aliquo, ꝙ scilicèt intermediet inter videntem, & visum; sed lumen gloriæ, si esset necessarium, mediaret inter videntem, & visum; ergo visio intuitiua Dei in se non esset cognitio intuitiua immediata; quia ad hanc visionem interponeretur lumen gloriæ, quod impediret visionem intuitiuam Dei esse immediatam.

Respondeo cum distinctione; visio enim Dei in se, est cognitio immediata ex parte obiecti, non autem ex parte potẽtiæ; dicitur visio immediata ex parte obiecti; quia per eam videtur obiectum in se, & nõ in alio obiecto prius cognito, & in hoc sensu visio Dei est immediata, dicitur verò visio immediata ex parte potentię; quãdo intellectus, v.g. creatus nõ requireret lumẽ, quo confortetur, & de insufficienti, & incompleto consideratis suis solis viribus, fiat per superadditum lumen, sufficiens, & completus, & in hoc sensu visio intuitiua Dei non est immediata, sed mediata, quia fit medio lumine gloriæ eleuante intellectum creatum supra suas vires naturales, sed infrà suam substantiam, & hoc mediũ ex parte potentiæ, non tollit quin visio intuitiua Dei sit immediatè ex parte obiecti; quoniam mediatum ex parte potentię, & immediatum ex parte obiecti, non sunt contradictoria; & ratio est clara; quia medium ex parte obiecti est medium, in quo viso videtur aliud obiectum; at lumen gloriæ non ponitur, vt medium, in quo viso videtur Deus, sed ponitur, vt perfectio intellectus confortans ipsum ad videndum Deum in se.

Obijcies quartò; tota hucusque explicata dactrina solum ostendit, lumen gloriæ modo ordinario esse necessarium, tum in ratione dispositionis actiuę, tùm in ratione dispositionis passiuæ; sed difficultas

in hoc Articulo, non est de indigentia, & necessitate luminis glorię, ad hoc vt Diuina essentia modo ordinario vniatur intellectui creato; sed est de potentia, & lege absoluta: multa enim fieri implicant de lege ordinaria, & modo connaturali, quę nō implicant absolutè, & simpliciter, sicut diximus in prima quæstione de scientia supernaturali formaliter, quæ est per se infusa de lege ordinaria; sed absolute, & simpliciter illa non implicat acquiri nostris actibus supernaturalibus; nàm dicta scientia est per se infusa perseitate physica, non autem perseitate metaphysica; incumbit autem nobis probare, & Thomistis, lumen gloriæ esse necessarium absolutè, & simpliciter, tum in ratione dispositionis subiecti, tùm in ratione dispositionis principij actiui.

Quod si dicatur, hoc esse probatum sufficienter per hoc, quod Diuina essentia, est forma sua intelligibilis, perficiens intrinsecè intellectum creatum in genere intelligibilis; forma autem perfectiua potētiæ, non est receptibilis, nisi in propria potentia; ad hoc autem necessariò requiritur dispositio supernaturalis actiua, & passiua.

Contra statim arguere possunt Authores contrariæ sententiæ; hoc solum ostendere, Diuinam essentiam de lege ordinaria, & modo connaturali esse perfectionem intrinsecam intelligibilem intellectus creati; solum enim hoc ostendit, Deum posse esse formam intelligibilem intellectus creati intrinsecè, non autem ostendit esse necessarium simpliciter Diuinam essentiam vniri intellectui creato prædicta vnione intrinseca intelligibili; nam dici potest; & absque vllo errore, Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem absolutè, & simpliciter vniri intellectui creato in ratione tantum causæ efficientis determinatæ, scilicèt obiectiuæ; hæc autem vnio non requirit lumen gloriæ, saltem vt dispositionem obiectiuam ad recipiendam Diuinam essentiam in intellectu creato videntis Deum; quia vnio in ratione causæ efficientis non est vnio intrinseca, sed extrinseca; dispositio autem in ratione subiecti requiritur ad vnionem intrinsecam in ratione formæ, & potentiæ.

Neque necessarium est, dicere possunt Aduersarij, simpliciter Diuinam essentiā esse formam intrinsecam intelligibilem in intellectu creato videntis Deum; quoniam principium adæquatum ad producendam visionem intuitiuam Dei supernaturalem, est coniunctum cum intellectu creato, & Diuina essentia vt obiecto intelligibili.

Respondeo, nego assumptum, & huius iam assignauimus optimam rationem à priori; quandoquidem non potest intellectus creatus intelligere Deum in se, nisi fiat intrinsecè ipse Deus in esse intelligibili, non quidem de lege ordinaria, sed simpliciter, & absolutè; quippè intellectus creatus ex suis intrinsecis absolutè, & simpliciter indiget obiecto intrà, vt illud percipiendo cognoscat; fit enim magis vnum, vt docet Aristoteles ex intellectu, & intelligibili, quam ex materia, & forma; quia vt suprà ostendimus, materia non fit forma; sed intellectus, vt intelligat, debet fieri ipsum intelligibile actu, & formaliter; posito autem hoc, scilicèt, quod Diuina essentia debet esse imbibita, vt forma sua intelligibilis in intellectu eleuato lumen gloriæ absolutè, & simpliciter in ratione dispositionis materialis. Et

Hęc est vna ex rationibus, ostendentibus implicare intellectum creatum posse videre Deum sine lumine gloriæ in se recepto.

Addi potest alia ratio hoc ipsum demonstrans; intellectus creatus beatorum, est qui intelligit formaliter, seù videt Deū, sicuti est in seipso: hæc enim est vita ęterna, vt dicitur Ioan. 17. non autem est totum coniunctum; sed hoc implicat fieri, nisi Diuina essentia fiat forma intrinseca intelligibilis intellectus creati videntis Deum; ergo implicat beatum videre Deū in se, nisi in priori naturæ recipiat in se intrinsecè Diuinam essentiam, vt sui formam intelligibilem absolutè, & simpliciter; sed ad hanc vnionem intrinsecam requiritur lumē glorię, necessariò vt dispositio passiua ad recipiendā Diuinam essentiam, vt formam intelligibilem, & etiam visionem intuitiuam Dei. Cæterum Deus vt causa præcisè efficiens obiectiua visionis intuitiuæ Dei dicit solum influxum in ipsam visionem producendam in intellectu creato, non autem dicit Deum esse formam intelligibilem intrinsecam eiusdē intellectus creati.

Quomodò autem lumen glorię, aut Diuina essentia concurrat ad visionem intuitiuam Dei, nimirùm concurrat nè, vt causa totalis, aut vt causa partialis; communior doctrina est dicentium; tàm lumen gloriæ, quàm Diuinam essentiam esse causam totalem in suo genere.

So-

Solum duo aduertenda sunt. Primum est, quod dispositio materialis est ratio formalis recipiendi non recipiens, vndè non mirum si seipsa recipiatur in intellectu creato, vt moto à Deo, & do manifestam instantiam ad hominem. Vnio cum sit ratio formalis vniendi ex seipsa vnitur, & est intrà vnibilia non per aliquid superadditum, sic etiam dependentia est ratio formalis dependendi; vndè nō mirum si seipsa dependet, & ratio est; quia ratio essendi prima in aliquo genere habet à se, quæ tali generi competunt; hæc autem ratio dispositionis non est in forma substantiali, vel intelligibili, ac proindè dispositio nō est ad formam propter rationem, quæ est communis formę receptibili, & ipsi dispositioni.

Secundum est, quod calor, qui dicitur naturalis, non est naturalis, vt distinguitur naturale à supernaturali; sed quia fluit ab intrinsecis rerum elementarium.

---

# ARTICVLVS DECIMVSTERTIVS.

## De specie expressa, siuè de Verbo mentis.

MVlta puncta, seù q̄sita controuertunt Scolastici circa speciem expressam, siuè verbum mentis, quod est terminus intrinsecus cognitionis, sicut calor, vt est terminus intrinsecus calefactionis productiuæ, & dicitur verbum mentis, quia est terminus expressus loquutionis interioris, qua intellectus vel sibi, vel alij loquitur, ad differentiam verbi vocalis, quod est terminus vocalis loquutionis; qua de causa dicitur verbum oris corporalis.

Primum est, an præter speciem impressam intelligibilem necessarium sit etiam dari speciem expressam; illa etenim est id quod intra, vt principium formale intelligendi intra genus obiecti intelligibilis; hæc autem est species intellecta intrinsecè intra intellectum existens; & propterea fortè à S. Thoma *4. C. G. cap. 11.* verbum appellatur, non species intelligibilis, siuè intentio intelligibilis; sed intentio intellecta.

Secundum est, an omnis cognitio intellectiua sit productiua, siue productio verbi mentalis, siuè speciei expresśè, quæ dicitur species intrinsecè intellecta, quod solet etiam alijs terminis proponi examini, nimirum an cognitio intellectiua inquantum cognitio, sit productiua verbi mentalis, quod sit terminus intrinsecus ipsa cognitione productus; quippè hoc quęsitum, quo queritur an cognitio sit productiua verbi mentalis, siuè speciei expresśæ duplicem potest habere sensum; primus est, an cognitio ex eo quod cognitio formaliter sit productiua verbi mentalis, secundus est, an cognitio intellectiua sit productiua verbi mentalis ex eo quod est contracta per differentiam per se sinè essentialem ad aliquam speciem determinatam cognitionis, quemadmodum cum quæritur, an calor sit productiuus carnis v. g. quæsitum hoc duplicem potest habere sensum; primus est, an calor ex eo, quod calor formaliter, & præcisè sit productiuus carnis, secundus sensus est, an calor, quatenus est contractus ad speciem caloris naturalis, siuè caloris viuentis sit productiuus carnis.

Tertium quæsitum, siuè punctum est, an verbum mentale; quod ponitur terminus intrinsecus cognitione productus, sit obiectum in quo cognito videtur eius obiectum extra; quoniam dupliciter intelligi potest verbum mentis esse speciē expressam obiecti extra quod intelligitur ab intellectu intra se; vno modo, vt medium in quo cognito formaliter cognoscitur eius obiectum extra existens, alio modo esse medium formale, quo præcisè intellectus cognoscit obiectum extra; primo modo verbum mentis dicitur species expressa obiectiua in qua; secundo modo dicitur communiter species expressa in actu secundo, qua in actu secundo intellectus intelligit obiectū illius extrà existens. Hæc tria quæsita sequentibus conclusionibus resoluentur cum alijs ad eorum plenam conditionem necessarijs.

Prima conclusio; non est necessarium cognitionem intellectiuam esse productiuam verbi mentalis, siue vitalis; sensus conclusionis est, cognitionem intellectiuā vt sic, siuè quatenùs cognitio intellectiua formaliter, & præcisè, non esse productiuam verbi mentalis, siue speciei expresśę vitalis, ad eum modum v. g. quo calor, vt calor, non est productiuus, siuè factiuus carnis, & ens reale formaliter vt sic, neque est productiuus alterius entis sibi similis; secus omnis calor etiam calor ignis esset car-

carnis factiuus, et omne ens, etiam materia prima esset factiua entis sibi similis. Conclusio valdè controuersa est.

Primò; sunt enim circa eam quatuor opiniones diuersę, cũ plures doctissimi Scolastici tuentur, omnem cognitionem intellectiuam, positis requisitis esse productiuam verbi mentalis; vna autem conditio requisita necessariò ad productionem, est distintio realis producentis a termino producto, quæ conditio, cum non sit in cognitione Diuina absoluta à relatione originis, ea vt sic non ponitur productiua ad intrà; & hanc sententiam dicunt esse expressam, & manifestam doctrinam S. Thomæ, præsertim *p. p. qu. 27. art. 1. circa finem corporis Articuli*, vbi docet S. Thomas, quod quicumque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectę ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens; quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis significatum verbo vocis; in qua propositione, illa particula vniuersalis quiquunque, & illa causalis reduplicatiua, & ex hoc ipso, quod intelligit, apertè demonstrat S. Thomam loqui de omni intellectione, quæ cui non repugnat vt sit distincta à suo termino, & obiecto immediato, tam creata, quam increata; secus S. Thomas inefficacitèr probasset per intellectionem Patris in Diuinis produci Verbum Diuinum personale, ex causali non vniuersali: posset enim aduersarius dicere, hoc oriri in perfectione intellectionis vel eius obiecti; ac proinde hoc non conuenire intellectioni Diuinæ, vt aduertit Siluester *p. p. Conflati qu. 27. art. 1. § 4. dub. 2.* sunt, & aliç authoritates S. Thomę & rationes, quibus hoc ipsum demonstrari videtur; præcipua autem ratio eorum est, quia daretur operatio sine suo termino formali quod implicat: sed hæc infra proponentur examini.

Secundò aliqui asserunt, verbum mentis produci solum cognitione intuitiua, & eorum fundamentum est; quia inquiunt, in cognitione intuitiua adest obiectum, quod terminat formaliter cognitionem in actu, non verò in abstractiua; quia in cognitione intuitiua, terminus formalis est actu existens; & præsens; in cognitione verò abstractiua obiectum non est actu existens, nec præsens; cum enim cognosco e.g. hominem non cognoscendo hominem actu existere in rerum natura, huiusmodi cognitio, non habet terminum actu existentem præsentem.

Sunt tertio alij, qui admittunt verbum mentis etiam in aliqua cognitione intuitiua, præterquam in cognitione intuitiua, qua beati intuentur Deum facie ad faciem; & eorum fundamentum est; quia quęlibet similitudo creata, vel creabilis, non potest ex sua finitate, & determinatione repręsentare intellectui formaliter obiectum infinitę perfectionis, vt est Deus in se, siuè Deus, vt intuibilis.

Sunt deniquè quartò alij, qui asserũt cognitionem distinctam à suo termino formali realiter ex suo genere præscindere à cognitione productiua, & non productiua verbi mentalis, & hanc opinionẽ nos sequimur in hac conclusione, quę est S. Thomæ, & Aristotelis; quia nimirùm deducitur ex principijs primis, quæ sine dubio sunt, & Aristotelis, & S. Thomæ.

Ratio fundamentalis primæ conclusionis est; cognitio productiua verbi, non supponit intra intellectum suum terminum immediatum, & formalem in actu; cognitio enim productiua verbi est termini formalis, vt producibilis intra intellectum; terminus autem, vt producibilis non supponitur, neque in priori naturæ actioni, qua est producibilis in actu; vniuersaliter enim terminus, qui producitur, consequitur sui productionem, at cognitio etiam distincta a suo termino reali formaliter abstrahit à cognitione præsupponente, & à cognitione non præsupponente suum obiectum formale in actu intra intellectum; ergo cognitio etiam vt distincta à suo obiecto formali, & primario ex suo genere non est productiua verbi, non quidem abstractiuè, sed positiuè, siuè negatiuè, quoniam si esset non productiua positiuè, siuè contrariè, cognitio quatenus cognitio, etiam *distincta* à suo termino formali, & primario in actu, nulla cognitio esset productiua verbi vitalis, siue mentalis, sicut ex eo quod homo est positiuè rationalis, nullus homo potest esse irrationalis; minor pricipalis argumẽti probatur; quia datur cognitio intuitiua creata, qua beati in patria intuentur Deũ in se, & hæc præsupponit intra intellectũ suum obiectum formale terminatiuum; Deus autem est obiectum terminatiuum formaliter, & intrinsecè in esse intellecto; Deus enim est formaliter suum esse intelligibile, & intellectum intrinsecè. Et datur etiam cognitio intuitiua, qua vnus Angelus intelligit seipsum, vel alium extrà se existentem; & hæc cognitio, non sup-

supponit suum obiectum formale terminatiuum in esse intellecto intrinsecè, quia neque Angelus, vt intelligibilis est a seipso, neque, vt intelligibilis ab alio Angelo, est essentialiter suum esse intelligibile, & esse intellectum, cum Angelus sit essentialiter potentialis; sed cognitio intellectualis vt sic, siuè cognitio intellectualis intuitiua vt sic prescindit ab vtroque cognitione intuitiua formaliter; est enim diuisibilis formaliter in vtramque cognitionem, sicut animal diuisibile est in hominem, & brutum.

Secunda ratio est; cognitio, siuè intellectio ex suo formali, vt distincta à suo termino formali, & immediato, non est aliud, nisi manifestatio vitalis obiecti, quod cognoscitur, potentiæ cognoscenti; sed ex hoc prædicato cognitio distincta à suo obiecto formali, & immediato, & terminatiuo, non habet vt sit productiua; ergo, &c Minor probatur, nam vt obiectum vitaliter manifestetur potentiæ cognitiuę, nihil aliud requiritur, quam manifestatio vitalis, & id quod manifestatur: sed quandoque id quod manifestatur præexistit intrà potentiam cognoscentem in ratione termini, & obiecti formalis terminatiui; quandoque verò non præexistit; hoc autē posito, cognitio, ex eo quod est vitalis manifestatio ex ratione formali vt sic præcisiua, siuè negatiua, non est productiua; sed aliquando est productiua, aliquando verò non est productiua: quando obiectum, quod manifestatur, non præexistit intra potentiā cognitiuā, vt obiectū immediatū, & formale terminatiuum, q est, esse intellectū intrinsecè est productiua; non productiua verò quando eius obiectum formale, & immediatum terminatiuum non præexistit intrà potentiam cognoscentem. Hanc rationem paucis, sed profundè satis explicat Marcus Antonius Palumb. *in suo exam. Scholast. in p. p. S. Thomæ q. 12. dicto 2. de Visione beata ad articul. 6. & 7.* estque fundamentum Thomisticum, & Aristotelicum.

Explicatur, & probatur simul vtraque ratio, si qua esset causa cur omnis cognitio intellectiua distincta realiter à suo obiecto formali terminatiuo, esset ex suo genere productiua verbi mentalis, ea esset, vel quia intellectio est formaliter actio, vel quia intelligere est exprimere vitaliter intra potentiam cognoscentem in esse intentionali obiectum extra; sed neutra ratio conuincit.

Nō prima, quia actio ex suo genere pręscindit ab actione productiua; vt est ignitio v.g. & ab actione adductiua, quæ non est productiua, vt est motio localis; qua vnum corpus de vno loco mouetur ad alium locum distantem, situ quantitatiuo, distinctio hæc Aristotelica est, distinguit enim Aristoteles motum localem à motu alterationis, quod quidem motus alterationis est operatio factiua qualitatis; motus verò localis non est factiuus loci, neque actualis, neque possibilis, quæ est pars quantitatis, siuè spatij, vel actualis, vel possibilis, & vt loquitur Scotus, motus localis non est actio productiua, sed adductiua; pariter cognitio ex suo genere est quidem actio; est enim actus secundus potentiæ cognitiuæ vitalis, sed præscindens ab actione productiua, & a cognitione non productiua; sed solum dicit potentiam cognitiuam operari vitaliter circa aliquod obiectum: ad saluandum autem hunc conceptum adęquatum non aliud requiritur, nisi quod cognitio, (quando eius obiectum formale terminatiuum præexistit in ratione termini formalis) sit pura actio vitalis circa obiectum.

Aliqui putant hoc argumentum facilè solui asserendo, motum localem non esse productiuum loci extrinseci, quia hic præexistit; sed esse productiuum vbi intrinseci, per quod vbicatur in determinata parte spatij, siuè actualis, siuè possibilis.

Sed hęc responsio nulla est, vt suo loco fusè probabitur, & ratio est; quia locus extrinsecus, est terminus formalis, & immediatus motus localis; productio autem non est, nisi termini formalis, à quo scilicèt specificatur in alio genere causæ; vndè vbi intrinsecum, non solum est superfluum; sed est impossibile; vnius enim actionis, non est, nisi vnus terminus formalis.

Neque concludit alia ratio, nimirū, quia cognoscere, siuè intelligere, non est aliud, nisi exprimere intrà potentiam cognoscentem in esse intentionaliter obiectum extrà, cuius ratio hęc assignatur; nā ob hanc solam rationem datur species impressa in intellectu ad cognoscendum: quia cognoscerę est exprimere intrà potētiam cognoscentem vitaliter in esse intentionali obiectum extrà; at hæc expressio vitalis non potest esse, nisi cognitio, siuè expressio sit actio productiua speciei expressæ.

Neque inquam hæc ratio concludit; quia vt ostendimus, datur duplex intelligere, aliud productiuum, & aliud non produ-

ductiuum, idest, aliud expressiuum speciei expressę obiecti, quod intelligitur; & aliud non expressiuum; quando obiectum, quod intelligitur præexistit, vt obiectum terminatiuum formale, & immediatum intrà potentiam in esse intellecto intrinseco; tūc intelligere, non est productiuum, siuè expressiuum verbi mentalis; quando verò nō præexistit, tunc intelligere est expressiuū speciei expressæ; quia species expressa supplet defectum obiecti terminatiui formalis, & immediati; non enim potest dari actio sine suo termino formali, & immediato.

Cum verò dicitur, ratio cur detur species impressa in intellectu; est quia intellectus intelligendo exprimit similitudinem intellectam obiecti, quod intelligitur.

Respondeo, hoc verum esse de specie intelligibili, quæ est productiua verbi, vt principium formale obiectiuum, non verò de specie intelligibili in generali, aut de specie intelligibili, quæ non est principiū formale, & actiuum obiectiuū; sicut enim datur duplex intelligere, productiuum, & non productiuum, ità datur species impressa duplex, alia productiua productione obiectiua speciei expressæ, & alia non productiua, et ratio huius diuersitatis est eadem, scilicèt, quando obiectum formale, & immediatum terminatiuum præexistit, & quando non præexistit intrà potentiam cognoscentem.

Quod si quæras; quæ nam sit ratio generalis cur detur species intelligibilis in intellectu creato.

Respondeo ex dictis, necessariam esse speciem intelligibilem ad hoc, vt intellectus fiat principium formaliter productiuum cognitionis circa determinatum obiectum; cognitio autem circa determinatum obiectum ex suo genere non est productiua, siuè productio obiecti in esse intellecti intrinseci; sed est operatio siuè vsus obiectiuus potentiæ cognitiuæ circa obiectum, qui quidem vsus præscindit ab vsu productiuo, & ab vsu non productiuo sui termini immediati, & formalis; vt supra ostendimus.

Neque dicas, quod cognoscere est actus assimilatiuus; quia est vitalis participatio potentiæ intellectiuæ, vt est actu in genere obiecti; sed actus assimilatiuus nō potest esse, nisi per productionem speciei expressæ obiectiuę.

Respondeo enim; quod cognitio, vt cognitio, vt sic, est actus assimilatiuus, non qa est ex suo genere pductio similitudinis obiecti terminatiui intrà potentiam; sed quia est ex suo genere vsus, siuè operatio potentiæ cognitiuæ, vt est similis in esse intelligibili obiecto quod cognoscitur; hoc autem, non est sufficiens, vt ipsa cognitio sit productio vitalis speciei expressæ, nisi addatur cognitioni, quod sit obiecti formalis terminatiui, vt producibilis in esse intellecto intrinsecè, quod quidem prædicatum non conuenit cognitioni, nisi quādo eius obiectum formale terminatiuum, non præexistit in ratione obiecti terminatiui in actu formaliter.

Quod si iterum dicas in Angelo intelligente seipsum præexistit obiectum terminatiuum formale in ratione obiecti formalis, & in actu; nam obiectum formale terminatiuum in Angelo intelligente seipsum est ipsamet Angeli essentia, quatenus est actus intellectus; sed sub ista ratione formali Angeli essentia præexistit intra essentiam Angeli seipsum intelligentis.

Neque valet si dicatur, essentiam Angeli intelligentis seipsum esse obiectū terminatiuum materiale, & mediatum, non autem obiectum formale termnatiuū, & immediatum; verùm species expressa, siue verbum mentis debet esse obiectum formale, & immediatum cognitionis, pręscindendo nunc ab illa quæstione, an verbum mentis sit medium, in quo cognito, cognoscitur obiectum extra, an obiectum formale, vt quo cognoscitur obiectum extra potentiam cognoscentem: nam statim.

Aduersarius dicet, hoc assumptum esse falsum; quoniam essentia Angeli intelligentis seipsum est primum obiectum terminatiuum, vt obiectum immediatum, & formale, quia est primum existens intrà intellectum in genere obiecti quod cognoscitur.

Respondeo, essentiam Angeli, vt intelligentis seipsum, esse solum primum, & immediatum obiectum motiuum intellectus Angeli prout intelligentis seipsum, & non obiectum formale, & immediatum terminatiuum, & ratio huius à priori est; quoniam obiectum formale, & immediatum terminatiuum, est esse intellectum intrinsecè, hoc autem prædicatum non conuenit nisi soli Deo, quia solus Deus est essentialiter suum esse intelligibile, & suum esse intellectum; cum sola Dei essentia sit essentialiter suum esse; essentia verò, quæ est essentialiter suum esse, est essentialiter omne esse in tota sua latitudine, tam esse

na-

naturale, quam esse intelligibile actiuum & passiuum; esse enim huiusmodi est infinitum simpliciter, cum sit esse simpliciter irreceptum in essentia, quod est proprium prædicatum actus puri; essentia verò Angeli etiam, vt intelligentis seipsum, est essentialiter potentialis, cum nõ sit essentialiter suum esse.

Quod si iterum vrgeas dicens; Angeli essentia est essentialiter sua forma intelligibilis suo intellectui, quando Angelus intelligit seipsum; sed essentia, quæ est essentialiter sua forma intelligibilis, nõ implicat, vt sit suum esse intellectum suo intellectui tantum cum intelligit seipsum; tum quia huiusmodi esse intellectum, est esse finitum, tum etiam quia Deus est essentialiter suum esse, quia est essentialiter sua essentia, vt probat S. Thomas *p.p. qu.3.* sed Angeli essẽtia est essentialiter forma intelligibilis suo intellectui dum intelligit seipsum tantum; ergo etiam non repugnat, vt sit suum esse intellectum intra suum intellectum dum Angelus intelligit seipsum.

Respondeo primò, Angeli essentiam in abstracto esse sui formam *intelligibilẽ* suo intellectui tantum, *dum intelligit* seipsum, non verò essentiam Angeli in concreto, & hoc tãtũ sufficere, vt Angeli essentia, non sit actus purus, vel essentialiter suum esse; nam Dei essentia, vt est concretum indiuiduale Deitatis, est sua essentia; hoc autem prædicatum non competit Dei essentiæ, nisi ex eo capite; quia est essentialiter suum esse; & hæc doctrina sit manifesta ex eo: quia Dei essentia est essentialiter singularis simpliciter, tam in esse naturali, quam in esse intelligibili; Angeli verò essentia in esse tantum naturali est singularis, quia in esse tantum naturali non est receptibilis in subiecto diuidente; verum si consideretur essentialiter Angeli essentia, nõ solũ est essentialiter potẽtialis ad esse, sed etiam est receptibilis, vt sic in potentia intellectiua diuisa, & plurificata.

Respondeo secundò: assignando disparitatem inter essentiam Angeli intelligentis seipsum, & inter essentiam Dei, vt est sua forma intelligibilis etiam intellectui creato: nam essentia Angeli suo intellectui est sua forma intelligibilis, vt est potentialis ad esse; essentia verò Dei est sua forma intelligibilis, inquantum est actus purus in esse intelligibili; ac proindè Angeli essentia, dum Angelus intelligit seipsum, est sua forma intelligibilis tantum suo intellectui, & non est suum esse intellectum intrinsecè; Dei verò essentia est non solum sua forma intelligibilis; sed etiã sua forma in intellectu creato vidente Deum, quod est proprium solius Dei.

Neque ex hoc sequitur, quod detur aliqua actio sine termino: metaphysicè enim, & cum veritate loquendo, omnis actio terminum habet; quia actio essẽtialiter est via ad terminum; sed non omnis actio habet terminum eodem modo, sed diuerso modo; actio enim quæ factiua est debet habere terminum, qui fit; actio verò quæ non est factiua, implicat, quod habeat terminum per ipsam productum, sed satis est, vt habeat terminum præsistentem; quod fusius infrà explicabitur.

Conclusio secunda. non est verum, cognitionem non esse productiuam verbi ex eo præcisè, quod est cognitio intuitiua immediata, nimirum obiecti, vt cognoscibilis in seipso. Ponitur hæc conclusio. Primò, vt explicetur differentia; siuè ratio formalis qua cognitio est productiua speciei expressę, siuè verbi mentalis. Secundò quoniam est duplex opinio de hac differentia, siue ratione formali, qua cognitio est productiua verbi.

Prima est eorum, qui dicunt vniuersaliter, cognitione abstractiua produci intrinsecè speciem expressam siuè verbum mentis; cognitione autem intuitiua vniuersaliter non item; & fundamentum horum est, quod supra explicauimus; quia productio est termini, vt non existentis in actu: sed terminus siue obiectũ formale cognitionis abstractiuæ non præexistit: obiectum verò cognitionis intuitiuæ præexistit; ergo cognitio abstractiua, qua talis, est productiua verbi, seù speciei expressę; cognitio verò intuitiua vt sic in vniuersum non item.

Secunda est eorum, qui dicunt, per omnem cognitionem abstractiuam, & per omnem cognitionem intuitiuam naturalem produci intrinsecè speciem expressam siue verbum mentale, præter quam per cognitionem, qua beati intuentur Deum in seipso, & fundamentum horum esse potest hoc; quoniam productio est termini primarij, sed in sola cognitione qua beati intuentur Deum, obiectum primarium terminatiuum non est producibile; in cognitione verò intuitiua naturalis ordinis, non implicat, vt sit producibile eius obiectum primarium, & immediatum, quia nullus terminus creatus potest esse intellectus actu intrinsecè; quia nullus terminus

nus creatus, & nullus intellectus creatus potest esse essentialiter suum intelligere, neque potest esse suum esse, ob quam causam Deus, est essentialiter suum esse intelligibile, & esse intellectum intrinsecè.

In hac conclusione contendimus differentiam, siuè rationem formalem, qua, cognitio non est productiua verbi mentalis, non esse; quia cognitio est intuitiua, & immediata, quam communiter appellãt cognitionem facialem.

Moueor autem ad hoc dicendum, quoniam cognitio, qua Pater in Diuinis producit Verbum, est intuitiua, & immediata; at si ratio cur cognitio non est productiua verbi esset, quia est intuitiua, & immediata, Pater sua cognitione non produceret Verbum; quia est cognitio perfectissima intuitiuã; nam in cognitione, qua Pater cognoscit verbum in Diuinis, esset ratio positiua non producendi Verbum; quod autem cognitio, qua Pater in Diuinis producit Verbum sit cognitio intuitiua, & immediata, probatur; quia est obiecti, vt existentis actu in seipso; hæc autem est cognitio formalissimè intuitiua.

Hæc ratio semper vera mihi visa est, sed non adeò clara est, vt non possit pati instantiam.

Possunt enim dicere Aduersarij; cognitionem, per quam producitur Verbum à Patre in Diuinis, non esse intuitiuam; quoniam cognitio intuitiua est obiecti formalis, vt præexistentis; at cognitio productiua Verbi in Diuinis, non supponit Verbum Diuinum existere; ergo illa non potest esse cognitio intuitiua Verbi Diuini.

Quod si dicas; cognitionem, qua Pater producit Verbum in Diuinis esse cognitionem perfectissimam; quia est cognitio sui obiecti vsque ad existentiã exercitam; sed hæc est cognitio intuitiua; cognitio enim adæquatè diuiditur in cognitionem intuitiuam, & in cognitionem abstractiuam; sed cognitio productiua Verbi in Diuinis, non est cognitio abstractiua; quia cognitio abstractiua, non attingit obiectum suum vsque ad existentiam exercitam inclusiuè; cognitio verò productiua Verbi in Deo, attingit Verbum Diuinum vsque ad existentiam exercitam.

Respondere statim possunt Aduersarij: prædictam diuisionem in cognitionem intuitiuam, & abstractiuam, esse diuisionẽ cognitionis in cognitionem practicam, & speculatiuam; hæc autem diuisio est diuisio cognitionis creatæ, quod probatur; nã Deus sui habet cognitionem superioris ordinis, sicut, vt aliq docti Scholastici docẽt, relationes originis in Diuinis personis, neque sunt relationes prædicamentales, neque trascendentales; quia hæ duæ relationes dicunt relationem creatam, sicut ob eandem rationem, Deus sui ipsius non habet cognitionem practicam, quia Deus, non est factibilis.

Neque verò quicquam facit; quia Filius à Patre in Diuinis est producibilis, & Spiritus Sanctus a Patre, & Filio, & Deus huius habet scientiam, & ratio est; nam ad scientiam practicam requiritur, quod sit de obiecto producibili, quoad naturam, nimirùm cum diuisione intrinseca naturę; at tres Diuinæ personæ habent vnam, & eandem numero naturam, & quidem illã improducibilem.

Respondeo, negando cognitionem, qua Pater producit Verbum in Diuinis, non esse cognitionem intuitiuam formaliter; & ratio huius.

Prima est; nàm satis est ad essentialem rationem cognitionis intuitiuæ vt sic, vt terminetur ad obiectum existens, siuè sit præexistens vi alterius causæ, vt in creaturis, siuè sit existens vi eiusdem cognitionis; vt in Diuinis; at totum hoc formaliter habet cognitio, qua Pater producit Verbum in Diuinis; Maior patet; quia his tantum prædicatis saluatur, & habetur essentia cognitionis intuitiuæ.

Secunda ratio est; cognitio intuitiua, est perfectio simpliciter, quæ, scilicèt, dicãt perfectionem sine vlla imperfectione; at hoc posito, nihil prohibet, quin cognitĩo productiua Verbi in Diuinis sit ꝓductiua.

Huic responsioni, non quiescunt Aduersarij, & sic statim possunt arguere; terminus cognitionis prius natura supponi debet esse in se, quam esse cognitus, quia obiectum cognitionis debet esse intrinsecè scibile; scibile autem præcedit scientiã sui ipsius, & est prius illa: sed terminus cognitionis intuitiuæ, adhuc est scibilis formaliter; ergo terminus cognitionis intuitiuæ debet esse prius in se existens; quam actu cognoscatur: ergo cognitio intuitiua, est cognitio obiecti, vt præexistentis actu in ratione termini formalis, & immediati; sed Verbum in Diuinis, non præexistit cognitioni, qua producitur à Patre; .s. illa cognitio per quã ꝓducitur Verbũ, vt probat Hier. Fas. *t. 3. in p. p. S. Th. q. 34. ar. 3. dub. 5 n. 43.* non potest supponere, seù præsupponere verbum productũ: alioquin illa nõ esset prima ꝓductio, sed quædã reꝓductio per

per modum conseruationis; vndè inquit, oritur, vt neque verbum Diuinum cocipi possit, vt non existens, neque ipsa cognitio ex natura Diuina Patris, vt non habens, aut non generans Verbum.

Respondet primò, Hieronym. Fasol. ad hanc instantiam *n*.44. negando vniuersaliter maiorem ob rationem primam allatam, quia scilicèt satis est ad essentialem rationem cognitionis intuitiuæ vt sic, vt terminetur ad obiectum existens actu modo explicato; hæc autem cognitio intuitiua, deindè diuiditur in cognitionem intuitiuam obiecti præexistentis vi alterius causæ, vt in creaturis, & in cognitionem intuitiuam obiecti, vt existentis vi eiusdem cognitionis, vt in Diuinis.

Respondet secundò, distinguendo maiorem, nimirùm, illam esse veram de cognitione intuitiua creata, qua percipitur obiectum præsuppositum, illud non producendo, & etiam de cognitione Diuina respectu creaturarum, quas Deus nō solum cognoscit, sed etiam causat, producendo de non esse actuali ad esse actuale; esse verò falsam de cognitione fecunda Dei Patris, qua Pater cognoscendo *Filiū*, illum producit, non de *non* esse ad esse, sed de sua propria substantia communicando illi sine vlla intrinseca diuisione totum esse absolutum; etenim Pater producit quidem Filium à se distinctum realiter cōmunicando eidem totam sui naturam, & totum suum esse.

Hac responsione Fasolus, vt capio, solum in Deo ponit cognitionem intuitiuam, esse productiuam Verbi, quod dicit esse proprium Diuinæ cognitionis propter eius infinitatem.

Ex his duabus responsionibus; prima mihi placet; secunda autem non item; moueor autem ad hoc: quoniam cognitio intuitiua formaliter, & immediata vt sic, abstrahit à productiua, & non productiua sui termini, & obiecti immediati, & formalis; idque sic ostendo; quia cognitio intuitiua, & immediata est sui obiecti formalis terminatiui, vt existētis in seipso; at obiectum, vt existens præscindit ab obiecto, vt existente vi alterius causæ, & ab obiecto existente vi eiusdem cognitionis; etenim in sua definitione essentiali secundùm se, nullum horum modorum existendi in actu includit, hoc autem est sufficiens vt sit abstrahibile ab vtroque formaliter, & consequenter vt sit diuisibile in vtrumque; ergo pariter cognitio intuitiua vt sic, diuisibilis est in cognitionem intuitiuam obiecti, vt præexistentis, & in cognitionem intuitiuam obiecti, vt non præexistētis; & consequenter vt sit diuisibilis in cognitionem intuitiuam productiuam sui obiecti formalis, & immediati, & in cognitionem intuitiuam non productiuam sui obiecti immediati, & formalis.

Ex hac doctrina multæ veritates Theologicæ dependent, præcipuè illa quæstio, an scientia visionis in Deo, in quantum scientia visionis, sit causa effectiua creaturum ex istentium extrà Deum in aliqua temporis differentia, &c. vt suo loco fusè explicabitur.

Conclusio tertia; ratio formalis, siuè differentia essentialis, qua cognitio intellectiua est expressiua, siuè productiua verbi mentalis obiecti, quod intelligitur, est quia est cognitio obiecti non præexistentis in ratione obiecti formalis terminatiui intrà potentiam cognoscentem; est autem huiusmodi obiectum esse intellectum intrinsecè; datur enim duplex esse intellectū, extrinsecè & intrinsecè.

Primum est denominatio extrinseca à cognitione actuali intellectus cognoscentis.

Secundum est, obiectum quod sua ratione formali immediatè terminat cognitionem suam, & hoc adhuc duplex est, aliud obiectiuum præcisè respectu intelligentis, & aliud est vitale; vitale est terminus intrinsecè productus cognitione, qua intellectus intelligit; obiectiuum verò respectu intelligentis ipsum, est obiectum, quod est suum intelligere in tota sua latitudine, quale est solummodò Deus; solus enim Deus est essentialiter suum intelligere, quia solum Deus est essentialiter suū esse.

Vtraque pars conclusionis valdè cōtrouersa est, præsertim prima, quam fusè, & doctè pertractat Hieronymus Fasolus in *p. p. S. Thomæ tom.*1. *quæstion.*12. *dubit.* 3 *& super quæstion.*27. *articul.*1. *dubitation.* 14 *tom.*3. quibus in locis asserit omni cognitione creata intellectiua produci verbum mentis; asserit enim quod vniuersalissimè verum est in creaturis, quod quicumque intelligit, eo ipso quod intelligit producit verbum, quæ est propositio Sancti Thomæ *quæstion.* 27. *articul.* 1. *in corpore*, ex qua propositione S. Thomas deducit, in Diuinis, produci Verbum à Patre; & iuxtà hanc opinionem cognitio intellectiua est productiua Verbi, ex eo formaliter, & prçcisè quia cognitio intellectiua; idque probat ipsis verbis S. Thomę

mæ; nàm verba S. Thomæ ſunt vniuerſaliſſima; ſcilicèt, quicumque intelligit eo ipſo, quod intelligit producit verbum; at propoſitio vniuerſalis huiuſmodi æquiualet propoſitioni cum reduplicatiua, nimirum, cognitio intellectiua, inquantùm cognitio intellectiua, eſt productiua verbi. Hac ratione omnis homo eſt animal eſſẽtialiter, quia homo inquantũ homo eſſentialiter eſt animal; alioquin, inquit, non formaret verbum quicumque intelligit; & qui intelligit efformat verbum, non vtique formaret eo ipſo, quod intelligit, ſed ſolum ex eo quod intelligit tale particulare obiectum à ſe diſtans; nam aliud obiectum ſibi præſens intelligeret, & tamen non formaret verbum eadem vniuerſalitate, & formalitate reduplicationis; eodem modo vniuerſaliſſimo, S. Thomas loquitur *4. C. G. c. 11.* multò poſt principium, omne intellectum inquãtum intellectum oportet eſſe in intelligente; intellectum autem in intelligente, eſt intentio intellecta, & verbum, & hãc doctrinam, vt oſtendat eſſe vniuerſaliſſimam ibidem expreſsè extendit ad intelligentem ſeipſum, & ad intellectionem ipſiuſmet Dei; quia inquit, etiam intellectus noſter ſeipſum intelligens eſt in ſeipſo, vt à ſe appræhenſum intelligendo, & ipſemet Deus in ſeipſo eſt, vt intellectum in intelligente, idem clariſſimè etiam S. Thomas docet *de verit. q. 4. ar. 2. poſt mediũ corporis his verbis.* verbum intellectus noſtri eſt id, ad quod operatio intellectus noſtri terminatur, quod dicitur conceptio intellectus; & vniuerſaliter eſt de omni, quod à nobis intelligitur, ſiuè per eſſentiã intelligatur, ſiuè per ſimilitudinem: ipſa enim conceptio eſt effectus actus intelligendi; & ad quintum magis explicando addit, non aliter poſſumus intelligere, niſi huiuſmodi conceptionem exprimendo; & ideò omne intelligere in nobis proprie loquendo, eſt dicere, quod etiam repetit de potentia *q. 6. ar. 1. paulò poſt medium corporis his verbis,* propter hoc intellectus conceptionem rei in ſe format, & rem intellectam cognoſcit, ergo non propter negationem præexiſtentiæ in ratione obiecti formalis terminatiui, aut propter diſtantiam, aut abſentiam rei intellectæ, vt nos dicimus; & ad obuiandam diſtinctionem, quæ afferri poteſt, quod ſpecies expreſſa, alia eſt ex parte potentiæ, & alia eſt ex parte obiecti, & quod ſpecies expreſſa ex parte potentiæ fit in omni cognitione; ex parte verò obiecti non item; ſtatim addit, quod conceptio intellectus in nobis propriè verbum dicitur. Huiuſmodi autẽ conceptio, ſiuè verbum, oritur quidem ab intellectu per ſuum actum; eſt verò ſimilitudo rei intellectæ; & in eodem loco iterum dicit, differre verbum ab actione intellectus; quia prædicta conceptio conſideratur vt terminus actionis, & poſtea apertiſſimè ſubdit, verbum noſtri intellectus, non eſt extrinſecum ab ipſo intelligere intellectus, cum ipſum intelligere cõpleri non poſſit ſine verbo prædicto, & de potentia *qu. 9. ar. 15. antè medium corporis,* docet Verbum eſſe de ratione eius, quod eſt intelligere, & in *1. diſt. 27. q. 2. ar. 2.* loquens de operatione intelligendi, quæ eſt intelligere, & de ſimilitudine rei intellectę, quæ eſt verbum; ait quod ſine illis, nõ poteſt quis intelligere: vtrumque enim iſtorum eſt id quo quis intelligit formaliter, & ideò impoſſibile eſt, quod aliquis intelligat, niſi verbo intellectus ſui, quibus verbis clariſſimè exprimitur à S Thoma per omnem cognitionem intellectiuam produci verbum mentis; S. enim Thomas loquitur ſine vlla limitatione, aut reſtrectiua, & tota vis diſcurſus S. Thomæ, niſi fallor fundatur in hoc principio, tanquam in prima radice.

Vnumquodque agens agit ſibi ſimile in forma, ſed intellectus agit, ſeù producit cognitionem obiecti, quod intelligit, inquantum eſt actu per formam intelligibilem obiecti, quod intelligit formaliter; ergo quicumque intelligit, ex eo quod intelligit, vt ſic producit in ſe ſimile ſibi in forma intelligibili, ſed hoc productum eſt ſimilitudo expreſſa, ſiuè verbum mentis.

Hoc ipſum expreſsè etiam docent S. Auguſtinus, & S. Anſelmus; Auguſtinus .n. *lib. 9. de Trinit. c. 11.* ait, cum Deum nouimus illa notitia fit aliqua Dei ſimilitudo: ſimilitudo autem eſt ſimilitudo obiecti cogniti, quam ſimilitudinem vocat verbũ; ergo per Auguſtinum, verbum ſemper fit per cognitionem, tanquam terminus cognitione productus; & hanc vniuerſaliſſimam doctrinam extendit ad caſum omnium difficillimum, qui eſt cognoſcere ſeipſum; S. verò Anſelmus in Monologio *cap. 31. circa medium,* nulla inquit, ratione negari poteſt, cum mens rationalis ſeipsã cogitando intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione; & poſt multa cõcludit habet igitur mens rationalis, cum ſe cogitando intelligit, ſecum imaginem ſuam ex ſe natam, &c.

Sed iſtę omnes authoritates intelligen-

gendæ ſunt de quocumque intelligente, & de quacumque cognitione intellectiua non præſupponente ſuum obiectum ter. minatiuum formale intra potentiam cognoſcentem: quicquid alij dixerint; moueor autem ad hoc dicendum; quoniam notiſſimum eſt Doctori Angelico, Auguſtino, & Anſelmo.

Hoc principinm, quod eſt fundamẽtum primæ partis concluſionis, nimirùm, actio productiua, non eſt, niſi ſui termini formalis poſſibilis produci; non enim producitur, niſi quod in ſe non implicat produci; ſed terminus poſſibilis produci, non præexiſtit in eſſe termini formalis ſuæ productioni, ſed illam conſequitur; ergo cognitio productiua, ex eo productiua eſt, quia non ſupponit ſuum obiectum formale terminatiuum præexiſtens intra potẽtiam cognitiuam, quia obiectum formale terminatiuum, vt præexiſtens, non eſt vt ſic producibile, ſed productum.

Quod ſi primò objicias, hanc rationem non eſſe vniuerſalem, ſed particularem, quia non verificatur de cognitione vt ſic, quæ formaliter eſt in Deo cum ſuis requiſitis, ſed tantum verificatur de cognitione creata; at S. Thomas, S. Auguſtinns, & Anſelmus loquuntur vniuerſaliter de quocumque cognoſcente, & de quacũque cognitione intellectiua. Aſſumptum probatur; nam de Fide eſt, Patrem in Diuinis ſua cognitione notionali producere Verbum perſonale; Verbum autem in Diuinis, non eſt poſſibile produci, quia Verbũ in Diuinis, eſt actus puriſſimus, & ſolũ dicitur produci à Patre cognitione notionali, quia eſt à Patre; actui verò puro contradicit eſſe poſſibilem produci: poſſibilitas enim ad produci eſt quædam potentialitas paſſiua, quæ omninò repugnat actui puro.

Reſpondeo negando aſſumptum; argumentum autem diſtinctione facillimè ſoluitur, duplex enim eſt poſſibilitas ad produci; alia eſt ſolius non repugnantiæ, ſiuè ſolius originis, quæ ſcilicèt eſt ſine vlla diuiſione eſſe, aut naturæ, & alia eſt poſſibilitas ad produci per cauſalitatem, quæ eſt ſemper cum diuiſione eſſe & naturæ; diſtinctio hæc perſimilis eſt diſtinctioni, qua diſtinguitur potentia in potentiam per ſolam non repugnantiam, qua potentia dicitur, Deum poſſe eſſe, quia Deum eſſe actu nullam inuoluit in ſe contradictionem, & in potentiam cum diuiſione eſſe. Verbum in Diuinis dicitur poſſibile produci, non quidem potentia cauſalitatis, ſed potentia per ſolam non repugnantiam, ſiuè per ſolam originem; quandoquidem hæc poſſibilitas non aliud ſignificat niſi Verbum Diuinum nullam in ſe includere contradictionem, vt ſit à Patre per cognitionem notionalem ſine vlla diuiſione naturæ, quod quidem cõpetit Verbo Diuino, quia per hoc nulla imperfectio in eo ponitur; & in hoc ſenſu cognitio notionalis Patris, eſt productiua Filij in Diuinis, quia huiuſmodi cognitio non præſupponit Filium præeſiſtere prę-exiſtentia originis in intellectu Patris; nam præexiſtentia originis dicit à quo alius, ſcilicèt à quo Filius, ſiuè Verbum, hoc autem non competit Verbo Diuino; nam Verbum Diuinum eſt qui à Patre ſolumodò Verbo autem Diuino competit eſſe à quo Spiritus Sanctus.

Quod ſi ſecundò dicas, quod hæc præeſiſtentia in ratione obiecti terminatiui formalis intra intellectum, non eſt ſufficiens cauſa, vt non producatur Verbum; tum quia non obſtante maiori, & intimiori præſiſtentia intra potentiam cognoſcentem per identitatem, adhuc idem intelligens ſeipſum producit in ſe Verbũ ſui ipſius, vt expreſsè docent, non ſolum Aug. *lib. 9. de trin. cap. 11. & Anſel. locis ſup. cit.* ſed etiam in ſpeciali docet ipſe S. Thomas 4. *C. G. cap.* 11. & alijs in locis his verbis; etiam qnando meus intelligit ſeipſam eius conceptio non eſt ipſa mens, ſed aliquid expræſſum a notitia mentis, & aſſignans rationem, quarè Angeli cum intelligunt ſeipſos producant verbum, hanc optimam aſſignat rationem, ſcili cèt quia non eſt idem in eis intelligere, & eſſe; tum quia Diuina Patris ſubſtantia multo magis præexiſtit, & eſt præſens ſuo intellectui, quam Filius, ſeu Verbum Diuinum & tamen hæc præexiſtentia non impedit quominus à Patre ſeipſum intelligentem procedat æternnm ac perſonale Verbum: ergo multo minus alia minor præſentia impedire debet in intellectu productionem Verbi.

Reſpondeo, non omnem prȩexiſtentiam obiecti terminatiui intra potentiam cognoſcentem impedire, vt nõ producatur Verbum eius quod intelligitur, ſed ſolum prȩexiſtentiam obiectu terminatiui formalis. Cum Angeli intelligunt ſeipſos; eſſentia Angeli non præexiſtit in ratione obiecti terminatiui formalis intra potentiam cognoſcentem, ſed ſolum præexiſtit eſſentia, vt obiectum terminatiuum materiale; nam obiectum formale terminatiuum intel-

tellectionis, siuè qua vnus Angelus intelligit seipsum, siuè qua vnus Angelus intelligit alium Angelum, est esse intellectum intrinsecè; obiectum verò materiale est id quod intelligitur extrinsecè, quod scilicèt denominatur intellectum extrinsecè ab intellectione siuè à verbo existente intra intellectum; & huiusmodi est essentia Angeli, tam suo intellectui, dum Angelus intelligit seipsum, quam intellectui alterius, dum ab alio intelligitur; nam Angeli essentia licet sit habens suam formam suo intellectui, cum intelligit seipsum, tamen nec est sua forma intellecta, nec habens suam formam intellectam in suo in intellectu, cum Angelus intelligit seipsum; ratio autē cur nō sit Angeli essētia sua forma intellecta, quę est verbum mentis obiectuum; est quia Angeli essentia per se primò est in genere entis naturalis limitati ad speciem, & indiuiduum; hoc autem non potest esse intra genus intelligibilis; nisi per rationem potentiæ; idque dico propter verbum mentis creatum quod est productum per cognitionem, quæ est dicere; nam verbum creatum est forma intellecta, vel habens formam intellectam, quia per se primò est in genere entis intelligibilis, quod adequatè diuiditur per formā intelligibilem, & per formam intellectam; ratio autem formæ intellectæ non potest intrinsecè conuenire essentiæ Angeli, ob rationem supra allatam scilicèt propter limitationem, & hoc voluit dicere S. Thomas probans, Angelos etiam quando ipsi se intelligunt producere verbum hac ratione, quia non est idem in eis intelligere, & esse; nam ex eo quod in Angelis non est idem intelligere, & esse; Angeli essentia est essentialiter potentialis ad esse naturale, & consequenter limitata ad genus, speciem, & indiuiduum.

Ad hoc ostendendum proposui hunc longum dircursum; quia audiui aliquos Thomistas, qui respondebant, Angeli essentiam non esse suam formam intellectam suo intellectui, ex eo præcisè, quia Angeli essentia non est suum esse.

Sed hęc responsio patitur instantiam: nam statim dicere possunt aduersarij, verbum mentis creatum, neque est essentialiter suum esse, & tamen est forma intellecta, vel habens formam intellectam; vt cōcretum indiuiduale in intellectu à quo producitur.

Neque inde sequitur, rationē S. Thomæ non esse adequatam, cum probat Angelos etiam quando ipsi se intelligūt producere verbum; scilicèt quia in Angelis non est idem intelligere, & esse.

Quandoquidem S. Thomas assignat rationem primam, & radicalem, quæ est, qa in Angelis nō est idē intelligere, & esse; etenim intelligere quando est esse, est ipsa rei essentia, quòd est prædicatum proprium solius Dei; nos autem hic inquirimus rationem proximam, & immediatam.

Ad secundam retionem, qua dicitur, quod Diuina Patris substantia, siuè essentia multo magis præexistit præsens suo intellectui, quam essentia Diuina, vt communicata Filio, seù Verbo; nam essentia Diuina prior est in Patre, quam in Filio; cum in Patre sit à se; in Filio verò est communicata à Patrè, & tamen hæc præexistentia, & prioritas non impedit quo minus à Deo Patre seipsum intelligente procedat Æternum, & Personale Verbum; ergo multo minus impediat alia minor præexistentia in ratione obiecti terminatiui.

Respondent aliqui assignando disparitatem, dicentes intellectionem Patris in Diuinis, non solum esse intellectionem, sed etiam dictionem, quod non est dicendum de omni intellectione creata, neque etiam de omni intellectione notionali Diuina.

Sed hæc responsio est manifesta petitio principij, vt aduertit etiam Pasolus *loco sup. cit. dub. num. 12. circa finem*; hoc enim est quod inquiritur, cur non obstante proxima prioritate pręexistentię essentię Diuinę; intellectio notionalis Patris est dictio, siuè Verbi productio, ac visio Dei in beatis non sit dictio, scilicèt prædictio verbi.

Respondeo argumentum laborare æquiuocatione, non causæ vt causę; causa .n. cur per aliquā cognitionem nō producatur verbum, siuè quod aliqua cognitio non sit dictio, aut productio; non est pręexistentia in ratione principij formalis intelligendi, siuè in ratione obiecti formalis motiui; sed est præexistentia obiecti terminatiui formalis, siuè immediati; verbum enim supplet defectum, siue carentiam obiecti intra potentiam: essentiam essentia Diuina autem, præexistit in intellectu Patris, siuè est prior in intellectu Patris, quam sit in Filio prioritate non præexistentia in ratione principij, vel obiecti motiui; nō autem in ratione obiecti terminatiui formalis; ideò hæc præexistentia, aut prioritas, nimirum, originis,

nis, non impedit quominus à Deo Patre seipsum intelligente procedat Verbum Diuinum personale.

Conclusio quarta: beati vidẽtes Deũ in se non producũt Verbum obiectiuũ, siuè illud sit mediũ, in quo cognito vidẽt Deũ, siuè sit medium, vt quo videndi Deum tantũmodò. Conclusio controuersa est maximè inter Scholasticos, & Thomistas; cõplures enim docti Scolastici quos accuratè citat, & sequitur Hiero. Fasol *locis sup. cit.* eam negant, asserẽtes omni intellectioni, positis conditionibus ad producendum realiter; quarum præcipua est distinctio realis producentis à producto, produci Verbum mentis, & apud Thomistas, Capreolus *in 4. dist. 49. qu. 5. Ferr. 1. C. G. cap. 53. in 5. Concl. Siluest. in 12. qu. p. p. Vers. p. 4. ratione*, dicunt vtrâque partem posse teneri, Sotus verò *qu. 1. in 4. sent. dist. 4.* defendit partem affirmatiuam; conclusio tamen sine dubio est *S. Thomę p. p. qu. 12. art. 2.* vtrum Deus videatur sicuti est per intermediam speciem creatam, præsertim in responsione ad tertium, vbi defendens partem negatiuam, assignat hanc rãtionem à priori; quia essentia Diuina est *ipsum intellectum* in actu seipsa, à qua sumuntur duo fundamenta, quibus à priori demonmonstratur posita conclusio.

Primum est: Deus, vt intuibilis in seipso, pręexistit in intellectu beatorum antequam intelligatur, vt obiectum terminatiuum formale in actu secundo cognitionis intuitiuæ; sed hæc est ratio adæquata vt nullo modo, beati videntes Deum producant Verbum, siuè speciem expressam, in qua, siuè, qua repræsentetur Deus, vt est in se: ergo, &c. maior est S. Thomę *loco modo citato*, quam probat ex eo, quia Dei essentia est essentialiter suum esse: at essentia, quæ est essentialiter esse, est omne esse, tam naturale, quam obiectiuum motiuum, & terminatiuum; ergo, &c. minor verò principalis argumenti est certa; illa enim cognitio, per quam producitur verbum obiectiuum, non potest supponere, seù præsupponere verbum obiectiuum productum, alioquin illa non esset prima productio, sed potius quædam reproductio quæ est omninò impossibilis, quia productio ex suis intrinsecis prædicatis præcedit, non subsequitur suum terminum productum.

Secundum fundamentum est: species expressa, siuè verbum mentis, quæ est similitudo expressa obiecti, quod intelligitur, supplet carentiam obiecti terminatiui formalis intra potẽtiam; sed præexistente Deo, vt obiecto terminatiuo formali in intellectu beatorũ non est carẽtia obiecti terminatiui formaliter; ergo nulla cõcedẽda est species expressa, seu intellecta, quæ sit similitudo Dei, vt obiectum terminatiuũ cognitionis intuitiuæ creatæ. Hæc ratio persimilis est rationi, qua ostendimus in Angelo, intelligente seipsum, nullam esse indigentiam speciei impressę distinctæ à sua essentia; quia pręsupponitur in intellectu Angeli intelligentis seipsum ipsa Angeli essentia, vt sua forma intelligibilis.

Obijcies primò, intellectus beati videntis Deum in seipso, prius natura quam eliciat visionem intuitiuam Dei, est actu ip se Deus in esse intelligibili; sed hoc satis est, vt intellectus beati, videntis Deum cognitione intuitiua, qua intuetur Deum, producat intra se speciem expressam, siuè Verbum intuitiuum Dei; ergo beatus videns Deum in se, producit in suo intellectu cognitione intuitiua Verbum intuitiuũ Dei; Dico verbum obiectiuum, nõ qui a opinor in hac conclusione, verbum mentis, esse medium in quo viso, intellectus videt obiectum illius extra existens; nam hoc est alterius negotij, à quo nunc abstineo; sed qa distinguitur à Scholasticis duplex verbũ mentis: aliud est ex parte potẽtiæ intellectiuæ; & aliud ex parte obiecti, quod intelligitur; ad eum modum, quo distinguitur duplex similitudo necessaria ad videndum Deum in se; alia ex parte potentiæ, & alia est parte obiecti; quam distinctionem latè explicat, & probat S. Thomas *p. p. qu. 12. art. 2. in corp.* In hac conclusione sermo est de verbo mentis ex parte obiecti, siue illud sit medium, in quo cognito videtur Deus, siuè sit mediũ pręcisè, quo intellectus beatus videt Deum. Maior remanet satis probata ex dictis; minor verò ostenditur à priori; quia vnumquodque agens producit sibi simile in forma; vnumquodque autem est agens in quantum est actu; sed intellectus beati, videntis Deum, in priori naturæ, est actu Deus ipse in esse intelligibili; ergo in priori naturæ est agens potens intelligere Deum; sed agens est productiuum similis sibi in forma, qua est agens; hoc autem non potest esse, nisi producatur verbum mentis, siue species expressa, ergo, &c.

Respondeo ex dictis, cum distinctione: duplex enim est agens, siuè efficiens; aliud est agens productiuum termini, siuè effectus, aliud verò est agens solum adducti-

 cti-

ctiuum, vel vnitiuũ, sui ipsius in suo genere, agens productiuum, est, quod ex sua natura non præsupponit terminum formalem suæ operationis, siuè sui motus; nam terminus, siuè effectus formalis consequitur sui productionem, non præcedit; agens verò non productiuum, siuè adductiuum, vel vnitiuum præcisè, est quod natura sua præsupponit terminum formalem suę operationis: esse agens vt sic diuisibile in agens productiuum, & in agens non productiuum demonstratur non solum à posteriori, sed etiam à priori; à posteriori quidem; quoniam datur actio productiua, & actio non productiua, v. g. datur actio practica, vt cognitio practica, & datur actio non productiua, vt cognitio speculatiua; similiter datur motus alterationis, & motus localis, motus alterationis est productiuus, sicut, & cognitio practica; motus verò localis, qui non est productiuus sui termini, sicut, & cognitio speculatiua, quę speculatur, non producit suum obiectum; idque non ob aliam causam, nisi; quia vna actio, siue operatio supponit terminum suum formalem præexistentem; alia verò non præsupponit v.g. prima calefactio quæ est motus ad calorem, non supponit calorem preęxistentem, sed calefaciendo, illum producit; actio verò non productiua, sed adductiua, seù vnitiua, vt est motus localis, non producit terminum de nouo; quia supponit locũ ad quod mobile mouetur, vt preęxistentem.

A priori verò hoc ipsum ostenditur; nam agens in suo adęquato conceptu secundum se, solum dicit id quod, vt preęxistens operatur circa suum terminum: sed in hoc conceptu non includitur operari circa terminum, vt præexistentem; vel circa terminum, illum efficiendo; ergo agens reale vt sic, siuè illud sit intentionale siue obiectiuum, siuè illud sit naturale; præscindit formaliter ab vtroque agente at ex hoc capite agens reale abstrahens ab agente reali naturali, siuè ab agente reali intentionali, siuè obiectiuo, est diuisibile intrinsecè in agẽs productiuum sui termini, & in agens operatiuum circa suum terminum, illum non producendo, sed supponendo saltem in priori naturę.

Neque primò dicas; agens est principium, vndè primò motus; sed hoc est principium producens, siuè efficiens, vt dicitur *2. Phy. cap. 3. & 5. Meth. cap. 2.* ergo necessariò agens, siue causa efficiẽs; vt distinguitur à cæteris generibus causarum debet esse causa efficiens; causa verò efficiens ex suo genere est principium, quod, vt existens influit esse in effectum à se distinctum.

Respondeo cum distinctione, quod agens, siuè causa efficiens, vt sic, est id vnde primò motus, abstrahens à motu productiuo, & à non productiuo; non autem est id, vndè primò est motus productiuus; hoc enim agens est species agentis in generali.

Quod si dicas, agens vt sic contradistinguitur non solum à principio, tamquã species à suo genere, sed tamquam vnum genus ab alijs tribus generibus causarum; causa enim alia est efficiens, alia finalis, alia formalis, & alia materialis; sed causa agens vt sic, ex suo genere est productiua: prædicata enim essentialia generis, sunt prædicata essentialia adhuc speciei sub eodem genere; sed causa in generali, vt contradistinguitur à principio, causat effectum à se distinctum, quia est principium influens esse in aliud; ergo, &c.

Respondebam olim huic argumento, quod agens, quando non præsupponit suum terminum formalem, & primarium, sine dubio est productiuum; verum quando præsuponit terminum formalem suæ actionis accidenti, ex non est productiuũ sui termini, siuè effectus; etenim causa cur agens non sit productiuum non est ex defectu agentis, sed est quia terminus actionis non est producibilis ex eo quod supponitur præexistens. Exemplificabã doctrinam exemplis valdè aptis. Primum, potentia actiua Dei, est infinita infinitate actu, & formali, & tamen nunquam producit effectum actu infinitum; non ex defectu potentiæ Dei; sed quia effectus infinitus in actu non est producibilis, actio conseruatiua, qua Deus conseruat omnes creaturas in esse, non est creatiua primò, non ex defectu ipsius actionis conseruatiuæ; sed quia pręsupponit creaturas iam à Deo creatas, & in priori naturæ iam præexistentes; pariter ignis est potens producere alium ignem; sed si applicetur, alteri igni in actu æqualis virtutis, non est productiuus alterius ignis, non quidem ex defectu potentiæ ignis; sed quia præsupponitur ignis iam productus, qui est incapax duplicis dependentiæ causæ totalis. Pariter in subiecta materia, intellectus creatus, vt constitutus in actu per formã intelligibilem, est productiuus verbi mentalis, quando non pręsupponit suum obiectum

ctum

ctum formale præexistens intra ipsum; verum quando præsupponit, non producit verbum ex accidenti; quia hoc non est ex defectu intellectus; sed quia præsupponitur obiectum formale, & primarium terminatiuum, præexistens: hæc ipsa doctrina exemplificari potest in Diuinis personis; cognitio enim notionalis, qua Pater in Diuinis cognoscit, & est productiua Verbi Diuini personalis; quoniam non præsupponit præsuppositione originis Verbum productum, siuè genitum; cognitio autem notionalis, qua Verbum cognoscit Patrem, sicut, & cognitio, qua Spiritus Sanctus cognoscit Patrem, & Filium: non producit Verbum, non quidem ex defectu cognitionis Filij, & Spiritus Sancti, sed quia præsupponit Verbum personale, & adęquatum, iam productum à Patre cognitione generatiua.

Sed re maturius considerata, hæc responsio non saluat agens vt sic, esse diuisibile formaliter in agens productiuum, vt adductiuum; etenim hac responsione supponitur agens vt sic, esse productiuum, quantum est ex se; ex accidente verò non esse productiuum, quod quidem veritatem non continet; & probatur; quoniam agens vt sic formaliter, & adęquatè diuiditur in agens, vnde per se est motus productiuus, & in agēs, vndè primò est motus non productiuus, sicut animal diuiditur in hominem, & brutum; quia diuisio agentis in agens productiuū, & nō productiuū, est diuisio generis per differentias formales oppositas; quę quidem differentię possunt sumi, vt rationes adęquatæ, quarum vnaqueque cōstituit suam speciem distinctam ab alia, & sic propriè sunt differentiæ formales, & possunt sumi, vt differentiæ inadęquatę, sicut diximus in quæstione prima de practico, & speculatiuo, & de differentijs scientiæ subalternę, & subalternantis; & quouis modo sumantur, semper vna differentia est productiua, & alia non est productiua, sicùt scientia, vt practica ex natura sua productiua, est scientia verò speculatiua non est productiua, sed præcisè est speculatiua sui obiecti, & in eo sistit; pariter agens aliud est productiuum, scilicèt, vnde primò est motus productiuus, & hoc agens debet habere terminum qui producitur per talem motum; secus verò est in agente adductiuo; hoc enim ex natura sua est solum adductiuum agentis de vno loco ad alium, vel solum est vnitiuum suæ operationis cum termino præexistente; actio enim vnitiua non producit terminum denouo, sed pro conditione sua intrinseca solum vnit vnibilia, eo modo, quo vnibilia sunt, & huiusmodi est intellectus, vt intuitiuus obiecti formalis terminatiui in se, vt præexistentis intra intellectum.

Cum verò opponitur, quod agens, vt sic, est causa productiua; quia contradistinguitur à principio; vel quia est causa actiua contradistincta à cæteris generibus causarum; causa enim agens, est productiua; quia influit esse in aliud; seù quia, vt existens causat effectum à se distinctum.

Respondeo negando assumptum; agens enim vt sic, etiam quatenus contradistinguitur à tribus alijs generibus causarum, solum dicit principium à quo, vt existente est motus; motus autem agentis duplex est; alius, est productiuus, & alius vnitiuus, siuè adductiuus: hoc est, alius est circa terminum non præexistentem, illum producendo; alius est circa terminum, vt præexistentem.

Cum denique instant aduersarij dicentes, quod agens vt sic, est causa actiua; causa autem actiua est productiua effectus à se distincti: quia causa definitur principium influens esse in aliud.

Respondeo, quod hæc definitio, est definitio causæ actiuæ productiuæ, quæ est vna species causæ agentis, non autem est definitio causæ agentis vt sic, causa enim actiua vt sic definitur ab Aristotile principium vndè primò est motus *tàm 3. Phys. cap. quam 5. Met. cap. 2.* & sensus est, quod causa agens, est principium à quo, vt existente est operatio siuè actio circa suum terminum, hæc autem actio duplex est, alia circa terminum, vt producibilem, qui est terminus non præexistens actioni agētis, & alia circa terminum non producibilem; sed solum vnibilem agenti, & huiusmodi est terminus præexistens actioni agentis v.g. calefactio est actio productiua caloris; quia calor, qui producitur non præexistit calefactioni; motus verò localis non est productiuus, quia est motus ad terminum præexistentem in ratione termini motus localis; pariter dicendum de cognitione præsupponente suum obiectū terminatiuum formale, & de cognitione non presupponente.

Quod agens sit vniuersalius, quam agēs ꝑductiuū; ꝓbatur etiā primò ex hoc: quia agēs præscindens ab agēte productiuo reperitur in Deo ad intra, nā in Deo ad intrà Verbū Diuinū est agens intellectuale

notionale; pariter Spiritus Sanctus ad intra, adhuc est agens intellectuale notionale; & tamen Verbum sua actione notionali, non producit aliud Verbum, neque Spiritus Sanctus, vt agens intellectuale producit alium terminum ad intra: solummodò ad intrà Pater est agens producens sine vlla diuisione naturæ Verbum Diuinum ad intrà; & Pater, & filius sunt vnum principium agens, & producens Spiritum Sanctum; at si agens vt sic, esset productiuum, adhuc Verbum Diuinum produceret aliud Verbum personale, & Spiritus Sanctus produceret alium amorem personalem, quod est impossibile, & hæreticum: sequela est manifesta: nàm prædicata, quæ conueniunt superiori secundùm se, cōueniunt etiam inferioribus, in quibus superius existit essentialiter. Secundò, quia agens vt sic, ponit in Deo maiorem perfectionem; nàm agens vt sic, est amplioris latitudinis formalis, quam agens productiuum præcisè; & probatur, quia agens vt sic, ponit perfectionē duplicis agētis, & ꝓductiui, & adductiui, sine imperfectione; sed in Deo ponenda est omnis perfectio sine imperfectione, quia Deus est ens perfectissimum in tota latitudine formali entis.

Aduersarij autem decipiuntur; quia opinantur, causam agentem in generali, vt sic, esse productiuam termini, siuè effectus; sed hoc est falsum, vt ostendimus.

Neque obstat, cum dicitur, quod causa in generali definitur principium influēs esse in aliud; sed hæc definitio conuenit formaliter causæ agenti vt sic: ergo agens vt sic creatū, est productiuū ex suo genere.

Non inquam hoc obstat, quandoquidem prædicta definitio est causæ in generali quidem, sed vt causatiuæ termini, siuè effectus à se distincti, non autem est definitio causæ in generali vt sic, quatenùs abstrahit à causa causatiua termini, & à causa, quæ est principium causalitatis circa terminum præsuppositum in priori naturæ: vniuersalior enim est causa actiua vt sic, quam causa, quæ est principium causalitatis productiuę.

Neque secundò dicas, vna ex rationibus cur detur intellectus, siuè cognitio intellectiua non productiua verbi mentalis est; quia actio vt sic præscindit ab actione productiua, & non productiua; idque probatur doctrina Aristotelis, qui distinguit motum localem à motu alterationis, quod motus alterationis est ratio factiua qualitatis; motu verò localis nullus terminus intrinsecus respondet; sed hęc ratio non subsistit; quoniam possibilis est motus localis in vacuo, & etiam in spatio interminato, quod vocant spatium imaginarium: sed hic motus est productiuus termini: quippè motus localis, non potest esse, nisi ad terminum: sed in spatio imaginario, aut in vacuo: non est terminus extrinsecus, saltem intermedius: ergo debet esse motus localis in vacuo acquisitiuus termini intrinseci, quem communiter vocāt, vbi intrinsecum, implicat enim motum esse sine termino.

Resp. enim, quantum nunc satis est, negando motum in spatio imaginario, aut in vacuo, non habere terminum extrinsecum: implicat enim dari motum sine termino, vel producibili, vel solum acquisibili; nàm essentialiter motus est via ad terminum: terminus autem motus localis in spatio, quod vocant imaginarium, est pars quantitatis, siuè spatij realis possibilis: ratio fundamentalis huius doctrinę est; quia antè actualem mundi creationem datur spatium reale possibile, non quidem absulutum, sed conditionatum, quod .s. esset realiter, si Deus vellet illud producere: & hoc est illudmet, quod esset si produceretur, quatenùs refertur ad decretum liberum conditionatum Diuinę voluntatis, modo quo explicauimus in *q. de ente reali possibili*, & in hoc spatio sunt signabiles partes inter se distātes situ reali possibili.

Neque obstat si dicatur, quod ante Mundi creationem, est solum non spatium reale, siuè negatio realis spatij realis: sed implicat, non ens reale, esse ens reale; implicat .n. vnum contradictoriū esse aliud: sed motus localis cū sit motus positiuus requirit terminū realē positiuū, & actualem, qui non datur in negatione spatij realis.

Responsio .n. in promptu est ex explicatis *in q. de ente reali possibili*, vbi diximus, quod duplex est non ens reale, aliud est nō ens reale simpliciter, ꝙ negat ens actuale, & possibile, nimirū negat ens possibile, vt subiectum, non vt prædicatum de suo subiecto; & aliud est non ens actuale pręcisè; quod quidem, licet non sit ens reale actuale, per hoc tamē nō tollitur, quin sit ens reale possibile: q͠a hęc duo non sunt sm̄ idē, sed sm̄ diuersa, & hoc spatiū reale possibile satis est ad motū localem, si datetur, quia in hoc spatio reali possibili, sunt plures partes reales distātes situ reali inter se.

Quod si iterum vrgeas, motus localis, si daretur in spatio reali possibili: esset quidē actus mobilis, hic autem requirit terminū positiuum actualem, non possibilem.

Re-

Respondeo, quod dato motu corporis in spatio possibili, terminus huius motus est quidem actualis, actualitate possibilitatis, non actualitate existentiæ; quia ad motum actualem satis est terminus actualis actualitate possibilitatis, quæ est actualitas essentiæ; quæ licet actu non sit, esset tamen realiter, si a Deo produceretur,

Explicatur hęc distinctio alia consimili distinctione duplicis futuri realiter, futuri absoluti, & futuri conditionati; sciētia conditionatorum etiam, si sit in Deo realiter, & formaliter; tamen non requirit vt futura sint absoluta in differentia temporis futuri absoluti, sed satis est, vt essent realiter futura si a Deo producerentur.

Obijcies secundò: omnis intellectio creata est vera actio de prædicamento accidentis; quia est operatio potentiæ intellectiuæ, quæ est extra essentiam substantiæ: hęc autem est actio formaliter de prędicamento actionis; sed omnis actio huiusmodi, est productio termini, sicut calefatio est productio caloris; ergo, &c. Minor probatur; quia omnis actio de prædicamento actionis est actualis acquisitio termini, cum sit essentialiter via ad terminū: actio autem acquisitiua necessariò est productiua; quia acquisitio actualis termini est actus, quo id quod poterat esse terminus actionis, fit actu terminus: sed ex hoc prædicato actio est productiua termini: productio enim nihil aliud significat, nisi actus, quo id, quod poterat esse, fit actu existens; hac ratione calefactio, ignitio, & aliæ huiusmodi actiones dicuntur productiuæ.

Neque satisfit huic argumento, dicunt Aduersarij, si dicatur actionem, aliā esse acquisitiuam termini præesistentis in ratione termini formalis, & aliam esse actionem acquisitiuam termini non præexistentis, & hanc secundam esse actionem productiuam, non primam; quia productio est traductio sui termini de suo non esse ad esse actuale in ratione termini formalis: cæterum visio intuitiua Dei creata est acquisitiua termini præexistentis in ratione termini.

Non enim satisfacit hæc responsio, quandoquidem actio acquisi-iua est termini præexistentis in actu primo, non autem in actu secundo, est acquisitiua termini possibilis, vt fiat actu terminus: sed per hoc actio est formaliter, & completè productiua; productio enim est ad ens actu ex nihilo actuali, vt scilicèt, quod poterat esse, actu fiat.

Respondeo primò, duplicem esse terminum præexistentem actioni agentis: alius enim est terminus præexistens in esse termini materialis, & alius est terminus præexistens in esse termini formalis, e.g. cum intellectus creatus intelligit hominem, vel cum Angelus intelligit seipsum, his cognitionibus præxistunt tantum termini materiales, non autem termini formales, & ideò sunt productiuæ termini formalis, quia hic terminus, nullo pacto præexistit; cognitio verò obiecti, siuè acquisitio obiecti præesistentis in ratione termini, & obiecti formalis; nullo pacto est productiua, & huiusmodi est cognitio intuitiua, qua beati intuentur Deum; quia Deus, vt intuibilis in seipso, qui est obiectum formale terminatiuum cognitionis beatificæ præexistit in ratione obiecti formalis terminatiui: quia Deus, vt intuibilis in seipso est suum esse intellectum in actu.

Respondeo secundò alijs terminis: actio, siuè acquisitio ab agēte duplex est, alia est acquisitio termini, iam præexistentis in esse termini formalis, & alia est termini formalis non præexistentis in priori naturæ, vel temporis: hæc secunda acquisitio, siuè actio, est productio sui termini: quia est termini, vt possibilis produci, quod sic ostenditur; terminus vt non præexistens actu, ex eo quod non est actu præexistens, non tollitur quin sit terminus possibilis realiter; possibile autem, vt contradistinguitur ab ente actu, ens producibile est: prima acquisitio non est productiua, aut productio: quoniam eius terminus præexistit, saltem in priori naturæ in ratione termini formalis, vt præexistens, non est capax producibilitatis: producibilitas enim fundatur in potentialitate non expleta per actum: terminus verò præexistens, vel est suus actus existendi, vt est Deus, quatenùs obiectum suæ cognitionis intuitiuę creatæ, vel dicit potentiam expletam per actum, vt est verbum mētis actuale creatū: cognitio creata intuitiua Dei in se est actio acquisitiua ex parte, nimirum, intellectus intuentis Deū, qui pręexistit in priori naturæ intrà intellectum videntis Deum in se. Hęc respōsio vera quidem est, sed patitur duas instātias, quæ omninò soluendæ sunt.

Prima instantia est, quia vt dicit S. Th. *loc. sup. cit.* ratio cur Angelus, v. g. intelligens seipsum, vel alium Angelum producit intrà suum intellectum verbum mentis, vt terminum intrinsecum cognitionis, est quia in Angelo non est idem in-

intelligere, & esse, sed in beatis, qui intuẽtur Deum in se, non est idem intelligere, & esse; ergo beati intuentes Deum in se, producunt verbum mentale per actum cognitionis, quo intuentur Deum in se.

Neque satisfit huic instantiæ, si dicatur, hanc rationem S. Thomæ vim habere, quia intelligens, in quo non est idem intelligere, & esse, necessariò non præsupponit suum obiectum fomale in priori naturæ, saltem præexistens; at beati intuentes Deum præsupponunt Deum, vt obiectum terminatiuum in ratione termini potentis formaliter terminare cognitionem intrà eorum proprium intellectum.

Statim enim dicent Aduersarij, quod ratio, quam assignat S. Thomas non est ex parte obiecti, sed est ex parte intelligentis; at ratio cur nos dicimus, beatum vidẽtem Deum in se non producere intrà se, sua cognitione intuitiua, Verbum, quo intuetur Deum, se tenet ex parte obiecti terminatiui, quæ est longè diuersa.

Secunda instantia, quæ sine dubio aliquam difficultatem habet, est; Christus Dominus genitus fuit generatione naturali non phantastica, & beatissima Virgo, vt vera, & realis mater, fuit principium huius realis generationis; generatio autem realis est productiua esse, quia terminatur ad ens actu, ex non ente actu, ac proindè terminatur ad esse reale, ac personale, quo natura Christi Domini existit, & subsistit, & tamen esse personale Verbi Diuini præexistit, antequam actu communicetur naturæ humanę, siuè antequam intelligatur esse in natura humana Christi.

Explico vim argumenti; esse personale Verbi Diuini, est esse increatum; hoc autem præsistit assumptioni, siuè vnioni, qua natura humana vnitur Verbo, & tamen hæc præsistentia, non impedit, quin esse personale Verbi Diuini in actu secundo non producatur actione generatiua, qua Beata Virgo fuit vera, & realis Mater Christi Domini; ergo pariter ex eo quod Deus, vt obiectum terminatiuum formale præsistit in intellectu beati, antequam actu in se videatur à beato, non impedit quominus beatus cognitione, qua intuetur Deum, producat Deum ipsum, vt obiectũ formale terminatiuum cognitionis intuitiuæ creatæ, sed hoc satis est, vt cognitio intuitiua, qua beati intuentur Deum sit productiua Verbi mentalis de Deo viso in se ex natura sua.

Quod si dicas; hic esse difficultatem de verbo mentali contradistincto ab obiecto; non autem de verbo mentali, quod est ipsum obiectum terminatiuum in suo effectu formali.

Explicatur instantia. Nos diximus, cognitionem intuitiuam Dei ex natura sua non esse productiuam, & non diximus visionem intuitiuam Dei, non esse productiuam sui obiecti terminatiui formalis, & immediati in suo effectu formali; verum actio generatiua, qua Beata Virgo fuit vera, ac realis Mater Christi Domini, natura sua fuit productiua esse connaturalis naturæ humanæ à Verbo assumptę, sed pręuenta fuit ab esse personali Verbi Diuini; quod est longè diuersum à doctrina à nobis explicata: vndè Aduersarij semper possunt instare, cõtendẽtes, cognitionẽ intuitiuã, qua beati intuẽtur Deũ in se, natura sua esse productiuã Verbi, sed pręueniri à Deo, vt obiecto terminatiuo formali.

Respondeo ad primam instantiam; rationem S. Thomę cur Angelus intelligens seipsum producit verbum, valere in Angelo intelligente seipsum tantũ, qui non est suum esse, & ratio est: quia obiectum quod est suum esse essentialiter præexistit in ratione obiecti formalis terminatiui omni cognitioni creatæ: hoc autem competit essentiæ Angeli quia in eo non est idem intelligere ac esse. Cæterum Deus, vt obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ est essentialiter suum esse independenter ab intellectu creato beatorum; & consequenter est omne suum esse, & intelligibile, & intellectum: quoniam esse, quod est rei essentia, est illimitatum simpliciter in tota latitudine fomali essendi.

Neque obstat, quod opponitur, nimirum, rationem S. Thomæ, se tenere ex parte intelligentis, non ex parte obiecti; quãdoquidem S. Thomas loquitur de Angelo intelligente seipsum, qui est ens creatum, in quo, essentia non est suum esse: at beati intuentes Deum habent pro obiecto formali Deum, prout est in seipso; Deus autem cum sit essentialiter esse, essentialiter est omne suũ esse, & intelligibile, & intellectum intrinsecè.

Respondeo ad secundam instantiam concedo, Beatam Virginem suo concursu materno produxisse esse personale Verbi Diuini, non quidem, vt est forma personalis, sed quatenus est in suo effectu formali, nimirùm, produxit esse, vt subsistens in natura humana Christi Domini, quæ est ferè distinctio in terminis S. Thomæ *in Quodlibetis, quodlibeto 9. art. 3. ad 3.* & huius ratio à priori est; quia esse personale

Ver-

Verbi Diuini potest dupliciter sumi, scilicèt secundum quod est veluti forma essendi personaliter, & in suo effectu formali, qui est esse subsistens in natura humana absoluta. Primo modo non est producibile generatione creata, non solum ratione propria; qa est esse à se, sed ratione generali; quia primo modo, esse personale Verbi Diuini præexistit, & præintelligitur ad concursum, quo Beata Virgo fuit vera, & realiter Mater Christi Domini; tamen in suo effectu formali ei non repugnat, vt fuerit productum generatione creata à Beata Virgine; quandoquidem esse personale Verbi Diuini, vt subsistens in natura humana in Christo Domino, non præexistit ad generationem, qua Beata Virgo fuit vera, & realiter Mater Christi Domini. Dò famialiare exemplum in quantitate materiali, & dimensiua, quæ si, vt forma quantificandi intelligatur fieri denouo, implicat intelligere quantitatem ante actionem; quia fit per actionem: at verò si intelligatur in suo effectu formali fieri de nouo: & nō vt forma quantificandi, quantitas, vt forma non producitur per actionem; quia præintelligitur, sed solum producitur in suo effectu formali; quia sic non præintelligitur actioni, qua fit quantum: pariter discurrendum est de esse personale Verbi Diuini; sed nego hoc ipsum dicendum esse de Deo, quatenus est obiectum formale terminatiuum suæ cognitionis intellectiuæ in intellectu creato; & assigno disparitatem, quę nunc mihi occurrit: etenim Deus, vt obiectum suæ cognitionis intuitiuæ creatæ præsistit cognitioni intuitiuæ creatæ, non solum quatenùs Deus est forma obiectiua terminatiua, siuè intellecta, sed etiam quatenus est in suo effectu formali obiectiuo; quatenùs, scilicèt, existit, & subsistit modo intelligibili in intellectu beatorum, etiam in illo priori naturæ, quo intellectus est potens elicere in se cognitionem intuitiuam Dei; & ratio huius est; quia Deus ex eodem capite, quo est sua forma intelligibilis in intellectu creato euecto lumine gloriæ, est etiam sua forma intellecta, siuè eadem ratione, qua est obiectum motiuum in actu in intellectu creato videntis Deum, est adhuc obiectum terminatiuum formale; sed Deus, vt forma sua intelligibilis preexistit cognitioni intuitiuæ non solū, vt forma intuitiua, sed etiam in suo effectu formali in intellectu creato videntis Deum; antequam enim intellectus creatus producat in se visionem intuitiuā Dei, Deus ipse est subsistens subsistētia intelligibili in intellectu creato, & adhoc requiritur, vt intellectus sit illustratus lumine glorię: ergo pariter Deus, vt est sua forma intellecta prius natura est pręsistēs intra intellectū creatū, quā actu videatur ab eodē; nā hoc ipso, q̄ Deus subsistit intelligibiliter in intellectu creato, vt sua forma intelligibilis, subsistit etiā in eodem, vt sua ratio intellecta, eo vel maximè, quia concursus Dei, vt est obiectum cognitionis intuitiuæ creatæ, cum sit concursus primi intelligibilis, & primi intellecti, nullo pacto communicat cum concursu intellectus creati.

Neque propter hoc intellectus beatorum, est formaliter videns Deum in se; quia deest actualis cognitio, quæ est operatio intellectus, vt constituti in actu per speciem, quæ est operatio ex parte potentię, non ex parte obiecti; ad intelligendum enim actu, non requiruntur, nisi duo; scilicet, obiectum formale terminatiuum intrà potentiam, & vsus speciei ex parte intellectus videntis.

Neque dicas; intelligere est appræhendere intrà intellectum obiectum; at appræhensio, nō supponit, sed ponit obiectum intrà potentiam formaliter. Nàm

Respondeo, quod appræhendere; aliud est appræhendere obiectum præesistēs: & aliud est apprehēdere obiectū nō præexistens; secundum fit, per productionem obiecti intrà potentiam; primum verò fit per solam cognitionem circa obiectum existens.

Olim huic instantiæ assignabam aliam disparitatem; cur scilciet esse personale Verbi Diuini in suo effectu formali pducitur generatione creata à B. Virgine; Deus verò vt sua forma intellecta non producitur visione intuitiua creata ab intellectu creato; dicebam enim disparitatem esse hanc; quoniā ex intellectu, & intelligibili nō fit vnum in esse naturali, neque vnione, & compositione ex his, neque cum his, sed vnione, qua vnum fit aliud, quæ distinctio fundatur in doctrina Aristotelis docentis in *libris de Anima*, fieri magis vnum ex intellectu, & intelligibili, quam ex materia, & forma; quia materia non fit forma; sed intellectus, vt possit intelligere obiectum extra se debet fieri ipsum obiectum formaliter, non quidem per identitatem formalem, sed per hoc quod vnum imbibitur in alio in sua latitudine formali; intellectus enim non potest actu intelligere ob iectum formaliter nisi fit in

sua

ſua latitudine formali principium cognoſcendi obiectum formaliter, in qua vnione intelligibili, dicebam nõ habere locum diſtinctionem illam formæ præexiſtentis in ratione formæ, & non præexiſtentis, vt eſt in ſuo effectu formali; quandoquidem hoc eſt prædicatum conueniens componentibus compoſitione, vel cum his, vel ex his, in qua vnum non fit aliud; meuebatur autem ad hoc dicendum, quoniam vnio intelligibilis præcisè attendit rationem intrinſecam, & formalem ſuorum extremorum vnibilium; effectus autem formalis eſt extra eſſentiam formæ, & ab eo ſeparabilis, quam doctrinam doctiori relinquo conſiderandam.

Poteſt quis dicere, quod concurſus Beatę Virginis ex eo quod eſt productiuus eſſe perſonalis Verbi Diuini in ſuo effectu formali non poteſt dici productiuus; nam adhuc motus localis eſt productiuus loci in ſuo effectu formali, & tamen ex hoc non dicitur motus localis productiuus.

Reſpondeo aſſignando diſparitatem inter prædictos actus ſiuè concurſus; nam concurſus productiuus eſt ad eſſe; eſſe autem eſt intrinſecum; & hinc oritur diſparitas; nam locus eſt terminus extrinſecus, cum non afferat mobili eſſe intrinſecum; concurſus verò B. Virginis eſt ad eſſe perſonale, quod eſt eſſe intrinſecum.

Obijcies tertiò: viſio intuitiua Dei eſt vitalis repræſentatio Dei in ſe formaliter; ſed ex hoc prædicato viſio Dei debet eſſe productiua Verbi; ergo, &c. minor in qua eſt difficultas probatur; viſio beata eſt perfectior repræſentatiua Dei in ſe, quam ſit ſpecies intelligibilis intuitiua Dei: quia viſio beatifica eſt viua repræſentatio Dei in ſe cum ſit vita in actu ſecundo, cognoſcere enim, viuere quoddam eſt: ſpecies verò intelligibilis intuitiua non eſt forma intrinſeca viuendi; ſed ſpecies intelligibilis intuitiua Dei ex eo quod eſt repræſentatiua Dei in ſe, eſt formalis ſimilitudo Dei; ergo pariter ex eo quod viſio beata vel repræſentatiua Dei in ſe debet eſſe ſimilitudo Dei expreſſa ab intellectu creato iuxta illud Ioan. 3. cum apparuerit ſimiles ei erimus; quia videbimus eum ſicuti eſt; & ſermo eſt de apparitione in Patria, & non de apparitione Chriſti in carne, quia ſcilicèt cum aliquid intelligimus, habemus illius vitalem comprænhenſionem in intellectu, quod ſicut non poteſt explicari, niſi per vitalem ſimilitudinem; ità nec explicari poteſt, niſi dicatur quod cognitio beata eſt expreſſiua Verbi.

Hæc paritas torſit ingeniũ multorũ principaliũ Thomiſtarũ; qui quaſi ratione preſſi varias protulerunt ſententias.

Reſpondet enim, primò Ferrar. *loco ſup. cit.* diſtinguendo duplicem ſimilitudinem, creatam, aliam adæquatam, & aliã inadęquatam, ſpeciem expreſſam inadæquatam appellat eam, quæ producitur à ſpecie intelligibili creata Dei, vel ab intellectu creato, quæ dicitur ſpecies ex parte potentię; ſpeciem expreſſam adęquatam appellat ſimilitudinem expreſſam, & productam à forma increata, & infinita, qualis eſt Diuina eſſentia, vt forma intelligibilis in intellectu beatorum; & ſubiungit, quod cum S. Thomas dicit, Diuinam eſſentiam in ſe per nullam ſpeciem creatam videri poſſe, loquitur Angelicus Doctor de ſimilitudine, ſiuè ſpecie quę eſt ſpecies expreſſa à ſpecie intelligibili creata Dei; idem prorſus reſpondet Silueſter *ſuper art. 2. S. Thomæ verſ. pro 4. ratione* nam dicit Silueſter, quod non eſt dabile Verbũ expreſſum de Deo in ſe per ſpeciem creatam, ſed per ſpeciem increatam: nam inquit: verbum retinet imitationem ſpeciei, quæ eſt formale principium intellectui ipſum producendi; vnde tale verbum eſt ſimilitudo Dei in ſe, & alterius rei creatæ.

Sed hæc reſponſio, non eſt conformis principijs S. Thomæ. Primò; quia ſpecies expreſſa eſt ad concurſum primi obiecti terminatiui; ſed ratio primi in vniuerſum eſt incommunicabilis ad extrà; maior probatur; quoniam ſpecies expreſſa ſupplet carentiam obiecti terminatiui formalis intra potentiam, ſicut, & ſpecies intelligibilis intuitiua Dei, vt eſt obiectum motiuum ſuæ cognitionis intuitiuæ creatæ: ſed Deus, vt obiectum terminatiuum formale cognitionis intuitiuæ creatæ, eſt primum obiectum terminatiuum formale, ſiuè primum intellectum, ergo, &c. Secundò quoniam ſpecies expreſſa Dei in ſe eſt quidditas ſui obiecti formaliter, & immediati in eſſe intellecto; ſed implicat ſimilitudinem expreſſam creatam eſſe quidditatem Dei, vt eſt primum intellectum formaliter: tertiò implicat ſpecies intelligibilis creata intuitiua Dei.

Neque obſtat ratio, quam aſſignat Silueſter, dicens, quod verbum mentis retinet imitationem ſpeciei impreſſę intuitiuę Dei, quę eſt formale principium intellectui ad intelligendum.

Nam hoc primò eſt verum de Verbo mentali, quod producitur à ſpecie intelligi-

gi-

gibili productiui; falsum verò est de Verbo, quod producatur ad extra à specie intelligibili intuitiua Dei, tum quia hoc Verbum non est dabile, nec species intelligibilis Dei; tum quia species intelligibilis intuitiua Dei est ad concursum primi intelligibilis; hęc autem est incommunicabilis ad extra; tum denique; quia hæc species intelligibilis est ipsa Dei quidditas, prout est in suo modo essendi intelligibili in intellectu creato; implicat autem Dei essentiam communicari ad extra per creationem.

Respondet secundò Marcus Anto. Palumb. satis acutè huic instantiæ dupliciter.

Respondet enim primò in suo secundo Examine Scolastico *supra art. 2. S. Thomę qu.12. Dicto.3.* dicens dupliciter intelligi posse visionem intuitiuam Dei esse similitudinem siuè speciem repræsentatiuam Dei in se; vno modo, vt forma; alio modo, vt operatio formæ; primò modo negat, cognitionem intuitiuam Dei esse similitudinem, siuè repræsentatiuam Dei in se; secundo modo concedit; sed ex hoc nõ sequitur cognitionem intuitiuam Dei esse productiuam speciei expressę siuè verbi mentalis intuitiui Dei, sicut v.g, calefactio actio vt sic non est formaliter calor productus, sed solum est operatio à calore procedens, quæ cum non supponit calorem productum in subiecto, in quod agit, est productiua alterius caloris à calore pducẽte distincti: cũ verò supponit calorẽ iam præexistentem, nullo pacto calefactio est productio; pariter cognitio intuitiua Dei creata, quia supponit Deum, vt obiectum formale terminatiuum præexistentem intra intellectum, nullo pacto est productiua; sed solum est manifestatiua Dei, vt præexistentis.

Secundò, *cap. de Vis. beata ad art. 6, 7. S. Thomæ dicto secundo fine.*

Respondet distinguens duplicem similitudinem necessariam ad cognoscendũ, quæ distinctio est in terminis S. Thomæ *ar 2.* aliam ex parte potentiæ intellectiuę, aliam ex parte obiecti; Prima scilicèt est ad concursum potentiæ intellectiuæ creatæ; Secunda est ad concursum obiecti siuè motiui, siuè terminatiui; si sit forma intelligibilis est ad concursum obiecti motiui, si sit forma intellecta est ad concursum obiecti terminatiui; hac distinctione posita concedit visionem intuitiuam creatam Dei esse similitudinem vitalem, seù repræsentationem ex partæ potentiæ, & de hac similitudine, inquit, intelligenda est authoritas scripturæ, præsertim illa in qua inquit exultant Aduersarij Ioan: cap. 3. Carissimi filij Dei sumus; cum autem apparuerit similes ei erimus; quia videbimus eum sicuti est; illa autem causalis apertè demonstrat, visionem intuitiuam Dei esse assimilatiuam beati ad Deum, vt in se est, similitudo verò visionis, non est, nisi per similitudinem expressam actu cognitionis, quam vocamus verbum mentis: sed, vt diximus visio intuitiua Dei est quidem actio assimilatiua, vel ex parte videntis tantum, vel est assimulatiua, vt esse siuè, vt operatio tendens ad Deum, vt obiectum terminatiuum simile intellectui beatorum, vt est in actu per speciem intelligibilem intuitiuam Dei, quod non sufficit ad rationem Verbi mentalis, siuè rationis speciei expressæ; quoniam species expressa est similitudo Dei, vt forma intellecta, non vt operatio formæ intelligibilis in intellectu creato videntis Deum, non vt forma intellecta, quæ supplet carentiam obiecti terminatiui formalis, & immediati intra intellectum.

Respondeo equidem tertiò ex doctrina S. Thomæ *p. 2. qu.27. art. 3. in corp.* quod duplex est similitudo, alia est similitudo formalis, qua vnũ est simile alij formaliter, & actu, quia formaliter in se continet id, ꝙ habet aliud pariter formaliter: quo pacto vna albedo dicitur similis alteri, & duo homines sũt similes formaliter in humanitate, & alia est similitudo, qua vnũ dicitur simile alij; quia vnum habet in quadam inclinatione, quod habet aliud formaliter. Intellectio intuitiua Dei, non est similis Deo formaliter, sicut est species intelligibilis intuitiua Dei; sed est similitudo in actuali inclinatione; est enim actualis inclinatio intellectus beati in Deum, quatenus est sua forma essentialiter intellecta, & in hoc sensu intelligendę sunt alię authoritates S. August. & S. Anselmi supra allatæ.

Huic doctrinę neque aduersarij quiescunt; nam dicunt, quod S. Thomas *qu. 2. de potentia* dicit, quod propter hoc intellectus conceptionem rei in se format, idest, verbum mentis, siuè speciem expressam, vt rem intellectam cognoscat: idque clarissimè exprimit *in primum dist. 27. qu. 8. art. 2.* dicens Verbum esse id, quo quis intelligit formaliter, & ideo impossibile est quod aliquis intellelligit, nisi verbo intellectus sui; sed beati verè, & formaliter intelligunt Deum in se; ergo beati intuentes

se, & intrinsecè intra se producta; quatenus intellectiua indiget forma, quæ sit actualiter repræsentatiua obiecti, & hanc omnes vocamus verbum; hoc ipsum confirmat, & probat Fasol *dub. 8. num. 21. doctrina S. Thomæ 4. C.G. cap. 11.* vbi Angelicus Doctor probat Angelos cum seipsos intelligunt, vel alios, producere verbum, siuè intentionem intellectam, & huius, hãc optimam assignat rationem; quia in eis nõ est idem intelligere, & esse; & ratio ad imperfectionem intelligentis spectat: sed hęc imperfectio reperitur in omni intelligente creato, etiam in beatis intuentibus Deũ in se, quia secundum S. Thom. productio verbi absoluti, & vitalis in intellectu creato, oritur solum ex imperfectione intelligentis, non autem intelligibilis.

Quod si Suarez, & Fasolo obijcias; ex hoc sequi, neque Patrem in Diuinis posse pducere Verbũ Diuinũ, & personale; quia in intellectu Patris nulla est imperfectio.

Respondere statim possunt, verbum vitale in creatis produci cum diuisione naturæ, & esse: hæc autem semper est ex imperfectione intelligentis; in Diuinis verò Verbum producitur sine vlla diuisione esse, seù naturæ.

Respondeo, nego maiorem in creatis, verbum enim mentale cum sit similitudo repræsentatiua obiecti terminatiui formaliter, debet esse ipsa essentia obiecti terminatiui intrà intellectum existens; hęc autem similitudo necessaria est, quando obiectum formale terminatiuum non pręexistit intrà intellectum in priori naturæ antequam intellectus intelligat.

Ad rationem, qua Suarez, & Fasolus probant maiorem, scilicèt, quod potentia intellectiua creata, quatenùs intellectiua, & vitalis, indiget forma, quę sit actualiter repræsentatiua obiecti, & intrinsecè intrà se producta.

Respondeo: in intellectu creato esse duplicem indigentiam, aliam, quatenùs est intellectus in genere potentiæ, & aliam quatenùs est intellectus in genere intelligibilis, seù intellecti: quandoquidem vt docet S. Thomas *p. p. q. 12. ar. 2. in corpore*, vt intellectus intelligat actu indiget duplici similitudine: alia ex parte potentiæ intellectiuæ, & alia ex parte obiecti; doctrina autem fundatur in hoc, quia natura cognoscentis per hoc differt à natura non cognoscentis, quia natura cognoscentis, nata est, vt non solum sit ipsa, sed alia à se formaliter: natura verò non cognoscentis nata est esse ipsa formaliter, licet possit esse alia per vnionẽ accidentalẽ; hac doctrina posita; & hac posita distinctione.

Respondeo nego, quod verbum vitale, non producitur propter indigentiam, siuè imperfectionẽ obiecti. Nã verbũ mentis supplet indigentiam potẽtiæ in genere obiecti terminatiui formalis, q̃ est carẽtia obiecti formalis terminatiui intra potẽtiã, non autem propter in digentiam, aut imperfectionem potentiæ intellectiuæ in ratione potentiæ; & hoc ipsum ostendit ratio etiam S. Thomæ citata, quod Angeli cum intelligunt seipsos, aut alios Angelos producunt verbum, quia in eis non est idem intelligere, & esse; & probatur, quia ex eo quod in Angelo intelligente seipsũ, non est idem intelligere, et esse, sequitur quod in Angelo intelligente seipsum non præexistit obiectum terminatiuum formale in intellectu Angeli, similiter ex eo quod in Angelo non est idem intelligere, & esse producit verbum mentale ob eandem causam: quia omnia entia creata, cum non sint suum esse intellectum, non præexistunt, vt obiectum formale terminatiuũ intra cognoscentem intellectum; neque oppositum probat discursus Suarez, & Fasoli, quod verbum vitale producitur propter imperfectionem naturalem conditionem potentiæ intellectiuæ creatæ, quæ quatenus non est actus purus, sed potentialis, indiget forma per quam redigatur in actum, quatenus vitalis indiget forma intra se producta, &c. nàm, vt dixi in potentia intellectiua creata est indigentia duplicis formæ, siuè similitudinis ex parte potentiæ, & similitudinis ex parte obiecti, & hoc non solum in actu secundò, sed etiam in actu primò; & confirmatur, nàm si verus esset discursus Suarez, & Fasol. probaret etiam speciem intelligibilem requiri in intelllectu propter solam imperfectionem potentię in ratione potentię, quod est falsum; quia potẽtia intellectiua, vt actu intelligat requirit intra se obiectũ formale motiuũ, & terminatiuũ, eo ꝙ ad intelligendũ requiritur deplex similitudo.

Neque huic responsioni acquiescunt Aduersarij contendentes, verbum esse id, quo quis intelligit formaliter ex parte intellectus; idque probat ratione Aureoli *quodlib. 8 art. 1. § ratione etiam*. Actus enim visionis inquit Aureol. facit formaliter, vt obiectum menti appareat, luceat, & sit præsens in esse conspicuo, & prospectu; nàm dato inquit, quod nulla mutatione aliqua facta, nec ex parte Dei, nec ex parte beati annihilet Deus visionem in mente

beati, constat quod non est apparẽs lucens, nec conspicua Dei essentia illi menti, sed aberit secundum esse prospectum; hoc autem visio facere seipsa formaliter non posset, nisi ipsa esset realis, & expressissima similitudo; & realis apparitio, præsentialitas, & similitudo cõspicua rei; obiectũ .n. q apparet, & relucet relucentia ex apparitione expressissima apparet, & lucet; erg. &c.

Respondeo eadem distinctione, quod actus visionis v.g. intuitiuę Dei facit formaliter, vt obiectum menti appareat, luceat, &c. apparentia, & luce ex parte potentiæ, non autem apparentia, & luce intelligibili, & intellecta; datur enim duplex lux, siuè lumen; aliud intellectuale, & aliud obiectiuum, quod distinguitur in lumen obiectiuum intelligibile, & in lumen obiectiuum intellectũ intrinsecè, siuè in lumen obiectiuum motiuũ, & in lumen obiectiuum terminatiuum; omne enim, quod manifestat, lumen est; sed non solum est manifestatiuum virtus intellectiua, sed etiam lumen intelligibile; est enim intelligibile principium formale, quo cognoscitur obiectum intrinsecè; vtrumque autem lumen dupliciter sumi potest vno modo in actu primo; alio modo in actu secundo; in actu primo lumen ex parte potentiæ est virtus intelligendi; in actu verò secundo est actualis intellectio. Lumen intelligibile terminatiuum seipso est completiuum; in actu verò secundo est ipsũmet, quatenùs seipso fit obiectum actualis cognitionis, eo nimirùm modo, quo velle necessarium Dei dicitur in probabili opinione fieri liberum in actu secundo, quatenùs seipso fit velle termini contingentis materialis.

Quod si annihilet Deus visionem in mente beati, Dei essentia menti, siuè intellectui beatorum est non lucens in actu secundo; ex parte intellectus, non ex parte obiecti; quia Deus præexistit in intellectu beatorum, vt intellectum essentialiter, & in actu primo in suo effectu formali; potest hæc doctrina explicari exemplo immensitatis Dei, quæ antequam fuerit mundus creatus erat in Deo formaliter, & in actu primo, nimirum respectu termini primarij, non respectu termini secundarij, & materialis; posita verò Mundi creatione fuit immensitas in Deo in actu secundo, quatenùs posita mundi creatione immensitas, quæ erat tantum ipsius Dei, vt termini primarij seipsa facta fuit immensitas Mũdi actu existentis; pariter Diuina essentia, vt est obiectum terminatiuum suæ cognitionis intuitiuæ in priori naturæ, antequã intelligatur terminare seipsa cognitionem suam intuitiuam creatam, præintelligitur in actu primò; quoniam Deus, vt seipso intellectus præintelligitur in priori naturæ subsistens in intellectu beato, antequã actu intelligatur in posteriori naturæ ab intellectu; & ratio huius a priori est; quoniam visio Dei est actus secundus, non ex parte obiecti visi, sed ex parte intellectus videntis Deum; Aduersarij autem putant, Deum subsistere intra intellectum formaliter per cognitionem intuitiuam; sed hoc est falsum, quia vt præexistat antè cognitionem satis est, vt sit approximatus intellectui creato medio lumine gloriæ, sicut per lumen gloriæ sufficienter vnitur ex parte intellectus Deus, vt sua forma intelligibilis.

Obijcies quintò, similis ratio, quæ est de amore respectu voluntatis, est de verbo mentali respectu intellectus; sicut enim amor procedit à voluntate amante, ita verbum procedit ab intellectu dicente; sed in voluntate amante Deum, & quodcunque aliud bonum, volitio non est sola actio amandi, sine vllo termino intrinseco, qui dicitur amor; sed est volitio cum amore, qui est terminus intrinsecus, quo voluntas efficitur formaliter, & in actu secundo amans; ergo pariter in intellectu intelligente Deum, & quodcumque aliud verum, intellectio non est sola actio intelligendi; sed addi debet illius terminus intrinsecus, qui sit verbum.

Respondeo, concedo maiorem, & distinguo minorem; actio enim voluntatis alia est circa terminum, idest circa bonum non præexistens in esse volito intrinsecè, & alia est circa bonum, vt volitum intrinsecè præexistens. Prima volitio est ꝓductiua; secũda verò nõ est ꝓductiua; distinctio hæc duplicis volitionis productiuæ, & nõ productiuæ, reperitur primò in Deo ad intrà, velle enim notionale, quo Pater, & Filius se amando producunt amorem personalem, qui est Spiritus Sanctus; quia hic amor personalis, non præexistit, ita adhuc amor personalis suo velle notionali cum sit persona Diuina amat Patrem, & Filiũ, & tamen hoc velle notionale non est productiuum; quia præsupponit amorem personalem, iam productum; siuè supponit suum obiectum formale terminatiuum. Secundò, eadem distinctio reperitur in voluntate creata, quę amans seipsam producit in se amorem, qui est terminus

mus productus actione amandi; & ratio est; quia volitio, qua voluntas amat seipsam, non præsupponit suum terminum formalem præexistentem; nàm non est voluntas creata ipsum volitum intrinsecum; cum verò eadem voluntas reflexo actu amat amorem, quem suo actu produxit, non producit hoc actu reflexu aliũ amorem; quia præsupponit amorem, iam completum in ratione termini formalis; hanc distinctionem explicat S. Thomas 4. *C.G.c.* 11. probans, verbum, quod sepè in illo capite, & alibi appellat intentionem intellectã, non esse ipsã rem, q̃ intelligitur; sed quãdã similitudinẽ cõceptã intellectu de re intellecta, ait rationẽ esse; quia aliud est intelligere rẽ, & aliud est intelligere ipsã intentionem intellectã: quod intellectus facit, dum super suum opus reflectitur; vbi apertissimè asserit, actu illo directo, quo per verbum formaliter intelligitur obiectum, non intelligi verbum signatè, sed solum posse intelligi signatè alio actu reflexo, qua reflexione intelligitur non solum verbum, sed etiam actio ipsa intelligendi; actu verò directo producitur verbum, quando res intellecta, *non præexistit* in ratione obiecti terminatiui formalis intellectionis intrà intellectum cognoscentem: sed actu reflexo nullò modo producitur verbum; quia actus reflexus semper fertur super intentionem intellectam, quæ est obiectum formale terminatiuum intellectionis; pariter discurrendum est de actu voluntatis, tàm creatæ, quam increatæ.

Obijcies sextò; implicat dari cognitionem actiuam, sine cognitione passiua: actiuum enim, & passiuum sunt correlatiua; posito autem vno correlatiuorum, ponitur, & reliquum; sed omnis cognitio est actiua; ergo implicat dari cognitionem, nisi detur cognitio passiua; sed cognitio passiua est verbum mentale in fieri; ergo in omni cognitione datur verbum mentis.

Respondeo ex dictis, actionem esse duplicis conditionis, aliam productiuam, & aliam non productiuam; ex his, actio productiua, siuè actiuum productiuum, necessariò supponit actionem actam, quæ est fieri termini actionis; actio verò non productiua, non præsupponit fieri termini actionis; & ratio diuersitatis est; quia actio non productiua supponit terminum suum formalem, non præexistentem, qui non est factibilis, nec producibilis; actio verò productiua non supponit suum terminum præexistentem, sed solum non præexistentem.

Neque obstat si dicas, quod intelligere, secundum Aristotilem, est quoddam pati; sed vbi est passio ibi est fieri termini.

Neque in quam obstat; nàm intelligere dicitur ab Aristotile, quoddam pati, vel quia omnis actus intelligendi in creatis præsertim originatur à passione secundum impressionem speciei intelligibilis; hæc enim initium est intelligendi, vel quia omnis intellectio, cum sit actio immanens completur per passionem, quatenus actio immanens recipitur in eodem intellectu à quo fluit; aptius enim, & commodius denominatio sumitur à termino, & complemento. Intelligere, vt est ab intellectu est inchoatum, & imperfectum, completur verò per hoc, quod recipitur in intellectu: est enim intelligere mouere seipsum, & in seipso; intelligere enim dicitur quoddam pati; quia præter intelligere, quod fluit à potentia intelligente, datur intelligere passiuum, q̄ est fieri verbum, nisi intelligere sumatur pro intelligere, quod est dicere.

Plura dubia, & quæsita fieri solent à Scholasticis circa verbum mentis, quod est terminus productus intellectione, quæ ad complementum articuli, necessariò explicanda sunt.

Primum quæsitum est, sit ne verbum mentis medium, in quo cognito intellectus cognoscit eius obiectum extra, an medium quo tantum intellectus cognoscit obiectũ ad extra.

Difficultas hæc controuersa est vniuersaliter apud Scholasticos; & quod mirũ est, etiam apud Thomistas ipsos, & quantum video, dubia est resolutio huius quæsiti in S. Thoma; multis enim in locis S. Thomas videtur asserere verbum mentis non esse mediũ in quo, siuè non esse obiectum immediatum, in quo viso, intellectus cognoscit obiectum extra, sicut docent Theologi; Deum esse obiectum, in quo cognito videntur creaturæ, saltem possibiles in generali; sed non medium quo præcisè; idque probatur: nam S. Thomas in 1. *dist.* 27. *qu.* 2. *art. ad* 4. Deus inquit, intelligit essentiam suam per essentiam suam: vndè essentia se habet, vt intelligens, & vt intellecta, & vt quo intelligitur; & in quantum se habet, vt id quod intelligitur, est ibi verè ratio intellecti, sed in quantum se habet, vt quo intelligitur, sic est ibi ratio verbi.

His verbis S. Thomas opponit rationem obiecti intellecti rationi verbi, quo obiectum intelligitur manifestè significās, ac supponens, verbum non habere rationem intellecti, quæ est ratio obiecti, & medij, in quo, sed tantum formalem rationem medij, quo obiectum est intellectum.

Nec potest S. Thomas explicari de ratione intellecti extra ipsum intelligentem; quia loquitur de essentia Diuina, quæ maximè est intra Deū intelligētem; & tamen de hac essentia dicit, non habere rationem intellecti; sed verbi, inquantum scilicèt, se habet, vt quo intelligitur; & paulò infrà addit, quod essentia Diuina inquantum est id, quo aliquid in Diuinis formaliter intelligitur, sic ipsa essentia est verbum; ergo secundum S. Thomam hoc loco, verbum est id, quo formaliter aliquid intelligitur: id quo autem, & id quod, non sunt idem formaliter ex suo genere.

Oppositum huius docet S. Thomas *qu. 4. de Verit. ar. 2. in medio, & in fine corporis*, dicens, verbum esse ipsum interius intellectum, quod actu consideretur per intellectum; & *lib. 1. C. G. cap. 35. & lib. 4. cap. 11.* & sępe alibi, verbum mentis appellat intentionem intellectam.

Ad hanc authoritatem S. Thomæ Fasolus *tomo 3. p. p. S. Thomæ qu. 27. de Proceß.* Diuinarum personarum *art. 1. dub. 13. n. 256.*

Respondet, duobus modis verbum à S. Th. dici intellectum.

Primo per immediatam, & solam habitudinem ad potentiam intellectiuam. Secundo per immediatam habitudinem ad rem, quam seipso formaliter, & actualiter manifestat intellectui, vt facit intellectum in actu, nàm inquit S. Thomas de *Poten. qu. 4. art. 2. post medium corporis*, quod verbum intellectus in nobis duo habet de sua ratione, scilicèt, quod est intellectum, & ab alio expressum, & *qu. 8. ar. 1.* paulò post medium corporis dicit, quod verbum intellectus oritur quidem ab intellectu per suum actum; est verò similitudo rei intellectæ.

Prima habitudo inquit Fasolus, est habitudo intellectus ad verbum, vt causæ effectiuæ ad suum effectum, & in hoc sensu S. Thomas appellat verbum intellectū; quia est id, quod intrinsecè producitur ab intellectu per actum cognitionis.

Secunda verò habitudo ad rem, quam seipso actualiter, & formliter manifestat intellectui, inquit Fasolus, pertinet ad verbum inquantum est similitudo rei intellectæ, & sic verbum non est id quod; quia non est id quod producitur ab intellectu per actum intellectionis, sed præcisè est id quo obiectum manifestatur, & repræsentatur intellectui. Cæterū cū inquiritur, an verbum mētis sit id quod intelligitur primò, & immediatè, an id quo; difficultas intelligitur de verbo intellectus, non quatenùs est effectus intellectus per actum intellectionis, sed inquantùm est similitudo rei intellectæ; & in hoc sensu sumendo verbum intellectus, verbum non est id quod intelligitur, sed id quo tātum obiectum intellectus intelligit.

Hanc Fasoli sententiam docuit prius Durandus in *1. dist. 27. q. 2. à n. 19.* quam sequuntur Fonseca *7. met. c. 8. q. 3. sect. 5. ad 3.* Molina *p. p. q. 12. ar. 2 disp. 1. concl. 1. §. ad hoc*, Suarez, Vasquez, & alij contra Caiet., Capreolum, Ferrar. & alios, quorum opinio semper mihi arrisit, vtpotè conformis principijs primis S. Thomæ: vndè ad hoc dubium: respondendo pono sequetem conclusionem in ordine.

Conclusio quinta, verbum intellectus, siuè mentis, etiam vt similitudo rei intellectæ directè, & immediatè cognoscitur, vt quod, non vt quo præcisè, siuè sub alijs verbis est medium, quod vt cognitum est ratio repræsentans intellectui rem intellectam: vel, & in idem redit, verbum mentis est medium formale, in quo cognito cognoscitur obiectum, cuius est verbum; conclusionem hanc docent ferè communiter Thomistæ, & clarissimè omnium Torres *p. p. q. 27. disp. 5. p. p. aßertione 4.* maximè motus authoritatibus S. Thomæ, quarum prima, & præcipua est authoritas *q. 9. de potentia ar. 5.* vbi docet S. Thom., quod, id quod, est per se intellectū, non est res illa, cuius notitia per intellectum habetur, sed est primò, & per se intellectum, quod intellectus in seipso concipit de re intellecta.

Hæc S. Thomæ authoritas intelligi potest de verbo intellectus, inquātum est effectus, nō autē inquantū est similitudo rei intellectę, vt Fasol. exponit; quia vt infrà probabo, expositio non est conformis principijs primis S. Thomę: nā intellectus intelligendo format verbum.

Secunda authoritas, in qua valdè fundatur Torres, est etiam S. Thomæ in *c. 1. Io. lect. 1.* non longè à principio. Istud ergo sic expressum, scilicèt formatum in anima, dicitur verbum interius; & ideò inquit comparatur ad intellectum, non sicut

quo

quo intellectus intelligit; sed sicut in quo intelligit, quia in ipso expresso, & formato videt naturam rei intellectam; & quidem hac authoritate luce clarius significatur, quod conclusio posita est in terminis S. Thomæ, vt autem ea clarè intelligatur aduertendum prius est ex doctrina S. Thomæ, quantum facit ad propositum, dari mediũ cognitũ, rationẽ cognoscẽdi, & rationẽ sub qua cognoscẽdi. Mediũ cognitũ, est id quod terminans, vt quod cognitionem facit alterius venire in cognitionem alterius termini, quemadmodum S. Thomas docuit *p.p.* quod Deus, vt visus, & cognitus, est ratio cognoscendi entia creata, non quidem; quia Deus cognitus, & visus est ratio videndi creaturas, vt ratio formalis incognita, sed quia est ratio formalis cognoscendi, inquantum est ratio cognita sicut nonnulli Phylosophi in nostra materia opinantur, quod idòlum apprehensum in speculo, vt cognitum, facit venire in cognitione prototopi sui siuè primi exemplaris. Ratio formalis cognoscendi deficit à medio cognito; quia, facit cognoscere, sed ipsa non cognoscitur vt quod, sicut in materialibus perspicilli admoti oculis sũt ratio videndi colores: ipsi tamen non videntur. Ratio sub qua est v. g. lumen sub quo aliquod obiectum innotescit potentiæ cognitiuæ, e. g. in materialibus, ratio sub qua videndi colores lumen est, & in scientijs ratio sub qua sciendi est lumen euidentiæ, vel lumen authoritatis, &c.

In hac conclusione dicimus cum S. Thoma, quod verbum mentis siuè intellectus est medium, vt quod cognitum est ratio cognoscendi eius obiectum extra, siuè quod verbum mentis est medij in quo vt cognito cognoscitur eius obiectum extra.

Ratio fundamentalis cõformis principijs primis S. Thomæ mihi est hæc; verbum mentis supplet defectum, siuè carentiam obiecti exterioris formaliter; sed obiectum exterius, est id, quod cognoscitur; ergo & verbum mẽtis debet formaliter esse id quod cognoscitur ad intra, vt quod, & vt sic est etiam ratio formalis, vt cognita cognoscendi suum obiectum extrà: hęc ratio explicari debet eo modo, quo explicatur, & probatur, speciem intelligibilem esse id quod mouet intellectum ad intrà, nimirùm esse suum obiectum motiuum formaliter, quia supplet carentiam obiecti motiui formaliter: sed obiectum motiuum formaliter, est id quod mouet intellectum; ergo, &c.

Instant acriter nonnulli Recentiores, quod si hoc verum esset cognitio non vlterius progrederetur, quam in ipsum verbum mentis, quod est falsum; sequela probatur, quoniam verbum mentis est id, in quo terminatur cognitio formaliter: in termino autem formali sistit cognitio.

Sed vt verum fatear, vim huius sequelæ non percipio: nam in conclusione cum S. Thoma, non dicimus, verbum mentis, siuè intellectus esse præcisè id quod immediatè intelligitur, sed dicimus verbum mentis esse medium, quod, vt cognitum, est ratio formalis cognoscendi obiectiua, & vt cognita, id cuius est verbum; instantia autem procedit solum contra primum sensum; nos autem loquimur cum S. Thoma in secundo sensu, qui est verus, & intentus à S. Thoma, & formo sic discursum contra instantes.

Si verbum mentis esset ratio, qua videtur eius obiectũ extrà, nulla esset difficultas Instantibus, & Aduersarijs, quod ꝓ nõ illũ possemus cognoscere vlterius obiectũ extrà, sed ꝙ cognoscatur verbũ vt ꝗ, & sit medium cognoscendi, & cognitum nullum impedimentum superuenit, quia est medium cognoscendi, vt cognitum duplex enim est medium cognoscendi aliud, vnum est medium cognoscendi, vt principium formale cognitionis, & hoc est principium formale cognoscendi incognitum; & aliud est principium cognoscendi, vt cognitum, & hoc est similitudo intellecta obiecti ad extra; vel est ipsumet obiectum, ꝙ est suũ esse intellectũ intra potẽtiam cognoscentem, quemadmodum Deus visus, & cognitus est medium beatis videndi creaturas, vel quia est causa creaturarum, vel alia ratione, vt suo loco dicetur.

Neque hic modus cognoscendi impertinens est; imò valde necessarius est, deficiente obiecto.

Solent aliqui rem hanc ita explicare verbum mentis, est ratio terminatiua, & motiua; obiectum verò vlterius, est sola ratio terminatiua. Explico, quæ dicunt. Si vera est opinio illa recitata de speculo, tunc idòlum in speculo mouet, & terminat actum visionis; obiectum verò exterius in quod perceptio idòli tamquam cognoscendum deducit, habet solam rationem termini.

Sed, vt hęc explicatio vera sit, supponenda est doctrina, quam supra explicauimus, Deum, vt obiectum formale terminatiuum, vt primum intellectum concurrere

rere concursu obiectiuo terminatiuo ad cognitionem intuitiuam creatam, qui est co ncursus proprius Dei, & hic vt sit actu in intellectu creato, solum requirit, vt intellectus creatus sit eleuatus in ratione potentiæ supernaturalis lumine gloriæ.

Contra hanc conclusionem asserentem, verbum mentis esse medium, in quo cognito cognoscitur obiectum extra, siuè obiectum immediatum, in quo actus directus intelligendi ducit ad aliud obiectum mediatum, plura sunt argumenta, quę clarè opponuntur à Hieronym. Fasol. *loc. sup. citat. in 1. & 2. tom. ad p. p. S. Thomæ*.

Primum est, quia Thomistæ discedunt ab expressa S. Thomę sententia, nam in 1. *dist.* 27. *q.* 2. *ar.* 2. *ad* 4. docet, essentiam Diuinam respectu ipsiusmet intellectus Diuini habere, & non habere rationem verbi Diuini; quia inquit, inquantum se habet, vt id quod intelligitur, est ibi verè ratio intellecti, sed inquantum se habet, vt quo intelligitur, sic est ibi ratio verbi.

His verbis S. Thomas opponit verbum ad esse intellectum, quod est id quod intelligitur; ergo verbum apud S. Thomã non habet rationem obiecti intellecti, seù medij, in quo, sed tantum est medium, quo intelligendi, & *in ar.* 2. docet, verbum, quod definit esse speciem, & similitudinẽ rei intellectæ, prout est concepta in intellectu, & ordinata ad manifestationem, esse id, quo aliquid formaliter intelligitur; sed forma, qua formaliter habetur effectus, non est id quod habet formaliter eũdem effectum, v. g. calor, quia est id quo formaliter subiectum calefit; ipse non calefit; ergo si verbum est id, quo formaliter aliquid intelligitur, ipsum non est id quod intelligitur illo actu directo, quo aliqua res per verbum intelligitur, & 4. *C. G. cap.* 11. probans S. Thomas verbum, quod sæpè in illo capite, & alibi appellat, intẽtionem intellectam, non esse ipsam rem, quæ intelligitur, sed quandam similitudinem conceptam intellectu de re intellecta, ait rationem esse; quia aliud est intelligere ipsam intẽtionem intellectam, quod intellectus facit, dum super suum opus reflectitur.

Quibus verbis apertissimè asserit actu illo directo, quo per verbum formaliter intelligitur obiectum, non intelligi verbũ, sed solum posse intelligi alio actu reflexo, qua reflexione potest intelligi, non solum verbum, sed etiam actio ipsa intelligendi.

Respondeo, quod duplex est esse intellectum; aliud materiale, & aliud formale, scilicèt aliud est esse intellectum extrinsecè, & aliud est esse intellectum intrinsecè; verbum mentis, vt supra diximus, est esse intellectum intrinsecè, non esse intellectum extrinsecè; prætereà esse intellectum intrinsecè, non est præcisè id quod est intrinsecè intellectum, sed est id quod, vt intellectum, est medium formale cognoscendi obiectum extra, cuius est verbũ, qua definitione explicãtur duo esse de ratione adæquata verbi.

Primum est, esse intellectum, quod est veluti genus commune intellecto intrinsecè, & intellecto extrinsecè.

Secundum est, esse intellectum intrinsecum, non quocumque modo, sed est esse intellectum, quod vt cognitum est mediũ intelligendi obiectum extrà, & hoc secundum, est veluti differentia contrahens esse intellectum vt sic, & constituens essentialiter verbum mentis, & hoc voluit significare S. Thomas in 1. *sententiarum dist.* 27. *sup. cit.* docens, Diuinam essentiam inquãtùm se habet, vt id quod intelligitur, habere verè rationem intellecti; sed inquantùm se habet, vt quo intelligitur, sic est ibi ratio verbi; vndè prædictis verbis S. Th. opponit esse verbi ad esse intellectũ vt sic, & ad esse intellectũ intrinsecè; intellecto .n. vt sic, opponitur veluti species suo generi, intellecto verò extrinsecè opponitur esse verbũ, vt vna species alteri speciei sub eodem genere, sicut homo opponitur leoni sub genere animalis.

Neque contrarium docet S. Thomas, dicens, verbum esse id quo aliquid formaliter intelligitur, namque aliud est principium cognoscendi, vt non cognitum, & huiusmodi est species intelligibilis, & aliud est id quo formaliter, vt cognitum, est medium cognoscendi aliud; verbum mentis est id quo secundo modo; non autem id quod primomodo; id enim quo primo modo est diuersum à verbo mentis, vt suprà explicauimus.

Ad alias authoritates S. Thomæ, facilis est responsio ex sola penetratione terminorum.

Secundum argumentum assumptum à Duran. *in* 1. *dist.* 27. *qu.* 2. *num.* 19. nullus cognoscens expressa, ac directa cognitione aduertere potest se cognoscere, aut cognouisse duo obiecta: alterum repræsentans, alterum repræsentatum, sicut id clarissimè apparet cum cognoscitur aliquid in speculo, vel imaginatum in sua imagine, sed solum aduertit se habere, & habuis-

buisse in mente, vnum tantum obiectum purè, & simpliciter repræsentatum; sed hoc est signum euidens, quod verbum mētis non est medium, in quo cognito cognoscitur eius obiectum extrà; illud enim obiectum, quod nullus homo intelligendo aduertere potest esse sibi obiectum, & à se intellectum, est omnino fictum.

Explicatur hæc ratio; si directa cognitione cognosceremus duo obiecta, nempè immaginem alicuius rei; mediatè verò rem ipsam, idest imaginatum, sicut experimur nos cognoscere rem imaginatam, quæ est obiectum extrinsecum, & remotum, ità multò magis experiri deberemus, nos cognoscere imaginem, quę est obiectum intrinsecum, & proximum; etenim hanc ob causam, cum cognoscimus rem aliquam in speculo, aut imaginatum in sua imagine; quia cognoscimus verè duo obiecta, hoc euidenter experimur, & aduertimus; sed hanc experientiam, & aduertentiam, non experimur, dum intellectu cognoscimus obiectum extra existens; ergo hoc obiectum primum, & immediatum, quod dicimus verbum si ponatur immediatè directè cognosci, est omninò fictum.

Confirmatur primò; nàm si verbum esset obiectum immediatum, solum verbum videretur intuitiuè, & immediatè; cętera verò omnia, quæ repræsentantur per verbum viderentur mediatè, & abstractiuè, in seipsis, quod est absurdum; etenim ex hoc plura sequuntur absurda.

Primum est quod Pater in Diuinis non cognosceret se cognitione intuitiua, neque cognosceret Spiritum Sanctum: quia cognosceret se, & Spiritum Sanctum in Verbo personali producto, & genito.

Secundum absurdum, quod sequitur per hanc opinionem est, quod melius, & perfectius videt oculus corporalis suum obiectum visibile; quia non mediante alio obiecto prius viso, quam humanus, vel etiam Angelicus intellectus suum obiectum intelligibile: quia mediante alio prius intellecto.

Tertium esse deberet verbum notius suo obiecto mediato, & ad extra, quod per verbum, & in verbo cognoscitur, sicut cognoscenti Cæsarem in sua statua notius est se cognoscere statuam, quam Cæsarem, & tamen contra accidit; quoniam de cognitione obiecti extrà, sumus certissimi: de cognitione verò verbi mentalis nihil plenè scimus; nec scire possumus; licet diligentissimè, & attentissimè aduertere velimus.

Confirmatur secundò, si aliqua cognitio intellectiua esset productiua verbi intellecti, vt quod, adhuc aliqua cognitio visus corporalis esset productiua sui verbi: sed hoc est falsum: & ex hoc ipso, quod huiusmodi obiectum immediatum non reperiatur in sensu, possumus rectè arguere non reperiri in intellectu; sicut ex alia simili paritate cum voluntate docet Durā. *loco cit. num* 22. quod in voluntate, non est aliqua forma, quæ sit primò obiectiuè dilecta, vt ratio diligendi aliud; ergo in intellectu non est aliqua forma, quæ sit primò obiectiuè cognita, & ratio cognoscendi alia ad extra. Sunt, & alia absurda quę infra explicabuntur.

Respondeo primò ad principale argumentum, distinguo maiorem, nullus cognoscens cognitione directa aduertere potest exercitè se cognoscere, aut cognouisse duo obiecta, alterum repræsentans, alterum repræsentatum, & nego; nullus cognoscens directa cognitione aduertere potest se cognoscere duo obiecta signatè, & concedo; cognitio enim signata in intellectu creato est cognitio reflexa distincta à cognitione directa formaliter, solum cognitio in Deo, vt ostendit S. Thomas *p. p. qu.* 14. *art.* 4. *ad* 3. est omnis cognitio, & directa, et reflexa: nam ex S. Thoma intelligere Diuinum est subsistens, nimirum cum sit substantia in Deo in vno simplicissimo esse Diuino sistit, nec vlterius procedit, sed in se ipso subsistit, intelligere verò intellectus creati cum sit accidens, est limitatum, & consequenter est diuisibile in intelligere directum, & intelligere reflexum; & hæc disparitas tollit illud inconueniens, quod in Deo sint cognitiones reflexæ in infinitum ratione virtualiter distinctę.

Distinctio hæc clara est, & familiaris Thomistis, & explicatur à simili, præsertim ab illis qui docent, naturam, quæ non est essentialiter singularis, fieri vniuersalem sola cognitione abstractiua; isti enim dicunt, quod intellectus abstrahens naturam à suis singularibus cognoscit exercitè naturam vniuersalem in actu non signatè, nimirum cognitione directa abstrahente: similiter è conuerso Theologi docent beati intuentes Deum cognoscere Deum esse infinitum, sed non exercent modum infinitum cognoscendi. Sine dubio si intellectus creatus intelligēs obiectum non præexistens in ratione obiecti formalis terminatiui, non intelligeret exercitè se intelligere Verbum immediatè,

ver

verbum mentis non esset medium cognoscendi, vt cognitum obiectum extra quod est falsum, vt ostendimus ratione à priori: quod autem intellectus cognoscit exercitè se cognoscere obiectum extra in verbo, est clarum etiam ex hoc; primò quia intellectus experitur se cognoscere obiectum extra absens, & existens intra intellectum: scit enim intellectum, non dari actionem immanentem intellectiuam in suo termino formali cognito: implicat enim dari cognitionem siuè cognito formali, & immediato. Secundò, quia cognoscendo producit verbum.

Cum verò dicit Durandus, quod hoc debet experiri intellectus, sed nullus intellectus hoc experitur.

Respondeo experientiam esse duplicis conditionis: aliam sensitiuam, & aliam intellectiuam. Intellectus creatus experitur hoc non solum experientia intellectiua, & rationali, sed etiam à simili experientia sensitiua; nàm experitur imaginatum, esse cognoscibile in sua imagine tamquam in medio in quo cognito: sed verbum mētis est imago sui obiecti extrà: ergo ex hoc discursu adhuc intellectus experitur, & cognoscit cum ipsa intelligit se cognoscere obiectum extra, intra.

Respondeo secundò adhuc ad principale argumentnm, quod adhoc, vt experientia probetur verbum mentis esse medium, in quo cognito satis est, vt cognoscens cognitione reflexa cognoscat se cognoscere obiectum extra, intra se, in verbo mentis, quod cognitione producit, & sic cum dicit Durandus, quod hoc cognoscens debet experiri, nullus intellectus cognoscens hoc experitur; ergo, &c.

Respondeo, debet intellectus cognoscens experiri se cognoscere obiectum extra intrà cognitione directa: & nego; cognitione, & experientia reflexa, quę est rationalis, & cōcedo: & hāc cognitionē reflexā, & rationalē habet omnis intellectus qui procedit p prima principia: prima autē principia cur verbū mētis cōcedēdū sit in intellectu, dum cognoscit obiectum, vt non præexistens in esse intellecto intrinsecè intra intellectum cognoscentem, sunt hæc, primum: quia verbum mentis concedendum est in intellectu quia supplet carentiam obiecti formalis terminatiui intra intellectum cognoscentem.

Secundum principium est; quia intellectus cognoscit obiectum extra, intrà se; hoc enim non esset, nisi produceret verbum: nec mirum si contrarij Authores negent verbum mentis esse medium, in quo cognito, cognoscitur obiectum extrà; quoniam contendunt verbum mentis produci ob defectum potentiæ intellectiuæ, non ob carētiā obiecti intrà: etenim Suarez in *p. p. S Thomę tract. 1 lib. 2.* longo sermone disputans de verbo mentis, acutè satis, vt solet, asserit verbum mentis creatum, non esse necessarium propter aliquam imperfectionem ex parte obiecti, nec propter absentiam, quasi localem, nec propter carentiam existentiæ, vel aliquid simile; &c. sed præcisè propter imperfectionem, & conditionem naturalem potentiæ intellectiuæ, quæ quatenus potentialis est, indiget propria forma, per quam in actu redigatur; quatenùs potentia vitalis est, indiget forma a se producta, & denique quatenùs intellectiua, seù cogoscitiua est, indiget forma repræsentatiua, & hæc inquit Suarez vocatur verbum; hoc autem principio posito, & concesso, verbum non potest esse medium, in quo cognito cognitione directa cognoscitur eius obiectum extrà intellectum existens; quandoquidem ratio à priori cur verbum mentis sit medium cognoscendi vt cognitum; est quia supplet carentiam obiecti formalis terminatiui, vt quod formaliter intrà potentiā; quippè existēte obiecto terminatiuo formaliter intra potentia, potētia cognitiua, nō est pductiua verbi mentalis; quēadmodū existente obiecto motiuo, & formali intrà potentiam cognitiuam, non indiget specie intelligibili potentia cognitiua, vt suprà ostendimus de specie intelligibili.

Ad primam confirmationem, quæ dicitur, quod si Verbum esset obiectum immediatum, à Patre in Diuinis, videretur solum Verbum personale intuitiuè, & immediatè, idest in seipso; cætera verò omnia viderentur in Verbo cognito mediatè, & abstractiuè, & non in seipsis, quod est absurdum.

Respondeo, in Patre in Diuinis esse duplicem cognitionem, aliam absolutam, scilicèt, quæ conuenit omnibus tribus Personis Diuinis, & aliā notionalem, quæ est propria cognitio Personæ Patris.

Prima non est productiua, tùm quia virtualiter præexistit cognitioni Diuinæ absolutæ essentia Diuina, vt obiectum formale terminatiuum; tùm etiam quia productio realis requirit distinctionem realem producentis a producto realiter; intellectus autem Diuinus, vt potentia intellectiua absoluta, non distinguitur rea-

realiter à Diuina essentia; in Deo enim nulla est actualis distinctio realis, nisi ex oppositione relatiua originis; cognitio verò notionalis Patris, est productiua Verbi, quia Verbum Diuinum est posterius origine non prius origine cognitione, qua procedit à Patre. Prima cognitio dicitur intelligere absolutum. Secunda cognitio dicitur intelligere notionale, notione Patris, quia conuenit soli personæ Patris.

Ex his cognitionibus virtualiter distinctis, Pater cognitione absoluta cognoscit immediatè non solum seipsum, sed omnia quæ sunt in Deo, tam essentialia, quam personalia, siuè notionalia; cognitione verò qua generat Filium, quæ est propria cognitio notionalis Patris, cognoscit intuitione immediata solum Verbum personale; seipsum autem, & cætera omnia essentialia, & personalia, cognoscit in ipso Verbo personali, tanquam in medio cognoscendi, vt cognito & intellecto, intrinsecè; etenim cognitio, qua Pater generat Verbũ personale est formaliter productio siuè generatio; at generatio immediatè fertur tantum ad personam *Filij*, siuè ad Verbum personale *Diuinum*.

Neque verum est, vt dicit opponens, quod Pater si hoc verum esset cognosceret se in Verbo, cognitione abstractiua, & non cognitione intuitiua: & ratio est; quoniam duplex est cognitio intuitiua, vt suprà ostendimus; alia immediata, qua scilicèt cognoscitur obiectum in seipso existens, & alia mediata, qua scilicèt cognoscitur obiectum vsque ad essentiam exercitam in alio obiecto formaliter, & immediatè viso; quippè ad rationẽ essentialem cognitionis intuitiuæ est, vt sit repræsentatio vitalis obiecti, vt existẽtis exercitè; hæc autem cognitio diuisibilis est in cognitionem mediatam, & in cognitionem intuitiuam immediatam.

Distinctio hæc, duplicis cognitionis intuitiuæ recipitur ab omnibus Theologis; quia de facto reperitur formaliter in Deo cognoscente se, & creaturas, vt existentes in aliqua temporis differentia. Quatenùs Deus cognoscit seipsum, vt essentialiter existens exercitè, cognitio Dei est intuitiua immediata; quatenùs verò cognoscit in se creaturas, vt existentes in aliqua differentia temporis, cognitio est intuitiua quidem, sed mediata. Ex hac responsione.

Respondetur ad primum absurdum, nimirùm, quod Pater in Diuinis non cognosceret se cognitione intuitiua.

Respondeo primò: distinguo sequelam, non cognosceret se cognitione intuitiua notionali, & concedo, quia hæc cognitio est productio, & generatio; hęc autem fertur, & terminatur tantum ad Verbum personale immediatè; non cognosceret se cognitione intuitiua absoluta, & nego.

Quod si dicas, in Deo non est cognitio nisi remota ab omni imperfectione; sed cognitio, qua Pater, non cognoscit se immediatè, est permixta imperfectione; quia perfecta cognitio est cognitio intuitiua immediata.

Respondeo, quod cognitio immediata duplex est, alia est cum intrinseca diuisione esse cognoscentis à cognito formali, & alia est sine diuisione intrinseca esse cognoscentis, siuè à suo cognito formali. Prima inuoluit imperfectionem permixtam. Secunda inuoluit summam perfectionem; omnis enim imperfectio oritur à potentialitate ad esse; perfectio verò oritur ab esse, non diuisibili intrinsecè.

Notanter dixi cum diuisione intrinseca esse cognoscentis à suo obiecto formali; quoniam Deus, vt cognoscens adhuc est diuisus in esse à creaturis, quas cognoscit, & tamen hæc diuisio esse non ponit in Deo imperfectionem, quia non est diuisio cognoscentis à suo obiecto formali, sed à suo obiecto materiali, à quo nulla perfectio refunditur cognoscenti.

Ad secundum absurdum, quod data hac opinione S. Thomæ, sequitur, quod melius, & perfectius videt oculus corporalis suum obiectum visibile, quam humanus, vel Angelicus intellectus suum obiectum intelligibile, quia scilicèt melior est visio immediata, quam mediata.

Respondeo primò, nego sequelam, & ratio est; quia cognitio mediata intellectiua est cognitio productiua Verbi; cognitio verò immediata, quæ fertur ad obiectum, quod præsupponitur, vt sic, non est productiua: at perfectior est cognitio productiua, quam cognitio non productiua; visus corporalis non est productiuus speciei expressę, sicut intellectus non præsupponens suum obiectum, quia obiectum visus corporalis est color formaliter extra intellectum, qui præsupponitur, & preexistit visioni corporali.

Respondeo secundò, quod perfectio cognitioni refunditur à suo obiecto formali, non autem à suo obiecto materiali; obiectum formale est immediatum, obiectum verò materiale mediatum: hac posita distinctione, visio oculi corporalis ex eo

quod est immediatè ad colorem, vt obiectum visum. non est perfectior cognitione intellectiua productiua verbi; nam obiectum extra cognitionis intellectiuæ productiuę, non est obiectum formale, sed materiale, & sic visio intellectiua formaliter est cognitio immediata, quę est ad verbum formaliter; verbum autem est obiectum immediatum suæ cognitionis.

Ad tertium absurdum, scilicet, quod verbum mentis esset notius suo obiecto immediato, & ad extra; quia verbum mẽtis intelligitur, siuè cognoscitur, vt mediũ in quo prius cognito cognoscitur obiectũ extra, quod est falsum: nam cognoscenti v.g. Cæsarem in sua statua, notius est cognoscere statuam, quam Cęsarem.

Respondeo: concedo sequelam, & nego minorem, ob rationem allatam in argumento.

Ad secundam confirmationem, qua dicitur, quod, si aliqua cognitio intellectiua esset productiua verbi, adhuc aliqua cognitio visus corporalis esset productiua verbi visualis, &c.

Respondeo, nego sequelam de visu corporali externo, & disparitas est, quoniam visus corporalis exterior ex suo genere præsupponit suum obiectum terminatiuum formale; quia obiectum formale terminatiuum visus exterioris est color in suo esse naturali: color autem naturalis præexistit suæ visioni; at intellectus creatus, vt cognitiuus obiecti creati ad extra, non præsupponit suum obiectum formale terminatiuum; ac proindè est productiuus verbi, quod apparet ex opposito; nam intellectus creatus, vt intuitiuus Dei in se, quia supponit Deum, vt præexistentem in ratione obiecti terminatiui formalis, non est productiuus verbi mentalis; & ideo consequenter Torres *super qu. 27. p.p. S. Thomæ art. 1. disp. 4, circa finem in 1. & 2. aßertione*, negat sensu externo produci similitudinem; & concedit sensum internum videre in similitudine à se producta obiectum extra; quandoquidem sensus interior intra se cognoscit obiectum extra; ad hoc autem requiritur obiectum intra sensum cognoscentem, quod cum non pręexistat producitur à sensu interno; idque non competit sensui exteriori; quia obiectum formale sensus exterioris, est color in suo esse naturali, qui præexistit, vt diximus.

Ad vltimam confirmationem sumptam à paritate intellectus cum voluntate, qua Duran. *loco cit.* ità arguit; in voluntate non est aliqua forma, quæ sit primò obiectiuè distincta, & ratio diligendi alterum, ergo in intellectu non est aliqua forma, quæ sit primò obiectiuè cognita, & ratio cognoscendi alterum.

Respondeo, quod hæc difficultas, quærit solutionem alterius articuli, vtrum voluntas producendo suum actum, producat terminum ad quem.

Respondet S. Thomas *p.p. qu. 37 ar. 1.* affirmatiuè, cum S. Thoma consentit Caietan. *p.p. qu. 12. art. 2. Ferr. 4. C.G. cap. 19. & Capreol. in 1. dist. 10. qu. 1. art. 7.* qui dicunt, quod sicut per intellectum gignitur verbum in quo est obiectiuè res intellecta; ità per actum amandi efficitur impressio quędam obiecti amati in amante, & quod idem est, amor, siuè impulsus, & inclinatio, quæ quidem nomina ob penuriam vocabulorum conueniunt, tam actui amandi, quam termino producto per actum amandi.

Sed quãtũ mihi videtur, hęc doctrina ità vniuersaliter prolata; neque vera est, neque certa est in S. Thoma; non est quidem vera vniuersaliter prolata; quia solum illa operatio potentiæ actiuæ, siuè vitalis, siuè non vitalis, est productiua termini intrinseci, quæ non præsupponit in priori naturæ suum obiectum terminatiuum formale præexistens; neque doctrina certa est in S. Thoma, quoniam S. Thomas eodem modo loquitur de intellectione, ac de volitione, siuè de intelligere, & velle, & tamen in S. Thoma non est verum, & certum vniuersaliter, intellectionem actualem, qua intellectus intelligit aliquid, esse productionem verbi mentalis.

Neque denique potest dicere ingeniosus Aduersarius, est sufficiens motiuum ad asserẽdum, terminum intrinsecum productum per velle ex eo quod est velle in sua latitudine formali.

Fundamentum esse potest; quoniam velle ex eo quod velle formaliter semper præsupponit obiectum suum formale propositum ab intellectu ipsi voluntati: at actio præsupponens suum terminum formalem præexistentem, non est productiua; ergo, &c. maior probatur, quia velle est actualis inclinatio ad bonum præcognitum.

Quod si fortè dicas, hãc doctrinã tollere è medio ꝓductionẽ Spiritus Sãcti; nã Spiritus Sãctus est amor personalis ꝓductus à Patre, Filioque per actum voluntatis; at si velle in sua latitudine formali, non includeret actum productiuum, neque in Deo velle notionale Patris, & Filij esset produ-

ductiuum amoris personalis.

Respondebit statim Aduersarius, velle notionale Patris, & Filij in Deo, esse productiuum amoris personalis, non ex eo quod velle, sed ex eo quod est velle naturę intellectiuæ infinitæ simpliciter infinitudine formali.

Respondeo equidem ad Articulum, siuè ad dubium cum distinctione, asserendo in voluntate duplex esse velle, aliud præsupponens suum obiectum formale terminatiuum præexistens; aliud non præsupponens suum obiectum formale terminatiuum; sicut intelligere duplex est, aliud quod præsupponit pręexistens intrà potẽtiam cognoscentem, suum obiectum formale terminatiuum; aliud non item: velle non præsupponens suum obiectum semper est intrinsecè productiuum; velle autem præsupponens non est intrinsecè productiuum, & hoc verum est, tàm in Deo, quàm in creatis.

Neque verum est, vt dicunt Aduersarij, quod hoc non est sufficiens motiuum ad hunc terminum afferendum, iam quia obiectum semper adest propositum *ab intellectu* ipsi voluntati, & *ratio in* promptu est; quoniam intellectus potest proponere voluntati, tùm bonum proportionatum voluntati, vt præexistens in ratione termini formalis, tùm bonum proportionatum voluntati, non præexistens, sed possibile, vt existat; quando intellectus exponit voluntati suum obiectum proportionatum præexistens; tunc voluntas non est productiua illius; cum verò intellectus proponit voluntati suum obiectum, quod est possibile esse, & non præexistens, semper voluntas est productiua illius; & hoc verum est, tàm in Deo, quàm in creaturis.

Quantum verò ad principale, an amor, qui est terminus voluntatis, sit medium amandi, vt obiectum primarium dilectum, sicut diximus de verbo mentis. Ratio dubitandi est, quia medium, in quo amato aliud amatur, & diligitur, debet cõtinere formaliter, quod continet, quod in eo amatur, sicut medium, in quo cognito aliud cognoscitur formaliter, quod in eo cognoscitur, sed amor, qui est terminus dilectionis intrinsecus, non continet in se formaliter bonum, quod amatur extra voluntatem, quia amor non est, nisi impulsus quidam amantis in rem amatam; ergo, &c.

Respondeo ad dubium, & quæsitum, amorem, qui est terminus intrinsecus dilectionis, qua aliquis amat bonum extra existens, vel potens existere realiter, esse medium diligendi, vt dilectum; sensus huius dicti est, ex voluntate, etiam creata procedere amorem, vt terminum intrinsecũ actus dilectionis eodem modo, quo ex intellectu procedit verbum, quando scilicèt obiectum formale, tàm in voluntate, quàm in intellectu non præexistit in ratione termini formalis, & immediati. Non enim ex quauis creata volitione procedit amor, sed solum ex volitione boni, quod non præexistit actu in amante, vt terminus formalis volitionis, sicut non ex quauis creata intellectione procedit verbum mentis, sed solum ex intellectione non præsupponente suum obiectum formale præexistens intrà intellectum cognoscentis: doctrina est in terminis S. Thomæ *p. p. q. 27. ar. 3. circa finem corporis*, vbi his verbis exprimit hoc dictum. Secundum operationem voluntatis inuenitur in nobis quædam alia processio, scilicèt processio amoris, secundum quam, amatum est in amante, sicut per conceptionem verbi, res dicta, vel intellecta est in intelligente.

Ne autem videatur S. Thomas his verbis dicere, voluntatem constitui in actu per similitudinem rei amatę, sicut constituitur intellectus in actu *4. C. G. c. 19.* dicit, quod aliter, & aliter intellectus producit verbum, ac voluntas amorem: docet .n. q in intellectu verbum est secundum similitudinem suæ speciei: in voluntate autem amantis, amor est sicut terminus motus in principio motiuo proportionato per conuenientiam, quam habet ad ipsum, sicut in igne quoddammodò est locus sursum ratione leuitatis; & infrà subiungit, quod amatum in voluntate pręexistit, vt inclinans, & quoddammodò impellens intrinsecè amantem in rem amatam; hanc ipsam doctrinam clarius explicat *p. p. qu. 37. ar. 1.* similiter inquit secundum vtramque processionem, nempè intellectus, & voluntatis, considerare oportet, quod sicut ex hoc quod aliquis rem aliquam intelligit prouenit intellectualis conceptio rei intellectæ in intelligente, quæ dicitur verbum; ità et hoc quod aliquis rem aliquam amat prouenit quędam impressio (vt ita loquar) rei amatæ in affectu amantis, secundum quam, amatum dicitur esse in amante, sicut est intellectum in intelligente.

Fundamentum dicti est, quoniam amor, qui est terminus intrinsecus dilectionis, producitur à voluntate actu dilectionis, quo amat rem amatam extra, sed hoc est sufficiens causa, vt amor sit mediũ, in quo amato, amatur bonũ ad extra, ergo &c. minor probatur, nam ex hoc, q voluntas

tas amando bonum extra se, producit amorem, amor supplet carentiam rei amatę in amāte voluntate, sicut verbum mentis supplet carentiam obiecti intra potentiam; sed ex isto capite verbum mentis est medium, in quo cognito cognoscitur obiectum extra, ergo etiam ex eo quod voluntas producit amorem amando, amor productus est medium diligendi, & amandi rem extra, vt medium dilectum.

Fundamentū autē explicatum in ratione dubitandi facilè soluitur, est enim dispar ratio inter verbum mentis, & inter amorem, qui est terminus dilectionis intrinsecus; quandoquidem verbum mentis producitur ab intellectu, vt constituto in actu per similitudinem formalem sui obiecti formaliter; amor verò procedit à voluntate, vt constituta in actu per inclinationem in rem amatam, siuè per impulsum impressum in voluntatem à re amata, siuè à bono repræsentato voluntati ab intellectu, quæ quidem impressio, siuè impulsus rei amatæ in voluntate, res amata dicitur esse in amante, nec tamen huiusmodi impressio rei amatæ in amante, est similitudo formalis; quoniam similitudo in forma, siuè in natura specifica communicatur per actum naturæ, qui est primus actus, & dicitur generatio; at impressio, siuè impulsus impressus voluntati à bono repręsentatur ei ab intellectu non est actus naturæ; quia est actus secundus, cū procedat à bono: bonum autem non est natura, sed proprietas naturę; natura enim est prima in re; ac proindè licet ex vi processionis per se communicetur natura à Patre, & Filio Spiritui Sancto, processio illa non est generatio, sed spiratio, quia non communicatur Spiritui Sancto natura per actum intellectus, qui est primus actus in natura intellectiua, sed per actum volūtatis, qui est secundus.

Quod si dicas. Natura Diuina essentialiter constituitur per intellectiuum, & volitiuum; ergo velle in Deo adhuc est actus communicatiuus naturæ.

Respondeo quantum nunc satis est, maiorem esse veram de intellectiuo, & volitiuo essentiali, non autem de intellectiuo, & volitiuo notionali; at natura Diuina communicatur ex vi processionis per se Spiritui Santo per velle notionale, quod est origine posterius intelligere notionale, quo Pater in Diuinis generat verbum; sed hoc fusè tractabitur cum sermo erit de Diuinis processionibus ad intrà in Deo.

Tertium dubium in hac materia est, quomodò cognitio sit factiua verbi, nimirum, cognitio non supponens suum obiectum formale terminatiuum intrà cognoscentem; & ratio dubitandi.

Prima est; quia si cognitio esset factiua verbi cum deberet intellectus producere verbum intelligendo, & cognoscendo; sed hoc est impossibile; quia daretur processus in infinitum in productione verbi; sequela probatur; quia deberet verbum prius fieri per actionem intelligendi, quam cognosceretur; sicut per actionem potentię calefactiuę producitur calor; sed totum hoc implicat; quoniam productio verbi est intellectio; intellectio autem non potest esse ex actu intelligendi; nàm intellectio est primus actus intelligendi potentiæ intellectiuæ: at implicat primum habere antè se aliud prius.

Respondeo, quod cognitio, siuè intellectio duplicem habet vim; in priori naturæ quidem habet vim causandi verbum, siuè idolum mentis, & in posteriori naturæ, siuè in secundo signo naturę habet vim apprehendendi illud, vt medium, in quo cognito cognoscit obiectum extra: secundum vim causandi, cognitio se habet, vt causa efficiens; in ratione verò apprehendendi dependet à verbo in genere causæ formalis obiectiuæ; quia actus cognitionis est expressio formalis sui obiecti formalis; neque implicat, vt sæpè probauimus, eandem cognitionem esse causam, & effectum sui obiecti in diuerso genere causæ; & ex hac doctrina resoluitur aliud dubium.

Quodnam prius est verbum, an cognitio; ex data enim doctrina facilis est resolutio quæsiti.

Respondeo enim, quod verbum, vt causatum in genere causæ efficientis sequitur cognitionem; cognitio enim, vt dixi est causa efficiens verbum, nempè est causalitas intellectus, vt causæ efficientis; in genere verò causæ formalis obiectiuæ, prius est verbum, quam eius cognitio; tum quia causa semper in eo genere, in quo causat, est prior suo effectu; at obiectum formale est causa formalis cognitionis, qua producitur; ergo, &c tum etiam quia cognitio, non potest esse repræsentatiua formaliter, nisi supponat suum repræsentatum; etenim repræsentatio, vt repręsentatio non respicit obiectum, vt effectum, sed vt sui specificatiuum.

Neque dicas, ex hoc sequi cognitionem, siuè scientiam visionis in Deo, vt repræsentatiuam, non esse causam creaturarum, vt existentium extra Deum; sequela autem est falsa; ergo, &c.

Re-

Respondeo, doctrinam allatam verificari de cognitione productiua sui termini formalis; hæc enim est causa, & effectus sui termini in diuerso genere causæ; at creatura existens extra Deum est effectus materialis scientiæ Dei, à quo, scilicèt non specificatur Dei scientia; ex his.

Respondeo ad primam rationem dubitandi, quod intellectus cognoscendo affectiuè producit verbum, non autem cognoscendo repræsentatiuè, idest, intellectus cognoscendo in genere causæ efficientis producit verbum, non autem cognoscendo in genere causæ formalis, scilicet, vt habet vim aprehendēdi sic in genere causæ efficientis intellectio est prior verbo per ipsam producto, & hac posita distinctione non sequitur processus in infinitum, qui sine dubio daretur si cognitio vt repræsentatio esset causa verbi mentis; remanet enim semper eadem causa.

Ad secundam rationem dubitandi respondeo, verbum prius fieri per cognitionem in genere causæ efficientis, quam cognosci per cognitionem in genere causę formalis; habet enim cognitio productiua duplicem vim, & vim causandi, siue producendi verbum mentis, & vim apprehendendi, siuè repræsentandi; at prior est in cognitione reprę̄sentatiua vis efficiendi verbum, quam vis repræsentandi, siuè apprehendendi obiectum extra intelligētem in verbo tamquam in medio cognoscendi vt cognito, quod est intra intellectum intelligentem.

Quartum dubium circa verbum mētis, quomodò verbum mentis distinguatur ab intellectione qua producitur.

Quidam inter actum intelligendi, & verbum mentis ponunt distinctionem realem rei à re, & fundamentum eorum est, quia principium formale productiuum distinguitur realiter à producto, prę̄sertim in creatis in quibus productio realis semper est cum diuisione intrinseca naturę, & esse, sicut e.g. calor qui est principium formale calefaciendi realiter distinguitur à calido producto; at intellectio est principium formale productiuum verbi, nam intellectio producit verbum, vt similitudo vitalis obiecti; ergo, &c.

Alij opinantur, intellectionem esse vnam realitatem in qua distinguntur ex natura rei duæ formalitates ex natura rei; scilicèt, formalitas intellectionis tamquam actionis, & verbi mentis tamquam termini producti per actionem, & isti Authores non ponunt intellectionem principium formale producendi verbum, sed viam, quemadmodum in bona phylosophia, calefactio non est principium formale productiuum caloris, sed tendentia, & via ad calorem producendum; & fundamentum huius sententiæ est, quoniam intellectio est vitalis repræsentantatio, & expressio obiecti quod intelligitur, sed in vitali repræsentatione sunt duę formalitates, non solum, scilicèt, viæ ad repræsensentandum, sed etiam similitudines reprę̄sentatiuæ.

Alij ex opposito ponunt quidem intellectionem, & verbum esse vnam realitatem, sed omnem prorsus tollunt distinctionem realem, idque probant, quoniam intellectio ex eo est intellectio, quatenus est orta ab intellectu in actu in genere obiecti, est verò verbum quatenus eadem est repræsentatiua, vt orta ab intellectum sui obiecti extra intellectum existentis.

Quod si ab his queras primò, est ne verbum mentis prius, an posterius intellectione.

Neque in respondendo concordant; alij sentiūt, verbū mentis esse prius intellectione, & fundamētū, quia prius intellectus loquitur, quā intelligat; idest prius dicit intellectus in seipso, quā intelligat. Alij ex opposito opinātur, verbū esse posterius origine ipso actu intelligendi, quia .s. actus intelligendi est verbum, quatenus est in expressione intellectionis, non enim esset intellectio verbum mentis, nisi expressio esset originata ab intellectu.

Quod si secundò quęras, est ne necessarium verbum mentis, iuxta hanc opinionē in omni actu intelligendi.

Nec conueniunt in respondendo. Putant aliqui vniuersaliter esse necessarium verbum mentis, quia actio non potest esse sine termino: alij putant solum esse necessarium in abstractiua cognitione, quia in intuitiua cognitione adest obiectum quod terminat; non verò in abstractiua. Denique alij admittunt etiam in intuitiua cognitione, præter quam in ea, qua Deus videtur facie ad faciem; quia inquiunt similitudo creata ex sua finitate, non potest repræsentare obiectum infinitæ perfectionis.

Hanc quæstionem eruditè satis exagitat Fonseca *tomo 3. in met. Arist. to. 7. cap. 8. qu. 3. à sect. 1 lit. 6.* eius autem opinio *in summa* hæc est.

Verbum mentis in nobis, nec realiter vt res à re, nec ex natura rei; tamquam vna entitas ab alia entitate distinguitur ab actu intelligendi; sed est vna, & eadem in-

indiuisibilis qualitas, quæ prius natura cõsiderata, vt expressa, & elicita ab intellectu verbum est; Posterius verò natura considerata, vt recipitur in intellectu, intellectio est: quare inquit Fons. verbum mentis, intellectionem præcedit, sed sine vlla intrinseca distinctione; impossibilis enim est, inquit Fonsec. opinio, quæ asserit distinctionem realem inter intelligere, & verbum.

Fundamentum est, nulla est ratio multiplicandi duas realitates, vbi sola vna realitas sufficit sub diuersa consideratione, sed intellectio sub diuersa consideratione habet vtrumque; ergo, &c.

Quod si respondeas ex natura rei, aliam esse formalitatem termini, & aliam esse formalitatem actionis, siuè viæ.

Respondebit statim Fonseca, negando in intelligere esse conceptum termini, & actionis, sed solùm esse conceptum actionis, quæ considerata, vt expressa, & elicita ab intellectu, verbum est; considerata verò vt recipitur in intellectu, intellectio est.

Tribuitur hæc opinio Victoriæ, & Soto; &.

Fundamentum est, quia aut intellectio distinguitur à verbo, vt incompleta entitas; &.

Contra est, quia intellectio in creatis, est accidens completũ, nõ quemadmodum motus, qui vt dicitur *9. met. text. 16.* ex eo quod motus est actus imperfecti; scilicèt actus entis in potentia; sed intellectio est actus perfecti, scilicèt intellectus in actu, vt actio agentis.

Præterea intellectio ponitur per se in prædicamento actionis: & non tantum reductiuè in p̃dicamento qualitatis. Quod si ponatur intellectio completa entitas.

Contra est, quia non esset actio: haberet enim conceptum completum, & absolutum. Multa alia à Fonseca *loc. cit.* ad hoc propositum adducuntur, quæ prætermitto, quoniam facillima sunt.

Hanc eandem opinionem explicat, & docet Suarez in *p. p. S. Thomæ tract. 1. lib. 2.* dicit enim quod verbum mentis, quod solum ponit esse necessarium propter imperfectionem, & conditionem naturalem potentiæ intellectiuæ, vt suprà diximus, non est aliud, nisi ipsa cognitio, quatenùs ea forma vitalis quædam est, quæ informans potentiam cognoscitiuam, quia repræsentatio vitalis est, facit intellectum formaliter cognoscentem. Intellectio, inquit quid factum est in creatis; ergo est accidens, non est aliud, nisi qualitas: ergo, &c. sed est forma quædam, quæ afficiens intellectiuam potentiam, facit eam actu cognoscentem, sicuti forma caloris, qualitas est, quia tali modo qualificat subiectũ: neque enim inquit Suarez pura actio est: quia si pura actio est deberet habere terminum iuxta ea, quæ Suarez docuit *disp. 48. met. sect. 2.* si enim actus mentis non fit per actionem, esset sola qualitas, & non essemus in casu; si verò per actionem fit; ergo non erit pura actio: quia actio debet habere de necessitate terminum, ad quem terminetur.

Neque dicant Thomistæ, potest dicere Suarez, aliud esse intellectionem, & aliud esse verbum, quia verbum est similitudo, non intellectio; idest in verbo, est repræsentatio, non in intellectione.

Nàm Suarez statim dicet, vel Thomistæ per intellectionem intelligunt qualitatem, & multiplicant qualitates duas sine fundamento, idest vnam qualitatem, quæ est intellectio, & alia quæ est verbũ: vel intelligunt actionem, & actioni tenentur de necessitate assignare terminum, & si in Thomistarum opinione, verbum est similitudo, intellectio, quæ est actio, erit assimilatio: quod si similitudo non est. Quærit Suarez à Thomistis, quomodò intellectio faciat Deum præsentem intellectui beatorum, sic enim intellectio non esset cognitio, vel notitia, quia non esset similitudo, vel repræsentatio: ergo concludit Suarez intellectio est qualitas producta ab intellectu, qua qualitate informatus intellectus habet, e.g. Deum sibi intellectualiter præsentem.

Hęc difficultas resolui potest, iuxta duas opiniones, quæ sunt de actione; an scilicèt actio productiua ex suo genere sit in agente, an in termino per ipsam producto: & quęsitum intelligitur de actione, quæ est communis actioni immanenti, & actioni transeunti.

Prima enim opinio est eorum, qui distingunt duplicem actionem, actionem agentem, quæ est abstractum ab agere, & actionem actam, quę est abstractum ab acto, idest à producto, siuè ab effectu; actionem agentem dicunt esse formaliter in agente causa: actionem actam verò dicunt esse in effectu producto. Definitur actio agens, actio ab agente procedens: actio verò acta definitur via ad effectum producendum; v. g. calefactio agens est actio à calore procedens: calefactio verò acta, est actio ad calorem: & istæ duæ actiones sunt realiter inter se distinctę; &

ra-

ratio à priori est: quoniam distinctio actionis est ex distinctione actus specificatiui: sed actus specificatiui actionis agentis, & actionis actæ, sunt distincti realiter: actus enim actionis agentis est in agente: actus verò specificatiuus actionis actæ est in termino producto, qui sunt duo subiecta distincta realiter: ex distinctione autem reali subiecti distinguitur realiter actus receptibilis in subiecto.

Secunda opinio, est asserentium, actionem ex suo genere adæquatè esse vnam simplicem formalitatem adęquatam, quæ fluit ab agente: & vt sic dicitur actio, sed inadæquatè, & recipitur in termino, siue in passo, & vt sic dicitur passio pariter inadęquatè; & fundamentum huius opinionis est: quoniam actio formaliter fluit ab agente: ex hoc autem capite dicit esse ab agente in passum.

Quod si respondeas, actionem, & passionem esse vnum simplicem influxum realem, in quo sunt duæ formalitates adęquatę, formalitas actionis, & formalitas passionis, quia passio, & actio constituunt duo diuersa pręđicamenta accidentis: duo prædicamenta distinguitur adæquatè.

Statim respondere possunt: hic esse sermonem, & difficultatem de actione, quatenùs est causalitas agẽtis, nõ autẽ de actione, quatenùs est vnũ prędicamẽtũ diuersum à cęteris; causalitas, siuè influxus agentis in passum inuoluit in suo conceptu adæquato esse ab agente, & esse in passum, sicut viuens supremum adęquatè intellectiuum, & volitiuum: vtrumque .n. est viuẽs supremum; at viuens intellectiuũ vt sic, dicit principium intelligendi, pariter influxus agentis in suum effectuum inadęquatè est actio, & inadęquatè est passio: adæquatè verò est actio, & passio, scilicèt, est ab agente in passum, siuè in effectum eodem prorsus modo, quo homo adæquatè est animal rationale; inadæquatè verò est animal.

Quæsitum resolui potest iuxta vtrãque sententiam; & quidem iuxta primam sententiam.

Dico primò, intellectio vt actio, siuè intellectio agens est distincta realiter per diuisionem intrinsecam sui esse à verbo mentis, quod est terminus intrinsecè productus, sicut calefactio agens, siuè calefactio actio, est distincta realiter per diuisionem sui esse à calore producto; sensus est in re, aliud esse intellectionẽ agẽtẽ, siuè vt actionẽ, & aliud esse verbũ per illã productum, & loquor in creatis; in Deo enim non sic distinguitur per diuisionem intrinsecam sui esse intellectio notionalis Patris à verbo personali, sed sola distinctione originis, quæ est per solam relatiuam oppositionem.

Fũdamentum primum dicti est, quia alius est conceptus adæquatus intellectionis in quantum actio, siuè agens secũdum se, & alius est conceptus adæquatus verbi, quod producitur, siuè termini intrinseci intellectionis secundum se; alia est definitio essentialis vnius, & alia est definitio essentialis alterius; sed hęc alietas est in re independẽter ab intellectu; ergo alia est in re formalitas intellectionis, quatenus est actio, siuè agens; maior probatur, intellectio, vt actio, est operatio ab intellectu in actu procedens; sed hic est conceptus adæquatus intellectionis in quantum actio, positis tantum in re his tantum prędicatis, ponitur essentialiter intellectio; definitio verò essentialis verbi mentalis est similitudo intellecta sui obiecti in intellectu existens, siuè vt loquitur S. Thomas nihil aliud est, nisi similitudo rei intellectæ, prout est concepta in intellectu, his enim tantum prædicatis ponitur essentia verbi mentalis in re.

Dico secundò; intellectio, vt passio, siuè intellectio acta distinguitur à verbo per ipsam producto distinctione reali modali in creatis.

Conclusio controuersa est, vt explicauimus ponendo varias Scholasticorum opiniones, prę́sertim est cõtra Nominales, qui tollunt è medio omnem actionem, tam agentem, quam actam, vt suo loco explicabitur; Fundamentum dicti est, quia actio acta formaliter non est aliud, nisi fieri verbi quod fit, sed fieri rei est modus rei, quæ fit, nàm fieri rei voluit in recto rem, quæ fit, hic autem est conceptus modi. Tota difficultas est in maiore, quam sic probo, quantum nunc satis est: fieri rei est primum esse rei, hic autem est conceptus modi rei quę fit, & à priori ostenditur; quandocumque est aliquis conceptus inuoluens rem sub aliqua determinatione; tunc ille conceptus obiectiuus, est conceptus modi, totum hoc reperitur in fieri rei, non enim intelligere possumus fieri, quin intelligamus concretum; scilicèt id quod fit.

Adeo vera est hæc doctrina, quod S. Thomas etiam dixerit, creationem passiuam distingui à re, quæ creatur, vt suo loco dicetur, & confirmatur, quia actio acta non est, nisi dependentia actualis effectus, qui producitur à sua causa efficiente; sed dependentia actualis modus est: est enim determinatio rei, quæ fit.

Quod

Quod si primò obijcias; effectus; qui efficitur, præsertim effectus creationis includit dependẽtiam à prima causa: etenim creatura, qua creatura est, est à Deo depẽdens; pariter effectus creatus, qua effectus est essentialiter dependet; sed inclusio essentialis, excludit omnem distinctionem realem etiam modalem; ergo, &c.

Respondeo: distinguo maiorem, aut enim creatura accipitur in actu primo, idest sm̃ quod terminus est, qui dependet, & in hoc sensu essentialiter non depẽdet, sed essentialiter exigit dependentiam, cum qua actu iungatur: aut accipitur in actu secundo, & sic in sensu composito, idem est creatura actualis, quod creatura dependens, hic loquimur de verbo in sensu diuiso, siuè in sensu specificatiuo, non autem in sensu composito, seù reduplicatiuo.

Quod si secundò obijcias, si actio acta esset distincta ex natura rei modaliter à suo effectu, siuè producto, actio acta haberet rationem prioris, & posterioris in existendo; quippè terminus, qui creatur per creationem, preexisteret, & creatio acta, siuè passiua, quæ dependentia est in termino, vt causa esset prior.

Respondeo, concedendo, dependentiam, & independentiam in diuerso genere causæ; negando verò in eodem genere causæ, scilicet præcedit dependentia formaliter, consequitur verò materialiter.

Suarez *in sua met.* admittit aliquod genus accidentis, quod appellat accidens metaphysicum, & hoc inquit distinguitur à subiecto ex natura rei, sed fortè Suarez loquitur de accidente prædicabili, non autem de accidente prædicamentali, quod est essentialiter entis ens; nã cum peripateticis; & omnibus Scholasticis agnosco immediatam diuisionem entis realis creati in substantiam, & accidens.

Ex hoc vltimò dicto resoluitur etiã quesitum iuxtà secundam sententiã ponentiũ, actionem secundum adæquatum suum conceptum subiectiuè existere in passo, siuè in termino producto; quandoquidem iuxta hanc opinionem esse actionem ab agente est conceptus inadequatus actionis productiuæ.

Ad complementum questionis de ente reali intelligibili esset necessaria disputatio de speciebus intelligibilibus in Angelis; sed quia hæc altiores habet radices explicabitur *speciali quæstioni tom.* 2. fauente Deo, vbi proponetur examini.

Plures aliæ difficultates sunt circa speciem intelligibilem intuitiuam, & circa ipsam visionem intuitiuam Dei in se non facilis resolutionis, an nimirum Dei essentia sit species intelligibilis creaturarum intellectui creato eleuato lumine gloriæ, inquantum est Dei essentia formaliter, an inquantum est causa prima creaturarum, tam possibilium, quam existentium: & ratio dubitandi est, quoniam Diuina essentia est causa prima creaturarum omnium per intellectum, & voluntatem; essentia autẽ Dei, vt essentia formaliter est prima radix adæquata; tum intellectus, tum voluntatis], tam necessariæ, quam liberæ; qua posita distinctione oritur duplex quæstio inter Theologos; Prima est, an Diuina essentia sit species intelligibilis ad cognoscendum creaturas, etiam possibiles in quãtum est Dei essentia formaliter, & præcisè, an in quantum est prima causa libera. Secunda est an intellectus beati cognoscat creaturas etiam possibiles, quantum ad earum esse formale, ex vi visionis intuitiuæ Dei in se, an ex cognitione decreti Dei de creando, tam absoluti, quam conditionati ex parte actus, quod est si Deus vellet, & ex his dependent aliæ difficultates, an videndo Deum in se, necessarium sit videre in Deo viso, creaturas possibiles, saltem in generali. An cognitio omnium creaturarum in particulari, sit cognitio compræhensiua Dei in se, & quam ob causam. An denique creaturæ, siuè existentes, siuè possibiles secundum earum esse formale, & intrinsecum videantur in Deo, saltem in generali, ex visione Diuinæ essentiæ in se. An ex libera manifestatione, siuè loquutione Dei, &c. Verum, quia quæ hactenùs scripsimus, ad iuxtã vnius Thomi magnitudinem peruenisse videntur, manum impono huic primo Tomo, quem iudicio Sanctæ Matris Ecclesię submitto. Vtinam ad æternæ sapientiæ maiorem manifestationem perueniant supplice S. Thoma, quem semper Magistrum habui. Anno 1672. Die 15. Mensis Martij.

Ad Dei, Deiparæ, S. Thomæ, ac D. Petri Cœlestini, & S. Benedicti gloriam.

# INDEX CONCLVSIONVM, ET MATERIARVM.

## Primus numerus paginam, secundus columnam designat.



Bbbbbb

E.

## N.



Vide Verbo *Priuatio*.

Obie-

## O.



## P.



Priua-

Plurima alia sunt in hoc Opere digna tua notatione studiosissimè Lector, tùm in aliorum opinionum principijs, & obiectionum solutionibus diligentissimè examinandis, tùm in obiectis contra meas conclusiones ad trutinam exactissimam reuocandis, quæ tamen in hoc Indice non indicantur, cum enim vel ad demonstrandas, vel ad defendendas nostras sententias adducantur cum nostra legetis vltrò tibi illa occurrent.

FINIS PRIMI TOMI:

ER-

# ERRATA. CORRIGE.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam denotat.

695. 2. Prope mediũ, & alibi ſæpiſsmè ſparſim in toto opere. cognitiuam. *lege* cognoſcitiuam. *696.* 1. Prope initium. quemudmodum. quemadmodum. 696. 1. §. ſub hoc artic. prope medium. vtrumpue. vtrumque. 696. 1. §. vltimi initio. rrima. prima. *696.* 1. prope finem. neceſſarias. dele. 696. 2. in initio. non eſſe neceſſarias. nõ dari. 697. 1. §. ſecũda. concluſio prope finem. in intelluctu. in intellectu. 697. 2. prope finẽ. huminoſo. luminoſo. *697.* 2. prope finẽ. termininato. terminato. *697.* 2. in fine. & propinguins. & prius quod eſt propinquius. 698. 1. §. alij: prope initium. ſimitudinem. ſimilitudinem. 698. 1. §. Durandus in fine. in potentiam cognitiuam. in potentia co gnoſcitiua. 698. 2. §. primum antè medium. diſſerentias. differentias. 698. 2. §. primum. paulò antè medium. entis ſprmalis. entis formalis. *699.* 2. §. in hoc principio. ante medium. matetialitatem. materialitatem. *699.* 2. §. in hoc principio. in medio. ſenſus, & qualibet potentia. ſenſus, & quælibet potentia. 699. 2. §. in hoc principio. in fine. natus eſt eſſe omnia, vt docer, &c. nata eſt eſſe omnia, vt docet. 700. 1. §. in ſecundo fundatur, etiam aliud principium eſt. *dele* eſt. 700. 2. prope initium. ſecundum quod eſt per aliqua formam. aliquam formam. 700. 2. §. contra hæc. neceſſariam eſſe in potentia cognitiua. neceſſariam eſſe ſpeciem in potentia cognoſcitiua. 700. 2. §. ſecũda difficultas. in medio. diuerſiratis. diuerſitatis. 701. 1. §. ſed omnes. ante medium. neque in oppetitu. neque in appetitu. 701. 1. §. ſed omnes. poſt medium. volunas. voluntas. 701. 1. §. ſed omnes. in fine. & conſequente. & conſequenti. 701. 2. *in medio.* a ppetitus non fetrur in cognitum. in incognitum. 701. 2. aſſequi bonũ cognitiũ. cognitũ. 702. 1. §. reſponſio. in initio. opperatio. operatio. 702. 1. §. reſponſio, ante mediũ. à ſoma. à forma. 702. 1. §. Neque dicas, ſiuè boni appetibilis in in appetente. appetibilis in appetente. 702. 2. §. Reſpondeo paulò poſt principium. inpreſſio. impreſsio. 703. 1. §. hinc oritur. poſt medium. in ſuo looo. in ſuo loco. 703. 2. §. Reſpondeo. in medio. non autem intelligitur. non autem intelligitur. 703. 2. §. Reſpondeo. in fine. etſi primus actus. eſt primus actus, 704. 2. §. addit illud. in fine. ſpecies enim inquiunt eſt obiectiuè, vt quo. eſt obiectiua, vt quo. 705. 1. §. falſum in initio. idem auctores. ijdem auctores. 705. 1. §. falſum poſt medium. ſimilirudo enim. ſimilitudo enim. 705. 2. §. Reſpondeo. poſt medium. ſed in eſſe potentiæm foraliter. ſed in eſſe potentiæ formaliter. 705. 2. §. vltimo. in medio. à potentia coginitiua. à potentia cognoſcitiua. 706. 1. §. quærebatur in medio. cognitio. coognoſcimus. cognitio. cognoſcimus 706. 1. §. adhoc quæſitum. in principio. cauſuſalitatis. cauſalitatis. 706. 2. paulò poſt initium. intellig bis. intelligibilis. 706. 2. §. reſpondere paulo ante medium. vnins. vnius. & paulo poſt quoquumque. quocumque. 707. 2. §. reſpondeo prope finem. materialiter, ſiuè vllo diſcurſu. ſine vllo. 707. 2. §. vltimo poſt medium. qualitatatis habitualis. qualitatis habitualis. 710. 1. §. verum, in medio. ſiuè intentionali inquantum formaliter repræſentatiua eſt ſui obiecti immediati & formaliter, repræſentatiua ſui obiecti immediati, & formaliter. Notanter, &c. ſiue intentionali in quantum formaliter repræſentatiua eſt ſui obiecti immediati, & formalis. Notanter. &c. 711. 2. §. concluſio. prope initium, quod ens intentionanale. quod ens intentionale. 715. 1. §. vltimo. quodam. quoddam. 717. in fine. fecetet. faceret. 719. 1. poſt medium. aſſe. eſſe. 719. 2. paulò ante finem repræſentetiua, repræſentatiua. 723. 2. paulò poſt initium. concedebam ſubſtantiam in eſſe naturali non &c. *adde* eſse immediate operatiuam. 727. 1. paulò ante finem. naruræ. naturæ. 728. 1. prope initium. æqui. equi. æqui, &c. equum. &c. Ibi paulo inferius. corumde. eorumdem. poteſt eſſe. poſſet eſſe. 728. 2. §. Obijcies quinto in fine. animarum ſeparatorum. ſeparatarum. non vniueſales. non vniuerſales. 229. 1. in medio. Species intelligiles. intelligibiles. 730. 1. paulo poſt initium. non iterum. non ità. 731. 2. in fine. niſi intriſicè. niſi intrinſecè. 733. 2. §. ſed hæc opinio. paulò per initium. non aliud importatat. non aliud importat. 734. 1. paulò poſt initium, ſed obiectum motinum. motiuum. 737. 1. prope finem, inquantum. in quantum

tum

ERRATA. CORRIGE:

cum. 738.1.in initio, gradus ſentitiuus.ſenſitiuus.738.2.poſt medium,ſicut eandem ratióne. eadem ratione.740.1.ſub initium, quam ex materia forma, ex materia, & forma.741.1. §.neque. huic doctrne. huic doctrinæ. 742.1. in initio. conuingit. conuincit.744.2.in Initio,pati addictionem. additionem. 754.1. §. Reſpondeo poſt medium. tantitas determinata eſt obiectum. ad obiectum. 758.1 paulò poſt initiũ. Angelum ſuperiorum. ſuperiorem.769.2.§,Reſpondeo enim. nego ſecundum. concedo.879.2.prope medium.recipietem.recipientem.906.1.prope finem. motu verò localis. motui verò locali.907.1.prope finem. acquiſi-iua. acquiſitiua.

Reliqua,quæ abundantiſſimè pręlo manarunt tuæ corrigenda linquimus ſapientiæ Lector, ne diutius in notandis mendis immorando Amicorum hoc opus ex poſtulantium ſedulitatem protraheremus.